JC.17.Pl.1.

37
37 G
6

Digitized by Google

Digitized by Google

JACOBI SIRMONDI

SOC. JESU PRESBYTERI

OPERA VARIA.

TOMUS SECUNDUS.

VENETIIS,

E TYPOGRAPHIA BARTOLOMÆI JAVARINA.

M. DCC. XXVIII.



BENEDICTO XIII.
PONTIFICI MAXIMO
TYPOGRAPHUS

AUſpicia mihi tua, BEATISSIME PATER, tam proſpera fuere, ut quædam repente exierint ad hanc editionem ornandam, de quibus ego initio non cogitaveram. Habes igitur in hoc volumine altero princeps Facundi Hermia-

nenſis opus infinitis prope locis caſtigatum & reſtitutum ex Manuſcripto Capituli Veronenſis Codice fidei & antiquitatis plane verendæ. Non deerit, ut ſpero, aliquid ad ornatum reliquorum. De re tota tum mihi ipſi, tum Tibi maxime publica hac declaratione gratulandum putavi; ut homines intelligant, res fauſto omine ſuſceptas plerumque fauſte cedere. Videmus, Te tuaque omnia peculiari quadam ratione Superis curæ eſſe: quoniam illa ipſa ingenti Eccleſiæ bono perfeciſti, quæ cum ſuſciperes, alii nimis ardua, alii impoſſibilia judicabant.

Hæc me primum cogitantem moverunt, ut Te ad præſidium compellarem: hæc eadem cogitatio in ſuſcepto inſtituto nunc magis confirmat. Fac ut nobis pro paterna Chriſtani gregis cura benedicas, & pro ſummi Sacerdotii auctoritate propoſitum hoc noſtrum Deo Opt. Max. bonorum omnium largitori commendes.

I.	*S. Aviti Viennenſis Opera.*	Pag. 1.
II.	*Idatii Chronicon & Faſti Conſulares.*	227.
III.	*Marcellini Chronicon.*	269.
IV.	*Facundi Epiſc. Hermianenſis libri XII.*	297.
V.	*B. Eugenii Epiſc. Tolet. Opuſcula.*	609.
	Dracontii Hexaemeron &c.	629.
	Martini Epiſcopi Dumienſis quædam.	653.
	Columbani Abbatis Epiſt. parænetica.	655.
	D. Severini Epiſcopi Doctrina.	659.
	Proſperi Aquitani Confeſſio.	663.
VI.	*Theodulfi Epiſcopi Aurelianenſis Opera.*	665.
VII.	*Amolonis Epiſtola ad Gotheſcalcum.*	893.
VIII.	*S. Auguſtini Sentent. de Prædeſt. &c.*	915.
IX.	*Servati Lupi liber de tribus Quæſt.*	945.
X.	*Rabani Moguntini tres Epiſtolæ.*	985.

PRÆFATIO

De iis quæ hoc volumine continentur.

I. SANCTI AVITI VIENNENSIS Operibus a Sirmondo editis quædam nunc ejuſdem auctoris adjecta ſunt: primum, epiſtolæ quatuor quas V. Cl. Stephanus Baluzius ex vetuſto Petri Marnæſii Senatoris Gratianopolitani libro * vulgavit. Deinde fragmenta aliquot Operis *de divinitate Spiritus Sancti*: quæ ex antiquo monaſterii S. Galli apud Helvetios codice idem Baluzius edidit. * Præterea Collatio cum rege Gundobado adverſus Arianos Lugduni habita, cum univerſi ferme Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopi eo conveniſſent, uti notaverat Hieronymus Vignerius, cujus ex ſchedis hanc Aviti lucubrationem * Dacherius publicavit: qui admonet, nihil tamen eſſe quod cogat ipſam referre, uti feciſſe videtur vir doctus, ad illud Concilium Lugdunenſe, cui ſe una cum Chartenio quodam Epiſcopo interfuiſſe Avitus * teſtatur. Nam primo, Avitum de Fide cum Gundobado ſæpius, nunc coram per *dialogos*, nunc abſentem per epiſtolas egiſſe, ſcribit Agobardus lib. adverſus Gundobadi legem cap. XIII. & id ex ipſis quæ extant Aviti epiſtolis ſatis liquet. Deinde ex illis epiſtolis liquet etiam, in more poſitum fuiſſe, ſicut Sirmondus pag. 69. notat, ut Epiſcopi vicinarum ſedium collegas Epiſcopos ad urbium ſuarum celebritates invitarent. imprimis, ſancti Juſti celeberrima Lugduni ſolennitas erat: de qua & Sidonius lib. V. epiſt. XVI. *Conveneramus ad S. Juſti ſepulcrum*, &c.

* Tom. I. Miſcell. pag. 355.
* Ibidem pag. 361.
* Tom. V. Spicil. pag. 110.
* Epiſt. XXVIII.

Edita eſt in Labbeanæ librorum Mſs. Novæ Bibliothecæ volumine primo, * *Vita S. Aviti Viennenſis Archiepiſcopi*, incerto auctore, qui multa, ut obſervat Labbeus, ex Vita S. Apollinaris, Aviti fratris, tranſcripſit, atque in ipſis extremis lineis graviter lapſus eſt, dum S. Avitum Anaſtaſio adhuc principe mortuum narrat.

* Pag. 693.

II. Idatiani Chronici editionem Sirmondianam denuo contulimus cum eo codice mſ. quo uſus fuit ipſe Sirmondus: nec nullum fortaſſe hujus operæ noſtræ pretium fuerit: pluribus quippe in locis lectiones a libro per Sirmondum edito nonnihil diſcrepantes, ad oram appoſuimus. Deinde pag. 243. quod de Ajace quodam homine Ariano Sirmondus legerat: *de Gallicana Gothorum habitatione hoc peſtiferum inimici hominis virus advectum*: nos repræſentavimus, ut eſt aperte in mſ. *ad Gallicanam Gothorum habitationem* &c. Unum eſt præter iſta, quod tunc nos fugit, leviculum ſane: hic tamen annotabimus. nempe pag. 241. ſic ſcripſimus poſt Sirmondum: *Pars Gothici exercitus.... Suevos apud Lucum deprædantur, quæ Dictinio*, &c. eſt autem in mſ. *Suevos apud Lucum deprædatur habitantes*. Demum quæ ſubinde in Sirmondi libro lineolis ſive anſulis includuntur (ob hanc unam, ut arbitramur, cauſam, quia nempe in mſ. codice non extant) ea nos, majoris diſtinctionis gratia, diverſo præterea excudi charactere curavimus.

Idatii Chronico Sirmondus ex eodem codice mſ. Faſtos Conſulares, quos

auctoris ejuſdem eſſe non levibus argumentis conjecit; vel potius Faſtorum illorum partem eam duntaxat quæ minus erat corrupta, ſubjunxit. Poſtea autem Labbeus: *Quod ſummus ille vir uſque ad obitum præſtare renuit, hoc ego,* inquit, *plurimorum pulſatus precibus, ac prope conviciis publicare aggreſſus ſum, integroſque Faſtos Idatianos, hactenus capite pedibuſque truncos, Lectoribus ex codice mſ. Bibliothecæ Collegii Claromont. Pariſienſis Societ. Jeſu repræſentavi: additis ad oram utriuſque columnæ anni ab urbe condita, ex Varroniana ſupputatione: & caſtigatis pleriſque antiquariorum ſive exſcriptorum erroribus. Addidi quoque, ſed diverſo a ceteris charactere, omiſſos interdum, eorumdem potius quam Idatii culpa, Conſules geminos quia id a me poſtulare videbatur & argumenti ratio, & lectorum opportunitas.* ita vir doctiſſimus in ipſo aditu Novæ Bibliothecæ. Ut autem a nobis iidem Faſti aliquanto etiam ornatiores exirent; præter illa quæ Labbeus omiſſa ſuppleverat, præterque adjectas ab ipſo ſive emendationes, ſive variantes lectiones; alia inſuper generis ejuſdem non pauca ex Ciceronis libris aliiſque veterum monumentis conquiſita, ſimiliter ad utriuſque columnæ oram adſcripſimus: necnon breves aliquot animadverſiones intexuimus, quibus aliqua Idatianæ deſcriptionis errata obiter notaremus. Nam inſtituti noſtri non fuit, in omnia inquirere: præſertim cum id jam alii accurate præſtiterint, atque inter ceteros Emmanuel Schelestratius, & Antonius Pagi, a quibus haud pridem eruditæ de ea re tota Diſſertationes prodiere.

Uno aut altero editionis Sirmondianæ in loco mendum inſederat. nam primo, ad annum æræ Chriſtianæ vulgaris 350. *Sergio & Nigriano Coſs.* dicebatur *Vetranio levatus Kal. Maii.* Hæc autem temporis nota non modo refellitur ex hiſtoria (nam Vetranionem, tum decimo imperii ſui menſe, tum Decembri depoſitum fuiſſe ſatis conſtat: proindeque ipſius inauguratio non Maio ſed Martio menſi adſcribenda fuit, ut & Chronici Alexandrini auctor adſcribit) ſed etiam codicis noſtri Metenſis lectione coarguitur. ibi enim *Mar.* non *Mai.* legitur, ſicut jam ante nos Labbeus animadverterat. Pariter quod ad annum 366. *Gratiano Nob. & Dagalaifo Coſs.* Valentinianus Junior *Valentiniani Auguſti filius* dicebatur in editione Sirmondi; emendavimus ex eodem mſ. codice, in quo *filius Auguſti Valentis* nominatur: quod prorſus verum eſt, ſicut notavit ac pluribus argumentis demonſtravit Henricus Valeſius in ſuis Annotationibus ad caput x. lib. iv. Socratis: ubi caſtigat Socratem ipſum, qui pariter illo in loco Valentinianum Gratiano & Dagalaifo Coſs. natum, Valentiniani filium facit. atque hunc haud dubie Socratis locum ſecutus erat Sirmondus.

Ad annum 285. *Diocletiano II. & Ariſtobulo Coſs.* Sirmondiana editio ſic habebat: *his Conſs. occiſus eſt Carinus (& levatus eſt Diocletianus Imperator) qui ipſo anno,* &c. Henricus autem Valeſius in Annotationibus ad lib. xxiii. Ammiani Marcellini, de hoc Faſtorum loco ait: *V. Cl. Jacobus Sirmondus quædam ex conjectura inſeruit duabus lineolis incluſa, quæ tamen abſunt a mſ. codice: ut mibi ipſe teſtatus eſt cum hanc meam obſervationem ad eum detuliſſem. ſed hæc lectio defendi non poteſt. nam primum,* &c. Utcumque ſit de rebus ipſis; cum Labbeus in ſua Idatii editione additamentum illud jam ſuſtuliſſet, poſteriorem illam editionem ſecuti ſumus.

Quod autem ad annum 382. *Antonio & Syagrio Coſs.* legitur: *Gothi cum rege ſuo in Romaniam ſe tradiderunt*: cenſet quidem Antonius Pagi, vir antiquitatis cognitione præſtans, legendum eſſe: *Gothi cum rege ſuo in Romania ſe tradiderunt.* Gothos quippe illo anno regem non habuiſſe. tamen quia ibi editio Sirmondi a codice mſ. ne apice quidem uno diſcrepat, nihil mutavimus

III. Chronicon Marcellini Comitis rurſum contulimus cum manuſcriptis

duobus, uno Collegii noſtri Pariſienſis, altero Bibliothecæ Victorinæ: atque ex iis lectiones aliquot variantes annotavimus, ac nonnullas item ex ſchedis viri docti, atque in recenſendis veterum ſcriptis exercitatiſſimi, Petri Franciſci Chiffletii, qui Sirmondianam Chronici Marcellini editionem cum veteri codice Brugenſi comparaverat. ſic, ad annum vulgaris æræ 434. *Ariabindo & Aſpare Coſſ.* ubi de Honoria Valentiniani Aug. ſorore legitur: *Attilanem contra occidentalem rempublicam concitabat*: Chiffletius ex codice Brugenſi legit, ut ibi notavimus: *Male enim contra occidentalem rempublicam cogitabat*. Certe *Attila*, ait Chiffletius, *regnare cœpit duntaxat poſt annos abhinc undecim, ex Marcellino; vel decem ex Proſpero*. Tum ad annum 401. *Vincentio & Fravita* (ſive Fravito) *Coſſ.* ubi Theodorus Junior legitur natus III. *idus Apriles:* Chiffletii codex habet IV. *idus Apr.* qui dies a Socrate quoque lib. VI. cap. VI. notatur. Præter iſtas porro aliaſque quas ſuis locis indicavimus, lectiones novas; poſtmodum & aliæ nobis, Chronici ejuſdem, in Chiffletii ſchedis occurrerunt, ex eodem codice Brugenſi depromptæ: quarum indiculum ſtatim poſt hanc Præfationem dabimus.

Ad annum autem 525. *Philoxeno & Probo Coſſ.* ubi ſic legitur: *Joannes R. E. Papa LI. anno a Petro . . . cccclxxv.* Chiffletius ponit *ccccLxxxv.* codicem tamen nullum citans. ac poſtea Scheleſtratius in Diſſertationibus quibus Eccleſiæ antiquitatem illuſtravit, ſic ad annum illum ſcripſit: *Petrus Pontificatum Rom. iniit, juxta noſtram Chronologiam, anno poſt mortem Chriſti duodecimo: a quo uſque ad prædictum conſulatum ſunt anni 485. unde decem anni deſiderantur apud Marcellinum: forſan tabellariorum incuria, qui* CCCCLXXV. *pro* CCCCLXXXV. *ſcripſerunt*.

Quod annus 381. inſcribitur *Eucherio* (ſive Euchario) & *Evagrio Coſſ.* mendoſum id eſſe ac pro *Evagrio* ſcribendum eſſe *Syagrio*, ſatis conſtat, tum ex Idatii Faſtis, tum ex aliis antiquis ſcriptoribus. ſed nimirum ſimilitudine ſcripturæ factum eſt, ut primò apud Socratem lib. V. cap. VIII. Εὐάγριος pro Συάγριος, ac deinde apud Marcellinum *Evagrio* pro *Syagrio* ſcriberetur, ſicut notavit vir eruditiſſimus * Joannes Harduinus. * *In Notis ad Orat. XVI. Themiſtii.*

Anno 397. *Cæſario & Attico Coſſ.* ubi *Flaccilla Arcbadio nata* legitur: itemque anno 431. *Antiocho & Baſſo Coſſ.* ubi *Flaccilla* Theodoſii Aug. filia vocatur: *Placillam* utroque in loco ſcribi debere contendit Petrus Lambecius: * *Biblioth. Caſ. Lib. II. p. 385.* pariterque emendari vult S. Ambroſii, Claudiani, Pauli Diaconi & Proſperi locos, ubi videlicet pro *Placilla* nominari *Flaccillam* putat. quippe Theodoſii quidem filiam haud dubie *Placillam* dictam fuiſſe de nomine Placidiæ, ſive *Placillæ*, Antonii filiæ, primæ uxoris Theodoſii: ac deinde ad filiam quoque Arcadii, Theodoſii neptem, illud nomen tranſiiſſe. Socrates quidem lib. IV. cap. XXXI. primam Theodoſii uxorem nominat Πλαχίδην filia autem Theodoſii & Gallæ Πλάχιλλαν: ac priorem * Soxomenus Πλαχίλλαν. * *Lib. VII. cap. VI.* At Henricus Valeſius notat, hanc ab Epiphanio Scholaſtico *Flaccillam* dici, & quidem rectius: ſic enim in veteribus nummis appellari. tum hæc adjicit: * *Sed mirum eſt Græcos in hoc nomine fere hallucinari. ſupra enim obſervavimus* Πλάχιτον *dici a Socrate non ſemel pro Flaccillo, qui fuit Antiochenſis Epiſcopus.* * *Annotat. ad Socr. lib. IV. c. XXXI.* Demum Joannes Harduinus ſcite admodum monet; utcumque Græci ſcripſerint, de Latinæ Reginæ nomine fidem haberi potius Ambroſio aliiſque Latinis debere, qui uxorem Theodoſii ſenioris Flaccillam vocat.

Poſtremo ad annum 547. *Poſt Conſulatum Baſilii VI.* monet Chiffletius, in codice Regio 1690. Marcellini Chronicon ibi deſinere, poſt illa ſcilicet verba: *Præſentale accepit magiſterium*. atque id * Petrus quoque Lambecius * *Bibl. Cæſ. lib. II. pag. 874.* teſtatur de veteri codice Cæſareo, qui olim Matthiæ Corvini Hunga-

riæ regis fuit : in eoque , poſt verba modo memorata , in morem inſcriptionis ſubjici: Collectio omnium annorum. tum infra : *Iſtius Chronicæ colliguntur omnes anni uſque ad Conſulatum Valentis ſextum*, &c.

IV. Facundi Hermianenſis Opera rurſum a nobis collata ſunt cum illo Vaticanorum codicum apographo quo uſus fuit Sirmondus : itemque cum altero veteri libro mſ. quem ampliſſimæ & locupletiſſimæ Bibliothecæ Tellerianæ cuſtos *D. Dubois* pro ſua humanitate nobis utendum conceſſit. Hujus tamen laboris noſtri fructus vix alius fuit , quam quod diligentiam Sirmondi magis magiſque perſpeximus . Nec ſatis videmus quid demum ſit quod vir doctus , qui quadraginta ſex annis poſt editionem Sirmondianam, rurſus Africanum illum ſcriptorem una cum *S. Optato Milevitano* ſub prælum miſit ; *Facundi libros in meliorem ordinem redactos* edere ſe profitetur

Nobis autem curæ præcipue fuit , auctorum antiquiorum teſtimonia & excerpta, quæ Facundi ſcriptis plurima ſane , tum Latinorum, tum Græcorum , intexta ſunt , diligenter recognoſcere . quod quidem eo magis ex re duximus , quod Facundum & corruptis codicibus , & pravis verſionibus uſum eſſe , merito certe Sirmondus obſervavit . Ac præter locos in Sirmondi Notis indicatos, qui ob eam cauſam vitioſi erant , nos quoque alios aliquot deprehendimus , & quomodo reſtitui & ſanari poſſint , ex ipſis fontibus aperuimus . Nunc etiam unum admonemus quod nos prætericrat ; videlicet quæ lib. II. cap. VI. in voluminis hujus columna 340. d. leguntur ab his verbis : *rurſus agnoſce , Auguſte*: uſque ad poſtrema hæc : *qui veritati audeant reſultare* : ea , inquam , non eſſe, uti videri poſſent , ipſius Facundi , Juſtinianum Aug. verbis ſuis alloquentis ; ſed deſumpta ex S. Leonis * epiſtola ad Leonem Aug. Atque hinc porro corrigendum eſt quod in illo ſegmento legitur apud Facundum : *quia prius legitimas &c.* nam haud dubie reſtitui debet : *quia poſt legitimas &c.* ſicut in Leonis epiſtola legitur, & loci ſententia prorſus exigit.

* *Ep. 133. novæ editionis, pag. 695.*

Quod libro VIII. cap. ult. inter plures hæreticorum ſectas Auctor nominat *Sacianos* ; Sirmondus conjecit legendum eſſe *Satanianos* . * Cotelerius autem in Notis ad S. Joannis Damaſceni librum de Hæreſibus : *Conjecturam*, inquit, *viri omni exceptione majoris Jacobi Sirmondi nolim improbare. ſed quidni legamus* Saccianos . *quod idem ſignificat cum Saccitis & Saccophoris ... quinetiam exaraverat forſan Facundus* Satianos: *deceptus exemplari ſimili editionibus noſtris Græcis anacephalæoſis Epiphanianæ & Ancorati, ubi habetur, breviante ſcriptura*, Satiani . *ſint itaque iſta arbitraria* . Sed aliquanto poſt idem vir doctiſſimus , de Satanianis agens qui in eo Damaſceni libro memorantur , ait : *Ad ea quæ notavi ſupra .... nunc addo probabiliorem in Facundo lectionem eſſe* Satanianos *vel* Satanios.

* *Thom. I. Eccl. Gr. Monum. pag. 776*

Cumque Facundus eodem loco ſcribat : *Expulſi ſunt etiam Mariani , Photiani , Macedoniani , &c.* Sirmondus quidem , *Pro Marrianis & Photianis , reſtituendi ſunt* , inquit , *Marcelliani & Photiniani* , *quos ſimul etiam jungit Epiphanius hæreſi* LXXI. *&* LXXII. *Marcellianos itidem cum Photinianis copulat lex* LXV. *cod. Theod. De hæreticis.* * Cotelerius vero cenſet, a librariis literam *m* perperam fuiſſe geminatam : & ut erat ultima præcedentis vocis, *etiam*; inde & conſequenti vocabulo præfixam eſſe , ac pro *Arriani* ſcriptum *Marriani*.

* *Pag. 780. Operis modo citati.*

Librum De Trinitate Latine tantum editum ſub Athanaſii nomine citat Sirmondus in Notis ad cap. III. lib. I. ſed de illius operis auctore quid ſenſerit , ipſe aperit in Notis ad Theodulfi librum de ſancto Spiritu, ubi a Theodulfo teſtimonia ex illo opere ſub Athanaſii nomine proferuntur . Legeſis Notam Sirmondi in hujus voluminis columna 697.

In celebri controverſia quam Facundus lib. I. cap. III. attigit, utrum crucifixus dici deberet unus de Trinitate, an una de Trinitate perſona; Sirmondus quidem in Notis ait, non modo Facundum ejuſdemque gentis ac ævi Ferrandum Diaconum Carthaginienſem in epiſtola ad Anatolium Diaconum Romanum, ſed & ante hos Joannem II. Papam in Epiſtola ad Avienum, &c. docuiſſe, recte ac pie & eodem ſenſu dici utrumque. At quia idem Ferrandus in Epiſtola ad Severum Scholaſticum Conſtantinopolitanum, quæ eo de argumento ſcripta eſt, ſub finem ait: *patienter dubitationem hanc ferendam donec univerſalis Eccleſiæ auctoritate* conſtitutum aliquid fuerit: inde Petrus Franciſcus Chiffletius * colligit, nondum a Joanne II. decretum quidquam fuiſſe, tunc cum iſta ſcribebat Ferrandus: *Neque jam edito*, inquit, *decreto pontificio, Ferrandum ſuper ea quæſtione Anatolius Romanæ Eccleſiæ Diaconus quaſi dubitans conſuluiſſet. quare cum Joannis Papæ II. Epiſtola Decretalis ad annum Chriſti dxxxiv. apte a Cardinali Baronio referatur; utramque Ferrandi Epiſtolam eodem argumento ad Severum & ad Anatolium datam, aliquanto prius conſcriptam fuiſſe cenſeo.*

* In Notis ad Fulg. Ferrandum pag. 336.

Demum Facundi *Epiſtolam fidei Catholicæ in defenſione trium Capitulorum*, a doctiſſimo & clariſſimo viro Luca Dacherio in Spicilegii Tomo III. editam, ceteris ejuſdem Facundi operibus adjunximus.

V. De libello, quo Sirmondus B. Eugenii Toletani opuſcula una cum Dracontii poematiis ab Eugenio recognitis & emendatis, cumque aliis aliquot veterum lucubratiunculis complexus eſt, admodum pauca ſunt quæ dicamus. Dracontii libro II. prope extremo vocem obſcuram *catulaſtra* interpretati ſumus catulos ex charta vel ligno, qualibus icunculis pueruli oblectari conſuevere. quæ interpretatio nobis & ad nomen ipſum, & ad poetæ locum ac ſententiam viſa eſt ſatis accommodata: ideoque illam adjecimus ad oram libri, ſi forte locum difficilem illuſtrare poſſet. Poſtea in Philoxeni aliarumque veterum gloſſariis Latino-Græcis a Carolo Labbæo collectis invenimus has voces: *catulaſter*, βύπαις: *catuleſter*, πάλληξ. quæ num conjecturam illam noſtram adjuvent, aut certe Dracontii loco lucem aliquam afferant, lectoris eſto judicium. De Martino Abbate Dumienſi (qui etiam Epiſcopus Dumienſis ac Bracarenſis fuit, ideoque ſæpe & Martinus Bracarenſis appellatur) deque illius S. Præſulis ſcriptis copioſe & erudite diſſeritur in inſigni ejus elogio, quod inter Acta SS. ordinis Sancti Benedicti a doctiſſimis viris Dacherio & Mabillonio elaborata, extat in primo luculenti operis Tomo p. 257. De S. Columbano ejuſque operibus accurate diſſerit inſignis ex Fratrum Minorum ordine Theologus Patricius Flamingus, qui S. Columbani opuſcula antea inedita Lovanii anno 1667. typis commiſit. D. Severinus Epiſcopus ille cujus Doctrinam Sirmondus in eumdem libellum conjecit, cuinam Eccleſiæ præfuerit, & quonam ævo extiterit, neque Sirmondus aperuit, neque alii poſtea, quod quidem noverimus. Sancti vero Proſperi, ſcriptoris notiſſimi, Confeſſio Fidei, quæ illum de quo nunc agimus libellum claudit, etſi cum majoribus ejuſdem auctoris Operibus contendere non poteſt de præſtantia & utilitate; haud ſcimus tamen quidnam ſit quamobrem vir doctus, Novæ Scriptorum Eccleſiaſticorum Bibliothecæ, Gallico ſermone ſcriptæ, conditor, opuſculum illud Proſpero indignum eſſe pronuntiaverit.

VI. Theodulfi Aurelianenſis Epiſcopi opera, quibus non modo res Francicæ, ſed etiam catholica de ſacramentis doctrina, & complures ritus ſacri non parum illuſtrantur; nunc aliquot ſcriptoris ejuſdem opuſculis aucta prodeunt. Ac primum adjecti * Sermones duo, ſive Sermonum Fragmenta: quæ ex Vaticano codice à viro clariſſimo Emerico Bigotio deſcripta, in

* Pag. 729. hujus voluminis.

* Pag. 943. Spicilegii Tomo * X. edidit Dacherius: qui ea *nequaquam a genio & eruditione ſcriptiſque ceteris Theodulfi abhorrere* ait, *ejuſque ſtylum omnino redolere.* quod quidem viri doctiſſimi, atque in mediæ præſertim ætatis ſcriptoribus apprime verſati judicium non poteſt levis momenti eſſe. Deinde, poſt Carminum libros, adjecta eſt Appendix, in qua tum Additiones duæ ad Capitularia Theodulfi, in Galliæ Conciliorum Supplemento primum editæ; tum aliquot poematia primum a Joanne Mabillonio vulgata: denique geminum Theodulfi elogium; unum a Letaldo ſcriptum X. ſeculo, alterum incerto auctore, utrumque ex antiquis codicibus a Mabillonio editum: quibus in elogiis recitatur unum aut alterum Theodulfi Epigramma quod alibi non extabat.

Libri de ſacro baptiſmate ad Carolum Imp. qui extat inter Alcuini opera, auctorem eſſe, non Alcuinum, ſed Amalarium Trevirenſem Epiſcopum, monet Sirmondus in Notis ad Theodulfi librum de ordine Baptiſmi. * *Sed nihil obſtat*, inquit Mabillonius, *quominus Alcuinus hunc librum ſcripſerit nomine Amalarii, qui graviſſimis negotiis occupatus, Alcuino commiſerit provinciam nomine ſuo reſpondendi ad interrogata Imperatoris.* Carolus vero Cointius: in inſigni opere Eccleſiaſticorum Franciæ Annalium; *at hoc*, inquit, *fieri nullo modo potuit: quia prius obiit Alcuinus, quam Amalharius in Trevirenſi cathedra collocaretur. Stamus igitur pro Sirmondo, & prædictum librum exiſtimamus opus eſſe genuinum Amalharii: qui reverſus e Tranſalbianæ Saxoniæ partibus, bujuſcemodi lucubrationem hoc anno (812.) exararit, poſteroque iter in rientem ad pacem inter utrumque Imperatorem confirmandam ſuſceperit.* Nec omittendum quod idem Cointius notavit, Theodulfum, poſteaquam a Pontifice Romano Pallium accepit, Archiepiſcopum Aurelianenſem in tribus Ludovici Pii Chartis nominatum fuiſſe. Præter Indicem operum Theodulfi, quem unum Sirmondus appoſuerat, Indices alios tres adjecimus: quorum primus eſt rerum quæ in Theodulfi operibus, alter earum quæ in Sirmondi Notis continentur: tertius vero Auctorum qui in iiſdem Notis citantur.

* Pag. 679.
* Tom. 1. vet. Analect.

VII. & VIII. Amolonis Epiſtolam ad Gotheſcalcum, qua hominis improbitatem, arrogantiam, hæretica dogmata caſtigabat; denuo Baluzius una cum aliis ejuſdem Amolonis lucubrationibus edidit in Tomo II. operum S. Agobardi Lugdunenſis Archiepiſcopi, cui in ea ſede Amolo ſucceſſit. Ex duobus autem Opuſculis quæ Sirmondus epiſtolæ Amolonis adjecerat; primum quidem Baluzius aliique adjudicant Floro Lugdunenſi. extat certe ſub Flori nomine, in quadam Hincmari præfatione initio Tomi x. Operum Hincmari a Sirmondo editorum. alterum autem, quod ſic incipit: *Gratiam itaque Dei...* aliqui cenſent eſſe partem poſteriorem epiſtolæ ad Gotheſcalum modo memoratæ. Et vero epiſtolæ illi proxime ſubjunctum, abſque titulo, erat in veteri codice quo uſus eſt Sirmondus: ac præterea ejuſdem argumenti eſſe, neque a genio Amolonis abhorrere, Sirmondus ipſe admonuit. His accedit Liber Sententiarum B. Auguſtini de Prædeſtinatione & gratia Dei, &c. cujus collectionis auctorem eſſe Amolonem ſuſpicatus eſt Sirmondus, qui eam ex eodem, ac Epiſtolam Amolonis, codice vulgavit. Præter iſta porro quæ poſt Sirmondum damus, extat in Baluziana S. Agobardi * editione, ejuſdem Amolonis epiſtola ad Theodboldum Lingonenſem Epiſcopum. Denique librum contra Judæos, cujus exordium eſt: *Deteſtanda Judæorum perfidia*, a Petro Fr. Chiffletio ſub Rabani Mauri nomine inter Scriptorum veterum de fide catholica quinque opuſcula vulgatum, eidem Amoloni vindicant tum codex mſ. Colbertinæ Bibliothecæ, tum etiam Trithemius in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis fol. lxvi. ubi teſtatur ſe legiſſe: *Amuli Epiſcopi Lugdunenſis inter alia, contra Judæos lib. I. Deteſtanda Judæorum.*

* T. II. pag. 135.

De Servati Lupi Opuſculis quæ anno MDCL. non jam manca & mutila, IX.
ut in Belgio duobus ante annis edita fuerant; ſed integra, emendata, atque
ornatiora Sirmondi cura & ſtudio in lucem exierunt; ejuſdem Sirmon-
di conjectura fuit, ſicut ejus præfatio docet, non alterius ea Auctoris
eſſe, quam Lupi Ferrarienſis Abbatis, cujus jam dudum extabat Epiſto-
larum liber. & quidem Abbatis quoque illi nomen Servato Lupo fuiſſe,
demonſtrat ejus ad Nicolaum Papam epiſtola, quam Sirmondus præfa-
tioni ſuæ ſubjunxit. Conjecturam ſagaciſſimi ſenis confirmaverunt poſtea
luculente Ludovicus Cellotius in hiſtoria Gotheſcalci: ac deinde V. Cl.
Stephanus Baluzius, cum Servati Lupi presbyteri & Abbatis Ferrarienſis
Opera, in iiſque Opuſcula illa, edidit præclaris ſuis Annotationibus illu-
ſtrata.

De tribus Rabani epiſtolis quas Sirmondus anno MDCXLVII. vulgavit, X.
duæ poſteriores eo ipſo anno Romæ a Ferdinando Ughello in Italiæ Sa-
cræ tomo tertio editæ ſunt ex antiquo monaſterii S. Salvatoris apud Amia-
tum montem codice: quem ipſius Rabani ævo exaratum, atque a Thee-
baldo Epiſcopo Cluſino, Rabani olim auditore, monaſterio illi donatum
ait Ughellus. Neque hic porro alius eſt ab eo codice Ciſtercienſi, cujus ex
apographo prodiit editio Sirmondi ſicut ejus præfatio docet. Epiſtolas Ro-
manis typis excuſas contulimus cum editione Pariſienſi: quæ utique multo
eſt ornatior ac emendatior. ipſam tamen uno in loco mutilam eſſe atque
ex altera explendam putamus. Videlicet in Epiſtola ad Notingum, pagina
ſive columna 1002. hujus voluminis, ſcripſimus nos quidem poſt Sirmon-
dum: *ſuus proprius maxime inimicus eſſe convincitur, cum non ſolum ſibi in hoc ge-*
hennæ ignem præparat, ſed etiam in eo quod alios, &c. at ibi deeſſe aliquid pu-
tamus, quod reſtitui debeat ex Ughelli editione, quæ ſic habet: *non ſolum*
ſibi in hoc gehennæ ignem præparat quod male credit & male operatur; *ſed*
etiam in eo, quod alios &c. Duobus præterea aut tribus ejuſdem epiſtolæ in
locis videtur Ughelli lectio potior. Ita, pag. 998. legimus poſt Sirmon-
dum: *Ecce iſte* cooperatus, *eſt auro & argento.* at ibi Ughellus legit. coo-
pertus, uti legitur *Habac. II.* 19. Item pag. 999. editio noſtra ex Sir-
mondo habet: *& quomodo* quiſque *præſumit &c.* Ughellus autem: *& quomo-*
do quiſquam *præſumit*? tum pag. 1002. Sirmondum ſecuti ſcripſimus: *qui*
eruit *eos Dominum negantes:* ibi vero Ughellus: *qui* emit *eos* &c. uti legitur
II. *Pet. I.* 1. ſed fortaſſe iis locis in editione Sirmondi erratum aliquid a
typographis. Epiſtolæ autem ad Heberardum appoſita eſt apud Ughellum
hæc ſubſcriptio: *Finis* 10. *Kal. Maii*: qua caret Sirmondi editio.

Demum, cum illæ Rabani epiſtolæ tres ex Scripturæ & Patrum aucto-
ritatibus ac ſententiis totæ propemodum contextæ ſint; cuncta in ipſis Aucto-
rum libris atque optimis editionibus magna cura inſpeximus: ac variantia
quæ occurrerunt non pauca, ſuis quæque locis annotavimus.

CHRONICI MARCELLINI
LECTIONES VARIANTES,

ex codice Petr. Franc. Chiffletii.

EDITIO SIRMONDIANA.	CODEX CHIFFLETIANUS.
Pag. 273. b. *Fravita*.	*Fravito*
Ibid. e. Sarus.	Saurus.
274. d. Heraclianus.	Heraclius.
276. b. Quinquaginta annos.	LX.
Ibid. b. Die XXVI.	XXV.
277. d. Cotradis.	Contradis.
Ibid. e. Argeniſcli.	Argenisli.
278. c. Intrinſecus.	extrinſecus.
Ibid. e. Argeniſclus.	Argenislus.
279. a. Epipam.	Epiam.
Ibid. c. Fide.	fidei.
280. b. Optilam.	Oſtilam.
282. d. Septingent. nono.	ſeptingent. octavo.
283. b. Ovidæ.	Ovilæ.
Ibid. d. Pluſquam CCXXXIIII.	Pluſquam CCCXXXIII.
285. a. Annos IV.	annos III.
287. c. S. Theodori.	S. Theodoſii.
291. b. Codex Juſtinianus.	Juſtiniani.

S. AVITI

S. AVITI
ARCHIEPISCOPI
VIENNENSIS
OPERA

Nunc primum edita, vel inſtaurata, cura & ſtudio JACOBI SIRMONDI *Societatis Jeſu Presbyteri, anno* MDCXLIII.

Digitized by Google

LUDOVICO XIV.
REGI
CHRISTIANISSIMO.

SANCTUS *doctrinaque præſtans hic Præſul, qui ſuos tibi ad purpuram tuam adorandam vice ſua libros allegat*, REX ADEODATE, *qua oris facundia Clodoveo quondam regi Chriſtianæ fidei primordia gratulatus eſt, eadem nunc, ſi viveret, imperii tui natalibus applauderet, feliciſſimique principatus ſpem nobis exploratiſſimam denuntiaret. Patere nos igitur, Sereniſſime Princeps, noſtra de te gaudia tantiſper recordari. Ortus tui cæleſte divinumque beneficium; oris decus & majeſtatem, velut Spei publicæ ſimulacrum, efferentem ſe in dies apertiuſque renidentem; paterni erga te amoris conſtans ſtudium & providentiam. Qui cælo dudum maturus terras nuper cum relinqueret, ſuas de te curas ſecum emori non eſt paſſus: ſed providentiſſimo conſilio in eam transfudit, in cujus fide ſecurus, tanquam in Blancæ alterius ſinu, alter ipſe Ludovicus conquieſcas. Habes itaque quam auctorem, eandem ipſam vitæ tuæ ſapientiſſimam ducem & magiſtram. Cujus præceptis monitiſque, ut privatus antea, ita nunc Rex & dominus, ſed illæſa majeſtate obſequaris. Sic enim te ab illa ſcis regi, ut regnes ipſe, ſic illi obtemperare, ut imperes, ſic illam audire, ut ab omnibus, dum vice tua loquitur, audiaris. Gaudet au-*

tem jam illa conatus ſuos profectibus tuis anteverti, gaudebitque impenſius, cum prima hæc decennalia, quibus pro te clavum tenet, a vicennalibus tuis ſentiet tricennalibuſque ſuperari. Gaudeat & de cælo Genitor, virtutes laudeſque ſuas virtutibus ac laudibus tuis vinci: & qui te jam victorem hoſtis vidit, quem ſæpe vincebat, videat & pace fruentem quam optabat. Ut pacis tandem comites, quibus fortunata florere imperia ſolent, pietatem, juſtitiam, concordiam, ubertatem, reduces te regnante Gallia tua recipiat; ſtatamque ſibi ac perpetuam fore hanc felicitatem non diffidat, quando nihil eſt tam lætum, tamque auſpicatum, quod de pii juſtique Ludovici filio, deque cælitus ſibi conceſſo Principe ſperare votorum ſecura non debeat.

DEVOTUS SACRÆ MAJESTATI TUÆ

JACOBUS SIRMONDUS
Societatis JESU.

LECTORI.

EPiſtolarum Aviti, quas tibi, LECTOR, jam tot annos debebamus, verendum erat ne ſera nunc apud te vel conſumpta ſit gratia, niſi moræ iſtius viderem fructum nobis aliquem extitiſſe. Quippe qui emendatius illarum exemplar, ſicunde affulgeret, dum quærimus, in Flori Diaconi volumen apud Cartuſiam incidimus, cujus beneficio Aviti Opuſculorum ſeptemdecim non titulos modo & nomina, majorem partem ignota didicimus, ſed plurima etiam & illuſtria fragmenta ornamento editioni futura conſecuti ſumus. Fecit Epiſtolarum utilitas & elegantia, ut tædium, quod in vitioſi codicis emendatione devorandum fuit, alacrius perferremus: ac librorum etiam quinque partitionem, quam promittebat, amplexuri eramus, ſi integram præſtitiſſet. Verum tanta inerat perturbatio, ut ſatius nunc quidem viſum ſit, omiſſo librorum diſcrimine, epiſtolas tibi omnes uno textu continuas repræſentari. Non dubito quin conſilium probaturus ſis: proximum erit ut corruptæ quoque lectionis vitia, quæ reſtant, feras indulgentius. In fragmentis ſane nullus noſter labor fuit. Flori enim exemplar probum & caſtigatum ſecuti ſumus. In Poematis autem quid præſtitum ſit intelligent qui editionem hanc conferent cum Gagneiana. cujus auctor, vir alioqui doctus ac diſertus, præter alia quæ paſſim pro arbitrio mutavit, quingentos pene verſus de ſuis intruſit pro Avitianis. Nobis vero curæ fuit, ad amuſſim fidemque veterum exemplarium univerſa ſic exigere, ut rejectis ſubdititiis, legitimiſque reſtitutis, purum tibi & ſincerum Avitem, nævulis quibuſdam, quos ætas illa ferebat, neglectis exhiberemus. In quo ſi calculi quoque tui ſuffragium, LECTOR, acceſſerit, erit quod ſanctiſſimo, atque inter poetas Chriſtianos haud facile cuiquam poſtponendo, Eccleſiæ Præſuli non inanem hac etiam in parte operam nos potuiſſe gratulemur.

VETERUM SCRIPTORUM DE S. AVITO
TESTIMONIA.

Ennodii Epiſcopi Ticinenſis in vita B. Epiphanii Epiſcopi.

DEdit etiam præſtantiſſimus inter Gallos Avitus Viennenſis Epiſcopus, in quo ſe peritia, velut in diverſorio lucidæ domus incluſit.

Gregorii Turonenſis lib. II. *Hiſtoriæ Francorum cap.* XXXIV.

MAgnæ facundiæ erat tunc temporis beatus Avitus Epiſcopus Viennenſis. Namque inſurgente hæreſi apud urbem Conſtantinopolitanam, nihil divinitatis habuiſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, rogante Gundobado rege, ipſe contra eam ſcripſit. Extant exinde apud nos epiſtolæ admirabiles: quæ ſicut tunc hæreſim oppreſſerunt, ita nunc Eccleſiam Dei ædificant. Scripſit etiam Homiliarum librum unum, de mundi principio, & de diverſis aliis conditionibus, libros ſex verſu compaginatos. Epiſtolarum libros novem, inter quos ſupradictæ continentur epiſtolæ.

Fortunati Pictavienſis Epiſcopi lib. I. *de vita S. Martini.*

Quod ſacra explicuit ſerie Genealogus olim
Alcimus egregio digeſſit carmine Præſul.

Iſidori Hiſpalenſis de illuſtribus Eccleſiæ ſcriptoribus cap. XXIII

AVitus Epiſcopus, ſcientia ſæcularium litterarum doctiſſimus, edidit quinque libellos heroico metro compoſitos: quorum primus eſt de origine mundi, ſecundus de originali peccato, tertius de ſententia Dei, quartus de diluvio mundi, quintus de tranſitu maris rubri. Scripſit & ad Fuſcinam ſororem de laude virginitatis librum unum, pulcherrimo compoſitum carmine, & eleganti epigrammate coaptatum.

Agobardi Lugdunenſis Epiſcopi adverſus legem Gundobadi.

TEmporibus Gundobadi regis Burgundionum fuit in urbe Vienna Epiſcopus, Avitus nomine, fide Catholicus, eloquentia facundiſſimus, ingenio acerrimus, ſacrarum litterarum expoſitor ſuaviſſimus, & in metris facillimus, ſicut & ejus opera teſtantur. Qui cum eodem Gundobado frequenter de fide altercans, & dialogos in præſenti conficiens, & epiſtolis abſenti reſpondens, plura & clara ingenii ſui & virtutis opera reliquit. Qui ipſo Gundobado in ſua perfidia perdito, ſucceſſorem ejus Sigiſmundum regem ad fidem Catholicam convertit. in cujus converſione recitavit Homiliam in populo, ſenſuum ſuavitate pleniſſimam, & verborum compoſitione dulciſſimam. *Ejuſdem adverſus dogma Felicis.* Beatus Avitus Photinianorum hæreticorum validiſſimus expugnator. *Item de Judaicis ſuperſtitionibus.* Alcimus Avitus Eccleſiæ Viennenſis Epiſcopus, quam eximius doctor orthodoxus & facundus extiterit, pene tota novit Eccleſia Chriſti.

Flori Diaconi Eccleſiæ Lugdunenſis.

SEntentiæ ex Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Romanos, a ſancto & illuſtriſſimo doctore Eccleſiæ Avito Epiſcopo Viennenſi expoſitæ, atque ex ejus Opuſculis in ordinem digeſtæ.

Adonis Viennenſis Epiſcopi in Chronico ætate ſexta.

AVitus Viennenſis Epiſcopus, eloquentia & ſanctitate præcipuus, & ejus frater Apollinaris Valentiæ Epiſcopus miraculis inſignis, Iſicii, ſenatorii primum viri, poſtea Viennenſis Epiſcopi, duo lumina, clariſſimi filii. Hic B. Avitus adverſus hæreſim Arrianam, quæ tunc non ſolum Africam, ſed & Galliam, Italiamque magna ex parte occupaverat, magno ſudore decertavit, quod clariſſima ejus opera teſtantur. Scribit enim Dialogum, hæreſim illam oppugnans, fideliſſimo & doctiſſimo immortalique ingenio, ad Gundebadum Burgundionum regem, filium Gundovei. Item alios libellos duos contra Neſtorium & Eutychem, auctores erroris, luculentiſſimo & caſtigato ſatis ſermone. Fuerunt & alia illius plura eximia opera in Chriſti Eccleſia probatiſſima. Hic Sigiſmundum regem in fide pietatis erudivit. qui agente illo poſtmodum Monaſterium ſanctorum Martyrum Agaunenſium, Mauritii ſociorumque ejus, conſtruxit. Quem poſtmodum captum & a Francis occiſum vehementer doluit. Quantus autem in Eccleſia Chriſti vixerit, quiſquis ſcire ad plenum vult, poſt ejus innumera in divinis laboribus opera, Epitaphium ejus legat.

EPITAPHIUM B. AVITI
EPISCOPI VIENNENSIS.

Quiſquis mæſtificum tumuli dum ternis honorem,
Ceſpite concludi totum deflebis AVITUM,
Exue ſollicitas triſti de pectore curas.
Nam quem plena fides, celſæ quem gloria mentis,
Quem pietas, quem larga manus, quem fama perennat,
Nil ſocium cum morte tenet. Quin proſpice ſancti
Geſta viri. primum floreſcens indole quanta
Spreverit antiquo demiſſos ſtemmate faſces,
Maturum teneris animam dum præſtat in annis,
Et licitum mundi voti virtute relegat.
Nec mora; Pontificis ſic digna inſignia ſumit,
Augeat ut ſoliti felicia cœpta laboris.
Nec tamen ob ſummi culmen tumefactus honoris
Erigitur, ſeque ipſe aliis plus æſtimat, immo
Subjicitur magnus, ſervat mediocria ſummus.
Diſtribuit parcus, paſcit jejunus, amando
Terret, & auſteris indulgentiſſima miſcet.
Cunctantes ſuaſu juvit, ſolamine mæſtos,
Jurgia diſſolvit, certantes fœdere junxit.
Diſſona veridicam inficiunt quæ dogmata legem.
Hortatu, ingenio, monitis, meritiſque ſubegit.
Unus in arce fuit; cui quolibet ordine fandi
Orator nullus ſimilis, nulluſque poeta.
Clamant quod ſparſi per crebra volumina libri.
Qui vixit, vivit, perque omnia ſecula vivet.

INDEX

EORUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Epiſtolæ Aviti ad diverſos, aliorumve ad ipſum. pag. 1.
Homilia de Rogationibus. 89.
Homiliarum octo fragmenta. 93.
Opuſculorum, in quibus B. Pauli epiſtolæ citantur, fragmenta. 99.
Poematum de Moſaicæ hiſtoriæ geſtis libri V. 125.
Ad Fuſcinam ſororem de laude virginitatis liber unus. 197.

Adjecta ex Libro I. *Miſcellaneorum* V. C L. Stephani Baluzii.

Epiſtolæ quatuor. 217.
Fragmenta libri de divinitate Spiritus ſancti. 221.

Ex Tomo V. *Spicilegii* Lucæ Dacherii.

Collatio Epiſcoporum coram rege Gundobado. *ibid.*
Epiſtola Symmachi Papæ ad Avitum. 225.

Epiſtolæ ad quos ſcriptæ ſint.

ANaſtaſio Imp. nomine Sigiſmundi regis. Epiſt. LXIX. 74. LXXXIII. 82. LXXXIV. 94.
Anſemundo viro illuſtri. XLIX. 64. LXXI. 75. LXXII. 75.
Apollinari Epiſcopo germano. XII. 31. XXX. 41. LIV. 86. LXIII. 71. LXXVIII. 78. LXXIX. 79.
Apollinari illuſtriſſimo. XXII. 39. viro illuſtri. XXXIII. 49. XLV. 59. XLVI. 61.
Arigio V. I. * 200.
Aureliano V. I. XXXIV. 50.
Caertio V. I. LXXIV. 75.
Cæſario Epiſcopo. IX. 29.
Celero Senatori. XLIII. 58.
Chlodoveco Regi. XLI. 56.
Claudio Epiſcopo. LVI. 69.
Conſtantio Epiſcopo. LXI. 70.
Contumelioſo Epiſcopo. XIII. 32.
Cuidam. XXVI. 41.
Elpidio Diacono. XXXV. 50.
Eufraſio. XXXVIII. 53.
Euſtorgio Epiſcopo. VIII. 28.
Fauſto & Symmacho, Senatoribus Urbis. XXXI. 47.
Gemmello Epiſcopo. LIII. 68.
Gregorio Epiſcopo. LVII. 69. * 222.
Gundobado Regi. I. 1. II. 5. III. 11. IV. 20. V. 23. XX. 36. XXVIII. 43. XXXIX. 54. * 218.
Helladio V. I. LXXV. 76.
Heraclio V. I. XLVII. 62. LXXXV. 91.
Hormiſdæ Papæ. LXXXVII. 92.
Liberio Præfecto. XXXII. 48.
Magno Epiſcopo. X. 30.
Maximo Epiſcopo. LXV. 72.
Meſſiano V. I. L. 66.
Papæ Conſtantinopolitano. VII. 27.
Papæ Hieroſolymitano. XXIII. 39.
Petro Epiſcopo. XXXVII. 52.
Quintiano Epiſcopo. LXXX. 80.
Riconi V. I. LXXVI. 76.
Senario V. I. XXXVI. 52.
Sapaudo V. S. nomine Leoniani Archidiaconi. LXXVII. 76.
Sigiſmundo. XXI. 37. XXIX. 46. XXX. 46. XL. 55. XLIV. 59. LXVII. 73. LXVIII. 73. LXX. 74. LXXXI. 81. LXXX. 82.
Stephano Epiſcopo. XXIV. 40. * 221.
Symmacho Papæ, XVIII. 36. nomine D. Sigiſmundi. XXVII. 43.
Valeriano. V. I. LXXIII. 75.
Victorio Epiſcopo, VI. 24. XVI. 34. LV. 86. LXVI. 72.
Victurio Epiſcopo. XV. 33.
Vitaliano Senatori nomine Sigiſmundi. XLII. 58.
Viventiolo Presbytero. XVII. 35.
Viventiolo Epiſcopo. LII. 67. LVIII. 69. LX. 70. LXIV. 71.
Viventiolo rhetori. LI. 66.

Aliorum ad Avitum.

Apollinaris Epiſcopi. XI. 31. LXII. 71.
Gundobadi. XIX. 36.
Heracli. XLVIII. 63. LXXXVI. 85.
Hormiſdæ Papæ. LXXXVIII. 87.
Symmachi Papæ. * 225.
Victurii Epiſcopi. XIV. 32.
Viventioli Epiſcopi. LIX. 70.

ALCIMI

[a] ALCIMI ECDICII
AVITI
EPISCOPI VIENNENSIS
EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

Avitus Viennenſis Epiſcopus Domno [b] *Gundobado Regi.*

TANTUM Chriſto propitio per diverſas ſollicitudines mentem veſtram veritas indagata perdocuit, ut nihil prorſus ſit quod de catholicæ legis definitione vos lateat. Unde ex his quæ pietas celſitudinis veſtræ dignatur inquirere, jam de plenæ inſtructionis arce deſcendens, non eſt neſcientis interrogatio, ſed conferentis. In tantum ut ſententia Evangelii, quam literis attigiſtis, non aliquid ambiguitatis in fide habeat, ſed reprehenſiones Judaicas in ſumma magis expoſitionis inquirat. Sic ergo ait lectio Evangelica, cujus in
Marc. 7. 11. ſubdito mentionem feciſtis: *Vos autem dicitis, ſi dixerit homo patri ſuo aut matri, corban,* id eſt Hebraica lingua munus illud ſpecialiter, quod obſequio devotæ oblationis offertur, *tibi profuerit*, hoc eſt patri aut matri, *& jam non miſſum facitis eum quicquam facere patri aut matri.* Puto vos autem hoc ſermone ordiri, quia revera ipſum ſpecialius in epiſtola memoraſtis, quid vel unde

A dictum ſit, Non miſſum facitis. Quod omnino nihil eſt aliud quam non dimittitis. A cujus proprietate ſermonis, in Eccleſiis, palatiiſque, ſive prætoriis, [c] miſſa fieri pronuntiatur, cum populus ab obſervatione dimittitur. Nam genus hoc nominis etiam in ſæculariis auctoribus, niſi memoriam veſtram per occupationes lectio deſueta ſubterfugit, invenietis. Ergo non miſſum facitis, id eſt non dimittitis eum quicquam facere patri vel matri, a quo honorari ſenio parentali, non verbis tantum, ſed rebus obſequiiſque præceptum eſt. Et ſimilia, inquit, hujuſmodi multa facitis, traditionem veſtram inſtitutis cæleſtibus præ-
B ponendo. Sed hæc ad ſolos Scribas & Phariſæos dicta, qui ſibi de legis ſupercilio blandientes, quaſi debita doctrinæ pretia repoſcebant, nullum locum in ſermone qui de fide tractatus eſt habuiſſe reperio. Racha vero Hebræum nomen eſt, Latine ſonat inanis aut vacuus: quod ut noſtris convenientius exprimit uno vocabulo [d] Græcus dicens κενός. Hoc autem convitium fratri, id eſt ſub uno Deo patre

---

a *Alcimi Ecdicii Aviti*) Duo fere uſurpari ejus nomina ſolent, Alcimus Avitus: tertium nos olim deprehendimus in titulo epiſtolæ, quam de poematum ſuorum editione ſcripſit ad Apollinarem fratrem. Itaque triplex Aviti nomen fuit, ſed verum ac proprium Avitus, quod ideo poſtremum locum tenet, de veteri more Romanorum & aliorum qui Romanos æmulabantur, apud quos tandem invaluit, ut e multis nominibus id quod cuique proprium erat ultimo loco ſtatuerent. Qua de re pluribus alias dictum in Notis ad Ennodium & ad Sidonium, in quorum nominibus, aliiſque quamplurimis, id obſervabamus. quod ipſum & in ſancto Hieronymo videre eſt, cujus integra nomenclatio fuit, Sophronius Euſebius Hieronymus.

b *Gundobado Regi*) Burgundionum in Gallia rex fuit vel ex Francorum hiſtoria notiſſimus. Huic enim Clodoveus noſter armis victor tributum impoſuit, Patricio, ut Marius in Chronico refert, & Hypatio Conſulibus, id eſt anno Chriſti cccce. Gundobadi vero filios Sigiſmundum & Godomarum, poſt patrem regnantes, Clodovei filii vita regnoque ſpoliarunt. Verum ad Godomari tempora epiſtolæ Aviti non pertingunt, in quibus Gundobadi & Sigiſmundi crebra eſt mentio.

c *Miſſa fieri pronuntiatur*) Redarguit primum hic locus caſſum laborem illorum, qui Miſſæ nomen exoticum, id eſt, Hebraicum fingere auſi ſunt, non Latinum, quod res eſt, & ex Aviti verbis perſpicuum. Docet deinde, quod haud ſcio an a quoquam hactenus proditum, non in Eccleſiis modo, verum etiam in palatiis prætoriiſque uſurpari Miſſæ nomen conſueſſe, cum populus a conventu dimittebatur. Ab hac igitur miſſa ſeu miſſione populi, quæ re peracta fiebat, translata vox fuit ad ſignificandas res ipſas quæ gerebantur. Nam & Miſſæ matutinæ & veſpertinæ appellatæ ſunt liturgiæ, ſeu ſolennia officia, quæ matutinis aut veſpertinis horis celebrabantur. Quod ſane mirum eo minus videri debet, quod vice verſa ſynaxis & collectæ vocabula, quæ proprie conventum & congregationem ad divina officia ſignificant, pro ipſis quoque divinis officiis tum matutinis, tum veſpertinis paſſim uſurpata meminimus.

d *Græcus dicens κενός.*) Hilarius in Matthæum cap. IV. *Raca vacuitatis opprobrium eſt, & qui Sancto Spiritu plenum convitio vacuitatis inſimulat, fit reus concilio ſanctorum, contumeliam Spiritus ſancti ſanctorum judicum animadverſione luiturus.*

& una Eccleſia matre in una ſide poſito dicere A
prohibemur: quia inanitatis opprobrio indigne
appetitur qui non eſt vacuus a ſalute. Sed his
collationis magis quam lucidandæ fidei exerci-
tio reſervatis, illud potius revolvemus, quod a
ſacerdotibus veſtris ſcripſiſtis objectum. Igitur
a diſcutientibus vobis, [a] utrum Spiritus ſanctus,
qui in ſecreto baptiſmate indiviſæ nominationis
vendicat unitatem, creator an creatura creden-
dus ſit, cum ſi creator eſt a divinitate nequeat
ſeparari, ſi creatura, Deo non poſſit uniri: pro
penuria reſpondendi, ſub cujuſdam lubrico quæ-
ſtionis interrogatum eſt a parte diverſa, utrum
ſpiritus noſter creatus an ſempiternus debeat
judicari. quaſi exemplo ſcripturæ cœleſtis inter-
Sap. 15. 11. poſito, quo dictum eſt, *Inſufflavit Deus ſpiritum* B
in animam vitæ. Primum ergo conjicite quid
in expoſitione facturi ſunt, qui de teſtimonio
mentiuntur: aut qualiter adinventiones ſuas fal-
laciæ rumoribus impleant, qui dicta divinæ au-
ctoritatis immutant. Nam quod dixerunt, Inſuf-
flavit Deus ſpiritum in animam vitæ, artificio-
ſa eorum fraude confictum eſt. Quem locum ſi
recenſendum ſibi pietas veſtra decernat offerri.
Gen. 2. 7. ſic inveniet ſcriptum: *Et fecit Deus hominem de*
limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpira-
culum vitæ: & factus eſt homo in animam vi-
ventem. Perpendite nunc quanta ſit in ſermo-
ne diſtantia. Illi dixerunt, Inſufflavit in ani-
mam, cum ſcriptum ſit, Inſpiravit in faciem. C
Inſpirare enim incorporeus poteſt, inſufflare niſi
corporeus non poteſt. Deus autem non quaſi ani-
mæ jam viventi ſpiritum legitur inſufflaſſe, quem
addiderit: ſed materiæ nondum viventi, ſicut
antiqui codices habent, ſpiramentum vitæ, quo
in animam viventem ſublimaretur, infudit. Er-
go ſi inſpiratione hac anima hominis facta eſt,
& non eſt aliud anima humana quam ſpiritus,
reſtat ſpiritum principio non carere. Quod ob-
jurgati a vobis ſenſerunt ſibi protinus opponen-
dum, niſi per inſufflationis carnale commen-
tum ſpiritum ipſum animæ potius quam corpo-
ri inditum mentirentur. Nam cum quærant in-
tentione letali, non quomodo quæ ſunt ſcripta
cognoſcant, ſed qualiter ſcripta putentur eſſe D
quæ prædicant, quid putamus imperitis faciunt,
qui inſtructionis veſtræ reverentiam non pave-
ſcunt? Tractemus, ſi propitii ſinitis, quanta ine-
ptia proponatur, quod ſi Dei ſpiritus creatura
non eſt, ac ſic nec in homine creatura poterit
dici ſpiritus, quem Deus inſufflaſſe perhibetur.
Nihil omnino eſſe præter duo, id eſt creatorem
creaturamque, ſæpe definitum eſt. Dei porro
ſpiritus factor, hominis vero, factura accipi de-
bet. Unde ſpiritus qui in nobis vivit, potentia
Dei intelligitur, non natura. Nam ſi vegetan-
dis nobis ſubſtantia ſancti Spiritus credatur im-
mixta, placabilis ſit Dei & veſter auditus, blaſ-
phemia talis, ut etiam convincatur, vix ſine
peccato repeti poteſt. Quoniam ſi præventus
carnaliter peccat ſpiritus humanus, Spiritus ſan-
ctus peccare in eo dicendus eſt: vel certe Spi-
ritui ſancto remiſſionem dari poſcimus, cum pro
defunctorum ſpiritibus ſupplicamus. Parumne ro-
go hactenus fuit, ut alter Spiritus ſanctus, al-
ter Paracletus diceretur: niſi addatur hæc pro
ultima perfugii neceſſitate numeroſitas, ut man-
cipati inſuper contagio delictorum tot divini ſpi-
ritus quot homines computentur? Et perite ſci-
licet decrevit ſacerdotalis auctoritas, uno mo-
do cunctis generaliter ſpiritum divinitatis in-
fundi. Perinde ſe fortaſſe Judæo, hæretico, gen-
tilique, ut catholico, Spiritus ſanctus inſinuat,
an forſitan patris vel filii juſſione invitus in
criminoſorum membra contruditur? Sed quid
facimus, quod ſpiritus ubi vult ſpirat? Qui ſi
abſque arbitrio ſuo corpora indigna ſanctificat, Sap. 1. 4.
revincit Prophetam dicentem, quod non habi-
tavit in corpore ſubdito peccatis. Quocirca hu-
manus ſpiritus creatione inchoatur, divinus au-
tem benegnitate conceditur. Non enim abſque
vitæ ſuæ ſpiritu erant, quibus in Apoſtolorum Act. 8. 17.
geſtis imponitur manus ut accipiant Spiritum & 19. 6.
ſanctum. Quod ſi ipſum quoque Spiritum ſan-
ctum, pro eo quod creatorum fidelium men-
tes introeat, volunt fieri creaturam, de ſupra-
ſcripta videlicet concluſione, qui peremptorie
nihil dicentes, Si Dei, aiunt, ſpiritus creatura
non eſt, ac ſic nec in homine creatura poterit
dici: quid nunc de patris vel filii divinitate
cenſebunt, quam & creatam comminiſci non
poterunt, & lectione perterriti habitare ſancto-
rum corpora non negabunt, Apoſtolo fidelibus
proteſtante, *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod* 1. Cor. 3. 17.
eſtis vos? Sed cum incomparabiliter plura ſint
quæ ſub præſentia gloriæ veſtræ ſuggeri queant,
illud in fine ſermonis, cui non ſolum tribuitis
ſed injungitis libertatem, Deum voſque, divina
veſtraque promiſſione fretus, obſecro ne diutius
ſacerdotes veſtri dicantur, qui ſancto Spiritui
contradicunt. ne deinceps coram vobis permit-
tantur docere qui renuunt diſcere: ne [b] ad b
perfectionem veſtram aliquatenus differendam per-
ſiſtant blaſphemare quod audiatis, qui nolunt
ſentire quod creditis: ne tolerando imperitorum
verſutias & ineptias callidorum, ſuſpendamini
a profeſſione, cum jamdudum in confeſſione te-
neamini. Vobis per epiſtolam ſuam ſanctus Apo- 2. Cor. 6.
ſtolus Paulus inclamat, *Quæ pax fideli cum in-* 14. & 17.
fidelibus? quæ ſocietas luci cum tenebris? Pro-
pter quod, inquit, *exite de medio eorum, & ſe-*
paramini. id eſt, ne communicaturos ultra pec-
catis alienis lævæ partis vicinitas maculet, quos
dexteræ veritas acquiſivit.

a *Utrum Spiritus ſanctus creator*) Et Spiritum divinum creatorem non creaturam, & ſpiritum noſtrum non ſempiternum credendum eſſe, ſed creatum, liquido & abunde probat adverſus ſacerdotes Gundobadi. Quod vero iſtos, dum cauſæ indulgent, pro eo quod *inſpiravit Deus* in Geneſi legimus, *inſufflavit* dixiſſe criminatur, non ſatis apparet quid illorum cauſam juvet hæc mutatio: aut cur reprehendi hoc nomine poſſint, cum Græci codices ἐνεφύσησεν, quod eſt inſufflavit, legant, atque hanc lectionem exhibeant Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, & Auguſtinus, ne alios recenſeam. Adde quod Sapientiæ capite xv. ne argutari liceat, utrumque copulatum eſt, τὸν ἐμπνεύσαντα αὐτῷ ψυχὴν, καὶ ἐμφυσήσαντα πνεῦμα ζωτικόν. *Et qui inſpiravit animam & qui inſufflavit ei ſpiritum vitalem*.

b *Ad perfectionem veſtram*) Gundobadum narrat Gregorius Turonenſis libro 11. Aviti Epiſcopi diſſertationibus convictum, Trinitatiſque æqualitatem confeſſum, clam ut chriſmaretur expetiiſſe, metu autem populi deterritum, ne conceptam fidem publice, quod Epiſcopus ſuadebat, profiteretur, uſque ad exitum vitæ in inſania perduraſſe.

[a] Epiſtola II.

Avitus Viennenſis Epiſcopus Domno Gundobado Regi.

UNicum ſimul & multiplex donum ſæculo noſtro nutu divinitatis indultum eſt, ut inter regias ordinationes glorioſiſſimi principatus veſtri, principaliter de tuenda catholicæ partis veritate curetis. De cujus ſtudii pietate proceſſit; quod dimiſſa nuper clementis præcepti auctoritate juſſiſtis, ut contra Eutychiani dogmatis redivivum furorem, velut ab extincto reſurgentis incendii fomite pullulantem, de ſacro ſcripturarum cæleſtium fonte exemplorum flumina deriventur. O res digniſſima, quam tantus præſul juberet, ſi eligeretur qui juſſionem dignus exciperet: ſi virtus facundiæ thematis reſponderet auctori: ſi ad multiplicandam populorum ſalutem ſic noſtra ſatisfaceret lingua proloqui, ut abunde ſufficit benignitas veſtra præcipere. cum devincti vobis Imperatoris patriam perſonamque, non, ut regibus ceteris moris eſt, tantummodo ad commodum mundanæ pacis amatis: ſed dum coram vobis præveniri timetis errore, omnem quæ inter vos eſt amicitiam in eo illi vultis prodeſſe ne peccet. Quem quidem & præconio attollitis, & fidelem Deo devotumque laudatis. De qua præcipue ad triumphalis veniam plenitudinis veniat quis digne meretur. Ego tamen Deum pro viribus quæſo, ut is ipſe, de quo loquimur, Cæſar Græcorum, ſi fidelis vobis, etiam nobis honorabilis, perſuadeatur a Principe noſtro quod ſuadeat populo ſuo: & cum ſe ad tenendam veritatem vobis reddiderit docilem, ad expugnanda propriæ regionis contagia prædicationis veſtræ factum ſe gaudeat adjutorem. [b] Eutyches ergo, perniciei, cujus mentio eſt, funeſtus incentor, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ quidem presbyter, ſed copioſæ monachorum multitudinis præpoſitus fuit: cujus officii perſonas Epiſcopi Orientales Archimandritas appellant. Hic ergo ad ſummum ſacerdotium famæ ſuffragio comparandum, intromittendæ cujuſcumque novitatis ſtudio appetenter ardeſcens, iſtud quod in ſectatoribus ejus horremus, ſuſurris dicitur magis invexiſſe, quam literis. Siquidem nihil exi- A tit claræ eruditionis in viro, quod in aliqua recti ſimilitudine ſenſum conceptæ animoſitatis adſtrueret. Infectis primitus monachorum animis hoc veneno, quos nefario docens ſub colore gubernaculi naufragiis exponebat, numeroſi, ut ſupra diximus, comitatus hæreſiarches effectus, multorum Antiſtitum judicante Concilio, nec non & presbyteris urbis Romæ in idipſum directis, diſcuſſus, detectus, atque damnatus eſt. Sed quia nullum ſchiſma ſic unquam cum auctore ſuo potuit abrogari, ut ex integro depelleret perniciem magiſterii, mox malum, quod digna Pontificum fuerat proviſione B ſuccisum, contagio ſuſceptorum jampridem ſemina ſervans, velut ab infecta loliis tellure ſurrexit. Hinc nunc hæreſeos, contra quam loquimur, audite propoſitum. Filium Dei, cum patre ante ſæcula permanentem, quem idcirco ad ſalutem noſtram deſcendiſſe de cælo ut corpus aſſumeret fides recta confitetur, negant in alvum femineam potuiſſe contrudi; eum Dei filius, utique Deus, qui dixerat per Prophetam, *cælum & terram ego impleo*, non potuerit venire quo erat, niſi per ſuſceptionem carnis acquieſceret eſſe quod non erat. Quam concluſionem metuens Eutyches ille quem loquimur, cum in C Synodo ſuperius deſignata ſtudioſe ab auditoribus urgeretur, ut [c] Mariam virginem [d] Θεοτόκον id eſt, quæ Deum peperiſſet, pronuntiaret atque ſubſcriberet, ad ingenii nequitiam fraude converſus, Χριστοτόκον, quæ Chriſtum tantummodo videretur edidiſſe, confeſſus eſt. ut ſcilicet diviſa credatur perſona quæ ſervat divinitatis naturam, ab ea quæ ſuſtinuit paſſionis injuriam: Refrænandam a prærupto ancipiti lævam fugiens, dexteram non præſumens, ac perinde latus utrumque formidans, ſub temperamenti medio via tu- D tior, in qua duplicem ſubſtantiam redemptoris diſcerni dicimus poſſe, non dividi. Neque nos nitimur, ut inviolabilis divinitas dolores corporeos perpeſſa credatur, cum omnis cunctorum corporum dolor ſecuturam mortem naturali quodam præcedat officio. Unde ſicut & ipſa caro noſtra, reſurrectionis dono impaſſibilis futura poſt mortem eſt: ſic Deus, qui ſentire obitum non poteſt, ſuſcepto corpori, cui unitus adhæſerat, ſine patiendi acerbitate compatiens, nec defuit in ſalutis noſtræ glorioſo agone, nec doluit. Contra hujus diſtinctionis ſenſum hæreſis adver-

---

a *Epiſtola II.*) De hac epiſtola & ſequenti, aliiſque ejuſdem argumenti, quæ in Flori Excerptis memorantur, cum laude meminit idem Gregorius eodem loco. *Inſurgente*, inquit, *hæreſi apud urbem Conſtantinopolitanam, tam illa quam Eutyches, quam illa quam Sabellius docuit, id eſt, nihil divinitatis habuiſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, rogante Gundobado rege Avitus contra eos ſcripſit. Extant exinde ipſius apud nos Epiſtolæ, quæ ſicut tunc hæreſim oppreſſerunt, ita nunc Eccleſiam Dei ædificant.*

b *Eutyches Archimandrita*) Celeberrimo Conſtantinopoli monaſterio præfuiſſe teſtatur Liberatus in Breviario: ſed monaſterii nomen, nec ipſe, nec alii produnt. Hic nominis ſui hæreſim condere adorſus anno Chriſti ccccxlvii. damnatus eſt primum in Synodo Conſtantinopolitana Flaviani, deinde in œcumenica Chalcedonenſi.

c *Mariam Virginem* Θεοτόκον) Eutychi tribuit quod Neſtorio congruebat. Neſtorii enim error fuit, ſanctam Mariam Θεοτόκον non eſſe dicendam, ſed Χριστοτόκον. Tota igitur epiſtola, etſi habet quæ Eutychi adverſentur, præcipue tamen adverſus Neſtorium dimicat, qui duas in Chriſto perſonas ſtatuebat, unam Dei, alteram hominis, Mariamque aiebat non Deum peperiſſe, ſed hominem, qui divinitate poſtea in baptiſmo ſit donatus. Avitus contra unicam docet in Chriſto duplicis ſubſtantiæ perſonam, æque Dei filium & hominis fuiſſe, quem pater ſine matre genuit, genitrix ſine patre concepit, Deum denique in Chriſto eſſe natura, non gratia.

d Θεοτόκον, Χριστοτόκον) Horum alterum tantum admittebat Neſtorius, neutrum Eutyches, utrumque Eccleſia catholica. Neſtorius enim, ut dictum eſt, Deiparam negabat, Chriſtiparam confitebatur, ſed hæretico ſenſu, Chriſtum aſſerens hominem tantummodo ex Maria prodiiſſe. Eutyches vero, cum carnem de cælo habuiſſe Chriſtum, nec illi a Maria miniſtratam doceret, nihil cauſæ habuit, cur Dei aut Chriſti matrem appellaret. At fides orthodoxa utrumque ſic amplectitur, ut utrumque in utroque tacite profiteatur. Nam cum in Chriſto Deum ab homine non divellat, nec hominem in Deipara excludit, nec Deum in Chriſtipara: propter ſingularem perſonæ unitatem, qua Verbum in carne caro, homo in Deo Deus eſt, ut loquitur Vincentius Lirinenſis.

ſa ſe ſubrigens, veris cruciatibus nec Chriſtum patitur inclinari: cum in ipſa divinitate, in qua inveniri non poteſt afflictio corporalis, interdum tamen pietatis reperiatur affectio, ſicut
Jud. 16. legimus dici de Iſraelitis, *Exclamaverunt ad Deum, qui doluit ſuper miſeriis eorum*. & Apoſtolus jubet, ut non contriſtemus ſpiritum ſanctum Dei: & ſi qua his ſententia ſimilis
Epheſ. 4. 30. in ſacris voluminibus recenſita, bonitas potius miſericordiæ, quam neceſſitas eſt naturæ. Interim in conſequentibus duorum aſſertione dilata, unitas mihi in Chriſto ſubſtantiæ duplicis adſtruetur. Ubi ſunt enim tanta in Scripturis cæleſtia myſteria veritatis, quæ nihil aliud moliuntur, niſi ut nobis incarnationem Verbi cum
Joan. 1. hominis divinitate perſuadeant? *In principio*, inquit, *erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*. Ecce agnovimus quid erat quod non cœptum eſt: nunc ſtudeamus videre quid cœptum atque ſecutum ſit. *Et verbum*, inquit, *caro factum eſt*. Quod Deus in principio erat apud Deum, & initio caret & termino: quod verbum carne veſtitur, caret fine, ſed conſtat a capite. Adſit nunc ſermoni noſtro Emmanuel ille priſca prophetalis oraculi voce prædictus, qui ut nobiſcum Deus eſſet,
Iſa. 9. 6. ſicut dixit Eſaias, *puer natus & datus eſt nobis* filius Dei. In caſſum corporalitas a divinitatis dividitur ſacramento, ſi veraciter propheta Dei filium proceſſiſſe confirmat in puero. *Et vocabitur*, inquit, puer ipſe *admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis*. Quantum pertinet ad vocabuli proprietatem, ſufficit Emmanuel puerum nuncupari. At vero cum dicat, vocabitur admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, vel cetera quæ ſequuntur, quæ rogo tot vocabulorum ratio reperitur, niſi ut agnoſcamus veridicum vatem, in una eademque perſona, quæ divinitati humanitatique competerent exprimentem, ex operibus ſecuturis beneficia mediatoris potius enumeraſſe, quam nomina? Cogam tamen hic hæreticum reſpondere, quis vocandus poſſit intelligi Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. Si filius Dei ante ſæcula manens, cur adhuc in futuro ſic vocabitur qui ſemper hoc extitit? Si filius hominis qui naſcetur, ſervat copulandæ diverſitatis myſterium temporum plenitudo. Quam cum utique conſequenter Apoſtolus replicaret, *Poſtquam*,
Gal. 4. 4. inquiens, *autem venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum natum ex muliere*. Quod mater peperit, pater miſit. hoc eſt naſci corporeum, quod venire divinum. Noluit Deus latere quem deſtinat: capiat mundus dominici adventus indicia. Quem pater ſine matre genuit, genitrix ſine patre concepit, hic æque Dei filius & hominis erit. Super ſacramento tamen iſto Gabrielem Archangelum conſulamus; principem videlicet miniſtrorum, cui ineffabilia perſpicuæ majeſtatis arcana, ut pote qui indefeſſæ obſecutionis miniſterio conſpectibus perpetuæ claritatis adſiſtat, non intelligenda tantummodo, ſed contemplanda monſtrantur. Hic quippe primus legationem cælorum terris attulit: hic verbo virginem fœcundatam divini germinis promiſſione dotavit: hic unius mulieris ſalutatione
Luc. 1. 35. omnem mundum ſalute complevit. *Spiritus*, inquit, *ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei*. Cum ratio nulla reperiat, ut ſolus homo credatur de Spiritu ſancto conceptus, cum omnem hominem Pſalmiſta
Pſal. 50. 6. in iniquitate concipi, & in peccato aſſerat na-

A ſci: oſtenditur hic per Angelum, ob Spiritus ſancti virtutem feminæ membris infuſam, ſanctum quod de tali miniſterio eſſet dicendum. quod nunc ſeparatione connexa intelligit Apoſtolus, ac definit quod ad redemptionem noſtram Deus eſſet in Chriſto. Sed callidus forſitan contradictor ſic Apoſtolici ſermonis hujus teſtimonio velit abuti, ut acquieſcat Deum eſſe in Chriſto, ſed gratia, non natura: ſicut eſt in corde Sanctorum, quorum mentes a peccato liberas habitatio divinitatis illuſtrat. Videamus nunc pateatne commentum, ſi ſententia compleatur. *Deus*, inquit, 2. Cor. 5. 19.
erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Eligat hic doctor adverſus, quis mundum inter ipſa pene ſui exordii rudimenta, benigniſſimo creatori
B peccato primi parentis offenſum, ſibimetipſi in ſæculorum fine conciliet. Si ſolus Deus, quid excuſet ſibimet quod ſufficit remiſiſſe? ſi autem ſolus homo, quo effectu ſibi mortalis reconciliat quod divinitas non relaxat? Unus eſt ergo Deus & homo, qui ſibi mundum ipſe commendet: qui pro ſæculi vita ſibi patris filio ſupplicet filius matris. Unde non dixit Apoſtolus, mundum reconcilians Deo, ſed ſibi: ne forte pro redemptione humani generis ſolum hominem oraſſe ſentires. qui utique niſi in divinitatis naturam tranſiret aſſumptus, non ſolum obnoxietatem humani generis nulla interceſſione diſſolveret, ſed & ipſe communis debiti
C ſarcinam parentali chirographo ſuſtineret. Hoc Gal. 3. 19.
ergo remedium idem Apoſtolus dicit diſpoſitum eſſe per Angelos in manu mediatoris. Et oſtendens cauſam, qua medium ſe præberet, aſſumptus ab infimis, inclinatus a ſummis, *Mediator*, inquit, *unius non eſt: Deus autem unus eſt*. Quæ cum ita ſint, ſicut niſi inter duos agat, incongrue mediatio nominatur: ita ipſe, quem mediatorem dicimus, ſi ſolam quam velis ex duabus ſubſtantiam reciperet, ad ſubeundum mediationis officium ipſe medium nihil haberet. Quod uno quidem, & tali qui nulla calliditate fucetur, ſermone concludit dicens: *Ipſe eſt enim* Epheſ. 2. 14.
pax noſtra, qui fecit utraque unum. Ipſe videlicet pax humilium atque celſorum, unus factus
D ex utroque unum reddidit ex utriſque. Certe ſicut ſupra poſuimus, aut expoſitione teſtimonium, aut argumento egere videtur exemplum. Quid vel illo Apoſtoli ſermone lucidius, quo cum diverſis hominum generibus ſe coaptans, omnibus omnia ſe factum referret, ut omnium animas talentorum cæleſtium cupidus duplicator acquireret, *Factus ſum*, dixit, *his qui ſine* 1. Cor. 9. 21.
lege erant quaſi ſine lege eſſem, cum ſine lege Dei non ſim, ſed in lege ſim Chriſti? Nunquid eſt quiſquam tam in profunda demerſus, qui iſtud cenſeat explanandum, ſi in lege Chriſti eſt ſine lege divina? Patet nempe quod unus eſt lator legis, qui unus idemque, ut ſignificat Pſalmus, præterita futuraque complectens, Pſal. 83. 8.
E benedictionem dabit in baptiſmo, qui legem dederat in præcepto. Offendit quidem mentes carnalitate depreſſas, & conjecturis humanæ conſuetudinis hebetatas, tantæ diſparilitatis in unum coacta proprietas: ut ſcilicet divina plenitudo & humana conditio, ut ſervi humilitas dominique majeſtas, ut creatoris virtus & ſervitus creaturæ, unam ex his omnibus videantur reddidiſſe perſonam. Sed nec ratio ſoliditatis iſtius a ſapientum ſoliditate longinqua eſt, quæ videtur maximum tenere in hæredibus. quod ille ſolus hominis ſtatum potuit reformare de perdito, qui formavit e cæno. Unde beatiſſimus Paulus, *Primus*, inquit, *homo de terra terrenus*, 1. Cor. 15. 47

ſecundus de cælo cæleſtis. Verum quidem hominem dixit, ſed terrenum cum contagio pollutionis, cæleſtem cum conſortio divinitatis. Rogo nunc, cum Apoſtolus dicat hominem deſcendiſſe de cælis, quis eſt qui negare audeat Deum rediiſſe de terris? Adhuc ſi parum eſt, quod vas electionis aſſeruit, conſulamus illum qui men-
Joan. 3. 13. tem electi pretioſiſſimi vaſis implevit. *Nemo* inquit, *aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit, filius hominis qui eſt in cælo*. Si ita ipſe Deus veritas cum ſua incarnatione concordat, ut ante omne ſæculum uniret præſcientia, quod in ſæculorum fine aſſumere diſpoſuerat in natura: videte utrumnam Deus ſit qui conſcendit poſt reſurrectionis triumphum, ſi cum patre filius fuiſ-
* Alia lectio *quanta ſit ſoliditas* ſe dicitur ante carnis exordium: aut * quanta facta ſit ſolicitas in præteritis, cujus tanta unitas prædicatur in futuris. Sed ne aliquid de hac immutabilitate cunctemur, adhuc addit Apoſto-
Epheſ. 4. 8. lus de Pſalmo teſtimonium ponens: *Propter quod dicit, Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Quod autem aſcendit*, inquit, *quid eſt niſi quod etiam deſcendit in inferiora terræ*? Parum eſt, quod Deum dicit in terram veniſſe, niſi confirmet eum pro-
*Alia lectio *in infernum deſcendiſſe*. pter unitatem perſonæ quam ſuſceperat * in inferna deſcendere. [a] Certe circumfrementibus Judæis, & in Dominum noſtrum blaſphemiarum te-
Ibid. 59. la vibrantibus, quid reſpondiſſe credimus,
Joan. 8. 58. *Amen dico vobis, ante Abraham ego ſum*, niſi quia per concordiam genitoris & geniti, ipſe per traducem maternorum parentum deſcendit ex Abrahæ ſemine, qui ſine annorum numero Abraham præivit æternitate? Qui maximus Patriarcharum, cum videret illum diem, in quo ſine fine permanet Deus, concupivit tamen illum videre,
Ibid. 56. quo homo unitus eſt Deo. *Vidit*, inquit, *& gaviſus eſt*. quia ſicut cernebat illum, in quo erat genuina majeſtas, ita & iſtum deſiderio conceperat, in quo adoptata illuſtrabatur humilitas. *Tulerunt ergo*, inquit, *lapides ut jacerent in eum*. Quid porro miramur Eutychianos contra catholicam fremere, cum videamus caput noſtrum a ſuis ad quos venerat pertuliſſe, redditurumque perfidiam indignatione una cum fine? Eo contumeliæ ſenſu hic Judæus ſævit, quo hic hæreticus livet. Parricidalis quidem illic fuit in dominum cæli lapidum jactus: ſed putes & iſtos tempore ſuo veritati perſpicuæ cum duris mentibus ſaxa jaculari. Ne Deus & homo unum credatur, conjurat furor duorum. Liceat rogo quod facti ſumus in melius provehi: liceat compactam luto materiam ſupernorum honore ſuſtolli. Quid tantum contra te homo niteris, ne in Deum poſſe tranſire credaris? Vocat te ad participationem ſui ſuperna majeſtas: cur offerentem renuis? quid deſpicis ingerentem? Excolo pro adipiſcenda ſimilitudine veritatem, diligo pro ſectanda imitatione doctrinam. Si caput noſtrum eſt Chriſtus, in ſublimatione ſument quantulæcumque ſublimitatis conſortium membra de vertice. Poſcant igitur alii deſtructores de utrinſque teſtamenti corpore exemplorum ſimilitudinem, quibus propoſita tueantur. negotio huic ſic annıſus bibliothecæ utrinſque conſtat, ut ſi confimare quod loquimur teſtimonio adſtipulante velimus, cuncta videantur in unum opus canonicorum volumi-
num oracula congerenda. De quorum multitudine juſte, ad declinandam prolixitatem, electa quæque ac deflorata ponuntur. Quia ſicut minimi effectus ſunt, quæ tantum de noſtro prolata, nullo ſcripturarum cæleſtium adminiculo fulciuntur: ita qui recipere pauca faſtidit, non virtute, ſed mole rem conjicit. quoniam vinci metuens, inſtrui nolens, ad deferendam veri cognitionem volumen potius quam documenta deſiderans, non cauſas putat rerum magnitudine conſtare, ſed paginis. Dominus itaque ac redemptor noſter, adventum gloriæ ſuæ diſcipulis ſpecialius inter præcepta omnia manifeſtans:
Cum, inquit, *venerit filius hominis in majeſtate* Matt. 25. 31.
ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc congregabuntur ante illum omnes gentes, & ſeparabit eas ab invicem, & ſtatuet juſtos quaſi agnos a dextris, impios autem ſicut hædos ad lævam. Tunc dicet rex illis, Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum, quod paratum eſt vobis a conſtitutione mundi: & eis qui a ſiniſtris ſunt, ut diſcedant ab eo in ignem æternum, quem præparavit Deus pater Diabolo & angelis ejus. Quid, rogo, hic contemptibile in Chriſto ſuperbia humana faſtidiat? quid tam metu dignum? tam honore conſpicuum? tam terrore venerandum? Excogitet hæreticus, utrum iſtuc patris gloriæ adjungat, an filii. Ad negotium quod gerimus audire mihi ſufficit, *Cum venerit filius hominis in majeſtate ſua*. In præſenti ſæculo, *Diſcite a* Matt. 11. 29
me quia mitis ſum & humilis corde. In futuro, prænoſcite quia celſus & terribilis claritate in gloria ſua veniet cum Angelis ſanctis ſuis. Dicat nunc diviſor mediatoris uniti, in corpore contumeliis inclinato unde ſit quæcumque majeſtas, ſi non eſt ulla divinitas, ut taceam quod a patre ſeu regnis ſeu gentibus per ſingulorum merita deſtinatur. Formidabilius videri poteſt, hominem retributiones congruas judicando decernere, quam Deum patrem ſentiat filio hominis inſtrumenta judicii præparaſſe. *Filius enim*
hominis venturus eſt in majeſtate patris ſui cum Matt. 16. 27.
Angelis ſuis ſanctis, & tunc reddet unicuique ſecundum opera ſua. Non dixit, cum patris Angelis veniet, ſed cum ſuis: quia quæcumque habet pater, & ſua ſunt. Unde cum filius matris recipiat in celſitudine quod patris filius contemptus eſt in humilitate: quis unquam ſit hæreticus tam rebellis, qui Deum, cui immortalem Angelorum ſubſtantiam videt ſubici, ipſe mortalis in mortem mortuus nollet inflecti?
Dixit quodam Evangelii loco Abraham ille, Luc. 16. 31.
cujus ſupra fecimus mentionem, cum a quodam pro remedio æſtuantis incendii caſſis fero precibus oraretur, quod ſi quis Moyſem, vel prophetas noluiſſet recipere, utique nec venientem a mortuis audire. Quis eſt autem prædicator ex mortuis ſuſcitatus, niſi Chriſtus Jeſus, in cujus duplicem quam loquimur ſubſtantiam duplicis teſtamenti unitas ex diverſitate colligitur? Ea ſiquidem referuntur in Evangeliis, quæ prædicata ſunt in prophetis, & ſit ex viribus teſtamenti, non diverſitate, ſed tempore. Recens quippe, quod hodie completur: quod autem diu expectabatur, antiquum eſt. Nam quia de Abraham opportunitas ſermonis exorta eſt, qui auctor utriuſque teſtamenti legitur inſtitu-
tus, * vetuſti ſcilicet intromittendo circumciſio- * Alia lectio *veteris*

a *Certe circumfrementibus Judeis*) Hunc locum profert Agobardus adverſum dogma Felicis ſub finem. *B. quoque Avitus, Photinianorum hæreticorum validiſſimus expugnator, ſcripſit dicens*: Certe circumfrementibus Judæis, &c.

ſionem, novi vero placendo per fidem, in illo Judæorum tantummodo, in iſto autem multarum gentium pater: experiamur utrum Evangeliis de Chriſti generatione concordet, in quo ſe patrem gentium recognoſcat, an æternitatem hujus ipſius ſobolis, quam erat geniturus, intelligat. Utrum ſe juniorem nepote cognoſcat. utrumnam redemptori, quod ſe ante Abraham ponit, & ipſe conſentiat: utrum ſine ſupercilio parentali, reverenter impenderet miniſterium ſemine corporali exorto creatori. Inſerat ſe paulisper loco præſenti illa obteſtatio, juramenti fidem poſcens, ſed ſacramenta patefaciens, qua diſpenſatorem domus ſuæ non ſine myſterio gratiæ ſubſequentis adjurans, *Pone*, inquit, *manum tuam ſub femore meo, & jura mihi per dominum cœli, quod non accipias uxorem filio meo de filiabus Canaam*. (Gen. 24. 2.) Dicat mihi quæſo, quæ jurisjurandi reverentia putetur in femore. Quod ſi perſonaliter tantummodo fieret, facilius caput tangeret adjuratus. Aut quæ cauſa femoris, interpoſita Dei ac domini mentione jurandi; niſi quia per illum Deum ac dominum cœli, quem inde ſæcula videbantur prolatura, juratum eſt? Scit ergo nimirum, cui proſapiæ non tam præemineat ipſe, quam ſerviat. Novit quippe quid in corpore ſuo debeat adorare: intelligit membra, quæ contra humanam conſuetudinem ſpeciali honore veneretur. Poſt quæ præcedentum indicia, miracula ſubſequentum, licet plurima teſtimoniorum de Evangeliis Apoſtoliſque promamus, metuo ad ultimum, quod cum Eutychiani nec patriarchalibus factis, nec dictis prophetalibus excitentur, ſi Moyſem & prophetas non audierint, nec ei qui ex mortuis reverſus eſt credent.

EPISTOLA III.

Avitus Viennenſis Epiſcopus Domno Gundobado Regi.

PUto nunc non parvi operæpretium eſſe momenti, ſi occaſionem, quæ præſenti tempore in abruptæ diverſitatis letabundum virus erupit, pagellæ præſentis mentione contingam. Quieverat ergo poſt [a] Acacii quondam Conſtantinopolitani ſacerdotis exceſſum, mali ejus quod expugnandum ſuſcepimus, pullulans ab Eutychete perſuaſio. Cujus idem Acacius, ut celſitudo veſtra poteſt habere compertum, amator magis trepidus, quam aſſertor publicus erat: laudans quidem quæ ab illo repererat, ſed prædicare ea devoto tunc, itaque impolluto, populo non præſumens. Pro cujus obumbratione figmenti ſimulati, ob gratiam Imperatoris ſæculi ſui, non impunitus tantummodo, verum & indiſcuſſus interiit. Hinc ſe de impendenda defuncto communione in contrarium vulgi, immo, quod aſperius fuit, & ſacerdotum ſtudia diviſerunt. Et ut quiſque recte aut prave de fidei ratione conceperat, ita etiam de prædicatoris præteriti memoria ſentiebat. Tracta eſt interim, non per manifeſta ſed ſubita, nec tam ſeparatione quam ſimultate diſſenſio. Actum eſt igitur [b] cum rege Orientis anno ſuperiore, ut hinc cum Epiſcopo urbis ſuæ quaſi leni colloquio & blanda meditatione conſerret. Eſt autem illic [c] conſuetudo in Eccleſiis nobilium civitatum, ſupplicationem cum laude divina inter Miſſarum initia celebrari: quam tanta devotione atque alacritate conſonæ plebis clamor attollit, ut credant non immerito, omne ſuffragium ſacrificii ſubſequentis præmiſſo hujus devotionis obſequio placiturum. Supplicationis vero ipſius imam partem, licet pietati veſtræ notiſſimam, in loco, ſicuti res poſtulat, ſuggerendam putavi. *Ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ἐλέησον ἡμᾶς.* Itaque ſicut inſuſurratum fuerat principi, & ipſe inſinuat ſacerdoti, nil in querelam venire, nullam fieri de ſchiſmate mentionem, ſi hoc quod in ipſa oratione animos aliquantorum movebat, a principe obſecratus Antiſtes aut juberet aut permitteret abrogari. Illud moleſte quoſpiam ferre, quod in ima prædicationis ipſius parte clametur, *ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ἐλέησον ἡμᾶς*. quod Latine intelligitis dici, Qui crucifixus es propter nos, miſerere nobis. Perſuadetur Epiſcopo negligenti, nec uſque ſic docto, ut tantæ urbis, perindeque totius Orientis Patriarcham decet. Concipit igitur atque diſponit, ſolennis hujus præconii incaute definitionem facturus: eo maxime effectu, quo res, nec de canonicis ſcripturis tradita, nec Apoſtolorum temporibus inſtituta, etiam contra vota populorum facile videretur poſſe mutari. Sed [d] ubi

a *Acacii Conſtantinopolitani ſacerdotis*) Primis hic annis ſapere viſus eſt, & pro Synodo Chalcedonenſi decertare contra Eutychianos. Mutato poſtea conſilio, quam graves in Eccleſia turbas excitarit, vel occulte, vel aperte iiſdem adhærens adverſus Synodum, ejuſque defenſores, declarant Pontificum epiſtolæ, tum Simplicii qui eum ad meliorem mentem revocare conatus eſt, tum Felicis, a quo tandem ob pervicaciam damnatus & anathemate percuſſus eſt. Epiſcopatum tamen, favente Zenone Auguſto, ad obitum uſque retinuit. Defuncti porro Acacii nomen Felix e diptychis deleri juſſerat. de quo varia rurſus inter Epiſcopos ſtudia fuerunt, & vix tandem ut Conſtantinopoli expungeretur ſub Hormiſda impetratum eſt.

b *Cum rege Orientis anno ſuperiore*) Cum Anaſtaſio Imperatore, anno Chriſti dxii. ut ſequentia demonſtrabunt.

c *Conſuetudo in Eccleſiis*) Triſagium hymnum prima omnium uſurpare cœpit Theodoſii minoris ævo Eccleſia Conſtantinopolitana, ſed ſine illis verbis *ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ἐλέησον ἡμᾶς*, quæ tunc temporis ignorabantur. Additionis enim auctor Antiochiæ poſtea fuit Petrus Cnapheus Epiſcopus, qui ut Theopaſchitarum hæreſim, qua laborabat, induceret, clauſulam hanc adjecit Triſagio: qua ſcilicet Deo trino, ad quem ſuperiora ſpectabant, adſcribi paſſio videbatur. Cui malo ut mederetur Calendio, Cnaphei in exilium pulſi poſt aliquot annos ſucceſſor, clauſulæ illi præmiſit *Χριστὲ βασιλεῦ*, *Chriſte rex*, erroriſque anſam duobus verbis præciderat, niſi Cnapheus ab exilio reverſus, ſedique reſtitutus, iiſdem ſublatis priſtinam labem redintegraſſet. Theophanes in Chronico de Calendione. *τῷ τρισαγίῳ προσέθηκε* ΧΡΙΣΤΕ ΒΑΣΙΛΕΥ *ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς. Πέτρος δὲ πάλιν ἀνελθὼν περιεῖλε τὸ Χριστὲ βασιλεῦ*. Hæc Antiochiæ. Conſtantinopoli vero Anaſtaſius Imp. una cum Timotheo Patriarcha, idem Cnaphei additamentum in Triſagium inſerre conatus, poſt varios tumultus, cædes, & incendia, reclamante populo orthodoxo, conſequi nihil potuit, ut docet Marcellini Comitis Chronicon Paulo & Muſchiano Conſulibus, id eſt, anno Chriſti dxii. in quem incidit annus Anaſtaſii xxii. cui hæc eadem adſignat Theophanes in Chronico. ubi & Timothei quoque Commonitorium commemorat, quo idipſum Eccleſiis omnibus imperabat. *ἐν οἷς καὶ Τιμόθεος δι' ἐγγράφου ὑπομνηστικοῦ πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις προσέταξε τὸ τρισάγιον ἐν ταῖς λιταῖς μετὰ τῆς προσθήκης εἰπεῖν*. Eadem habet Anaſtaſius in Hiſtoria Eccleſiaſtica. Quæ a nobis omnia idcirco præmittenda fuerunt, ut ex his Avito, qui diverſa narrat, impoſitum fuiſſe deinceps agnoſcamus.

d *Sed ubi primum hymnus ultima*) Non offendebat orthodoxos, ut vidimus, pars hæc ima Triſagio detracta, ſed addita: neque Eutychianis favere poterat, ſi truncaretur, cum illam Cnapheus ipſe idcirco adjecerit, ut Eutychianam hæreſim ſtabiliret. Nec propterea Hymno hanc addi non ferebant orthodoxi, quod Crucifixo ſupplicandum negarent, ſed quia Deum crucifixum per hanc adſtruebant Theopaſchitæ Eutychiani.

A primum hymnus in Eccleſia cantari ſolitus, ultima orationis parte truncatus, minus audientibus ſatisfecit, quicquid putabatur ab Eutychianis hæreticis concipi, patuit totum hoc ab Epiſcopo prædicari. Quis enim fidelium non jure moveretur, audiens crucifixo pro nobis, ut miſereatur, minime ſupplicandum? Quid multis? creſcente ſeditionum procella, dum inſiſtit populus,
a nec obſiſtit Auguſtus, [a] antiqua ſacerdos, quodque magis dolendum eſt, nec innocens, ſede pro-
1.Reg.3.25. pellitur. ſicut legimus quodam loco Scripturæ, *Si peccaverit vir in virum, orabit pro eo ſacerdos: quod ſi peccavit ſacerdos in Deum, quis exorabit pro eo?* Super omnia vero delicta ſpecialius in Deum peccat, qui doctrinæ Apoſtolicæ contradicens, a regula veritatis exorbitat: ſicut nihil eſt gravius, quam ſi cæcus, præſumpto ducatu, ex prædicatore fidei incipiat eſſe deſtructor. Vos modo perpendite amentiam totius hæreſis in unius reprobatione ſermonis. In quo parum eſt quidem quod auribus putetur ablatum: ſed totus cum verbo illo catholicæ veri-
b tatis ſenſus excluditur. [b] Nolunt enim a nobis ei qui crucifixus eſt ſupplicari, ut videatur
c tam [c] nihil poſſe præſtare perſona hominis, quam nihil pœnæ pati potuit ſubſtantia majeſtatis. quod quid eſt aliud, quam odium pro dilectione reponere, & convitia pro beneficiis repenſare? Inſerta eſt namque humano corpori dignitas ſupernorum. Deus quidem non ſubjacet cruciatui, ſed divinitas intereſt paſſioni. Dei injuriam crucis tempore mundus diurnis fuſcatus tenebris expavit: in cælum peccare Judæos teſtata eſt terra quæ tremuit. Caret conjectura quæ per neceſſitatem veritas fulget: nec ſe affirmari a nobis expectat, cum ſalva ſibi auctoritate ſufficiat. Audiamus ex his Apoſtolum
1.Cor.2.8. proteſtantem: *Qui ſi*, inquit, *cognoſcerent, nunquam Dominum maieſtatis crucifixiſſent.* Sed dixerat hoc prius etiam ille propheta, qui ob præſcientiam futurorum cognomento Angelus
Mal.3.8. nuncupatur: *Si affiget homo Deum ſuum, quoniam vos affigitis me?* Rogo quis contentionis obſtaculo tam aperta ſibi obſtruat? Si Dominus majeſtatis pependit vel affixus eſt patibulo, dicat adverſarius, cur hominem non rogemus in cælo? Adhuc quippe cæleſtem potentiam in corporis ſecreto repoſuerat: adhuc obitum ex ventre debebat: adhuc ad informationem noſtram exercebat humilitatis ſtudia etiam in opere claritatis. Cum Cananæa quædam, credulitatis quidem Iſraeliticæ, ſed gentis alienæ, virtute virili, petitione laudabili, obſtinatione victrice, Chriſto pro filia ſupplicaret, *Miſerere*, Matt.15.22.
inquiens, *mei, fili David*, vicit hic ſenſus interiore ſapientia ſexum carnis, ſupra humanum ſentit in homine. Non acquieſcunt Eutychiani doctores ei qui propter nos crucifixus eſt ſupplicare. Iſta in crucifigendo & divinitatem precata eſt, quæ non poterat mori, & humanitatem, quæ poterat ſuſcitari. *Fili David*, carnem reſonat: *miſerere mei*, Deum declarat. Dominus cæli invocatus eſt in virtute: auctor hominis vocatus eſt in genere. Longe jam, ut opinor, poſt mortem David, de cujus ſemine terris per Mariam Chriſtus effulſit, temporum ſe-
B rie ſtemmatis regii proſapia ducebatur. Poſco nunc, his proavorum ſucceſſionibus ac nepotum, ex memorato patre uſque ad virgineum fœtum, toto derivatæ hæreditatis acceſſu, phantaſmatis linea ducatur, an traducis. Porro autem ambiguo caret, quod & de genere caro vera proceſſit, & phantaſma genus habere non potuit. Experiamur tamen, utrum ſpreverit Chriſtus præfatæ Cananitidis in oratione ſermonem, an fortaſſis exaſperet ineptiam ſupplicantis. *O mulier*, ait, *magna eſt fides tua. fiat tibi ſicut vis.* Si iſta fides eſt, utique magna ſi conſtat, non erit recta, altera certe fuerat ad matrem illa reſponſio, cum comitante diſcipulorum choro feſtis nuptialibus invitatus, deficiente vino ad fa-
C ciendum miraculum poſceretur. atque ille, *Quid* Joan.2.4.
mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea. Velut ſi dicat, Cur illud tantummodo quod peperiſti eſſe me credis? Si hoc ſolum mihi putas conſtare quod carnis eſt, non poſſum complere quod exigis. Sublimia hæc quæ a me requiris de patre attuli, non in matre ſuſcepi: formato in te corpori, debita infirmitatis inſtitutione, opera virtutis injungis. Bene me putas poſſe quod petis, ſi te, ſicut mei corporis, ſic matrem tui intelligas creatoris. Quod ſi ſolum te edidiſſe hominem velis, *nondum venit hora mea*. Nemo autem ſic ineptus reputandus eſt, ut iſtud quod dixit, *Nondum venit hora mea*,
D velut errore gentili, conſtitutis velit fatalibus applicare. Ad intelligendum horæ illius myſterium diſcretionem potius requiri convenit, quam decretum. quod cum ipſa quoque noſtræ mortalitatis conditio non eligatur, ſed omnis ſtatus noſtri neceſſitas gubernatoris perpetui ſit voluntas: quanto magis Chriſtus, qui poteſtatem ha-

a *Antiqua Sacerdos ſede propellitur*) Macedonium ab Anaſtaſio ſede Conſtantinopolitana pulſum, eique ſuffectum Timotheum conſtat, Secundino & Felice Conſulibus, hoc eſt ſuperiore anno quam de Triſagii additamento Anaſtaſius & Timotheus turbas cierint. Aliæ igitur exilii cauſæ fuerunt, & Aviti hac etiam in parte nutat narratio.

b *Nolunt ei qui crucifixus eſt ſupplicari*) Chriſto pro nobis crucifixo ſupplicandum nemo unquam recte ſentiens negavit: ſed ſupplicationem hanc Triſagio ſubjici non probabant. Qua de re in Excerptis Photianis cap. CCXXVIII. diſſerens Ephræmius Patriarcha Antiochenus in epiſtola ad Zenobium Scholaſticum, ut Orientales ſuos excuſet, Conſtantinopolitanos atque occidentales ait, quia Triſagium ad Trinitatem referunt, propterea *ὁ σαυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, qui crucifixus es pro nobis*, addi non ſuſtinere, ne Trinitati attribui paſſio videatur. Orientales vero, cum Triſagium ad Chriſtum referant, culpa vacare cum ſubjiciunt, *Qui crucifixus es pro nobis*. Quæ ille quanquam falſo, ut apparet, de Orientalibus ſcribit, cum ex Damaſceni epiſtola *περὶ τρισαγίου* compertum ſit, veteres omnes ſemper de Deo trino, nunquam de filio ſolo hymnum hunc accepiſſe, quem & *τετραδῖται* ea de cauſa nuncuparunt: & Cnapheum certum ſit, cum *προσθήκην* iſtam adjecit, non filium in mente habuiſſe, ſed Deum, quem crucifixum cum Theopaſchitis adſtruere ſtudebat. Quanquam hæc, inquam, ita ſe habent, inficiandum tamen non videtur, in Cnaphei additione, ſi pravum ejus conſilium demas, incommodi nihil futurum. ita nimirum, ut poſt Trinitatis laudationem, converſo ad filium ſermone, bis illi verbis ſupplicetur, *Qui crucifixus es pro nobis, miſerere nobis*. Quod & Calendionem Epiſcopum ſenſiſſe manifeſtum eſt, quando Cnaphei additioni *τὸ Χριστὲ βασιλεῦ* præmiſit, & ab Eccleſiæ uſu non abhorrere agnoſcit Damaſcenus, cum poſt Trinitatis doxologiam, quæ his verbis continetur, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, ſubjungi ſæpe ſoleat, *τῷ σταυρωθέντι βουλήσει, καὶ ἐκ νεκρῶν ἀναστάντι, ei qui voluntate crucifixus eſt, & qui reſurrexit a mortuis*, quæ ad filium proprie ſpectant.

c *Nihil poſſe præſtare perſona hominis*) Duplex deinceps contra duas hæreſes argumentum tractat. Prius hoc loco, Chriſtum videlicet Deum pariter & hominem fuiſſe contra Neſtorii veſaniam, qui *ψιλὸν ἄνθρωπον*, hominem tantummodo aiebat fuiſſe.

Joan. 10. 18. bebat ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam, nullo ſe fati voluit implicare præſcripto? Sed cum venerit ſubeundi hora patibuli, apparebunt cæleſtia quæ pater genuit, & corporea quæ alvus effudit. Ergo cum ipſe Dominus hic, perficiendo miraculo actus divini, non repulerit genitricem, ſed inſtruxerit ignorantem, videamus quid hinc cum Apoſtolis ſuis tractatu impenſiore contulerit. Interrogabat autem eos quodam Evangelii loco, quæ de perſona ſua vulgi variantis ſentiret opinio. Cumque diverſitate ſententiæ populum, aut unum ex vatibus priſcis, aut Moyſem, vel certe Heliam, illum cre-
Matt. 16. 15 dere ſuggeſſiſſent, *Vos autem*, inquit, *quem me eſſe dicitis?* Tum princeps condiſcipulorum, principium reſponſionis aſſumens, *Tu es*, inquit, *Chriſtus filius Dei vivi*. Sufficere plane potuerat quod confitetur hic Petrus, etiamſi hoc non tam manifeſta reſponſione confirmaſſet Chriſtus. *Beatus es*, inquit, *Simon bar-Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt*. Beatus es, inquam, quia ut Deum cerneres, non carnem tantummodo, ſed & ſanguinem cenſuiſti: nec revelandam tibi gloriam meam lineamenta ſumpti corporis obtulerunt. Non avertiſti generoſæ mentis aſpectum, quod & carne prolatum eſt. Sed pater meus qui eſt in cælis revelavit tibi filium, cui adhæret in terris: cujus gloria paupertate nunc tegitur, cujus honor contumeliis nunc celatur. Pendebat ſiquidem in ligni ſalutaris excelſo, triumphali præeminentia, mediatoris noſtri corpus altatum, & uniuſcujuſque ſententiam de cordis penetralibus virtus ſalutiferi ſtipitis exigebat. Injuriam ille
Matt. 26. 40 deridebat, Ecce qui deſtruebat, inquit, templum Dei, ut illud triduo ſuſcitaret: alter aceti potionem ferino felle corruptam ſpongiæ poculo porrigebat. Ipſe tamen ſervans inter pœnas hominis miſericordiam Creatoris, dolens eos pro quibus venerat adhuc ſub tempore ipſius redem-
Luc. 23. 34. ptionis errare, clamabat, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. Quid eſt, neſciunt quid faciunt, niſi quia credunt ſe ſolum hominem adduxiſſe judicio! Ignorat quid faciat, qui non ſentit in cruciato corpore majeſtatem. Et ſi illi ſolius matris filium interficere ſe credentes quid facerent ignorabant, cur adhuc hodie Eutyches ignorare ſe ſimulat, quod ſi illi tunc ſciſſent, Chriſto & Apoſtolo proteſtante, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent? Unde quod hic Dominus neſcientibus optat ignoſci, conſtat expertorum conſcientiæ non poſſe concedi. An forte miramur, quod tam evidenter Chriſtus paſſionis ſuæ myſterium dignatur exponere? Auſim dicere, habemus hic adhuc amplius quod mirari. Comitata eſt, ut legitis, dominicam mortem circumpendentium latronum conjuncta crucifixio: quos tamen temeritas crudelis judicii, non ſervilis culpæ meritum, coæquaverat innocenti. Non enim poterat ſancti germinis incorruptum nitorem vicinæ pollutionis horror aſpergere: ſicut & ſol, ſi radium in fæculenta dimittat, intactum prorſus neſcit ſentire contagium. Horum igitur unus latronum, longi ſceleris vitam brevis compendii fine permutans, ex interfectore medicus, martyr ex fure, nexus membris, criminibus abſolutus, fixus clavo, liber affectu, *Domine*, inquit, *memento mei, cum* Luc. 23. 42
veneris in regnum tuum. O felicis beatitudo teſtimonii! o ineffabilis fortitudo credendi! Non iſtum, ut divinitatem in homine ſentiret, ſigna vicerant: ſed virtutis dilectionem infirmitatum collegit indicio. Concupivit invocare ſimiliter vinctum: & adhuc Eutyches orare deſpicit ſublimatum. Obeuntem ille contremuit: regnantem iſte faſtidit. Iſte mortem non timebat a judicaturo, cum ille vitam requirat a mortuo. Sed redemptori ſuo ſqualentis veterni mortificatione compaſſus, junxit dominicæ propriam crucem. Adoravit expertem culpæ particeps pœnæ: dudum invadendi cupidus, mutavit vota prædandi. armatus trabalibus clavis vim intulit regno cælorum. Intellexit in Chriſto pauperem locupletem, vicinum invenit quod tolleret nudo, ſumpſit veniæ plenitudinem, rapuit innocentiæ portionem. In ligno Deum contuitus, in cælo hominem conſecutus. [a] Jam porro, quoniam tranſacta paſſio docet hominem verum, cruciatum doloribus, latronibus comparatum, confectum ſupplicio, tumulatum ſepulcro, per hæc omnia phantaſmatis aſſertoribus aſſumpti corporis veritas contradicit. Quos cum in Chriſto unitas utriuſque ſubſtantiæ perſpicua teſtimoniorum luce convincit, omnem, quæ in conſequentibus replicatur, dominicæ ſeriem paſſionis phantaſtica honoris contumelioſi molitione perturbat: aſſerentes quoddam nebuloſi corporis extitiſſe figmentum, quod pro redemptore noſtro injuriis pœnarum dolorumque videatur oppoſitum, & per inanis hominis ſimilitudinem, pœnis, quas majeſtas incurrere non poſſit, addicta quoque vera caro non extiterit, quam exécratur populus, cruciat judex, pulſant verbera, quam contumeliæ illudunt, ſpinæ tranſpungunt, cui calamus illiditur, figitur clavis, ſanguis exentitur. Adhuc cum omne quod ſpei eſt in ſolo redemptionis noſtræ myſterio collocemus, nec ſit aliud noſtrum reviviſcere, quam dominum necem pertuliſſe: falſum eſt quod ſua incarnatione nos ſalvat, ſi & hoc in dubium venit, quod tolerandum pro nobis in carne ſuſceperat. Veni potius ſancte Eſaia, propheta quidem tui, ſed Evangeliſta temporis noſtri. veni celeriter ad tuendam contra Eutychetis mendacia Chriſtianorum ſalutem. Dicere te de Chriſto, immo etiam jurare non pigeat, *Vere languores no-* Eſa. 53. 4.
ſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. &, *livore ejus ſanati ſumus*. non medendi facultate ſecura, ſed voluntarie pro nobis dolendi veritate ſuſcepta. Si veraciter dolores noſtros ipſe portavit, jam & nos ſecuri ſumus, quod veros

a *Jam porro, quoniam*) Hoc alterum caput diſputationis, Chriſtum vero & conſubſtantiali nobis corpore præditum fuiſſe contra quam ſenſit Eutyches, qui fictitium illi corpus, & phantaſmati ſimile tribuebat. Unde his quoque Aviti epiſtolis, quæ delirium hoc refutant, titulus olim CONTRA PHANTASMA. Par itaque, ſed contraria, ut Leontius Monachus obſervat, in Chriſtum impietas Neſtorianorum & Eutychianorum, *οἱ μὲν γὰρ τὴν θεότητα, οἱ δὲ τὴν ἀνθρωπότητα δοκήσει λέγουσιν εἶναι ἐν αὐτῷ. Illi enim*, inquit, *divinitatem, hi humanitatem opinione tenus & phantaſia Servatori aſſerebant*. Quare ſcite utroſque Nonnus Abbas *ἐναντιοδοκήτας* appellabat. Nam & Docitas quoque illos qui id genus phantaſma inducebant, vocat Theodoretus noſter libro v. Hæreticarum fabularum. Ubi eundem de Chriſti corpore locum tractans, iiſdem quibus Avitus argumentis docet, pati & mori, eſurire & defatigari corpus ſuum permiſiſſe, *ἵνα μηδεμίαν λάβωσιν ἀφορμὴν οἱ Δοκῖται κρατῦναι τοῦ ψεύδους τὴν αἵρεσιν. ne quam anſam haberent Docitæ, quo falſam hæreſim confirmarent*.

dolo-

dolores commentitium phantaſma non pertulit: & ſi livore ejus ſanati ſumus, in caſſum collatam mihi ſanitatem invidet falſiloquus livor. Ceterum recte omni definitione concluditur, quod ſi potuit eſſe commentitium, non potuit livere ſimulatum. Sed etiam in hoc prophetæ ſermone evidens geminatæ ſubſtantiæ proprietas invenitur. *Vere*, inquit, *languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*. Duo ſunt iſta, quorum aut Deus ſolus, aut homo ſolus, utrumque non fecerit, ſed unum Deus, aliud poſſit homo. Dicendo autem propheta, Ipſe languores tulit, ipſe dolores portavit, unum evidenter expreſſit, qui ex divinitate conſtaret & corpore. Languores enim, quos Adæ ſauciata progenies ex vulnere corruptæ originis attrahebat, ille ſolus ſanavit, qui ſanum ante condiderat. Dolores vero noſtros portavit, qui deſudare prælia paſſionis, niſi cruciatibus ac labore, non potuit. Quocirca quod in natura malum habuimus, tulit Deus: quod in corpore malum patimur, pertulit Chriſtus. Unde reſpiciendum eſt hic, quantum Eutychiani [a] Bonoſiacis baratro profundiore merguntur. Illi Chriſto divinitatis honorem tantummodo adimunt, iſti & corporis veritatem. Photinus hominis perſonam nos adorare deridet, hic nebulam. An forte hæretici hujus ipſius illuſionis exordium ab ipſis in Chriſto ſacræ nativitatis crepundiis ordiuntur, ac perinde falſum erit, quod jacuit in pannis, quod apparuit Magis, quod planxit in cunis? Taceo reliquos in ſuccidua ætate profectus, quibus divinam pariter humanamque naturam complectens, laſſitudinem refectio pertulit, conſolatio lacrymas effudit, lux dormivit, panis eſuriit, fons ſitivit. Taceo planctum illum, (Joan. 11.) quem ſuper defunctum Lazarum habuit, antequam effectu reſuſcitandi oſtenderet Deum præmiſiſſe humanæ conditionis affectum. Quod ſi in dubium vocatur qui tanta præſtitit, neceſſe eſt ut ambigua incipiant eſſe quæ geſſit: ac perinde falſo ſe putat ſanatum paralyticus, claudus erectum, circumſcribendus ſolis radius, quem cæcus ab utero poſt nativi carceris tenebras intuetur. aut hoc phantaſmate Lazarus ipſe deluſus eſt, ut cum inter mortuos dormiret; jam reſurrexiſſe ſe crederet. Quod ſi hæc omnia vera eſſe recipiunt, & ſolius paſſionis injuriis contradicunt; reſpondeant ubi tunc fuerit filius virginis, cum umbram tenui nube fallentem pro ſe offerens, quem pro nobis putamus offerri, vana ſui ſpecie & perſequentes falleret & fideles. Patrem quoque faciens hac illuſione mendacem, de quo Apoſtolus ait, quod *filio ſuo non* (Rom. 8. 32.) *pepercit, ſed pro nobis tradidit illum*. Quem filium, ſi non verum, quomodo tradidit, ſi conluſit? qualiter non pepercit, ſi dolere prohibuit? vel certe, qua Dominus noſter morte finitus ſit, qui non potuit non aliquantulam mortem pro matris mortalitate debere, ſoluturus conditionem obeundi legitimam, ſed corruptionem pro reſurgendi inſtantia non viſurus? Quam legem utriuſque naturæ ſignificavit fel iſtud, quod guſtatum noluit bibere, dum mortem, quam ex Adam parente omnes debemus, pro divinitate noluit bibere, ſed debuit pro diſpenſatione guſtare. At vero cum factum eſt quod Apoſtolus dixit, quod *reſurgens Chriſtus jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur*, (Rom. 6.) audeat nunc, ſi quid valet hæreticus, aut Chriſtum ſine Deo, aut ſine homine Deum confiteri. Abſuerat ſanctus Thomas, cum reverſus Salvator a mortuis (Joan. 20.) præſentia viſibili præſtolantium diſcipulorum vota repararet, & vacillantem quodammodo fidem ſuorum revaleſcens a mortuis vita componeret. Referunt ergo diſcipuli Dominum ſe vidiſſe. Negat ille ſe credere, nec ſe adhibiturum ullatenus fidem promittit, niſi contemplatione percepta. Tranſacto temporis intervallo, ſuperveniens ſecundo Jeſus, ſed jam omnibus ſimul, pacis ſalutatione præmiſſa, arguit increpatione mitiſſima cunctantis Apoſtoli tarditatem: & jubente Domino, ne adhuc parum ſit quod viſus judicat, fidem tactus explorat. *Infer*, inquit, *digitum tuum in latus meum, & noli eſſe ambigens, ſed fidelis*. (Joan. 20. 27.) qui utique inexcuſabiliter jam perſeverabis incredulus, cum palpando reddaris expertus. Scrutatur ille digito veſtigia paſſionis. Permanebat ut inflictum fuerat medicum vulnus, & hiulcum tranſpuncti lateris aditum felici indicio vitalis plaga ſervabat. Tunc demum in ſemetipſum reverſus, & ſancto illuminatus corpore, *Deus meus*, inquit, *& Dominus meus*. Quid rogo ſacer Apoſtolus de cæleſtibus intellexit in carne? quid curioſæ manus attactu divinum ſenſit in vulnere? niſi quia jampridem didicerat, Chriſtum ſine Deo eſſe non poſſe, & hæc ipſa vulnera quæ palpabat, prævaluiſſe quidem homini, ſed ceſſiſſe victori: tamen nec afficere morte niſi hominem, nec vinci a Deo niſi reſuſcitante potuerunt. Hic itaque, magno miraculorum ſtupore concluſi, cum audiunt Dominum noſtrum recepti corporis ſitu, viſibilem oculis, digitiſque palpabilem, locum quo Apoſtoli conſuerant clauſis foribus introiſſe, ad familiare commentum afferendi phantaſmatis, & per fallaces inanium nebularum fraude præſtigias, illuſos humanæ caliginis queruntur obtutus. Sentiunt enim in facti magnitudine quiddam divinum, vigoremque illius ſubtilitatis, quo foribus obſeratis penetrale ſecretum ſine aditu corpus intraverit, ne cogantur facere mirificum, comminiſcuntur incertum. Quod videte ad quantam ſpectet divinitatis injuriam, ſi veritatis magiſter, qui nobis etiam verborum mendacia interdicit, ipſe factis credatur potuiſſe mentiri. Proculdubio enim mendacii genus foret, ſi quod ipſe non fuerit ſe credi a ſuis velit, & putaretur factum a Chriſto, quod non licet facere Chriſtiano. Qui ad cognoſcendam myſterii diſpenſationem & viſu inſtructus, quod ſufficit ſano, & tactu convictus eſt, quod additur cæco: Sed caret remedio ſponte petita debilitas. quicquid libet medicaminis oculis lippientibus imponatur, curari non poteſt qui cæcatus ire delectat. Aut quis in tali obſtinatione uſus oculorum eſt, qui verum eſſe renuit quod annuit viſum? quaſi non minus ſit Deum penetraſſe concluſa, quam homini patuiſſe cæleſtia. qui tamen ſuis poſt reſurrectionem ſæpe teſtatus eſt: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*. (Luc. 24. 39.) Quid Eutychi tam clauſum? quid contra phantaſmata tam apertum? velut ſi di-

a *Bonoſiacis*.) Bonoſus Naiſſitanæ in Dacia ſedis, ut noſtra eſt conjectura, Epiſcopus, catholicam deſerens, ad eorum tranſiit hæreſim, qui Photini venena ſectabantur, & Chriſtum Deum negabant, hominem tantum prædicantes. Bonoſiacos ejus diſcipulos vocant etiam Concilia Arelatenſe II. & Aurelianenſe III. Gregorius vero magnus Bonoſianos libro IX. epiſtola LXI. ad Quirinum, & alios Epiſcopos Hiberniæ.

cat , molem oſſium carniumque ſpecies ventura A
non recipit. Noluit ſe, vel ſolum quemlibet vi-
rum , hoc eſt ſine corpore, ſpiritum dici : ſed
ut talem recognoſcatis in judicio , qualem re-
diſſe conſpicitis e ſepulcro. Unde jam poſt paſ-
ſionis certamina triumphator nihil quidem ha-
buit , quod mundanum indigentia redivivi cor-
poris poſtularet . Non illi quippe aut fames ci-
bum , aut potum ſitis, aut requiem labor, aut
ſomnum popoſcit operatio. Quæ omnia non ſo-
lum in capite noſtro, quod eſt Chriſtus , exi-
gua illa parvi temporis morte decocta ſunt: ſed
etiam in nobis ſic uſque ad obitum valebunt ,
quod reſurrectione finientur . & tamen , ut di-
cere cœperam, cum membra illa dominica, nul-
li jam indigentiæ obnoxia tenerentur , ad ſu-
ſpicionem phantaſmatis ſuorum cordibus exi- B
mendam , cum Apoſtolis viſus eſt , cibum juſſit
apponi , quibus conveſci commiſſa benedictione
dignatus eſt. Quod faciebant illi adhuc pro re-
demptione corporis , fecit bonus magiſter pro
teſtimonio veritatis . Niſi forſitan dicat phan-
taſmatis prædicator , caliginem illam , membro-
rum ſpeciem ſeductricem, quæ apponebantur aſ-
ſumere , nec eſcam illam pignoris ſancti in do-
minicum corpus ſine onere corruptionis intra-
re , ſed inanem ventrem incerti eſus gravare
ponderibus. Quem certe paſtum fallens imago ,
aut futura eſt ſi ſubripuit , aut non eſt aeria ,
ſi comedit . Scio tamen , quod non alter quam
Chriſtus , inter ſuprema cibi illius monimenta C
Luc.24.44. teſtatur , *Quia oportet impleri omnia quæ ſcri-
pta ſunt in Lege , & Prophetis, & Pſalmis de
me*. Et nos pauca exemplorum quærimus , cum
ille omnino Scripturam in ſua dicat unitate
Ibid. 5. compleri . *Et poſt hæc*, inquit , *cum benediceret
ſuos, ferebatur in cælum* . Recede procul Euty-
ches, cum præſtigiis quas animo concepiſti . So-
lus hac benedictione careat, qui ſe a phanta-
ſmate aut benedici lætatur , aut redimi . Inte-
rim ferebatur in cælum filius hominis, qui erat
in cælo dudum præſcientia , nunc natura . Nec
aliquo Angelicæ manus auxilio, quanquam por-
tari dicatur, indiguit: ſed ferebat matris filium
filius patris : ibat quod Deus erat , quod ho-
mo ferebatur . Patebat redeunti porta cæleſtis ,
& Deum ſuum cum acceſſu corporis reverten-
tem originalis patriæ claritas invitabat . Quo D
Act. 1. 10. recepto , *duo* , inquit , *Angeli adſtiterunt*, Apo-
ſtolis ſic loquentes, *Viri Galilæi*, *Jeſus hic*, *qui
receptus eſt a vobis*, id eſt , quem in ſede Pa-
ter, ſeu quem vos recepiſtis in fide , *ſic veniet*,
quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum .
Habent ergo in hoc ſermone quod ſperent qui-
bus phantaſma videtur eſſe quod geſtum eſt , ſi
ſic veniet quomodo vidiſtis eum euntem in cæ-
lum . Ubi videbunt catholici quem ambiunt ,
adverſarii quem confixerunt. ubi ad eadem cla-
vorum veſtigia quæ cernuntur , vel illos ignes
Eutyches ſimulatos putare deſinat , quibus poſt
phantaſmatis fumum fera pœnitudine perpetuo
torris ardebit . Ad cujus priſtinum dogma de-
notandum , vel corrigendos aliquantiſper , ſicut
optandum eſt , ſectatores , pauca hæc dixiſſe
ſufficiat: ut ex ſimilitudine teſtimoniorum quæ
poſuimus , etiam ipſi ſibi neceſſarie numeroſiora
perquirant . Quod ſi forte priſtino ſceleri dog-
matis ſui , aut infidelitatis perſeverantiam ſer-
vant, aut aliquid novæ molitionis accumulant:
ſiquidem peculiaris errantibus mos eſt , in ob-
ſtinatione perverſa ſemper dicere velle quo pe-
reant: dabit Deus, ut juſſu veſtro , meoque fa-
mulatu , pravitas quæ adhuc augmento accen-
ditur, uno , & ſemper æquali ſcripturarum cæ-
leſtium magiſterio propulſetur.

EPISTOLA IV.

*Avitus Viennenſis Epiſcopus Domno
Gundobado Regi.*

SCiſcitatio veſtra plena religionis atque pie-
tatis eſt . Sed quia inquiſitione propoſita ,
conſultoris vel reſpondentis nomina præmiſiſtis,
ſuggerendum puto , fuiſſe in Africa quendam
Fauſtum [a] Epiſcopum ſecta Manichæum , opu- a
ſculorum quorumpiam conditorem, execrabilium
ſane, & in nonnullis etiam ſermone turpiſſimo-
rum . Hic autem , quantum ad frontem perti-
net, quaſi abſtinentiſſimam vitam profeſſus , &
non ſecretam crucem , ſed publicam vanitatem
jactantia ventoſi tumoris exaggerans, quantum
potuit , auditoribus venenatam diſputationem
velut indeclinabilis virtutum ſervator indixit .
Et quia legiſtis , conſulenti cuidam Paulino
Burdegalenſi , ab Epiſcopo ſupradicti nominis
fuiſſe reſponſum: cujus temporibus Paulinus qui-
dam , Deus viderit utrum is quem memoratis ,
tamen perinde Burdegalenſis , non pauca ſtylo
catholico & irreprehenſibili fide conſcripſit :
præfati hæretici mentionem idcirco præmiſi, ne
Manichæi ipſius Fauſti opus infauſtum , vel al-
terum, quem etiam gloria veſtra noverat, ortu
Britannum , habitaculo Regienſem , titulo no-
minis accuſaret : ſimul & qui aut conſulere ſu-
pra ambiguo quæſtionum , aut dignus reſcripto
poſteris reſervando potuerit inveniri. Cujuſlibet
tamen eorum in manus veſtras dicta pervene-
rint , ſancte , ſollicite , regie vos moverunt .
[b] Pœnitentiam , quam proprie momentaneam b
nominaſtis; id eſt in ægritudine quaſi ſub mo-
mento mortis acceptam , nihil aut nulli prodeſ-
ſe , adverſa veritati & admodum cruda definitio
eſt. Apud divinam quippe miſericordiam vel ipſa
humilitas confitentis dici non debet fructu ca-
rere . Quia cum legimus , quod qualitate vitæ
anterioris abolita , quia plerumque contingit &
peccare juſtos , & reſipiſcere peccatores, in ea
quis via judicetur , qua obitus ſui tempore fue-
rit deprehenſus , incunctanter credenda eſt vel

a *Fauſtum Epiſcopum ſecta Manichæum*) Adverſus quem extant libri ſancti Auguſtini, cujuſque in aliis ejuſdem operibus frequens mentio . Ceterum & Paulini ad Fauſtum epiſtola, & Fauſti ad ejus quæſita reſponſio, quæ nunc inter Fauſti Regienſis opera leguntur, quo de Fauſto hic agatur ambigi non ſinunt . Britannum hunc ortu fuiſſe docet Avitus. quod non de Inſulanis , ſed de Armoricis Britannis accipiendum monuimus in Notis ad epiſtolam Facundi ad Mutianum Scholaſticum. Paulinus hic autem Burdegalenſis, qui ad Fauſtum ſcribit , cum de Paulino Epiſcopo Nolano accipi nequeat , de Paulino Euchariſtici auctore intelligendus videtur, qui & ipſe ortu Burdegalenſis fuit, & Maſſiliæ larem relicta patria cum fixiſſet , Fauſti Reienſis conſuetudine uti potuit .

b *Pœnitentiam quam proprie momentaneam nominis*) Momentaneam Fauſtus quoque appellarat . Paulinus ſubitam. *Percunctator*, inquit , *accedo*. *Sum peccatis carnalibus involutus , omnia quæcumque poteſt crimino ſus exerceo . cum diem humanæ ſortis implevero , pœnitentiam ſubitam*

ipſa correctionis voluntas placere , ſi vera ſit .
Sed totum apud cæleſtem clementiam fidei qua-
litate penſatur . Unde & inter illos operarios,
Matth. 20. quos in Evangelio legitis eſſe conductos, pro de-
votionis ardore, mercedem prioribus exæquatam
etiam qui tardius venerant ſortiuntur . Sicut &
Ninivitarum breviſſima pœnitudo, omnem indul-
gentiæ ſummam triduo ſervente mercata , gla-
dium peccatricis urbis cervicibus imminentem ,
Jonæ 3. quem jam ictui deſtinato per manum Jonæ prophe-
tæ dies ſtatuta vibraverat, repagulo conſonæ ſa-
tisfactionis obtudit. Contradicant autem exem-
plis hujuſmodi , quos verius reddit appetita ſu-
perbia turgidos , quam conſcientia illibata ſecu-
ros . Hoc tamen loco quid ſæpe doleam , quia
fandi licentiam dignamini præſtare , confiteor.
Contriſtamur nonnunquam in hac noſtrorum fa-
cilitate, quod rem tam pretioſam pro levi acci-
pere grave diſcrimen eſt . Cum enim videntur
pœnitentiam precibus ac lacrymis poſcere , im-
pium dicimus denegare . Sin igitur contingat
interdum , ut acceptam quicumque pœniten-
tiam , ſi ſanitatem corporis recipit , aut negli-
2. Pet. 2. gat, aut factus ſit, ut Apoſtolus ait, canis re-
verſus in vomitum, qui veniabilius onerabatur
fragilitate peccati, plectibilius opprimetur abu-
ſione remedii . & dicetur illud , quod Ananiæ
Act. 5. 4. in Actibus Apoſtolorum : *Nonne manens tibi
manſerat , & de promittendo in tua poteſtate
pendebat ? Melius eſt autem* , ut ait Propheta ,
Eccleſ. 5.4. *non vovere quam vovere & non reddere*. Unde
contraxit conſuetudo ſermonis, ut donec quiſque
noſtrum votum compleat , voti reus dicatur .
Quocirca fateor, in neceſſitate poſitis non ſine
metu dari debere pœnitentiam. quos ſi abſque
a capitalibus culpis , [a] in uſu conjugalis copulæ
dies ſuprema reperiat , utpote rem licitam præ-
ſumentes, nec damnatione dignos putamus, nec
a ſacrificio commemorationis excludimus. E con-
tra , ſi profeſſam compunctionem ſæculo retra-
hente vacuaverint , quaſi jam apoſtatas , id eſt
ab ſtandi firmitate deciduos , neceſſe eſt a com-
munione ſuſpendi: cum melius ſit manere intra
quantulamcumque ſalutem humilitate medio-
crium , quam ipſam ſalutem ex toto deſtrui
violatione ſummorum: & tutius inveniatur cum
honeſtate in matrimonio vivere , quam caſtitate
mentita illicitis licita maculare . Quod prævi-
1.Tim.5.12. dens Apoſtolus, & viduas, quæ primam fidem
irritam fecerint, majorem damnationem denun-
tians ſubituras , perſonas legitimi atque irre-
prehenſibilis tori pace devinctas , vacare oratio-
ni ad tempus, ac rurſus in idipſum regredi ſinit :
1. Cor. 7. 5. ne Satanas, inquit, per incontinentiam illorum,
tentet in promiſſione perfidos , quos in carne
non vicerat conjugatos . In ſecunda quoque

A quæſtione, quod negamus eſt, [b] fidem ſolam ho- b
mini prodeſſe non poſſe, hoc minime probo: ne-
que ab illorum parte profiteor , qui , ſicut ait
Dominus , grave ſuper humeros diſcipulorum
pondus imponunt , quod ipſi tamen uno digito
movere detrectant . Propter quod , tam rigidam
de fide ſententiam , aut extraneus potuit præ-
ſumere , aut noſter debuit temperare . Quod ſi
dignanter admittitis, conjectura breviter exem-
pliſque pateſaciam . Fidem eſſe omnium bono-
rum ſpiritualium fundamentum , per hanc pri-
mitus informata Chriſtianorum rudimenta te-
ſtantur. Nam ſi baptizatus , aut etiam transla-
B tus ab hæreſi qualibet parvulus , vel forſitan æ-
vo longiore provectus, celeri poſt lavacrum ſine
rapiatur, nec ipſe operis jactitator abnuerit, ho-
minem ſola fide ſalvatum . Extra quam quod
nihil quælibet bonæ profuerint actiones , de ſæ-
culi philoſophis æſtimemus : quos contemptores
mundi , amatoreſque ſapientiæ , caſtitate propo-
ſita, facultate deſpecta, quicquid hodie catholi-
ci prædicamus , quia fides defuit , non profuit
operatos. Adeo machina vanitatis , nutabundis
exculta faſtigiis, quia ſine fundamento ſurrexit,
per ſe ſola conſtare non potuit . Quid ſi nunc
diverſorum in Scripturis cæleſtibus fidem rete-
xam, quam ſemper deſiderii compotem reddidit
C laudata credulitas? Abraham quod ſolum credi- Rom. 4. 3.
dit Deo reputatum eſt illi ad juſtitiam. Raab Joſ. 2. 3.
meretrix vitam præteritam proſtitutione ſor-
dentem , Iſraelitarum populum per fidem præ-
ſtolata purgavit . Sic illa Evangelii Cananitis , Matth. 15.
quanquam repulſa convitio , dari tamen catulis
ſuis filiorum panem perſeverantia petitionis eli-
cuit. Alia fluxum carnalitatis obſcenæ tactu Matt. 9.20.
fideliter medente reſtrinxit . Suadetur tamen &
bonorum operum jungenda devotio , quam ne-
gligere non pertinet ad fidelem . Sed cum di-
cat Apoſtolus, *quicquid non eſt ex fide peccatum* Rom.14.23.
D *eſt* , videtis ipſam quoque quam rectam credi-
mus operationem , niſi fidei ſuffragio fulciatur ,
in peccatum poſſe mutari . Expertus eſt hoc ni-
mirum Phariſæus ille in Evangelio , qui gratias Luc. 18.
ſe referre , quod non eſſet ſicut ceteri homines,
raptores, injuſti, adulteri , eleemoſynas ſubinde
facere, bis in Sabbato jejunare, tumido ac reſu-
pino pectore jactitabat : cum Publicanus, fronte
cernuus, fide rectus merita bonorum ſola humi-
litate præripiens, domum ſuam, de qua non ju-
ſtus exierat , juſtificatus intraret . Quid plura
commemorem? adhuc unum patienter accipite .
Latro ille , cujus aſſuetum ſceleribus corpus ,
juxta crucem dominicæ puritatis , ſervili pa-
tibulo criminum vindicta ſuſpenderat , ſentiens
in morientis Chriſti corpore majeſtatem , pro
præmiſſa crudelitate addictus ſupplicio , pro

ſum conſecutus . ſi excludat pro parte peccatum , an ad integrum , opto cognoſcere. Hanc Fauſtus inutilem eſſe reſpondit. Quod falſo dici docet Avitus, & ante Avitum in eadem Galliæ Provincia docuerat Gennadius Maſſilienſis Eccleſiaſticorum dogmatum cap. XLVIII. *Pœnitentia*, inquit, *aboleri peccata indubitanter credimus . etiamſi in ultimo vitæ ſpiritu admiſſorum pœniteat , & publica lamentatione peccata prodantur , quia propoſitum Dei , quo decrevit ſalvare quod perierat , ſtat immobile . Et ideo quia voluntas ejus non mutatur , ſive emendatione vitæ , ſi tempus conceditur , ſive ſupplici confeſſione , ſi continuo vita exceditur , venia peccatorum fideliter præſumitur ab illo , qui non vult mortem peccatoris , ſed ut convertatur a perditione pœnitendo , & ſalvatus miſeratione Domini vivat . Si quis aliter de juſtiſſima Dei pietate ſentit , non Chriſtianus ſed Novatianus eſt .*

a *In uſu conjugalis copulæ*) Conjugium opponit pœnitentiæ , quia pœnitentia profeſſi abſtinebant a conjugio . Unde & conjugatis , niſi ex mutuo conſenſu , pœnitentiam dari Concilia vetant , Arelatenſe II. can. XXII. & Aurelianenſe III. can. XXIV.

b *Fidem ſolam homini non prodeſſe*) Quod Paulino reſponderat Fauſtus, fidem nudam meritis ad ſalutem non proficere , de iis videlicet affirmabat qui adultam ad ætatem perveniunt . Avitus autem contra illum ſic diſputat , quaſi etiam parvulos comprehendat. quod abhorret a Fauſti ſententia , qui utroſque diſtinguit , & apud Deum diſtingui docet libro 1. de gratia & libero arbitrio cap. VII. *Fidem* , inquit , *expectat a parvulis , opera cum fide a conſummatis requirit* . Neque aliter accipiendus S. Auguſtinus , cum iis reſpondens, qui ſine fide non poſſe, ſine operibus autem poſſe perveniri dicerent ad æternam vitam , fidem ipſe ſolam non ſufficere ad ſalutem , ſed opera cum fide requiri docet in libro de fide & operibus . De iis enim ſermo eſt , qui grandiores fiunt poſt baptiſmum .

BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE VITTORIO EMANUELE

ſubſecuta confeſſione additus paradiſo, per injuſtum deductus eſt ævum, ut de juſta raperet morte martyrium. Ecce ſunt virtutes ex fide: oſtendat quiſque, ſi poteſt, ſine fide virtutem.

Matt. 13. 31. Luc. 13. 19. Dominus in Evangelio exiguitatem fidei, grano ſinapis comparatam, quæcumque voluerit valituram promittit. Sic fit ut, cum opera ſine fide poſſint eſſe, fides ſine operibus eſſe non poſſit. quia ſi corde credatur ad juſtitiam, & ore fiat confeſſio ad ſalutem. Apud ſenſum Spiritus ſancti, promiſſiones ſequentem, principium eſt boni operis integre credidiſſe: ſi tamen, ut Apoſtolus ait, ipſe ſpiritus teſtimonium reddat ſpiritui noſtro: non, ut ſuper audiſtis aſſertum, qui creatura nobis, ſed qui creator inſuſus, auctor & teſtis eſt noſtri ſpiritus, non natura. Ecce ad epiſtolam Fauſti Epiſcopi, nec intereſt cujus, quæ veritati arbitror convenire ſuggeſſi. Mihi & eis quorum ſalutem ſitio, fidei plenitudo donetur: illis opera ſua, ſi fide fuerint vivificata, ſufficient.

Epistola V.

a *Avitus Viennenſis Epiſcopus* [a] *Domno Gundobado Regi.*

SI gratiam priſcæ pietatis expertus, rite artificium ſanctæ dignationis interpretor, ad conſolandum me, dominos & conſervos meos ſacerdotes vobis jubentibus puto veniſſe. Quod ecce ſub divino teſtimonio loquar, pro debiti famulatus reverentia præcelſiſſimo Domno dependere non præſumpſi. Virtuti enim veſtræ derogat, ſi quis ſuper caſu qui contigit, conſolationis aliquid ſcripto verboque ſuggeſſerit. Neque porro cadet in regiam quidem, ſed philoſophicam mentem mœroris abjectio. Laceſſivit, verum eſt, cunctorum lacrymas amor veſter. Sed ſi ambienti ſæculo ſalus veſtra conceditur, parum eſt quod perdidit unum pignus omnium pater. Temporalis luctus eſt, ubi tam innocens quis obiit, cujus mortem nullus putavit. Judicet unuſquiſque quod ſentit, nihil unquam veſtris temporibus contingere poteſt, quod non ſemper arbitrer profuiſſe. Unde nihil hic caſuale præſumo, nihil aſperum. Ordinavit hunc potius occulta diſpenſatio, quam inflixit, angorem. [b] Flebatis quondam pietate ineffabili funera germanorum, ſequebatur fletum publicum univerſitatis afflictio, & occulto divinitatis intuitu, inſtrumenta mœſtitiæ parabantur ad gaudium. Minuebat regni felicitas numerum regalium perſonarum, & hoc ſolum ſervabatur mundo, quod ſufficiebat imperio. Illic repoſitum eſt quicquid proſperum fuit catholicæ veritati. Et neſciebamus illud tunc frangi tantummodo, quod deinceps neſciret inflecti. Aut quid de fraterna ſorte dicamus? Ipſe quem vocitari parvum veſtra natura circumdedit, bonis veſtris abſque omni malitia militavit, cum ſerviret vobis neſcientibus periculum gentis, cum futuram pacem diſponeret turbatio regionis. Experto credite, quicquid hic nocuit, hic profecit: quicquid tunc flevimus, nunc amamus. Non valentibus iſta præſcire poteſt equidem durum videri, vicinam thalamis virginem tædio incumbente præreptam. quæ tamen ambita eſt ut regina, defuncta eſt incontaminata. Quanquam revera majorem cauſam luctus ſui reliquiſſe dixerim, ſi diem ultimum poſt recentia vota clauſiſſet. Ibi enim forte potuerit inveniri, ubi mihi poſt invidiæ nodum, inſultationis dentem fixiſſet æmulus livor. At vero nunc, quæ mens tam barbara non miſereatur virginitatem felicitatemque in paterno regioque ſinu receptam? Nec mutavit ſedem, nec contigit peregrinationem: ubi non diu eſſe potuit domina, nec breviter extitit peregrina. Unde cum lætitiam veſtram, quaſi ſerenitatem cæli, expectet univerſitas, reddite vos gaudiis populorum: quia nunquam reſpublica orphanitatis incurrit perniciem, quandiu ſuſtentantibus vobis mater Eccleſia non ſenſerit orbitatem.

Epistola VI.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [c] *Victorio Epiſcopo.* c

[d] De Hæreticorum oratoriis non recipiendis. d

PEtiſti, immo potius præcepiſti, frater piiſſime, ut datis ad beatitudinem tuam literis indicarem, utrum hæreticorum oratoria, ſive baſilicæ, ad uſus poſſent noſtræ religionis aptari, cum conditores earum ad catholicam ſe legem erroris correctione tranſtulerunt. Digna profecto res, de qua tu conſulis, ſi reſpondendi idoneum reperiſſes. Quia juſſiſti tamen, referabo in ſubditis quid conſequens putem: ea ſcilicet definitione, ut locum ſuccenſendi aliis non reſervem, ſi modo id quod ſtatuendum crediderunt, vel ratione perſpicua, vel prolata de canonicis voluminibus auctoritate confirment. Iſtud, quod de oratoriis vel baſiliculis privatis interrogaſti, perinde ut de Eccleſiis eorum, difficile definitur. Hoc namque ſuadendum eſt catholicis regibus, quod de ſubjectis eorum fuerit conſtitutum. Unde primum quæſo, ſi a principe regionis noſtræ, cujus nobis Deus præſtitit in vera religione conſenſum, fortis ſuæ Antiſtites conſulantur, utrum reſpondere poſſimus, fabricas a patre ſuo hæreticis inſtitutas catholicis debere partibus applicari. Quod ſi aut nos ſuademus, aut

a *Domno Gundobado regi*) Conſolatoria in obitu filiæ, quæ regi deſponſa, & regina mox futura, paternis in ædibus deceſſerat ante nuptias. Quod vero illi vel ſponſo nomen fuerit, non explicat.

b *Flebatis funera germanorum*) Funera fleviſſe ait, quorum auctor ipſe fuerat. Ex tribus enim fratribus, duos Gundobadus principio regni ſuſtulit, Chilpericum Clotildis noſtræ patrem, & Godomarum: cum tertio Godegiſilo regnum partitus, complures annos cum eo regnavit. Tandem & hunc quoque injuria laceſſitus interfecit, ſoluſque deinceps integro regno per ſedecim annos potitus eſt, uſque ad Petri Conſulatum, ſub quo defunctum Gundobadum notat Chronicum Marii, hoc eſt anno Chriſti DXVI.

c *Victorio Epiſcopo*) Gratianopolitano. Hunc enim eſſe arbitror, qui cum Avito ipſo interfuit, & ſubſcripſit Concilio Epaonenſi, atque in vulgatis editionibus Conciliorum Victurius, in codice autem Lugdunenſi Victorius appellatur, ut hoc loco.

d *De hæreticorum oratoriis*) Qui hanc epiſtolam contulerit cum Canone XXXIII. Concilii Epaonenſis, *De Baſilicis hæreticorum*, facile animadvertet, Canonem non ſolum ex mente Aviti, qui præerat Concilio, ſed ipſius quoque verbis conceptum atque expreſſum. Sic enim ſe habet: *Baſilicas hæreticorum, quas tanta execratione habemus exoſas, ut pollutionem earum purgabilem non putemus, ſanctis uſibus applicare deſpicimus.* Diverſa paucis ante annis fuerat ſententia Concilii primi Aurelianenſis, cui Baſilicas Gothorum recipi, & ſimili quo noſtræ innovari ſolent placuit ordine conſecrari. Quod ubique gentium in more uſuque jam olim fuiſſe, tum Græcæ, tum Latinæ paſſim hiſtoriæ declarant.

ille conſentiat, perſecutionem in ſe commotam
hæretici non immerito cauſabuntur, cum ca-
tholicam manſuetudinem calumnias hæreticorum
atque gentilium plus deceat ſuſtinere quam fa-
cere. Quid enim tam durum, quam ſi illi, qui
aperta perverſitate pereunt, de confeſſione ſibi
aut martyrio blandiantur? Et quia poſt nos,
noſtrique regis, Deus tribuat, feliciſſimam lon-
gævitatem, ſiquidem nihil de proceſſu tempo-
rum immutabili credi debet, poterit forſitan hæ-
reticus quicumque regnare, & quicquid perſecu-
tionis Eccleſiis perſoniſque commoverit, non ſe-
ctæ ſuæ ſtudio, ſed ex viciſſitudinis retributio-
ne feciſſe dicetur, & nobis etiam poſt mortem gra-
vandis ad peccatum reputabitur, quicquid fuerit
perpeſſa poſteritas. Et forſitan adjiciet divina
miſeratio, ut proles principis, de quo loqui-
mur, per receptam fidei plenitudinem catholi-
cum ſequatur auctorem. Quid tamen, ſi nunc
quiſquam de vicinis regibus legis alienæ ulciſci
in regione ſua ſimiliter velit, quod hic ſacer-
dotibus ſuis doluerit irrogari? At ſi quis hujuſ-
modi me deridens in hæc verba prorumpat, u-
tar gloria temporis mei, proſpiciat ſtatui ſuo ſub-
ſequens ætas. Sed qui talia ſecum tractat, pau-
liſper mihi redhibeat quam poſtulo rationem, u-
trum hæretici a nobis cum veritate recipi de-
beant. recipiantur: lucidiſſima ſalus eſt, quia
Pſal. 115. 1. ſicut ſcriptum eſt, *Credidi propter quod locutus
ſum*. Præcedit fides locutionem, & ſequitur con-
feſſio credulitatem; & per impoſitionem manus
ſacerdotalis fit pravitatis amiſſio, fidei reddi-
tur plenitudo. Res autem inſenſibilis, quæ pri-
mum innovata polluitur, ignorare me fateor
qua deinceps ſanctificatione purgetur. Dico cer-
te, ſi poteſt pollutum ab hæreticis altare ſacra-
ri, poſſe & panem, qui ſuper illum poſitus eſt,
ad ſacrificia noſtra transferri. Idem primitus
hæreticus conditor fecit. Tranſit ad repromiſſio-
nem divinam: libertate gaudens dimittat Ægy-
ptum. Ad fidem rectam felici mutatione tranſ-
migrans, relinquit potius maculam, quam attra-
hat. cum aliquid non legitimum impurgabili er-
rori, gravant magis polluta contactum, quam ca-
piant a tangente remedium. Unde & in Aggæo
Agg. 2. 12. propheta: *Hæc dicit Dominus exercituum, inter-
roga ſacerdotes legis dicens: Si ſuſtulerit homo
carnem ſanctificatam, & tetigerit de ſummitate
ejus panem, aut quodcumque aliquid, nunquid
ſanctificabitur? Reſpondentes autem ſacerdotes di-
xerunt, Non. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pol-
lutus ex omnibus his, nunquid contaminabitur? id
eſt ille panis, qui dudum ſanctus extiterat: & di-
xerunt ſacerdotes, Contaminabitur*. Quapropter
coniciendum eſt, ſi poteſt ille panis in his altari-
bus conſecrari, quem ſi conſecratus panis teti-
gerit, redditur inquinatus. Malachias quoque
Mal. 1. 8. propheta ſic dicit: *Si offeratis cæcum ad immo-
landum, nonne malum eſt? & ſi offeratis clau-
dum, nonne malum eſt?* & paulo poſt: *Maledictus*,
inquit, *doloſus, qui habet in grege ſuo maſcu-*
Ibid. 14. *lum, & votum faciens immolat debile Domino*.
Quid hoc judicio ſincerius? quid tali auctorita-
te manifeſtius! Fabrica, quam iterata cupis in-
novatione præſumere, ſi ſana eſt, quid benedi-
citur? ſi languida, cur offertur? Quantumcum-
que munera a malis oblata in bonum trahere
concupiſcas, ſequi te ad ſanctitatem clauda non
2. Cor. 11. 2. poterunt. Dicit Apoſtolus, ſuſcepiſſe *viro vir-
ginem caſtam exhibere Chriſto*, id eſt Eccleſiam.
Eccleſia porro, quæ hæreticorum fuit, etſi licet
meliori nubere, non erat virgo. Cur ergo appe-
tat ſacerdos illicitam, qui prorſus a contactu re-

A pudiatæ ac viduæ prohibetur! Poſt inceſti nexum
fera conjunctio eſt. *Qui ſociatur*, inquit, *mere-* 1. Cor. 6. 15.
*trici, unum corpus efficitur. nec tollam membra
Chriſti, & faciam membra meretricis*. Vide ſi
poſſit junctis ſibi Chriſti membris meretrix redin-
tegrari, in cujus corpus unita Chriſti, id eſt Chri-
ſtiani, per pollutionem membra vertuntur. Un-
de & alio loco Apoſtolus dicit, talem ſe Eccleſiam Epheſ. 5. 27.
velle, quæ non habeat maculam, aut rugam,
aut aliquid hujuſmodi. Nunquid ullo pacto po-
terit iſtud de hæreticorum fabricis dici? Benedi-
ctio, quæ rebus ſenſu carentibus ac pollutis im-
penditur, nec purgat maculam, nec explicat ru-
gam. Immo magis, ſi paulo attentius intue-
B mur, caret macula quod ſymbolum eſt novita-
te rugoſum. Porro quod iteratione duplicatum
eſt, ruga tegitur. talem nequaquam ſancta ſin-
ceritas, & Adam veterem exuens, novo quod
offertur homini comparetur. Quam novitatem
nobis auctoritas Teſtamenti novi Evangeliorum Matt. 19. 30.
voce commendat. Unde etiam ipſe ſibi Domi-
nus ſterni pullum præcepit, cui ante ipſum nul-
lus inſederat: quem totius ſæcularis uſus exper-
tem, feliciter redderent non impoſita flagella
ſubditum, ſed exordia ſancta manſuetum. Et
ut ipſum quoque dominicæ mortis myſterium Luc. 27. 60.
novitatis honore non careat, in monumento
novo, quod in petra exciſum eſt, redemptricem
noſtram dominicam carnem legimus quieviſſe.
C Quis ergo mihi perſuadere conetur, poſt errores
funerum ſepulcrum poſſe mundari? quamvis pu-
tredinis humore ſiccato, conſumptis jam carni-
bus, albis tumulis attollantur, remanet immun-
ditia recordatione, etiamſi abeſſe putetur aſpe-
ctu. Expuliſti quidem morticinum dogmatis alie-
ni, & fortitudinem ejus emortuam de ſepulcro
ſuo, quaſi oſſa honore carentia projeciſti. Sed
puto quod imponi in fœtores ſacri corporis mem-
bra non debeant. Et dices forſitan, hæreticos,
ſi eis poteſtas detur, altaria noſtra temerare.
Verum eſt, nec refello. Sæviunt quidem cum poſ-
ſunt fœdis unguibus alienarum ædium pervaſores.
Sed vim intendere, loca pervadere, altaria com-
mutare, non pertinet ad columbam. Specialius
D ergo fugiendum, quod licere ſibi hæreticus putat.
Ab exemplo magis vitare convenit quod hoſtis
amplectitur. Nec mirum eſt, ſi dedicationes ge-
minare audeant, qui baptiſmata confrequentant.
Quod circa non quid ſtatuam, ſed quid optem bre-
viter indicavi. Hæretici cultus loca pervadi nol-
lem, cuperem prætermitti in morem ergaſtulo-
rum. Semper optandum eſt, non ut mutata tran-
ſeant, ſed inſrequentata torpeſcant. Salubri po-
pulorum correctione deſertis maneat æterna vidui-
tas: nec unquam recipiatur a noſtris, quod con-
verſionis ſtudio repudiatur a propriis. De mini-
ſteriis hæreticorum quæ illis ſacra, nobis exe-
crabilia judicantur, id eſt patenis pateriſque,
E quia quid cenſeam perinde reſcribere me juſ-
ſti, validæ quidem obſervationis exemplum eſt,
quod legitur in Heptatycho, de thuribulis pec- Num. 16.
catorum, qui ignem illicitum præſumentes, in-
cendio temporalis gehennæ æternam ſignante con-
ſumpti ſunt. Jacebant namque cineri pruniſ-
que permixta, ad mortuorum judicium, terro-
remque viventium, vaſa quæ diximus, & odo-
ribus thuris aſſueta, abominabilem immunditiam
perverſi uſus fœtore contraxerant. Tunc duci
legifero conſulenti præceptum eſt ſermone divi-
no, ut hæc infuſa fornacibus, & diſtenta per
laminas, ſacro altari affigeret. Vides ergo,
quod illic pariter erudimur, uſum execrabilem
metallorum, ad bonum, ſi ignibus careat, non

poſſe transferri. Adeo ad catholicam compara- A tionem hoc præſtat metallis ignis, quod ſenſibus fides. Unde & in Pſalmo propheta ſic o-
Pſal. 25. 2. rat: *Ure renes meos, & cor meum.* Reprehendat certe quiſpiam; pro ſenſus ſui diſcretione, quod ſentio. Fateor miniſteriis illis minime delectari, quæ ſuperioris Galliæ partibus ad Eccleſias legis noſtræ captiva venerunt: quæque nil voluntarium, nil innocens præferentia, ſi dolentibus rapiantur, offerentibus prodeſſe non poterunt. Cur mihi dicat victor, quod altaribus tuis exhibeo, quo quolibet ordine meo factum,
Prov. 3. 9. ſi jubetur, *Honora Dominum de tuis juſtis laboribus*? Parum eſt de laboribus, niſi de tuis: B parum eſt de tuis, niſi de juſtis. Nunquam oblata pronuntiem, quæ antequam offerrentur, ablata ſunt. Sed talia ſemper munera gratulor ſanctis altaribus ſuperponi, qualiter religioſe ſi non ſolum proprie, quia eis ſua videtur ubicumque catholica eſt. Cur de theſauris ſuis lectiſſima quæque producens, haud omni impendio curat, ut in his quæ ad ſanctum miniſterium pertinebunt, non magis pretioſitas poſſit placere, quam novitas? Orate quod reſtat, ut longo tempore poſt C votorum opes ſibi a Deo creditas, non in ſecretis molibus, ſed in publicis muneribus poſſeſſuras, cum populo ſibi ſubdito gaudens uſibus ſacris ſemper habeat quod donabit,

EPISTOLA VII.

a *Avitus Viennenſis Epiſcopus* [a] *Papæ Conſtantinopolitano.*

D DUm domnus meus, filius veſter, patri-
b cius [b] Sigiſmundus glorioſiſſimum Principem officio legationis expetiit, nobis quoque deferendi ad vos famulatus aditum dupliciter ſancta opportunitate proſpexit. Cum enim, ut præcipuum ſacerdotem, juſto vos deſiderio ſitiremus, adjecit vir illuſtris Laurentius honorem veſtri animis noſtris, indicans apicibus ſuis omne nubilum, quod quietem Orientalium populorum ambiguo caligante fuſcaverat, redintegratæ pacis ſerenitate deterſum; & eam cum Romano Antiſtite vos habere concordiam, quam velut geminos Apoſtolorum principes mundo adſignare conveniat. Quis enim, qui vel catholicus dici poteſt, de tantarum ac talium Eccleſiarum pace non gaudeat, quas velut in cælo poſitum religionis ſignum pro gemino ſidere mundus expectat? Quis non merito delectetur infirmantium reditu, incolumium ſtatu, cum aliis ovibus intra clauſtra ſalvatis, illa quæ vitio errantis arbitrii fuerat evagata, cæleſtibus caulis lætitia plaudente revocatur? Cuſtodite igitur, quaſi patres, traditam vobis etiam ſuper nos Eccleſiæ diſciplinam. Concordiæ veſtræ tantum opus eſt magiſterio, quantum & exemplo. Quam caritatem populis ſuadebimus, ſi hanc in noſtris rectoribus neſciamus? quid in corpore firmum videri poterit, quid nutat in vertice mancum? Ergo piam redeuntibus date, ne quis intentione pereat, prædicationem. Proſpicite ne ſpeculata ſigna tam fera beſtia populetur, ſi ab unitate ſenſus veſtri Roma diſſultet. Memores vero noſtri, quia ſi ſuper diſſenſionem veſtram ſol occidat, damnum Orientis eſt, proſperrimum quem ſupra dixi nuntium per fideliſſimum virum ad notitiam noſtram firmate reſcripto: ut expectans occidentalis Eccleſia in ſermonibus veſtris donum cæleſtis oraculi, quod ſe lætatur accepiſſe per condiſcipulum, multiplicari ſibi gaudeat per magiſtrum.

EPISTOLA VIII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [c] *Euſtorgio Epiſcopo.* c

ADventu præſentium portitorum ecce jam ſecundo a te deſiderandi reverendique affatus veſtri dona venerunt: quæ tamen plus ſierent proſperitate ſecunda, ſi fierent numeroſitate copioſa. Revera duplex in literis veſtris materia gratulationis acceſſit. Primum quod ſalvam mihi gratiam, ſic etiam in veſtro, ſicut in veſtrorum extitit animo deceſſorum, hæreditario monſtratis affectu. Deinde quod in eo me famulari negotio præcepiſtis, quo, dum tuen-

---

a *Papæ Conſtantinopolitano*) Joanni Cappadoci Patriarchæ, qui relato in diptycha Concilio Chalcedonenſi, expunctoque ex iiſdem nomine Acacii, longum diſcidium, quod Orientales ab Eccleſia Romana ſe junxerat, redintegrata pace & concordia terminavit. Extat Joannis ipſius ad Hormiſdam Papam epiſtola, rei geſtæ tempus ſubſcriptione ſua denotans, *Data menſe Martio die* XXVIII. *Indict.* XII. *Conſulibus domno Juſtino Imp. Auguſto & Eutharico V. C. æra* DLVII. id eſt anno Chriſti DXIX. Cedrenus anno primo Juſtini, Ἐπισκόπων δὲ ἀπὸ Ῥώμης ἐλθόντων διὰ Ὁρμίσδου ἐπισκόπου Ῥώμης, τῇ Βιταλιανοῦ σπουδῇ, ἔτι ζῶντος Ἰωάννου τοῦ Καππαδόκου Ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, τὴν ἁγίαν ἐν Χαλκηδόνι τετάρτην σύνοδον πρὸς ταῖς ἄλλαις τρισὶ συνόδοις τοῖς διπτύχοις συνέταξε. *Cumque Roma veniſſent Epiſcopi ab Hormiſda Romano Epiſcopo miſſi Vitaliani ſtudio, cum adhuc viveret Joannes Cappadox Epiſcopus Conſtantinopolis, quartam ſacram Synodum Chalcedonenſem ad tres alias in diptychis adſcripſit.* Liquet ergo, quemnam Principem hoc loco intelligat, quem Rom. Antiſtitem, quem denique Papam Conſtantinopolitanum.

b *Patricius Sigiſmundus*) Rex Burgundionum, qui Gundobado patri quarto abhinc anno ſucceſſerat. Solebant his ſæculis Imperatores Romanarum dignitatum titulos exterarum gentium regibus honoris cauſa impertiri. Unde & Theodericum regem Gothorum, & alios, Magiſtros militum ſæpe appellatos legimus: atque ut hoc loco patriciatum Sigiſmundo delatum intelligimus; & patricium Theodericum eundem a Zenone creatum proditum eſt, ſic ad Clodoveum regem Francorum, poſt victoriam Gothicam, codicillos de Conſulatu ab Anaſtaſio miſſos teſtatur Gregorius Turon. lib. II. cap. XXXVIII.

c *Euſtorgio Epiſcopo*) Mediolanenſi, ut docet epiſtola Theoderici regis, quæ eſt nona libri I. Variarum apud Caſſiodorum, & libri II. epiſtola XXIX. ad Adelam Comitem, his verbis: *Beatiſſimi viri Euſtorgii Epiſcopi ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ petitione permoti, præſentibus te affatibus admonemus, ut prædiis vel honoribus illius Eccleſiæ intra Siciliam conſtitutis tuitionem ſtudeas, ſalva civilitate, præſtare.* De hoc Ennodii quoque interpretati ſumus epigramma CXIIX. De fonte baptiſterii S. Stephani, & aqua quæ per columnas venit.

En ſine nube pluit ſub tectis imbre ſereno.
Et cœli facies pura miniſtrat aquas.
Profluа marmoribus decurrunt flumina ſacris,
Atque iterum rorem parturit ecce lapis.
Arida nam liquidos effundit pergula fontes,
Et curſus natis unda ſuperna venit.
Sancta per æthereos emanat lympha receſſus,
EUSTORGI *vatis ducta miniſterio.*

Id eſt Epiſcopi. Græcum ortu ſunt qui Euſtorgium faciant ex nominis conjectura. Quod vero addunt Joannis Damaſceni diſcipulum fuiſſe, abſurdum eſt, cum tempora diſcrepent.

a dæ vel [a] reparandæ libertatis curam geritis, etiam me non indignum tali miniſterio cenſuiſtis. Impletum eſt igitur beatitudinis veſtræ ſanctum ac ſpiritale præceptum. Cumulaſtis oratione mercedem: interventu veſtro pretioſius ſactum eſt pretium quod miſiſtis. Victa eſt per reverentiam veſtri in rigore barbarico humilitate immanitas, interceſſione crudelitas, illatione cupiditas. Conicimus qualiter illic prædicationibus duriores animos edomatis, cum intervenienti viribus abſentia vobis ſaxa ſic frangitis. Viſitatur opere veſtro noſtrarum ærumna regionum: & emanans ex largiendi theſauro irrigui fontis ubertas, cum Italiam rigaverit, adſpergit & Galliam. Quapropter depenſo ſalutationis honorificæ famulatu, me veſtro interceſſui vel favori votis præfuſa ſupplicatione inſinuo: optans licet in cunctis, mihi tamen ſpecialibus cauſis literas veſtras: in quibus ſic vobis per miſericordiam competat, ut etiam me per obedientiam veſtrorum operum fructus attingat.

EPISTOLA IX.

b *Avitus Viennenſis Epiſcopus* [b] *Cæſario Epiſcopo.*

Licet ipſa ſeſe venerandi portitoris perſona animis fraternæ caritatis inſinuet, ſanctus c tamen [c] Maximianus Antiſtes hanc peculiarius ad vos officii mei paginam petiit deſtinari: per quam me potius ab illo, quam illum a me commendari debere manifeſtum eſt. Et quia jubere dignatus eſt, ut neceſſitates ſuas ſermone meo panderem, nihil dicendum de peregrinationis labore ſuſcepi: quia quantalibet vel temporum longitudine, vel itineris vaſtitate, genitalis patriæ linquat habitaculum, peregrinus ſacerdos dici non poteſt, ubi catholica reperiri Eccleſia poteſt. Quanquam nec illa vobis regionis ſuæ ſubverſio quaſi incognita exaggerari debeat: cum pietatem veſtram, quærentem ubique miſericordiæ aditus, non lateat ubi eſt miſeriæ locus. Principalis tamen ei, quantum dignatur aſſerere, cauſa veniendi eſt, ut peritiorem medicum quocumque perquirat, qui imbecillitati corporeorum luminum cujuſcumque remedii arte ſuccurrat. Quanquam religioſæ mentis intuitus, contemplandis magis ſpiritalibus occupatus, nec nimium exterioris hominis cæcitate perterritus, eo temperamento hanc, quantum comperi, curam requirat, ut amatoribus potius ſuis ſatisfacere in hujus ſtudii neceſſitate contendat. Simul & ne videatur, per neglectæ ſanitatis culpam, ſacultas in eo ſacerdotalis officii reprehenſibiliter minorata. Spem vero recipiendi obtutus, quantum arbitror, & ab exemplo requirit. quod ſcilicet Tobiam noſtrum, caligantem quidem terreſtribus, ſed quæ mundo erant inviſibilia contuentem, attentum æternæ luci, & jam pene diei mortalis immemorem, latens in Angelo medicina reduxerit per collyrium fellis ad dulcedinem ſanitatis. Quocirca ſuſcipite fratrem ſinceritate ſolita, reverentia digna: & ſi quid conſolationis ſancto debetur, impendite. Implebitur autem commune deſiderium, ſi etiam qualiſcumque infirmitati medela provenerit. Quod certe ſi minus, ſaltem incorruptibilem vultum pietatis alternæ, nulli obnoxius cæcitati ſacerdotalis conſcientiæ oculus recognoſcat.

Tob. 11.

EPISTOLA X.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [d] *Magno Epiſcopo.* d

Licet nulla, quibus ad præſumendum hoc ipſum officium provocarer, veſtri Apoſtolatus ſcripta promeruero, offerre me tamen paginam debiti famulatus, cum compellatione non juſſeritis, opinione compellitis. Siquidem ad occurrendum animis veſtris, ſi non meremur aſpectibus, fama trahimur, etiam dum abſentia cohibemur. His additur, quod ita ærumnas infelicium Gallorum conſolatione conſilii, & largitate palpatis, ut ſub ſpecie ejus quam comperi miſericordiæ, ad agnoſcendam ſuorum neceſſitatem in Italiam feſtinantes, poſt longam peregrinationem, cum duce Chriſto veſtram meruerint videre perſonam, merito propriam credant intrare ſe patriam. Commendo quod ſupereſt regionis noſtræ presbyterum, præſentis ſcilicet obſequii portitorem. Qui licet pro redimenda cujuſdam propinqui ſui filia laborem fatigationis aggreſſus ſit, a quodam tamen nobili viro Provinciali cum mea proſecutione directus eſt, ut præfati filium a [e] Comite Betanco, nomine e Avulum, ante hos circiter quatuor annos pro pignore obſidatus adſumptum, ſub auxilio veſtræ interceſſionis requirat, ac revocet. Quod ſupereſt obſecro, ut dignabili beatitudinis veſtræ reſcripto, & illic exultantibus ingenuitatis ſtatum reparabilem, & hic deſiderantibus ſcribendi aditum doceatis eſſe communem.

---

a *Reparandæ libertatis curam geritis*) Referenda hæc videntur ad reliquias captivorum, quos Gundobadus bello Liguſtico ex Italia in Galliam abduxerat ad quos redimendos miſſi a Theoderico rege Epiphanius Ticinenſis, & Victor Taurinas legationem obierant, quam Ennodius in Epiphanii vita deſcribit.

b *Cæſario Epiſcopo*) Arelatenſi, de quo ad ea quæ alias notavimus ad Ennodium, præclarum addi poteſt elogium Floriani monachi in epiſtola ad Nicetium Trevirenſem. *Sed & corona veſtra ſocium*, inquit, *beatæ memoriæ dominum Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, qui vixit inter barbaros pius, inter bella pacatus, pater orphanorum, paſtor egentium, qui tanti cenſus effuſione nil perdidit, catholicæ regulam diſciplinæ dictis factiſque demonſtrans.* De hujus quoque in paſcendis captivis alacritate ac fiducia in Deum, navibuſque tritico plenis a Gundobado & Sigiſmundo regibus Burgundionum opportune, cum panes deeſſent, ad illum miſſis, narrat Meſſianus presbyter in libro II. vitæ S. Cæſarii.

c *Maximianus antiſtes*) Cujus ſedis Epiſcopus fuerit, non liquet. Fuit quidem per hæc tempora Maximianus Peruſinus Antiſtes, cujus nomen legitur in Synodis Romanis Symmachi Papæ. Verum an in eum convenire poſſint, quæ de Maximiano epiſcopo, ejuſque patria, & oculorum incommodo hic dicuntur, ambiguum eſt.

d *Magno Epiſcopo*) Mediolanenſi, Euſtorgii, de quo proxime dictum, ſucceſſori, Datiique deceſſori. Nam quod Datium nonnulli, dum Mediolanenſes Epiſcopos recenſent, Magno præponunt, ordo eſt præpoſterus, qui ex hac ipſa epiſtola revincitur.

e *Comite Betanco*) Theoderici regis Italiæ. Avulos vero, ſive Avolos, præter hunc, nobilis, ut ait, viri Provincialis filium, alios eodem ſæculo habuit eadem Provincia, ut Avulum Segeſtericenſem Epiſcopum, & Avolum Aquarum Sextiarum, quorum ille in Synodo IV. Aurelianenſi ſubſcribit, hic in quinta.

EPISTOLA XI.

Apollinaris [a] *Epiſcopus Avito Viennenſi Epiſcopo germano.*

SAtis licet jam pœnarum dederit ſera pœnitudo, tamen ad diem feſtum ante alios nobis colendum, ne vicario quidem famulatu adeſſe merui. Qui devotionem non oſtendi, vel ſatisfactionem deferre curavi. Ad quod vere ut confido ipſo ſum, beate & reverentiſſime domine, ſpiritu viſitante commonitus. Nam in ipſa ſancta nocte, in viſione neſcio quid manibus meis hæſerat, quod conſedens juxta me fulgentiſſima, ſed inuſitato colore rubea columba vellebat. Cumque expergefactus, quotidianum quidem manuum mearum horrorem recognoſcerem, ſed purgari me immerito nihilominus meminiſſem, dum ipſum ambiguum mœſtus mecum atque anxius volvo, repente quaſi ſtimulo percuſſus, illico ſum reliquati fœnoris recordatus. Jam quæ me hinc confuſio, quæve preſſerit amaritudo, pietas ſancta perpendit. Aliquatenus tamen hac ſpe ſolatus ſum, quod ignoſcat quæ commonere dignata eſt, ut miſerto mihi non omnis ſancti obſequii opportunitas fraudaretur. Unum tantum mixta debitis commemorationis ejus officiis ſupplicatio depoſcit, ut hanc quoque indulgentiæ ſuæ partem ſenſibus veſtiæ, quæ in me plus jam juſta eſt, imputationis inſpiret.

EPISTOLA XII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus Apollinari Epiſcopo.

APparet liquido quanta ſit in veſtro merito gratia Dei, aut quantus conjici debeat virtutum cumulus, ubi error ipſe tam ſanctus eſt. Nam dum juſtus accuſator ſui conatur in ſe convincere quod peccare non potuit, confitentis humilitas creſcit ad meritum, non confeſſionis veritas ad reatum. Exceſſiſti fateor conſuetudinem: ſed pietatis augmento ſemper diei hujus meminiſſe dignamini. Dulcis a vobis venit ſollicitudo: ſed non incomparabiliter prævenit oblivio. Minus enim proculdubio ſalva obſervatione apparet effectus: ſed oſtendiſtis quanta ſpiritalitate vos exercere delectet, quod prætériſſe ſic doluit. Vere ſecuta eſt dignitatem delicti veſtri ſancta revelatio: & tale repertum eſt in dormiente ſupplicium, quale fuerat in vigilante peccatum. Ecce veritatem dico in Chriſto, non mentior, cum parturientibus lacrymas oculis legiſſem ſomnium quod vidiſtis, omnis mentem meam ſubiit neceſſitudinis recordatio præmiſſarum, quibus per viſitationem veſtram honorem dependere nos admonitos intellexi. Porro autem de ipſa revelatione quid ſenſerim in ſimplicitate depromo. Sic ergo inquis: Nam in ipſa nocte ſancta in qua ſcilicet germanæ communis depoſitio celebrabatur, neſcio quid manibus meis hæſerat, quod conſedens juxta me fulgentiſſima, ſed inuſitato colore rubea columba vellebat. At vero, cum juxta te pietas tua, nec longe avolans, celeri recordatione conſedit, debitum, quod ſanctiſſime tu, piiſſime propinquorum, tu, inquam, merito hæc columba ſentires, fulgentiſſima, cum ſimplicitate ſic luceas, inuſitato colore rubrata, cum innocens ſingulariter quaſi propriis compuncta ſtimulis erubeſcas. Amphaſtis ergo quidem, ut ſupra dictum eſt, fœnus aſſuetum: nec illud tamen conſuetudini defuit quod putaſtis. Nam nocti ipſi, quam vos excitante Chriſto non licuit oblitiſci, adhuc de abundantia ſuperioris anni veſtra nihilominus luxit oblatio. Sic ex quodam ſupernæ benedictionis irriguo, quod impenditis annis ſingulis, ſufficit multis. Deum quæſo, ut hoc etiam mihi pietas veſtra quandoque dependat.

EPISTOLA XIII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [b] *Contumelioſo Epiſcopo.*

QUantum, vobis apud Deum ſuffragantibus, qualiſcumque voti mei dies propinquantur, tantum animi mei deſiderium pudorque decertant. Benedictionem quippe flagito operi imperfecto. Eſſet quantulacumque excuſatio, ſi in eo inertiæ meæ noxam velaret ac tegeret magnitudo. Nunc vero exiguo pariter atque impolito quid poteſt eſſe deformius? Unum igitur eſt, quod trepidantem animum audaci ſolatur hortatu, veſtro ſcilicet, ſi nos Deus exaudire dignatur, adventu cuncta in melius eſſe vertenda. Neque enim eſt quod non poſſitis, aut orando componere, aut perorando excuſare. Tantum ſicut de compertæ pietatis voto certi ſumus, ita prævio præſtolatæ viſitationis nuntio gaudeamus.

EPISTOLA XIV.

Victurius [c] *Epiſcopus Avito Epiſcopo.*

AD ſeparandum a tritico lolium in area Domini ordinationis veſtræ ventilabra poſcen-

---

a *Apollinaris Epiſcopus*) Valentinæ ſedis Antiſtes, Avito fratre natu major de quo Agobardus ad Ludovicum Imp. de Judaicis ſuperſtitionibus. *Sanctus Apollinaris, Epiſcopus Eccleſiæ Valentinæ, quantus fuerit & ſit, non ſolum geſta de eo ſcripta, ſed & crebra ejus miracula uſque hodie ſublimiter teſtantur.* Epiſtolæ utriuſque idem eſt argumentum. Somnium nempe Apollinaris, quod ea illi nocte oblatum eſt, qua defunctæ ſororis anniverſarium Viennæ ipſo abſente celebrabatur.

b *Contumelioſo Epiſcopo*) Reiorum in Provincia II. ut docent ſubſcriptiones Synodi Arelatenſis IV. Carpentoratenſis, & Vaſenſis II. Doctrina excultum hominem fuiſſe argumento eſt, quod Avitus hunc inter librorum ſuorum cenſores & arbitros delegerit. Mores autem illaudatos probavit, tum Cæſarii ejuſque Synodi, tum Sedis Apoſtolicæ judicium, cujus ſententia Contumelioſus Epiſcopatu ob flagitium dejectus, atque in monaſterium retruſus eſt, ut in primo Tomo Conciliorum Galliæ videre eſt.

c *Victurius Epiſcopus*) Gratianopolitanus. Nec enim dubito, quin is ſit, qui in epiſtola VI. dictus eſt Victorius, atque ita quoque nominatur in epiſtola XVI. & in aliis. Hic ergo Avitum Viennenſem, tanquam Metropolitanum ſuum conſulit, Avitus tanquam ſuffraganeo Provinciæ ſuæ Antiſtiti reſpondet, quid de illo ſtatuendum, qui defunctæ uxoris ſororem ſibi in matrimonio ſociarat. Civis hic erat Gratianopolitanus, ut patet ex epiſtola XIV. Vincomalus nomine, ut eſt in XVI. Par porro eodem tempore eodemque in regno Burgundionum, inceſtus fuit Stephani, ex officio Sigiſmundi regis fiſco præpoſiti, qui Palladiam defunctæ itidem conjugis ſororem ſibi copularat. Qua de re in Concilio Lugdunenſi I. & in vita Sancti Apollinaris Valentinæ ſedis Epiſcopi.

da ſunt: quia ille, qui vobis conſtituit tenere loci principis principatum, nos voluit exequi quod præceperitis in opere, quod autem operandum eſt vos jubere. Quidam enim civium, ut nunc delatum eſt, ante quamplures annos ſorori ſe defunctæ conjugis in matrimonio ſe ſociavit, quod ego nunc ſub multorum præſentia aditus audivi. Accuſator tanti criminis, non occulta ſuſurratione atrocis facti diſeruit qualitatem, ſed ipſo coram qui geſſit iſta propoſuit. Quique eodem quo illicita præſumpſit auſu, qui ſtudio a vobis diſpenſantibus miſerabilis propemodum non negavit. Proinde qua ſit abſtinendus conditione præcipite: ſive ut pariter lugeant, vel ſi eſt indicenda ſequeſtratio, vel qui modus pœnitentiæ, edocete. Nam non eſt, ut puto, minus in conjugio germanam conjugis, quam uxorem fratris adſciri. Vos tamen, ut ſuggeſſi, ſtatuite quod videtur: quia præter ordinationem veſtram, de tali cauſa quid pronuntiari conveniat vix decerno. Communioni nempe eum trepide ſubtraho, vel permitto, niſi auctoritate veſtra roboratus extitero.

Epistola XV.

Avitus Viennenſis Epiſcopus Victurio Epiſcopo.

PRobatæ ſummæque pietatis eſt, ut de cauſis ad pontificium veſtrum pertinentibus meum quoque conſilium conſulendum eſſe ducatis. Quod facere vos non, ut dixiſtis, ambiguitatis animo, ſed dilectionis oſtenditis. Quapropter contra culpam, quam literis indicaſtis, arbitror merito vos moveri. Quis enim vel laicus non advertat, non ſine grandi macula fieri de affinitatis propinquitate conjugium? Unde licet ſollicitudini veſtræ juſtiſſimus dolor de neceſſitate ipſius diſtrictionis incumbat, ſalubriter tamen exaſperatur in temporaneis, quem ſalvari cupimus in æternis. [a] Oportet ergo, hominem maritum duarum ſcilicet germanarum, non irrevocabili anathemate percuti, ſed propoſitis obſervationibus, interim ab Eccleſia ſequeſtrari. Et quia indicatis, laborioſum ipſum ante multos jam annos illicitam ſecundæ uxoris copulam fuiſſe ſortitum, ſufficiat impune bacchatum longo tempore crimen inceſti. Nihil hic quaſi timore divortii dubitetis: ſed merito cenſetur ſeparatio legitima, ubi extitit conjunctio criminoſa. Utrique ſi videtur ergo, dum in tam infelici obſtinatione perſiſtunt, notam excommunicationis indicite, donec a conſortio criminali publica pœnitentiæ profeſſione diſſueſcant: & tum, miſerantibus vobis, ad timoris & correctionis exemplum, gratiam reconciliationis accipiant. Ego certe ſinceritati veſtræ quod rationabile credidi, quia tanti habuiſtis jubere, ſuggeſſi. [b] Auctoritatis veſtræ eſt, errantium compunctione perſpecta, ſeveritatis ordinem temperare. Quos tamen æſtimo, ſi veraciter compunguntur, ſupraſcriptis conditionibus parituros.

Epistola XVI.

Avitus Viennenſis Epiſcopus Victorio Epiſcopo.

CAutelæ & caritati ſatisfacitis, dum me aliquid interrogando, non minus onerare, quam honorare dignamini. Sed cum noveritis recte vos, ſi non de peritia mea, ſaltem de amicitia judicare: nec aliquid vobis unquam reſponſione mea ſuggeri, niſi quod volo a Viennenſi Eccleſia cuſtodiri. Secutus eſt ergo, ut indicaſtis, filium noſtrum diaconum Vincomalus: quem Deus tribuat ut in bono vineatis malum Vidi hominem nimie crudum cujus miſeriis conſtat vix quenquam poſſe miſereri. Juvenis virtute, ſenex fide, ævo friget, adulterio calet. Quid multis! optandum eſt ut per voluntatem diſparabilem, non quam libet perire, tam liceat. Nam cum adhortatorie plus quam aſpere, pro inceſti facinore culparetur, ſeveritatem noſtram ſola præſcriptione tarditatis accuſans, ſero nos illicitæ jurgationis tricennale conſortium damnaſſe cauſatus eſt. Ad hunc locum ceſſi, fateor, impudenti: quod ſcilicet ſui dilectione ſententiam differentes, maluiſſemus correctionem viri compunctioni ipſius voluntatique ſervare, ac perinde juſtum eſſe, ut poſt ſpatia tot annorum vel criminalia reſtringeret, qui refrænare jam longævitatis acceſſu etiam legitima debuiſſet. Ad hæc, ut ſentire me credidi, non compunctus, ſed confuſus ingemuit, promittere aliquantiſper aggreſſus, mulierem cohabitationis indignæ ab acceſſu aſpectuque ſuo protinus coercendam. Suaſi reſpondens ut vobis iſta promitteret, & facti pœnitens eo ſe ſolvi quo ligatus fuerat poſtularet. Tamen, quia inſtiſtis ut quicquid ſenſui meo videatur aperiam, [c] ſufficiat cenſuræ Veſtræ ſeparatio perſonarum. ſcindatur infelix conjugium innocentiore divortio. ſufficiat diſtrictionis fructui terminus mali. Nec ſane promiſſio ejus fidelis putetur, cujus vita extitit infidelis. Ipſis fidejuſſoribus emendatio ſecutura credatur, quibus intercedentibus prior culpa laxabitur. De cetero autem, quod ad pœnitentiam expectat, moneatur interim agere, accipere non cogatur. Sufficiunt infelici crimi-

---

a *Oportet ergo hominem*) Græcorum olim Latinorumque in coercendis inceſtis par diſciplina. De duarum enim ſororum maritis Græcorum morem, qui legis vim obtinebat, exponit S. Baſilius epiſtola cxcvii. ad Diodorum, *Ἐάν τις πάθει ἀκαθαρσίας ποτὲ κρατηθεὶς ἐκπέσῃ πρὸς δυοῖν ἀδελφοῖν ἄθεσμον κοινωνίαν, μήτε γάμον ἡγεῖσθαι τοῦτο, μήθ᾽ ὅλως εἰς ἐκκλησιαστικὸν πλήρωμα παραδέχεσθαι, πρότερον ἢ διαλῦσαι ἀπ᾽ ἀλλήλων. Si quis affectu immunditiæ correptus, in illicitam duarum ſororum communicationem exorbitaverit, id neque conjugium eſſe cenſendum, neque talem ad Eccleſiaſticum cœtum admittendum, priuſquam ab invicem dirimantur.* Apud Latinos vero qui mos fuerit, multorum inſtar, quia omnes conſentiunt, canon eſt xxx. Concilii Epaonenſis: *Inceſtis conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint.* Inter inceſtos autem numerat, *ſi quis germanam uxoris ſuæ acceperit.* Avitus ergo in hoc genere quatuor diſtinguit, excommunicationem, ſeparationem, pœnitentiam publicam, & reconciliationem: ita ut excommunicationis nota inurantur donec ſegregentur, & ſegregati pœnitentiam agant, ut reconciliationis gratiam accipiant.

b *Auctoritatis veſtra eſt*) In poteſtate enim & arbitrio eſt Epiſcopi, erga pœnitentes, perſpecta eorum compunctione, humanius atque indulgentius agere, & ſeveritatis ordinem temperare, ita maturius illos ad communionem recipiant. Synodi Ancyranæ canone 11. & Concilii Arelatenſis II. canone x. At contra, negligentiores pœnitentes tardius reconciliandos ſancit Carthaginenſe IV. canone lxxv.

c *Sufficiat ſeparatio perſonarum*) Superiorem ſententiam ſuam temperat, & mitius decernit. Duo enim ſuperius exigebat, ſeparationem, & publicam pœnitentiam: nunc ſeparatione ſola contentus, de pœnitentia ſuggerit, ut eam agere moneatur, accipere non cogatur.

mina ſua: nec ingeratur laborioſo cum reſpuit, quod tam inſtabili animo vix committi debuerat ſi petiſſet. Ceſſet a fragilitate perfidia: nec ſubeat in carnalitatis cumulum rebellionis augmentum. Si jubetis, breviter ad ultimum ſuggero. Excuſſus ab ſcelere, ſuſcipiatur ad veniam; patiatur pœnitentiam, cum perdit peccandi occaſionem: profiteatur, cum amiſerit voluntatem.

EPISTOLA XVII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [a] *Viventiolo Presbytero.*

DUpliciter pietatis plenum eſt quod feciſtis, dum veniendo Lugdunum, hucque mittendo, ſtuduiſtis de duobus fratribus illic requirere infirmum, iſtic viſitare ſollicitum. Nec a vobis propoſitum intermiſſum eſſe putabitur, cum vos religioſo fratri plus in affectu atque honore debentibus ſpiritalis officii hujus converſus, etiamſi non popoſciſſet ægrotus. quippe cum ſacerdotis germani jure vel adhortationem novitas quæreret, etiamſi conſolatione anxietas non egeret. Proinde laborem juſta fatigatione ſuſceptum prorſus excuſare deſiſtite, ne videamini ad hunc arripiendi vel definiendi ambiguitate peccaſſe. Jam vero qualiter dignas pro tranſmiſſo munere gratias agam, votis me magis ſentio, invenire quam literis. Illud quoque ut de eremo talia proferri poſſe dicatis, elegantia quadam deſideria hominum ad locum veſtræ cohabitationis attrahitis. Qui proculdubio, perſonæ veſtræ ſollicitudine, inſtitutione, doctrina, etiamſi inventa ſit eremus, fieret paradiſus. Quapropter pro ſella, quam tranſmiſiſtis, cathedræ viciſſitudinem imprecans, quæſo ut nutantem [b] ſcholam cari communis Eugendi, & non minimum, quantum ad ſtatum ſuum attinet, præſule viduatam, ſpiritali ſolatio, & ſacerdotali magiſterio foveatis. Neque illud ab impendenda caritate vos * retineat, quod ſimplicitatis magis, ut arbitror, quam abuſionis animo, minus digne ab eis cura veſtræ ordinationis ambitur: ut ad majora, ut præſtante Deo cupimus, gubernacula provehendi, & ad duplicanda quinque talenta de duobus additis adſurgentes, probati in ſecundo gradu fideles, & maximus hanc ſecreti conſcientia feratis ad populos, ut quo in aliis fraterna diſſenſio potuiſſet eremum facere, in vobis ſtuduerit paterna dilectio monaſterium continere.

* Al. lect. *reſtabat.*

[c] EPISTOLA XVIII.

* * * *

Unde, etiamſi pignus reliquiarum ſacræ crucis putamus eſſe vobiſcum, a ſancto tamen Æliæ urbis Antiſtite hanc ſpecialiter munificentiam credimus expetendam. Qui revera ſacramenti iſtius veram & inviolabilem puritatem loci adminiſtratione conſervans, ſic deſiderabili potens eſt impertire nos dono, ut ab omni cunctationis abſolvat ambiguo. Qua de re plurimum pagina famulante depoſco, ut ad præfatæ Eccleſiæ ſacerdotem literas Apoſtolatus veſter tribuat portitori: quatenus gemina nobis veniat benedictione firmamentum, quod Eccleſiarum præminentium mundo, vel conſulta ſedis veſtræ auctoritas reſpondebit, vel humanitas illius obſecrata porrexerit.

EPISTOLA XIX.

Domnus [d] *Gundobadus Rex Avito Viennenſi Epiſcopo.*

DE prophetica lectione ſanctitatem veſtram cenſui conſulendam, cujus lectionis exemplar ſubter adjeci. Et ideo utrum jam tempora iſta fuerint, an futura ſint, ſcripto veſtro declarare dignemini: *Ex Sion procedet lex, & verbum Domini ex Hieruſalem. & judicabit inter plebes multas, & redarguet gentes validas uſque longe. & concident gladios ſuos in aratra, & lanceas ſuas in falces. & jam non extollet gens ſuper gentem gladium, & jam non ſtabunt belligerare*. Et *requieſcet unuſquiſque ſub vinea ſua, & ſub ficu ſua: & non erit qui in timorem mittat eos.*

Eſa. 2. — 3 Reg. 3. 21.

EPISTOLA XX.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [d] *Domno Gundobado Regi.*

LIcet de lectione prophetica ſcitos magis, inter quos ipſe profiteri non audeo, debueritis conſulere ſacerdotes: opto tamen juſſioni veſtræ ſatisfacere vel obedientia, & ſi nequeo reſpondere doctrina. Ita quod indicari vobis jubetis, etiam textu, ne dicam expoſitione prolixum eſt: & majorem diſputationis vacationem poſtulat, quam ſuccincta celeritas reſcripti epiſtolaris admittat. Et idcirco quanta poſſum brevitate reſpondeo, quod ex propheta Iſaia directæ ad me termino paginæ ſubdidiſtis, jam dudum, id eſt tempore dominicæ incarnationis impletum. Nam cum dicat, *Ex Sion egredietur lex, & verbum Domini ex Hieruſalem*, tractate diligentius, an quæ adhuc expectari debeat promul- Eſa. 2. 3.

---

a *Viventiolo presbytero*) Qui Lugdunenſis poſtea fuit Epiſcopus, ut docebit epiſtola I I I. Nunc cum Lugdunum ex Jurenſi eremo veniſſet, Appollinaremque Aviti fratrem, novum Epiſcopum ibi ægrotantem viſitaſſet, Avitum quoque ipſum deſtinato nuntio conſolari ſtuduit. Quo nomine gratias illi agit, ſimulque pro tranſmiſſa ſella: cujus vice cathedram ipſi, hoc eſt Epiſcopatum imprecatur, quem Lugduni poſtea ſortitus eſt.

b *Scholam Eugendi*) Quod nunc eſt Monaſterium S. Claudii in Jura monte. Eugendi nomen, quod in codice noſtro deſiderabatur, ſupplevimus ex ſchedis Thuanis. Quo tempore autem vita functus ſit, hæc epiſtola nos docet. Vacuam ergo & rectore deſtitutam ſcholam Eugendi Viventiolo ſuadet ut capeſſat, ut in ſecundo gradu presbyteri probatus, ad majora gubernacula provehatur, hoc eſt, ad primum gradum Epiſcoporum.

c *Epiſtola XVIII.*) Quam multa hoc loco deſint ſtatui non poteſt. Titulum vero epiſtolæ conjicio fuiſſe ad Symmachum Papam. Æliæ autem, id eſt Hieroſolymorum, Antiſtitem Heliam intelligi, qui ſedem illam tunc regebat. Ad hunc ergo, pro impetrando ſanctæ Crucis munere cum ſcriberet Avitus, Symmachi quoque interceſſionem, qua voti compos fieret, expetiit. Sed Aviti ad Heliam epiſtola deſideratur.

d *Gundobadus Avito*) Solebat Avitus, ut Agobardus teſtatur, & exemplo manifeſtum eſt, eum rege Gundobado frequenter de fide, non ſolum coram diſſerere, ſed abſenti quoque per epiſtolas reſpondere.

a gandæ legis reſtet auctoritas. * Certe poſt verbum Dei quod caro factum eſt, ut per nativitatem corporis habitaret in nobis, ſi adhuc ex Hieruſalem aliud verbum ſperandum eſt, iſtud quod ſupra diximus unicum non eſt. Unde incunctanter in eo quem propoſuiſtis loco ſermo patris Chriſtus, & lex Chriſtiana prædicata eſt. Quia cum duæ leges ſint, id eſt Judaica quæ præceſſit, & noſtra quæ ſequitur, & illa vetuſta jam etiam prophetarum temporibus diceretur, videtis ab Iſaia iſtam tantummodo nuntiari, quæ vocatione gentium magiſterio Chriſti docentis exorta eſt. Unde ſequitur, *& judicabit inter medium gentium, & increpabit populos multos*. quos ex cunctis cognationibus terræ intra unam Eccleſiam Dominus noſter judicando inſtituit, & arguendo convertit. Quod vero ait, *concident gladios ſuos in aratra, & lanceas ſuas in falces*, licet poſſit de corporea ætate Domini, in qua per orbem quietum inconcuſſa pax floruit, aliquantiſper intelligi; evidentius hoc tamen Chriſtianis fidelibus coaptatur, quorum cum majori numero deſit ac deſuerit uſus, quem in perniciem hominis malitia primæ nativitatis armaverat, ad uſus ſalutis vitalemque culturam nativitas ſecunda convertat.

Marc. 13.8. Nam cum in Evangelio de fine ſæculi prædicetur, *Exurgent gens contra gentem, & regnum contra regnum*. & ex ipſis malorum indiciis imminere jam pene mundi terminum colligamus, niſi quod ſupra dixi de catholicis figuraliter accipiatur, neſcio ut quid poſt ſæculi finem obtunſa telorum acies in ligones & vomeres commutetur.

3.Reg.4.23 Illud vero quod imo lectionis juſſiſtis adjungi, id eſt, *requieſcet unuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu*, nec eſſe in eadem lectione, nec ad cauſam de qua conſuluiſtis ſuggero pertinere. Quod tamen temporibus priſcis Judæorum populo, meriti alternante diſtantia, frequenter, aut pro peccati emendatione conceſſum, aut rurſum pro ſuccedentium culparum caſtigatione ſublatum eſt.

EPISTOLA XXI.

b *Avitus Viennenſis Epiſcopus* b *Domno Sigiſmundo*.

QUod me de collocutione regali ad notitiam veſtram non detuliſſe culpatis, occurſui meo exacta feſtivitate ſervaveram: quia revera indicari vobis litterario famulatu cuncta per ordinem, diſceptationis prolixitas perplexitaſque non patitur. Nam quantum in animis domini mei, patris veſtri, ſenſiſſe me puto, fervet in ejus ſtudio conficta otii fronte certamen. Nam quod credebamus animoſitate depoſita, ſilentio temperante, ſubitam opportunitatem potius quam quietem requirens, non ceſſavit prætetita induciarum brevitate, ſed latuit. Adeo ut nec ipſa contentionis arma, quæ qua-

A ſi jam in noſtra regione defecerant, poſcantur extrinſecus, vel uſque ad reditum legatorum ſuorum fervor meditationis exſpectat. Redeunti igitur mihi de eo quod noſtis itinere, nec aliquid interim de hujuſmodi propoſitionibus opinanti, quicquid per implicatiſſimos quæſtionum mendacium nodos longo ſpatio ſagax induſtria potuit arare, commotum eſt. Fervet validus prolixa diſputatione tractatus: placidus tamen, nec aliquid a ſupercilio dominandi turbulentæ commotionis interferens. ſed curavit conſulte, neceſſitatis opportunitate proviſa & rei, ut quicumque contentionis fuiſſet eventus, nec ſuperatum pateretur erubeſcere. Quid multis? ſine

B jactantia vobis libere dico, ad propoſita, quantum mihi videtur, quod ſi audiſſetis potuit placere ſuggeſtum eſt. Quod ſane vereor audientis plus judicio ſatisfacere, quam ſtudio placuiſſe. Sed cum præſentiam veſtram, Deo largiente, meruero, per me ſeriem totius altercationis exponam. Interim ſermonis curſum de fine colligite, ex eo quod diſcedenti mihi præcepit, utrum ad reſponſa motus fuerit æſtimate. Juſſit namque, ut quodcumque de ſcripturis noſtris teſtimonium ad interrogata protuleram, ſeu ſi forte occurriſſet & aliud, ad ſingula quæ tempore collocutionis aptaveram, ſubnotata ei ordinataque tranſmitterem. Quod cum ſibi ex maxima parte pronuntiaret incognitum, *For. miſiſſe.

C adjecit ſimpliciter ſic ſcriptum * miſiſſem ſacerdotibus, immo magis ſeductoribus, ut adhuc verius dicamus ſectatoribus ſuis. Unde conicere pietas veſtra poteſt, quanquam intento contradictori, tamen arbitro ſapienti, non invalida vel abſque viribus viſa, quibus intentionem ſuorum, etſi non optat corrigi, deſiderat fatigari. Ego autem, licet ſciens, quantum poteſtatibus divino quoque juſſu, frequenter & regibus, pro veritate non ceditur, utrum parerem diu dubius fluctuavi: ſciens, certe hominis animum timens, nunquam me per hæc, ſatisfacturum, nec minus ab eo cavendum, quam ab hoſte, dum adverſa acies odia privata publica obſidione circumdat. At quo Deo præſtante polletis, faſtigio culminis, ſtudio religionis, privilegio

D auctoritatis, vallatam muris diſcordiam propulſate: & futentia in caſtris, velut per campos Æmatiæ, pluſquam civilia bella diſpergite. Quia cum jamdudum ſimus pondere duplicato, & clamantum querimonia, & non audientium duritia fatigati, æquum eſt, ſi dignamini, veſtram quoque ſeveritatem, aut illic caſtigandis conſulere, aut hic erubeſcentibus condolere.

---

a *Certe poſt Verbum Dei*) Verbum Domini pro Deo Verbo ſumit. quæ interpretatio ab Eſaiæ ſenſu hoc loco aliena eſt, & a Theodoreto noſtro refellitur. Λόγον γὰρ ἐνταῦθα οὐ λόγον θεὸν καλεῖ, ἀλλὰ τὴν τοῦ θεοῦ λόγου διδασκαλίαν. οὐ γὰρ ὁ θεὸς λόγος ἐκ Σιὼν ἐξελήλυθεν, ἀλλ' ἐν τῇ Σιὼν τὴν ἀλήθειαν ἐξεπαίδευσεν. *Sermonem enim hoc loco vocat, non Deum Verbum, ſed Dei Verbi doctrinam. Neque enim ex Sion exivit Deus Verbum, ſed in Sion veritatem docuit.*

b *Domno Sigiſmundo*) Hic unus eſt ex illis dialogis & collocutionibus, quas cum rege Gundobado frequentatas ab Avito ex Agobardi verbis didicimus. Fiebant hæ porro nunc cum rege ipſo, nunc illo præſente cum ejus ſacerdotibus Arrianis Epiſcopis, ut hoc loco. Qua de re autem inſtituta fuerit hæc diſputatio non ſignificat. Pauca enim de contentionis exitu commemoraſſe contentus, totius altercationis ſeriem coram, cum ad Sigiſmundum venerit, expoſiturum ſe promittit.

EPISTOLA XXII.

a *Avitus Viennenſis Epiſcopus* [a] *Apollinari illuſtriſſimo.*

FEcit pietas veſtra rem ſollicitam, ſollicitudinem tam porrigendo de nobis, quam de vobis noſtram credendo. Nam revera nuntio veſtri diſceſſus accepto, in ſummo metu trepidatione perpendimus: quia nobis diverſis nuntiis dicebatur, vos dominorum quibus obſervatis accitu, cunctos pariter evocatos. Unde faciebat hoc meorum conſcientia peccatorum, ut quantum mihi pauciores remanſerant, tanto intelligerem remanentibus plus timendum. Sed Deo gratias, qui proſpero reditu, in lætitiam veſtros, voſque revocavit in patriam. Servet Chriſtus hanc, quod ſupereſt, deſideriis communibus libertatem, ut nobis, & conſolari abſentiam veſtram ſit poſſibile, & ad præſentiam pervenire.

EPISTOLA XXIII.

b *Avitus Viennenſis Epiſcopus* [b] *Papæ Hieroſolymitano.*

EXercet Apoſtolatus veſter conceſſos a divinitate primatus, & quod principem locum in univerſali Eccleſia teneat, non privilegiis ſolum ſtudet monſtrare, ſed meritis. Ornat pariter legem noſtram cathedra veſtra, cathedramque perſona. Unde obligatus dignationi veſtræ debito largitatis, per ipſum dependo gratiarum vota, per quem ad me munera pervenerunt, non quantitatis pretiis, ſed ſalutis præmiis æſtimanda. Ditaſtis namque ſanctificationis opibus pauperiem orbis extremi, & obſcuritatem ſolis occidui participato nobiſcum fulgidi ortus lumine contigiſtis. Terſit a provinciis noſtris torpentis religionis rubiginem claritas doni: quæ

A boni ſemper currentis irriguo, fidem noſtram contemplatione munerata eſt, cum pateſactis a pietate veſtra penetralibus cæleſtium theſaurorum, quicquid catholici credere jubemur Inſpeximus. Orate quod ſupereſt, ut dignis talia miſeritis: commendate nos myſteriis, quæ nobis committere duxiſtis. Ædificetur his devotio noſtra, regio defendatur: ut indulto nobis pignore ſalutari, quos terreſtris Hieroſolymæ non cenſuiſtis indignos, ſupernæ a cæleſtis habitaculo reddatis idoneos.

EPISTOLA XXIV.

B *Avitus Viennenſis Epiſcopus* [c] *Stephano Epiſcopo.* c

QUamlibet attentis culturæ dominicæ famulis, inter aſſidua plantandi ſtudia, ſemper etiam quæ ſuccidi expediat oriuntur. Ergo perjugibus ſolicitudinis veſtiæ ſtudiis opportuniſſimum his operibus acquirendæ ſalutis fœnus accreſcit. Sed [d] inter lolium Arriani germinis, d numeroſa quod pejus eſt corruptione diffuſum, conicere nequeo, unde ſeſe facies ſeminis inimici, non quidem nova, ſed ſatis rara, monſtraverit, quis tranſmarina contagia orbi nitido ventus attulerit. Sed Deo gubernante vos

C nullo fulta ſolamine, parum labes iſta metuenda eſt. Non habet de multitudine tempeſtas profectum, nec renuis perficit aura naufragium. Quocirca Donatiſtarum nomen, ne diu in loco vivere poſſit alieno, benedictione protinus ſepelite vitali. In ipſo ſomitis ſui ortu peregrinantis igniculi frigeſcat incendium. De quo ne vel famæ fumus narem Galliæ innocentis aſpergat, [e] manus impoſitionem perſonæ, de qua e ſcribitis adhibete, interdicta nominis ipſius in poſterum, ſi ex corde convertitur, mentione. [f] quam conſtat, ſi revera in ſupradicti ſchiſ- f

a *Apollinari illuſtriſſimo*) Huic jungenda eſt epiſtola xliv. ad eundem, ut opinor, Apollinarem Sidonii filium ſcripta, tametſi vir illuſtris in ea nuncupetur, in hac illuſtriſſimus. Parebant autem Arverni hoc tempore Wiſigothis, eorumque regi Alarico, filio Eurici, cui dediti a Nepote Auguſto fuerant ex fœdere. Domini ergo, quibus obſervabant, hoc loco Wiſigothi, pro quibus & in pugna Voeladenſi, cum a Clodoveo cæſus eſt Alaricus, dimicaſſe cum Arvernis ſuis ducem Apollinarem, teſtis eſt Gregorius Turonenſis.

b *Papa Hieroſolymitano*) Heliæ, qui Æliæ urbis Antiſtes dictus in epiſtola xviii. Gratias huic agit pro accepto munere quod ſuperioribus literis ambiebat: pro ſacræ nimirum Crucis particula, non mole, ut inquit, ſed ſalutis pretio æſtimanda. Sic enim & Paulinus Nolanus epiſtola xv. cum de Crucis ejuſdem particula, quam Hieroſolymis per Melaniam acceperat, modicum ſegmentum mitteret ad Severum & Baſſulam, *Accipite*, inquit, *magnum in modico munus, & in ſegmento pene atomo haſtulæ brevis, ſumite munimentum præſentis & pignus æternæ ſalutis.*

c *Stephano Epiſcopo*) Lugdunenſi. qui, ut antiquæ tabulæ docent, Ruſticio Epiſcopo ſucceſſit, ſucceſſoremque habuit Viventiolum. Lupicinus enim, qui Stephano ſubjici a recentioribus ſolet, ante Ruſticium in iiſdem tabulis poſt Patientem collocatur. Ad Stephanum hunc, ut alias monui, ſcripta extat epiſtola Ennodii lib. iii. xvii. Eidem ſcribit item, ni fallor, Ruricius Lemovicenſis lib. ii. epiſt. li. etſi Epiſcopi nomen in titulo eſt omiſſum.

d *Inter lolium Arriani germinis*) Arrianorum hæreſim his temporibus in Gallia fovebant Wiſigothi & Burgundiones, utrique ea labe infecti. Unde & Avito crebra cum Arrianis de fide certamina, & libri contra Arrianos ab eodem editi. At Donatiſtarum nomen unius fere Africæ, in qua natum erat, finibus ſe continuit, & vix unquam ad alias gentes pervaſit, ſi Romam excipias, ubi Monteoſes vocabantur.

e *Manus impoſitionem adhibete*) Converſis ab hæreſi manus imponebatur, ut Spiritum ſanctum acciperent, quem ab hæreticis accipere non potuerant. Concilium Arelatenſe I. cap. viii. *Si ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, & perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto eſſe baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum ſanctum.* Leo magnus ad Ruſticum Narbonenſem Inquiſ. xviii. de iis qui parvuli ab hæreticis baptizati ſunt. *Rebaptizandi non ſunt, ſed per manus impoſitionem, invocata virtute Spiritus ſancti, quem ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi ſunt.* Idem ad Nicetam Aquileienſem c. vii. *Qui baptiſmum ab hæreticis acceperunt, ſola invocatione ſancti ſpiritus per impoſitionem manuum confirmandi ſunt, ut quod ab hæreticis nemo accipit, a Catholicis ſacerdotibus conſequatur.* quia Spiritus ſanctus, ut eſt apud Auguſtinum lib. iii. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. xvi. in ſola Catholica per manus impoſitionem dari dicitur. De hac igitur manus impoſitione, qua datur Spiritus ſanctus, hic ſermo eſt, ne quis de alia fortaſſe interpretandum putet.

f *Quam conſtat etiam chriſmate conſignatam*) Quaſi dicat chriſmandum etiam fuiſſe, niſi chriſmatus jam eſſet. Adhibebatur enim in recipiendis hæreticis, præter impoſitionem manuum, chriſmatis quoque conſignatio. Cujus moris apud Gregorium Turon. illuſtria ſunt exempla, in Lantilde Clodovei regis ſorore, quæ ex hæreſi Arriana converſa chriſmata eſt, lib. ii. Hiſtoriæ Franc. cap. xxxi. in Brunichilde & Goſuvintha ſororibus lib. iv. cap. xxvii. & xxviii. in Hermenichildo rege Gothorum in Hiſpania lib. v. cap. xxxix. in Chararico denique Suevorum rege in Gallæcia, de quo Gregorius idem de Miraculis S. Martini lib. i. cap. vi. *Rex*, inquit, *unitatem Patris & Filii & Spiritus ſancti confeſſus, cum omni domo ſua chriſmatus eſt.* Ceterum chriſmatio converſis tum adhibebatur, cum in hæreſi chriſmati non fuerant.

a matis profeſſione verſata eſt, [a] cum miniſterio baptiſmatis etiam chriſmate conſignatam. Hoc certe eos in regione illa obſervare manifeſtum eſt. In qua primum Deus tribuat, ut quicumque hujus erroris fuerint corrigantur: tum deinde a nobis tam ſecta diſtante quam patria, jam ad partem noſtram, qui ſalvandi noluerint, agnoſcendi tranſire non poſſint.

EPISTOLA XXV.

b *Avitus Viennenſis Epiſcopus* [b] *Apollinari Epiſcopo*.

JUbetis, & voti eſt, ut cultibus novis pariterque conſuetis ſtudiis geminæ dedicationis occurram. Sed vereor ne nos hoc teneat, quod poteſtates diutius tenuiſtis. Orate tamen ut par deſiderio ſuccedat effectus. Niſi forte illam magis expenſam numeras, quæ penu adhuc frigente animis tuis calet. Quocirca licet paucos rogaſſe te dicas, licet laxato aulico conventu, relevatum eſſe te gaudeas: ſi qua tamen mihi excurrendi copia fiet, vel invitos qui ſupervenerint invitabis. Providebit Deus epulas multitudini tibi convivæ. Ibi pauperum cibus, olei cado & farris hydria perſiſtente, cumulabitur. Ibi ſi vel quinque panes fuerint, geminum piſcem providiſſe ſufficiat. Illud autem fidus poſt hæc miraculorum experimenta promitto, quod Chriſto pauperum ſuorum conventui minime defuturo, quanto plura populorum millia collegeris, plures cophinos reportabis. Apud filium noſtrum vero, qui ſicut ſcribitis reconciliationem mutuam dignatur ambire, vos eſtote vadimonio, quod ſi ille pacifico voto agere cupit, ego & amico: ſi ille diſcordiam poſcit tolli, ego cupio concordiam confirmari. Tamen homo ordinis mei, quem nec falli, nec fallere decet, crediturus catholico ſenatori, non ad hoc ſolum ſecurus incipiat fieri, ut incautus valeat inveniri.

EPISTOLA XXVI.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [c] *Cuidam*.

EPiſtolas veſtras poſt longum tempus accepi, in quibus me ſervandæ caritatis, quamli-
A bet noveritis triſtem, nec ſic debeatis credere negligentem. Nam vere teſtis Deus eſt, quod ex magnitudine veſtri affectus ſit animo meo major & gemitus. Nec valeo ſine grandi vobis dolore ſuggerere, quam gravi ſanctitas veſtra, date veniam, facilitate præventa ſit. Inſtruxi-
ſtis adverſarios armis veſtris, prodidiſtis imper- Pſal.136.4
fectis ſecreta noſtra, cantaſtis canticum Domi-
ni in terra aliena. Proruliſtis velut vaſa domi- Dan. 5.
nica ſpectaculo convivali quæ irrident: expoſui-
ſtis velut nudatum Noe cachinnis nunquam op- Gen.9.22.
probrio carituris. Si retinent aut ſequuntur,
periculoſe ſubtexit qualitas veritati. Certe ſi
B pretioſum vobis erat quod publicari debere pu-
ratum eſt, terrere vel Ezechiæ regis culpa vos 4.Reg.20.
debuit, quem jactantiæ odore peccantem pro-
pheta redarguit. Sed cum trepidationem iſtam Eſa. 39.
dicatis animo convertentis abſterſam, juſtum
eſt ut cum exultatione dicamus, *Hæc eſt mu-* Pſal.76.11
tatio dexteræ Excelſi. Nam quod vobis inaniter contradicunt belluæ ſic minaces, Deo protegente, quod debiles, quaſque plus mirum eſt carere dentibus, & furoribus paſci: qui cum gemerent perditionis ſuæ perire diſcipulos, perdere incipiunt & magiſtros. Salubriter coram Deo vel hominibus lucra talia conquiruntur. Nihil C in recipiendo expetente violentum eſt. ut volentis devotionem benedictio præſtanda confirmet, non eſt rapina, ſed gratia. quod Chriſtus dignatur accipere, dici non poſſumus invaſiſſe. De reliquo autem, quod me ſuper converſi ſtatu creditis conſulendum, definio inſpiratione divina, ad quemlibet ſacerdotii gradum hominem poſſe conſurgere, ſi non eſt aut in ratione conjugii, aut in quacumque regula moribuſque quod prohibeat clericatum. Cur enim non paſcat Chriſti gregem, qui ſapienter advertit oves non eſſe quas pavetat? quique quia non D fur latroque, merito paſtor futurus per oſtia ingreſſus elegit altaria? Quare non fiat in ſacerdotio noſtro erectus, qui amore humilitatis a ſuo voluit eſſe deciduus? Sit verax ſacerdos ex laico, qui fieri laicus ex fallace ſacerdote contentus eſt. Teneat in Eccleſia noſtra plebem ſuam, qui in ſua contempſit alienam. Datura eſt tantis bonis augmentum cæleſtis gratiæ plenitudo, ut & ille conſecutus incipiat gaudere quod doluit, & hic quotidie fructuoſior, præiſſe ſe magis intelligat quos reliquit.

---

a *Cum miniſterio baptiſmatis*) Chriſmatis conſignationem more antiquo cum baptiſmate conjungit, eandemque ab impoſitione manuum, qua datur Spiritus ſanctus, divellit ac ſeparat. Qua de re alias fuſe diſputatum eſt, cum canonem Arauſicanum explanaremus. Quod vero affirmat Avitus, cum baptiſmo chriſmare ſolitos Donatiſtas, ex Optato & Auguſtino perſpicuum eſt. Tria enim cum apud illos, perinde ac in Eccleſia Catholica celebrarentur, baptiſmus, chriſmatio, & manuum impoſitio, horum duo priora, quando ad eccleſiam redibant, non iterabantur, ſed intacta permanebant, contra quam fieri ab ipſis ſoleret, qui catholicorum & baptiſmum & chriſma execrabantur, & utrumque iterabant. Optatus libro VII. *Quod a vobis unctum eſt, tale ſervamus quale ſuſcepimus*. & poſt alia, *Seduxiſtis homines, rebaptizaſtis, iterum unxiſtis*. Tertium tantum, id eſt, impoſitionem manuum, ob eam quam diximus cauſam repetebant, quod Spiritum ſanctum hæretici dare non poſſint. S. Auguſtinus de baptiſmo Donatiſtarum lib. III. *Manus autem impoſitio, non ſicut baptiſmus repeti non poteſt. Quid eſt enim aliud, niſi oratio ſuper hominem?* quia per orationem videlicet, manuſque impoſitionem, baptizati a præpoſitis Eccleſiæ Spiritum ſanctum Apoſtolico more accipiebant.

b *Apollinari Epiſcopo*) Fratri, Valentinæ urbis, ut ad epiſtolam XI. dictum eſt, Antiſtiti. Cum hac epiſtola comparanda eſt Sidonii epiſtola XV. libri IV. ad Elaphium, a quo pariter invitatus ad novæ Eccleſiæ dedicationem, pari elegantia ſe adiuturum ſpondet, hoſpitumque undique affluentium multitudinem prædicit.

c *Cuidam*) Epiſcopo, ut apparet, cujus nomini parcit, de nimia illum facilitate reprehendens, quod ſecreta noſtra imperfectis, hoc eſt hæreticis prodiderit. De Epiſcopo autem ab hæreſi converſo, reſpondet poſſe in Eccleſia noſtra, ſi aliud nihil officit, ad quemlibet ſacerdotii gradum adſumi. Quo quidem exemplo, & Symphoſium atque Dictinium hæreticos Epiſcopos, Priſcilliani hæreſim damnantes, retenta dignitate receptos legimus in Concilio primo Toletano, & de clericis hæreticis qui ad fidem Catholicam veniunt, univerſim cautum eſt in Concilio I. Aurelianenſi can. X. *Ut ſi fideliter convertuntur & fidem Catholicam integre confitentur, officium ſuſcipiant quo eos Epiſcopus dignos eſſe cenſuerit*.

EPISTOLA XXVII.

a *Ab Avito Epiſcopo dictata ſub* [a] *nomine domni Sigiſmundi regis, ad Symmachum Papam Urbis.*

DUm ſacra reliquiarum pignora, quibus per me Galliam veſtram ſpiritali remuneratione ditaſtis, negare petentibus non præſumo, me quoque ſanctorum patrocinia poſtulare ab irriguo veſtri Apoſtolatus fonte neceſſe eſt. Quanquam etſi eſt adhuc apud nos de dono veſtro, quod catholicæ religionis debeat ſtudio celebrari, etiam illud tamen convenit juſtæ devotionis intelligi, ut directis literarii ſermonis officiis alloquia illa captemus, quibus me pontificatus veſter, vel præſentem monitis docuit, vel abſentem interceſſionibus acquiſivit. Nec nunc paginæ præſentis obſequium reperta opportunitas complectitur: ſed deſtinato ad vos Diacono portitore, viro venerabili Juliano, ad univerſalis Eccleſiæ præſulem ſpiritu repræſentante concurrimus. Creſcit quippe beneficiorum recordatione deſiderium: nec unquam meis elui ſenſibus poſſunt, quæ nobis apud Italiam veſtram, vel pontificalis benignitas, vel civilitas regalis impendit, cum poſt familiaritatem totius munificentiæ commodis præferendam, quia iſtic liberius laxavit reditum, illinc tenacius vinxit affectum. Attentior pro veſtris quod ſupereſt incumbat oratio. In augmento namque ovium creſcit cuſtodia paſtoralis. Sacris nos Apoſtolorum liminibus commemoratione aſſidua præſentantes, ſpeciali dum vixero prædicatori veſtro, ubi obtinuiſtis initium, impetrate profectum. Literis nos, in quantum poſſibilitas patitur aut libertas, quibus nobis doctrina & incolumitas veſtra floreat, frequentate. Et ut ſupra ſperavimus, ambienda nobis venerabilium reliquiarum conferte præſidia: quarum cultu, & beatiſſimum Petrum in virtute, & vos ſemper habere mereamur in munere.

EPISTOLA XXVIII.

b *Avitus Viennenſis Epiſcopus* [b] *Domno Gundobado Regi.*

c REdiens ab urbe Lugdunenſi ſanctus Chartenius Epiſcopus, in qua, nobis [c] de Con-
A cilio diſcedentibus, ad privata quædam negotia expedienda reſederat, quaſtionem ſibi, immo magis omnibus nobis, propoſuiſſe vos retulit. Quæ ſi fuiſſet coram poſitis indicata, ſubminiſtrante ſancto Spiritu, facile ſciſcitationi veſtræ quæ ad cauſam pertinebant ſuggeri potuerunt. Sed quia tam ſanctam ſollicitudinem nulla debemus reſponſi dilatione fraudare: ſciens mihi Chriſto propitio in fide fratrum meorum concordare ſententiam, præſentis paginæ famulatu reſpondere ad conſulta præſumo. Jubetis igitur, oſtendi vobis rationem, vel potius auctoritatem, qua pateat Deum habuiſſe in divinitate
B ſubſtantiam, priuſquam ſumeret de incarnatione naturam: & per hoc perniciosiſſima hæreſis illa vincatur, quæ Dominum noſtrum ex Maria cœpiſſe contendens, etiam Deum patrem in filii execratione blaſphemat. Neceſſe eſt enim, quantum ad illos, imperfectioni divinæ aliquid accreviſſe, ſi tantis retro ſæculis ſine filio manens, pene jam in termino mundi labentis, cum Maria prolem, cum ille habere inceperit paternitatem. ac a ſemetipſis aſſertionis ſuæ neceſſitate conſtricti, quem nominant filium, denegant Deum. Sentiunt enim, ſanas aures ferre non poſſe, ut ante non multos adhuc annos
C Deus cœpiſſe credatur ex homine. Sed neſcio in quem effectum redemptio noſtra ſurrexit, ſi non creaturæ ſuæ pretium Deus extitit. Nec enim redimere homo ſolus hominem poterat: aut qui in ſupernis & Deus eſt eguit redemptione. Jubetis ergo, ut hæc quæ ratione colligimus, auctoritate doceamus. Sufficiat ergo acrimoniæ veſtræ paucitas exemplorum, quæ ſumpta de pluribus abundant cognoſcere cupienti: cæterum renitentibus animis, & in ſua incredulitate durantibus, ſi aliqua non ſatisfecerint, cuncta non proderunt. Eſaias conclamantiſſimus prophetarum, nativitatem Chriſti ſpiritu revelante proſ-
D piciens, *Parvulus*, inquit, *natus eſt nobis, filius* Eſa. 9. 6.
datus eſt nobis, & vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius. Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. Intuemini quæſo verbi vigorem. Parvulus datus eſt nobis, filius datus eſt nobis. Parvulus natus eſt, & filius datus. natus eſt nobis hominis filius, datus eſt Dei. & vocabitur Deus fortis. Ac ſi diceret, Deus & homo, Deus qui creaverat vitam, fortis qui vinceret mortem. Cujus divinitatem, ſub verbis ſcribæ ac
diſcipuli ſui propheta Hieremias oſtendens ſic ait: Bar. 3. 36.
Hic eſt Deus noſter. non æſtimabitur alius ad eum

a *Nomine Sigiſmundi regis ad Symmachum Papam*) Per Julianum Diaconum ſacras reliquias Sigiſmundus rex petit a Symmacho Papa, a quo alias jampridem acceperat. Symmachi porro Papæ obitus incidit in Senatoris Conſulatum anno Chriſti dxiv. Gundobadus Sigiſmundi pater biennio poſt occubuit, Petro Conſule. At Sigiſmundus in epiſtolæ inſcriptione Rex appellatur. Conſtat ergo, patre adhuc ſuperſtite, regis nomen obtinuiſſe. Fredegarius in Epitome cap. xxxiv. *Gundobadi filius Sigiſmundus apud Genavenſem urbem villa Quadruvio juſſus patris ſublimatur in regnum* quod Marii quoque Chronicum confirmat his verbis, *Florentio & Anthemio* (id eſt anno qui inter Symmachi & Gundobadi obitum interceſſit) *His Conſulibus Monaſterium Agauno a rege Sigiſmundo conſtructum*. Atqui his Conſulibus Pontifex Romæ jam erat Hormiſda Symmachi ſucceſſor. Quare non illo primum anno rex dictus Sigiſmundus quem Symmachi antea temporibus nomen hoc geſſiſſe arguit epiſtolæ inſcriptio.

b *Domno Gundobado regi*) Librum de Chriſti divinitate vocat Florus Diaconus, quandocumque epiſtolam hanc citat in Pauli verba ad Romanos, Galatas, & Hebræos. In ea enim Gundobadi quæſtioni reſpondens, oſtendit in Chriſto Domino, priuſquam homo fieret, æternam fuiſſe divinitatem, adverſus hæreſim illorum qui ex Maria cœpiſſe contendebat. De quibus Auguſtinus hæreſi xliv. *Pauliani*, inquit, *a Paulo Samoſateno, Chriſtum non ſemper fuiſſe dicunt, ſed ejus initium ex quo de Maria natus eſt aſſeverant: nec aliquid amplius quam hominem putant. Iſta hæreſis aliquando cujuſdam Artemonis fuit: ſed cum defeciſſet, inſtaurata eſt a Paulo, & poſtea ſic a Photino confirmata, ut Photiniani quam Pauliani celebrius nuncupentur*. Photinianos autem, ſeu Paulianiſtas, per hæc tempora Galliam infeſtaſſe indicat Concilium Arelatenſe II. cap. xvi. & Sidonii epiſtola. xii. libri iv. ad Patientem Epiſcopum Lugdunenſem. Unde & B. quoque Avitus Photinianorum hæreticorum validiſſimus expugnator dicitur ab Agobardo.

c *Nobis de Concilio diſcedentibus.*) Diverſum eſt hoc Concilium a primo Lugdunenſi, quod inter Concilia Galliæ Tomo I. edidimus, in quo diſcuſſa eſt ſub Sigiſmundo cauſa Stephani, qui duas ſorores duxerat. Hoc enim ſub Gundobado jam præceſſerat: ſed in eo quid actum ſit neſcimus, niſi quod ſe interfuiſſe Avitus ſignificat cum Carthenio incertæ ſedis Epiſcopo.

Invenit omnem viam diſciplinæ. dedit Jacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. & poſt hæc in terra viſus eſt, & inter homines converſatus. Quod ſi eſt forte, cui hæc, quæ de antiquis ponimus,
Rom. 9. 5. obſcura videantur, legat Apoſtolum Paulum,
qui cum corporeos parentes Domini commemoraret, *Quorum patres*, inquit, *& ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*. Nam & Thomas Apoſtolus, cum in reſuſcitati mediatoris corpore fixuras clavorum, hiulcum tranſpuncti lateris ſignum, digito tentante palpaſſet, virtutis experimenta inter infirmitatis indicia colligens, ſic clamavit,
Joan. 20. 28 *Dominus meus, & Deus meus*. Ecce quibus teſtimoniis, velint nolint, hæretici ipſi, Judæorum in perditione confines, de filii divinitate vincuntur. quorum verbo credas Judæos in Evan-
Joan. 8. 57. gelio Joannis Dominum diſcuſſiſſe dicentes: *Quadraginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* At ille inquit, *Amen dico vobis, ante Abraham ego ſum*. Eſt hic, rogo, quod obſcurare vel volens queat? Quid nunc reſtat, niſi ut qui ſenior ab Abraham cognoſcitur, junior vel mundo dicatur? Et iſtud, quamlibet contentioſum ſit, vinci poteſt, ipſo Domino inter paſſionis con-
Joan. 17. 4. tumelias proclamante, *Pater clarifica me ea claritate, quam habui apud te antequam mundus fieret*. Sed forte & hoc putatur addendum, ut eum filium nominatum cujuſcumque exempli
Pſal. 2. 7. auctoritate doceamus. In Pſalmo ait, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Hodie hic æternitas ſignificatur, quæ termino atque principio perinde caret: cui non pariunt craſtina tempora futurum, nec rapiunt heſterna tranſactum. Penes nos ergo, per tenebrarum vices iſta mutantur: apud Deum vero, cui nox non eſt, ſemper hodie eſt. Quod tamen ſi hæretici aliter volunt intelligere, noſtra non refert. Nam cum de ſolo nomine filii Dei agamus, quale volunt hodie accipiant, conceſſuri ſunt, ut ante genuerit filium pater, quam mater ediderit. Certe vel Salomon, cui maximam in Scripturis veteribus auctoritatem ſingularis ſapientia facit, planiſſime filium in Proverbiis &
Prov. 30. 4. lucidiſſime nominat dicens: *Quis colligavit aquas quaſi in veſtimento? quis ſuſcitavit omnes terminos terræ? quod nomen ejus, & quod no-*
Gal. 4. 4. *men filii ejus, ſi noſti?* De præteritis iſta ſufficiant. Apoſtolus autem dicit: *Poſtquam venit plenitudo temporum, miſit Deus filium ſuum*. Enimvero qui mittitur erat antequam mitteretur. Qui ſi ante Mariam non fuiſſet, hunc ſimilem ceteris adoptio fecerat Dei filium, non natura. Nec
Joan. 13. 16 In Evangeliis ipſe dixiſſet, *Tantum Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unicum daret*. Non electum ergo ab ipſa ineffabili paternitate, ſed genitum. cui tam Deo quam homini vero, in utraque natura fideliter proprio, in divinitate manſiſſe de patre, in corpore cœpiſſe de matre eſt. Hæc ergo, quia juſſiſtis, quædam reſponſionis noſtræ indicula, & ad elucidandam veritatem pauca teſtimoniorum ſemina tranſmiſi. quæ poſſit quidem acrimonia veſtra vel eloquentia in frugem ſalutis Chriſto irrigante nutrire. Sed ſi ſit quiſquam de his contra quos agimus, quem his veſtro judicio ad totum reſpondiſſe credatis, licet ſint vigilantiſſimi in catholica & fideliſſimi tractatores, dabit tamen Deus, ut ego quoque poſſim vobis & numeroſiorum exemplorum numerum, & rationem quæ ſatisfaciat, præſumpta ſcribendi vocatione ſuggerere.

Epistola XXIX.

Avitus Viennenſis Epiſcopus[a] *Domno Sigiſmundo.*

Omni quidem vitæ meæ tempore debitorem me aſſerendi famulatus agnoſco: ſed impenſius feſtivitate præſenti, quæ ſollicitudinem veſtram non minus explorandis hæreticorum conatibus, quam noſtræ partis occupat cultibus celebrandis. Siquidem per annuum quoddam contagium congregatis adverſis, attento vobis labore curandum eſt, ne alienæ calliditatis fraude pullulet, quod in Dei nomine jam veſtra victoria celebrabili virtute ſuccidit, quamlibet Chriſto propitio præſentibus vobis obſiſtat.* Hinc illa ſollicitudine preſſior conſtipatio Genavenſis, quæ in more originis primæ, virilibus animis virus anguium ſibilo feminei ſermonis inſonuit. Unde illud, ſi mereor, quamprimum ſcire deſidero, utrum cum domno clementiæ veſtræ patre mentio illius ordinationis acciderit, quæ bonorum peſtem ab infernalibus latebris excitatam, Catholicis Arrianiſque certantibus intromiſit: vel ſi ſervatur adhuc credulitatis, immo ſimulationis illius dolus, quem non impreſſum animis, ſed chartulis exaratum, paulatim in antiqua ſui dogmatis crudelitate revocat literata promiſſio. Quæ certe ſi adhuc, ut cœperat, ſocietati Arrianæ communione immixta eſt, claret glorioſior ſub principatu veſtro noſter triumphus, cum duabus hæreſibus in unum redactis, tam acquirentibus, quam convincentibus vobis, & ſchiſmaticorum numerus decreſcit & ſchiſmatum. Hinc ergo ſervitium curioſitatis meæ dignanter aſpicite, & de peculiaris patroni veſtri apoſtoli feſtis expectationi noſtræ proſperitatis & compellationis veſtræ munera duplicate.

* Al. lect. abſiſtat.

Epistola XXX.

Avitus Viennenſis Epiſcopus[a] *Domno Sigiſmundo.*

Nuper cum officia culmini veſtro ſemper debita pro Apoſtolicæ feſtivitatis conſuetudine deſtinavi, non minus civilitate pretioſo, quam declamatione conſpicuo ſermone dixiſtis, idcirco vos tardius dediſſe reſcriptum, ut humilitas ſui conſcia, quæ a ſcribendi audacia jure temperat, eo diutius ariditatis ſupplicia penderet, quo fontem ſplendidum veſtri alloquii plus ſitiret. Vindictæ, ſicut dignamini ſcribere, genus eſſe cenſentes, ut portitor a me ſegnius deſtinatus vobiſcum diutius moraretur. O retributio ultionis blandiſſimæ! o ſententia crudelitatis optandæ! Quis ſcilicet tam intolerabilem pœnam æquanimiter ferat, ut paradiſo veſtri conſpectus incluſus mora beatiore vos videat? Timeo plane, ne fre-

---

a *Domno Sigiſmundo*) Utriuſque epiſtolæ eadem fuit occaſio, Apoſtolica nimirum, id eſt B. Petri feſtivitas, quæ Genavæ annuo cultu celebrabatur. Genavenſis enim Eccleſiæ tutela & patronus B. Petrus, & Genavæ, opinor, diviſo cum patre regno, larem fixerat Sigiſmundus: quod & de Godegiſilo Gundobadi fratre, cum una regnarent, ſcribit in Epiphanii vita Ennodius. Genavam tum ergo promiſcue adventantibus etiam hæreticis, locum habuerunt illa quæ priore epiſtola continentur, in qua duas hæreſes, ni fallor, dicit Arrianam & Photinianam.

quenter me jubeatis ſcribere, ſi diſponitis tarditatem taliter vindicare. Aut ſi ego certus fuerim hujuſmodi me animadverſione plectendum, ipſe proculdubio ſcripta porrigerem, quæ juſto rarius exaraſſem. Et utinam mihi vobiſcum poſito negaretur celeritas revertendi: & verba quæ poſt longum tempus legere, diutius in ipſo meatus ſui tramite donarer audire. Certe Deus viderit, quid ego apud judicium veſtrum, vel audacia ſervitii, vel trepidatione promerear: tamen officii mei portitoribus reus ero, ſi eos prolixitate præſentiæ veſtræ delicti quo arguor emendatione fraudavero.

EPISTOLA XXXI.

a *Avitus Viennenſis Epiſcopus* [a] *Fauſto & Symmacho Senatoribus Urbis.*

PRimum fuerat talis ſtatus rerum deſiderandus, ut ipſi per nos urbem orbi venerabilem pro dependendis divinis humaniſque expeteremus officiis. Sed quia iſtud jam dudum per rationem temporum fieri poſſe ceſſavit, velimus quod fatendum eſt, vel eo ſecuritatis accedere, ut quæ in cauſa communi ſupplicari oportet, amplitudo veſtra congregatorum Galliæ ſacerdotum relatione cognoſceret. Sed quoniam hujus quoque nos voti non potes reddit provincia præfixis regnorum determinata limitibus: quamprimum ſupplici prece poſco, ne celeberrimo ordini veſtro pagina hæc aliquod moveat quaſi ab uno dictata faſtidium: quoniam a cunctis Gallicanis fratribus meis, ad hoc ipſum non minus per mandata, quam per literas oneratur, quæcumque a vobis omnes ambimus, unus ſuggerenda ſuſcepi. Deum de cauſa Romanæ Eccleſiæ anxianimi ac trepidi eſſemus, ut pote nutare ſtatum noſtrum in laceſſito vertice ſentientes: quos omnes una criminatio utique ſine invidia multitudinis percuſſerat, ſi ſtatum principis obruiſſet: perlata eſt ſollicitudini noſtræ ab Italia in exemplari-
b bus [b] ſacerdotalis forma decreti, quam de Papa Symmacho apud Urbem collecti Italiæ Antiſtites ediderunt. Quam conſtitutionem licet obſervabilem numeroſi reverendique Concilii reddat adſenſus, intelligimus tamen, ſanctum Symmachum Papam, ſi ſæculo primum fuerat accuſatus, conſacerdotum ſuorum ſolatium potius adſciſcere, quam recipere debuiſſe judicium. Quia ſicut ſubditos non eſſe terrenis poteſtatibus jubet arbiter cæli, ſtaturos nos ante reges & principes in quacumque accuſatione prædicens: ita non facile datur intelligi, qua vel ratione, vel

A lege, ab inferioribus eminentior judicetur. Nam cum celebri præcepto Apoſtolus clamet, accuſationem vel in presbyterum recipi non debere, 1.Tim.5.19.
quid in præcipuum generalis Eccleſiæ criminationibus licere cenſendum eſt? Quod Synodus ipſa venerabilis laudabili conſtitutione proſpiciens, cauſam quam, quod ſalva ejus reverentia dictum ſit, pene temere ſuſceperat inquirendam, divino potius ſervavit examini: perſtringens tamen, pro ut breviter potuit, nihil vel ſibi, vel glorioſiſſimo viro Theoderico regi, de his quæ Papæ dicebantur objecta patuiſſe. Quibus cognitis, quaſi Senator ipſe Romanus, quaſi Chriſtianus Epiſcopus obteſtor, ſic divinitatis cæleſtis dono tempo-
B ribus veſtris proſperitas optata ſuccedat, ſic dignitas, in qua floretis, univerſo orbi ſpeciem Romani nominis mundo labente contineat, ut in conſpectu veſtro non ſit Eccleſiæ minor quam reipublicæ ſtatus. quodque vobis Deus poſſe præſtitit, proſit & nobis: nec minus diligatis in Eccleſia veſtra ſedem Petri, quam in civitate apicem mundi. Si profundo illo tractatus veſtri conſilio rem videtis, non ea tantummodo quæ Romæ geritur cauſa cogitanda eſt. Sed & in ſacerdotibus ceteris poteſt ſi quid forte quod vocaverat reformari. at ſi Papa Urbis vocatur in dubium, epiſcopatus jam videbitur, non Epiſcopus vacillare. Noſtis bene inter quas hæreſum tempeſtates, veluti ventis circumflantibus, fidei puppem ducamus. Si
C nobiſcum hujuſcemodi pericula formidatis, expedit ut gubernatorem veſtrum participato labore tueamini. Alias autem quæ ultio eſt, ſi nautis in magiſtrum furentibus, non ſine illorum periculo cedatur iſto diſcrimine. Reddet rationem qui ovili dominico præeſt, qua commiſſam ſibi agnorum curam adminiſtratione diſpenſet: ceterum non eſt gregis paſtorem proprium terrere, ſed judicis. Quapropter reddite nobis principalem, ſi tamen necdum eſt reſtituta, concordiam. quoniam clienti veſtro, venerabili Symmacho presbytero, idcirco laborem hujus fatigationis injunximus, ut nobis in veſtrarum oraculo literarum
D per reintegratæ pacis nuntium ſupplicationis noſtræ referret effectum.

EPISTOLA XXXII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [c] *Liberio Præfecto.* c

POſtquam multiplices Galliarum labores feliciſſimus poteſtatis veſtræ viſitavit adventus, nullum ſum antehac in affectibus veſtris deſiderii mei expertus effectum. Unde licet etiam no-

---

a *Fauſto & Symmacho ſenatoribus*) Non ſenatores modo, ſed patricii ambo, & ordinarii Conſules fuerant, Fauſtus anno Chriſti c d x x c i i i. biennio poſt Symmachus, uterque ſine collega. Ad hos ergo, tanquam præcipue in urbe dignitatis proceres, ſuo & Gallicanorum omnium Antiſtitum nomine, ſcribit de Synodo Romana, & judicio in ea adverſus Symmachum Papam Theoderici regis auctoritate conſtituto expoſtulans, Italiæque Epiſcopos perſtringens, quod de eminentiore judicium inferiores receperint.

b *Sacerdotalis fama decreti*) Extat hoc decretum in Synodo Rufio Magno Fauſto Avieno Conſule habita anno Chriſti d i i. *Determinus*, inquiunt, *ut Symmachus Papa, ſedis Apoſtolicæ Præſul, quantum ad homines reſpicit, quia totum conſtat divino arbitrio fuiſſe dimiſſum, ſit immunis & liber, & Chriſtianæ plebi, ſine aliqua de objectis oblatione in omnibus Eccleſiis ſuis, ad jus ſedis ſuæ pertinentibus, tradat divina miſteria.* Quare dubium non eſt, quin Synodum iſtam Avitus intelligat, quæ in Codice Narbonenſi, aliiſque vetuſtioribus, quarta & palmaris recte inſcribitur. Falſo enim recentiores palmaris nomen Synodo alteri tribuunt, quæ Avieno juniore Conſule celebrata eſt cum in ea nec decreti hujus ſit mentio, nec abſolutionis Symmachi, quam in Palmari editam conſtat,

a *Liberio præfecto*) Prætorii primum Italiæ, tum deinde Galliarum, viro multiplici laude conſpicuo, poſt etiam Patricio. Caſſiodorus libro xi. Variarum epiſt. 1. *Reſpicite Patritium Liberium Præfectum etiam Galliarum, exercitualem virum, communione gratiſſimum, meritis clarum, forma conſpicuum, ſed vulneribus pulchriorem, laborum ſuorum munera conſecutum, ut non Præfecturam, quam bene geſſit, amitteret, & eximium virum bonor geminatus ornaret.* Ennodius Liberio eidem lib. ix. epiſt. xxiii. *Mecum Galliæ in hac adſtipulatione conveniunt, ut Chriſto Deo vivo diſponente, ordinatis illis, quibus civilitatem poſt multorum annorum curricula intuliſti, quos non ante contigit ſaporem de Romana libertate guſtare, ad Italiam tuam & poſcentibus nobis, & illis tenentibus reducaris.*

bis

bis prodeſſe credamus beneficia, quæ jam dudum Provincialibus ſpargitis, mihi tamen hactenus ſitienti literas veſtras quaſi primum modo veniſtis. Enimvero ut me offerendis ultro epiſtolaribus officiis non offerrem, illis occupationibus obſtrepere timui, quibus me credebam tanto temporum ſpatio a votiva lectione ſuſpendi. Sed quia etſi tarde, compellantibus vobis, meque ad præcelſos apices reſcribente, ordo alternantis commercii in literario ſermone ſervatus eſt, qui feciſtis me abſque verecundia reſpondentem, reddite ut cupio frequentia debitorem. Nec deſunt ſi annuitis cauſæ jubendi: abundant quæ poſſitis injungere cupientibus obedire. major ſiquidem poteſtate civilitas, nec minor eſt dignitate dignatio. Nam hæc ipſa cauſa, cujus vobis ſcribendi materiam merces ingeſſit, quibus inter tribunalia operibus magis ſtudeatis florere perdocuit. Unde quod nobis a [a] viro ſpectabili, Vicario veſtro, pro quorumdam captivorum liberatione ſuggeſtum eſt, ad præceptionem culminis veſtri lætus implevi, pretio tamen, quod portitores attulerunt, non recepto. Quia ſi aliquid præfato viro magnifico, filio meo Gemello, conditionis perſonæ ipſæ per originem debent, poteſt hoc quod mihi obtulerat, pro redimendis ingenuis diſtribuere. Si vero iſtos agnoſcitis liberos natos, ſufficit pretium profuiſſe.

Epistola XXXIII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus viro illuſtri [b] *Apollinari.*

SCio quod revertens ad devinctiſſimos mihi domnos Domnolus noſter, coram me veſtræ piæ ſollicitudinis ambiguitatibus æſtuantem, aliter quam voluit relaturus, aggravavit magis redeundi feſtinatione, quam minuit. Siquidem me apud Lugdunum in adventu ejus gravis oculorum dolor impotem luminis contuendi impetu ingruente reddiderat. Unde quia nec ipſe fuit eliciendi reſcripti efficax, nec ego idoneus redhibendi, omnem gratiarum, quæcumque vel pretio munerum, vel animo munerantum deberi potuit, actionem verbo potius referendam portitoris auribus alligavi. Licet minime dubitans, apud ſanctæ dulcedinis aviditatem parvipendendam mandatorum ſeriem deſiderio literarum. Sed cum primum, rareſcentibus tenebris cubicularis ergaſtuli, aliquantiſper ordinandi officia copia fuit, ſolutionem debiti non moratus, præſentem bajulum deſtinavi: cui ultra quam dici poteſt verboſis ſalutationibus onerato, quantum pertinet ad mandata loquacia, perbrevem paginam dediſſe me computo. Nam ecce mihi Deus teſtis eſt, quanto lumine præfatus cariſſimus noſter in ipſa contenebrati receſſus nocturnali habitatione reſperſit, cum dulciſſimi pignoris noſtri reditu, quem ante neſcieram, nuntiato, reſolidatam Chriſto propitio familiam meam ab eo quem miſiſſem inveniendam eſſe firmavit. Quocirca nec vos jam de vobis aliquid ſemiplenum putetis: quorum contubernio, divinitate propitia, etiam oculi mei per præſentem paginam ſatisfacientes accreſcunt. Tum videlicet ſinceritate perfecta hilares diei gratia recepturi, ſi me reſcribere hactenus veſtra dulcedo ſic ignoſcens, quamlibet infirmum atque anxium, ad votivam tamen frequentiam literarum in Dei nomen, Archadio jam dictante, ſolis ſubſcriptionibus occupanda compellat.

Epistola XXXIV.

Avitus Viennenſis Epiſcopus viro illuſtri [c] *Aureliano.*

INdicium quidem quantulæcumque proſperitatis eſſe manifeſtum eſt, quod amicorum affatu tantiſper interlucente temporariæ pacis colore viſitamur. Veruntamen æſtus ille diluvii, quem procellis temporalibus comparaſtis, humanis rebus, dum per mundanum pelagus curritur, fluctu aſſiduæ perturbationis inſiſtit. Quandoquidem hoc ipſum, quod inter adverſitates temporum reſpiramus, diſcriminum quæ patiamur intervalia magis debemus putare, quam terminum. Nam idcirco tantum inter incommoda calamitatum, circumſcribendis potius quam ſanandis, lux quædam videtur alludere, ut mentes fallaci ſecuritate laxatas, inſtaurato gravius metu ſucciduus angor afficiat. Quocirca deſiſte, vir optime, mala ferventia credere finem malorum: & cum ſe, motu diſſimili tempeſtate molita, facies tantillæ ſerenitatis alternat, varietate proventuum non delectare, ſed urere. Nec ſic te aut proſperitas erigat, aut frangat adverſitas, ut in animis tuis tam amicorum mutetur cauſa, quam temporum. Memento ſemper propoſitæ caritatis, ſi licet ſcribere: ſin alias, quod prohiberi non poteſt, vel amate. & poſt gurgites, quos literis deſcripſiſtis, in eo magis ſæculo ſperate portum, quo timere non poterit tranquillitas rata naufragium.

Epistola XXXV.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [d] *Elpidio Diacono*

PEr quoſdam clericos legis alienæ divinum munus in nuntio tuæ incolumitatis accepi.

a *Viro ſpectabili Vicario veſtro*) Gemellum mox nominat: quem Provincia potitus rex Italiæ Theodericus Vicarium Præfectorum creavit. Sic enim ad eum ſcribit apud Caſſiodorum libro III. epiſt. XVI. *Hinc eſt quod præſenti tempore in Gallias, nobis Deo auxiliante ſubjectas, Vicarium te Præfectorum noſtra mittit auctoritas.* Ceterum, ut Avitus hoc loco Liberii rogatu captivos liberat, ſic Liberium Ennodius libro IX. epiſt. XXXIX. pro Camilla conſanguinea ſua rogat, ut caſellulas ejus intra Gallias fiſci oneribus relevet.

b *Apollinari V. I.*) De Sidonii filio ut conjicIam, monet ſub finem nomen Archadii, quem Apollinaris filium innuere videtur. Apollinari autem, Sidonii filio, filium fuiſſe Archadium, in Notis Sidonianis oſtendimus libri III. epiſtola XIII.

c *Aureliano V. I.*) De hoc vero difficilior eſt conjectura, cum Aureliani hac ætate inſignes fuerint non pauci. Vide an ad Aurelianum patricium referri queat, cujus ſervum Maſſiliæ ad Baſilicam S. Victoris a dæmonio liberatum ait Gregorius Turon. lib. I. Mirac. cap. LXXVII. Certe, niſi tempora diſcrepant, dignitas non repugnat; cum Illuſtres fuerint omnes Patricii.

d *Elpidio Diacono*) Medico Theoderici regis, cujus ad Elpidium ipſum, cum Diaconi quoque titulo, extat epiſtola lib. IV. Variarum Caſſiodori, & apud Ennodium complures. Eo alludens Ennodius idem lib. IX. epiſt. XIX. *Scio*, inquit, *quia Deus tibi ſic gratiam invicti Principis contulit, ut humilitas Eccleſiaſtica non periret.* Carum enim in primis Theoderico fuiſſe teſtatur Cyprianus Diaconus in vita S. Cæſarii libro I. *Elpidius Diaconus & medicus, regiæ poteſtati ſedulus officiis cum primis familiaris & intimus.* Quo in loco Elpidium narrat ab infeſtatione diaboli, qua domi vexabatur, S. Cæſarii opera liberatum.

neç minuit diligentis gratiam qualitas porticorum : ſicut nec Eliæ noſtro tranſmiſſi cælitus cibi inter horrida volatilium bajulorum roſtra viluerunt . Ipſam tamen , quam ſatis avidus ſumpſi, tuarum dulcedinem literarum, illud aliquantæ amaritudinis aſperitate reſperſit, quo ad te ſcripta, quæ prius reddidi, abnegas perveniſſe. Nam [a] per Majorem domus Tullii, qui amorem tuum, dominum meum Sigiſmundum, a patre ſuo in legatione directus, in Viennenſium civitate repererat, epiſtolas tuas me accepiſſe lætatus, per ipſum rurſus officia profuſiſſimæ caritatis exſolvi, & affectum tui, quem corde conceperam, ſtudio paginæ famulantis excolui. Quo eventu in manus tuas perlata non fuerit, Major quem ſupradixi non poteſt ignorare. Et ego quidem moleſte tuli, & tibi moleſtum fuiſſe gaviſus ſum, in tam idonea opportunitate deſideriis duorum unius officii periiſſe commercium. Verumtamen cum de inſtitutæ dilectionis propoſito pars alterna ſecura eſt, nonnunquam caſibus oportet ignoſci, quibus colloquia noſtra potius quam vota fruſtratis, ſollicitudini damnum poteſt contingere, non amori. Neque tu putes, ſeu negatis occaſionibus, ſeu repertis, ullum eſſe negligentiæ tempus, quo apud me inter quaſlibet alias actiones frequentandæ ſoſpitatis tepeſcat ambitio. Illud igitur in mentibus amicorum cenſeo eſſe pretioſius, in quo conſtat fortuitis nil licere, quod nec itineris diſſipat longitudo, nec oblivionis fruſtratur abuſio. Compenſo tamen in præſenti caritatis verbum, ſi pro damno dignatus es putare ſilentium. Simul & ſpecialius adoleſcentem ſi dignaris inſinuo, filium ſcilicet viri illuſtris Celeri, qui poſt Deum ut unicæ ſoboli vitam incipiat ſperare tu facies. Nam ita lacrymabili pignoris infirmitate conſtringitur, ut incertus optandi, cujus quaſi pater mortem imminere compellitur, vitam quaſi orbatus deflere cogatur. Quapropter opitulaturæ divinitati junge tua quantum conjicimus de peritia ſingulari, veſtrum promiſiſſe jam ex parte feciſſe eſt. Tribuat Chriſtus, ut exultando atque impenſius laudando in hac cura magiſterio tuo, ſimul tibi & Italia medicinæ opinionem, & Gallia pueri debeat ſanitatem.

3 Reg.17.6.

A

EPISTOLA XXXVI.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [b] *viro illuſtri Senario.*

MAgnificentiæ veſtræ gratiam frequenter expertus, quia dignanter accipitis, ſalutionis officium pagina famulante direxi. Et quia ſcitis Synodalium legum eſſe, ut in rebus quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinent, ſi quid fuerit dubitationis exortum, ad Romanæ Eccleſiæ maximum ſacerdotem, quaſi ad caput noſtrum membra ſequentia recurramus, ex conſenſu Antiſtitum provinciæ Viennenſis [c] ad ſanctum Hormiſdam, ſeu quicumque nunc ille eſt, Papam debitæ venerationis obſequium cum ſollicitudine deſtinavi; audire a præfactæ ſedis auctoritate deſiderans, quid de effectu directæ a ſe ad Orientem legationis agnoverit. Cum ergo, ut dixi, a provincialibus meis conſulor, reſpondere etiam ego, ni priorem conſulam, non præſumo. Adminiculo igitur ordinationis veſtræ opus eſt, ut iſtud ab utraque parte per ordinem compleatur, ut vel a nobis interrogatio perveniat, vel ad nos redeat ab exponente reſponſio. Non ad ſolos ſacerdotes Eccleſiæ pertinet ſtatus: cunctis fidelibus ſollicitudo iſta communis eſt. Quicumque vel quocumque videmur Eccleſiam regere, veſtram in catholica religione rem gerimus. Cum de fidei regula vel ægrotat aliquis vel ſanatur, nobiſcum vos aut gaudere oportet, aut gemere. Unde nec vos aliquid de cauſa quam conſulo latere credendum eſt. Si mihi ſoli agerem, ſatis interrogationi meæ notia veſtra ſufficeret, nil plus a Papa quam a vobis poſſumus veritatis audire. Sed Eccleſiarum poſcit utilitas, ut quæ vos noſtis doctor inſinuet. Ego tamen peculiaris veſter reſcriptum, ſi dignamini, a vobis peculiarius præſtolabor: quo revera ut dixi, tantum mihi veritas innoteſcere poterit, quantum ſe Romanæ urbis Antiſtes auctoritatis privilegio expetentibus reſpondiſſe gaudebit.

B c

C

D

EPISTOLA XXXVII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [d] *Petro Epiſcopo.* d

ETiamſi alia cauſa non eſſet, qua beatitudinem veſtram literario famulatu occurſus

a *Per Majorem domus Tullii*) Quis hic Major, aut quænam Domus Tullii, a qua illi nomen, non liquet. niſi quis fortaſſe ad Servii Tullii regis domum, quam P. Victor in quinta Urbis regione collocat, referendum putet, quod multis non facile perſuaſerit. Ad Celerem autem, cujus filii ſanitatem hoc loco Elpidio medico commendat, ſcripturus eſt epiſtolam XLIII.

b *V. I. Senario*) Comes hic fuit patrimonii Theoderici regis, & Patricius, de quo multa jam diximus ad Ennodium. Nunc addendum eſt ejuſdem Epitaphium, quod non inſulſis verſibus conditum, a Petro Pithœo relatum eſt in libro IV. Poematiorum.

SENARII V. I. COMITIS PATRIMONII ET PATRICII EPITAPHIUM.

Ille ego ſum mundi quondam ſine fine viator
Senarius, membris tumulo non nomine clauſus.
Principis invicti ſemper ſublimis amore.
Cujus in orbe fui vox regum, lingua ſalutis,
Fœderis orator, pacis via, litibus hoſtis.
Novit & hoc Oriens, hoc ultimus axis Iberi,
Hoc ſcit bruma rigens, ſcit & Africa ſolibus uſta.
Bis denas & quinque ſimul legatio noſtra
Signat in orbe vias, & nunquam ſtrata labore.
Curſus erat volucer. namque anno pervigil uno
Bis maris Oceani, bis Pontica litora vidi,
Europamque Aſiamque ſequens, duo limina mundi.
His etiam meritis ſociavimus agmen honorum.
Aulica quippe Comes rexi patrimonia clarus,
Et mea patricio fulſerunt cingula cultu.
Me pietas, me ſancta fides, me fovit honeſtas.
Sæcla canant titulos, nam moribus aſtra tenemus.

c *Ad ſanctum Hormiſdam*) Aviti ad Hormiſdam epiſt. itemque Hormiſdæ ad Avitum reſponſio, poſtremo loco a nobis editæ ſunt numero XXCVII. & XXCVIII. ex quibus epiſtolæ hujus & proxime ſequentis interpretatio petenda eſt.

d *Petro Epiſcopo*) Ravennati, ut opinor. Eodem pertinet epiſtola quo ſuperior. Miſſis enim ad Hormiſdam legatis, ut de Orientalis Eccleſiæ ſtatu certior fiat, ab Epiſcopo Ravennate, qua iter illis futurum erat, petit ut ignorantiam Gallicanam erudiat. Petri hujus in Synodo Romana palmari ſubſcriptio legitur his verbis, *Petrus Epiſcopus Eccleſiæ Ravennatis huic ſtatuto noſtro, in quo totam cauſam Dei judicio commiſimus, ſubſcripſi*. Ad eundem etiam pertinere conjicimus Theoderici regis epiſt. XXVII. libri III. Variarum, Petro Epiſcopo inſcriptam Felice Conſule, id eſt, anno Chriſti DXI. Quod ſi verum eſt, errant qui Petrum Ravennatem ante id tempus defunctum tradunt.

meæ devotionis expeteret, juſtum eſſet vos ab omnibus excoli, qui opinione ſancta deſiderium veſtri omnibus intimatis. Dignum quippe eſt vos expeti non minus ſede Romana: quia non magis poteſtate illa, quam vos caritate fulgetis. Cujus reverentiæ ut debitum eſt ſalutatione præmiſſa, fateor Apoſtolatui veſtro, etſi cum verecundia, ignorantiam Gallicanam. Nec melius eſſe puto quemquam ſimulare quod ſciat, quam didiciſſe ſi neſciat. Quæ inter Romanam & Conſtantinopolitanam Eccleſiam res agantur, non quacumque auctoritate cognoſcimus, ſed de rumoribus magis ac nuntiorum varietate captamus. Et ideo, ne forte quam ruſtici tam negligentes credamur, perinde ſanctum Papam, & beatitudinem veſtram, [a] per Viennenſes clericos provincia tota nunc conſulit, ut quæ vobis de ſtatu fidei cum Orientis parte definita ſint, reſcripti ſalubris lumine declaretis. Quia cum magiſtros etiam procul poſitis ultro deceat prorogare doctrinam, curandum eſt ſoliditati corporis, ut ſemper proſperitatem capitis ſui membra cognoſcant. Quocirca ſi ſervis veſtris filiis meis, quos in idipſum direxi, tribuatur accedendi uſque ad Romam facultas, per duos Eccleſiæ principes abundabit Gallias erudiri. Quod ſi forſitan a ſede veſtra quos miſimus revertantur, veſtri Apoſtolatus fida reſponſio fiet nobis totius inſtructionis, quæ ad cunctos perveniat plenitudo.

EPISTOLA XXXVIII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [b] *Eufraſio.*

JAm quidem per pueros meos literas dedi, quibus ſcire vos facerem, quantum fratri Imeterio apud me commendatio veſtra profecerit. Tamen non dubitans eum inter initia pontificatus ſui, ſenioris germani, ſicut dignum eſt, officia curaturum, has etiam per ipſum libenter adjeci, quibus opuſculi mei jam diu quæſitum prædonem in manus meas veniſſe plus gaudeo. Et quia libellum ipſum, quantum mihi indicaverat, vobis reportat, ſpero ut qualecumque eſt opuſculum ipſum, nec vacanter editum, nec omnimodis emendatum, viro ſublimi ac piiſſimo, ſi dignamini, fratri noſtro Apollinari publicare atque excuſare dignemini. Cui impium fuerat non hæc a me primum jure caritatis offerri, ſi non rurſus fuiſſet abſurdum, me domni Sidonii filio, inter facundiæ paternæ delicias, meis temporibus nauſiaturum, offerre etiam de præſumptione faſtidium. Quocirca volumen per vos temperatius ingerendum, ſi ſupradictus frater vel inſantibus legi debere cenſuerit, poſſum per quæcumque magnificentiæ ſuæ ſcripta cognoſcere. Si autem poſt flumina fontium paternorum, ut potius reor, paupertatem venæ tenuiſſimo rore manantis abjecerit, ſine verecundia mea ſuaque impietate, ſufficiet me reprehenſionis ſuæ cenſuram hinc tantummodo intellexiſſe, ſi taceat.

EPISTOLA XXXIX.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [c] *Domno Gundobado Regi.*

QUod ſervum, cui diſcuſſio neceſſaria credebatur, de Viennenſi ad Lugdunenſem baſilicam ſub cuſtodia deſtinavi, timoris & obedientiæ fuiſſe manifeſtum eſt. Nam ſicut eum hic inaccuſatum tradere non præſumpſi, ita illic interrogationibus, quas audientia poſtulabat, vivum fieri procuravi. Cum vero & regula ubique una ſit, & eadem ſeu impoſſibilitas, ſeu facultas, pro communis miniſterii obſervatione nos maneat, non ego proprietatem Lugdunenſis & Viennenſis baſilicæ, ſed reverentiam Eccleſiæ utriuſque tractavi: unde interceſſioni [d] facilius de proximo ſuggerendæ, quod utrumque noſtrum tangere poterat, præſens Epiſcopus allegaret. Siquidem in omnibus locis ſanctis, ſicut miniſterio noſtro eadem caritas, ita imperio veſtro æqua poteſtas eſt. Ut taceam quod ſervus ipſe, a domini collocutione digreſſus, non debuit pro concitanda mihi offenſa Viennenſem expetere, qui illic poſitus intra Lugdunenſem ſe potuit Eccleſiam continere. De cauſa vero, in qua coram examine celſitudinis veſtræ callidus depoſiti negator arguitur, talis conſcientia mea eſt, qualis Deo & vobis in omni actu meo & converſatione monſtratur. Quamquam etiam me teſtante interpellantis ſimplicitas, quæ ut pii domni dicatis non devitaret operatione diffiteri, qui in ejus conſolatione volueram, ſi Chriſtum cogitare putaretur, profiteri. Quod etiam præſenti teſtificatione de ſervis veſtris, civibus noſtris, aliqui cognoverunt. Pulſatis autem laborioſis extra ordinem ſuum omnem parum ſtabilis dicitur eſſe reſponſio. Utrum de me erit, ſuggerat Deus vobis. declaret & veritas. quia qui caſtigatus a me, eo forte ſpiritu falſitatis iraſcitur, quo contra ſimplicem de depoſiti inficiatione mentitur, licet Deo vobiſque propitiis parum ad defenſionem ſuam proficiente commento, dum ſe a me dicit admonitum ne redderet, diffiteri non poteſt quod accepit. Quæ profeſſio ſua, etiamſi cenſeatis quod gravare me debeat, illum non poteſt ſublevare. Ego tamen præceptum veſtræ pietatis

---

a *Per Viennenſes Clericos*) Alexium presbyterum & Venantium Diaconum. Sic enim appellantur in Aviti literis ad Hormiſdam, & in Hormiſdæ ad Avitum.

b *Euphraſio*) Etſi Epiſcopi nomen non eſt appoſitum, Epiſcopum tamen fuiſſe dixerim Arvernorum, ad quem & binæ ſunt epiſtolæ Ruricii, quarum in altera dignitatis quoque nomen omiſſum eſt. Synodo Agathenſi per Vicarium ſubſcripſit anno dvi. interfuit ipſe Aurelianenſi I. anno dxi. Hunc itaque rogat, ut librum ſuum, qui in ejus manus venerat, Apollinaris Sidonii filio recenſendum ingerat & excuſet.

c *Domno Gundobado regi*) Cauſam reddit, cur ſervum depoſiti negatorem, qui Lugduno Viennam venerat, Lugdunum ad diſquiſitionem remiſerit, purgatque quod ille ſe ab Avito dicebat admonitum ne redderet.

d *Interceſſioni de proximo ſuggerendæ.*) Solenni Epiſcoporum more, qui & pro ſervis apud dominos, & pro reis quibuſcumque, miſeris vel oppreſſis, apud Judices, aut apud Principes enixe intercedere ſolebant. Ennodius in vita Epiphanii Epiſcopi, tum adhuc Diaconi: *Interceſſionum etiam tunc certamina proludebat. Nam ubicumque pro remediis miſerorum Epiſcopi mittebatur imperio, tanta exigebat beneficium arte ſupplicandi, ut ſentirent ſibi in cauſis profuiſſe complurimi, ipſum per ſe Epiſcopum non veniſſe.* Plenæ ſunt exemplis ſanctorum Antiſtitum hiſtoriæ, & illuſtre in primis eſt S. Auguſtini, cum pro circumcellionibus Donatiſtis, atrocia facinora confeſſis, apud Marcellinum Judicem, & apud Apringium Proconſulem, ut citra mortis ſupplicium puniantur, intercedit epiſtola clix. & clx. qui & de interceſſionum iſtarum æquitate ac religione ambigenti Macedonio accuratiſſime reſcribit epiſt. liv.

opperior. Quicquid habet Eccleſiola mea, immo omnes Eccleſiæ noſtræ, veſtrum eſt, de ſubſtantia, quam [a] vel ſervaſtis hactenus, vel donaſtis. Quod inſpirante Deo præceperitis, in quantum vires habuero, parere conabor. Ceterum divinæ majeſtatis aſpectus nihil poteſt offenſam ſuam, quam veſtram ſemper timuiſſem æternam. Hoc ſuppliciter quæſo, ut inſelix ille, ad cujus accuſationem ſatis ſufficit quod excuſat, apud juſtitiæ veſtræ animos non me faciat ſuæ infidelitatis ſocium, etiamſi viderit pro veſtra commotione multatum.

EPISTOLA XL.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [b] *Domno Sigiſmundo.*

DE feſtivitate, ad quam profectus fueram, ſumma quidem feſtinatione reverſus ſum. Sed quia jam duce Chriſto proceſſeratis, lætificandus, ut de Deo credimus, reditu veſtro, immodice tamen attonitus reddor abſceſſu: quod ſcilicet in ipſo ſucceſſuræ proſperitatis regreſſu, advolvi genibus domini mei, permulcere oſculis manus, & in ſancto illo pectore ſedem fidei noſtræ adorare non merui. Nec tamen dicere audeam, iſtud mihi peccato fraudante ceſſiſſe: ne divinæ gratiæ, quæ mihi taliter veſtram præſentit, reddar ingratus. Nam cum omnibus generale juſtumque ſit, in gloriæ veſtræ cultum quod debemus ambire, illud ſingulariter accepiſſe me gaudeo, ut cum pro effectu voluntatum tenere ſecum a me ſervitii debitum impoſſibilitas non ferat porrigi, apud vos pietas cenſeat impendi. Sed ego ſolus damno percellor, quoties conſolationi meæ intereſſe non mereor: quoties accenſus tribulationum æſtus intra me ſolum, a ſermonis veſtri refrigerio excluſus, includitur: quoties mihi dolores internos medici illius manus experta non conſovet. Qui pro tuendo inter talia famulo ſuo pietate ſtudens, virtute perſiſtens, cum ſatis eſſet ſi favorem vellet offerre, laborem dignatur apponere. Sed præſumo majeſtate divina, hinc reſpectu mei ſenſibus veſtris tenacius adhæſurum, quo eum nobis amor catholicæ legis infudit. Sub cujus occaſionis ſancto præventu, tum penes vos impoſſibile erit quem ſuſcepiſtis ſervum reicere, quem cognoviſtis dominum non amare. Quod ſupereſt, egreſſi felices, ite ſoſpites, redite victores. Fidem veſtram telis inſerite, proviſionem divinam promittendo admonete, auxilia cæli precibus exigite, jacula veſtra votis armate. Dabit Deus, ut bellorum trophæa, quæ vobis ipſe præſtiterit, cujuſcumque ſermonis obſequio ſub materia ejus, quem dudum exequor, triumphi pretioſioris exaggerem.

EPISTOLA XLI.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [c] *Chlodoveco Regi.*

VEſtræ ſubtilitatis acrimoniam quorumcumque ſchiſmatum ſectatores ſententiis ſuis, variis opinione, diverſis multitudine, vacuis veritate, Chriſtiani nominis viſi ſunt obumbratione velare. At dum ſtatus noſtros æternitati committimus, dum quid recti unuſquiſque ſentiat futuro examini reſervamus, etiam in præſentibus interlucentis radius veritatis emicuit. Invenit quippe tempori noſtro arbitrum quendam divina proviſio. Dum vobis eligitis, omnibus judicatis, veſtra fides noſtra victoria eſt. Solent plerique in hac eadem cauſa, ſi pro expetenda ſanitate credendi, aut ſacerdotum hortatu, aut quorumcumque ſodalium ſuggeſtione moneantur, conſuetudinem generis, & ritum paternæ obſervationis opponere. Ita ſaluti nocentem verecundiam præferentes, dum parentibus in incredulitatis cuſtodia inutilem reverentiam ſervant, confitentur ſe quodammodo neſcire quid eligant. Diſcedat igitur ab hac excuſatione, poſt talis facti miraculum, noxius pudor. De toto priſcæ originis ſtemmate ſola nobilitate contenti, quicquid omnis poteſt faſtigium generoſitatis ornare, proſapiæ veſtræ a vobis voluiſtis exurgere. Habetis bonorum auctores, voluiſtis eſſe meliorum: reſpondetis proavis quod regnatis in ſæculo, inſtituitis poſteros quod regnatis in cælo. Gaudeat ergo quidem [d] Græcia habere ſe principem legis noſtræ: ſed non jam quæ tanti muneris dono ſola mereatur illuſtrari, quod non deſit, & reliquo orbi claritas ſua. Siquidem & occiduis partibus in rege non novo novi jubaris lumen effulgurat. Cujus ſplendorem congrue redemptoris noſtri nativitas inchoavit: ut conſequenter eo die ad ſalutem regenerari ex unda vos pareat, quo natum redemptioni ſuæ cæli dominum mundus accepit. Igitur qui celeber eſt natalis Domini, ſit & veſtri: quo vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus & mundo: in quo vos animam Deo, vitam præſentibus, famam poſteris conſecraſtis. Quid jam de ipſa glorioſiſſima regenerationis veſtræ ſolennitate dicatur? cujus mi-

a *Vel ſervaſtis vel donaſtis*) Libera & ingenua profeſſio. Principibus accepta feruntur bona Eccleſiæ, quæ vel donarunt ipſi, vel ut donare liceret, conceſſerunt, ex lege Conſtantini Magni. *Habeat*, inquit, *unuſquiſque licentiam ſanctiſſimo Catholicæ venerabilique concilio decedens bonorum quod optavit relinquere*. Cod. Theod. De Epiſcopis, &c. Defenſionem quoque bonorum ſubditis ſuis omnibus Principes cum debeant, præcipuam debent Eccleſiaſticis. In quo regum olim Francorum pietas enituit, qui res & mancipia Eccleſiæ eodem ſe loco ac res & mancipia fiſci habere in Capitulis ſuis profeſſi ſunt.

b *Domno Sigiſmundo*) Miſſa cum Sigiſmundus ad bellicam quandam expeditionem ſe accingeret, incertum quo & quos in hoſtes. Quod vero illum inſinuat fidem Catholicam, cum hæc ſcriberet, amplexum jam fuiſſe, facit ut ea quæ ſub finem epiſtolæ de materia pretioſioris triumphi ſermocinaturum ſe pollicetur, ad Homiliam alludere videantur, quam ab Avito in Sigiſmundi regis converſione, ſenſuum ſuavitate pleniſſimam, & verborum compoſitione dulciſſimam, ad populum habitam auctor eſt Agobardus.

c *Chlodoveco regi*) Francorum, ad quem Theoderici quoque regis Italiæ duplex apud Caſſiodorum eſt epiſtola, libro II. Variarum XLI. & libro III. IV. ſed utraque Luduinum vocat. Prior autem huic noſtræ ſuppar, ſi tempus ſpectetur: ſcripta videlicet poſt victoriam Alamannicam, quæ Clodoveco fidei Chriſtianæ occaſio fuit, & baptiſmi, cujus hic pompam Avitus eleganti ſſime deſcribit. Docet porro, quod hactenus ignorabamus, in vigilia Natalis Domini celebratum non in vigilia Paſchæ, quod Hincmarus Remenſis falſo ſibi, & rerum noſtrarum ſcriptoribus perſuaſerat.

d *Græcia principem legis noſtræ*) Anaſtaſium Imp. Chriſtianum illum quidem, ſed non ſatis orthodoxum. Romæ vero & in Italia rex Theodericus, & in Gallia Wiſigothorum Alaricus, & Gundobadus Burgundionum, Arriani prorſus erant, itemque Suevi, & ſi qui alii in Hiſpania, in Germania autem, & in Britannia, adhuc pagani. Ut non injurii ſint, qui poſt Clodoveum, qui primus omnium in Eccleſia Catholicus rex fuit, regibus Francorum primum inter Chriſtianos principes locum vel hoc nomine deberi aſſeverant.

niſteriis etſi corporaliter non acceſſi, gaudiorum tamen communione non defui. Quandoquidem hoc quoque regionibus noſtris divina pietas gratulationis adjecerit, ut ante baptiſmum veſtrum ad nos ſublimiſſimæ humilitatis nuntius perveniret. Unde nos poſt hanc expectationem jam ſecuros veſtri ſacra nox reperit. Conferebamus namque: nobiſcumque tractabamus, quale eſſet illud, cum adunatorum numerus Pontificum, manu ſancti ambitione ſervitii membra regia undis vitalibus confoveret. cum ſe Dei ſervis inflecteret timendum gentibus caput: cum ſub caſſide crines nutritos ſalutari galea ſacræ unctionis indueret: cum intermiſſo tegmine loricarum immaculati artus ſimili candore fulgerent. Faciet, ſi quid creditis, regum florentiſſime, faciet, inquam, indumentorum iſta mollities, ut vobis deinceps plus valeat rigor armorum: & quicquid felicitas uſque huc præſtitit, addet hinc ſanctitas. Vellem vero præconiis veſtris quiddam exhortationis annectere, ſi aliquid vel ſcientiam veſtram vel obſervantiam præteriret. Numquid fidem perfecto prædicabimus, quam ante perfectionem ſine prædicatore vidiſtis? an forte humilitatem, quam jam dudum nobis devotione impenditis, qui nunc primum profeſſione debetis? an miſericordiam, quam ſolutis a vobis adhuc nuper populus captivus gaudiis mundo inſinuat, lacrymis Deo? Unum ergo, quod vellemus augeri. Ut quia Deus gentem veſtram per vos ex toto ſuam faciet, ulterioribus quoque gentibus, quas in naturali adhuc ignorantia conſtitutas nulla pravorum dogmatum germina corruperunt, de bono theſauro veſtri cordis fidei ſemina porrigatis: nec pudeat pigeatque, etiam directis in rem legationibus, adſtruere partes Dei, qui tantum veſtras erexit. Quatenus externi quoque populi paganorum, pro religionis vobis primitus imperio ſervituri, dum adhuc in alios videntur habere proprietatem, diſcernant potius gentem quam principem. Nulla igitur patria quaſi ſpeciali ſede ſibi vindicet totis quos honorum gradibus attollitis. conſtat vos eſſe, quo communis uno ſolis jubare omnia perfruuntur. Vicina quidem plus gaudent lumine, ſed non carent remotiora fulgore. Quapropter radiate perpetuum præſentibus diademate, abſentibus majeſtate. Succeſſus felicium triumphorum, quos per vos regio illa gerit, cuncta concelebrant. Tangit etiam nos felicitas. quotieſcumque illic pugnatis, vincimus. Inter hæc tamen catholicæ religionis affectum ſervat in vobis cura miſerandi: & in apice rerum omnium gubernacula continente, non minus eminet ſanctitas, quam po-

A teſtas. Ex qua utique factum eſt, ut dirigi ad vos ſervi veſtri [a] viri illuſtris Laurentii filium a
principali oraculo juberetis. Quod apud domnum meum, ſuæ quidem gentis regem, ſed militem veſtrum, obtinuiſſe me ſuggero. Nihil quippe eſt in quo ſervire non poteſt. Commendat directum. congaudi miſſo, invidi vos viſuro. Cui minus computandum eſt ad utilitatem, parenti proprio reſtitui, quam patri omnium præſentari.

Epistola XLII.

B *Ab Avito Epiſcopo dictata* [b] *ſub nomine domni* b
C. S. [c] *ad Vitalianum Senatorem.* c

QUantum pertinet ad dignam judicii veſtri integritatem, quoſcumque honorum privilegiis erigitis, Romanos putare debetis. Ex hac ergo fiducia, non convenit ut ex toto credantur abſentes, quos etſi patria ſeparat, militia repræſentat. Unde quod ſolum valeo, ſed utilitate officii animum devotionis oſtendens, quid adſidue cuperem, vel cum poſſibilitas permittit allego. Vos nunc clementiſſimo communi Principi quid vellemus aſſerite. Inſinuate at-
C tentius obedientiæ famulatum, quem nunc in obſequio, ſemper habemus in voto. Suggerite, ac pariter commendate, ab amatore veſtro domno & patre meo impletam, me intercedente, principalis reverentiæ juſſionem. Clientis veſtri viri illuſtris Laurentii filius ſtudio meo redditus additur regioni. Miſeramus dudum in parente famulum. ecce adicimus in filio famulatum. Quo uno vobis directo, qualiter cum aliis agatur advertite. Supereſt ut præfatus miles veſter, cujus proles & illic gratiæ veſtræ porrigitur, & hinc patriæ reſervatur, commendatus vobis ſtudio meo, ipſe commendet quod
D vel de illius ſobolis adeptione jam compos, vel de iſtius quæ nobiſcum redit proſperitate ſecurus eſt.

Epistola XLIII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [d] *Celero* d
Senatori.

COnſtat non minus deſiderii mei eſſe quam debiti, ut officia, quæ merito inclitæ magnitudini orbis devotus impendit, a me, qui gratiæ ejus jam dudum videor obligatus, ſpecialius excolantur. maxime cum opportunam nunc occaſionem favor divinus obtulerit, in qua imperio celſitudinis ſuæ plena meruerim devotio-

a *V. I. Laurentii filium*) De quo iterum in duabus proximis epiſtolis. Hunc ad patrem redire cum cuperet Anaſtaſius, Clodoveum intercesſorem adhibuit, ut eum a Gundobado repeteret, apud quem captivus obſes, ut reor, pro patre tenebatur.

b *Sub nomine Domni C. S.*) Sic & in epiſtola xxeiv. *ſua nomine domni regis* C S. id eſt Comitis Sigiſmundi. Sigiſmundi enim regis nomine dictatam, atque in ea loqui Sigiſmundum, hinc apparet, quod Gundobadum patrem ſuum vocat, a quo Anaſtaſii, ut dictum eſt, de Laurentii filio impleta fuerat juſſio. Quare, ſi Comitem hoc loco dixit, ut in epiſtola vii. patricium Sigiſmundum, inter ceteros honores, quibus exteros reges ornabant Romani, Comitivam quoque deferri ſolitam intelligendum eſt.

c *Ad Vitalianum Senatorem*) Patricioli filium, Aſparis nepotem: qui fidei orthodoxæ, Synodique Chalcedonenſis tuendæ ſtudio, ut auctor eſt Victor Tononenſis, hoſtem ſe Anaſtaſio palam exhibuit, & cum is de Triſagio inſaniret, pro eo Imperator acclamatus eſt. Theophanes in Chronico, *τοῦ ὄχλου καταβοώντων Ἀναστασίῳ, καὶ ἄλλον βασιλέα αἰτούντων, Βιταλιανὸν δὲ αὐτὸν ἀνευφημούντων αὐτοκράτορα*, quamquam hoc poſterius Marcellinus Comes Areobindæ tribuit, non Vitaliano. Qui mortuo tandem Anaſtaſio Conſtantinopolim ab Juſtino revocatus, ac Magiſter militum & Conſul collega Ruſtico creatus, ſeptimo menſe ſui Conſulatus vulneribus confoſſus in palatio interſectus eſt. Indict. xiii. ut Marcellinus idem notat, hoc eſt anno Chriſti dxx.

d *Celero Senatori*) Eadem inflexione, qua Celeri ejuſdem filium epiſtola xxxv. dixit pro Celeris, quod Græci quoque *Κέλερος* dicunt. Fuit hic Magiſter Officiorum, notus expeditione Perſica, cui, ut Procopius lib. ii. ſcribit, inter ceteros Duces præfuit *τῶν ἐν παλατίῳ ταγμάτων ἀρχηγὸς Κέλερ. μάγιστρον Ῥωμαῖοι τὴν ἀρχὴν ταύτην καλοῦσι*. notus & diſcrimine quod adiit, cum ad placandum populum Triſagii cauſa efferatum, miſſus eſſet ab Anaſtaſio, ut Marcellinus Comes in Chronico narrat Paulo & Muſchiano Coſſ. Sed & Conſulatum cum Venantio Liberii filio Celerem geſſiſſe Faſti fidem fa-

ne ſervire. Quapropter cultoris veſtri viri illuſtris Laurentii filium, quem ad mundum ſuum dirigi juſſio reverenda præcepit, magnificentiæ veſtræ præfato largiſſimæ ſoſpitatis honore commendo. Augete ſtudio defenſionis quod voluiſtis animo pietatis. In regione expetit patrem, in vobis reperiat paternitatem. Tuimini etiam cum prole ſuſceptum. Qui vobis licet ſatis ſit debitor per honorem, plus tamen incipiet debere per ſobolem: quod per vos potietur proprii affectus ſolatio, compenſaturus erga vos affectionis experimento. De cetero autem, quantum ad fideles veſtros pertinet, expectatam ſemper cupimus juſſionem, optamus obedientiæ facultatem. Vos propitia divinitate præſtate, ut Romanam ſub glorioſiſſimo principe noſtro proſperitatem, in cujus apice digna honoris arce fulgetis, tam ſerenitate ſermonis auguſti, quam dignitatis veſtræ reſcripto mereamur agnoſcere.

EPISTOLA XLIV.

a *Avitus Viennenſis Epiſcopus* [a] *Domno Sigiſmundo.*

SI ut dignamini credere loqui poſſem, importune tum obſtreperet Græcis auribus ſermo Latinus. At cum in lingua noſtra hoc magis abiturum ſit intelligibile, quod minus fuerit expolitum, in literis, quas per conſervum meum offerri præcepiſtis, poſſunt & vitia cum ſecuritate dictari. Ipſi certe quid velimus dicere quocumque ſcrutentur interprete, ego in affatu conſueto dignatione plus, ſi dici poteſt, quam piiſſimi domni experimento interpretante cognovi. De reliquo, Chriſtus vobis pro perſeverantia gratiæ, quam peculiaribus ſervis ſervatis, vicem rependat. Quod etiam in hoc ipſo adoleſcente quem dirigitis tale monſtratur, dum cogitantes in neutro quidem commodum, ſed in utroque mercedem, quaſi vobis nutriſtis filium, & quaſi patri redditis nutritum.

EPISTOLA XLV.

b *Avitus Viennenſis Epiſcopus* [b] *viro illuſtri Apollinari.*

DIu eſt, ſi aut verbo meo creditis, aut de affectu mutuo digna ſentitis, quod literas aliquas veſtri ſumere deſiderans, plus tamen officii mei offere cupiebam, quod in perſona veſtra, dilectioni primum, deinde neceſſitudini, ad ultimum dignitati a me debentur. Non ſemper debemus occaſionibus commeantum ſolvenda committere. quia licet & ipſa nobis opportunitas portitorum propter frequentiam debeat eſſe votiva, neceſſe tamen eſt, ut illa

A ſollicitudo præcellat, quæ ſe appetitu proprio, ſine interventu alienæ neceſſitatis inſinuat. Hujus obſequii me obnoxium ſciens, intercludi redhibitionem juſtam injuſto obſtaculi præpedientis obice jam dudum tacitus ingemiſcebam. Pervenerat quippe, non ad notitiam tantummodo, ſed ad mœſtitiam noſtram, diſpoſiti ſumus incendii, quod ſanctam ac ſimplicem innocentiam veſtram, velut de effœtis cineribus, conjuratio procelloſa ventis mendacibus ſufflans, in caſſum movere tentaverat. Ob quam cauſam verebamur anxietatis veſtræ ſarcinam voto libaminis aggravare, & mœroris augmentum pro conſolatione tranſmittere. Sub hujus ergo ambiguitatis nubilo confuſa expectatione pendenti-

B bus, literas veſtras, ſerenitatis priſtinæ, pietatis expertæ, inopinanti mihi Deus obtulit. Recognovi illic, qua ſatis delectatus ſum, manum veſtram, qua plus, paternam declamationem, qua maxime, hæreditariam benignitatem. Scripſiſtis igitur, Chriſto præſtante, jam reduces, omnia tuta eſſe, circaque vos dignationem domni regis Alarici illæſam & priſtinam permanere. Quanquam ego cenſeam, quod poſt quamcumque nutationem, gratia talium perſonarum ita ſine augmento non redditur, ſicut ſine periculo non finitur. Volunt enim quaſi ſatisfacere innocentiæ laceſſitæ, tumque eligunt crediſſe

C cum cernunt: & ſic eis conſcientia noſtra ſufficit, ſi ſcientia ſua teſtis accedit. Ego tamen nuntio veſtræ, immo noſtræ ſecuritatis accepto, ecce Deo teſte loquor, in lacrymas mixtas lætitiæ præteritorum recordatione prorupi. Animum namque, ut ait veſter poeta, ſubiit cari Æneid. 2.
genitoris imago, ut memoria retractavi, uſque ad noſtras quamlibet diſpari profeſſione perſonas, quandam [c] parentum communium ſortem parili- c
tate laborum invidia exequente perduci. Illa tamen in Dei nomine etiam nobis ſuppetit, quæ illis conſolatio fuit. quod toto æmulorum niſu, totoque circumlatrantis undique livoris dente tentata, quotieſcumque appeti viſa eſt, criminationi ſubjacuit familia noſtra, non crimini. Quoniam ſi

D vos a patre veſtro Archadio didiciſtis, virum ſæculo militantem minus inter arma quam inter obloquia periclitari, nec ego parum exempli a Sidonio meo, quem patrem vocare non audeo, quantum clericus perpeti poſſit aſſumo. Quocirca illud divinitas tribuat, ut nobis quam novum non eſt talia obici, tam nos nulla novitas merito faciat accuſari. Sed deſiſtat nunc lætitiæ tempore, amaritudinis ex opportunitate ſermo perſtrictus: quin potius ineptia vacantis audaciæ unde rideatis exhibeat. Ante aliquot menſes datas ad amicum quendam communem magnificentiæ veſtræ literas vidi, quibus ſalutatione præfata, in epiſtolæ declamantes parte ſuccidua, ſcribebatis [d] placuiſſe vobis libellos, quos d

ciunt, & bonarum partium fuiſſe teſtatur, tum Hormiſdæ ad Celerem epiſtola xxxiv. tum altera Celeris ipſius ad Hormiſdam de pace inter Eccleſias compoſita.

a *Domno Sigiſmundo*) Dictarat, opinor, Avitus nomine Sigiſmundi, non ſolum ſuperiores literas ad Vitalianum, ſed proximas etiam ad Celerem. Ad has ergo in Græciam, ut Græcis auribus obſtrepant, abituras alludit, & Laurentii filium patri redditum gratulatur.

b *V. I. Apollinari*) Sidonii filio, ſi recte ad epiſtolam xxii. conjecimus, cum is ab Alarico rege, apud quem delatus fuerat, illæſa gratia rediiſſet.

c *Parentum communium ſortem*) Mox, *appeti viſa eſt familia noſtra*. Tanta erat Aviti familiæ cum Sidoniana conjunctio, ut eamdem faciat, viciſſimque nomina transferat & commutet. Cur ergo Sidonium patrem ſuum dicat Avitus, apertum eſt, quia is pater fuit Apollinaris. Archadius vero, quem Apollinari patrem aſſingit, quis fuerit, aut quæ obloquia paſſus ſit, quærendum eſt. Nam de Sidonio ex ejus vita & epiſtolis patet.

d *Placuiſſe vobis libellos*) Placuiſſe Apollinari poematum ſuorum libros gaudet, de quibus trepide in epiſtola xxxiix. illius judicium expectabat. Nec immerito. Sidonio enim patre non indignus filius, ad quem ſcribens Ruricius lib. ii. epiſt. xxv. *Cujus vos*, inquit, *eſſe filios non ſolum generoſitate proſapiæ, verum etiam & eloquentia flore, & omni virtutum genere comprobatis*. & poſt alia. *Quem ſi divina clementia uſque ad hoc tempus ſupereſſe voluiſſet, ſicut jam tum de veſtra imitatione lætabatur, ita nunc de perfectione gauderet, cum ſpem ad rem cerneret perveniſſe, nec ſibi invideret æqualem, quem optaverat eſſe meliorem.*

inter occupationes ſeria & magis neceſſaria conſcribendi, nihilominus tamen de ſpiritalis hiſtoriæ geſtis etiam lege poematis luſi. Hic nunc nihil falſo, nihil aſſentatorie me loqui, coram ſinceritate veſtra imprecor teſtem Deum, tantum me tuo judicio delectatum, veluti ſi auribus domni mei patris tui meditata confeſſus, cujuſcumque laudis momento ſub cenſore donarer. Primum namque gaudebam, quod ſenſum veſtrum huic liberius quam alteri pandebatis. Deinde quod agnovi, vos aliquod bonum de conatu fraterni operis non minus velle quam credere: certe meritis dictionis non quantum volebatis inventis, ſupplere vos voto quod non poteratis implere judicio. Libellum tamen amicus, qui ut puto ad vos pervenire fecit, non de librarii, ſed adhuc ex notarii manu, adeo mihi inemendatum crudumque præripuit, ut non facile denotes, auctoris magis ſcriptoriſve vitiis iraſcaris. Quapropter opuſculum ipſum in membranis redactum, nec adhuc quanta volueram correctione politum, ne moram deſiderio meo facerem, celeriter deſtinavi. Si revera non ſolum amantibus, ſed & judicantibus vobis placet, quoniam apud extraneos forte non deerit, quem audacis conatus tangat invidia, abunde mihi ſufficit, ut vos quod cupio ſentiatis. quia ſicut non minus ad meam, quam veſtram gloriam pervenit, communis Sollii opus illuſtrare: ita vobis, favente Chriſto, militari actu magis magiſque florentibus, ſi in minimis ſubtilius aliquid dignum lectione confecerit, etiam ſine me quodcumque Archadium non puderet.

EPISTOLA XLVI.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [a] *viro illuſtri Apollinari.*

COmmuni quidem ſed veraci ſermone vulgatum eſt, quod ſeſe mutuæ dilectionis intuitu concordantium cernunt motus animorum. Patet namque, tam unam nobis ſollicitudinem noſtri eſſe, ut literis, quas harum potior filius meus attulit, ante ſi bene metiamini reſponderem, quam venirent. Nam in pagina famulatus, quam per meos ex cauſa direxeram. & gaudium de veſtra proſperitate conceptum plus affectionibus quam ſermonibus exhalavi, & neceſſitatem noſtram patrumque communium, mixta lacrymis exultatione perſtrinxi. De cetero autem, tribuat divina miſeratio, quæ ſpem reparandæ proſapiæ in perſonæ veſtræ honore conſtituit, & ſecuturæ poſteritatis noſtræ te uno genitore etiam nos patres eſſe conceſſit, ut calcatis jugiter, proſperante ſucceſſu, inimicorum conjuratione & perfidorum livore, primus victoriæ veſtræ gradus ſit, integritatem in conſcientia reponere, ſecundus cum diſcutitur in audientia comprobare, tertius criminantibus poſt ſententiam pepercisse. Torqueatur animus etiam pro indulgentia ſibi collata hoſtis oppreſſi, & duplici noſtro bono, ſupplicio ſuo, cum vos gemuerit non poſſe decipi, doleat poſſe miſereri. Sic poteſtati veſtræ ad hoc tantum redditus ne periret, dum oblatæ ultro veniæ amarus iraſcitur, vitæ quodammodo ſuæ invidere cogatur. De reliquo, domine ſemper piiſſime frater, cura pectoris mei, pompa generis tui, fer pauliſper trepidantem fraternæ admonitionis ineptiam. Cavete attente a malis, & linguarum mordacium dolis ſibilantibus, blandimenta venenaque machinantibus, doctius poſt experimenta non credite. Nec minus vos ſollertia faciat cautos, quam innocentia præſtat ſecuros. Siquidem intercluſo probis explorandi nocendique aditu, vel ob hoc gratius debetis debellandis eorum conatibus laborare, quod ultionem divino judicio reſervantes, debellatis ſemper ſtatuiſtis ignoſcere. Quanquam, ut ſupra jam faſſus ſum, non ex toto impunitus abeat quem gloria laceſſiſtis.

EPISTOLA XLVII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [b] *viro illuſtri Heraclio.*

DUm inceſſabilis de amicorum fide ac ſalute cura mihi eſt, nuper proſperitatis veſtræ inter prima ſollicitus agnovi, quod cum familiari catholico Epiſcopus tacere non debeam: fructum tamen in vobis mercedis taliter acquiſitæ, non tam verbis valeo exaggerare, quam gaudiis. Nam niſi vos a præconio veſtro maturitate ſenatoria temperatiſſimi pudoris fræna cohiberent, effectum certaminis glorioſi ipſa forſitan lingua digne laudaret apud proprios, quæ mirabiliter convincit adverſos. Habuiſtis igitur, ut audio, cum rege tractatum, de quo, quantum comperi, quia non ſe ducebant lenibus, tranſiſtis ad prælium. Diſcuſſus eſt nutu divino, qui cælis dudum notus, jam & hominibus appareret religionis aſſertor. Os ſæcularis eloquentiæ pompis aſſuetum, & fluentis exundantibus Romuleæ profunditatis irriguo, alacritate debita miſſam ſibi de ſupernis materiam dignæ diſputationis arripuit: & facundiam, quæ cum interfuit, aut deſcribendi mundi jucunditatibus, aut regalium triumphorum præconiis patrocinabatur, ubi primum melior pars popoſcit, adſtruendæ veritati ſervire non puduit. Itaque ſicut alias laudando regem reddidiſtis Cæſari quod Cæſaris erat, ita hic ut redderetis Deo quæ Dei ſunt, nec Cæſari pepercistis. Quapropter habet hic in vobis, etſi non ſequitur, poteſtas regia quod miretur, quæ ſe aliquoties declamantibus vobis, nunc evidentius ſentit ornatam. Siquidem neſcire vos aſſentationis illecebram, cum res admonuit, etiam reſiſtendo monſtraſtis. Illos igitur denotet ſapientia poteſtatum, facile humanis fidem poſſe mutare, quos divinis vident terrena proponere. Ceterum cognoſci in promptu eſt, cuſtodem primarum partium etiam quæ ſunt reſidua ſervaturum. Hæc igitur dicta ſunt cum de ſæculari parte tractamus. Si vero ad ſacerdotum cauſam venitur, quorum adhuc non augetis ſcholam, ſuſtinetis injuriam, atque

a *V. I. Apollinari*) Eidem Sidonii filio, de re eadem, id eſt, de proſpero exitu diſcriminis quod apud Alaricum regem adierat. monetque porro, ut inimicorum dolos, & inſidias jam expertus, eas diligentius caveat in poſterum.

b *V. I. Heraclio*) Senatori, non in Italia, vel in Græcia, ut plerique ſuperiorum, ſed in Gallia, & in aula regis Burgundionum, nobili oratori, cui pro ſuſcepta fidei catholicæ coram Gundobado defenſione, Epiſcopalem cathedram vaticinatur. Quod ſi vanum augurium non fuit. Heraclium hunc opnior Epiſcopum illum Tricaſtinenſem, cujus nomen in Conciliis aliquot ſubnotatum cernimus, ut in Carpentoratenſi, & in Arauſicano & Vaſenſi II. ac denique in IV. Aurelianenſi. Ad eundem ſcripta item epiſtola xxcvi. cui ſubdita eſt ipſius reſponſio.

ornandam contubernio prius informatis exemplo, quis horum vos, quis inquam neſciat, ad certamen hujus ſpiritalis paleſtræ, non rudes aut ignaros legis, ſed ſub longo ſalutarium meditationum gymnaſio perveniſſe? Quocirca novum ſit aliis, vos neceſſitatem belli hujus a perfectione virtutis ordiri. ego autem, in cujus animo caritatis arcem tenetis, jam dudum incunctanter agnoveram, ad catholicos ſenſus intuendos per ſtudium, tuendoſque per verbum, probato in vobis devotionis ardori non tam deſideria deeſſe, quam tempora. Quapropter ſamulatu ſalutationis oblato, paſtu, quo mentem veſtram jejuno corpore ſatiaſtis, ſignificans etiam me refectum, unde paucula hæc ſaturitatis meæ gratulatio eructat, Deum quod reſtat expoſco, ut cui prædicatoris officium jam impoſuit, honorem ſubjungat, & quod exercetur actu, oſtendatur & habitu: nec docilem ſed doctum, nec diſcentem ſed doctorem cathedra ſuſcipiat. In qua, velut triumphatore conſpicuo ſertis gloriæ victricis evincto, inter acclamantum gaudio conſonas voces, quantus in clypeum aſſurges, etiam nolens adſtipuletur hoſtis expertus, nunquam inventurus quod de qualitate meriti contradicat, ſed habiturus ſemper de prælii inæqualitate quod timeat.

EPISTOLA XLVIII.

Reſcriptum Viri Illuſtris Heraclii.

UTinam mihi ſubinde contingat, ut alloquii veſtri fœcundiate augear, eruditione corroborer. Duplicis ſiquidem gloriæ fructus tali ſuccedit eventu, dum & fides tepore marcida ferventis hortaminis caleſcit afflatu, & ingenium naturali paupertate jejunum perſpicui cultoris ope diteſcit. Unde ſi dignamini, comitante ſalutationis officio, maximas gratias referre præſumo, quod reſponſio mea apud Principem habita, & ad vos ut indicaſtis rumore perlata, competens judicium, non ex meo ore, ſed ex veſtro amore promeruit. Quamquam præcellentiſſimus princeps, cum ſit ad inveniendum igneus, profluus ad dicendum, ita ſenſus ſcrutatur humanos, ut ſemper conventibus mitiſſimo pareat auditu: tamen laboris mei ſeriem amputato æquore prolixitatis inſinuo. Laborem inquam dico, quia procellas inopinatis flatibus irruentes imperitus nauta vix ſuſtinet. Ergo, cum, Dei beneficio, tandem ceſſante tædio, tranquillitas publica rediiſſet, quaſi mutatis diu caſtris deſtinatum certamen inveni. Semper enim ignavas imbelleſque perſonas petulantior conflictus aggreditur. Primum quidem e diverſa parte proprii luctaminis ſermo præluſit. Deinde velut ab inſidiis repentinis fuſus eſt vomitus tranſmarinus. Denique incidi in chartam vacuam, veteri obliterata, quæ ita ſe circumductis irridebat erroribus, ut ſalva reſpondentis libertate, propoſitionis pravitas exitum non haberet, & ex propriis inſtrumentis in jugulum ſuum reſiſtenti arma ſuggereret. Quid multis? pagina quæ legi cœperat, ad ſilentium conferre ſe maluit: ut omnibus probabiliter innoteſcat, quam ſit diviſa, quam facilis, quam ſpernenda perſuaſio, quæ excogitatis multiplicibus argumentis divinæ inſtructionis inopem turbare non valuit. Hæc itaque replico, ut quicquid eſt quod in cauſa Dei placeat, vobis proculdubio ſentiam adſcribendum. Enimvero in propatulo habetur, quod me ſic olim collocutionis veſtræ lima componit, omniſque in commune prædicationum veſtrarum cultus inuberat, ut ſedes illa, cui vos contulit cæleſte judicium, multum adminiſtratori muneris præſtitiſſe, ſed non minus in adminiſtrantis perſona meruiſſe videatur. Incumbe ergo orationi, domine pectoris mei, & auxilium Dei, quantum pro te tam per omnibus, ſicut ſacere conſueſti, pius & pervicax tutor implora, ut fidei murus nulla oppugnatione quaſſetur. Procurandum autem eſt, ut filios alumnoſque tuos vulgata indeſinenter caſtigatione tuearis, & validiſſimis doctrinæ armis, ſicut legimus, tecum vincere cogas.

EPISTOLA XLIX.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [a] viro illuſtri Anſemundo.

PLurimum miror quod perſona, pro qua intercedere dignamini, mihi Lugduni poſito ſola negaret crimen, quod univerſitas conclamabat, & poſt ad hoc reſipiſcendo pervenit, ut vobis pro venia ſupplicaret. Quod ſi ſimpliciter petit, conſtat hominem etiam reatus ordinem confiteri. Quocirca licet in omnibus cauſis, pro dignatione quam mihi impenditis, liberum non habeam aliud facere quam jubetis: non poſſum tamen, quia ſic vobis viſum eſt, remiſſurus niſi prius exaggerare quod doleo. Scit enim pietas veſtra, & in Eccleſia legi frequenter audivit, in ipſo adulterii malo quantos ſcriptura divina gradus exprimat. Primo fornicandi lapſu peccavit, qui feminam conjugio carentem libidine inflammatus appetiit. Secundo quo pejori, qui furto ſuper cuncta damnabili ſimplicis tori pudicitiam violavit. Cumque nihil gravius hac injuria humanus animus putet, vos conicite qualiter cæleſtis juſtitiæ caſtitas moveatur, [b] ſi ſponſam Chriſto devotam, & in ſancti altaris thalamo benedictione dotatam, ut nihil amplius dicam, vel petulanter aſpexerit. Audio tamen dicere juvenem ipſum, non ſe virginem temeraſſe, cujus turpibus votis prior multorum carnalitas ſit abuſa. Quapropter, cum reum facinoris manifeſti, niſi ſatisfactio ſua & interceſſio veſtra non liberet, dici non poteſt quan-

a *V. I. Anſemundo*) Nomen hoc vero plane Celticum, ac fortaſſe hoc loco Burgundicum. cujus generis inter Comites, qui Burgundionum legibus ſubſcripſere, Aunemundus, Andemundus, Fredegundus & Godemundus. Anſemundo eidem inſcriptæ ſunt etiam epiſtolæ lxxi. lxxii.

b *Si ſponſam Deo dicatam*) In eos, qui ſibi ſacras virgines matrimonium jungunt, Gallicanorum Antiſtitum, ne alios memorem, apertæ ſunt ſententiæ. In Concilio Turon. I. can. vi. *Qui ſe ſacratis virginibus per conjunctionem nefandam miſcuerint, vel propoſitum profeſſæ religionis dereliquerint, utrique a communione habeantur alieni. quia ſi quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus donec reſipiſcentes ad auxilium pænitentiæ revertantur.* & in Concilio Pariſienſi III. can. v. *Sacratarum virginum neque per raptum, neque per competitiones aliquas, quiſquam conjugia ſortiatur. Quod ſi contra interdicta quis venerit, & ſacerdotem ſuum audire neglexerit, & in præſenti a communione catholicæ Eccleſiæ habeatur extraneus, & in perpetuum anathemate feriatur.* In Turonenſi denique II. canone xx. ſimiliter ſtatutum, *Ut nullus ſacratam Deo virginem, quæ in honorem Chriſti veſtem mutavit, aut rapere, aut competere, aut ſibi conjugio ſociare præſumat. Quod ſi paſtorem ſuum audire, & ſe de vetito conjugio ſeparare deſpexerint, perenni excommunicatione damnentur.* Hactenus Leges Eccleſiaſticæ. Nam jure civili etiam apud nos, qui ſacratam virginem ſibi in matrimonio ſociarat, capitali ſententia feriebatur, ex Clotarii II. regis conſtitutione, quæ inter Concilia Galliæ ſubnexa eſt Concilio V. Pariſienſi.

tum

tum miſerum ſit, pro reconciliatione ſua aliorum crimina confiteri. Accuſo in hac parte noſtri temporis negligentiam ſacerdotalem. Non nos iſta perquirimus, offert ſe nobis inexplorata criminum magnitudo. Quis in malis ſocium quærat? quis in aliis maculis ſe inſerat? Atque utinam & ipſius vel ſic ſe temperaſſet obſcenitas ut lateret. Deinde ex duobus eligat utrum velit. Si primus in puellam carne peccavit, adhuc expectat quod prædicit Apoſtolus,
1. Cor. 3. 17. *Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*. Si autem corruptionem, quam non inchoaverat, gravavit augmento, quid excogitari turpius, quid horribilius poteſt, quam ut illum
a nec hoc prohiberet a meretrice, propter [a] quod ſolum Deus ſeparari virum permittit a conjuge? Nec ſolus, ſi reſpicitis, ex hac parte commoveor. Gemunt religioſi parentes ſcelus admiſſum, & quaſi perditam prolem lugentes, orbitatem in planctibus profitentur. Quid de matris mæſtitia loquar, quam prædicti jam dudum mariti omni morte deterius turpis vita viduavit? Et quanquam coitu moveri ſolitus, tamen patienter hæc tulerat, filius ſine pietate, maritus ſine ſobole, pater ſine hærede. & nutritum inſuper ejus ſtudio quamlibet ortum ex generoſis adulteris nobile malum: ſic tamen quod in deſiderati nativitate portenti, non eſt augmentum proſapiæ, ſed infamiæ documentum. Et quidem ſalva quam mihi Deus in vobis præſtitit defenſione, plus culpam præfati quam pœnitentiam pertimeſco. Sed rogo ne iraſcatur iſta dicenti. Speculator ſum, tubam teneo, tacere mihi non licet. Atque utinam peccans humano animo fuerit, cui ſolitum eſt labi per facilitatem, & per ſatisfactionem reverti: ceterum iracundia calere, tumere ſuperbia, laſcivia fœtere taurinum eſt. Quocirca licet diverſas in me iterum flammas
b evomat, & [b] ad Romanæ forſitan Eccleſiæ audientiam vocet, & ſi adhuc placet, etiam filios habere me dicat, nec minas ſuas aſſentatione placabo, nec fatigationes itinerum verebor, qui civicis criminibus in patria plus fatigor, nec multos filios habere me negabo, qui unum ex eis peperiſſe jam doleo. Et quidem mihi hæc paucula error extorſit. Sed vos, quibus ſummæ poteſtatis privilegio major facultas ſuppetit caſtigandi, hominem violenter arguite. Conciliationem illi meam, quia ita præcipitis, indicate: meque, ne malum hoc vel mandatis aut nuntiis renovetur, curaturum eſſe prædicite: ut ei, ſi non corrigendo per voluntatem, certe vel per cuſtodiam reprimendo, ſaltem facultas culpæ poſſit erui, ſi pœnitentiæ ſalubritas non poſſit perſuaderi.

Epistola L.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [c] *viro illuſtri Meſſiano*. c

MAximus deſiderio noſtro cumulus optata gaudiorum ubertate conſertur, ſi magnificum veſtræ pietatis ſtatum florenti proſperitate pollentem avida ſollicitudinis noſtræ vota cognoverint: quia hoc profectibus noſtris compendio indubiæ felicitatis accreſcit, quicquid eminentiæ veſtræ cæleſtium beneficiorum pietas diffuſa contulerit. Nam in eo metimur felicibus incrementis noſtrorum propagationem ſucceſſuum, in quo actionis veſtræ creſcit ſine fine ſuffragium. Quapropter honorificum ſalve perſolvens, rogo quod ſi, ut cupimus, felicia erga vos cuncta geruntur, magnitudo veſtra occurrentis paginæ elocutione perdoceat.

Epistola LI.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [d] *Viventiolo Rhetori*. d.

AUdivi quod in Homilia, qua nuper ad populum Lugdunenſem in dedicatione Baſilicæ videor concionatus, barbariſmum me incurriſſe dicatis: palam ſcilicet caſtigantes, quod publica oratione peccaverim. Fateor iſtud potuiſſe contingere: præſertim mihi, cui ſi qua in annis viridioribus fuerunt ſtudia literarum, omnia fert ætas. Ambieram tamen hoc ipſum Virg. El.
a vobis coram poſitus audire, etſi jam ſciendi in me facultas minuitur. Sed quia vos abſentes dicere comperi, quanquam abſens reſpondere curavi. Igitur culpaſſe vos ferunt, quod *Potitur* media longa ſyllaba dixerim Virgilium in hoc verbo ſcilicet non ſecutus, qui ſyllaba ipſa correpta uſus eſt dicens *vi potitur*. Sed iſtud re- Æn. 3.
miſſibile eſt poematis neceſſitate, quod in opere ſuo ſæpe invenimus Virgilium præſumpſiſſe: ut ſcilicet metri legem, ſicubi opus eſt, barbariſmo contentus expediat, & ſyllabarum naturam certis quibuſque locis artem minime ſecutus invertat. quale eſt illud, *Non erimus regno* Æn. 7.
indecores, vel *Fervere Leucatem*, vel illud, *Namque ut ſupremam falſa inter gaudia noctem Ege-* Æn. 8. Æn. 6.
rimus. Nullus literatorum inficias ierit, productas naturaliter penultimas ſyllabas ab oratore ponendas. Virgilius uſus licentia poetarum, ſecundum ea quæ ſupra diximus, corripiens mediam ſyllabam præſumpſit, id eſt *Potitur*. Quod verbum, ſequeſtrata paulisper poetica libertate, artis potius lege tractemus. Commune verbum, tempore præſenti, numero ſingulari, perſonæ primæ potior, ſecundæ perſonæ longa media potiris: reſtat nunc perſonæ tertiæ, id eſt potitur, ſimiliter longa ſit neceſſe. Sicut dicimus, ſortior, ſortiris, ſortitur: ſic tempore præterito perfecto, primæ, ſecundæ, tertiæ perſonæ, potitus ſum, es, eſt: ſic im-

a *Propter quod ſolum Deus*) Hinc patet, perſuaſum adhuc illis temporibus in Gallia fuiſſe, propter fornicationem ſeparari virum ab uxore, & aliam ducere, Chriſti permiſſu licuiſſe. quod ex Concilio quoque Venetico canone 11. manifeſtum eſt. *Eos qui relictis uxoribus ſuis ſicut in Evangelio dicitur, excepta cauſa fornicationis, ſine adulterii probatione alias duxerint, ſtatuimus a communione arcendos*.

b *Ad Romanæ Eccleſiæ audientiam*.) Quod in Galliæ quoque provinciis uſitatum docet Leo Magnus, ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis. *Nobiſcum*, inquit, *veſtra fraternitas recognoſcat, Apoſtolicam ſedem pro ſui reverentia, a veſtra etiam provincia ſacerdotibus innumeris relationibus eſſe conſulatam, & per diverſarum, quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat, appellationem cauſarum, aut retractata, aut confirmata fuiſſe judicia*.

c *V. I. Meſſiano*) Meſſiani per hæc tempora duo præter iſtum in Galliam noti. Unus Aviti Imp. Patricius, quem Ricimer, cum Avitum Placentiæ ſpoliaret imperio, e vita ſuſtulit: alter S. Cæſarii Epiſcopi Notarius, poſtea presbyter, qui una cum Stephano Diacono poſteriorem ipſius Vitæ librum conſcripſit. Inter utrumque hic noſter, omnibus antiquior Meſſianus Proconſul Africæ poſt conſulatum Bautonis, de quo S. Auguſtinus libro 1. contra literas Petiliani cap. XXIII.

d *Viventiolo Rhetori*) Refellit hominis imperiti inſcitiam, qui vitioſum Avito accentum objecerat in Homilia, quam Lugduni in Baſilicæ dedicatione pronuntiarat. Homilia hæc interiit. Laudat vero etiam Fauſti Reienſis Epiſcopi, in ejuſdem Eccleſiæ Lugdunenſis dedicatæ feſtis prædicationes Sidonius libro 11. epiſt. III. quæ ipſæ pariter interierunt.

perativo modo, tempore præſenti, ad ſecundam A perſonam potiie, ſicut ſortire. Similiter optativo modo, tempore præſenti & præterito imperfecto, ſub totis tribus perſonis, æque ſyllaba producta, utinam potirer, potireris, potiretur. Ceterum ſi tertiæ perſonæ ut potitur brevem ponas, idem facere cogeris & ſecundæ, ut potiris dicas. quod utique ab omni exemplo atque uſu integritas Latinitatis excludit. Ecce verbum, pro quo a vobis reprehenſus fueram, de qua audeo ratione mutuari. Nunc autem, honorificum ſalve perſolvens, impenſis precibus quæſo, ut quia ego amicitiæ jure quid mihi videretur ſtylo paginæ liberioris expreſſi, vos quo- B que ad vicem, ſublato ut ſupra dictum eſt Virgilianæ auctoritatis exemplo, quem vel ob hoc in barbariſmorum uſurpatione non debemus conſequi, licet idem Virgilius potitus vel potiti (Æneid. 6.) producte poſuerit, ſicut eſt illud *utroque potiti*, vos mihi rationem, quam ſequi debeam, reſcripto exponente tradatis. Aut ſi certe ſciſcitantem teſtimonii cujuſcumque eligitis docere compendio, ſpero ut de priſcis magis oratoribus, quos diſcipulis merito traditis, perquiſitum diligentius repertumque pandatis. quod ſine argumento artis, nec oratorio, invenietur pater & communis filius, quorum ingenia mallem C præſenti tempore ut primus quam ſolus imbueris, hoc uno tantum vitio eſſe contentus. Qui tamen ex illo quo profluitis uberi fonte doctrinæ jam nunc inter initia ſua non minus quam literas bibant, quod amicum attrahere magis ſtudiis quam detrahere, & oratorem eloqui potius quam obloqui decet.

[a] EPISTOLA LII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [b] *Viventiolo Epiſcopo.*

FEſtivitati ſanctæ cumulus, quam proſpere D veſtra interceſſione tranſegimus, caritatis apicibus quos direxiſtis accrevit: & ob id multipliciter reddidit lætiores, quod Eccleſiam, quæ ubique una eſt, unitas complectitur gaudiorum. Tribuat Chriſtus, ut ſicut anno præſenti deſideria noſtra felicibus compleſtis indiciis: ita quoque tempore ſecuturo viſitationem ſemper optandam Viennenſi Eccleſiæ conferatis.

EPISTOLA LIII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [c] *Gemello Epiſcopo.*

LIteras beatitudinis veſtræ, quas diuturnitas temporis fecerat deſiderabiles, vicina feſtivitas reddidit gratiores, quam in Dei nomine proſpere celebravimus, & a vobis commode tranſactam eſſe gaudemus. Orate illud ſemper Eccleſiæ catholicæ Sanctorum ſuffragio provenire, quod divinitas regulæ novit ac paci ſalva in omnibus fraternitatis caritate congruere.

EPISTOLA LIV.

Avitus Viennenſis Epiſcopus Apollinari Epiſcopo.

POſt ſancta dominicæ Nativitatis officia, quibus ægerrimus & vere pluſquam feſſus interfui, quod mihi poſt Deum primum ac ſingulare eſt, nuntium veſtrum expecto. quem ſi meruero ſumere, quæcumque illa qua dignus ſum fuit, ut ego confido temperabitur, ut vos memini detergetur aſperitas.

EPISTOLA LV.

Avitus Viennenſis Epiſcopus Victorio Epiſcopo.

PRoſpera Deo propitio feſtivitatis exordia, quia obtinueratis ſuffragio, viſitaſtis affectu. Nam dum & curam patri ſolito geritis, & de incolumitate veſtra quæ votis conveniant nuntiatis, quod gaudemus offertis, & quod debemus exigitis. Tribuat Chriſtus hujus ipſius pietatis ac dignationis veſtræ uberem commeatum, in quo a vobis munere magiſterii geminati, & per ſollicitudinis beneficium conſortentur ſenes veſtri, & per caritatis exemplum poſteri doceantur.

---

a *Epiſtola LII. LIII. &c.*) Sequentes aliquot Epiſtolæ ex genere ſunt earum, per quas Epiſcopi olim, ſolenniſſimis diebus Natalis Domini & Reſurrectionis, conſalutare ſe invicem, & quam proſpere feſtivitatem celebraſſent, nuntiare ſolebant. Hujuſmodi complures inter Theodoreti epiſtolas in lucem nuper editas paſſim adſperſæ leguntur, quæ morem hunc moriſque cauſas, mutuæ ſcilicet benevolentiæ caritatiſque ſtudium, repræſentant. ut epiſt. IV. ἑορταστικοῖς συνήθως κεχρήμεθα γράμμασι. *Feſtivas de more literas ſcripſimus.* & epiſt. V. τῆς φιλίας τὸ μέτρον ἐκτίνομεν, κατὰ νόμον τῆς ἑορτῆς. *Amicitiæ officio fungimur, ut feſti lex poſtulat.* & epiſt. XXVI. τοῦτο γὰρ ὁ τῆς ἑορτῆς καὶ ὁ τῆς ἀγάπης παρακελεύεται νόμος. *Hoc enim & feſti & caritatis lex ſuadet.* Deoique hoc unum illarum fuit argumentum, quod ex epiſtola LVI videre eſt, quam integram, quia brevior, ſubjicimus. ΕΟΡΤΑΣΤΙΚΗ. Ἀκμάζει μὲν ἔτι τὰ τῆς λύπης· καὶ χαλεπῶς αὐτὴ προσβάλλει τῷ λογισμῷ. τὸν δὲ τῆς ἑορτῆς πληρῶσαι νόμον ὑπέλαβον δίκαιον. αὐτίκα γοῦν καὶ τοῖς γράμμασι κέχρημαι, καὶ τὴν εὐλάβειάν σου προσφθέγγομαι, καὶ τῆς ἀγάπης ἐκτίνω τὸ χρέος. *Urget quidem adhuc me triſtitia, & mentem graviter concutit. attamen diei feſti legem implere juſtum exiſtimavi. Nunc itaque, & ſcribo, & reverentiam tuam ſaluto, & caritatis debitum exſolvo.* Ex his patet, ἑορταστικάς, hoc eſt feſtivas ſive feſtales, ex eo dictas, quod feſtis diebus ſcriberentur: quo modo apud Alexandrinos ἑορταστικαὶ item nuncupatæ ſunt epiſtolæ Paſchales, Theophili, Cyrilli, & aliorum Patriarcharum, quibus proximi Paſchæ diem ceteris Eccleſiis denuntiabant. Sed illæ Paſchales ideo appellatæ, quia de die Paſchæ omnes: has vero partim etiam Natales dicere licuit, quia per utramque feſtivitatem mittebantur, ut in Natali Chriſti epiſtola LIV. & LVI. Aviti, in Reſurrectione XXXVIII. LXIII. LXIV. Theodoreti.

b *Viventiolo Epiſcopo*) Lugdunenſi, cui adhuc presbytero epiſcopatum auguratus eſt Avitus epiſtola XVII. Lugdunenſi cathedræ præfuiſſe oſtendunt Concilia quibus ſubſcribit, Epaunenſe & Lugdunenſe ſub Sigiſmundo. Quam exquiſitæ autem doctrinæ vir fuerit, ex Agobardo diſcimus in libro de Judaicis ſuperſtitionibus. *Viventiolus*, inquit, *Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopus, cujus doctrinæ fuerit, non ſolum ipſius, ſed & aliorum de eo ſcripta teſtantur.*

c *Gemello Epiſcopo*) Vaſionenſem Epiſcopum fuiſſe docet ejus ſubſcriptio in Concilio Epaonenſi. Ut diverſum autem ab eo Gemello credamus, quem in eadem Provincia Præfectorum Vicarium vidimus in epiſtola XXXII. facit quod in ea Synodo, quæ paucis poſt annis ſecuta eſt, veteranus Epiſcopus jam erat, principemque inter collegas locum obtinebat. Qua etiam de cauſa hoc loco Apollinari, Victorio, Claudio, & Gregorio anteponitur, qui eodem ordine in eadem Synodo ſubſcribunt. Apollinarem Valentium Epiſcopum novimus ex epiſtola XI. Victorium Gratianopolitanum ex XVI. Claudius vero & Gregorius, illuſtris ambo nominis & famæ alter Veſuntinam rexit Eccleſiam, alter Lingonenſem.

EPISTOLA LVI. A

Avitus Viennenſis Epiſcopus Claudio Epiſcopo.

PRo conſuetudine deſideria noſtra votivis indiciis pietatis ſtudio cumulatis: quorum viſitatione ſuſcepta, Nativitatis dominicæ nobis feſta proſperitatis veſtræ geminantur augmento. Pro qua gratia, quam erga nos beatitudo veſtra aſſidua dignatione multiplicat, præſentiam veſtram ſuccedentium annorum numeroſitate divinitas propitiata longævitet.

EPISTOLA LVII. B

Avitus Viennenſis Epiſcopus Grogorio Epiſcopo.

MAgnæ quidem & nimis admirandæ ſunt deliciæ quas miſiſtis, copia, tempore, dignitate: ſed tamen affectui, pietati, ſollicitudini non æquantur. Per quæ probatur, non tam dignatio veſtra nobis quam præſentia deſuiſſe. Expedita eſt ſuffragiorum veſtrorum proſperitate feſtivitas: cui quantum acceſſit corporalium, tantum a conſuetudine ſpiritalium deſuit C epularum. quas mihi Deus ſi in futuro tribuit commeatu, ſicut nunc per vos tranſmittere, ita tunc vobiſcum exhibere dignetur.

EPISTOLA LVIII.

a *Avitus Viennenſis Epiſcopus* [a] *Viventiolo Epiſcopo.*

NIſi frequenter vota communia peccatorum impedirentur objectu, juſſioni conſuetudinariæ caritatis ſolito volueram parere ſervitio. Nam cum feſtivitati vobiſque occurrere duplicis compendii res fuiſſet, videtis ad mei ſolius pertinere diſpendium, D quod nequeo implere præceptum. Ita namque apud nos per momenta ſingula poteſtatum ſperatur adventus, ut niſi illis venientibus præſens eſſe curavero, ab eis qui ſolent in nobis etiam leviora culpare, quamlibet ſimplex abſceſſus meus, non ſolum negligentiæ, ſed etiam contumaciæ deputetur. Quapropter, communi neceſſitate perſpecta, impoſſibilitati meæ clementer ignoſcite, & ut deſideriis noſtris, ſi non jugiter, vel interdum ſatisfacere poſſimus orate.

EPISTOLA LIX.

Viventiolus Avito Epiſcopo.

AD ſimilitudinem divinæ benignitatis deliberatio veſtra cultorum ſuorum petitionibus temperetur, ut in ſollennitate ſancti Juſti plebeculam ſuam Apoſtolatus veſtri viſitatio benedicat.

EPISTOLA LX.

Avitus Viennenſis Epiſcopus Viventiolo Epiſcopo.

AD firmitatem promiſſionis divinæ, ſit quod antea conceſſiſtis Eſt, Eſt, quod poſtea repetiſtis Non, Non. quia ſi bene occupatione præſentium qualitas pertractatur, conditionem inter vos habitam, etiamſi tunc non debuiſſet interſeri, modo ſpecialiter deceret impleri.

EPISTOLA LXI.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [b] *Conſtantio Epiſcopo.* b

LIteras ſanctitatis tuæ in Paſcha quidem ſed non paſchales accepi. nihil utique de caritate aut ſollicitudine præferentes: ſed quibus jubebas, ut fratrem & conſacerdotem noſtrum Candidianum, quem ego quaſi peculiarem commendaveram, non ſolum ad clericorum, verum etiam [c] ad laicorum audientiam deſtinarem, a c quibus conſtat diaconum ejus pro civili cauſa ſervili cuſtodiæ mancipatum. Et ideo, ſi cenſetis omnia de clericis veſtris laicorum teſtimonio credenda, reſcribite. Conſequens erit, ut dum ſæcularium notitiam ex omnibus quæ in rumorem veniunt conſulamus, clericorum libertatem prodamus. Illud tamen quaſi amor tuus ſuggerere ac monere præſumo, [d] ne propter le- d ves cauſas, & non ad Deum ſed ad ſæculum pertinentes, ne laici quidem, non dicam clerici, ſancta communione priventur. quia neſcit cujus dignitatis ſit ipſa communio, qui non eam, omni animoſitate ſepoſita, & cum magno dolore ſuſpendit, & cum maxima feſtinatione reſtituit.

---

a *Viventiolo Epiſcopo*) Invitatus ad Lugdunenſis Eccleſiæ feſtivitatem excuſat, quod Vienna, propter adventum principum abeſſe non poſſit. eodemque ſpectat & ſequens epiſtola. Nam S. Juſti ſolennitas Lugduni celeberrima. de qua & Sidonius libro v. epiſt. xvII. *Convenerамus ad S. Juſti ſepulcrum: proceſſio fuerat antelucana, ſolennitas anniverſaria, populus ingens, quem capaciſſima baſilica non caperet*. Hoc vero ad aliud pertinet genus epiſtolarum, quibus ſolebant Epiſcopi vicinarum ſedium collegas Epiſcopos ad urbium ſuarum celebritates invitare. Cujus moris exemplum inſigne eſt apud Baſilium Magnum epiſt. ccxcI. ubi ad Cæſarienſium Martyrum diem anniverſarium, non vicinos modo, ſed totius Ponticæ diœceſis Epiſcopos advocat. Ἐπεὶ οἱ ἐπισημότατοι μαρτύρων, Εὐψύχιος καὶ Δάμας, καὶ ὁ περὶ αὐτοὺς χορός, ὧν ἡ μνήμη δι' ἔτους παρὰ τῆς πόλεως ἡμῶν, καὶ τῆς περιοικίδος δὲ πάσης τελεῖται, ὑπομιμνήσκει ὑμᾶς, τὸν ἴδιον ἑαυτῆς κόσμον, ἡ ἐκκλησία, διὰ τῆς ἡμετέρας φωνῆς παρακαλοῦσα, τὴν ἀρχαίαν ἀπολαβεῖν τῆς ἐπισκέψεως ὑμῶν συνήθειαν. *Quocirca cum inter Martyres nobiliſſimi ſint Eupſychius & Damas, ſociique ipſorum, quorum anniverſaria memoria in urbe noſtra, totaque vicinia celebratur, admonet vos peculiare decus ſuum, Eccleſia, voceque noſtra hortatur, ut antiquam viſitandi nos conſuetudinem repetatis.*

b *Conſtantio Epiſcopo*) Duo hujus nominis Epiſcopi ſub hoc tempus Concilio Epaunenſi ſubſcripſerunt, unus Octodorenſis, alter Vapincenſis. Quorum alteri quin adſcribenda ſit epiſtola dubium non videtur, utri autem, incertum.

c *Ad laicorum audientiam*) Clericorum quippe libertati repugnat, & antiquiſſimo eorum privilegio, quod a Valentiniano Cæſare poſt extinctam Joannis tyrannidem renovatum eſt, lege ultima Cod. Theod. De Epiſcopis, &c. *Clericos etiam, quos indiſcretim ad ſæculares judices debere deduci infauſtus præſumptor edixerat, Epiſcopali audientiæ reſervamus. Fas enim non eſt, ut divini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio.*

d *Ne propter leves cauſas*) Quod Canones paſſim inculcant, ac diſerte inter Gallicanos poſtea ſanxit ſecundus Concilii Aurelianenſis V. *Ut nullus ſacerdotum quenquam rectæ fidei hominem pro parvis & levibus cauſis a communione ſuſpendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui patres ab Eccleſia arceri juſſerunt committentes.* Quocirca ut hoc loco Conſtantium Avitus, ſic Hilarium Arelatenſem hoc nomine taxat Leo Magnus epiſt. lxxxix. quod communionem facile denegaret.

[a] EPISTOLA LXII.

Apollinaris Epiſcopus Avito Epiſcopo.

COgitans atque pertractans, inoſficioſitatem veſtram qua ultione percellerem, nil dignius judicavi, quam ſi declinata injuria nihil ſegnius intentarem. Ne quam igitur in poſterum vereamini, qui cernitis præſentem noxam protinus expiari.

[a] EPISTOLA LXIII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus Apollinari Epiſcopo.

NE feſtivitati occurrerem, neceſſitas obſtitit: ut mihi feſtivitas occurreret, humanitas procuravit. Scribitis ergo indevotionem meam marinis vos copiis luiſſe. Dignum ſcilicet genus ſupplicii, quod me faciat * * * * cum deſiderio gulæ conflictum. Satis vobis præſentari cuperem, ſi non taliter puniretis abſentes. Utinam cenſuræ veſtræ in contumace pœna non deſinat. Nihil magis timeo, quam quod me jubetis in poſterum nil vereri. Indulgentiam illi qui rogaverit date, cui avari eſſe volueritis ignoſcite. Ceterum me, qualitatem diſtrictionis expertum, offenſam magis veſtram conſtat deſiderare, quam veniam. De cetero, orationibus veſtris tribuat Deus noſter, ut qui feſtivitati hujus præſentis anni officiis magis quam deliciis abſui, in tempore futuro veſtris me orationibus affectu non ſimili præſentetis, & cum rediero, ſeveritate ſimili abſentaſſe credatis. Octo paluſtres quis quia ſe duo paria ſolearum, quæ dentibus maceretis, aliquatenus commotus, non tamen ex integro malum pro malo reddens direxi.

EPISTOLA LXIV.

Avitus Viennenſis Epiſcopus Viventiolo Epiſcopo.

SErvatis dulcedinis morem, immo ut verius dicatur, augetis. Reſeciſtis ſollicitudinem noſtram de vobis proſpera nuntiando: viſitaſtis feſtivitatem de nobis quæ optabatis agnoſcere cupiendo. Inter has tamen multiplices epulas animorum, etiam corporalibus quoque deliciis ornaſtis & menſam, qui ſpiritalibus paveratis Eccleſiam. Quapropter impar ad gratias, convertor ad preces, divinam miſericordiam rogans, ut caritas, cujus profectum ſtudio aſſeritis, vobis ad præmium, mihi ad gaudium, cunctis proficiat ad exemplum.

EPISTOLA LXV.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [b] Maximo Epiſcopo.

QUantum ad infernum ſpectat & finem, aliquantulis corpuſculi viribus vigeo, anxius tamen, quod de domno [c] filio veſtro, vel abſolutione colloquii nil agnoſco, quod nec eo loci fuerim ut agnoſcere potuiſſem. Nam monaſteriis [d] Grenencenſibus occupatus, aliquandiu jam habitaculo civitatis abſueram. Siquidem deliciæ, quas dignatione ſolita direxiſtis, in itinere me & adhuc ab urbe remotius poſitum repererunt. Quaſque, quod multipliciter mirum, ſervus veſter Leonianus, multum gemens, minimum ſumens, avido quidem ſed vacuo venter tranſmiſit. Putaſſes eulogias veſtras tenaci corvorum roſtro ad Eliæ paſtum bajulis ungui- 3.Reg.17.6.
bus exhiberi. Adeo ab inſultatione mea in vos juſtius exercenda, miſit eſuriens, quod vorare non potuit concupiſcens. Vellem nunc ſcire quid proſit quod gulæ peculiaris famuli ſic ſtudetis, cui ne mihi datas a Deo vobiſque epulas de ore vel manibus raperet, optabilis abſentandi cauſa me rapit. Ceterum [e] de recentibus, quia præcipitis, & meas partes cedo, & multiplices ſuas. Utatur paterarum capacitate pro capis: atterat labris phialas, quas circumdet pitaciorum denſitate pro circulis. Nam curabo ego quoque, quod eum velle cognoſco, cum ſimile aliquid de veſtra benedictione eruero, ad multiplicandas recentes gulæ calenti, ſi non excogitatur modus in calicibus, ponatur in piſcibus.

EPISTOLA LXVI.

Avitus Viennenſis Epiſcopus Victorio Epiſcopo.

FActum quod literis indicaſtis, levi ad me ante affatum veſtrum rumore pervenerat. Cujus per ſanctum Aichidiam acerbitate comperta, ſi credere dignamini, non minus quam

---

a *Epiſtola LXII. LXIII.*) Fratrum amore dignus conflictus. Apollinaris Aviti fratris inoſficioſitatem, ſive, ut Avitus ipſe vocat, indevotionem, quod ad Valentinæ Eccleſiæ feſtivitatem non venerit, ulciſcens, ſuplicii loco munera miſerat: Avitus, fraterni ſuplicii genus laudans, pari eum ſtudio remunerator.

b *Maximo Epiſcopo*) Genavenſi. Cujus nomen inter Epiſcopos qui Epaonenſi Concilio adſuerunt. Ab hoc eulogias ſeu munera, opimas epulas eum accepiſſet, in harum latorem Maximi famulum, lepide jocatur.

b *Domno filio veſtro*) Sigiſmondo rege, quem Genavæ in ſorte ſua larem habuiſſe in epiſtola XXIX. conjiciebamus.

c *Grenencenſibus monachis*) De quibus Sidonius libro VII. epiſt. XVII. *Fluctuantem regulam fratrum deſtitutorum ſecundum ſtatuta Lirinenſium vel Grinincenſium feſtinus informa.* Grinincenſium monachorum familiæ prope Viennam magno olim numero fuerunt, ſub cura & diſciplina Epiſcopi Viennenſis: quibus proinde viſitandis occupatum ſe hoc tempore fuiſſe ſignificat.

d *De recentibus*) Recentes appellat recentis aut recentati, id eſt ad rigorem redacti, vini potiones, quas Leonianus calente gula frequentabat. Sic epiſtola LXXVII. *Summa importunitate perago, ut tres recentes aliis plus præſumam.* Eo itaque ſpectat quod ſequitur, *utatur paterarum capacitate pro capis.* quaſi dicat, pro vaſculis exiguis, pateris bibat capacioribus. ubi *capis* nova inflexione poſuit pro capidibus. Capides enim & capulæ apud Varronem, poculi genus, quo deplere vaſa olearia ſolebant. Eodem quoque pertinet quod ſubjungit, *atterat labris phialas, quas circumdet pitaciorum denſitate pro circulis.* Quo loco cui uſui forent pitacia, Petronii Arbitri in Satyrico verba declarant. *Statim allatæ ſunt*, inquit, *amphoræ vitreæ diligenter gypſatæ: quarum in cervicibus pitacia erant affixa cum hoc titulo, Falernum Opimianum annorum centum.* In vaſis ergo vinariis, affixi pitaciorum tituli, vini cujuſque patriam, ætatem, pretium, & dignitatem indicabant.

vos dolorem veſtræ commotionis ingemui. Siquidem ſatis gravis exempli eſt, ut nunc ſacerdotalis ordinatio a populis regenda dicatur: cum idcirco tantum in conſecrandis Epiſcopis plebibus ſervetur electio, ut aſſiduitas conſtitutionis velut per quoddam mandatum electis liceat legere quod videtur. Non autem vos pro novo debetis accipere, quid tribulandis nobis valeat comminiſci clericalis nequitia, fulta ſubſidio inſolentiæ ſæcularis. Puto ſane diſtrictioni Eccleſiaſticæ filii veſtri experi debere conſenſum, propter illos quorum abuſioni conſuetudinariæ parum de excommunicationibus curare decretum eſt. Literas quoque, quas ad presbyterum illicita præſumentem non minus pie quam regulariter direxiſtis, inſpexi. In quibus vere plus quam perſona meruit patientiæ reſervaſtis. Quapropter, licet ſatis diabolo in tam horribili rebellione licuerit, vos tamen ſine aliqua animi perturbatione Dei ac veſtram injuriam caſtigate. Et ne quid in poſterum ſimilis auſus arripiat, impenſa diſtrictione perſpicite.

Epistoba LXVII.

a *Avitus Viennenſis Epiſcopus* [a] *Domno Sigiſmundo.*

DUm alii ſanctis ac ſerenis præſentiæ veſtræ epulantur, ego ſterilitatem deſiderii mei ſuſtento magis pauperis officii ſenuitate quam ratione. Unde poſt feſtivitatem, cunctis quidem ſemper amabilem, ſed nunc Cabilonenſibus ſingularem, famulæ ſollicitudinis literas deſtinavi. Quæ ſi quantulamcumque particulam laudum veſtrarum niterentur attingere, nec hoc quidem ſufficienter excolerent, quod eas vel humilitati meæ licet porrigere, vel dignationi veſtræ ſumere libet. Conjiciens ergo de tantorum lætitia multipliciter vos Deo propitio lætos, peto Paſchales nobis dies felici reditu faciatis. quia cum in abſentia veſtra quædam nobis Quadrageſimæ perduret auſteritas, omnibus catholicis principem Chriſtianum, peculiari ſervulo piiſſimum domnum, etiam per ſollennitatem vidiſſe ſollenne eſt.

Epistola LXVIII.

a *Avitus Viennenſis Epiſcopus* [a] *Domno Sigiſmundo.*

CElebravimus vobiſcum, divinitate propitia, vobiſcum, inquam, non loco ſed animo, pauperculi Viennenſes veſtri Paſchale feſtivum. Si autem interrogetis & qualiter: quia vicinum quemquam, quia adeſſe facilius poterat, plus doleat defuiſſe. Nec tamen, cum iſta deflemus, diſcrepare nos a veſtra voluntate dicatis. Jam dudum ab illo, ſancte credimus, affectus illic cohibet, non hinc deſpectus excludit. Unam in utraque civitate veſtra Eccleſiam perinde diligitis: ſed pio patri, in quan-

A tum expedit, donec vos ad quamlibet ſequi conſentiat, adhæretis. Unde ſicut juſſum eſt, primum Deo de ſollennitate, tum quod debetur ſolvimus Cæſari. Vos de lætitia veſtra & incolumitate ſollicitis, licet Cæſares ſitis, quod domnis exigitis, reddite pietati.

Epistola LXIX.

Ab Avito Viennenſi Epiſcopo dictata, ſub nomine Sigiſmundi, [b] *ad Imperatorem.* b

SI devotionem noſtram, qua vobis animo militamus, etiam corporaliter præſentari obex
B temporum regionumque non patitur, quod tamen habemus in votis, exerere tentamus officiis. Credimus enim toties coram ſacris gloriæ veſtræ obtutibus intromitti, quoties ſollicitudinis debitum ſtudio paginæ famulantis offerimus. Nam licet mundum latere nequeat veſtra proſperitas, & orbem ſuum radiis perſpicuæ claritatis illuſtret: dulce tamen eſt, ſi hi, quos militiæ faſcibus & peculiaris gratiæ pietate ſuſtollitis, quos in extremis terrarum partibus aulæ pollentis contubernio, & veneranda Romani nominis participatione ditatis, ſpecialiter gaudia veſtræ perennitatis agnoſcant, quæ generaliter cunctis fama concelebrat. Ornat quippe imperii veſtri amplitudinem longinquitas ſubje-
C ctorum, & diffuſionem reipublicæ veſtræ aſſerit quod remotius poſſidemur. Unde ſuſcipite propitii cum obſequio portitorem. Et quanquam univerſis expetentibus ad honoris apicem ſufficiat, ſi vos merentur aſpicere, & nos tamen inſinuent quos præſumpſimus commendare. Quorum etiam carorum familiariumque perſonas, hoc intercurrendi commercio nobis quoque profore judicantes, deſiderii proſiliente compendio in his quos deſtinamus occurrimus. Illud ſuper omnia deprecantes, ut quia dignatio celſitudinis veſtræ oblivisci non poteſt beneficia ſua, pro gratiarum actione qua fungimur, quamprimum ſereniſſimi oris reſponſa mereamur.

D

Epistola LXX.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [c] *Domno Sigiſmundo.* c

PRæſentia domni patris gloriæ veſtræ biduana occupatione detentus aliquatenus portitorem tardius ordinavi, per quem annuum de ſancti Vincentii ſollennitate ſervitium conſuetudinariæ ſollicitudinis cura dependerem: & inter a-
E ctiones, quibus veſter pro ſalute noſtra labor invigilat, debitus ſemper animus cultum meritæ devotionis offerret. Sufficit ergo ad conſolationem deſiderii mei, ſi omnium noſtrum ſanitas in veſtra poſt Deum proſperitate conſiſtit. Ceterum non abſque ſcrupulo poteſt accipi, quod [d] de Sapaudia itineribus exquiſitis videmur ad provinciam præteriri. d

a *Domno Sigiſmundo*) Scripta utraque poſt dies Paſchales, non uno tamen anno. Prior, cum Sigiſmundus feſtivitatem illam Cabiloni tranſegiſſet: poſterior, cum Lugduni eandem Gundobado patri adhærens celebraſſet.

b *Ad Imperatorem*) Anaſtaſium. ab Avito Sigiſmundi nomine tum ſcripta, cum Sigiſmundus officii cauſa legatos cum literis mitteret ad Imperatorem. Quod vero militiæ faſcibus, aulæque contubernio, & Romani nominis participatione ornatum ſe ſcribit, Comitivam opinor militarem & patriciatum deſignat, de quibus dictum eſt ſuperius. Quo item alludens epiſtola XXCIII. *Conjicite nunc*, inquit, *quantum debeant quos honoribus faſtigatis, quos ſocios triumphorum omnium ſucceſſuumque veſtrorum, dignitatum titulis applicatis.*

c *Domno Sigiſmundo*) Cabilonem frequentaſſe Sigiſmundum ex epiſtola LXVII. colligere licuit. Idem nunc confirmat annua ſolennitas S. Vincentii Martyris, quem præcipuo in cultu & honore, ut patronum, habent Cabilonenſes. Sed & Concilium Cabilonenſe, quod Clodoveo II. regnante convocatum eſt, in Eccleſia S. Vincentii celebratum Synodi docet Præfatio.

d *De Sapaudia*) Non quod in Provinciam de Sapaudia proficiſcentibus rectum iter ſit per Viennam: ſed quia non magnum eſt divortium, ſtudio præteritam videri conqueritur.

EPISTOLA LXXI.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [a] *viro illuſtri Anſemundo.*

TAntum ſervulus veſter domni noſtri recenſet, quantum ſentio. nondum plene deterſa inæqualitate, attentos reddit & anxios. ut pro contemplatione pietatis illius, quam feſtis ſpecialius optare conſuevimus, ſufficere nobis commoditatem veſtram pro omni ſollennium jucunditate credamus. Unde ſervans poſt cultum Natalis dominici ſolitæ ſollicitudinis ſervitutem, tota noſſe vos voti ambitione deſidero, ſi decus commune, quod Viennenſis Eccleſiola præſenti vice non meruit, vel Lugdunenſium populorum gaudia duplicavit. Nam ſi vos, Chriſto ſavente, ut ad Eccleſiam potuiſſe procedere, aut devotionem conſuetudinariam reſcripſeritis impleſſe, participes redditi lætitiæ vicinorum, epulaturos nos profitemur auditu, ſi illos, quibus præſentia veſtra donata eſt, refectos cognoverimus intuitu.

EPISTOLA LXXII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [a] *viro illuſtri Anſemundo.*

CUm peculiarium vernularum abſentando ſuſpenditis vota, facitis nos non ad plenum conſequi vel nuntiare votiva. Feſtis ergo Natalis Domini, in quantum ſine vobis potuit, ſollenniter celebratis, proſperitatem piiſſimi domni noſtri, quam juſto deſiderio optaveramus videre, tam dignabili alloquio præſtolamur agnoſcere. Illam plebem refeciſtis gaudio, iſtam ditate reſcripto. quam per me veſter illuſtret affectus, donec vobis ejus ſervitium meus præſentet occurſus.

EPISTOLA LXXIII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus viro illuſtri Valeriano.

COnſuetudinem ſollicitudinis ſuæ pietas veſtra cuſtodit, nos dignatione pariter ac literis viſitando. Addidiſtis ſollennitati, quam gaudenter Deo præſtante ſuſcepimus, & quod ſpectabatur in votiva cultus conſummatione ſuppleſtis. Mihi autem de lætitia veſtra, in quantum eam cognovero, gratulanti non minus dulce eſt, poſt longum tempus abſentiæ proſpere vos rediſſe, quam feſta paſchalia cum exultatione tranſigere.

EPISTOLA LXXIV.

Avitus Viennenſis Epiſcopus viro illuſtri Caertio.

AD Domnum communem literarum ſervitio deſtinato, etiam devinctæ mihi ſublimi-A tati veſtræ officia ſemper debenda perſolvo: ſuadens, immo quia tantum obduruiſtis & ſupplicans, ut ſtomachos multis Saxoniæ deliciis nauſiantes tandem parcioribus iatriæ veſtræ jejuniis atteratis. Quod ſi adeo neſcitis deſiderii viciſſitudinem repenſare, ut nondum vobis videatur abſentia veſtra ſufficere, injuria coactus hoc opto, meque baculo hujus imprecationis ulciſcor, ut mutentur præſentiæ vices, & quod Vienna abundat Cabilonis obtineat. Ut ſi hic non habemus quod debeat expeti, illic mittamus quod libeat declinari. Et quia quod dico in via eſt, ſi adhuc in loco retardatis, excipite: B ſi jam redire diſponitis, præterite.

EPISTOLA LXXV.

Avitus Viennenſis Epiſcopus viro illuſtri Helladio.

CUm ad officium veſtræ magnitudini deferendum perpetua ſemper cauſa ſuppetat caritatis, & ſpecialem devotionis obſervantiam jure debeam obnixæ impenſius pietati: nunc tamen deſideratam mihi neceſſitatem ratio feſtivitatis indixit, ut affectui veſtro vel literarum C præſentarer officio, qui cuperem & occurſu. Idcirco reverentia ſupplicans debita, quam ex voto feſta celebraveritis inquiro, Redemptoris noſtri inexhauſtam deprecans largitatem, ut uſque ad ætatem centenariam ſua protectione vos provehat, & ad ornatum noſtrum, ſicut hactenus fecit, bonis omnibus remuneratos attollat.

EPISTOLA LXXVI.

Avitus Viennenſis Epiſcopus viro illuſtri Riconi.

D POſt feſtivitatem, in qua de præſentia vel incolumitate Domni noſtri vota veſtra & merita claruerunt, paginis ad ipſum officiis deſtinatis, jure vobis peculiaribus pectoris mei etiam præſentium literarum famulatus offertur. per quem nos inter tantos, ut fieri potuit, rerum rumores Paſcha proſpere tranſegiſſe ſignifico. ſic mihi judicans ejus plenitudinem divini muneris beneficiis proventuram, ſi veſtri quoque colloquii dignationem cum ſimili proſperitatis agnitione meruero.

EPISTOLA LXXVII.

Ab Avito Viennenſi Epiſcopo dictata, ſub nomine Leoniani Archidiaconi, [b] *ad virum ſpectabilem Sapaudum.* b

LIcet pompam convivii principalis, marinis deliciis terreſtribuſque fulgentem, luculento ſermone deſcripſeris, incunctanter tamen declarare tuum amorem conſuetum eſt. Securus enim taliter recitas, poſtquam datam tibi materiam non verſibus ſed dentibus expediſti: cum in uno prandio, quod vix duobus burdonum terga detulerant, unus venter incluſit: cum in

---

a *V. I. Anſemundo*) Aulæ regiæ Burgundionum principi, ad quem epiſtola xiix. Scriptæ ambæ poſt dies Natalis Domini, cujus ſolennitati quia rex Viennæ non adfuerat, ſcire avet, an Lugduni adfuerit. Quo poſt priorem comperto, poſteriorem epiſtolam ad ecit.

b *Ad V. S. Sapaudum*) Diverſi ab hoc, ætate non multo inferiores, Sapaudus Epiſcopus Arelatenſis, Placidi patricii filius, & Sapaudus abbas, qui Concilio Aurelianenſi V. ſubſcripſit pro Albino Epiſcopo Audegavenſi. Leonianus vero, nunc Archidiaconus, idem videtur cum Leoniano famulo Maximi Epiſcopi, in cujus gulam ludebat epiſtola lxv. Convenit enim hominis ingenio & moribus epiſtola ejus nomine compoſita. Sed longe diverſus & diſſimilis, quamvis nec ætate, ut fama eſt, nec

pranſu negligens crimen, alvum nimietate concretam pectinibus pexuiſti. Quod licet ad inſultandum mihi exaggeraſſe te pateat, ego tamen conſtanter affirmo, nullum ſimilem noſtri, ſeu eſuriat ille, ſeu comedat, beatum merito nuncupari. Nam ut de primo quod expoſuiſti ferculo colloquamur, parvum tibi pœnæ genus putabas afflictum, quod appetitum interioribus inhiantem devorabili tegmine pavus [a] iſicio conclusus excluſit, & trepidans accenſis faucibus gula aliquantula temporis mora ſub [b] docti inciſoris pependit arbitrio. Sicque factum eſt, ut bibendo cibos, pocula ruminando, primam prandii partem eſuriens querelis, mediam comedens rapinis, ultimam ſatur lacrymis exegeris. Nec tibi dixerim profuiſſe quod deſui. Vel id nobis, quantum tibi ſuperfuit, omnibus ſatisfecit. Nam cum tu in tanta convivii beatitudine deliciatus maxime, tardiſſime ſatiatus, vix te poſſis probare felicem, quid de me miſero cenſeas interrogare præſumo, qui a regalis menſæ abundantia non permittor, & in Eccleſiaſtica frugalitate non ſaturor. qui ſub honoris nomine cuſtodiæ mancipatus, quaſi ad primam vocatus & a meliore prohibitus, ne poſſim fugere jacere compellor. impleor oleribus, & inflor napis: abundo leguminibus, ſed quæ tellus non pontus emiſit. Inter hæc qualia fuerint bonæ memoriæ quondam oſtrea nec recordor. Si modicum quid vaſculo uno minimo ſemipleno vini pallentis apponitur, & hic modus vel regula cuſtoditur. Jam de cibis taceo: in accipiendis recentibus major eſt pœna. muſta depoſcens, aut inediam patior, aut aliquid rapuiſſe confingor. ſumma importunitate perago ut tres recentes aliis plus præſumam. Ipſæ etiam pateræ, quas confictis caſibus frango, quotidiana reparatione decreſcunt. Quapropter laborioſo in his tantum inſultare deſiſte: quia cum utrique noſtrum quotidianum

A ſatum ſit quod quiſque ſortitus eſt, tum familiaris miſeriæ oblivisci potero, ſi epulo ſuo domnus noſter ſic adeſſe me jubeat, ut te deeſſe contingat.

Epistola LXXVIII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [c] Apollinari Epiſcopo.

Confido plane, nec dubito, divino munere communem lætitiam communi præſentiæ nuntiatam. Nam quod & ad vos jam ſuſpicor B perveniſſe, etiam illi qui vaſtare limitem dicebantur, reverſi ſunt. Unde cauſa ſollicitudinis has direxi, ut quæ ad vos poſtea de cujuſcumque ſecuritatis augmento pervenerint indicetis: aut ſi jam ad civitatem liber recurſus a conſuetudine vos, immo potius ab amore obſidionis extraxit. Præterea [d] magdaliola illa, quæ promiſiſtis, poſco ut cum obſervationis breviculo dirigi jubeatis. Hactenus familiariter, hinc quod reſtat, quia jam libet, paulo hilarius indicabo. [e] Signatorium igitur, quod pietas veſtra non tam promittere quam offerre dignata eſt, in hunc modum fieri volo. Anulo ferreo C & admodum tenui, velut concurrentibus in ſe delphinulis concludendo, ſigilli duplicis forma geminis cardinulis inſeratur. Quæ ut libuerit viciſſim, ſeu latitabunda, ſeu publica, obtutibus intuentium alterna vernantis lapilli vel electri pallentis fronte mutetur. Nec quidem talis electri, quale nuper, ut egomet hauſi, in ſancto ac ſinceriſſimo impollutæ manus nitore ſordebat, cui corruptam potius, quam confectam, auri [f] nondum fornace decocti crediderim ineſſe mixturam: vel illam certe, quam nuperrime [g] rex Getarum, ſecuturæ præſagam ruinæ, monetis publicis adulterium firmantem man-

---

habitatione disjunctus, Leonianus abbas, cujus ſepulcrum Viennæ nuper obſervavimus in ſuburbana æde S. Petri, cum epitaphio; rudi quidem, ſed ſancti viri gratia haud quaquam ſpernendo, in hæc verba.

EPITAPHIUM S. LEONIANI.

Hic vir ſanctitate conſpicuus in hac urbe Viennenſi Abbas extitit Sabbaria Pannoniæ ortus, a Barbaris captivatus, Gallorum finibus devenit, Auguſtoduni primum, deinde Viennæ clauſtro peculiaris cellæ concluſus, quadraginta plus annis tali ordine Chriſto militavit, tantæ diſtrictionis, ut pene vultu omnibus undequaque venientibus ignotus introvixerit, cum eſſet verbo doctrinæ multis ad ſalutem notiſſimus. Ita ut juxta cellulam ſuam quamplurimos monachos rexerit, monachos vero ambitu monaſterii infra urbem incluſos ad ſexagenarium numerum mirabili ordinatione paverit, & diſciplinabiliter cuſtodierit,

a *Pavus iſicio concluſus*) Aut ſicut ficedula incluſa ovo pavonino apud Petronium, aut pavum dicit iſiciatum, ſicut pullum iſiciatum Apicius minutatim conciſum, & in iſicium converſum. Apicius libro VIII. cap. VII. de porcello farſili, *Porcellus hortulanus exoſſatur per gulam in modum utris. mittitur in eo pullus iſiciatus particulatim conciſus, turdi, ficedulæ, iſitium de pulpa ſua*, &c.

b *Docti inciſoris*) Qui ſcindendi obſonii magiſter Senecæ, ſciſſor Petronio, Juvenali autem chironomus, a geſticulatione qua obſonia ſcindens utebatur. de qua & Petronius. *Proceſſit*, inquit, *ſtatim ſciſſor, & ad ſymphoniam ita geſticulatus laceravit obſonium, ut putares Darium hydraula cantante pugnare*. Quamvis ergo celerrime, & volanti cultello, ut loquitur Juvenalis, dapes erudita manu ſecaret, lentus avidis Leoniani faucibus videbatur.

c *Apollinari Epiſcopo*) Fratri, Valentinæ ſedis Antiſtiti, ad quem aliæ complures.

d *Magdaliola illa*) Seplaſiariorum officinis notum vocabulum. Magdaleones enim hodieque vocitant teretes cylindros, in quos compoſita emplaſtra redigere ſolent. Scribonius Langus de chirurgi Tryphonis emplaſtro ſub. viridi: *Dum deſinit fervere, manibus ſubigetur, & redactum in rotundas ampliores, quas μαγδαλίδας dicunt, reponetur.* Rogat itaque ut cum magdaliolis quæ promittit, indiculum mittat, qua obſervatione ſingulis uti oporteat.

e *Signatorium igitur*) Anulum ſignatorium, ſeu ſigillum. cujus formam ac materiam, cum omnibus ornamentis, qualem ſibi fieri velit, elegantiſſime deſcribit.

f *Auri mixturam*) *Omni auro*, ut Plinius docet, *ineſt argentum vario pondere. Ubicumque quinta argenti portio eſt, electrum vocatur*. Id cum in metallo reperitur, nativum dicitur. Fit autem & cura electrum argento addito. quod ſi juſtum modum exceſſerit, corrumpitur mixtura, qualem in ſigillo ſuo reſpuit Avitus.

g *Rex Getarum*) Alaricus, a Clodoveo proſtratus. in hoc enim corruit Wiſigothorum regnum in Gallia, cujus ruinæ prænuntiam Avitus adulterinam monetam vult fuiſſe. Viſuntur ſane nunc etiam Gothici ex electro veteres nummi, adeo pallentes, ut auri minus habere putes quam argenti. Ceterum impreſſam habent regum ſuorum effigiem: quod ignoraſſe, aut tanquam illegitimum diſſimulaſſe videtur Procopius, cum ſolis Francorum regibus id licuiſſe, barbaris aliis regibus nefas fuiſſe, ſcribit libro III. belli Gothici. De Francis enim loquens, eorumque rege Theodeberto, qui Provinciæ partem obtinebant. Νόμισμα δὲ χρυσοῦν, inquit, ἐκ τῶν ἐν Γάλλοις μετάλλων πεποίηνται· οὐ τοῦ Ῥωμαίων αὐτοκράτορος, ᾗπερ εἴθισται, χαρακτῆρα ἐνθέμενοι τῷ στατῆρι τούτῳ, ἀλλὰ τὴν σφετέραν αὐτῶν εἰκόνα. καίτοι νόμισμα μὲν ἀργυροῦν ὁ Περσῶν βασιλεὺς ᾗ βούλοιτο ποιεῖν εἴωθε· χαρακτῆρα δὲ ἴδιον ἐμβαλέσθαι στατῆρι χρυσῷ, οὔτε αὐτὸν θέμις, οὔτε ἄλλον ὁντινοῦν βασιλέα τῶν πάντων βαρβάρων. *Nummum autem aureum ex metallis quæ ſunt in Gallia fabricarunt, non Romani, ut mos eſt, Imperatoris effigiem huic ſtateri, ſed ſuam ipſorum imaginem imprimentes. Et vero nummum argenteum rex Perſarum pro arbitrio cudere ſolet: effigiem porro ſuam aureo ſtateri apponere, neque ipſi fas eſt, neque alii cuiquam regum barbarorum*. Eſt apud nos Theodeberti regis, de quo Procopius, nummus aureus, mole quidem

daverat. Sed ſit ejuſmodi color, quem æqualiter ac modeſte, ruborem ab auro, ab argento candorem, pretioſitatem ab utroque, a ceteris rapientem fulgorem, artificioſa ſiquidem medioxima viroris commendet amœnitas. Si quæras quid
a inſculpendum ſigillo. [a] Signum monogrammatis mei per gyrum ſcripti nominis legatur indicio. Medium porro anuli, ab ea parte qua volæ clauſæ vicinabitur, delphinorum, quorum ſuperius capita deſcripſimus, caudæ tenebunt. Quibus lapiſculus ob hoc ipſum quæſitus, oblongus ſcilicet, & acutis capitibus formatus indetur. Ecce habes quoddam tantummodo ſpeculum dogmatis exſequendi. Nec tamen amplitudinem elegantiæ tuæ ſic ad memoratum exemplar coactо, quaſi liberum non ſit addere quod videtur. Licebit porro ſupercurrenti ingenio veſtro terminos præſcriptæ demandationis excedere. In fine autem epiſtolæ, luteo operi, ſine quo tamen non tranſigetur, ſæculentus ſermo depoſcit, ut artificem figulum brevi tenendum e veſtigio dirigatis, qui nobis, qualibus ſtrui menſuris crebrati cænaculum furni, vel intra quod ſpatium foſſilis glebæ ſcrobis ſordibus ſeptæ animalium pedibus coctilis cæni glutinum lentari poſſit, inſtituat.

EPISTOLA LXXIX.

b *Avitus Viennenſis Epiſcopus* [b] *Apollinari Epiſcopo.*

INnexus pariter ac gravatus veſtræ dignatione ſollicitudinis, magnitudine muneris, conſuetudine pietatis, qua digna vel gratiarum actione, non dicam obſequii ſedulitate, reſpondeam? Niſi forte multipliciter invalidus eadem in hoc ſuſtenter gratia veſtra, quæ nos onerat. Concedat vos ornatui Eccleſiæ, conſolationi & refectioni noſtræ omnipotens Deus, ut quia revera non ſolum vobis vivitis, per aliorum ſolatia veſtra merita cumuletis. Fecerunt quidem peccata mea non qualemcumque neceſſitatem, qua nos in die ſuſceptæ feſtitatulæ noſtræ, corporali veſtræ pietatis præſentia fraudaremur. Sed reddidiſtis ac repræſentaſtis nobis viciſſitudinem veſtri aſpectus in lumine, oris in ſermone, tactus in opere. Spero in Dei noſtri miſericordia, quod non meo tantum tempore, ſed etiam ſecuturo, donum veſtræ oblationis Eccleſiola noſtra venerabitur. Quod ſicut ego dum vivo in teſtimonium inexhauſtæ largitatis ſervare deſidero: ita mihi Deus præſtet, ut etiam ei quem poſt me, cum Deus juſſerit, electio veſtra decreverit, peculiariter auctoritas veſtra commendet.

EPISTOLA LXXX.

Avitus Viennenſis Epiſcopus [c] *Quintiano Epiſcopo.* c

DIu eſt quod rem valde neceſſariam, & non ſine divina inſpiratione a patribus inſtitutam, aut oblivione aut occupatione deſerimus. Sed rumpenda ſunt interdum vincula neceſſitatum, ut aliquando impleri poſſint a præceptore. [d] Conventus ergo, quos bis per annum a d
ſacerdotibus fieri ſeniorum cura decreverat, ſi bene perpenditis, utinam vel ſingula poſt biennia faceremus. Nam & venerabilis Papæ urbis, nobis hanc negligentiam ſuccenſentis, mordacia mihi nonnunquam ſcripta perlata ſunt. Unde ſupplicat per me, ſi dignamini, Eccleſia Viennenſis, poſcit intermiſſæ conſuetudinis rediviva ſalubritas, quod hactenus infrequentatum torpuit, excitari. Juſtum eſt, quantum reor, ut conſtitutis prioribus ſub communis præſentiæ opportunitate tractatis, noſtris ſimul nobiſque, prout ordo collocutionis invenerit, vel inſinuemus vetera, vel ſi neceſſe eſt, etiam noſtra jungamus. Idcirco cunctos ſimul poſcimus fratres, ut Deo favente octavo Iduum Septembrium [e] in parochia Eponenſi adeſſe dignemini. e
qui locus, omnium fatigatione penpenſa, conventui ſatis opportunus electus eſt: ſicut & tempus, in quantum poteſt, ab inſtantia ruralis operis vacuum, liberiorem cunctis permittit excurſum. quanquam Eccleſiæ potior cauſa intermitti quaslibet terrarum poſceret actiones. Supplicamus ergo & quæſumus, teſtamur, obteſtamur, ne quem a diſpoſitione tam ſancta obex ullius excuſationis abducat, ne quem a tali caritatis vinculo nexus temporaneæ neceſſitatis impediat.

---

exiguus, ſed probæ notæ, cum ipſius effigie, ac nomine, D. N. THEODEBERTUS C.

a *Signum monogrammatis mei*) Quod in ſigillo ſuo fieri jubet Avitus, hoc idem in denariis ſuis præceperat Karolus Calvus rex in edicto Piſtenſi anni DCCCLXIV. cap. XI. *Ut in denariis novæ noſtræ monetæ ex una parte nomen noſtrum habeatur in gyro, & in medio noſtri nominis monogramma*, nempe ut implicitæ & confuſæ monogrammatis literæ adſcripti per gyrum nominis indicio legerentur. quo modo in antiquis regum diplomatis cum monogrammate ipſum quoque regis nomen adjectum videre eſt. Ceterum regis edicto in denariis monetarii, quod mirum eſt, non paruerunt. Obvii enim ſunt, cum ipſius Karoli tum filii ejus Ludovici denarii, in quibus per gyrum monogrammatis non nomen, ſed regia dignitas expreſſa, in Karolo, GRATIA DEI REX. in Ludovico, MISERICORDIA DEI REX.

b *Apollinari Epiſcopo*) Eidem, gratias agens de muneribus, quæ ad ornatum Viennenſis Eccleſiæ miſerat, cum ejus feſtivitati adeſſe ipſe non poſſet.

c *Quintiano Epiſcopo*) In confeſſo eſt Quintianum hoc tempore Arvernorum Epiſcopum fuiſſe. Quare falſa videtur epiſtolæ inſcriptio. Cum enim ad Provinciæ Viennenſis Epiſcopos ſcripta ſit, ut ad Conc. Epaonenſe veniant, qui locus foret Epiſcopo Arvernor. qui non modo extra Viennenſem provinciam erant, ſed extra ditionem quoque Burgundionum. Nam ut Agathenſe Concilium eorum tantum fuit, qui Wiſigothorum imperio parebant, & Aurelianenſe primum eorum duntaxat, qui ſub Francorum erant poteſtate: ſic ad Epaunenſe ii tantummodo convenerunt, qui Burgundionum finibus continebantur. Hinc apparet deeſſe hoc loco epiſtolam ad Quintianum, cujus ſola reſtat inſcriptio; hujus vero, quam ad Epiſcopos provinciæ ſcriptam diximus, inſcriptionem deſiderari.

d *Conventus bis per annum*) Hoc decreverat Synodus Nicæna, can. V. *καλῶς ἔδοξεν, ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν δὶς τοῦ ἔτους συνόδους γίνεσθαι. Recte habere viſum eſt, ut ſingulis annis, per unamquamque provinciam, bis in anno Concilia fiant.* Quo ſpectans Concilium Regenſe can. VIII. *ſtatuit ut ſecundum antiquam conſuetudinem, ſi quies temporum erit, bis in anno conventus agant.* & Arauſicanum I. can. XXIX. *Qui patrum ſtatuta deſpiciunt, quibus bis in anno, quod nobis pro temporum qualitate difficile eſt, ſanctum eſt concurri.* Ob hanc opinor difficultatem, placuit deinceps Synodos ſingulis annis celebrari. quod apud nos in Concil. I. Agathenſi ſtatutum, in aliis poſtea multis repetitum eſt.

e *In parochia Eponenſi*) Pro Epaonenſi. Epao enim plerumque dicitur, quæ alias Epauna. De hoc enim Concilio agi certum eſt: ſed incertum hactenus quis locus, & quod illi hodie ſit nomen. de quo multi varia conjiciunt. Qui Sancti Firmati Vitam conſcripſit, auctor eſt illum, Turonibus relictis, perveniſſe ad locum, cui nomen Eona ſuper Rhodanum, ibique conſediſſe. Quod ſi Eonam ab Epona deflexiſſe annuimus, ut abſurdum certe non eſt, qui S. Firmati ſepulcrum nactus fuerit, a Concilii fortaſſe loco non aberrabit.

diat. Sed ſi forte, quod Deus avertat, tanta A
a cuicumque [a] acerbitas corporeæ infirmitatis ingruerit, ut ſpiritale deſiderium carnali vincatur
b incommodo [b] duos presbyteros magnæ ac probabilis vitæ, mandati inſtructione firmatos, fratribus pro ſe præſentare procuret. Sed tales dignetur eligere, quos Epiſcoporum Concilio non minus ſcientia quam reverentia jure faciat intereſſe, cum quibus delectet ſummos Pontifices conſerre ſermonem, quos ad definitiones pro Epiſcopo ſuo ſanciendas, ſubſcribendaſque, cum fuerit ſollertia eligi, ſit auctoritas legi. Sed iſtud non extorqueat niſi ſumma neceſſitas. Ceterum dilectionis fraternæ ac paſtoralis diligentiæ magnitudo, niſi laboris magnitudine, non probatur. Conicit enim ſanctitas veſtra, poſt hoc longum abuſionis noſtræ ſilentium, qualiter aut B
definiri debeant quæ Deo præſtante tractanda ſunt, aut quæ definita fuerint, univerſi Eccleſiarum provinciæ noſtræ miniſtri debeant imitari.

Epistola LXXXI.

Avitus Viennnenſis Epiſcopus Domno Sigiſmundo.

SCio quidem curis atque occupationibus, quibus ſub ope cæleſti pro ſalute patriæ fideliter excubatis, importune ſuggeri ſervitium literarum. Sed cum præcelſa pietatis veſtræ di-
gnatio adeo peculiaris famuli non ſit oblita, C
ut in ipſo ſuſceptæ expeditionis procinctu, ſenſibus meis deſiderium ſui ſancto duplicaret alloquio, quis non intelligat quam patienter ineptiam tolerabitis, quam clementia provocatis? Unde qualiter ſani confortante Deo ſitis, ſollicitus eſſe præſumo, aut quomodo cœptis ſpes voti communis arrideat. Illud autem non ſolum rogo, ſed per illam, quam a Deo accepiſtis, mihique præſtatis, gratiam precor, ut quanquam merito de indictæ fidei firmitate ſecuris nobis, magis impenſo cautelæ veſtræ munere trepidationi noſtræ & ignaviæ conſulatis: neque plus cogitetis quod univerſitas pro vobis devota ſupplicat, quam quod ſuſpenſa formidat. Sed li-
cet pavidi ex conſcientia peccatores, incunctabili tamen fide præſumimus, quod etiamſi vobis, protegente Chriſto hic metus noſter riſum moverit, vel divinas aures ad donandam nobis felicitatis veſtræ lætitiam permovebit. D

Epistola LXXXII.

Avitus Viennenſis Epiſcopus Domno Sigiſmundo.

VIdetur quidem de divina promiſſione diffidere quicumque minus de veſtra proſperitate ſecurus eſt. Sed ſi animum meum ſolida dignatione perpenditis, facilem intelligitis veniam ignaviæ meæ pro nimia trepidatione deberi. Quippe cum quicumque veraciter catholicorum nomen uſurpant, pervigili prece Deo ſupplicare nunc debeant, ut vobis vota noſtra illibata atque integra relaturis, & fideliter vicina conjungat, & feliciter adverſa ſubiciat. Sicque in rerum neceſſitate multiplici ambifariam vobis Chriſto propugnante contingat, & pars quæ cupitur, & victoria quæ debetur. Quapropter ſi memoriæ meæ gratiam de animo veſtro nutantem anxietatis tempus imminuit, famulus ſpecialis ſalutationem quidem deferre non auſus, ſed ſalutem veſtram a Domino præſtolaturus, ſatis ſuſpenſo attentoque animo ſervitium præſentis paginæ deſtinavi, primum de veſtra, poſt de exercitus ſanitate ſollicitus. Unde, licet in Dei nomine per quoſcumque tranſeuntes proſpera cognoſcamus, poteſtis tamen piiſſimi domni conicere, quantum mihi dulcius erit, ſicut me quibuſcumque referentibus paſcit illa ſancti affectus recognitio, ſic me reſcriptio lætificet, in qua ad quandam præſentiæ vicem verba veſtra pro conſpectibus adipiſci, & ſubſcriptionem pro manu merear oſculari.

Epistola LXXXIII.

Ab Avito Epiſcopo dictata ſub nomine domni Sigiſmundi regis, [c] ad Imperatorem. c

NOtum eſt omnibus, celſitudinem veſtram non impedimenta temporum, ſed ſubjectorum vota metiri. Sub cujus fiduciæ ſecuritate atque lætitia, glorioſiſſimo principi noſtro, qui corpore abſumus animo præſentamur. Et quanquam iſtud famula veſtra proſapia mea ex devotione perſolverit, me tamen gratiæ debitorem non magis parentalia debita, quam beneficia mihi impenſa fecerunt. Veſter quidem eſt populus meus, ſed me plus ſervire vobis quam illi præeſſe delectat. Traxit iſtud a proavis generis mei apud vos deceſſoreſque veſtros ſemper animo Romana devotio, ut illa nobis magis claritas putaretur, quam veſtra per militiæ titulos porrigeret celſitudo: cunctiſque auctoribus meis

a *Acerbitas corporea infirmitatis*) Excuſationem quo minus Epiſcopi ad Synodum veniant, præter infirmitatem corporis, Canones Galliæ nullam agnoſcunt. Itaque in hoc ipſo Epaonenſi Concilio, can. 1. decretum eſt, *ut niſi cauſa tadii evidentis extiterit, nullus excuſet*. & in Aurelianenſi II. can. 1. *ut nullus Epiſcoporum, niſi certa tadii cauſa detentus, ad Concilium venire penitus ulla excuſatione detrectet*. Quare excuſationes alias excludere ſolent, ut diviſionem regiæ ſortis, Concilium Aurelianenſe III. can. 2. *Hanc excuſationem ſibi noverint eſſe ſublatam, ſi abſentiam ſuam diviſione ſortis crediderint excuſandam*. alias omnes Concilium Turonenſe II. can. 1. *Præter infirmitatem certiſſimam. nullius occaſione velaminis, neque per impedimentum ordinationis regiæ, neque ſub occaſione utilitatis, aut cauſæ propriæ, debeat a Concilio ſeparari*.

b *Duos presbyteros pro ſe*) Quibus ad Concilum venire infirmitatis cauſa non licebat, hi legatos vice ſua mittebant. Concilium Arelatenſe II. can. XVIII. *Si quis commonitus infirmitatis cauſa defuerit, perſonam vice ſua dirigat*. & Carpentoratenſe in epiſtola ad Agræcium Epiſcopum, *licet ad Synodum aut per vos, aut per perſonam vicariam, debueritis adeſſe*. Quamquam ergo duos hoc loco exigat, & duos pro uno Epiſcopo vicarios in Concilio. Arelatenſi V. ſubſcripſiſſe compertum ſit, ſingulos tamen ſat fuiſſe ſuperiora demonſtrant. Neque presbyteros omnes mitti neceſſe fuit, cum ex Conciliorum ſubſcriptionibus liqueat, nunc Abbates & presbyteros, nunc Archidiaconos vel Diaconos legari conſueſſe.

c *Ad Imperatorem*) Anaſtaſium, ut poſterior epiſtola declarat: quam cum initio regni Sigiſmundi, poſt obitum Gundobadi patris, exaratam ſignificet, confirmat in digerendis epiſtolis Aviti ordinem temporum obſervatum non fuiſſe. Conqueritur autem de Rege Italiæ, qui legationem, quam mittebat ad Imperatorem, progredi non permiſerat.

A ſemper magis ambitum eſt quod a principibus ſumerent, quam quod a patribus attuliſſent. Cumque gentem noſtram videamur regere, non aliud nos quam milites veſtros credimus ordinari. Impartit nos gaudiorum munere veſtra proſperitas: quicquid illic pro ſalute omnium curatis, & noſtrum eſt. Per nos adminiſtratis remotarum ſpatia regionum, patria noſtra veſter orbis eſt. Tangit Galliam ſuam lumen Orientis, & radius, qui illis partibus oriri creditur, hic refulget. Jubar quidem conſpectus veſtri contemplatione non capimus: ſed lucem ſerenitatis, quam ubique diffunditis, deſiderio poſſidemus. Dominationem vobis divinitus præſtitam obex nulla concludit, nec ullis provinciarum terminis felicium ſceptrorum diffuſio limitatur. B Salvo divinitatis honore ſit dictum. Non minuit majeſtatem veſtram quod accurrere non omnes valent: ſatis ad reverentiam vobis debitam ſufficit, quod omnes e propriis ſedibus vos adorant. Virtute orbi Eoo, felicitate regnatis Occiduo: licet vos ubicumque diligi, etiamſi non datur omnibus intueri. Sed cum jure iſtud de univerſitate dicatur, conicite nunc quantum debeant quos honoribus faſtigatis, quos ſocios triumphorum omnium ſucceſſuumque veſtrorum dignitatum titulis applicatis: ut ſic virtutis veſtræ decora noſtra ſint, & ad honoratorum ornamenta pertineat quicquid geſſerit fons honorum. Offero igitur, principum inclyte, literarum obſequia, vota gratiarum: præſtolor oraculum ſermonis Auguſti, ambio ſi quid C ſit quod jubere dignemini. Quia etiamſi indigere ſe famulatu noſtro perennitas veſtra non credat, quiſquis tamen felici meruerit ſervire ſibi militat. Offerat ergo ſupplex Orientalium' quoque gentium diſtantia cruditatem: expoſcat principari præſulem noſtrum. Parthicus ductor, propter pacis commodum, in Romanum imperium gaudeat tranſire. Indus ipſe, poſt experimenta manſueti oris, ſtridula voce compreſſa, leges quibus ſervire jubeatur Græco cognoſcat interprete. Si quis fervor eſt quo axis meridianus exæſtuet, refrigerio temperate, & edomate per reverentiam quicquid ante vos indomitum fuerat per naturam. Incumbent iaſibi ſceptra re- D ligionis invictæ quiſquis non optat excipiat. Prorogetur per vos non minus poteſtate religio, quæ famulantibus populis ad cæleſtia pariterque veneranda, & veritatem adſtruat, & porrigat libertatem: quaque mediante, vobis culmine æternæ ſalutis innixis, non humano tantum ordine, verum etiam divino amore, longum ſervire nos deceat.

EPISTOLA LXXXIV.

Ab Avito Epiſcopo dictata ſub nomine domni regis * *C. S. ad Imperatorem Anaſtaſium.*

QUam piæ majeſtatis judicio ſerenitas veſtra, vel parvipendat impedimenta temporum, vel cenſeat corda famulorum, nullo indicio meliore cognoſcitur, quam quod in ſacris apicibus longinquius porrigendis, implet deſiderantum vota, & ſupplicum non expectat officia. Appetunt occurſum veſtri omnium mentes: nec tam glorioſum eſt quod pauci poſſunt, quam quod cuncti videre vos cupiunt. Quod autem nunc Auguſtæ compellationis affatus debitæ vobis paginæ prævenit obſequium, nihil indevotioni pius arbiter, nihil imputet tarditati. Niſi aditum conatibus noſtris obex interjecta ſuſpenderet, jam nunc profecto verbum mundo venerabile reſponſa potius quam oracula deſtinaſſet. Nec tamen remorando mihi tantum nocuit, quantum invidit æmulus livor. Non me quidem legiſtis officii mei compotem, ſed reddidiſtis pii oris compellatione felicem. Nec intereſt excipiat nos ſermo Auguſtus, an expectet: a celſiſsima dignatione tantum eſt noſtra non deſpici, quantum veſtra concedi. Igitur poſt obitum devotiſsimi fideliſsimique vobis patris mei, proceris veſtri, cui ad feliciſsimos integra proſperitate ſucceſſus, id quoque contigit divino favore votivum, ut lætam florentemque rempublicam vobis orbem regentibus ſciret, voſque dominos nationum placido receptus ſine derelinqueret: ad hæc intimanda, vobiſque commendanda quin etiam meæ militiæ rudimenta, quæ genitore quidem meo ſuperſtite nutriſtis, ſed magis magiſque poſt eum cumulo ſacræ dignationis augebitis, ſicut debebam, vel optare par fuerat, unum de conſiliariis meis, qui quantum ad ignorantiam Gallicanam, ceteros præire literis æſtimatur, venerandi comitatus veſtri auribus offerebam, ſpecialius ſecuritate concepta, quod [a] rector Italiæ de pace veſtra publice plauderet, & rumore diſperſo redditam ſibi Orientis gratiam coloraret. Interclusum eſt ergo atque probibitum relationibus deſtinatis iter arreptum. Certe ipſa viderit quid hinc apud Auguſtam lætitiam ſpectet ſeries veritatis. parvum tamen amicitiæ videtur indicium, eum quem te colere afferas, nolle a ceteris honorari: cum omnes qui vos digno cultu ſuſpicimus, id ipſum a cunctis fieri velle debeamus. Parum enim propriæ devotionis oſtendit, ſi quis occurrendi libertate damnata, alios quoque facere ſtudeat indevotos: cum tamen ſanctitas cæleſtis ingenii nequeat cenſere culpabilem, quem vel ſola voluntas reddiderit innocentem. Unde evidenter ipſum videtis allegare quid cuperem, qui tam ſollicite conatus eſt impedire ne poſſem. Itaque

---

a *Rector Italiæ* (Theodericus, qui pacem hanc per legatos ab Anaſtaſio expetiit, ut eſt in epiſtola 1. Variarum Caſſiodori. *Oportet nos, clementiſſime Imperator, pacem quærere, qui cauſas iracundiæ noſcimur non habere.* & poſt alia, *ut ſinceritas pacis, quæ cauſis emergentibus cognoſcitur fuiſſe vitiata, deterſis contentionibus, in ſua deinceps firmitate reſtituta permaneat.* Ad hanc pacem alludens Senatus Romanus, Anaſtaſium ſic affatur in literis ſuis, quæ intextæ ſunt epiſtolæ Hormiſdæ: *Proinde*, inquit, *piiſſime Imperator, hæc Senatus adjunxit, ut qui animo quam benigno in utraque republica concordanda fuiſti, tam eſſe pio in Eccleſia redintegranda unitate noſcaris.* Hujus quoque pacis exemplo, pacem Totilas expetit ab Juſtiniano apud Procopium lib. III. belli Gothici, *αἰτούμεθα τὰ ἐκ τῆς εἰρήνης ἀγαθὰ, σέ τε προΐεσθαι αὐτὸν, καὶ ἡμῖν ξυγχωρεῖν· ὧνπερ μνημεῖά τε καὶ παραδείγματα κάλλιστα ἔχομεν, Ἀναστάσιον καὶ Θευδέριχον. Bona pacis ut tute ampleclaris, nobiſque concedas, depoſcimus: quorum monumenta & exempla pulcherrima habemus, Anaſtaſium & Theodericum.* De hac denique cum ſibi plauderet Theodericus, eandem hæredi, ut cum principe Orientali habere ſtuderet, commendavit. Jornandes de rebus Geticis, *Athalaricum, filium filiæ ſuæ Amalaſuentæ, regem conſtituit, eiſque in mandatis dedit, ac ſi teſtamentali voce denuntians, ut Principem Orientalem placatum ſemper propitiumque haberent.*

quoniam divino veſtroque munere & ſacri apices & opportuni proveniunt quam diſcrepat. orant augmentum regni veſtri quibus nova proſertis, optant cuſtodiam quibus conſueta ſervatis. Sic pii moderamine gubernaculi, remedia quidem altera conquiſivit, & ſi repulſam neutra pars pertulit. Inter hos tamen peculiarius illud ego debeo, quod hujus petitionis effectum reſpectui meo præſtitum ſupplicantes. Quantum peculiari ſervo impenderitis gratiæ, gratis præſtando monſtraſtis: ſolaque ob hoc commodum in theſauris veſtris mercede repoſita, quod pauperibus donabatis, non pretio voluiſtis conſtare, ſed præmio. Et hoc ipſum qua elegantia digne meretur, reddere quod a famulis oblatum fuerat, quam ſpernere maluiſtis, & quo lætius fieret donum, contriſtare voluiſtis obſequium? Et licet quicquid ad manus veſtras pervenit, vergatur in pauperes, atque idcirco ille vos forſitan dehortetur accipere qui invidet erogare: ſubminiſtrare tamen retributionis divinæ, unde & diſpenſetis cum egent inopes, & concedatis cum ſupplicant debitores. Currite quapropter piiſſimi via gemina veſtri operis unitate. Nunquam ſi creditis ſufficientia deerit animo tali. ipſo poſſibilitatem largiente, unde præſtetur habetis, a quo voluntati infuſum eſt ne aliquid negare poſſitis.

EPISTOLA LXXXV.

Avitus Viennenſis Epiſcopus viro illuſtri Heraclio.

NIſi dolendum amici caſum animo concuſſus gemerem, multa profecto exaggerarem, quod vos in lectulo, mendacis podagræ metu, medico vegetante de arte conſueta, pluſquam poeticæ pedibus innitentes, montium ſcandendorum magis moveat cura, quam verſuum. Mœſtus vero has & cum feſtinatione dictavi: revocatus videlicet ad ſepulturam communis filii quondam Protendi: ſi tamen vel hoc ipſum patri aliquid conſolationis impendat. Vobis porro ſi cordi eſt facta de nobis ex aſſe jactura, ab incurſibus formidandis Rhodano limitante muneri tenete adhuc dum redeo, & Ceratium noſtrum, de meo habentem aliqua, de veſtro nonnulla, qui me ſcholaſticum, a vobis aſſerit bellicoſum: ſumens de matris ſapientia quod libenter barbaros fugit, de virtute paterna quod litteris terga non præbuit.

EPISTOLA LXXXVI.

Reſcriptum Viri illuſtris Heraclii.

INdicaſtis quidem tantam doloris cauſam, qua epiſtolaris officii reſponſio clauderetur, & duriſſimo nuntio vulnus inflictum plus me lacrymis cogeret ſervire quam literis. tamen me- A tuens ſilentii culpam, vel pauca ſuſpiriis meis, ut potui verba furatus ſum. Probant igitur tempora, cui rectius adſcribatur nota formidinis, quem magis trepidum proviſio clauſtris commiſſa deſignet. Ergo urbis caveat dedignatus, inter vicina diſcrimini conſtantiam pectoris planis expoſui, & jamdiu ad patentium locorum æquora perveni, rem ut virtutis audaciam libertate habitationis oſtenderem. Vos autem, rumore comperto, ad ſepta urbis tanquam venturo æmulo convolaſtis: & quem pacis diebus jugiter rura tenuerunt, nunc de murorum latebris non educunt. Enimvero quam vos tunc civitas flagitabat, tam nunc intra mœnia collocatos quærit relicta poſſeſſio.

B EPISTOLA LXXXVII.

Domino ſanctis meritis præcellentiſſimo, in Chriſto glorioſiſſimo, & Apoſtolica ſede digniſſimo, [a] Papæ Hormiſdæ Avitus.

DUm religionis ſtatui, & plenis catholicæ fidei regulis perſpicitis convenire, ut gregem per tota vobis univerſalis Eccleſiæ membra commiſſum pervigil cura veſtræ adhortationis informet, Viennenſem provinciam ſuperiore anno, ſi meminiſſe dignamini, datis ad humilitatem meam literis viſitaſtis, quæque ad me, ſecundum quod opportunitas oblata contulerat, per Arelatenſis Eccleſiæ clericos pervenerunt, C & quidem pleniſſimæ ſollicitudine paſtorali. In quibus nos, ſicut per converſionem provinciarum, id eſt Dardaniæ, Illyrici, vel Scythiæ, ad communionem gaudiorum provocatis, ſic admonitione cautiſſima quid nos per ignorantiam prævenire poſſit, inſtruitis. Eutychetis igitur Neſtoriique damnatio, quos jamdudum per beatiſſimos deceſſores ſanctæ ſedis veſtræ calcavit auctoritas, ad notitiam jampridem noſtram Apoſtolicæ ad nos diligentiæ proviſione perlata eſt. Sed illud nos modo ſuſpenſos multum redigit & anxios, quod cum pendere nos ad effectum [b] legationis ſecundo Conſtantinopolim deſtinatæ omni expectationis ſtudio juſſeritis, D nec quid filius veſter ſanctus frater meus Ennodius retulerit, nec utrum ſecuta redierit indicaſtis, & promiſſionem veſtram tanta ſilentii diuturnitate ſuſpenditis, ut non minus modo prædicatoris taciturnitas reddat attonitos, quam antea fecerat legationis mora ſuſpectos. Unde ſola hac cauſa ſervos veſtros filios meos, Alexium presbyterum, & Venantium Diaconum, totius provinciæ Viennenſis nomine, quæ Eccleſiæ ad me pertinenti ab univerſis deceſſoribus veſtris & Apoſtolica ſede commiſſa eſt, cum præſentis famulatus pagina deſtinavi: per quos oraculo beatiſſimæ reſponſionis agnoſcam, utrum ſervor ſchiſmatum præſatorum, qui intra Conſtantinopolitanam urbem vitio pernicioſæ obſtinationis exarſerat, cuique, quod magis dolendum eſt,

a *Papa Hormiſda Avitus*) Hanc epiſtolam codex Aviti, quo uſi ſumus, non habuit. Intexta olim fuerat epiſtolis Hormiſdæ, unde huc illam tranſtulimus, cum Hormiſdæ ipſius reſponſo. qui eandem præterea, in epiſtola xi. Anaſtaſio ſcribens, deſignat his verbis. *Pendent*, inquit, *anxia corda cunctorum: ab ultimis ad nos Gallis directa legatio, ſi quid de unitate redintegrationis ſollicitudo noſtra promoviſſet forma ſecuta conſulit.*

b *Legationis ſecundo Conſtantinopolim deſtinatæ*) Bis quidem Conſtantinopolim ab Hormiſda miſſus eſt Ennodius, ſed unica, cum Avitus hæc ſcriberet, legatio præceſſerat. Ideo illi reſpondens Hormiſda, *Legationis*, inquit, *noſtræ, quam ſemel, non ſecundo ſicut ſcribitis, miſimus, ſi votivus contigiſſet eventus, alacres illico vobiſcum fueramus deſiderata partituri.* Prior enim legatio Ennodii Florentio Conſule contigit, anno Chriſti dxv. quam cum irritam feciſſet Anaſtaſii Imp. perfidia & diſſimulatio, poſterior adjecta eſt III. Nonas Aprilis Agapito Conſule anno Chriſti dxvii. quo ipſo anno Aviti epiſtolæ menſe Februario reſponderat Hormiſda. Quare ſecundam legationem, quæ tum adhuc parabatur, jam profectam in Orientem falſa Viennam fama pertulerat.

Alexandrinam vel Anthiochenam Eccleſias dicitis illigatas, vobis Chriſto ſavente docentibus, digna fuerit correctione reſtinctus. aut ſi reverſa legatio in paginis evidentibus quod ſimplex legeretur exhibuit, an forte nuntio magis retulit, unde vobis ad hoc qualiſcumque ſuſpicio reſervetur. Veremur enim, ne Pontificale judicium, dum non indicat proſpera, ſenſiſſet adverſa. His adjicitur, quod diverſorum fida relatione comperimus, de reconciliatione vel concordia Eccleſiæ Romanæ jactitare ſe Graciam. quod ſicut amplectendum, ſi veraciter dicitur, ita metuendum eſt ne callide ſimuletur. Quæſumus ergo ſervitio meo * cuncti [* In Labbei edit. Concil. *juncti*.], ut quid filiis veſtris fratribus meis, id eſt Gallicanis, ſi conſular reſpondere debeam inſtruatis. & quia ſecurus, non dicam de Vienneſi, ſed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes ſuper ſtatu fidei veſtram captare ſententiam: orate ut ſic nos perditorum profeſſio fucata non fallat, ſicut ab unitate quam regitis veritas comperta non ſeparat. Accepta III. Kalendas Februarii, Agapito Conſule. per Alexium presbyterum, & Venantium diaconum.

EPISTOLA LXXXVIII.

Hormiſda Avito Epiſcopo, vel univerſis Epiſcopis Provinciæ Vienneſis, ſub tua diœceſi conſiſtentibus.

QUi de his quæ ad diſciplinam catholicam pettinent maxime ſciens inſtrui cupit, quid ſtudii circa mandata divina habeat evidenter oſtendit. Non enim poteſt eſſe hujuſmodi cura, niſi ubi fides fuerit infucata. Atque ideo exultamus a ſinceritate propoſiti tui, dilectiſſime frater, dum te ſecundum directas per Alexium presbyterum atque Venantium diaconum literas intuemur, & de impiis tranſgreſſoribus Eutychete atque Neſtorio ſedis Apoſtolicæ conſtituta recolere, & ſi quid adverſum eos admonitio noſtra promoverit, per quos Orientales Eccleſiæ confunduntur, inquirere. Digna plane ſolicitudo fidelibus, ut de miſerorum lapſibus ingemiſcant, & ipſi ne aliena polluantur contagione provideant. Sed ne nos quidem hoc ſuperſediſſe credatis, ut ad notitiam veſtram, ſi quid actum fuiſſet, competens perferret inſtructio. Verum breviter ſilentium noſtrum, quod dilectio mordet veſtra, purgamus. Nam quod non ſæpius noſtra admonitio vos frequentat, de conſcientiæ veſtræ & fidei ſtabilitate confidimus. Solicitudo impendenda fortaſſe ſit dubiis: ſatis eſt vitanda indicaſſe perfectis. Legationis vero noſtræ, quam ſemel, non ſecundo, ſicut ſcribitis, miſimus, ſi votivus contigiſſet eventus, alacres illico vobiſcum fueramus deſiderata patrituri: ſcientes hoc rationi hoc, noſtro propoſito convenire, ut quos participes ſolicitudinis fecimus, cum his reintegratæ unitatis gaudia jungeremus. [a] Sed quantum ad Græcos, ore potius præferuntur pacis vota, quam pectore, & loquuntur magis juſta, quam faciunt: verbis velle ſe jactant, quod operibus nolle declarant: quæ fuerint profeſſi negligunt, quæ damnaverint hæc ſequuntur. Nam unde eſt, quod cum per Ennodium fratrem & coepiſcopum noſtrum, ſacerdotales viros ad confirmanda ea quæ Sedes Apoſtolica popoſcerat, directuros ſe eſſe promiſiſſent, multa quoque, quæ ad correctionem pravitatis ſuæ a nobis quæſita fuerant pollicentes, non ſolum non religioſos viros, penes quos cauſæ ipſius plena eſſe poſſet inſtructio, ſecundum conſtituta propria non miſerunt: verum etiam, quaſi res parva gereretur, [b] laicos & alienos ab Eccleſiaſtico corpore deſtinantes, non ſe ſtuduerunt de cœno, quo immerſi tenentur, evolvere, verum etiam catholicæ fidei * claritate fulgente [* Labbeus *claritatem fulgentem*,], ſua quod abſit ſe poſſe crediderunt obſcuritate fuſcare. Hæc fuit noſtri cauſa ſilentii, quam vos quoque ſpirituali vobis prudentia revelante vidiſtis. Quid enim de hac cauſa poteram directis literis indicare, quam in ſtatu ſuo videbam duram pertinaciter cuſtodire perfidiam? Novi exitus * ſolicite [* Labbeus *ſollicitæ*] diligentiam relationis inquirant: qui de rebus cognitis nihil indicat, abunde in ſtatu ſuo manere priora declarat. Quapropter, dilectiſſime frater, & vos præſentibus hortamur alloquiis, & per vos quoque, quia occaſio data eſt, alios per Gallias, quos fides eadem nobiſcum amplectitur, admonemus promiſſam & amabilem Deo fidei ſervare conſtantiam, & tranſgreſſorum ſocietate declinata, conſtantiam veſtram uni viro virginem caſtam, ſicut ſpopondiſtis, exhibere Chriſto, & cavere ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutia ſua, ita ſenſus aliquorum corrumpantur a ſimplicitate & caſtitate quæ eſt in Chriſto Jeſu. Pernicioſa ſunt blandimenta nocentium, atque ideo vigilare vos convenit: quia adverſarius ſalutis humanæ, ſicut leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui reſiſtite fortes in fide. quia hoc ſpeciale habent patris ſui de cæli arce dejecti, qui veſtigia ejus ſequuntur & diligunt, ut illa veritatis luce privati, & alios gaudeant ſua obſcuritate ſuſcari: & cum perverſitatis ſuæ pœnas luituros eſſe ſe ſciant, exultent ſi miſeros cum ſua condemnatione conjungant. Nam unde eſt, quod cum pro magna parte a conterminis ſuis Thracibus, Dardanis, Illyricis, cognita eorum perverſitate deſerantur, procul poſitos ignorantiæ ſpe, fraudibus aut variis artibus nituntur allicere, niſi ut lucem quam ipſi non habent, in aliis quoque impia contagione commaculent? Ut autem quæ ſint partium earum ſtudia poſſitis agnoſcere, plures Thracum, licet perſequentium incurſibus atterantur, in noſtra tamen communione perſiſtunt, ſcientes fieri fidem per adverſa clariorem. Dardania, & Illyricus vicina Pannoniæ, a nobis, quod jam fecimus ubi neceſſarium fuit, ut ſibi Epiſcopi ordinarentur expetiit. In tan-

---

a *Sed quantum ad Græcos*) Hoc docent Anaſtaſii ad Hormiſdam epiſtolæ, in quibus doli & ſaliaciæ plena omnia: docuit & ſecundæ hujus legationis exitus, multo quam prioris acerbior & contumelioſior. Quare fruſtra illo ſuperſtite pacem & concordiam Eccleſiarum tentavit Hormiſda, quam ab Juſtino ejus ſucceſſore confeſtim obtinuit. Tam infectum ſe porro, poſtquam in Eutychianam hæreſim aperte deſiiit, orthodoxis omnibus exhibuit Anaſtaſius, ut illum inter præcipuos Eccleſiæ hoſtes numerare non dubitet Nicolaus I. in epiſtola ad Michaelem Imp. *Cogitate quid Imperatores, qui perſecuti ſunt Eccleſiam Dei, & maxime Eccleſiam Romanam, id eſt Nero, Diocletianus, Conſtantius, Anaſtaſius, & ceteri moris eorum pertulerint, & ubi modo ſint attendite diligenter, & quantum ſit in Eccleſia Dei execrabilis fama eorum, & nomen deteſtabile ſapienter advertite.*

b *Laicos & alienos a b Eccleſiaſtico corpore*) Theopompum & Severianum, quorum officia & dignitates deſignat ipſe Anaſtaſius ad Hormiſdam ſeribens: *Commendationis itaque loco, vel ſalutationis honore reddendo, Theopompum V. I. Comitem Domeſticorum, agentem ſacri palatii ſcholam, & Severianum V. C. Comitem ſacri noſtri Conſiſtorii, ad veſtram direximus ſanctitatem.*

tum ſe a conſortio perditorum ſeparare gaudentes, ut remedia quærerent, dummodo commune cum tranſgreſſoribus nil haberent. Epiri Metropolitanus, hoc eſt Nicopolitanus Epiſcopus, cum Synodo ſua nuper ſegregatus ab impiis, ad Apoſtolicam communionem deprompta, quæ efficeret, profeſſione ſe contulit. Quæ ideo ſcriptis æſtimavimus indenda præſentibus, ut ſicut ſortem nos convenit dolere pereuntium, ita lætemur pariter de ſalute remeantium: & ut fideles conſtituti ab eis longius inſtruantur, qua virus eorum ſolicitudine debeat effugi, quos & a ſuis videant tam juſta deteſtatione vitari. Et nos quidem diſpenſationis noſtræ memores, neceſſe eſt eos repetitæ legationis officio convenire, quod ſi affectu ſalvationis ſuæ, ſi reſpectu Dei, ſi rationis intuitu non moventur, ſaltem pulſantibus importune & pertinaciter acquieſcant, & aut ad rectam viam declinatis erroribus revertantur, aut propter impœnitens cor, ab omnibus inexcuſabiles judicentur, qui & moniti toties in perfidiæ obſtinatione perſi-

A ſtant. Vos orate, & nobiſcum ad Deum preces & vota conjungite, ut per opem miſericordiæ ejus, noſtra actio, laborans pro catholicæ fidei ſtabilitate promoveat, immaculatos vos & integros ab omni tranſgreſſorum ſocietate ſervantes, ut aut cum correctis ſenſus & corda jungamus, aut ab eorum venenis intacti eſſe mereamur. Nam qui, ſicut vos quoque conſcientiam veſtram non latere teſtamini, novimus Eutychetem atque Neſtorium, Apoſtolicæ, id eſt catholicæ ſententiæ auctoritate damnatos,
B quemadmodum ſalvi eſſe poterimus, ſi eorum ſectatoribus ac poſteris, qualibet parte communionis hæreamus, cum Belial cum Chriſto noſtro portionem habere non poſſit? Inſtructionis autem veſtræ intereſſe credimus, ut ea quæ apud nos a Nicopolitanis vel Dardanis acta ſunt, vel quo in communionem ordine ſint recepti, vobis nota faceremus ipſarum lectione chartarum. Data xv. Kalendas Martias Agapito conſule.

ALCIMI AVITI EPISCOPI VIENNENSIS [a] HOMILIA DE ROGATIONIBUS.

Unde conſuetudo Rogationum proceſſerit.

CUrrit quidem tramite vitali, non per Gallias tantummodo, ſed pene per orbem totum Rogationalis obſervantiæ flumen irriguum, & infectam vitiis terram uberi fluxu annuæ ſatisfactionis expurgat. Peculiarior tamen nobis in hac ipſa inſtitutione ſervitii & gaudii cauſa eſt, quia quod hinc modo ad cunctorum utilitatem defluit, ex noſtro primitus fonte manavit: & forte nunc pertineat ad cujuſcumque privilegii ornatum ſumptæ primitus inſtitutionis exordium. Ceterum cum ad hujuſmodi humilitatem ineffabilis neceſſitas rigida Viennenſium corda perdomuit, ſentiens Eccleſia noſtra cauſam ægritudinis ſuæ, non ſibi quaſi maxime præ omnibus, ſed quaſi ſoli ex omnibus exiſtimans opus eſſe inſtituenda obſervatione præſenti, ſolicitius captavit remedium, quam primatum. Et quidem terrorum temporis illius cauſas multos noſtrum recolere ſcio. Siquidem incendia crebra, terræ motus aſſidui, nocturni ſonitus, cuidam totius orbis funeri prodigioſum quoddam buſtuale minitabantur. Nam populoſis hominum concurſibus domeſtica ſilveſtrium ferarum ſpecies obverſabatur, Deus viderit an ludificans oculis, an adducta portentis. Quicquid tamen ex iis duobus foret, perinde monſtruoſum intelligebatur, ſeu ſic veraciter immania beſtiarum corda manſuefieri, ſeu tam horribiliter conſpectibus territorum ſalſæ viſionis

C phantaſmata poſſe confingi. Inter hæc diverſa vulgi ſententia, diſpariumque ordinum variæ opiniones. Alii quod ſentiebant diſſimulando, quæ fletu nolebant dare, caſui dabant. alii ſpiritu ſalubriore, abominabilia nova * quoque congruis malorum proprietatis ſignificationibus interpretabantur. Quis enim in crebris ignibus imbres Sodomiticos non timeret? quis trementibus elementis, aut decidua culminum, aut diſrupta terrarum imminere non crederet? quis videns, certe videre ſe putans, pavidos naturaliter cervos per anguſta portarum uſque ad fori lata penetrantes, non imminentem ſolitudinis ſententiam formidaret? Quid multis? Tracta ſunt
D hæc inter timores publicos & rumores privatos uſque ad imminentem ſolennium vigiliarum noctem, qua celebrari feſtum Dominicæ reſurrectionis annua conſuetudo poſcebat. Siquidem hanc omnes, laborum opem, malorum finem, metuentium ſecuritatem, communibus animis operiebantur. Adfuit ergo nox illa venerabilis, quæ ad ſpem publicæ abſolutionis votivum ſolenne patefecerat. Sed mox illic multo vehementior ſtrepitus ictu flagelli gravius ferientis intonuit. utpote quem jam emenſis gradibus, ſuperlativum nihil ſequi aliud quam chaos intelligeretur. Ædes namque publica, quam præcelſo civitatis vertice ſublimitas immenſiter faſtigiata prætulerat, flammis terribilibus con-

* In edit. Gagnei *quaque*

a *Homilia de Rogationibus.*) De Hac Homilia Gregorius Turon. libro II. Hiſtoriæ, cap. XXXIV. *Refert Avitus in quadam Homilia, quam de Rogationibus ſcripſit, has ipſas Rogationes, quas ante Aſcenſionis Domini triumphum celebramus, a Mamerto ipſius Viennenſis urbis Epiſcopo, cui & hic eo tempore præerat, inſtitutas fuiſſe, dum urbs illa multis terreretur prodigiis*, &c. Multas hujus argumenti ab Avito habitas Homilias fidem faciunt Flori Diaconi Excerpta, in quibus ſententiæ proferuntur ex Sermonibus die primo, ſecundo, & tertio Rogationum. Quin & his plures numero fuiſſe crediderim, ſed a Floro propterea neque hanc, in qua verſamur, neque alias commemorari, quod in illis nulla Pauli epiſtolarum fieret mentio. Quæ in hac editione noſtra diſcrepant a Gagneiana omnium prima, veteri exemplari debentur ex quo deprompta ſunt.

flagrare crepuſculo cœpit. Interpellatur itaque nuntio diſcriminis jucunditas ſolennitatis: pleno timoribus populo Eccleſia vacuatur. Omnes namque ſimilem facultatibus vel domibus propriis caſum de quadam præminentis incendii arce metuebant. Perſtitit tamen coram feſtivis altaribus invictus Antiſtes, & calorem fidei ſuæ accendens flumine lacrymarum, permiſſam ignibus poteſtatem incendio abſcedente compeſcuit. Deſperatione depoſita reditur ad Eccleſiam, & reſtincta flammarum luce clareſcit luminum pulchritudo. Nec ſane ulterius trahitur de arripiendo compunctionis medicamine mora. Prædeceſſor namque meus, & ſpiritalis mihi a baptiſmo pater, Mamertus ſacerdos, cui ante non
a paucos annos [a] pater carnis meæ accepto, ſicut Deo viſum eſt, ſacerdotii tempore ſucceſſit, totas in ea quam ſupradiximus vigiliarum nocte ſancto Paſchæ concepit animo Rogationes: atque ibi cum Deo tacitus definivit quicquid hodie pſalmis & precibus mundus inclamat. Revoluta ergo ſolennitate paſchali, non jam quid, ſed quomodo aut quando fieri debeat, ſecreta primum collatione tractatur. Putabatur a quibuſdam Viennenſis ſenatus, cujus tunc numeroſis illuſtribus curia florebat, inventis non poſſe addici, cum vix adquieſceret legitimis inclinari. Sed pius ac ſolicitus paſtor, ſapientiæ ſalibus largus, manſueſaciendarum ovium prius orando animum, quam perorando mollivit auditum. Pandit igitur diſpoſitionem, indicit ordinem, exponit ſalubritatem: & viro tam religioſi quam ſolertis ingenii parum fuit, ſi obedientibus propoſitum tantummodo inſtitutionis promeret, niſi inter initia etiam vinculum conſuetudinis adſignaret. Inſpirante igitur compunctorum cordibus Deo, auditur a cunctis, confirmatur, attollitur. eligitur tempori triduum præſens, quod inter Aſcenſionis ſacræ cultum diemque Dominicum, quaſi quodam opportunitatis propriæ limbo circumpoſitis ſolennitatibus marginaretur. Explorante autem Epiſcopo fervorem inchoationis, & maxime verente, ne ob tardam populi ſequacitatem, paucioribus eductis obſervatio ipſa confeſtim in ſui novitate revileſceret, ad Baſilicam, quæ tunc mœnibus vicinior erat civitatis, orationem primæ proceſſionis indicit. Itur celebri alacritate, copioſa multitudine, maxima compunctione: ut revera populi lacrymis laboribuſque brevis atque anguſta proceſſio videretur. Ubi vero ſanctus Sacerdos de minorum effectu majorum indicia collegit, ſequenti die inſtitutum eſt, quod nunc primo, id eſt craſtino, ſi Dominus annuit, die laboraturi ſumus.
b [b] Sequutæ ſunt ſucciduo tempore quædam Eccleſiæ Galliarum rem tam probabilis exempli: ſic tamen, quod hoc ipſum non apud omnes iiſdem diebus, quibus penes nos inſtitutum fuerat, celebraretur. Nec porro magni intererat quod triduum eligeretur, dum-

A modo pſalmorum officia lacrymarum functionibus annuis perſolverentur. Tamen cum dilectione rogationum, etiam ſacerdotum creſcente concordia, ad unum tempus, id eſt ad præſentes dies, univerſalis obſervantiæ cura conceſſit. Porro autem eo attinuit iſta præfari, ut, ſeu recolentibus hæc ſeu ignorantibus forte retulimus, omnes tamen attendant, quod Eccleſia, quæ miſit aliis formam inſtitutionis, multipliciter eſt debitrix oſtendendæ alacritatis, & prima debet eſſe compunctionis officio, quæ in re tam neceſſaria omnibus facta eſt mater exemplo. Unde imminere nunc, ſi Deus annuit, rogationum noſtrarum operoſiſſimam feſtivitatem, non quaſi neſcientibus indicimus, ſed quaſi expectantibus commendamus. Quia licet non abſque labore conſtet ſervanda profeſsionis ipſius conſuetudo,
B delectat tamen aſperitas medicaminis, in quo frequenter inveniri probata eſt ſpes ſalutis. *Si dixerimus*, inquit Apoſtolus, *quia peccatum non* 1. Joan. 1. 8
habemus, nos ipſos ſeducimus. Et ſi confiteri debemus aſsidue nos peccare, opus eſt confitendi officio, humilitate pœnitendi. Præſertim cum plebis adunatæ compunctio, ſic ad incitamentum boni operis poſsit aptari, ut rebellis magis convenientius erubeſcat, ſi cunctæ multitudini propriæ mentis ſolitudine contradicens, peccata ſua vel vitia cum populo flente non defleat. Neceſſaria eſt igitur boni operis conſpiratio. Sumit alter ex altero, aut de humilitate exemplum, aut in confeſsione ſolatium. Periculoſius agitur ſingulare certamen, in quo vires altrinſecus experiri poſſe paucorum eſt.
C At vero, cum contra hoſtem communem multitudinis pugnat aſſenſus, trahit etiam timidum militem virtus aliena. Robuſtis bellantibus infirmitas deliteſcit, & quodam unitatis ſuffragio laus fit invalidis, in exercitu fortium computari. Denique cum victoria contigerit, totis adquiritur: & cum paucorum dextra pugnaverit, omnium gloria triumphavit. Hoc dico de infirmitate communi, quæ ſi ſe rogantibus non ſubtrahat, etiam cum ipſa per ſe minus fecerit, non tamen ad integrum fructu carebit. In illa glorioſa & admodum ſingulari hiſtoria Ninivitarum, contra exertum commotæ divinitatis gladium, juncta ſeniorum viribus etiam infantilis ætas pugnare compulſa eſt. Humani quoque
D mercedem & gratiam jejunii pecorum fames adauxit. Quin & ipſa irrationabilis creatura, quæ offenſam timere non potuit, quodam modo veniam poſtulavit. Et quia homines in morem animalium vivendo peccaverant, rurſus animalia ſua quaſi homines jejunare coegerunt. Propter hanc ergo diſcretionem, in Evangelio Dominus ait, *Petite & accipietis, quærite & invenietis,* Matth. 7. 7.
pulſate & aperietur vobis. Petere enim docti eſt, quærere devoti. petit ſciens, quærit neſciens. Cum petis, vis accipere quod intelligis: cum quæris, adhuc conaris invenire quod petas.

---

a *Cui pater carnis meæ*) Is fuit Iſicius ſive Heſychius. Ado Viennenſis in Chronico, *Avitus*, inquit, *Viennenſis Epiſcopus, eloquentia & ſanctitate præcipuus, cujus frater Apollinaris Valentiæ Epiſcopus, miraculis inſignis, Iſicii Senatoris primum viri, poſtea Viennenſis Epiſcopi, duo lumina clariſſimi filii*. Senatorem ſe Romanum Avitus quoque filius, & in Epiſcopatu ſucceſſor, profeſſus eſt in epiſt. XXXI. In eadem Viennenſi cathedra poſtea ſedit Iſicius alter, qui in Concilio Aurelian. V. & in Pariſienſi III. ſubſcripſit.

b *Sequutæ quædam Eccleſiæ Gallicanæ*) Prima omnium, aut inter primas, Eccleſia Arvernorum, teſte Sidonio lib. VII. epiſt. I. ad Mamertum ipſum Rogationum auctorem. Mox tota Gallia imperatæ & obſervatæ. tum in regno Francorum, quod Gothicum jam regnum occuparat, decreto Conc. Aurelian. I. can. XXVII. *Rogationes, id eſt Litanias, ante Aſcenſionem Domini ab omnibus Eccleſiis placuit celebrari*. tum in regno Burgundionum, quo reliqua fere pars Galliæ continebatur: quod patet ex can. VI. Conc. Lugdunenſis II. *Placuit etiam univerſis fratribus, ut in prima hebdomada noni menſis, hoc eſt ante diem Dominicam, quæ prima in illo menſe illuxerit, Litaniæ ſicut ante Aſcenſionem Domini ſancti patres fieri decreverunt, deinceps ab omnibus Eccleſiis ſeu parochiis celebrentur*.

Ideo qui jam ſuperiores ſunt, orando petant: qui infirmi, laborando quærant. Porro autem pulſare commune eſt. Nullus quippe obſtructum aditum vocibus pulſat: iſtud ad manus pertinet, & corporis actus eſt. Petat ergo ſcientia, quærat amor, pulſet operatio, maxime in obſervatione præſenti. Feſtivitas ſiquidem eſt, cujus jocunditas tota ſola ſobrietas, cujus epulæ lacrymæ, cujus paſtus eſuries eſt: cujus principium ex neceſſitate, perſeverantia in dilectione, actus in requie, requies in labore: cum tota iſta obſervantia confeſſio pœnitendi pro culpa ſit, & rogandi pro venia. Etiam vero Evangelica præſens lectio utilitatem ſupplicationis expoſuit, dum in navi Dominum dormientem chorus diſcipulorum ſub tempeſtatis ſtrepitu trepi-
Matth.8.24. dus ſuſcitaret. Neque porro aliud fuit in tanto repugnantium ſibi invicem ventorum fluctuumque conflictu, ſopitum profundius Dominum noſtrum interrita quiete jacuiſſe, niſi ut ad eum inter diſcrimina quæ patimur timoris noſtri cauſa confugeret. Aſſiduo nos ictu tempeſtas iſta fatigat, impulſu terribili contra nos tonitrus ſæculi clamat, ſcintillantibus ad punctum radiis mundana commotio non illuminat ſed coruſcat. Eccleſia eſt navis, quæ nos per varios caſus velut inter marinos gurgites ducit. Aures quidem noſtras obtrectationibus & blaſphemiarum ſtridore, quaſi laxata laterum compage, reverberat: ſed puppim veritatis ſoliditate conſtructam penetrare non poteſt quod fatigat. Et quia pro-
Matt.28.20. miſit Dominus noſter Eccleſiæ, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummatio-*

A *nem ſæculi*, in navi quidem eſt in qua ſumus, ſed metuere jam non poteſt quod timemus. Poſt reſurrectionem enim aſcenſionemque ſuam, totus inter pericula noſtra requieſcit. Alienæ magis formidini opus eſt, ut qui ſecurus jacebat evigilet. Clametur ergo vocibus ſupplicationis: &, ſi ingravante periculo necdum audit, pulſe-
tur manibus largitatis, & dicatur ei, *Exurge*, Pſ.43.23.24
quare obdormis Domine, *oblitus inopiæ & tribulationis noſtræ*? Dicturus eſt quidem expergefa-
ctus, *Cur timidi eſtis modicæ fidei*? Reddat ſa- Matth.8.26.
lutem, & increpet infirmitatem. Et ſi parva fides eſt, quia timemus ſæcularia, eſt tamen aliquantula, ſi recurramus ad Dominum. Non autem timeretur coram ipſo, ſi ipſe timeretur. Sed minima conſcientia recti maxima cauſa trepidandi eſt, in noſtra præcipue vita, cui criminum continuatio fit diſcriminum multitudo. B Quocirca ſi non diximus Chriſto, Vigila nobiſcum, ſaltim dicamus, Evigila propter nos. Non rogavimus ne diſcederet, obtineamus ut redeat, nec deſerat curſum navigationis infirmæ, donec vento & mari ſilentium jubeat, & furorem inſanientis ſæculi celerrimo fine compeſcat, & fiat in retributione judicii tranquillitas magna, quæ in hoc mundo eſſe non poteſt. Quia ſi de mundo eſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret. Sed devicto mundo perveniatur ad ſuper-
nam quietem: ubi quoniam poſſibilitas pereun- J.oan 1 519
di aberit, nec periculi cauſa naſcetur. ubi ſemper nobiſcum Dominus, ſemper cum illo, ſi dederit, nos erimus: & qui hic aliquoties negligentibus dormit, illic perpetuo fruentibus ſine fine vigilabit.

LECTORI.

Præter Homiliam ſuperiorem, & alteram in converſione Sigiſmundi regis habitam, cujus meminit Agobardus, reſtant in vetuſtiſſimis ſchedis Thuanæ Bibliothecæ tituli aliarum octo, cum primis cujuſque verbis, in hunc modum.

HOMILIARUM OCTO TITULI ET INITIA.

I. *Dicta in dedicatione ſuperioris Baſilicæ*. Diſpoſueram patientia taciturnitatis hodiernæ.
II. *Dicta in Baſilica ſanctæ Mariæ*. Statueram, dilectiſſ. & quantum arbitror.
III. *In reſtauratione baptiſterii in civitate ſua Vienna*. . . . temporum perturbationes quibus.
IV. *Dicta in dedicatione Baſilicæ Genevæ*. Novimus & miramur ex Evangelica lectione divitem.
V. *Dicta in dedicatione* . . . Pertinet ad locum . . .
VI. *Dicta in Baſilica S. Petri, quam ſanctus Epiſcopus Tarantaſiæ condidit*. . . par eſt decreſcat facultas virium, creſcente materia gaudiorum.
VII. *Dicta in Baſilica ſanctorum Agaunenſium, in innovatione Monaſterii ipſius, vel paſſione Martyrum*. Præconium felicis exercitus, in cujus congregatione.
VIII. *Homilia dicta in converſione Domni Segiſrici, poſtridie quam ſoror ipſius ex Ariana hæreſe eſt recepta*. Sæpenumero divinitate quod dilecto ſuo principi noſtro.

FRAGMENTA

EARUMDEM AVITI HOMILIARUM

ex ſchedis iiſdem.

I.

Matt.13.29. Sic quondam Petrus Apoſtolorum caput, id eſt principum princeps, quamlibet commotum ventis pelagus formidaret, adreptum tamen fluvidi tenens callem victor explicuit: atque undis ponti fureutis, velut hoſtilium turbinum molibus eluctatis, flatum tentationis adverſæ, priuſquam ſede contigeret, fide contri- C vit. Secuta eſt illic ſerenitas iter peractum. Hic quoque non minus ad habitationem, quam ad imaginem, Petri ædem fidem fundatam ſecuritas quæ non præceſſerat inſequitur. Innovet autem idem nunc Apoſtolus dignam ſui nominis ſedem. Iiſdem clavibus pandat hic locum, quibus aperit regnum. Solvat nunc quæ ſibi oſtenſæ fuerint compedes criminum. *Et paulo ſuperius*. Soliditas quæ faciendis fabricis in principiis quæritur, hic & culmen obtinu

A Firmiſſimo aliarum ædium fundamine cacumina noſtra tutiora ſunt.

II.

4.Reg.4.41. QUid mihi laudet antiquus Moyſem ſuum aquas ab ævo aſperas ligno caſtigante dulcaſſe?
Exod.15.23 quid Eliſæum, virtute non imparem, agreſtis cibi amaritudine plenum lebetem medici farris infuſione condiſſe? Hæc quidem geſta exempli admirabilis fuiſſe quis neſciat? Sed non minus hodie veſtro datum eſt Sacerdoti, quem par diverſitas felicis eventus parem paribus adprobabit. Cum minoris pene virtutis ſit creaturas orando convertere, B quam hoſte depulſo creatorem ædibus invitaſſe. Implet hic porro gentilium vices vicinantium Arrianorum turbidus livor. Et ſi paganus hic forte jam deeſt, qui plures deos velit excoli, gemit hæreticus, qui unum conſpicit exorari. Diligit quippe Trinitatis diviſor numeroſitatem Deorum: & conſanguineo ſeparationis affectu, pariter ſoliditate perrupta, multos Deos fieri a conſentaneis adquieſcit, ſub quorum favore quaſi excuſabiliter ipſe tres numeret. Quid ingemiſcat Chriſti vacuus nominator, locum numinibus interclusum patuiſſe virtutibus? Nullus a ſalutis conſortio prohibetur. Sit eis pariter commune cum ſalvis, quod hactenus noſtrum noluimus eſſe cum perditis. C Profanis cultibus clauſtra damnamus: converſuris cultoribus templa patefacimus. Expetat ergo hic ſolidum, quiſquis amaverat ante diviſum. recognoſcat nunc Chriſtum petram, quiſquis hic dudum ſaxa veneratus eſt. Sacrilegiis ara perit, venit ara ſacrificiis. Nomen unum, cauſa diverſa eſt. Medetur ſerpens æreus, quo momordit ignitus.

III.

GEnerali exultatione gaudendum eſt, quod florentibus ſceptris catholicæ poteſtatis, orationum loca, Martyrum templa, liminum ſacra, ornantur oppida non minus ædibus, quam patronis. immo potius, illuſtratæ patrociniis fiunt urbes ex oppidis. Quod ſi & ſpecialis feſti gaudium præconio currente tangamus, eſt equidem fabrica præſens jocunda loco, imminens fluvio, & confragoſum vicini torrentis tumultum, velut impendentis reverentiæ terrore caſtigat. Cohibetur venerabilibus ripis amnis artatus, & pendulam interjecti pontis ſemitam, ad altrinſecus expetenda ſacrorum culminum loca ſubſternit. Ædes ſufficiens diffuſioni, facta eſt anguſta conventui: quæque ſic jocunditate habitaculi tam terreſtria quam ſuperna ſollicitans, cum populo ſuo vix ſufficiat, ſufficit de fabrica. Multiformi opificum ingenio nitens, expulit noctem, adpulit lucem, qui diu triſtibus tenebris artificio proturbatis, lætior intra quoddam claritatis ergaſtulum, felici cuſtodia clau-
Act.12.7. ſus eſt dies. Sic quondam carcer retificis Petri pretioſorum ligaminum radio illuſtrante reſplenduit: cum ferrum ſuppliciis coaptatum, metallis pretioſioribus plus luceret, ferræ fugerent patente aditu, catenæ caderent perſtrepente tinnitu.

IV.

GAude igitur, invicte mercator, diſpenſatione commiſſa: profer de theſauro tuo nova & vetera, inſtitutor rudium, labentium reſtitutor: ſit una in multiplici conſecratione ſolemnitas. Erexiſti lacrymarum machinis quod hoſtis alliſerat: rediit quæ perierat forma templorum, recurrat & ſanctitas. Non tu tradi- Luc. 19. 15.
ditam tibi minam, damnante ſudario, terrenis ſcrobibus ſuffodiſti: nec hoc tantum contentus reddere, quod dudum fuerat conſignatum, illa referens, offerens iſta, ut frugem primitiarum melius porrigas, prius ſtuduiſti ſolvere quod debebas. Quocirca, dilectiſſimi, orate quod ſupereſt, ut ſi quid ſacrum furatur adverſitas, Deo ulciſcente ſic redeat. In multiplices fructus granum tritici, quod maturum putabatur, excreſcat. Velut Job noſtri opes, inter prælia ten- Job.42.10.
tationis amiſſas, victoriæ meritum, patientia duplicante, reſtituat. Et ut breviter cuncta concludam, agnoſcat præſentibus, præteritiſque ſucceſſibus, tam perpetrans, quam tolerans, quam in æternis ſalubres lacrymæ noſtræ erunt tribuere, quas videmus fidelibus etiam in temporaneis non perire.

V.

IN gloria præſentis ævi parum eſt, ſi permitti ad hæc fabricanda dicamur: illud ſupra eſt, quod ad tales conatus, ſi otiari vellemus, impellimur. Noverunt ſiquidem ſceptra ſæculi noſtri, in quo ſit virtus temporis ſui. quorum inexpugnabiliter, recte ut confidimus, plus hæc baſilicis quam propugnaculis urbs munitur. Cingitur undique tutamine ſacrarum ædium dives acceſſus, & ad portarum quamvis patentium limina tutiora, D niſi ſanctis janitoribus, non venitur. Deſiſtat hinc plane nutu ſuperno uſus armorum. Ne hoſtilis conatus hic valeat, hos ſufficit providiſſe cuſtodes. Sic iſte, meritorum vigore diſcretus, aut indigenas deducat aditus, Pſal. 121.
aut inſidias repellat objectus. Has ſibi per circuitum, velut Hieruſalem, quæ ædificatur ut civitas, turres attollat: ubi lætaturis, quoties in domum Domini ibimus, hæ ſanctorum cultibus turres, hæc populorum abundantia contingat in turribus. ſicque ei fiat pax in virtute, virtus in pace: virtus ſcilicet rectoribus, pax regendis: præſidentibus illa, iſta famulantibus quarum tamen principibus noſtris utramlibet optantibus, utramque merituris, E conventus ſubjectionis devotæ pax confoveat, virtus adjiciat. Ad te nunc ſermo liberior, o præſens, ſi quæ ſunt uſpiam, catholicarum gentium pater, religionis lumen, columen regionis, exemplorum virtus, Eccleſiarum pignus, temporum decus, civilitate ſublimis, communione terribilis, reverentia *** quam cum adoraris a populo. Qui in tribunali unus præ omnibus, in altari unus ex omnibus, ſtipatus cœtibus ſubjectorum, non fulgore diadematis, ſed mentis luce diſcerneris. Jam recognoſcas tempus eſt in manibus noſtris munera tua. Paremus quidem jubenti tibi, ut ſecreta ſint cum donantur: ſed tu clamas, talia conferendo, quæ niſi princeps habere non poterat.

rat. Glorioſiſſimum quippe in his quoque ædibus quod feciſti: ſed in quiddam ſublimius tuorum gaudia ſe reſervant. Communem hic quidem hodie lætitiam oblatio veſtra peperit: ſed adhuc major eſt quam præſtolatio noſtra concepit. Porrigitur hic, præludens per conjecturam præſentium, contemplatio ſubſequentum. Juſte æſtimatur tantum in nobis quantum per te potior eris in ſumma. Certe, ſicut rationem illic operum perpendimus, hic donorum, non quidem ſolus in præſentibus adſpicis quod delectet, ſed ſolus in futuris poteris proferre quod ſuperet.

VI.

PRæconium felicis exercitus, in cujus congregatione beatiſſima nemo periit, dum nullus evaſit, cum injuſtam ſanctorum Martyrum mortem quaſi fortis juſtitia judicaret, qua bis ſuper aciem diſperſa manſuetam, centuplex decimatis fructus adcreſceret, & odio in proſperum ſuffragante, eatenus eligerentur ſinguli, donec ſimul colligerentur electi, ex conſuetudinis debito ſeries lectæ paſſionis explicuit.

VII.

CUjus aditus nocte non clauditur, quia non habet noctem: cujus fores ſemper paratas, juſtis patulas, impiis inacceſſas, non alternant clauſtra, ſed merita. Cujus fundamentum Chriſtus eſt, fides machina, murus corona, margaritum porta, aurum platea, agnus lucerna, chorus Eccleſia. Cui inter divinas laudes, omnis operis neceſſitate ſecluſa, ſola erit requies ſinceritas actionis. Multa ſunt, piiſſime Præſul, in tribunali aliquibus junior, in altario omnium prior, multa ſunt, inquam, in operibus tuis, quibus nos hactenus gratias debuiſſe dicamus. Ditati donis, pauperes verbis, percepimus magna, pauca perſolvimus. Ornaſti Eccleſias tuas gazarum cumulo, numero populorum. Struxiſti ſumptibus quæ muneribus cumulares altaria. Nunquam quidem contulimus verba virtuti: ſed cum ad præſens pſalmiſonum ſolenne perventum eſt, parum puto ſi dicam verba noſtra, viciſti hodie inſuper & opera tua. Et poſt alia. Gallia noſtra floreſcat. Orbis deſideret quod locus invexit. Incipiatur hodie exultioni æternitas, dignitas regioni. Laudantibus in præſenti ſæculo Deum, laudaturis pariter in futuro renovet magis obitus quam terminet actionem. Recognoſcatis in cælo quam de hac tellure portabitis conſuetudinem præmiorum: tantuſque perſeverantiam veſtram honor ſequatur, ut quod vobis in exercitio erit operis, hoc ſolvatur in præmio pro retributione mercedis.

Gregorius Turonenſis libro II. Hiſtoriæ Francorum.

CUm *autem cognoviſſet* Gundobadus *aſſertiones hæreticorum nihil eſſe, a ſancto Avito Epiſcopo Viennenſi, Chriſtum filium Dei & Spiritum ſanctum æqualem patri confeſſus, clam ut chriſmaretur expetiit.* Cui ait Sacerdos: Si vere credis hoc quod nos ipſe Dominus edocuit, exequere. Ait autem, *Si quis me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui eſt in cælis.* Sic & ipſos ſanctos ac dilectos ſuos beatos Apoſtolos cum de futuræ perſecutionis tentationibus doceret, inſinuavit di-

A cens: *Attendite vobis ab hominibus. Tradent enim vos in conſiliis, & in ſynagogis ſuis: flagellabunt vos, & ante reges & præſides ſtabitis propter me, in teſtimonium illis & gentibus.* Tu vero cum ſis rex, & a nullo adprehendi formides, ſeditionem paveſcis populi, ne creatorem omnium in publico fatearis. Relinque hanc ſtultitiam, & quod corde te dicis credere, ore profer in plebe. Sic enim & beatus Apoſtolus ait: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Sic & Propheta ait: *Confitebor tibi Domine in eccleſia magna, in populo gravi laudabo te.* Et iterum: *Confitebor tibi in populis Domine, pſalmum dicam nomini tuo inter gentes.* B Metuens autem populum, o Rex, ignoras quia ſatius eſt ut populus ſequatur fidem tuam, quam tu infirmitati faveas populari. Tu enim es caput populi, non populus caput tuum. Si enim ad bellum proficiſcaris, tu præcedis catervas hoſtium, & illæ quo abieris, ſubſequuntur. Unde melius eſt, ut te præcedente agnoſcant veritatem, quam te pereunte permaneant in errore. Nam Deus non irridetur. Non enim diligit illum, qui propter terrenum regnum, eum non confitetur in ſæculo. *Iſta ille ratione confuſus, uſque ad exitum vitæ ſuæ in hac inſania perduravit, nec publice equalitatem Trinitatis voluit confiteri.*

C *Agobardus in libro de picturis & imaginibus.*

HIs *ita ſe habentibus, eſt modus divinæ, ſive angelicæ, vel etiam humanæ gloriæ, ſicut Alcimus Avitus Epiſcopus Viennenſis in Dialogo, ubi cum Gundobado rege loquitur, dicit:* Illud tamen quod ab æqualitate cæleſtis gloriæ patrem & filium, perinde ut creaturam Angelicam ſecludentes, quandam mihi invidiam illicite ſupernis virtutibus delati honoris obtenditis, dicentes, Ergo & Angelis atque Archangelis, & quæcumque in excelſis ſunt, gloriam ferre debemus: licet minime pertinent ad cauſam, etiam ad præſens non omnino ſic renuo, quaſi creaturæ D ſublimi atque præſtanti gloriam ferre timeamus. Eſt quippe divinæ, eſt Angelicæ, eſt etiam humanæ gloriæ modus, quem in multis Scripturarum locis invenimus, & ſanctorum meritis, & apicibus regum ſine vitio adſentationis adſcribi. Quæ enim inter homines prima gloria, gloria hæc eſt omnibus ſanctis ejus. & in Evangelio Dominus dicit, quod nec Salomon in omni gloria ſua ſic veſtitus eſt, ſicut lilii floſculus ſpecie naturali. Matth. 6.29.

Agobardus idem in libro adverſus legem Gundobadi.

E QUid *iſte venerandus & ſanctus vir ſæpe dicto Gundobado de ſupradictis certaminibus reſponderit, audiat ſi placet benignitas veſtra. Cum de his inter utrumque ſermo eſſet, & beatus Avitus talia certamina reprehenderet, reſpondit ei Gundobadus:* Quid eſt quod inter regna & gentes, & etiam inter perſonas ſæpe ſingulas, dirimendæ præliis cauſæ divino judicio committuntur, & ei maxime parti, cui juſtitia competit, victoria ſuccedit? *Ad quod beatus Avitus intulit dicens:* Si divinum, inquam, judicium, regna & gentes expeterent, illud prius quod ſcribitur formidarent, dicente Pſalmiſta: *Diſſipa gentes quæ bella volunt.* Pſal. 67.31. & illud diligerent quod perinde dicitur, *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.* Rom. 12.19 An forte ſine telis & gladiis cauſarum motus æquitas ſuperna non judicat, cum ſæpe,

ut cernimus, pars aut juſte tenens, aut juſta depoſcens, laboret in prœliis, & prævaleat iniquæ partis, vel ſuperior fortitudo, vel furtiva ſubreptio!

A *Agobardus idem libro de picturis.*

SIcut *Alcimus Avitus Epiſcopus Viennenſis Dialogo, ubi cum Gundobado rege loquitur, dicit*. Eſt quippe divinæ, eſt Angelicæ, eſt etiam humanæ gloriæ modus.

LECTORI.

Alia poſt hæc diverſorum Aviti operum plurima & illuſtria fragmenta ſuppeditavit nobis ex Cartuſiæ majoris bibliotheca, a codex Flori diaconi Eccleſiæ Lugdunenſis, in quo B. Pauli epiſtolas ex veterum aliquot patrum ſcriptis exponere aggreſſus, poſt Cypriani, Hilarii, Fulgentii, aliorumque ſententias, quas ſingillatim ordine deſcribit, Aviti quoque operum, eorum duntaxat, qui Pauli locum aliquem tractant, ſegmenta ultimo tandem loco digerit in hunc modum.

SENTENTIÆ

Ex Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Romanos, a ſancto & illuſtriſſimo doctore Eccleſiæ Avito Epiſcopo Viennenſis expoſitæ, atque ex ejus Opuſculis in ordinem digeſtæ.

I. *Qui factus ex ſemine David ſecundum carnem.*
II. *Ut ſit pater circumciſionis, & ſit pater credentium per præputium.*
III. *Igitur ſicut per unum hominem in omnes homines in condemnationem, ita & per unum hominem in omnes homines in juſtificationem.*
IV. *Nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus.*
V. *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit.*
VI. *Item de eodem.*
VII. *Optabam ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis.*
VIII. *Quorum patres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, &c.*
IX. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!*
X. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*
XI. *Ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.*

I.

Ex libris contra phantaſma.

IDeo in capite dominicæ generationis toties David ſcriptura commemorat, ut cum patuerit veritas de auctore, nulla poſſit dubitatio eſſe de ſobole. Nam ut taceamus illud, quod in Evangeliis duo cæci una conſonantis
Rom. 1. 1. 2. fidei voce clamabant, *Miſerere mei Domine fili David*, ſcientes de Patriarcha genitum recte hominem credi, & nihilominus fructuoſe miſerenti Deo pro ſanitate luminum ſupplicari: quis evi-
Rom. 1. 2. dentius quam ſanctus Paulus hoc explicat? *Segregatus in Evangelio*, inquit, *Dei, ſicut ante promiſerat in ſcripturis ſanctis per prophetas ſuos de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem*. Aſſeruit duplicem plena deſcriptione naturam. Unam, in qua ſecundum divinitatem factor eſt omnium, & alteram, in qua factus eſt ex ſemine David ſecundum carnem. In quarum neutra ſubſtantia ſuſpicio poteſt phantaſmatis inveniri: quia ſicut per ſe inviſibilis erat divinitas, quæ inclinabatur e cælo, ita de David ſtirpe deſcendens nihil ludificatorium habere potuit veritas carnis Chriſti: quæ non ſolum uſque ad David per proavos ſuos, ſed per ipſum David uſque in Adam, expreſſa parentum nominatione revolvitur. Et ideo dicit

B Apoſtolus, eſſe ex ſemine David ſecundum carnem, ut eum conſubſtantialem exponeret matri, de qua utique ſumpſit & mortem, cum phantaſma nec naſci, nec mori poſſit, ſed principium ejus deludere, finiſque vanuiſſe ſit.

II.

Ex libris contra phantaſma.

ABraham auctor utriuſque Teſtamenti, &c. *ut in epiſtola II. pag. 10. e uſque ad*, multarum gentium patre.

III.

C *Ex libris contra Arrianos.*

ABraham, Moyſem, & prophetas, non ſolum ſalvos, ſed & beatiſſimos eſſe pronuntio, eoſque non niſi per Chriſtum ſalvatos eſſe convinco, dicente in Evangelio ipſo Domino, *Abraham pater veſter concupivit ut videret* Joan. 8. 56.
diem meum, vidit & gaviſus eſt. De Moyſe, *Si crederetis Moyſi, utique crederetis & mihi. De* Joan. 5. 46.
me enim ille ſcripſit. Etiam de prophetis ſimiliter. *Quanti prophetæ cupierunt videre quæ videtis, &* Matt. 13. 17.
audire quæ auditis? Et alio Evangelii loco ipſe Dominus, iſta quæ ſingillatim memoravi cuncta per-

a *Codex Flori Diaconi*) Magnas huic Codici gratias debemus, cujus beneficio tot Aviti librorum reliquiæ ad nos pervenerunt. Hæc porro Flori Magiſtri, ſic enim appellatus eſt; expoſitio in epiſtolas S. Pauli ex decem omnino Patribus delibata eſt, Cypriano, Hilario, Ambroſio, Paciano, Hieronymo, Ephrem diacono, Paulino, Leone Papa, Fulgentio, & Avito. Poſt hunc librum, ſequitur in eodem codice Cartuſiæ, liber II. Flori ejuſdem, de Miſſa, & de aliis quibuſdam Eccleſiaſticis inſtitutionibus. In alio vero ejuſdem Bibliothecæ volumine, Operibus Irenæi præfixa eſt Flori præfatio, cum epiſtola Agobardi. Ejuſdem præterea Flori eſt Liber adverſus Joannem Scotum, qui Eccleſiæ Lugdunenſis nomine eſt editus, & Sermo de prædeſtinatione, quem integrum recitat Hincmarus in præfatione poſterioris Operis contra Gotheſcalcum. De Floro denique, ne cetera perſequar, Walafridi Strabi extant verſus ad Agobardum eundem Epiſcopum Lugdunenſem, & inter Agobardi opuſcula, Agobardi ipſius & Flori nomine inſcripta epiſtola ad Bartholomæum Epiſcopum. Erat enim Diaconus Eccleſiæ Lugdunenſis, & Agobardo, ut apparet, familiaris.

Luc. 24. 42. ſtringens, *ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt* A
in lege, & prophetis, & in pſalmis de me. Vos porro conjicite utrum crediderint Chriſtum, quos tam manifeſte conſtat ſcripſiſſe de Chriſto. Nam & Paulus Apoſtolus, qui ante ortum Chriſti ſalvati ſunt, in Chriſto redemptos exponens,
1.Cor.15.22 ſic omnem cauſam definit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes vivificantur.* Unde ſicut nemo perit niſi per Adam veterem, ita nullus adquiritur niſi per novum.

IV.

Ex libris contra Arrianos.

Rom. 8. 26. QUia *quid oremus, ſicut aportet, neſcimus,* B
firmum debet apud nos fixumque teneri, quod quicquid omnipotens non ⁎ fecerit, reſtat ut nolit.

V.

Ex ſermone die ſexto Paſchæ.

POſt lucidæ nubis corruſcationem, ſic patris æterni ſuper filium dulcis terribiliſque vox
Luc. 17. 5. intonat, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mi-*
Gal. 3. 26. *hi bene complacuit, ipſum audite.* *Omnes* qui-
dem, ſicut ait Apoſtolus, *filii Dei ſumus*, & C
in oratione clamare præſumimus, Pater noſter qui es in cælis. Sed aliter filius eſt, de quo clamatur, *Hic eſt filius meus dilectus.* Illum ut habeat pater filium, non præceſſit voluntas generationem: nos autem per quam efficimur filii, in lavacro accipimus nativitatem. Et ideo quicumque homo poteſt filius Dei eſſe, poteſt & non eſſe. Unde dicit Joannes Evangeliſta, quod *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui cre-*
Joan. 1. 12. *dunt in nomine ejus*. ut aut permaneat filius bene vivendo, aut certe per carnalem converſationem rejiciat paternitatem. Chriſtus autem, quem Dei patris filium non fecit gratia, ſed
natura, nullo modo poteſt non hoc eſſe quod D
genitus eſt: adeo ut ſubſtantiæ illi, quæ ex Deo procedit, nec ipſa quæ ex homine nata eſt præjudicaret.

VI.

Ex libris contra phantaſma.

SI hæc omnia vera eſſe recipiunt, &c. *ut in epiſtola III. pag. 17. d uſque ad*, qualiter non pepercit, ſi dolore prohibuit?

VII. E

Ex ſermone de Natali calicis.

IN affectu quarumcumque rerum non facta ſed vota cogitanda ſunt: & abominabili eo qui invitus profuerit bonis, Deo magis gratia referenda eſt, qua promptiſſime pius bene utitur malis. Nam licet Joſeph noſtrum ſola peregrinatio fecerit principem, non tamen laudat pie-
Rom. 9. 3. tas venditorem. S. autem Paulus Apoſtolus, ſimpliciter contentus a Chriſto anathema eſſe pro fratribus, præter labores proprios, etiam pro fratribus quos lucratus fuerat, coronatur: Judas e contra, quia non fratrum dilectione proſequens Chriſtum, anathema eſt factus a Chriſto.

VIII.

Ex libro de Chriſti divinitate.

ESaias conclamantiſſimus prophetarum, &c. *ut in epiſtola 28. pag. 44. d uſque ad*, quam habni apud te, priuſquam mundus fieret.

IX.

Ex libris contra Arrianos.

O, inquit, *altitudo divitiarum ſapientiæ &* Rom. 11. 33.
ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ipſius! Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit, aut quis prior dedit ei, ut retribuatur illi? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Non ergo altitudo ſapientiæ & ſcientiæ ſolius patris, ſed Dei, in quo & filii annuitis eſſe perſonam. cujus nec conſiliarius quiſquam fuit, nec ſenſum ullus ſcrutator agnovit, quanto minus, qui ſummo, nec augmentum recipienti, convitium etiam minorationis intendit? cum ipſe Apoſtolus inſcrutabilem Dei altitudinem pro corporea infirmitate ſuſpiret. Quis autem prior dat Deo, ut retribuatur illi, niſi qui dat initium creatori, ut & ipſe quaſi ab inchoata ſubſtantia Dei inchoationem ſui recuperaſſe videatur? Unus hic nempe nominatur, unus exponitur Deus. Certe ſi ſecus, quam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ſi hæc ut vultis trium ſunt, dicite nunc cui ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Si tribus, quare non ipſis? ſi ipſi, cui de tribus? Certe, ſit ut vultis, tripartita eſt ſubſtantia majeſtatis, cur non dixit, ex ipſo per alterum in tertio, niſi quatenus nominatus ipſe unus in tribus eſt? De quo
& Apoſtolus alio loco. *Et ipſe eſt*, inquit, *ante* Coloſſ. 1. 17.
omnia, & omnia in ipſo. Porro autem, ſi ut dixiſtis, omnia in Spiritu ſanctoconſtant, & ipſe eſt ante omnia, ne poſt multa eſſe incipiat, non erit creatura, & cum creatura non fuerit, ſervitium non debebit. reſtatque ut ſit Deus, ſi non eſt ſervus: & qui famulari ratione non colligitur, dominari veritate credatur.

X.

Ex epiſtola contra Fauſtum.

FIdem eſſe omnium bonorum ſpiritualium fundamentum, &c. *ut in epiſtola IV. pag. 22. a uſque ad*, teſtis eſt noſtri ſpiritus, non natura.

XI.

Ex libris contra Arrianos.

LIbera reſponſione profiteor, quod Deo ſuorum animos inſpirante, longe fulget claritas veritatis. Illud namque Apoſtolicum, quod ſæpe repetitis, ſufficit in redemptore cognoſci: quia ſi confitearis Dominum Jeſum, & quia Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris. Sic tamen ut intelligatur divinitas ſua cum patre, vitam crucifixo homini reddidiſſe. Sicut ipſe in
Joanne Evangeliſta teſtatur, *Poteſtatem habeo* Joan. 10. 18.
ponendi animam meam, & poteſtatem habeo ite-

rum ſumendi eam. Porro nequaquam ſalvat, de homine Chriſto tantummodo rectum credere, niſi jungas etiam catholico intellectu de divinitate ſentire. Nam & Photiniani mortuum ac reſuſcitatum aſſerunt Chriſtum. Et quoniam ſceleſtiſſimam in hoc eorum blaſphemiam, perinde etiam veſtræ ut noſtræ legis ſententia deteſtatur, ſi tantummodo aſſumptum hominem interiiſſe, ac ſola patris virtute reſuſcitatum eſſe dicitis, quæſo quid in ſupradictæ peſtis profeſſionibus arguatis, cum ipſe Dominus noſter, ut legitur, ſuo nutu ſuſcitet templum ab adverſariis diſſolutum? Quod certe de quo templo dicatur, in promptu eſt, cum reparatio templi, inter biduum, in ſtatum priſtinum revertentis reſurrectionem dominicæ carnis, quam divinitas ſua templi vice habitaverat evidenter exponat. Idem ergo filius Dei Deus, qui mori non potuit, defunctum hominem ſuſcitavit, & templum inimicis manibus diſſolutum, in unitatem perſonæ ſolidata rurſus divinitati quam aſſumpſerat carne reſtituit.

XII.

Ex ſermone die II. Rogationum.

Dicit beatiſſimus Paulus, quod *per patien-* Rom. 15. 4.
tiam & conſolationem ſcripturarum firmam ſpem habere debeamus, cum omnes Chriſtiani, tum ſpecialius illi, quibus datur in hoc mundo, aut pro Deo perſecutionem pati, aut pro veritatis amore tribulari, aut pro vitæ hujus peregrinatione compungi.

AD CORINTHIOS PRIMÆ.

I. *Et ignobilia, & contemptibilia mundi elegit Deus*, &c.
II. *Si enim cognoviſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent.*
III. *Item de eodem.*
IV. *Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.*
V. *Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.*
VI. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?*
VII. *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.*
VIII. *Cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti.*
IX. *Caput autem Chriſti Deus.*
X. *Nam oportet & hæreſes eſſe*, &c.
XI. *Item de eodem.*
XII. *Deus qui operatur omnia in omnibus.*
XIII. *Omnia autem hæc operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.*
XIV. *Cum tradiderit regnum Deo & patri.*
XV. *Cum autem ſubjecta fuerint illi omnia*, &c.
XVI. *Primus homo de terra terrenus, ſecundus de cælo cæleſtis.*
XVII. *Item de eodem.*

I.

Ex ſermone in ordinatione Epiſcopi.

Ad magiſterii teſtimonium naſcendi cauſa non pertinet. neque ille cœlorum janitor
Matth. 4. 15. Petrus, quem piſcatorem hominum retia contempta fecerunt, origine placuit natalium, ſed fine meritorum. ſicut Matthæus cum de teloneo aſſumptus eſt, illic inchoavit lucrum, ubi
Matth. 9. 9. juſſus eſt terminare negotium. Quid de ſingulis loquor? talis omnium aſſumptio fuit, in quorum perſonis ignobilia & contemptibilia mundi eligens Deus, præpoſuit pauperes ſpiritu divitibus cenſu, illum jure locupletiſſimum probans, qui ad veram & integram nobilitatem, non ſuſceptis honorum, ſed depoſitis criminum faſcibus perveniſſet.

II.

Ex libris contra phantaſma.

Nolunt enim a nobis ei qui crucifixus eſt ſupplicari, &c. *ut in epiſt. III. pag. 13. b uſque ad*, non rogemus in cælo. *Et mox, pag. 16. d* Veni potius ſancte Iſaia propheta, *&c. uſque ad*, quod in corpore malum patimur, pertulit Chriſtus.

III.

Ex libris contra Arrianos.

Dominus majeſtatis crucifixus exponitur, cum ſi alternæ ſubſtantiæ reſpicias proprietatem, divina celſitudine ab omnibus crucis contumeliis ſequeſtrata, ſola ſuſcepti corporis humilitas ſenſerit paſſionem. Nam poſtquam Deus in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, creaturæ quam aſſumpſit unitus eſt, ſignificatur plerumque homo per Deum, Deuſque per
hominem, ſicut eſt illud: *Cum venerit filius* Matt. 25. 31.
hominis in majeſtate ſua, cum majeſtatem Deo potius quam homini nemo convenire dubitet. quod & Pſalmiſta de Deo exponens, *Et videbitis*, inquit, *in majeſtate ſua*. Et Malachias propheta, ob dictorum perſpicuitatem Angelus co-
gnomento, de cruciaria Domini paſſione. *Si* Malach. 3. 8.
affigit, inquit, *homo Deum ſuum, quia vos configitis me*. Cum tamen, quod nullus inficiabitur, non Deus, ſed homo confixus ſit.

IV.

Ex ſermone de ſymbolo.

Audite quid veritas dicat: *Nemo novit fi-* Matt. 11. 27.
lium niſi pater, neque patrem quis novit niſi filius. Et ſi nemo aſſequitur hanc in ſæculo iſto notitiam, unde Arrianus aſſumit in ſubſtantiæ ipſius diviſione menſuram? Si ſolus pater novit filium, ſolus filius patrem, unde dux cæcus majorem intelligit, vel minorem? At forte reſpondet, & ſi ſibi notitiæ hujus reſervat divinitas ſola ſecretum, unde tu æqualem patri filium cognoviſti? At ego inquam, paternitatem filius loquitur, omnipotentiam creatura teſtatur: de ſubſtantiæ autem intimo, ſi nemo novit filium niſi pater, neque patrem quis novit niſi filius, ubi æqualis eſt conſilio alternante notitia, una eſt proculdubio in ſubſtantiæ perfectione

natura. Neque enim major aut minor eſt, qui
nec minus nec amplius notus eſt. Quid nunc de
Spiritu ſancto dicemus, quem credere conſequente
ſymboli parte in Trinitate præcipimur? Neque
enim, ſi patrem & filium ſibi invicem confert
iſta notitia, alienus ab ea erit Spiritus ſanctus, de
quo ſcribitur quod ſpiritus *omnia ſcrutatur, etiam*
1. Cor. 2. 10. *altitudines Dei*. Ergo non tantummodo ſe pater &
filius, ſed ſpiritum ſuum norunt: cui ideo nihil
omnino celatur, quia nihil ſine illo in veritate
cognoſcitur. Quocirca ſic eſt cognitio, ſicut cooperatio
Trinitatis. Nam poſt iſtud generationis
divinæ myſterium, ſi in Chriſto cogitemus humana,
quod celebramus Virginem peperiſſe, Pater
miſit, Filius venit, Spiritus ſanctus infudit.
Quapropter nec in humilitate minorationis abſconditur
claritas æqualitatis.

V.

Ex libris contra Arrianos.

1. Cor. 2. 10. 11. NObis *autem Deus revelavit per ſpiritum ſuum.
Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam altitudines
Dei. Quis enim hominum novit, quæ in
homine ſunt, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo
eſt? Sic & quæ in Deo ſunt nemo novit,
niſi ſpiritus Dei*. Rogo ſuppliciter, locum
iſtum, utpote illuminati a Deo arbitri, judicate:
& utrum æqualis ſit Patri vel Filio Spiritus
ſanctus, ex ipſa ſcientiæ ſuæ profunditate
perpendite. Nemo novit filium, niſi pater, neque
patrem quis novit niſi filius. Sed quia nec
pater, nec filius, ſine ſpiritu aliquid novit, ideo
quæ in Deo ſunt nemo ſcit, niſi ſpiritus Dei: quia
nec ſpiritus ſcire aliquid ſine patre vel filio poteſt.
Quid eſt, nemo novit præter patrem, nemo
præter filium, nemo præter Spiritum ſanctum,
niſi quia in Trinitate præter unitatem
1. Joan. 2. 23. nihil poſſumus invenire? Legimus alio loco, *Qui
filium non habet, nec patrem habet*. itemque alio
Rom. 8. 9. loco, *Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non
eſt ejus*. Quod non poteſt non ſimul totum haberi,
quomodo poterit dividi?

VI.

Ex ſermone de Pentecoſte.

1. Cor. 3. 16. AN *neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus
Dei habitat in vobis?* Ecce ergo & ſpiritus
Deus eſt, ſi habitat templum, quod præ-
1. Cor. 6. 19. ter Deum nullus inhabitat. Unde inquit, *Membra
veſtra templum in vobis eſt Spiritus ſancti,
quem habetis a Deo*. Ergo ſi habetis a Deo Deum,
& templum Dei eſtis, & corpus veſtrum templum
eſt Spiritus ſancti, quocumque non receptus fuerit
Spiritus, non capitur Deus. Igitur cum talia
dicimus, non nobis obiraſcantur, quibus ſanctum
ſpiritum perſuadere conamur. quia niſi Deus
creditur, ignoro quid de præſenti feſtivitate dicatur,
aut quid in ejus adventu honoris hæreticus
excolat, quem quantum ad ſe eſt, etiam
nomine ſervitutis inclinat: cum licet, ſi vos filius
liberaverit, tunc vere liberi ſitis, ubi tamen
ſpiritus Domini ibi libertas.

VII.

Ex ſermone de Natali calicis.

EO ſuperſtitionis ritu plectitur impietas rebellantium
Judæorum, ut animal corruptibile,
id eſt agnum, cum veneratione comedant,
qui veri & immaculati agni eſum periculoſiſſima
fame contemnunt. Unde ſibi videntur Paſchalis
feſti agere ſacramentum, cujus hodie omnis Eccleſia
initium ſumit, myſterium intelligit, præmium
concupiſcit, quod ſermo Domini diſcipulis
ſuis evidenter inſinuat dicens, *Scitis quia poſt bi-*
duum Paſcha fiet? Aliud ſonat erit aut celebra- Matth. 26. 2.
bitur, aliud autem Paſcha fiet. Numeret ergo mihi
Judæus, uſque nunc ab exitu Iſrael, quantos
vult annos: cæterum Paſcha primum adhuc poſt
biduum fiet, cum præteritas implens figuras, ſicut
Apoſtolus ait, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* 1. Cor. 5. 7.

VIII.

Ex libris contra phantaſma.

QUid vel illo Apoſtoli ſermone lucidius, &c.
ut in Epiſtola II. pag. 8. *d uſque ad*, qui
legem dederat in præcepto.

IX.

Ex ſermone de Jona.

PElagus, inquit, *operuit caput meum*, Nec Joan. 2. 6.
iſtud fruſtra de ſolo capite dicebat, quem
abſque dubio pelagus omni ex parte contexerat:
ſed celavit contumelia mundi dominum cæli.
Caput viri Chriſtus, caput autem Chriſti Deus,
Velavit humilitas mea gloriam meam, & Deus,
qui quaſi caput inerat Chriſto, mundum reconcilians
ſibi, ab eis qui hominem patibulo confixerant,
non potuit pervideri.

X.

Ex ſermone die III. Rogationum.

PRæſentis ſæculi actio, dilatis cauſarum eventibus,
omnium operum perverſitate confuſa,
non eſt tempus, ſed cauſa judicii. Da porro in
præſentibus evidentem bonorum malorumque
diſtantiam, & examini quid remanſit? Da ut hic
malum nulli liceat facere, quid æternitas plus ha-
bebit? Da ut hic a fide nullus exorbitet, & hæ- 1. Cor. 11. 19.
reſes eſſe qualiter oportet? Neque enim poſſumus
diſſimulare, quin oporteat quod oportere veritas
clamat. Oportet vero eſſe hæreſem, non quia ejus
commentis Chriſtus minuitur, ſed quia ejus inſidiis
Chriſtianus augetur. Sic ſunt etiam, præter
fornicationem quæ ſola in corpus proprium peccat,
cetera mala, ſi non veſtias nudum, ſi punias
innocentem, ſi rapias proximo, ſi parato etiam
pallium cedere tunicam tollas, ſi malam dexteram
verberes etiam lævam offerenti, ſi per mille
paſſus onuſtum dirigas, & per alia duo ſervire
meditantem. Aut quid diutius violentiæ genera
perſequar? In omni imperio fortioris ſuperbia temporalem
habet jubendi fructum, æternum vero innocentia
patiendi.

XI.

Ex libris contra Arrianos.

DIcit Apoſtolus, quod *oporteat hæreſes eſſe*. O-
portet autem, non hæreticis quod ſunt eſſe, 1. Cor. 11. 19.
ſed catholicis ſuſtinere quod non ſunt. Sicut de
Juda traditore ſuo Dominus dixit, quod *bonum
fuerat homini illi non naſci*. Inde enim ait illi, Matt. 26. 24.
quia ſuum naſci illi malum erat qui tradidit,

nobis bonum, ad quos ſalus ex traditione pervenit,

XII.

Ex libris contra Arrianos.

Luc.2.14. CUm apparuiſſent Angeli in terra clamaverunt, *Gloria in excelſis Deo*. Si Pater &
Filius & Spiritus ſanctus in excelſis eſt, bene
dicimus Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto:
nec poſſumus patri ſine filio gloriam honoremque
Joan. 5. 23. dare, cum ipſe in Evangelio jubeat, *ut omnes
ſic honorificent filium, ſicut honorificant patrem*.
& Apoſtolus dicit, quod *nemo honorat Dominum*
1. Cor. 12,3. *Jeſum, niſi in Spiritu ſancto*.

XIII.

Ex epiſtolis contra Arrianos.

DE divinitate Spiritus ſancti, quem nec fa-
1. Cor.12.6. ctum legimus, nec genitum, nec creatum,
& 11. Apoſtolus ait, *Deus qui operatur omnia in omnibus*. Et eodem loco, *Omnia autem hæc operatur
unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout
vult*. Et Petrus in actibus Apoſtolorum, *Quid
Act.5. 3.& 4. convenit*, inquit, *inter vos mentiri Spiritui ſancto*?
& poſt, *Non es mentitus hominibus, ſed Deo*. Item
1.Cor. 3. 16. alio loco. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* Et alibi, *Si quis ſpiri-*
Rom. 8. 9. *tum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*.

XIV.

Ex ſermone de aſcenſu Heliæ.

1 Cor.12.11. ET ſi multa ſunt dona, *omnia tamen hæc operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult*. Non in paucioribus minor, nec in majoribus amplior: per quem etiamſi alius alio minus accipit, intelligat donum potius poſſe minui, quam donantem.

XV.

Ex libris contra Arrianos.

Matt.28.18. QUia poſueram de Evangelio, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, ut po-
A teſtatem illam, quam ſibi dicebat datam, ſemper in natura divinitatis ſuæ ſalvam fuiſſe monſtrarem, commemoravi Apoſtolicum illud quod de fi-
lio dictum eſt, *Cum tradiderit regnum Deo patri*, 1.Cor.15. 42
cum utique pater nullo tempore ſine regno eſſe potuerit: nec ideo patrem qui poteſtatem filio dedit eſſe majorem, cum & ipſe filius regnum patri traditurus eſſe dicatur. Ubi enim quis beneficio aliquid confert, jure cenſetur major accipiente qui donat. In divinitatem autem, ex qua quod ineffabiliter filio datur non eſt gratia, ſed natura, reſtat dantis & accipientis æqualitas.

XVI.

Ex libris contra Arrianos.

CUm *autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc* 1.Cor.15.28
B *etiam ipſe filius ſubjectus erit illi qui ſibi ſubjecit omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus*. Iſtud
Apoſtolus ab octavi Pſalmi poſuit exemplo. Sic Pſal. 8. 6.
namque ſcriptum eſt, *Minoraſti eum paulo minus ab Angelis: omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*. Ergo ejus pedibus omnia ſubdidit, quem paulo minus ab Angelis minoravit. Nec mirum eſt, ut in ea creatura patre dicatur minor, in qua ei etiam beatitudo Angelica extitit major.

XVII.

Ex libris contra phantaſma.

ILle ſolus hominis ſtatum, &c. *ut in Epiſtola II. pag. 8. e uſque ad*, quam ſuſceperat, in
C inferna deſcendere.

XVIII.

Ex libris contra Arrianos.

APoſtolus Paulus ad Galatas, perſonæ inſeparabilitatem deſignans, ipſum dicit natum de muliere quem miſit Deus filium ſuum: ſicut
alio loco, *Primus*, inquit, *homo de terra terre-* 1.Cor.15.47
nus, ſecundus de cælo cæleſtis. cum unus idemque mediator, de cælo Deus, homo de terra ſit: qui de utero Virginis editus, antequam cælos aſcenderet, cæleſtis congrue dictus eſt, quia celſitudini ſubſtantiæ cæleſtis immixtus cæli dominus factus eſt.

AD CORINTHIOS SECUNDÆ.

I. *Ut non poſſent intendere filii Iſrael in faciem Moyſi, propter gloriam vultus ejus.*
II. *Item de eodem.*
III. *Quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino*, &c.
IV. *Quoniam quidem Deus eſt in Chriſto, mundum reconcilians ſibi.*
V. *Audivit arcana verba quæ non licet homini loqui.*

I.

Ex ſermone de Natali calicis.

VIdeamus comparatam Moyſi, & multo præcellentem, eam quæ noſtri eſt gratiam redemptoris. Nam ut nova paululum veteribus conferamus, ille ad hunc populum venit velata facie, iſte operta divinitate: ille ſublimitate cornutus, iſte humilitate manſuetus: illius vultus radiis & decore luminoſus, iſtius ſputis & cæde
D fœdandus: illius humanam faciem conſervus videre non meruit, iſtius divinam leproſus aſpexit.

II.

Ex ſermone die ſexto Paſchæ.

CUm caro, necdum mortis fornacibus defæcata, aggravet ſenſum multa cogitantem, & impediat viſum pauca cernentem, interlucet tamen in aliquibus geſtis dignitas futurorum, & ſecretorum immortalium ſplendor etiam mor-

talibus oculis rara revelatione ſubradiat. Sed hoc illis tantum, quos ſola caro, non etiam carnalitas tenet, & cordibus mundos mundana cohabitatione non polluit. Sicut præſtabatur quondam vati legifero cæleſte colloquium: & eo uſque divinæ gloriæ quodam intuitu donabatur, donec quiddam in levi fronte cornutum, non aſperitas videretur produxiſſe, ſed claritas,

A

III.

Ex ſermone de ſymbolo.

2. Cor. 5. 6. LEgimus quodam loco, quod *dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino.* Quicquid enim nobis de cæleſtibus myſteriis traditur, quamlibet indubitabili veritate ſubſiſtat, credere debemus, quia videre non poſſumus. Nam in iſto ſæculo, noſtrum noſſe tantummodo credere eſt. *Beati* enim *mundo corde, quoniam ipſi Deum*,
Matth. 5. 8. non dixit vident, ſed *videbunt*. Unde qui in præſentibus habuerit fidem, ipſe in futuris accipiet contemplationem.

IV.

Ex libris contra phantaſma.

INtelligit Apoſtolus ac definit, &c. *ut in Epiſtola II. pag.* 8. *a uſque ad*, parentali chirographo ſuſtineret. 2. Cor. 12. 4.

V.

Ex ſermone die ſexto Paſchæ.

INſonuit Pauli Apoſtoli auribus, quod non licet homini loqui, quodque ille permitteretur dicere, ſi nos mereremur audire. Si enim in modico fideles non fuiſtis, quod majus eſt Luc. 16. 12.
quis credet vobis?

AD GALATAS

I. *Mediator autem unius non eſt, Deus autem unus eſt.*
II. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere.*
III. *Item de eodem.*
IV. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

B

I.

Ex libris contra phantaſma.

HOc remedium Apoſtolus dicit diſpoſitum, &c. *ut in Epiſtola II. pag.* 8. *c uſque ad*, unum reddidit ex utriuſque.

II.

Ex libris contra phantaſma.

ADſit nunc ſermoni noſtro Emmanuel, &c. *ut in Epiſtola II. pag.* 1. *b uſque ad*, hic & Dei filius & hominis erit.

III.

Ex libro de Chriſti nativitate.

APoſtolus dicit, *Poſtquam vero venit*, &c. *ut in Epiſtola XXVIII. pag.* 45. *d uſque ad*, in corpore cœpiſſe, de matre eſt.

IV.

Ex ſermone die III. *Rogationum.*

SIcut enim Judæorum lex, ita gentium gloria, gracia eſt. Et ideo Apoſtolus Paulus 2. Cor. 5. 6.
ad unam partem dicit, *non bona gloriatio veſtra* Gal. 6. 14.
ad aliam vero, *mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Jeſu Chriſti.*

AD EPHESIOS.

I. *In quo ſignati eſtis in diem redemptionis veſtræ.*
II. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.*
III. *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos.*
IV. *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus.*
V. *Et erunt duo in carne una*, &c.

C

I.

Ex libris contra Arrianos.

UNum nomen eſt Trinitatis. *Neque enim eſt*
Act. 4. 12. *alind nomen*, ut in Actibus Apoſtolorum legimus, *in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Si ſequeſtrato filio, de ſolo iſtud nomine patris creditur, dicendus eſt non ſalvare ſalvator, rurſuſque ſi patre ſecluſo, id ſolius redemptoris nomine adquirimur, ceſſavit ab hac redemptione
Pſal. 110. 9. pater, de quo ſcriptum eſt, *quod redemptionem miſerit populo ſuo.* cum & de Spiritu ſancto A-
Epheſ. 4. 30. poſtolus dicat, *In quo ſignati eſtis in die redemptionis veſtræ.*

II.

Ex libris contra Arrianos.

UBi plurale aliquid in divinitate ſubreſonat, non dualitas videtur intelligenda, ſed Trinitas, ſicut in ipſo Sodomiticæ urbis refertur exitio. *Apparuit*, inquit, *Dominus Abrahæ ſedenti* Gen. 18. 1.
in oſtio tabernaculi, in ipſo fervore diei: cumque levaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri, quos cum vidiſſet cucurrit in occurſum eorum, & adoravit in terram, & dixit, Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum. Certe non in aliquo horum trium, aut cultior habitus, aut eminentior forma præſtabat. Et tamen Abraham, ſacramentum indiviſæ Trinitatis intelligens, uno nomine tres precatur, quia trina in unitate perſona, & una eſt in Trinitate ſubſtantia. de qua

Ephes. 4. 5. & Apoſtolus dicit, *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma*. Quis præſumat contra vas electionis unitatem iſtam pluralitate confundere? Noverat namque cum patre vel filio dominari Spiritum ſanctum, cui quaſi domum corpora noſtra ſacrabat dicens: *Neſcitis quia templum Dei eſtis,*
1. Cor. 3, 16. *& ſpiritus Dei habitat in vobis?* Quo unquam magis teſtimonio Deus probabitur Spiritus ſanctus, quam quod habitaculum ipſius ſumus, & Deus habitat in nobis? Sed jam dudum hujuſmodi credulitatem divinæ vocationi Paulus debebat. Sic quippe in Apoſtolorum actibus ſcribitur: *Deſervienti-*
Act. 13. 2 *bus autem illis & jejunantibus, dixit Spiritus ſanctus, ſegregate mihi Paulum & Barnabam ad opus ad quod vocavi eos.* Non ex ſuperioris præcepto, ſed ſpontanea eſt ut opinor iſta vocatio. Sibi ſequeſtrari præcipit, ſibi dicit aſſumi. Deus eſt ſine ambiguo qui inſpirat, eligit, vel mittit Apoſtolos. Et tamen idem ſanctus Paulus, cum diſtincte aliquotiens Patrem, Filium, vel Spiritum ſanctum Dominum eſſe doceat, fidei culmen ea qua ſupra dixi definitione conſummat, *Unus*
Ephes. 4. 5. *Dominus, una fides, unum baptiſma*. Sic ergo non poſſumus duos Deos, ſicut nec duas fides, nec duo baptiſmata dicere. Deos nominare gentilitas appetit, crebro ſe lavacro a peccatis ablui Judæus credit, fides plurali numero quaſi multas dici veritas prohibet, nec Latinitas ſinit. Unus Dominus eſt, non dividimus: una fides non ſcindimus: unum baptiſma, non iteramus. Cui honorem ſuum etiam in Bonoſiacorum aliorumque receptione ſervantes, ſi ſe in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizatos eſſe reſpondeant, quod bene confeſſi ſunt, ſervando recipimus, quod perperam crediderant, benedicendo ſanamus, & quod minus fuerat nominatione præmiſſa, ſuppletur credulitate firmata.

III.

Ex libris contra Arrianos.

PSalmus dicit, *A ſummo cœli egreſſio ejus, &*
Pſal. 18. 7. *recurſus ejus uſque ad ſummum ejus.* Nemo porro recurrit, niſi quo fuit: ſed aſcendente Chriſto, filius hominis recurrit in cælum, qui erat prius in cælo. Sic etiam ſanctus Paulus ex-
Ephes. 4. 8. & 9. ponens ait. *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* & paulo poſt, *Qui deſcendit*, inquit, *ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia.* Cumque per omnem eloquii ſui locum Deum veniſſe prædicet, hominem rediſſe concludens, hic tamen ipſum dicit aſcendere qui deſcendit: quia in Chriſto Deus & homo, non alter, ſed ipſe, non duo ex diverſis, ſed idem ex utroque mediator. Gemina quidem ſubſtantia, ſed una forma eſt.

IV.

Ex ſermone de Paſſione Domini.

APoſtolus ſomno Adæ dominicam mortem coaptans, in ipſo mundi principio, ædificatio-
Ephes. 5. 31. & 32. nem mulieris de coſta dormientis viri, naſcentis Eccleſiæ dicit ſignaſſe compagem. Namque cum formato de terra homini, ſi lecta recolimus, conjunx deeſſet, & quanquam inexperti, tamen ſolatii contubernium rudis animus flagitaret, ligatur Adam ſenſu, ſolvitur ſomno, celebratoque hujus ſimilitudinis ſacramento, tam preſſum novi ſoporis pondus incubuit, ut merito mortem ſignificaſſe ex ipſo immobili atque inſenſibili quie-
A te videatur. Taliter autem jacenti detrahitur una coſtarum, atque inde formata muliere, reviviſcenti admodum viro, pro diſpendio membri, repenſantur lucra conjugii. Ecce & hic hodie Adam novum, culpas veteres ſanaturum, oppreſſum ſomno impactæ crucis ſuſcipit quies. Nunc videndum eſt quid ſit, quod de ſolo ejus latere Eccleſia formari dicitur, cum totus ipſe homo pro Eccleſiæ ſalute moriatur. Refert Joannes E- Joan. 19. 31. 32.
vangeliſta, quomodo crucifixo Domino cum duobus latronibus, ſcilicet ſexta Sabbati circa veſperam, uti ne pendentium corpora feriata diei ſolennitas inveniret, fractis pro acceleranda morte latronum cruribus, cum jam expiraſſe Dominum
B cognoviſſent, adverterunt a ſupplicii ſimilitudine temperandum. quia etiamſi prematur veritas inimicorum conjuratione, non frangitur: maxime cum & de agni eſſet immolatione prædictum, *Os non confringetis ex eo*. Et tamen hic circa Do- Exod. 12. 45
minum, ſic quoque quod non fuit neceſſarium fieri pro exitio, pro ſacramento perfectum eſt. Unus namque de militibus arrepto miſſili, ut ſermonem ipſum ponam, *latus ejus aperuit*. Ergo non rupit, non transfodit, non jugulavit ad ultimum, ſed inquit, aperuit: ut patentis plagæ portam vitalem, non tam veſtigium vulneris, quam ſalutis eſſe intelligamus ingreſſum. Nam & arcam illam, cujus clauſtro tutus Noe, ru- Geneſ. 6. 6.
mentes ſæculi fluctus, mortemque bacchantem,
C impune ſolus cunctis pereuntibus enatavit, oſtium quo vel ad ſalutem ingreſſus, vel regreſſus ad lucem eſt, in latere legimus habuiſſe. Agnoſco igitur & hodie in Domino, qui ſurgit per crucem in requiem ſuam, ipſe & arca, id eſt caro, ſanctificationis ſuæ: agnoſco, inquam, in latere arcæ iſtius aditum noſtrum. Videamus primum quid inde procedit, advertamus poſtea quomodo ibi Chriſtianus introiit. Patefacto ergo latere Domini, proceſſit ubertim manantibus rivis aqua vel ſanguis. Quid admirabilius tali facto? quid lucidius indicio? quid myſterio plenius? Certum eſt quidem quod doluit Chriſtus, quod interiit certum: ſed ſervat in eo dignitatem ſuam etiam veritas mortis. Quæ conditio un-
D quam humani corporis habuit aquæ vel ſanguinis fluxum? Eſto, quod tamen vix conſuetudinis ratione permittitur, ut continuerit cruorem ſuum caro defuncta, ubi latuit viventis aquæ fonticulus in corpore morientis? Unde procedit duplex rivus arentem mundum fœcundaturus, purus laticis, pretioſus cruoris? Unde ſancti fluminis unda prorumpit, ſola reſtinguendis gehennæ ſatisfactura vaporibus? Ecce videtis de latere Adam noſtri conjugem ſuam ſtrui. Ecce ſponſam victuro, dum moritur, præparari. Ecce dormienti præcipi quod lætificet vigilaturum. Omnis autem Eccleſia duo ſunt genera hominum. Unum eſt, quod fideli morte, aliud quod
E ſublimi paſſione ſalvatur: unum quod pro Chriſto occubuit, aliud quod Chriſto vixit. Nos ergo excipiamus aquam de latere Domini, martyres ſanguinem. Illos pretioſa ſanguinis purpura veſtiat, non nivea baptiſmatis unda reſpergat.

V.

Ex libris contra Arrianos.

COnſultus in Evangelio Dominus, quid de vinculi matrimonialis ſoliditate decerne- Matth. 19. 6.
ret, *Non ſunt*, inquit, *jam duo, ſed una caro. Propter quod dico vobis, Quod Deus junxit,*

homo

homo non ſeparet. Ecce quod ait Apoſtolus de
Epheſ.5.32. conjugio, *Sacramentum hoc magnum. ego autem dico vobis, in Chriſto & in Eccleſia*. Naſcitur nempe ab humilitate exempli, altitudo myſterii. Si ex duobus dicitur unum facere copula corporalis, quare totam Trinitatem non ſolidaverit una ſubſtantia? aut cum dicamus, in terrenis ſeparari non licere quod Deus junxit per concordiam, quanto periculo in ſupernis ſeparari velimus quod Deus junctus eſt per naturam? Jam ut illud taceam quod ſcriptum eſt, quod *multitudinis credentium erat anima una, & cor unum*. quorum ſingula corda unum cor reddebat unanimitas, ſicut proprias in Trinitate perſonas ſolidat & exunat æqualitas.

A

AD PHILIPPENSES.

I. *Qui cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit*, &c.
II. *Factus obediens uſque ad mortem*.
III. *Propter quod Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*.
IV. *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur*.
V. *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus in gloria eſt Dei patris*.
VI. *Item de eodem*.

I.

Ex libris contra phantaſma.

Philipp.2.8. & 9. CUm *in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, & humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem, mortem autem crucis*. Verus Deus eſt qui dignatur inclinari: verus homo eſt, qui potuit mori. *Propter quod*, inquit, *& Deus pater exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*. Inter eum qui dat, & eum qui accipit honorem, trium eſt omne nomen. Imum eſt homo, medium Angelus, ſummum Deus. Hoc nomen donavit, quod ſuper omne nomen eſt, non ei quem genuit, ſed illi quem miſit, qui factus oſt obediens uſque ad mortem. Aut quid novum eſt, credi in eo formam ſervi, qui nec maledicti oppro-
2. Cor.6.21. bria ferre deſpexit? Apoſtolo proteſtante, *eum qui non noverat peccatum, pro nobis maledictum*
Gal. 3. 13. *fecit*. Quia ſcriptum eſt, inquit, *Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Propter quod exaltatus eſt, ut in nomine Jeſu, omne, id eſt non ſolum hominis, verum etiam Angeli, genu flectatur: ei ſcilicet, qui ſecundum ejuſdem Apoſtoli di-
2. Cor. 8. 9. ctum, *propter vos pauper factus eſt cum dives eſſet*, dives ab æternitate, pauper ex ventre: dives in cælis, pauper in pannis.

II.

Ex libris contra Arrianos.

NOn per hoc minuit æqualitatem filii Dei, quod filius hominis obedivit. Quomodo enim non obediret patri, qui ſubditus erat ma-
Act. 4. 32. tri? dicente Evangeliſta de parentibus ejus: *Et venit Nazareth, & erat ſubditus illis*. Sic enim
Philip. 2. 8. factus eſt, dicente Apoſtolo, *obediens uſque ad mortem*, ſicut ipſe Dominus dixit, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*.

III.

Ex libris contra Arrianos.

AN forte ſolus pater dicendus eſt Dominus? In Evangelio Chriſtus diſcipulis, ait,
Joan. 13. 13. *Vocatis me magiſtrum & dominum, bene dicitis.*
Philip. 2. 8. & 9. *ſum enim*. Et Apoſtolus ait, quod poſt mortem Chriſti, mortem autem crucis, exaltaverit eum pater, & dederit ei nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, id eſt adoret, dicente alibi ipſo
Matth.4.10. Domino, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*.

B

IV.

Ex ſermone de Pentecoſte.

CRux illa, in qua vita pendente mors periit, ſicut in paſſione Evangeliſta Joannes Joan. 19.20.
enarrat, quia multiplicem capere non potuit, triplicis linguæ pagina fuit: ut a toto mundo incunctabiliter crederetur, quod Hebraicis literis, necnon Latinis Græciſque conſcriptum, quaſi in ore trium teſtium firmaretur, ac deinceps *omnis lingua confiteatur quia Dominus Jeſus in* Philip. 2.2.1
gloria eſt Dei patris, id eſt in una cum patre. Quod quamlibet aliquorum intentio negare perſiſtat, & ſi non omnium ſermo, certe omnis lingua proclamat.

C

V.

Ex libris contra Arrianos.

DIxi cum patre filio æqualem gloriam honoremque nos dicere: quia legimus: *ut om-* Philip.2.11.
nis lingua confiteatur, quod Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Si tantummodo dixiſſet in Dei, forte putaretur, eſto in Dei, certe minoris. at cum in patris gloria, quid inæquale? quid exiguum? quid diviſum? Non enim in Angelica vel humana, ſed in gloria eſt Dei patris. Alias autem, niſi æqualis gloria iſta credatur, contra ipſius Domini juſſionem, non om- Joan. 5. 23.
nes ſic honorificabunt filium, ſicut honorificant patrem. Nulla enim ratione ſic honorari poterit major ut minor. Sed quicumque non ſic honorificaverit filium ſicut honorificat patrem, quicquid gloriæ dempſerit, contumeliæ deputavit.

D

VI.

Ex ſermone in dedicatione Eccleſiæ Archangeli Michaelis.

E

ISte ſit ille, quam dulcis, tam terribilis lo-
cus, in quo Jacob cernens Dominum ſcalis Geneſ.28.11
innixum, perque eas aſcendentes deſcendenteſque Angelos videns, domum divinitatis intelligit. ubi parato myſteriis lapide caput effultus, futurorum cauſis aptavit unguentum. ſive cum paſſuri mediatoris pendulum crinem, juſtificatæ peccatricis obſequio, fragrantis alabaſtri unda perfudit. ut quod lapidibus vivis in ſpiritualem fabricam congruenter neceſſarium flueret, ex irriguo angularis lapidis fonte manaret, ſicque Abrahæ filii, per lavacrum ex lapidibus ſuſcitati, ut ariditatem contagii naturalis evadant,

odoriferi chriſmatis munere gratia fœcundante pingueſcerent. Iſtud Jacob ſopitus vidit in ſpiritu, expergefactus geſſit in ſigno. Cum nobis inde oratio conſecrantis inclamat, nobis ibi ſomnium dormientis invigilat. Scalæ vero quas vidit, gradus ſunt ſupplicationis humanæ, quibus quiſque pro viribus in divinas aures precum qualitate mittatur. Aſcendunt autem per eas Angeli, cum vota noſtra in cælum porrigunt: deſcendunt, cum de cælis obtenta tranſmittunt. Adſiſtunt hi precibus noſtris, non pennarum flatu, ſed donorum ſpiritu, quorum volaſſe voluiſſe eſt. Interque hos ſibi vindicat Michael princeps principem locum, quem Daniel ille ſubli- Dan. 10. 13. A mis vir deſideriorum, viſionum potens, diſſolutor ænigmatum, expoſitor figurarum, hebdomadæ triplicis ſervente jejunio, parum fuit ut haberet viſibilem, niſi acciperet adjutorem. Quocirca etiam hic Michael noſter, ſinceritate voti, jocunditate loci, devotione populi, provocatus adſtat, conferendo magna, maxima obtinendo, conſpectum divinitatis, quo ſemper illuſtratur, huc attrahat. Ad quem, quia multis ſcripturarum locis agnovimus, ſubvehentibus Angelis, ſive quod pium poſcitur, ſive quod rectum geritur pervenire, acceptabilium operum, ſalubriumque votorum proſpiciamus in ſtudio beatitudinem, qui providimus in Archangelo portitorem.

AD COLOSSENSES.

I. *Qui eſt principium primogenitus ex mortuis.*

I.

Ex ſermone die primo Paſchæ.

Col. 1. 18. FIt Chriſtus in hodierna feſtivitate non unigenitus, ſed ſicut Apoſtolus dicit, *primogenitus ex mortuis*. Video tamen poſſe aliquos hic moveri, cur Chriſtus primogenitus ex mortuis nominetur, cum factum ſit, ſicut plerumque nos ſacer cæleſtium lectionum curſus inſtruxit, ut aliquos mortuorum, etiam ſanctorum interceſſione redivivos, laxatis naturæ vinculis, lux ſecunda ſuſciperet. Quod admirabiliter quoque ac triumphaliter ipſe Dominus fecerat, Matth. 9. 24. Luc. 7. 12. Joan. 11. 43. cum prohibitis prius duobus ſpiritibus de inferno, corporibus de ſepulchro, Lazarum noviſſime ſuſcitans, juſſione tertia, die quarta, non de fauce, ſed B quodammodo de ventre mortis, vinctas funere, putredine relaxatas, fœtentes tempore, juſſione viventes retraxit exequias. Sed quicumque ſic temporaliter reſurrexerunt, ut deinceps morerentur, hos mortuorum primitias, id eſt primogenitos ex mortuis, quod de ſolo Chriſto dictum eſt, appellare non poſſumus. Si quidem iſti de morte cum mortis vinculis revertentes, nec ſub remedio, ſed adhuc ſub chirographo, non ſunt a conditione liberi, ſed pro opportunitate laxati. *Chriſtus* autem *reſurgens*, ut Apoſtolus ait, *jam non moritur, mors ei ultra non dominabitur*. Rom. 6. 9. Ergo hactenus ipſe ſolus eſt, qui non moriturus reſurrexerit, hoc etiam ſuis poſtmodum largiturus, cum eos a morte perpetuo victuros reſuſcitabit. Quocirca illa jam ſecunda lætitia erit, qua fideles reſurgent. Ceterum primum reſurgendi gaudium primogenito ex mortuis jure debetur,

AD THESSALONICENSES PRIMÆ.

I. *Quoniam ipſe Dominus in juſſu & in voce Archangeli, & in tuba Dei*, &c.
II. *Rapiemur in nubibus obviam Chriſto in aera.*
III. *Item de eodem.*

I.

Ex ſermone de Aſcenſione Domini.

C VAs electionis gentium doctor, In quo adhuc mortali homine Angelicus ſermo vivebat, cum reſurrectionem mortuorum non mortuo ſermone deſcriberet, Dominumque noſtrum *in juſſu*, 1. Theſſ. 4. 15 id eſt cum imperio, *& in voce Archangeli* affore, quaſi cum præconis terrorem monſtraret, tum *deinde*, inquit, *etiam nos rapiemur in nubes obviam Chriſto in aera*. Tunc erit poſſibile, quod modo arduum. Quod nunc in Chriſto veritas divinitatis, nunc in nobis poterit ſimilitudo. Tunc etiam noſtris aere pedibus ſubjugato, levibus elementis defæcatorum corporum membra ponemus: ſi tamen veniente eodem Rege noſtro, non in præteritum timida differendi conſcientia retrahat, ſed fida ſecuritas ad percipiendam citius dignitatem gloriæ cæleſtis occurrat.

II.

Ex ſermone die primo Rogationum.

PRæpatare *in occurſum Dei tui Iſrael*. Dicit quidem Paulus Apoſtolus, ubi Redemptoris deſcribit adventum, Amos 4. 12. 1. Theſſ. 4. 15 qualiter rapiemur ad nubes obviam Chriſto in aera. Hic tamen puto occurſum iſtum ad alium pertinere. Nam & hic viventes quaſi occurrimus Deo, ſi præceptum quod porrigitur amplectimur: & quia paratus eſt ille ad ignoſcendum, occurrat ei correctio ad pœnitendum. Sed & quicumque propter amorem æternæ vitæ, D non ſolum ab illicitis abſtinet, verum etiam a licitis ſe coercet, ſponte occurriſſe judicandus eſt. Nam, ut exempli gratia unum quodcumque dicamus, adulterio generaliter interdicto, ſimplex conjugium lege permittitur: cui tamen virginitatis nitor ſine comparatione præfertur, unde qui dat nuptum virginem ſuam bene facit, & qui non dat melius facit. Hoc ergo de omni debemus obſervatione ſentire. Qui male facit, fugit; qui bene, expectat; qui melius, occurrit.

III.

Ex libris contra Arrianos.

INtelligendum eſt, quod dicente filio, *Nemo aſcendet in cælum, niſi qui de cælo deſcendit*, Joan. 3. 13. divinitatis tantum poteſtas, unde venerat aſcenſura dicatur, non eo modo, quo aſcenſum ſanctis vel tribuit idem Dominus, vel promiſit. Hebr. 11. 5. Ex quibus Enoch propter meritum translatus a terris, 4.Reg. 2.11. Helias curru elatus eſt cælis. 2. Cor. 12. 2. &c. Taceo illum, qui in corpore an extra corpus neſcio Deus ſcit, in triplicibus ſupernorum ſecretis audivit verba quæ non licebat hominibus eloqui, quia videbat arcana quæ non licuerat mortalibus intueri. Sed forte parum videtur de aſcenſu fidelium perſonalia replicari. Noverat videlicet Apoſtolus præmia futurorum, cum ſponderet illis ad quos ſcribebat, quod recte viventium converſatio jam nunc eſſet in cælis, quo utique poſt reſurrectionem corporis & habitatio ſervaretur: ſicut & Dominus noſter diſcipulis ſuis in Evangelio Joannis inſinuat dicens, Joan. 14. 2. *Vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & paravero vobis locum, iterum venio, & accerſio vos ad me, ut ubi ego ſum & vos ſitis*. Juxta quam promiſſionem ſancti in cælo futuri ſunt. Nunquid A ſine aſcenſu celſitudinem regni cæleſtis intrabunt? Et quomodo *nemo aſcendet in cælum, niſi qui de cælo deſcendit*? Joan. 3. 13. Sed quia incommutabilis veritas, tam de ſe falli cum proteſtatur, quam de nobis fallere non poteſt cum pollicetur, quamlibet illic cum illo futuri ſint qui fuerint glorificandi, ille ſolus aſcendit, qui levari alterius ope non indiget. Cui cum voluit ſolide ſubſtratus eſt aeris gradus. Cujus quo venerat revertentis, de ſuperno vigore vibratum, de terreſtri ſubſtantia corpulentum, viæ famulata pendenti ſuſtinuit aura veſtigium. Præter hunc ergo ſolum, cui ut ſæpe jam dixi, per duplicem generationem ſuppetiit hæc poteſtas, multi in cælo futuri ſunt, ſed nullus aſcendet. B Quia ut impleatur fidelibus divina promiſſio, non aſcenſuris ſed aſſumendis dabitur altitudo. Quod prævidebat Apoſtolus, cum ſociandos nos Domino, & 1.Theſſ.4.15 apud ipſum ſemper futuros, per nubem rapiendos in aera præmoneret. Porro intelligi promptum eſt, quod alieno ſubvectus arbitrio non graditur propria libertatis ſponte qui rapitur. Nec ſemper invitos rapi rearis: frequenter raptos ſuos monſtrat & gratia. Siquidem teſte Evangelio, & pater trahit qui ad filium veniunt, & a violentis rapitur regnum cæleſte. Joan. 6. 46 Matt. 11.12 Quæ ſic rapina deſiderii ſui ſancti efficit compotem, ut Dei, cui hoc violenter eripitur, magis provocet largitatem.

AD TIMOTHEUM PRIMÆ.

I. *Unus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus.*
II. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*, &c.
III. *Cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt*, &c.
IV. *Nihil intulimus in hunc mundum*, &c.

I.

Ex libris contra Arrianos.

IN Chriſto Deus & homo, non alter ſed ipſe: non duo ex diverſis: ſed unus ex utroque mediator. Gemina quidem ſubſtantia, ſed una perſona eſt. Quam ſoliditatem ſi quis ſcindere dualitate præſumat, primum eſt quod publice contra Apoſtoli ſententiam profitetur, dicentem, 1. Tim. 2. 5. *Unus mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus*. Deinde eligat neceſſe eſt de duobus, id eſt divina humanaque, quam naturam mediationis hujus velit myſteria ſuſcepiſſe. Si ſolus Deus mediator, non eſt alius apud quem intercedat: ſi ſolus homo, non eſt qui reconciliare prævaleat. Junge porro ut ſit Deus in Chriſto, & eſt mundum reconcilians ſibi. Ipſe videlicet, penes quem agendum eſt, ipſe qui agat: ſic idem miſſus, & idem regreſſus, ſicut ipſe judicatus, & ipſe judicaturus.

II.

Ex ſermone de ordinatione Epiſcopi.

SUpereſt nunc, ut lectionis hujus ſemper meminerit, quæ peculiariter ei nunc lecta eſt, inclamante Apoſtolo, acclamante populo, conclamante judicio, 1. Tim. 3. 1. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*. Solent autem plerique, propriæ ambitionis incendium dicti hujus Apoſtolici quaſi refrigerio temperare, quod jam & libertate permiſſa res boni operis concupiſcatur. Sed ſtatim ceſſaret tale deſiderium, ſi ſequentia tractarentur. *Oportet*, inquit, *hujuſmodi ireprehenſibilem eſſe*. C Hic ſecum rogo creſcens ambitus & animoſa honorum vota decertent. hic permiſſam ſibi deſiderii ſecuritatem merita ſemetipſa ſcrutata conſiderent. ſi ab omni interdictæ reprehenſionis nævo candida divinæ imaginis integritas cuſtoditur: ſi quandocumque mentis impetus moderationis limitem non exceſſit: ſi quibuſcumque indigentibus ſuperfluum quipiam manus avara non tenuit: ſi nunquam ſermonis petulantia honeſtatem ſilentii ſalubrioris irrupit: ſi calentem diei ferventis iracundiam limes occidui ſolis abſolvit: ſi nunquam corde duplici diverſum ſonantis cogitantiſque aliud verba quam vota moliuntur: D ſi ad ultimum digna obſervantiæ cura, ut de juramentis taceam, vel perjuria formidantur. Non quod ab his omnibus liberi eſſe omnes poſſimus, ſed quod periculoſum ſit unumquemque merita ſua non recolere, & quod ſolis irreprehenſibilibus debetur ambire? Jam quid de illis dicatur, quos pretioſitatem gratiæ pretii vilitate mercantes, uſque ad jacturam pecuniæ verecundiæ jactura producit? Quorum acclamationibus militant conducta mendacia, quorum prurientes ſcalpentibus præconiis aures mercenarius clamor inflammat. E quique non reminiſcentes Simonem Magnum divini muneris diſpenſationem pretio voluiſſe mercari, cum pecunia ſua non in ſacerdotium, ſed in interitum deputantur. Libere ergo hæc coram ambitu electo compulſoque deteſter: placere Deo penitus nequit, qui uſque ad ſui electionem ſibi ipſe placuerit. Quin potius de innocentum Antiſtitum labore dicamus. Neque enim levis eſt adminiſtraturi cauſa Pontificis, quem manet dupliciter, ſermo ut populi magiſtrum, actus ut Chriſti diſcipulum: qui plebem non minus pietate, quam ſeveritate recturus eſt. Quem timere convenit diſpen-

diis ſuis, quem communicare non convenit criminibus alienis. Qui alium onerat ſe conteſtante, qui damnum patitur alio pereunte. Quando audit, *non turpis lucri cupidum*, temperaturus eſt ut ſit cupidus, & quidem lucri, nec tamen turpis. id eſt ut ſtudeat commiſſa ſibi talenta aſſiduæ prædicationis ſermonibus expolire, & adquiſita multiplicataque gregis ſui ſalute geminare. Jubetur eſſe *ornatus*: nec iſtud corporaliter accipiendum eſt. Epiſcopum, cui injuncta merito ornamenta ſuppeditent, non comit pompa, ſed gratia. Sic itaque ſacerdotalis locus, artam illam & contribulatam Evangelii ſemitam tenens, perque anguſtias ejus poſt ſe etiam populum trahens, ſiniſtram fugiens, dexteram non præſumens, periculoſum, ex utraque parte lubricum pertimeſcat, & ſermonis Apoſtolici libram æqualitate conſiderationis appendens, ſi diſtrictus eſſe voluerit, legat *non percuſſorem*: ſi humanus, *non vinolentum*: ſi ſobrius, *non avarum*: ſi ſubditus, *non abjectum*: ſi ſervus, *non elatum*: ſi miſericors, *non remiſſum*: ſi terribilis, *non cruentum*: ſi *domum ſuam bene regentem*, utique ordinantem omnia, negligentem nulla, adquirentem multa, plurima diſpenſantem. Ergo & huic ex adminiſtratæ domus probato rectoque judicio, ſuper Evangelici illius numularii menſam pecunia multa committitur, quæ multiplicato reddenda compendio vos eritis.

III.

Ex epiſtola contra Fauſtum.

FAteor in neceſſitate poſitis, &c. *ut in epiſtola IV. pag. 21. uſque ad*, in carne non viderat conjugatos.

IV.

Ex ſermone die II. Rogationum.

AGe nunc, in quantum poteſt fieri, videamus quæ noſtra quæve aliena ſint. Ait Paulus Apoſtolus, *Nihil intulimus in hunc mun-*
1. Tim. 6.7. *dum, ſed nec auferre poſſumus*. Et quid noſtrum dici poteſt, quod non intulimus, quod-
Job. 1.21. que non relaturi ſumus? *Nudus*, inquit Job, *exivi de utero matris meæ, nudus revertar in terram*. Patet quam infidelis ſit uſus divitiarum, qui nos nec in principio noſtro, nec in fine comitatur. Quid aurum & argentum avare multiplicas? quid tuum dicis, ad quod nudus veniſti? Mundi eſt facultas quam tuam, communis eſt quam propriam putas. Via itineris cujuſcumque, quam gradimur, breviter dici noſtra poteſt, dum a nobis ambulatur: nobis vero prætergreſſis, illorum eſt qui ſequuntur. Quomodo poteſt noſtra eſſe facultas caduca atque terrena, ſi non paſcat egenum, cum poſſit paſcere violentum? Quomodo noſtrum eſt, in quo nec capiendo innoxii, nec continendo juſti, nec poſſidendo certi, nec conſervando ſecuri ſumus? Et quam pro certo tenemus, nos nudos in terram veniſſe, tam certo ſciamus, de terreſtribus nos auferre nihil poſſe. Apoſtolus ſe recolit nihil intuliſſe, nihil ablaturum eſſe. Job fatetur nudum ſe natum, nudumque
moriturum. Salomon omnibus parem clamat in- Sap. 7. 6.
teritum, & ſimilem exitum. Quantumlibet ambitione veiit quiſque diſcerni, principio & fine conjungitur. Nam quod dixit, *unus introitus omnibus ad vitam, & par egreſſus ad mortem*, non meritorum æqualitatem, ſed æqualem docuit conditionem. Unde ſi apparet, ut opinor, nec infida fidelium, nec peritura eſſe ſalvorum, quæ ſint noſtra paululum diſcernamus. Ecce, ut ſupra dixi, cum in hunc mundum venientes nihil terrenæ facultatis inferimus, animam tamen arbitrii compotem, capacemque rationis ad eligendum bonum, ſi Deus inſpiraverit, exhibemus. Cumque proceſſu temporis voluntatis noſtræ qualitas confirmatur, Dei voluntas eſt ut bene faciamus, ſed noſtrum eſt quod fecerimus. An forte dicit aliquis, & hanc ipſam boni actionem poteſt homo inſidiante diabolo perdere. Verum eſt, quod amittere homo bonum proprium furante adverſario poteſt. Sed hinc magis noſtrum conjici debet, quia non violenter aufertur. Non enim taliter perdimus mercedem, qualiter facultatem. Quod enim extra nos eſt, carnalis inimicus rapiendo auferre poteſt: quod vero intra nos, non poteſt ſpiritua-
lis niſi inſidiando furari. Et ideo, *ſi ſciret pa-* Luc. 12. 39.
ter familias qua hora fur venit, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Illa ergo eſt domus noſtra, quæ ſi vigilamus, non poteſt dirui: illa vero prorſus aliena eſt, quæ poteſt vigilantibus nobis occupari.

AD TIMOTHEUM SECUNDÆ.

I. *In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia.*

I.

Ex ſermone die III. Rogationum.

Eſa. 66. 20. QUomodo ſi, inquit, inferant filii Iſrael munus in vaſe mundo in domum Domini. Le-
2. Tim.2.20 gimus in Apoſtolo, *in domo magna non ſolum argentea vel aurea, ſed etiam lignea vaſa & fictilia* reperiri. Quæ in ipſa graduum diverſitate omnia poſſunt eſſe uſui, etiamſi non ſunt æqualia dignitati. Cuilibet diſtantiæ nitor opus eſt. Poteſt in fictilibus vaſculis, dummodo munditia non deſit, divinæ domui munus offerri, ſi vas ex eadem maſſa fictum, quia peccando ceciderat in contumeliam, pœnitendo redeat ad honorem. Habemus enim theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. Hæc ergo vaſcula, ut dixi, pœnitentium teneant compunctionem. Porro lignea legitimam conjugatorum præferant ſimplicitatem, cruore martyris aurea rubeant: virginitatis radio argentea perluceſcant. Vaſorum talium capacitas eſt, quod rationabilis naturæ conditi ſumus. In hæc modo provideat de ſuo quiſque quod offerat, pro qualitate munerum ſit pretio-
ſitas vaſculorum. Iſtis credo vaſculis Heliſeus 4. Reg. 4.
quondam liquorem olei vivacis infudit, quod cum flueret irriguum, non effluxit impletum.

I. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*
II. *Minoraſti eum paulo minus ab Angelis.*
III. *Ubi enim teſtamentum, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris.*
IV. *Fide obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur.*
V. *Lapidati ſunt, ſecti ſunt.*

I.
Ex libro de Chriſti divinitate.

Pſal. 2. 7. FIlius *meus es tu, ego hodie genui te*. Hodie hic æternitas, &c. *ut in epiſtola.* 28. *pag.* 45. *c uſque ad*, nomen filii ejus, ſi noſti.

II.
Ex libris contra Arrianos.

Pſal. 8. 6. MInoraſti *eum paulo minus ab Angelis*. Quod Apoſtolus de Chriſto exponit dictum, cum in natura divinitatis ſuæ major eſſe Angelis a nemine dubitetur. De quo dicit
Tit. 2. 12. Apoſtolus ad Titum ſcribens, *ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, prudenter, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui dedit pro nobis ſemetipſum*. De quo alio loco Scriptura
Apoc. 11. 17. noſtra dicit, *Qui eſt, qui erat, quique venturus eſt omnipotens*. Si omnipotens, unde minor? Nam & illud omnipotens dicit jam poſt reſur-
Matt. 28. 18. rectionem ſuam ſecundum Matthæum, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*. Quod ſi quis minorem putat accipientem eo qui dat, le-
1. Cor. 15. 24. gat & de Chriſto per Apoſtolum dici, *Cum tradiderit regnum Deo & patri*. cum ſic non poſſit eſſe pater ſine regno, quod ei filius dicitur eſſe traditurus, ſicut nec filius ſine omni poteſtate quam ſibi dicit datam in cælo & in terra. De quo S. Paulus ad Coloſſenſes, prohibens ne credamus ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa hujus mundi, & non ſecun-
Coloſſ. 2. 9. dum Chriſtum. *Quoniam*, inquit, *in ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

III.
Ex ſermone de Natali calicis.

IMpleturus redemptor noſter ſacramentum carnis aſſumptæ, ſicut æternus & piiſſimus pater, creatis a ſe redemptiſque filiis ſpem indultæ adoptionis aperiens, ſubſtantiamque nobis cæleſtem ante diem ſuæ mortis adſignans, teſtamentum fecit, quo nos hæredes ab his quæ largiebatur inſtituit, humana quidem comparatione, ſed non humana neceſſitate. non amiſſurus quod filiis deputabat, ſed habiturus magis filios cum hæreditate quam ſcripſerat: Teſtamentum hoc appellamus teſtamentum novum. In quo exhæredatis omnibus, ſolus hæres inſtituitur populus Chriſtianus. Non autem juxta terrenum morem hæreditas iſta dividitur, nec corruptibili diſtributione in plures diſperſa tenuatur. Omnes recepit, omnes invitat. nec de portione tenentem tollitur quod aliis naſcentibus deputetur. Creſcat quantum vult, & multiplicetur renaſcendi cupida filiorum voluntas, omnibus ſe incontaminatam reſervat hæreditas. Sed iſtud teſtamentum novum vetere ſuppleto ordine ſuo agitur, & totius firmitatis myſteriis
A celebratur. Quod ipſe ineffabilis redemptor noſter, adhibitis valde idoneis teſtibus, diſcipulis ſuis, conſcripſit traditus, ſignavit paſſus, aperuit ſuſcitatus. Et quia cuncta rite peracta ſunt,
merito Apoſtolus Paulus dicit, *Quod hominis con-* Gal. 3. 15.
firmatum teſtamentum nemo irritum facit, aut ſuperordinat, id eſt mutat. Agnoſcamus nunc fideliter ſummam hæreditatis indeptæ. Illud eſt videlicet, quod cœnantibus Apoſtolis æterni libaminis ordinem conſecravit. Itaque videmus, quod nihil nobis de ſubſtantiæ plenitudine minuit, qui quod pro nobis aſſumpſit, totum nobis reliquit. Alii hæredibus ſuis ſua tribuunt, Ille ſemetipſum, id eſt carnem vel ſanguinem
B corporis ſui.

IV.
Ex ſermone die Paſchæ.

UNiverſis igitur ferte quæ ſumitis. Quod menſæ appoſui, mundo tranſmiſi: calix, quem vos gaudetis guſtaſſe, cunctorum eſt. Novi & æterni teſtamenti paucos teſtes adhibuit, multos hæredes. Nulla tamen ſortis conditio admittit alienum. Certos quoſque recipit cæleſtis cognitio. populus eſt quidem adoptione,
C ſed unicus.

V.
Ex ſermone de Ezechia rege.

ILle quondam Patriarcharum maximus pater, Gen. 22.
qui immolandum filium juſſus offerre, viriliter præſumpſit, nec majeſtati hominem poſſe reſiſtere, nec pietati præceptum parricidii convenire. Et tamen, cum myſterii ignoraret eventum, altari filium quaſi jugulaturus impoſuit. unum certiſſime tenens, ſi hujus hoſtiæ Deo irrevocabilem libuiſſet tenere ſententiam, non homicidium, ſed ſacrificium fore quod obedientia
D commiſiſſet.

VI.
Ex ſermone die II. Rogationum.

NOs magis inſtruunt iſti prophetæ, & infirmitatem noſtram quaſi ſub ſuæ impatientiæ ſermonibus conſolantur. Illorum porro patientiam teſtantur multiplices in infirmitate virtutes. Quorum ut vel pauciſſimos, propter iſtum, qui dolet juſtum ab impio devorari, exempli gratia proferamus, probat hoc de Jeremia glorioſior in captivitate libertas, neque per ligamen corporis licentia vincta ſermonis. Probat Eſaias, quem ob præconium veritatis, divarican-
E te ferra obtuſis dentibus, doloribus acutis, ſæviens civicus furor, quantum ad pœnam mortaliter torſit, tantum ad gloriam vitaliter occidit. Cumque victore defuncto, victus ſuperſtes doleret, per laniatam carnem mentem nequiviſſe lacerari, cum multas membrorum partes quas disjunxerat numeraret, pluſquam unam fidem invenire non potuit.

Ex veteri Codice.
Ex dictis patrum diverſis Catholicorum. *Hæc Lugdunenſis Florus collegit in unum.*

ALCIMI ECDICII AVITI EPISCOPI VIENNENSIS [a] POEMATUM DE MOSAICÆ HISTORIÆ GESTIS LIBRI V.

PROLOGUS.

Domino ſancto in Chriſto piiſſimo ac beatiſſimo Apollinari Epiſcopo Alcimus Ecdicius Avitus frater.

NUper quidem, paucis Homiliarum mearum in unum corpus redactis, hortatu amicorum diſcrimen editionis intravi. Sed adhuc te majora ſuadente, in coturnum petulantioris audaciæ edurata fronte procedo. Injungis namque, ut ſi quicquam de quibuſcumque cauſis metri lege conſcriptum eſt, ſub profeſſione opuſculi veſtro nomini dedicetur. Recolo equidem nonnulla me verſu dixiſſe: adeo ut ſi ordinarentur, non minimo volumine ſtringi potuerit epigrammatum multitudo. Quod dum facere ſervato cauſarum vel temporum ordine meditarer, omnia pene in illa notiſſimæ perturbationis neceſſitate diſperſa ſunt. Quæ quoniam ſingillatim aut requiri difficile, aut inveniri impoſſibile foret, abjeci ea de animo meo, quorum mihi vel ordinatio ſalvorum, vel diſperſorum reparatio dura videretur. Aliquos ſane libellos apud quendam familiarem meum poſtea reperi: qui licet nominibus propriis tituliſque reſpondeant, & alias tamen cauſas inventa materiæ opportunitate perſtringunt. Hi ergo, quia jubes, etſi obſcuri ſunt opere meo, tuo ſaltem nomine illuſtrabuntur. Quanquam quilibet acer ille doctuſque ſit, ſi religioſi propoſiti ſtylum non minus fidei quam ſtyli lege ſervaverit, vix aptus eſſe poemati queat. Quippe cum licentia mentiendi, quæ pictoribus ac poetis æque conceditur, ſatis procul a cauſarum ſerietate pellenda ſit. In ſæculari namque verſuum opere condendo, tanto quis peritior appellatur, quanto elegantius, imo, ut vere dicamus, ineptius falſa texuerit. Taceo jam verba illa vel nomina, quæ nobis nec in alienis quidem operibus frequentare, ne dicam in noſtris conſcribere licet: quæ ad compendia poetarum, aliud ex alio ſignificantia plurimum valent. Quocirca ſæcularium judicio, qui aut imperitiæ, aut ignaviæ dabunt, non uti nos licentia poetarum, plus arduum quam fructuoſum opus adgreſſi, divinam longe diſcrevimus ab humana exiſtimatione cenſuram. Quoniam in aſſerendis quibuſque rebus, vel etiam prout ſuppetit explicandis, ſi quacumque ex parte peccandum eſt, ſalubrius dicente clerico non impletur pompa quam regula, & tutius artis pede, quam veritatis veſtigio, claudicatur. Non enim eſt excuſata perpetratione peccati libertas eloquii. Nam ſi pro omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, rationem redhibere cogentur, agnoſci in promptu eſt, illud periculoſius lædere, quod tractatum atque meditatum, & antepoſitum vivendi legibus, loquendi lege præſumitur.

---

a *Poematum libri V.*) De his libris Avitus ipſe ad Apollinarem Sidonii filium ſcribens, epiſt. xiv. *Magnificentia veſtra*, inquit, *literas vidi*, *quibus ſcribebatis placuiſſe vobis libellos*, *quos de ſpiritalis hiſtoria geſtis etiam lege poematis luſi*. Titulus hic libris omnibus communis. Nam ſinguli peculiares ſuos habent. Pro ſpiritali autem hiſtoria, quæ latius patet, Moſaicæ nomen a nobis ſubſtitutum, nec Avitus opinor ipſe improbaret. Quæ operis hujus primæ fuerunt editiones, princeps videlicet omnium Argentoratenſis anni MDVII. & quæ altero ac tertio poſt anno Coloniæ & Pariſiis prodiere, cum manuſcriptis conſentientes, nihil admodum inter ſe diſcrepant, niſi quantum variare diverſa ſolent exemplaria. At longe diſſimilis, quæ has anno MDXXXVI. ſecuta eſt, Lugdunenſis Joannis Gagneii. Innumeris quippe locis, ut præfati ſumus, depravata, & quingentis prope verſibus, inaudito, ac niſi auctor ipſe proderet, incredibili facinore interpolata. Quæ & in ceteras deinceps editiones paſſim recepta, ſic eas infecit, ut fucum pati neceſſe fuerit viros literatos, & pro Aviti verſibus Gagneianos haud raro legere & uſurpare. Hoc igitur contagio ut liber ſit Avitus in poſterum, ſuæ illum origini, genuinoque nitori reddere conati ſumus, ope nixi veterum aliquot exemplarium, cum quibus hos libros religioſe contulimus, varias lectiones nullas aſpernati, præter inutiles, aut quas aliorum codicum conſenſus refelleret.

ALCIMI AVITI EPISCOPI VIENNENSIS

POEMATUM LIBER PRIMUS.

De Initio Mundi.

Quicquid agit varios humana in gente labores,
Unde brevem carpunt mortalia tempora vitam,
Vel quod polluti vitiantur origine mores,
Quos aliena premunt priſcorum facta parentum,
Addatur quanquam noſtra de parte reatus,
Quod tamen amiſſo dudum peccatur honore,
Adſcribam tibi, prime pater, qui ſemine mortis
Tollis ſuccíduæ vitalia germina proli.
Et licet hoc totum Chriſtus perſolverit in ſe,
Contraxit quantum percuſſa in ſtirpe propago:
Attamen auctoris vitio, qui debita leti
Inſtituit, morboſque ſuis ac funera miſit,
Vivit peccati moribunda in carne cicatrix.
Jam pater omnipotens librantis pondere verbi
Undique collectis diſcreverat arida lymphis,
Litoribus pontum conſtringens, flumina ripis:
Jam proprias pulchro monſtrabat lumine formas,
Obſcuro cedente die, varioque colore
Plurima diſtinctum pingebat gratia mundum.
Temporibus ſortita vices tum lumina cælo
Fulſere alterno Solis Lunæque meatu.
Quin & ſidereus nocturno tempore candor
Temperat horrentes aſtrorum luce tenebras.
Actutum ſuavi producens omnia fœtu,
Pulchra repentino veſtita eſt gramine tellus.
Accepere genus ſine germine juſſa creari,
Et ſemen voluiſſe fuit. Sic ubere verbi
Frondeſcunt ſylvæ: teneris radicibus arbor
Duravit vaſtos parvo ſub tempore ramos.
Protinus in varias animalia multa figuras
Surgunt, & vacuum diſcurrunt bruta per orbem:
Elatæ in altum volucres, motuque citato
Pendentes ſecuere vias, & in aere ſudo
Præpetibus librant membrorum pondera pennis.
Poſt etiam clauſi vaſto ſub gurgite piſces
Reſpirant lymphis, flatuſque ſub æquore ducunt.
Quæque negant nobis, illis dant humida vitam.
Nec minus in pelago viviſcunt grandia cete,
Accipiuntque cavis habitacula digna latebris:
Et quæ monſtra ſolet rarus nunc prodere pontus,
Aptat ad informes condens ſolertia formas.
Quodque hominum falſo credit mens neſcia fœdum,
Per propriam ſpeciem natura judice pulchrum eſt
Ergo ubi completis fulſerunt omnia rebus,
Ornatuque ſuo perfectus conſtitit orbis:
Tum pater omnipotens æterno lumine lætum
Contulit ad terras ſublimi ex æthere vultum,
Illuſtrans quodcumque videt: placet ipſa tuenti
Artifici factura ſuo, laudatque creator
Diſpoſitum pulchro quem condidit ordine mundum,
Tum demum tali ſapientia voce locuta eſt:
En præclara nitet mundano machina cultu.
Et tamen impletum perfectis omnibus orbem
Quid juvat ulterius nullo cultore teneri?
Sed ne longa novam contriſtent otia terram,
Nunc homo formetur, ſummi quem tangat imago
Numinis, & noſtram, celſo donatus honore,
Induat interius formoſa in mente figuram.
Hunc libet erectum vultu præponere pronis,
Qui regat æterno ſubjectum fœdere mundum,

Bruta domet, legem cunctis ac nomina ponat,
Aſtra notet, cœlique vias & ſidera novit;
Diſcat & inſectis diſcernere tempora ſignis:
Subjiciat pelagus ſævum, ingenioque tenaci
Poſſideat quæcumque videt: cui beſtia frendens
Serviat, & poſito diſcant manſueta furore
Imperium jumenta pati, juſſique ligari
Feſtinent trepidi conſueta in vincula juvenci.
Quoque magis natura hominis ſublimior extet,
Accipiat rectos in cœlum tollere vultus:
Factorem quærat proprium, cui mente fideli
Impendat famulam longævo in tempore vitam.
Hæc ait, & fragilem dignatus tangere terram,
Temperat humentem conſperſo in pulvere limum,
Moliturque novum dives ſapientia corpus.
Non aliter, quam nunc opifex, cui artis in uſu eſt
Flectere laxatas per cuncta ſequacia ceras,
Et vultus implere manu, ſeu corpora gypſo
Fingere, vel ſegni ſpeciem componere maſſa.
Sic pater omnipotens victurum protinus arvum
Tractat, & in lento meditatur viſcera cœno.
Hinc arcem capitis ſublimi in vertice ſignat,
Septiforem vultum rationis ſenſibus aptans,
Olfactu, auditu, viſu, guſtuque potentem.
Tactus erit ſolus, toto qui corpore judex
Sentiat, & proprium ſpargat per membra vigorem.
Flexilis artatur recavo ſic lingua palato,
Preſſus ut in camera pulſantis verbere plectri
Percuſſo reſonet modulatus in aere ſermo.
Exin ſucciduum porrecto in corpore pectus
Spargit ramoſas poſt brachia fortia palmas.
Succedit ſtomacho medius, qui tegmine molli
Inter utrumque latus foveat vitalia, venter.
Dividuam partem femur excipit, aptius ut ſe
Alternus moveat duplicato poplite greſſus.
At parte ex alia, fingit quam conditor unus,
Occipiti ſubmiſſa ſuo deſcendere cervix
Incipit, & vaſtos compagibus addere nervos.
Spina rigens crebris inter commercia nodis
Diffundit duplicem coſtarum ex ordine cratem.
Pars interna novos vitæ formatur ad uſus,
Naturale parant tegmen vitalia cordi,
Maſſaque congeſtis pendens abſconditur extis.
Additur his tenui paſcendus ab aere pulmo,
Qui concepta trahens lenti ſpiramina flatus,
Accipiat reddens, reddat quas ſumpſerit auras,
Inque vicem crebro pellatur anhelitus hauſtus.
Dextra tenet jecoris vegetandum ſanguine fontem,
Quo clauſum venæ ſpargunt per viſcera flumen.
Lienis lævam ſortitur regula partem,
Qua crines perhibent ungueſque recreſcere ſectos,
Nec conciſa dolent. hinc nunc augmenta reſumunt
Quæ vivunt ſenſuque carent in corporis uſu.
Poſtquam perfectæ jacuit novitatis imago,
Formatumque lutum ſpeciem pervenit in omnem:
Vertitur in carnem limus, durataque molles
Viſceribus mediis traxerunt oſſa medullas.
Inſeritur venis ſanguis, vivoque colore
Inficit ora rubor. toto tum corpore pallor
Pellitur, & niveos depingit purpura vultus.
Inde ubi perfectis conſueſcit vivere membris
Totus homo, & ſumant calefacta ut viſcera ſolam,
Expectant animam, puro quam fonte creator
Promat, & erectos recturam mittat in artus:
Lenem perpetuo flatum profundit ab ore,
Inſpiratque homini. quem protinus ille receptum
Attrahit, & crebri diſcit ſpiraminis auras.
Poſtquam naſcentem ſolers prudentia ſenſum
Imbuit, & puro rationis lumine fulſit,
Surgit, & erectis firmat veſtigia plantis.
Tum varias mundi ſpecies, cœlique figuras
Mirantem, tali compellat voce creator:
Hæc quæ mundanis cernis pulcherrima rebus

mere-

Incrementa novis, ornatum tenſa per orbem,
Solus habe, totiſque prior dominare fruendo.
Tu mihi, cuncta tibi famulentur. maximus ordo eſt,
Te parere pio qui ſubdidit omnia patri.
Non ſpecies ulla, nec numina vana colantur,
Non ſi quid cælo ſublime novumque coruſcat,
Non quæ vel terris vivunt formata, vel undis,
Nec quod forte premens prohibet natura videri.
Uſibus iſta tuis non cultibus eſſe memento,
Præcellens factis factorem pronus adora.
Interea ſextus noctis primordia veſper
Rettulit, alterno depellens tempore lucem:
Dumque petunt dulcem ſpirantia cuncta quietem,
Solvitur & ſomno laxati corporis Adam.
Cui pater omnipotens preſſum per corda ſoporem
Jecit, & immenſo tardavit pondere ſenſus,
Vis ut nulla queat ſopitam ſolvere mentem.
Non ſi forte fragor ſecuras verberet aures,
Nec ſi commoto cælum tunc intonet axe,
Sed nec preſſa manu rupiſſent membra quietem.
Tum vero cunctis coſtarum ex oſſibus unam
Subducit lævo lateri, carnemque reponit.
Erigitur pulchro genialis forma decore,
Inque novum ſubito procedit femina vultum.
Quam Deus æterna conjungens lege marito,
Conjugii fructu penſat diſpendia membri,
Iſtius indicium ſomni mors illa ſecuta eſt,
Sponte ſua ſubiit ſumpto quam corpore Chriſtus.
Qui cum paſſurus ligno ſublimis in alto
Penderet nexus, culpas dum penderet orbis,
In latus extenſi defixit miſſile lictor.
Protinus exiliens manavit vulnere lympha,
Qua vivum populis jam tum ſpondente lavacrum,
Fluxit martyrium ſignans & ſanguinis unda.
Inde quieſcenti gemina dum nocte jaceret,
De lateris membro ſurgens Eccleſia nupſit.
Principio rector tanti ſacrare figuram
Diſponens vincli, nectit connubia verbo:
Vivite concordi ſtudio, mundumque replete,
Creſcat longævum felici ſemine germen,
Non annis numerus, vitæ nec terminus eſto.
Progeniem ſine fine dedi, quam tempore toto
Aſpicies, generi primus qui poneris auctor.
Pronepos eductos ſpargens per ſæcla nepotes
Viventes numeret proavos, inque ora parentum
Ducant annoſi natorum pignora nati.
Tum lex conjugii, toto venerabilis ævo,
Intemerata ſuo ſervabitur ordine cunctis.
Femina perſiſtat de viſcere ſumpta virili,
Conjugio ſervare fidem: nec ſeparet alter
Quod jungit ſociatque Deus: patremque relinquat
Et matrem juſto conſtrictus amore maritus.
Iſta parentales non rumpant vincula curæ,
Vita ſed amborum carnem teneatur ad unam.
Taliter æterno conjungens fœdere vota,
Feſtivum dicebat hymen, caſtoque pudori
Concinit angelicum juncto modulamine carmen.
Pro thalamo paradiſus erat, munduſque dabatur
In dotem, & lætis gaudebant ſidera flammis.
Eſt locus Eoo mundi ſervatus in axe
Secretis, natura, tuis, ubi Solis ab ortu
Vicinos naſcens aurora repercutit Indos.
Hic gens ardentem cæli ſubterjacet axem,
Quam candor fervens albenti ex æthere fuſcat.
His ſemper lux pura venit, cæloque propinquo
Nativam ſervant nigrantia corpora noctem.
Attamen in tetris ſplendentia lumina membris
Captivo fulgore micant, viſuque nitente
Certior accreſcit pullatis vultibus horror:
Cæſaries incompta riget, quæ crine ſupino
Stringitur, ut refugo careat frons nuda capillo.
Sed magnum noſtros quicquid defertur ad uſus,
His totum natura dedit telluris opimæ.

Quicquid odoratum pulchrumque adlabitur, inde eſt.
Concolor his ebeni piceo de ſomite ramus
Surgit, & hic, eboris munus quæ porrigit orbi,
Informis pulchros deponit bellua dentes.
Ergo ubi tranſmiſſis mundi caput incipit Indis,
Quo perhibent terram confinia jungere cælo,
Lucus inacceſſa cunctis mortalibus arce
Permanent, æterno concluſus limite, poſtquam
Decidit expulſus primævi criminis auctor,
Atque reis digne felici a ſede revulſis,
Cæleſtes hæc ſancta capit nunc aula miniſtros.
Non hic alterni ſuccedit temporis unquam
Bruma, nec æſtivi redeunt poſt frigora ſoles:
Excelſus calidum cum reddit circulus annum,
Vel denſante gelu caneſcunt arva pruinis.
Hic ver aſſiduum cæli clementia ſervat:
Turbidus Auſter abeſt, ſemperque ſub aere ſudo
Nubila diffugiunt jugi ceſſura ſereno.
Nec poſcit natura loci quos non habet imbres,
Sed contenta ſuo dotantur germina rore.
Perpetuo viret omne ſolum, terræque tepentis
Blanda nitet facies. ſtant ſemper collibus herbæ,
Arboribuſque comæ: quæ cum ſe flore frequenti
Diffundunt, celeri confortant germina ſucco.
Nam quicquid nobis toto nunc naſcitur anno,
Menſtrua maturo dant illic tempora fructu.
Lilia perlucent nullo flaccentia ſole,
Nec tactus violat violas, roſeumque ruborem
Servans perpetuo ſuffundit gratia vultu.
Sic cum deſit hyems, nec torrida ferveat æſtas,
Fructibus autumnus, ver floribus occupat annum.
Hic quæ donari mentitur fama Sabæis
Cinnama naſcuntur, vivax quæ colligit ales,
Natali cum fine perit, nidoque peruſta
Succedens ſibimet quæſita morte reſurgit:
Nec contenta ſuo tantum ſemel ordine naſci;
Longa veternoſi renovatur corporis ætas,
Incenſamque levant exordia crebra ſenectam.
Illic deſudans fragrantia balſama ramus
Perpetuum promit pingui de ſtipite fluxum.
Tum ſi forte levis movit ſpiramina ventus,
Flatibus exiguis, lenique impulſa ſuſurro,
Dives ſilva tremit foliis, ac flore ſalubri,
Qui ſparſus late ſuaves diſpenſat odores.
Hic fons perſpicuo reſplendens gurgite ſurgit.
Talis in argento non fulget gratia, tantam
Nec cryſtalla trahunt nitido de frigore lucem.
Margine riparum virides micuere lapilli,
Et quas miratur mundi jactantia gemmas,
Illic ſaxa jacent: varios dant arva colores,
Et naturali campos diademate pingunt.
Eductum leni fontis de vertice flumen
Quatuor in largos confeſtim ſcinditur amnes.
Euphratem, Tigrimque vocant, qui limite certo
Longa ſagittiferis faciunt confinia Parthis.
Tertius inde Geon, Latio qui nomine Nilus
Dicitur ignoto cunctis plus nobilis ortu.
Cujus in Ægyptum lenis perlabitur unda,
Ditatura ſuam certo ſub tempore terram.
Nam quoties tumido perrumpit flumine ripas
Alveus, & nigris campos perinundat arenis,
Ubertas taxatur aqua, cæloque vacante
Terreſtrem pluviam diffuſus porrigit amnis.
Tunc incluſa latet lato ſub gurgite Memphis,
Et ſuper abſentes poſſeſſor navigat agros.
Terminus omnis abeſt, æquatur judice fluctu
Annua ſuſpendens contectus jurgia limes.
Gramina nota videt latus ſubſidere paſtor,
Inque locum pecorum viridantis jugere campi
Succedunt nantes aliena per æquora piſces.
Aſt poſtquam largo fæcundans germina potu
Lympha maritavit ſitientis viſcera terræ,
Regreditur Nilus, ſparſaſque recolligit undas:

Fit fluvius pereunte lacu: tum redditur alveo
Priſtina riparum concluſis fluctibus obex,
Donec dividuum ſpargens per devia finem
Gurgite ſepteno patulum percurrat in æquor.
Sed cur dicatur tantum mundana latere
Vertex Nile tuus? nam qui neſciris ab ortu,
Non ſolus, ſed quartus eras, diffuſus ab illo,
Deſpicit excelſo qui flumina cuncta meatu,
Ipſius atque pater pelagi ſupereminet omnes,
Quas montes, quas plana vomunt, quas nubila, lymphas;
Quartus Phyſon erit, quem poſſidet India Gangem,
Motus odorifero quoties qui vertice crevit,
Deciduas pulchro quas ſpargunt flumina luco
Prælambens furatur opes, & gurgite noſtrum
Ducit in exilium. Nam ripa largus utraque,
Amnibus ut noſtris enodes ferre papyros,
Aut ſcirpos algaſque leves deducere mos eſt,
Excrementa trahens magnus ſic ditia Ganges
Hoc etiam donat mundo, quod projicit alveo.
Interea primi, ſummus quos junxerat auctor,
In paradiſiaca ponuntur ſede parentes.
Tum rector tali proponit præmia lege:
O ſummum factoris opus, quos ſola creavit
Noſtra manus, naſci cum cætera voce juberem,
Aſpicitis quanto pulcherrimus ubere lucus
Per multas famuletur opes? hæc cuncta dabuntur
Ad veſtros ſine fine cibos, hinc eſca petatur:
Sumite conceſſas fruges, & carpite poma.
Hic operis dulci ſtudio ſecura quieſcat
Delitiiſque fruens longævo in tempore vita.
Eſt tamen in medio nemoris quam cernitis arbor,
Notitiam recti pravique in germine portans:
Hujus ab acceſſu vetitum reſtringite tactum.
Nec vos forte premat temeraria diſcere cura
Quod doctor prohibet: melius neſcire beatis
Quod quæſiſſe nocet. teſtor quem fecimus orbem,
Quod ſi quis vetitum præſumpſerit arbore pomum,
Audax commiſſum mortis diſcrimine pendet.
Non immenſa loquor, facilis cuſtodia recti eſt,
Servator vitam, finem temerator habebit.
Accipiunt juvenes dictum, lætique ſequuntur,
Spondentes cuncto ſervandam tempore legem.
Sic ignara mali novitas, nec conſcia fraudis,
Incautas nulla tetigit formidine mentes.
At pater inſtructos ſacrata in ſede relinquens,
Lætus in aſtrigeram cœli ſe ſuſtulit aulam.

ALCIMI AVITI EPISCOPI VIENNENSIS

POEMATUM LIBER SECUNDUS.

De Originali Peccato.

Utitur interea, venturi neſcia caſus,
Libertas ſecura bonis, fruiturque beata
Ubertate loci. Largos hinc porrigit illis
Tellus prompta cibos: fruticis quin altior opimi
Sumitur aſſiduus tenui de ceſpite fructus.
At ſi curvati fœcundo pondere rami
Mitia ſubmittunt ſublimi ex arbore poma,
Protinus in florem vacuus turgeſcere palmes
Incipit, inque novis fœtum promittere gemmis.
Jam ſi prædulces delectat carpere ſomnos,
Mollibus in pratis, pictaque recumbitur herba.
Cumque voluntati ſacrum nemus offerat omnes
Delicias, opibuſque novis ſe præbeat amplum:
Sic epulas tamen hi capiunt, eſcamque requirunt,

Compellit quod nulla fames, nec laſſa fovendo
Indigus hortatur compleri viſcera venter.
Et niſi conceſſum libuiſſet noſcere paſtum,
Eſuriens ignota cibos non poſceret ullos,
Nullaque conſtantem fulcirent pabula vitam.
Corpora nuda vident, & mutua cernere membra
Non pudet, atque rudis fœdum nil ſentit honeſtas.
Non natura hominis, vitium ſed cauſa pudori eſt.
Nam quæcumque bonus formavit membra creator,
Ut pudibunda forent, carnis poſt compulit uſus.
Tunc mens intactos ſervabat candida viſus,
Angelicæ qualis narratur gloria vitæ
Sidereas habitare domos: qualemque redemptis
Spondet reddendam mortis poſt tempora Chriſtus,
Queis neque conjugium curæ; nec fœdere turpi
Miſcebit calidos carnalis copula ſexus.
Ceſſabit gemitus, luxus, metus, ira, voluptas,
Fraus, dolor, atque dolus, mœror, diſcordia, livor,
Nullus egens, nullus cupiens, ſed pace ſub una
Sufficiet cunctis ſanctorum gloria Chriſtus.
His protoplaſtorum ſenſum primordia ſacra
Continuere bonis, donec certamine primo
Vinceret oppreſſos fallacem culpa per hoſtem.
Angelus hic dudum fuerat, ſed crimine poſtquam
Succenſus proprio, tumidos exarſit in auſus,
Se ſemet feciſſe putans, ſuus ipſe creator
Quod fuerit, rabido concepit corde furorem,
Auctoremque negans, divinum conſequar, inquit,
Nomen, & æternam ponam ſuper æthera ſedem,
Excelſo ſimilis, ſummis nec viribus impar.
Talia jactantem præcelſa potentia cælo
Jecit, & ejectum priſco ſpoliavit honore,
Quique creatura præfulſit in ordine primus,
Primas venturo pendet ſub judice pœnas.
Quandoquidem gravior talem ſententia punit,
Quem mirum cecidiſſe putes, nam crimen acerbat
Auctor, in ignaro minor eſt peccante reatus,
Durius atque malum quod major fecit habetur,
Sed quod vivaces pretendit in abdita ſenſus,
Quodque futura videt, rerumque arcana reſignat,
Angelici fervens ſupereſt natura vigoris.
Horrendum dictu, ſigniſque notabile monſtrum.
Nam quicquid toto dirum committitur orbe,
Iſte docet, ſcelerumque manus ac tela gubernat,
Pugnat & occultus per publica crimina latro.
Et nunc ſæpe hominum, nunc ille in ſæva ferarum
Vertitur ora, novos varians fallentia vultus,
Alitis interdum ſubito mentita volantis
Fit ſpecies, habituſque iterum confingit honeſtos,
Apparens nec non pulchro, ceu corpore virgo,
Pertrahit ardentes obſcena in gaudia viſus.
Sæpe etiam cupidis argentum immane coruſcat,
Accenditque animos auri fallentis amore,
Deluſos fugiens vano phantaſmate tactus.
Nulli certa fides conſtat vel gratia formæ:
Sed quo quemque modo capiat, teneatque nocendo,
Opportuna dolis, clauſæque accommoda fraudi,
Sumitur exterior ſimulata fronte figura.
Major adhuc etiam ſævo permiſſa poteſtas,
Ut ſanctum vincat: dudum collata creato
Sic natura valet, rectam quam condidit auctor,
Sed poſt ad pravos ſubverſor tranſtulit uſus.
Vidit ut iſte novos homines in ſede quieta
Ducere felicem nullo diſcrimine vitam,
Lege ſub accepta domino famularier orbis,
Subjectiſque frui placida inter gaudia rebus:
Commovit ſubitum zeli ſcintilla vaporem,
Excrevitque calens in ſæva incendia livor.
Vicinus tunc forte fuit, quo concidit alto
Lapſus, & innexam traxit per prona catervam.
Hoc recolens, caſumque premens in corde recentem,
Plus doluit periiſſe ſibi quod poſſidet alter.
Tunc mixtus cum felle pudor ſic pectore queſtus

Explicat, & tali ſuſpiria voce relaxat.
Pro dolor, hoc nobis ſubitum conſurgere plaſma,
Inviſumque genus noſtra creviſſe ruina!
Me celſum virtus habuit, nunc ecce rejectus
Pellor, & angelico limus ſuccedit honori.
Cælum terra tenet, vili compage levata
Regnat humus, nobiſque perit translata poteſtas.
Non tamen in totum periit: pars magna retentat
Vim propriam, ſummaque cluit virtute nocendi.
Nec differre juvat. jam nunc certamine blando
Congrediar, dum prima ſalus, experta nec ullos
Simplicitas ignara dolos, ad tela patebit.
Et melius ſoli capientur fraude, priuſquam
Fœcundam mittant æterna in ſæcula prolem:
Immortale nihil terra prodire ſinendum eſt,
Fons generis pereat, capitis dejectio victi
Semen mortis erit. pariat diſcrimina leti
Vitæ principium. cuncti feriantur in uno:
Non faciet vivum radix occiſa cacumen.
Hæc mihi dejecto tandem ſolatia reſtant.
Si nequeo clauſos iterum conſcendere cælos;
His quoque claudentur. levius cecidiſſe putandum eſt,
Si nova perdatur ſimili ſubſtantia caſu,
Si comes exeidii ſubeat conſortia pœnæ,
Et quos prævideo nobiſcum dividat ignes.
Sed ne difficilis fallendi cauſa putetur,
Hæc monſtranda via eſt, dudum quam ſponte cucurri
In pronum lapſus: quæ me jactantia regno
Depulit, hæc hominem paradiſi limine pellet.
Sic ait, & gemitus vocem clauſere dolentis.
Forte fuit cunctis animantibus altior aſtu,
Æmulus arguto callet qui pectore ſerpens:
Hujus tranſgreſſor de cunctis ſumere formam
Eligit, aerium circumdans tegmine corpus,
Inque repentinum mutatus tenditur anguem:
Fit longa cervice draco, ſplendentia colla
Depingit maculis, teretiſque volumina dorſi
Aſperat, & ſquamis per terga rigentibus armat:
Qualis vere novo, primis cum menſibus æſtas
Præmittit lætos poſt frigora pigra tepores,
Evadens veterem reparatis motibus annum,
Et ſiccum nitido diſcingens corpore tegmen,
Procedit coluber, terrarumque abdita linquens;
Præfert terribilis metuendum formæ decorem,
Dira micant oculi: tum lumine viſus acuto
Lætior optatum diſcit conſueſcere ſolem.
Nunc ſimulat blandum, crebro ceu carmine fauces
Ludunt, & trifidam diſpergunt guttura linguam.
Ergo ut vipeream maleſuadæ fraude figuram
Induit, & totum fallax proceſſit in anguem,
Pervolat ad lucum. nam forte rubentia læti
Carpebant juvenes viridi de palmite mala.
Tum veritus ſerpens, firma ne mente virili
Non queat injecto ſubvertere corda veneno,
Arboris erectæ ſpiris reptantibus alta
Porrigitur, tractumque ſuum ſublimibus æquans;
Auditum facilem leni ſic voce momordit.
O felix, mundique decus pulcherrima virgo,
Ornat quam roſeo præfulgens forma pudore,
Tu generi ventura parens, te maximus orbis
Expectat matrem: tu prima & certa voluptas
Solamenque viri, ſine qua non viveret ipſe,
Ut major, ſic jure tuo ſubjectus amori.
Prædulcis conjunx, reddes cui fœdere prolem.
Vobis digna datur paradiſi in vertice ſedes,
Vos ſubjecta tremit famulans ſubſtantia mundi:
Quod cælum, quod terra creat, quod gurgite magno
Producit pelagus, veſtros confertur in uſus.
Nil natura negat, datur ecce in cuncta poteſtas.
Non equidem invideo, miror magis. ut tamen una
Contineat liber dulci ſuper arbore tactus,
Scire velim quis dira jubet, quis talia dona
Invidet, & rebus jejunia miſcet opimis,

Hæc male blanditam finxerunt ſibila vocem.
Quis ſtupor, o mulier, mentem caligine clauſit
Cum ſerpente loqui? verbum committere bruto
Non pudet, ut veſtram præſumat bellua linguam
Et monſtrum pateris, reſponſumque inſuper addis?
Ergo ubi mortiferum ſeductilis Eva venenum
Auribus accipiens cladi conſenſit iniquæ,
Tunc ad ſerpentem vano ſic ore locuta eſt.
Suavibus o pollens coluber dulciſſime dictis,
Non, ut rere, Deus nobis jejunia ſuaſit,
Nec prohibet largo curari corpora paſtu.
Ecce vides epulas totus quas porrigit orbis:
Omnibus his licito genitor promptiſſimus uti
Præſtitit, & totas vitæ laxavit habenas.
Hæc ſola eſt nemoris medii quam perſpicis arbor
Interdicta cibis, hæc tantum tangere poma
Non licitum, dives præſumit cetera victus;
Nam ſi libertas temerarit noxia legem,
Jurans terribili prædixit voce creator,
Quadam nos ſtatim luituros morte reatum.
Quid vocitet mortem tu nunc, doctiſſime ſerpens,
Pande libens, quoniam rudibus non cognita res eſt.
Callidus inde draco, & leti tum ſponte magiſter,
Interitum docet, & captas ſic fatur ad aures.
Terroris vacuum formidas femina nomen.
Non veniet vobis rapidæ ſententia mortis:
Sed pater inviſus ſortem non contulit æquam,
Nec vos ſcire dedit, ſibimet quæ ſumma reſervat.
Quid juvat ornatum comprendi aut cernere mundum;
Et cæcas miſero concludi carcere mentes?
Corporeos pariter ſenſus, oculoſque patentes
Sic brutis natura creat, ſol omnibus unus
Servit, & humano non diſtat bellua viſu.
Conſilium mage ſume meum, mentemque ſupernis
Inſere, & erectos in cælum porrige ſenſus,
Namque hoc quod vetitum formidas tangere pomum;
Scire dabit quæcumque pater ſecreta reponit.
Tu modo ſuſpenſos tantum ne contine tactus,
Ne captiva diu frænetur lege voluptas.
Namque ubi divinum libaveris ore ſaporem,
Mox purgata ſuo facient te lumina viſu
Æquiparare Deos, ſic ſancta ut noxia noſſe,
Injuſtum recto, falſum diſcernere vero.
Tallia fallaci ſpondentem dona ſuſurro
Credula ſubmiſſo miratur femina vultu.
Et jam jamque magis cunctari ac flectere ſenſum
Incipit, & dubiam leto plus addere mentem.
Ille ut vicino victam diſcrimine ſenſit,
Atque iterum nomen memorans arcemque Deorum;
Unum de cunctis letali ex arbore malum
Detrahit, & ſuavi pulchrum perfundit odore,
Conciliat ſpeciem, nutantique inſuper offert.
Nec ſpernit miſerum mulier male credula munus;
Sed capiens manibus pomum letale retractat.
Naribus interdum labiiſque patentibus ultro
Jungit, & ignorans ludit de morte futura.
O quoties ori admotum compuncta retraxit,
Audaciſque mali titubans ſub pondere dextra
Ceſſit, & effectum ſceleris tremefacta refugit!
Diis tamen eſſe cupit ſimilis, ſerpitque venenum
Ambitione nocens. rapiunt contraria mentem,
Hinc amor, inde metus: pulſat jactantia legem;
Interdumque etiam lex ſubvenit. æſtuat anceps
Dividui cordis dura interprælia fluctus.
Nec tamen incentor deſiſtit fallere ſerpens:
Oſtentatque cibum dubiæ, quæriturque morari;
Et juvat in lapſum pendentis prona ruinæ.
Ut tandem victæ gravior ſententia ſedit,
Æternam tentare famem per criminis eſcam,
Serpentem ſatiare cibo quem ſumeret ipſa,
Annuit inſidiis, pomumque vorata momordit.
Dulce ſubit virus, capitur mors horrida paſtu.
Continet hic primum ſua gaudia callidus anguis,

Diſſimulatque ferum victoria ſæva triumphum.
  Ignarus facti diverſa parte revertens
Adam, diffuſi lætus per gramina campi
Conjugis amplexus atque oſcula caſta petebat.
Occurrit mulier, cui tunc audacia primum
Flabat femineos animoſa in corda furores.
Et ſic orſa loqui, ſemeſum namque gerebat
Aſſervans miſero pomum exitiale marito.
Sume cibum dulcis vitali ex germine conjunx,
Quod ſimilem ſummo faciet te forte Tonanti,
Numinibuſque parem. non hoc tibi neſcia donum
Sed jam docta fero. primus mea viſcera guſtus
Attigit, audaci diſſolvens pacta periclo.
Crede libens, mentem ſcelus eſt dubitaſſe virilem
Quod mulier potui. præcedere forte timebas,
Saltem conſequere, atque animos attolle jacentes.
Lumina cur flectis? cur proſpera vota moraris?
Venturoque diu tempus furaris honori?
  Hæc effata dabat victuræ fercula mortis,
Intereunte anima letum dum crimina paſcunt.
Accipit infelix maleſuadi verba ſuſurri,
Inflexoſque retro dejecit ad ultima ſenſus.
Non illum trepidi concuſſit cura pavoris,
Nec quantum guſtu cunctata eſt femina primo:
Sed ſequitur velox, miſeræque ex conjugis ore
Conſtanter rapit inconſtans dotale venenum,
Faucibus & patulis inimicas porrigit eſcas.
Vix uno pomum libarat ſuccida morſu
Ingluvies, ſummumque dabat vix eſca ſaporem:
Ecce repentinus fulgor circumſtitit ora,
Lugendoque novos reſperſit lumine viſus.
Non cæcos natura dedit, nec luminis uſu
Privatam faciem peperit perfectio formæ.
Nunc mage cæcus eris, cui jam non ſufficit illud
Noſcere, quod tantus voluit te noſſe creator.
Ad vitam vobis cernendi facta facultas:
Vos etiam letum veſtra ſed ſponte videtis.
Tum patuiſſe gemunt oculos. nam culpa rebellis
Fulſit, & obſcenos ſenſerunt corpora motus.
Tunc primum nudos (dubium quid dicere poſſim
Extinctus natuſne) pudor circumſpicit artus.
Erubuit propriæ jam mens ſibi conſcia culpæ,
Regnavitque ſuis carnis lex indita membris.
  Namque hinc poſteritas vitiato germine duxit
Artibus illicitis cognoſcere velle futura,
Arcaniſque ſacris tardos immittere ſenſus,
Edita vel cælo, vel tetro merſa profundo
Rimari, & cautas naturæ irrumpere leges.
Quærere nunc aſtris quo quiſquam ſidere natus,
Proſpera quam ducat reſtantis tempora vitæ,
Diſſimilem paribus proventum diſcere ſignis.
Nec non & geminos uno ſub tempore fuſos,
Quos indiſcretus luci produxerit ortus,
Motibus adverſis varia ſub ſorte notare.
Indigetes quoſdam ſtellis adſcribere divos,
Junior antiquis ætas quos prætulit aſtris:
Atque infernali jam dudum nocte ſepultis
Vana per immenſum diſponere nomina cælum.
  Jam magicam digne valeat quis dicere fraudem,
Occultas tacito tentantem pectore vires,
Divinis jungi virtutibus & cupientem:
Legifer ut quondam vates, ſub rege ſuperbo,
Dum nova monſtraret juſſi miracula ſigni,
Commovit livore magos ut talia tentent,
Accumulentque ſuas zelo fervente ruinas.
Illis ſuppeteret recta ſi forte poteſtas,
Demere, non etiam feſtinent addere monſtra.
Æmula ſed ſignis tantum, non viribus æqua,
Quod removere nequit, duplicavit juſtius ira.
Hinc eſt laudato quod poſſunt carmine Marſi,
Cum tacita ſævos producunt arte dracones,
Abſente & ſæpe jubent confligere ſecum,
Tunc ut quiſque gravem bello præſenſerit hydrum,

Aſpidis aut duræ clauſas cognoverit aures,
Concutit interius ſecreti carminis arma:
Protinus & laſſis verbo luctante venenis,
Mox impune manu coluber tractatur inermis,
Et morſus tantum non virus in angue timetur.
Interdum perit incantans, ſi callida ſurdus
Adjuratoris contempſit murmura ſerpens.
Hoc quoniam de matre trahunt, & origine prima,
Anguineæ fraudis quod ſic linguaque periti,
Mutua per ſpeciem reddunt commercia fandi.
Nec minus his pulſat contraria cura ſalutis,
Angit præſcitus ducti quos terminus ævi:
Cum tamen eductas infernis ſedibus umbras
Colloquium miſcere putent, & nota referre.
Spiritus erroris ſed qui bacchatur in illis,
Ad conſulta parat vanis reſponſa figuris.
Et ne porrecto dicantur ſingula verbo,
Præſenti illuſus, damnabitur ille perenni
Judicio, quiſquis vetitum cognoſcere tentat.

Nec jam ſola fuit ſcrutatrix Eva malorum:
Dicam nunc aliam, tali quæ peſte laborans,
Et conjuncta viro, proprium non vicerit Adam.
Peccandi quaſdam fervor ſuccenderat urbes,
Civica permittens laxatis crimina frænis.
Inceſtus pro lege fuit, totumque libido
Jus habuit, regni ſedem metata voluptas
Indigenas populos domina ſub carne tenebat:
Et ſcelerum ſtudio, fida quod plebe localis
Dudum parendi promptis reſpublica juſſit,
Abſtinuiſſe nefas, & non peccaſſe pudendum
Credebant omnes, facinus quos junxerat unum.
Talibus offenſus judex atque arbiter orbis
Cum fureret, flammaſque loco finemque pararet,
Quendam diſſimilem cunctis, tectoque latentem,
Qui tunc forte fuit propria peregrinus in urbe,
Atque inter multos ſolum ſic alloquitur Loth.
Oppida laſcivo jamdudum plena furore
Reſpergunt cælum maculis, noſtraſque fatigant
Quamvis obſtructas ſcelerum clamoribus aures.
Imminet exitium, tellus ſuccenſa reatu
Ignibus ardebit, reſtinguet fulminis imber
Quæ non extinxit ferventia crimina fletus.
Ipſa in perpetuas ſolvetur terra favillas,
Quæ vivos cineres & poſt incendia ſervant,
Sicque ſolum fingens, leviter ſi calce teretur,
Ad minimum fugiens diſcedet pallida tactum.
Tu nunc linque domum, perituras deſere terras,
Et rea cum dignis ſubſidant arva colonis.
Nec te te impendens letum conjunxerit illis,
Non junxit quos vita. Tibi ſolatia conjunx
Præbeat, hac tantum ſocia contentus abito,
Accelerate fugam, tendatur tramite recto,
Neu ſubvertendas quiſquam reſpexerit urbes,
Vos neſcite malum. pœnas quicumque ſubibit
Aſpiciat, mortiſque ſuæ ſpectacula ſecum
Qui meruere ferant, ſalvandis terror abeſto.
Hæc pater. aſt illi properant abſcedere terra,
Inciduntque moras, crudeliaque arva relinquunt.

Cœperat obduci victum caligine denſa,
Atque ignota prius demittere murmura cælum.
Nec ſic ut tonitru crebro cum percitus æther
Oſtentat pavidis innoxia fulmina terris.
Sed prorſus finale malum ſtridore minaci
Tetra per aerios mittebant ſigna tumultus.
Tendebant moniti ſimul, & mandata tenentes
Conceſſam rectis ad ſedem vultibus ibant.
Callidus alta petens ſed qui ſubverterat Evam
Serpens, femineam conſuetus tangere mentem,
Hic quoque formidans animum tentare virilem,
Conjugis inſpirat votis, ut noſſe ruinas
Vellet, & evaſas viſu deprendere clades.
O demens animi, cui jam non ſufficit unam
Succubuiſſe dolo: caruit jam parte bonorum

Quæ mala cognovit. ſi non exempla priorum
Terrent, exemplum fies. noſtroque timori
Vel poſt te pereat ſecreti dira cupido.
Illicitum quod ſcire fuit, vetitumque tueri,
Reſpicies tantum, nec narratura videbis.
Ergo ubi majorem vicina ex urbe tumultum
Accepit mulier, vultum deflexa retortum,
Vix primo in viſu reſtrictis motibus hæſit,
Cernere deſiſtens eum cœperat. inde gelato
Sanguine marmoreus perfudit viſcera torpor:
Diriguere genæ, pallor novus inficit ora.
Lumina non clauſit, non ſaltem concidit illo
Pondere, quo pulſant demiſſa cadavera terram:
Sed ſtetit horrendo perlucens maſſa nitore,
Servavitque ſuam ſpecies decepta figuram.
Nec facile ut noſſes, vitrum, lapis, anne metallum
Succedens homini, ſi non ſal fauce notetur.
Ex tunc inſipido mulier præventa reatu
Plus ſalſum ſine mente ſapit, quæ pungere ſenſus,
Exemplique poteſt ſalibus condire videntes.
Hoc tamen hic magnum, quod non inflectitur iſte,
Nec ſequitur ſociam, fortis nec vincitur Adam.
Credo equidem melius, quod non occurrerit uxor
Enarrare viro. nam ſi comperta referret,
Forſan & hunc viſu ſuaſiſſet temnere juſſa,
Ceu proprium guſtu fecit primæva virago:
Quæ poſtquam ſeſe pariter comitemque fefellit,
Et nondum natam percuſſit vulnere prolem:
Tum victor ſerpens certamine lætus ab ipſo,
Tuniceam criſpans ſquamoſo in vertice criſtam,
Jam non diſſimulans quem preſſerat ante triumphum,
Acrior inſultat victis, & talibus infit.
En divina manet promiſſæ gloria laudis.
Quicquid ſcire meum potuit, jam credite veſtrum eſt,
Omnia monſtravi, ſenſuſque per abdita duxi,
Et quodcumque malum ſolers natura negabat,
Inſtitui, dextriſque dedi conjungere lævam.
Iſthinc perpetua voſmet mihi ſorte dicavi.
Nec Deus in vobis, quenquam formaverit ante,
Jam plus juris habet: teneat quod condidit ipſe,
Quod docui mecum eſt, major mihi portio reſtat.
Multa creatori debetis, plura magiſtro.
Dixit, & in media trepidos caligine linquens,
Confictum periit linquens per nubila corpus.

ALCIMI AVITI EPISCOPI VIENNENSIS

POEMATUM LIBER TERTIUS.

De Sententia Dei.

Tempus erat, quo ſol medium tranſcenderat ax
Pronus & excelſi linquens faſtigia centri,
Vicina jam nocte leves præmiſerat auras.
Illis ſed major curarum volvitur æſtus,
Ferventeſque tenent male conſcia corda dolores.
Utque pudor capto detorſit lumina ſenſu,
Reppulit & miſeros alterno a corpore viſus,
Nec jam ſecura præſtatur luce tueri
Signatam fixo peccati ſtigmate carnem,
Indumenta petunt, foliis ut mollibus ambo
Membra tegant, nudumque malum de veſte pateſ
Umbroſis propter ſtabat ficulnea ramis,
Frondentes diffuſa comas, quas protinus Adam,
Humentem capiens raſo de cortice librum,
Aſſuit, & viridi ſolatur veſte ruborem.
Induitur ſimili mulier lacrymabilis arte, &

Quos pavit miſero fallax inſania pomo,
Veſtivit folio: ſæva quos arbore nudos
Reddidit, hos gravius tenui ſuper arbore texit.
Et tamen adveniet tempus, cum crimina ligni
Per lignum ſanet, purgetque noviſſimus Adam,
Materiamque ipſam faciat medicamina vitæ,
Qua mors invaluit, leto delebere letum.
Æreus excelſo pendebit ſtipite ſerpens,
Cumque venenatum ſimulaverit, omne venenum
Purget, & antiquum perimat ſua forma draconem.
Interea genitor viridis per mollia luci
Rorantes ſudo capiebat ab aere ventos.
Protinus attonitis ſenſerunt auribus ambo
Præſentem dominum. triſti tum luce peroſa
Expavere diem detecto in crimine teſtem.
Illos nam vaſtis ſpecubus ſi forte baratrum
Panderet, aut ſubitum tellus monſtraret hiatum,
Non pigeat prono trepidos deſcendere ſaltu,
Et ſi ſuppeteret jam tum ſententia leti,
Hanc etiam raperet ſolandi cura pudoris.
Seu flammis lymphiſve darent, vel pectora ferro
Appeteret vindex crudeli vulnere dextra.
Sic miſeri mortem, nondum diſcrimine notam,
Cum primum meruere, volunt. exordia finem
Signant, & ſimiles prædicunt affore luctus,
Ultima cum mundi ſenium conſumpſerit ætas,
Cumque repentinus percuſſerit omnia fulgor
Cælorum, clangente tuba, qua nuncius ante
Judicis adventu concuſſum terreat orbem.
Tunc cum ſinceros paſtor diſcreverit agnos,
Hædis diſparibus diverſa in parte locatis,
Per medium dirimente chao, quod fluctibus implet
Sulphureis volvens undoſa incendia gurges,
Flammarum ſtagnante lacu, quo fervida quondam
Dicitur attracto nubes Sodomitica nimbo
Guttatim ſparſum fudiſſe in crimina fulmen,
Cum plueret nox tetra focos, cæloque caducæ
Aera per calidum ſtillarent undique mortes.
Taliter ignifero miſſi de fonte gehennæ
Fluxerunt triſtes aliena in ſæcula rivi.
At quos terribili judex decreverit horæ
Vivere poſt mortem, pœnaque ardore perenni,
Subtrahet optato gravior ſententia leto:
Cumque foret melius, diſperſis corpora membris
Carpere perpetuum dura ſub morte ſoporem,
Invitos tamen urna vomet, queis ſola voluntas
Rurſus poſſe mori, ſenſuque carere dolendi.
Sed ſic accipiet ferventis flamma camini,
Ambuſtura ſuas ut nunquam finiat eſcas.
At primi interea juvenes conamine caſſo
Per deſerta ruunt, tutoque abſcondita furto
Facta putant, cæcis optant latuiſſe tenebris.
Quid juvat, infelix, oculos a judice flectit
Te judex cernit: nolis cur ipſe videre,
Cum videare palam? ſolem non fuſcat amœnum,
Si depreſſa gravem formidant lumina lucem,
Debilis & clarum viſus non ſuſtinet orbem.
Tum ſic terribili primum Deus increpat ore,
Atque ubi ſit miſerum noſcens interrogat Adam.
Qui trepidam pavido producens pectore vocem,
Vix hæc pauca refert. Tuus, o celſiſſime, terror
Mentibus inſidens latebram tentare coegit.
Nam quia nuda forent inopertis corpora membris,
Erubui fateor, cælumque per abdita fugi.
Et quis, ait, ſubitum concuſſit corde pudorem?
Viſus & unde novus? Nam te nec vellera dudum,
Nec contexta prius velavit tegmine veſtis.
Forma rudis, proprio melius contenta decore,
Judice ſe placuit. ſed poſtquam fœdere rupto
Interdicta tuus perſtrinxit germina guſtus,
Naturale tibi tegmen non ſufficit unum,
Hactenus & nudis nunc denudata pateſcunt,
Arguit obſcenus quia turpia corpora motus,

Ille ubi convictum claro ſe lumine vidit,
Prodidit & totum diſcuſſio juſta reatum,
Non prece ſummiſſa veniam pro crimine poſcit,
Non votis lacrymiſve rogat, nec vindice fletu
Præcurrit meritam ſupplex confeſſio pœnam.
Jamque miſer factus, nondum miſerabilis ille eſt.
Erigitur ſenſu, tumidiſque accenſa querelis
Fertur in inſanas laxata ſuperbia voces.
Heu male perdendo mulier conjuncta marito!
Quam ſociam miſero prima ſub lege dediſti,
Hæc me conſiliis vicit devicta ſiniſtris,
Et ſibi jam notum perſuaſit ſumere pomum.
Iſta mali caput eſt, crimen ſurrexit ab iſta.
Credulus ipſe fui, ſed credere tu docuiſti,
Connubium donans, & dulcia vincula nectens.
Atque utinam felix, quæ quondam ſola vigebat,
Cælebs vita foret, talis nec conjugis unquam
Fœdera ſenſiſſet, comiti non ſubdita pravæ.
Hac igitur rigidi commotus mente creator,
Mœrentem celſis compellat vocibus Evam.
Cur miſerum labens traxiſti in prona maritum?
Nec contenta tuo deceptrix femina caſu,
Sublimi ſenſum jeciſti ex arce virilem?
Illa pudens, triſtique genas ſuffuſa rubore,
Auctorem ſceleris clamat decepta draconem,
Qui pomum vetito perſuaſit tangere morſu.
Poſt hæc finalem promit ſententia legem,
Serpentemque reum prima ſic voce notavit.
Tu coluber, cujus peccavit femina fraude,
Erroriſque virum conſortem reddidit ipſa,
Propter utrumque reus, pendes quod fecit uterque:
Nec tibi ſublimi conſtabit pectore vertex,
Callida ſed pronus per terram pectora volves:
Utque fuga trepido ſinuoſa volumina currant,
Non greſſus ſed lapſus erit, teque ipſe ſequeris
Flexibus, & ſpiras viventia vincula nectent.
Tum propter ſuaſam miſerorum cordibus eſcam,
Tellurem captans paſtu veſceris inani:
Menſibus & certis ſupero depulſus ab orbe,
Incluſus terris communi ſole carebis.
Inter cuncta replent quæ nunc animantia mundum
Auctor mortis eris, fies gravis omnibus horror.
Præcipue infelix mulier, cum prole futura,
Sic inimicitias odio currente reponat,
Semina ſeminibus mandent ut vota nocendi.
Inſiſtens ſemper pavidæ ſectabere calcem:
Conterat illa caput, victoremque ultima vincat.
Poſt hæc attonitam judex commotus in Evam,
At tu, quæ primam violaſti femina legem,
Accipe ſucciduum vitæ quod reſtat in ævum.
Imperium patiere tori, dominumque timebis,
Quem ſocium dederam: parebis ſubdita juſſis.
Et curvata caput libitus aſſueſce viriles.
Moxque ubi concipiens fœtum præſenſerit alvus,
Ventris onus gemitu teſtaberis, ac tibi clauſum
Anxia creſcentem portabunt viſcera faſcem:
Donec tranſacto faſtidia tempore complens,
Naturale malum partu ſub vindice pendat
Producens vitam proles ſic pœna parentis.
Quid diverſa loquar poſt jam diſcrimina matris?
Nam cum præduro mulier confecta labore
Optatam ſobolem tali produxeris ortu,
Lugebis vacuos nonnunquam orbata dolores.
Interea trepidus jam dudum ſuſtinet Adam,
Quid ſibi terribilis tandem ſententia ſervet.
Cui pater, attentis, inquit, nunc auribus & tu
Accipe quid mereare, levis quem femina vicit,
Impolluta prius pulchro ſub germine tellus,
Non jam fida ſatis, nec puro ſemine ſimplex,
Priſtina monſtrabit corruptum terga per orbem,
Exemploque tuo ſemper tibi terra rebellans,
Vepribus ac tribulis armata reſiſtere diſcet.
Aut ſi frangenti cedens ſuccumbet aratro,

Vomeris & fixo mordaci dente ſubacta eſt ,
Pinguia decipient mentito germine culta.
Nam pro triticeo lolium conſurgere fructu ,
Et fictas ſegetes , vacuaſque dolebis avenas.
Sic vix extortum producent jugera panem,
Sudore aſſiduo nitens quem ſumat egeſtas ,
Illecebramque cibi pœnalis vindicet eſca.
Æqualem brutis facient tibi pabula vitam ,
Et ſimul herbarum ſuccos paſtumque requirens ,
Stercore conſimili depreſſa gravabitur alvus .
Ærumnoſa diu volvetur talibus ætas ,
Donec præſcriptum ponant tibi ſæcula finem,
Et compacta luto ſolvantur tempore membra.
Limo formatus rurſus redigeris in arvum.
Ante tamen proprium nati præcurrere letum
Conſpicies , pœnaſque tuas in prole videbis ,
Ut metuenda magis cernatur mortis imago;
Peccaſſe agnoſcas quid ſit , quid mortua fieri ,
Quidve mori. Ac ne quid deſit tibi forte malorum ,
Quæ caſtigandis corruptus parturit orbis,
Acrior immenſo miſcebitur ira dolori .
Nam cum prima tibi producent tempora natos ,
Livor edax arto certabit limite mundi :
Nec jam ſufficiet vacuus qua tenditur orbis ,
Totaque germanis ſtringetur terra duobus.
Alter in alterius conſurget funera frater ,
Telluremque novam cognato ſanguine tinget .
Exin poſteritas, varios paſſura labores,
Caſibus in multis mortalia debita pendet,
Dum veterem ductus diſſolvat terminus orbem ,
Occidat omne vigens, finiſque redarguat orta.
Audierat , motumque dedit conterrita tellus .
His pater exactis hædorum pellibus ambos
Induit , & ſancta paradiſi ab ſede rejecit.
Tunc terris cecidere ſimul , mundumque vacantem
Intrant , & celeri perluſtrant omnia curſu.
Germinibus quanquam variis , & gramine picta ,
Et virides campos , fonteſque & flumina monſtrans ,
Illis fœda tamen ſpecies mundana putatur
Poſt, paradiſe, tuam, totum cernentibus horret ,
Utque hominum mos eſt , plus quod ceſſavit amatur .
Anguſtatur humus , ſtrictumque gementibus orbem
Terrarum finis non cernitur, & tamen inſtat.
Squalet & ipſe dies , cauſantur ſole ſub ipſo
Subductam lucem, cælo ſuſpenſa remoto
Aſtra gemunt , tactuſque prius vix cernitur axis.
Tunc inter curas permixti felle doloris ,
Affectus ſenſere novos , & pectora pulſans
Nondum compertas prorumpit fletus in undas ,
Attentiſque genis injuſſus defluit humor .
Haud aliter vivax deceptus mole caduca
Spiritus , impleto venit cum terminus ævo,
Poſt obitum peccata dolet: tum quicquid iniquum
Geſſerit ad mentem revocat , tum pœnitet omnis
Errorum lapſus , ſemet quos judice damnat :
Et ſi præteritæ reddatur copia vitæ,
Sponte ferat quoſcumque dabunt mandata labores .
Sanctus namque refert de quodam divite Lucas,
Quem nimio luxu diſſolvens vita fovebat .
Ipſe coturnatus gemmis , & fulgidus auro ,
Serica bis coctis mutabat tegmina blattis.
Inde ut bacchantem ſuaſiſſent tempora menſam,
Currebant epulæ , totus quas porrigit orbis.
Cumque peregrinus frugem miſiſſet acervus,
Fervebat priſcum cryſtallo algente Falernum .
Uvida quin etiam miſcebant cinnama thuri ,
Et ſuffita domus pingui fragrabat amomo.
Quod pelagus, quod terra creat, quod flumina gignunt ,
Certatim menſis cedentibus undique laſſus
Portabat pallens auri cum faſce miniſter.
Languidus ante fores pauper tunc forte jacebat
Divitis , obſtrictis reſoluto corpore membris ,
Et ſupplex poſcebat opem , non munera captans ,

Reliquias tantum ſed ſi quas copia jecit ,
Has tunc opperiens alvus jejuna rogabat .
Sed proclamanti dives non addidit aurem ,
Nullaque languentem pietas reſpexit egenum .
Nec quæ completis cecidere ſuperflua menſis ,
Pauperis ad victum quiſquam dedit . inſuper ægri
Deſpicitur facies , & putria vulneris horrent .
Cumque canes miti perlambant ulcera lingua ,
Blandior & feſſo feritas medicabilis adſit .
Sola hominum neſcit mens ſemper dura moveri .
Hæc ſed diverſa penitus dum ſorte geruntur ,
Impendens obitus pariter pulſavit utrumque ,
Divite prævento , nunquam qui credidit iſtud .
Pauper ad optatam longo vix tempore mortem
Poſt venit , & victor morbos artuſque relinquit .
Ille quidem , celſa qui dudum floruit arce ,
Fletibus ad tumulum ſtipato funere fertur ,
Auratoque datur conditus membra ſepulcro ,
Et pretioſa tegunt elatum lintea marmor .
Spiritus abſtruſo ſed mox demiſſus averno
Incidit æternas per ſæva incendia pœnas .
E quarum medio ſublimi in ſede locatum
Haud procul , (hoc certe cenſetur , nam procul inde ,
Ut docet eventus ,) finibus conſpexit ovantem
Abrahæ juſti mutatum in paupere vultum ,
Nec ejus ſimilem , quem dudum luce receptum ,
Quarto forte die vix quiſquam largus humandi ,
Ne cito diſperſum naturæ lege cadaver
Dira frequentatæ contagia mitteret urbi ,
Obtectum laceris tenui velamine pannis ,
Naribus adſtrictis nuda tellure locavit .
Angelicis manibus tunc in ſublime levatus ,
Jam dives , jam ſanus erat : contraque ſuperbi ,
Qui congeſta tenens opibus diffluxerat amplis ,
Arida ſic flammis mendicant guttura guttas .
O pater , electas animas qui ſede beatæ
Colligis , & meritis diſpenſas præmia juſtis ,
Hæc ego non mereor : ſed ſaltem deprecor unum ,
Lazarus ut miſſus veniat digitoque levatum
Adferat huc labris ardentibus inde liquorem ,
Quique refrigerio , ſi non extinxerit omnes ,
Ad tempus ſaltem tantos vel mitiget æſtus ,
Donec feſſa brevi reſpirent membra quiete .
Taliter immixto lacrymis ſtridore rogantem
Magnanimus tandem compellat ſic Patriarcha .
Deſine jam feras in caſſum fundere voces ,
Et vacuas miſcere preces . haud talia dudum
Dicta dabas , foribus cum te prandente jaceret
Ipſe ignotus , egens , æger, jejunus , inanis ;
Cum tua non caperet congeſtos menſa paratus ,
Pauperis atque tuas non iret clamor ad aures .
Quapropter tandem , librato examine veri ,
Præteritæ vitæ ſortem dependit uterque ,
Permutatque vices , & te jam ſufficit amplis
Exundaſſe bonis : lætetur fine malorum
Qui doluit cœptis . non eſt jam terminus ultra .
Inſuper horrendo cingit qui tramite limes ,
Et chaos objectum lato diſtinguit hiatu ,
Non ſinit abjunctas miſceri fœdere partes ,
Acceſſumque negat , ſic vobis ſemper , ut iſtis .
Ille gemens vanum repetita voce precatur .
Si nil poſt obitum prodeſt commiſſa fateri ,
Nec tua mutatur fixis ſententia verbis ,
Hoc concede mihi , nulla quod lege vetatur .
Fratres quinque modo diſcedens luce reliqui :
His peto mittatur qui vivos corrigat , ante
In tormenta cadant quam talia carne ſoluti.
Nam quamvis duro perſiſtant corde rebelles ,
Si tamen obſtructa quiſquam de morte rediret ,
Credent experto , pœnaſque intrare timebunt .
Ille quidem poſcens effectum non capit ullum ,
Nos autem , dum vita manet , dum luce vigemus ,
Olim defuncti perterret nuntius Adam.

Dum locus eſt flendi, dum non injuſta petuntur,
Nec obturatis pulſatur janua ferris.
Novimus en cuncti, quid primus planxerit ille,
Qui pulſus priſca neſcivit ſede reverti.
Namque obitum quendam caſu tum pertulit ipſo,
Perdita ne precibus lacrymiſve reduceret ullis.
Ex tunc paulatim retro ſublapſa referri
Vita prior, cœpitque malis laxata poteſtas.
Tum triſtes morbi, & varii ſubiere dolores,
Et corrupta ſatis dira pinguedine tellus
Letali quædam ſuffudit germina ſucco.
Inde truces ſævire feræ, dudumque timentes
Excitat ad pugnam tum primum conſcia virtus,
Reddit & armatas unguis, dens, ungula, cornu.
Ipſa etiam leges ruperunt tunc elementa,
Et violare fidem mortalibus omnia certant.
Inflatur ventis pelagus, volvuntur & undæ,
Exciturſque novum turgeſcit pontus in æſtum.
Tunc primum tectis tetra caligine cælis,
Ingratos hominum caſtigatura labores,
Grandineos pavidis fuderunt nubila nimbos,
Atque polus diſcors invidit germina terris.
Quin magis ipſa ſibi tellus adverſa negavit,
Seminis excepti vertens mentita nitorem.
Hæc gemini primum ſenſerunt tunc protoplaſti.
Poſteritas nam quanta ferat diſpendia rerum,
Non, cui vel centum linguæ, vel ferrea vox eſt,
Enumerare queat: nec ſi quem Mantua miſit,
Mæoniuſve canant diverſa voce poetæ.
Quis tales referat motus? quis denique fando
Evolvat totos qui volvunt ſæcula fluctus?
Arma fremunt, crebra quatitur formidine mundus,
Funditur irriguus ſanguis, majorque ſititur.
Quid dicam celſas præclaris cœtibus urbes
In deſerta dari? populos populante ruina
Diſpergi, & lacerum vacuari partibus orbem?
Servitio ſubdi dominos, famuloſque viciſſim
Præferri dominis, & belli ſorte perire,
Sors generis claro quondam quos ſanguine miſit?
At ſi forte brevi requieſcant tempore bella,
Legibus armatas furere in certamina lites,
Jus anceps pugnare foro, quo jurgia fratrum
Non levius votis feriunt, quam prælia telis?
Sed quis vota notet, clament cum facta nocentum?
Quis fraudes & furta gemat gaudente rapina?
Quiſve minora fleat? ſtringi nec maxima poſſunt.
Inde minora tamen, ſi ſummis juncta notentur:
Nam per ſe nullum facinus ſub judice parvum eſt.
Nec refert cunctas percurri carmine cauſas:
Hoc parvo ſermone loquar. poſt damna priorum
Nil ſupereſſe mali, quod non vel perpetret orbis,
Vel toleret, plenus ſcelerum, pariterque laborum,
In caſu diſcrimen habens, & crimen in actu.
Sed tu, Chriſte potens, cui ſemper parere promptum eſt,
Tu figulus maſſam potis es reparare caducam.
Et confracta diu reſolutaque fingere vaſa.
Qui dudum multo latitantem pulvere drachmam
Invenis accenſis verbi virtute lucernis.
Linquentem caulas, turpique errore vagantem,
Paſtor ovem celeri dignatus quærere greſſu,
Subvehis, utque ſuo gaudens reddatur ovili,
Sarcina fit quæ cura fuit. Sic filius ille
Junior, exhauſtos poſtquam diſperſit acervos,
Vitaque conſumpto mutata eſt prodiga cenſu,
Turpia porcorum digne convivia ſectans,
Optavit ſiliquis compleri vilibus alvum:
Donec ſæva fames longo diſcrimine victum
Cogeret offenſo tandem ſe reddere patri,
Confeſſumque reum laxato crimine ſolvi.
Denique proſtratum mitis pater allevat ultro,
Et trepidum blanda ſolatur voce pudorem.
Ornatus reduci veſtis dat prima ſecundos,
Lætaque ſollennis celebrat convivia cœtus,

Quod rediviva ſuis quodam de funere proles
Surgat, & orbato redeant nova lumina patri.
At tu, præpollens hominum rerumque creator,
Quanquam cuncta velis fidæ conſtare ſaluti,
Nulla tamen pateris noſtræ diſpendia mortis,
Nec quoquam pereunte tuis contingere damnum
Divitiis poterit. neſcis decreſcere, neſcis
Augeri, & pleno perſtat tibi gloria regno.
Sed famulis tu redde tuis quod perdidit Adam:
Quodque tulit primum vitiatæ ſtirpis origo,
Ortu reſtituat melior jam vita ſecundo.
Sorduerit nimium lacero circumdata peplo
Forma vetus, ſciſſam ponens cum crimine veſtem,
Pallia prima pater redeunti porrige proli.
Seminecem quondam miſerans qui forte repertum
Projectumque via, quem ſævi cæde latrones
Impoſitis cuncto ſpoliarant tegmine plagis,
Sed tu, ſancte, viam ſumpto dum corpore curris,
Invenis alliſum, nec præteris: inſuper ægrum
Jumento carnis propriæ ſub tecta reportas.
Nos fuimus quondam rabido data præda furori
Sed ſi nunc medico percurat vulnera fotu
Gratia producens oleum, ſapientia vinum,
Commendet ſtabulo Samaritidis extera cura,
Pelletur validus medicato corpore languor.
Suſcipe, qui non vis moriendi creſcere cauſas,
Quos confeſſa tibi gemitus pia pectora fundunt,
Ut quondam tecum, paſſæ ſub tempore carnis,
Proximus immani dependens ſtipite prædo,
Quem non culpa tibi ſimilem ſed pœna tenebat:
Ille tamen nexus membris, nec corde ligato,
Et ſi confixas clavis extendere palmas
Non potuit, liber mentem cum voce tetendit.
Sicque reus ſcelerum dum digna piacula pendit,
Martyrium de morte rapit. cui ſine ſagaci
Maxima cura fuit tales non perdere pœnas,
Præripuit ſcandens aditum, cœloque levandus
Ardua ſublimi tenuit compendia ſaltu.
Porrige ſic nobis celſam, pater inclyte, dextram.
Nos quoque perpetuæ conquirat vita ſaluti,
Atque profanati deceptis fraude latronis,
Ceu tibi compaſſo miſerans ſuccurre latroni.
Livida quos hoſtis paradiſo depulit ira,
Fortior antiquæ reddat tua gratia ſedi.

ALCIMI AVITI EPISCOPI VIENNENSIS

POEMATUM LIBER QUARTUS.

De Diluvio Mundi.

INfectum *quondam vitiis concordibus orbem,*
Legitimumque nefas laxata morte piatum
Diluvio repetam: ſed non quo fabula mendax
Victuros lapides mundum ſparſiſſe per amplum
Deucaliona refert, durum genus unde reſumpti
Deſcendant homines, cunctiſque laboribus apti
Saxea per duram monſtrent primordia mentem.
Sed veri compos, fluctus nunc proſequar illos,
Per quos immiſſus rebus vix pene creatis
Lactentem velox prævenit terminus orbem.
Extulerat mortale genus crudelibus auſis
Ingentes animos: licitum quod cuique liberet
Credidit, & propria valuit pro lege voluntas.
Jus adeo nullum, ſic nil diſtare putatum
Faſque nefaſque inter, recti cuſtodia nuſquam,

Non judex, non teſtis erat, non denique rector,
Arbiter aut morum, vel qui ſuaderet honeſtum,
Sed princeps ſibi quiſque fuit virtute nocendi,
Nec meritis ſed mole potens, qui fortior eſſet
Hic melior ſibimet, ſed ſe cenſore, placebat.
Sic hominum vitam brutorum more tenebat
Motibus addictus mens inclinata ferinis.
Sanguine potus erat, cæſorum viſcera paſſim
Indomitis laceras præbebant faucibus eſcas.
Inſuper & quadrupes, propria qui morte necatur,
Sævior aut certe quem vincens beſtia cepit,
Paſtus erat, quem nulla fides, lex nulla vetabat.
Ut vero pecorum ritu permiſſa voluptas,
Et diffuſa palam ruptis laſcivia frænis,
Luxuriæque forum, atque obſceni nundina mundi
Ferveret, caſto fas non eſt dicere cantu.
Talibus ac tantis hominum gens improba geſtis
Silveſtres animos, naturæ fœdere rupto,
Induerat, pulſaque ſimul ratione furebat,
Et deſerta jacens domini cæleſtis imago
Omne decus mentis turpi dejecerat actu.
Haud ſecus ac pulchri cum fertilis area campi,
Quam ſucciſa dedit purgato robore ſylva,
Dum colitur, juſto paret fæcunda labori,
Subjicitur raſtris, reſpondet frugibus, ac ſe
Servat compoſito ruralis gratia vultu.
Agricola oblitus ſi brachia forte remiſit,
Laxavitque manus, feſſoque quievit aratro,
Pigreſcit primum durato ceſpite tellus,
Mox rudibus ramis atque aſpera palmite crebro
Diſciplinatos diſſueſcit promere fructus,
Effundit frutices varios, ſylvamque minatur:
Quam ſi nec fera ſucciſor falce repurget,
Non jam virgultis, ſed denſo ſtipite lucus
Texitur, & ſteriles diffundit in aera frondes:
Donec concluſa ramis currentibus umbra,
Mox opportunæ depulſo ſole tenebræ
Jam ſecura feras invitent credere luſtra.
Taliter humani generis, non ordine recto,
Perdita mandatæ jam poſt primordia legis,
In pravum labens paulatim vita tetendit,
Proficiens pejore via, conſtantior ipſo
Jam paribus ſtudiis nutriti criminis uſu.
Et tamen auctorem vitii, culpæque magiſtrum,
Doctior errorum, lapſuque peritior omni,
Succiduæ prolis creſcens audacia vicit.
Ut fluvius parva primum diffuſus ab urna,
Perſpicuum leni promit cum gurgite fontem,
Tramite quem ſummo facili tranſmittere ſaltu
Quiſque poteſt, mox irriguo deductus ab ortu
Viribus augetur ſubitis, ripaſque retrorſum
Pellens, creſcentes tendit per plana liquores,
Occupat & ſpatium, pereuntique imminet arvo,
Tum circumfuſos vicinis vallibus amnes
Sorbet præteriens, externaſque incipit undas
Augmento finire ſuo, mixtaſque ſub uno
Nomine, conraſis diffuſo gurgite terris,
Cum trabibus, ſtabuliſque boum, luſtriſque ferarum,
Sævior acceſſu, longoque furore potitus,
Tandem deſiſtens pelagi tranſportat in undas.
Hos inter motus, ſimiliſque ad turbinis inſtar,
Humanum vitiis ibat genus: & tamen ipſa
Longior inſanas mentes diſſolverat ætas.
Centenos novies crebro cum duceret annos
Vita tenax, tanto ſuſpenſi tempore leti
Nullus terror erat. ſors ſi quem fera tuliſſet,
Ceu qui nec natus fuerit, nunquamque levandus
Morte putabatur. ſic cunctis nulla futuri
Spes inerat, ſoluſque ſibi fundaverat omnem
Senſibus in cæcis periturus mundus amorem.
Tempore quin etiam peccatrix terra ſub ipſo
Nutribat ſævos immania monſtra gigantes.
Nec tamen effari licitrm quo ſemine cretos.

Com-

Communem cunctis ortum de matre ferebant,
Qui genus, unde patres, prohibent arcana fateri.
Si ſpeciem quæras, humani corporis illis
Plus vultus, quam forma fuit: ſic linea membris
Conveniens hominem monſtrabat, diſſona molem.
Quam propter deinceps commentis Græcia fictis
Dedecus infandum maſſis informibus auxit,
Et portentoſis deſcripſit corpora membris:
Pube tenus quod forma viris, cum corporis ima
Supplerent vaſti mixto pro crure dracones.
Artus ſemihominum patulis qui faucibus atri
Ferrent, & verſo præberent vertice greſſus.
Tunc etiam ſolitos, juſſo terrore tonanti,
Blaſphemis cælo convitia mittere plantis,
Mordaceſque pedes motu fremuiſſe veneni.
His ſimiles mendax Phlegræi fabula belli
Excuſſas finxit jeciſſe per aera rupes,
Pro telis ſpatioſa manus quod turbine montes
Sparſerit, & miſſis cælum quaſſaverit arvis.
Hæc ſunt priſcorum quæ de terrore gigantum
Carmine mentito Graii cecinere poetæ.
Et tamen audaci voluit contendere pugna
Quiſque rebellis erat. qui cum confligere telis
Non potuit, ſævis concepit prælia votis.
Montibus impoſitos fas non eſt credere montes,
Hoc tamen & deinceps illos tentaſſe putabo.
Qui coctos lateres, lentoque bitumine junctos,
In ſublime rati manibus ſic poſſe ſuperbis
Suſtolli, & celſas in ſidere ſurgere moles:
Cum fureret mortale genus, caſſoque labore
Irrita tranſcenſis cementa inferret in altum
Nubibus, & refugum ſequeretur machina cælum,
Non prius abſiſtens, ſubitas diſcordia linguas
Quam daret, & varius confunderet omnia ſermo.
Hinc ſparſum fœdus, ſciſſa ſic lege loquendi
Conſenſum ſcelerum turbata ſuperbia rupit,
Dum ſe quiſque ſuis, poſſit quæ noſcere, verbis
Aggregat, atque novas ſequitur gens quæque loquelas.
Sic interruptæ perierunt culmina maſſæ,
Effectuque carens ceſſavit in æthere turris.
Hæc poſt diluvium. Nam quantas quæ tempore priſco
Preſſa gigantæas tellus produxerit arces,
Atque laceſſitis contemptum immiſerit aſtris,
Abſtergente Deo ſat noſtra ſilentia damnant.
Cernebat patiens jam dudum inſana frementes
Terrarum populos hominum rerumque creator,
Expectans ſi quem vani conſortia mundi
Liquentem melior moneat reſipiſcere cura.
Sed conjuratus poſtquam percurrere cœptum
Perditionis iter ſtatuit, ſenſumque per omnem
Obtinuit victor peccati inſignia mundus,
Nec revocare gradum quiſquam, greſſumque referre
Præcipiti jam mente poteſt, exhorruit auctor,
Pœnituitque videns totum quod fecerit orbem.
Tum tales tonuiſſe minas commotus ab alto
Fertur, & excitas laxaſſe his vocibus iras.
O nullis adtracta bonis, nulliſque repreſſa
Legibus. antiquo tantum ſubmiſſa draconi,
Effera gens hominum, ducto corruptior ævo.
Non Evam cecidiſſe ſat eſt, tranſcenditur omni
Inventor leti lapſu: nec ſufficit illud,
Vicit inexpertum quod ſerpens priſtinus Adam.
Non contenta ſuo fœdari vita parente,
Affectat mortem propria virtute mereri.
Expectaſſe diu non profuit. inſuper omne
Conceſſum veniæ rapuerunt crimina tempus.
Jam nimium longas patientia preſſerit iras,
Vindictæ jam tempus adeſt. Non fulmina cælo
Flammeus ardor aget: vaſto nec cedet hiatu
Quæ premitur nimio ſuccumbens terra tumultu:
Sed ſordens vitiis fluctu delebitur orbis.
Ad chaos antiquum ſpecies mundana recurrat,
Inque ſuas redeant undarum pondera ſedes.

Arida decedat lymphis, rurſuſque ſepultas
Terrarum ſpecies informis contegat humor.
Hæc clades vivis, carnique hic terminus eſto.
Sic pater æternus diſponens funera rerum,
Diluvium dextra terras vibrabat in omnes.
Interea pleno vivebat juſtus in orbe
Unus homo, & mentem ſolus ſervabat honeſtam.
Nullus vota Deo donis precibuſque ferebat
Hunc præter, dignum quem ſummus laude creator
Noſſet, & exceptum vitæ ſervare pararet.
Stemmatis hic ſancti: nam claro nobilis ibat
A proavo, quem priſca fides & conſcia virtus
In cælum ſine morte tulit: ſic celſa petenti
Succeſſit magno non impar pronepos actu.
Nec plus eſt illum ſalvi cum corporis uſu
Terrenas liquiſſe domos, intraſſe ſupernas.
Denique quo priſcus quondam conſcenderat Enoch,
Elias curru poſt tempora longa ſecutus,
Scribitur ignitis ſcandens penetraſſe quadrigis,
Cum ſuſpenſa leves tranſmitteret orbita ventos,
Ungula vel premeret calcatas pondere nubes.
Vallatumque ferens ſanctum non ureret ignis,
Et motus ſervans neſciret flamma calorem.
Hos igitur ſatis eſt cælum potuiſſe mereri
Membrorum ſub lege ſitos: ſed non tamen illud
Segnius admirer, ſancti quod tempora Noe
Unius ob meritum, natis nuribuſque tuendis
Orbis in exitio potuerunt ferre ſalutem,
Eſt ille in cælis, numero præſtantior omni,
Angelicus ſine fine chorus, qui laude perenni
Conclamat celebratque Deum, famulantia ſuetus
Ferre miniſteria, & juſſis parere ſupernis.
Hi nunc quod rectum mortalia corda precantur,
Concipitur dignis ſacro quod pectore votis,
Quicquid larga manus collectis ſparget egenis,
Excipiunt, ſanctoque ferunt ſuper aſtra volatu.
Quin etiam juſtos, fragilis dum vita fatigat,
Tutantur, mundique inter diſcrimina ſervant.
Sed tamen in cunctis præcellit clarior ille,
Maxima quæque Dei quo diſpenſante miniſtro
Res geritur, ſummiſque parat myſteria cauſis.
Hic dominum cæli venturum corpore ſumpto
Virginis intactam juſſus prædixit in alvum,
Sacraque dotali complevit viſcera verbo,
Hic & Baptiſtæ præcurrens nuntius ortum,
Deſperata diu dum ferret germina patri,
Inter ſacra virum conterruit, & dubitantes,
Protinus ingrato reſtrinxit in ore loquelas,
Donec prædicto fœcundam redderet ortu
Prolis anum, multo ſterilis quæ tenta per annos;
Fudit diffidens effœta puerpera fœtum.
Hic rerum ſolers ſummuſque Archangelus, alto
Aerea per liquidum, levibus circundatus auris,
Vibrataſque movens ignito in corpore pennas,
Nulli conſpectus ad terram motibus ibat.
Et tum forte gemens cunctorum crimina Noe
Inflexis ſtratus genibus, cum ſupplice planctu
Mundanis veniam mundo nolente petebat.
Cum ſubito clauſis foribus tunc aliger intrat
Conſpicuus, claro reſplendens nuntius ore.
Horreſcit viſu tanto perterritus heros,
Mortaliſque oculus perſonam ferre ſupernam
Vix valet, & pavidi detorquet lumina vultus.
Ille ſalutiferis primum mulcere timentem
Aggrediens verbis, cæli mandata ferebat.
Pax tibi, juſte virum, pacem tibi miſſus ab alto
Imprecor, ut pulſo capias mea dicta pavore.
Hæc mandat ſummus terræ pelagique creator.
Inſperata quidem cunctis ſententia leti
Imminet. hanc ſolus ſed qui tranſire mereris,
Et præſcire potes. Nam te calcata voluptas
Jampridem rectum toto diſcrevit ab orbe.
Unica ſed quoniam ſævum depellere ictum

Vita tibi poterit, tantos evadere caſus
Qualiter incipias, paucis ex ordine fabor.
Finis erit rerum, permiſſis undique lymphis,
Atque relaxata vaſtabitur orbis abyſſo.
Nunc age, congeſtis creſcat fortiſſima lignis
Machina, quæ ſurgens fluctus ſuperenatet omnes.
Ter centum cubitos per longum ducta tenebit,
Bis quinis late claudetur, biſque vicenis.
In triginta illi conſtabit culminis altum.
Per medium per ter longo cœnacula tracta
Edita ſuſpenſis domibus tabulata levabunt:
Ut generis proprii ſervans conſortia manſor
Componat parcis diſperſa cubilia cellis.
Tum ne rimoſi compagum forte meatus
Accipiant inimicum imbrem, linire memento
Juncturas laterum, pigrumque infunde bitumen.
Taliter affectam cum conſummaveris ædem,
Protinus ingredere, ac mundum dimitte cadentem:
Excluſit quem culpa frequens, includere vita
Incipiat, circumque fremant te ſoſpite mortes.
Quinetiam lateris ſociam ſuccedere tecto,
Et cum conjugibus natos intrare jubeto.
Tuque ſecundus eris deleti germinis auctor,
Ut te poſt primum repleatur terra parente.
Sed quia perfecto divinis viribus orbe,
Poſt operis finem, poſt leges, poſtque ſacrata
Sabbata, formari quicquam non convenit ultra:
Ne penitus ceſſans intercidat omne creatum,
Spirantum e cunctis pecorum, celerumque volucrum,
Silvarumque feris, & quæ jumenta vocantur,
Vel quæ per tacitos reptant labentia motus,
Bina cape, & tecum clauſtro victura reconde.
Sic tamen ut proprios teneant ſua vincula ſexus,
Unde genus rurſum tellus implenda reſumat.
Ne timeas ne forte feros animantia motus
Servent, aut ſubitis præſumant rictibus iras.
Fœdus erit totis, quæ diſcordantia profert
Per varios natura modos, & pace fideli
Parebit juſſis quicquid concluſeris illic.
Serpentis tantum ſemper figmenta caveto.
Vertice ſubmiſſo blandum licet ille triſulcis
Finxerit abſcondens per dulcia ſibilla linguis
Immortale odium, nunquam tu credulus illi,
Quem nimis expertus vitandum præmonet Adam.
Hoſtis namque ſemel voluit quicumque nocere,
Hic ſemper ſuſpectus erit, penituſque cavendum eſt,
Ne jam mentito conjungat fœdera prudens.
Tu poſt exemplum juſſis ſervire memento.
Hæc fatus, vacuum levibus ſecat aera pennis,
Mortalem fugiens aciem, cæloque relatus
Heroem trepidum mandata lege reliquit.
Ipſe tamen tali manibus cum voce levatis,
Quiſquis, ait, nobis tantam ſpondere ſalutem,
Seu miſſus, ſeu ſponte tua, ſuper æthere celſo
Veniſti, & placidum ſacraſti fœdere pactum,
Sis fautor, firmentque tuas promiſſa loquelas,
Auxiliumque tuum conatibus inſere noſtris,
Ut tenuis tantam valeat manus edere molem.
His breviter dictis, vitæ ſpem corde reponit,
Aggrediturque celer ſacri præcepta laboris.
Quis tantos capiat ſenſus? quis denique ſermo
Explicet, advectis fuerit quæ copia lignis?
Nudati colles, ſpoliatæ robore ſilvæ,
Mons ut quiſque fuit, famulo placuere paratu.
Pelion immenſas cum mittat vertice quercus,
Inſuper exponit multa virtute reciſum
Oſſa nemus, Pindoque abies ſubducitur alta.
Atlas ipſe novas ictu reſonante ſecures
Senſit, & annoſas dedit ad navalia pinus.
Invictum tunc ſurgit opus, contexta levatur
Porrectis trabibus praecelſi culminis ædes.
Hæc inter, diſcors varii ſententia vulgi.
Nam multi lymphis obſtacula tanta parantem

Irriſere virum, moles quod clauſa moveri
Fluminibuſque dari nequeat, quam forte vel ampli
Euphrates Niluſque queant vix claudere ripis.
Humani generis quid mens incredula reris
Mortalem non poſſe manum conjungere ponto
Ædem longinquam? pontus namque obvius ultro
Curret, & adductum tangent ſtans fabrica litus.
Aſt alios celſam compacto robore maſſam,
Ignaros quanquam cladis, cauſæque latentis,
Mirari novitas & formidare coegit.
Haud aliter ſtudium jam tunc diviſerat omnes,
Quam nunc mundus agit. Sunt qui compuncta fideli
Corda dicant operi, rebuſque inſtare ſupremum
Diſcrimen norunt, corpus quo concidat omne,
Bacchatamque diu conſumant ſæcula carnem.
Effugiet tunc ille malum, quicumque paratus
Conſtruat ut validam præduri tegminis arcam,
Per lignum vitale crucis ſervatus ab undis,
Tunc cernet quanto contempſerit otia fructu.
Haud procul attentum contemplans hunc operantem,
Nonne piger quiſquam lucri, tædenſque laboris,
Inſanire putet, cura quod ſolus inani
Æſtuet, & rebus nolit pereuntibus uti?
Sic epulans parcum, ſic largum quiſquis avarus,
Sic nudum raptor, ſic caſtum ridet adulter,
Sic circumſcribens illuſo ſimplice gaudet.
Sic ſapuiſſe dolet dives, cum congregat aurum,
Spargentem nummos, ultroque in paupere cenſu
Conſumptis opibus miſerum ratus eſſe beatum.
Inde repentinum judex cum cerneret orbi
Adventare diem, finis ſic protinus, inquit,
Imminet, ut juſti quondam ſub tempore Noe,
Diluvium varios mundi cum repperit actus,
Et carnem conſumpſit aquis, opifexque ſalutis
Evaſit parto diffuſa pericula clauſtro.
Hæc evangelicis ſunt inclamata figuris.
Providus interea conſummat conditor arcam.
Tunc juſſæ accurrunt volucres, tunc beſtia quæque,
Conſuetum linquens ſilvoſo tegmine luſtrum,
Depoſita feritate venit, ſeſeque tenendam
Ingerit occurrens, & libertate relicta
Includi gaudet, tantum decreta futuri
Vis valet. occultus brutis in ſenſibus ardet
Terror, & expectans agitat formidine vitam.
Aſt homines, quo ſors certi diſcriminis urget,
Vicina nec morte pavent, ſatis undique conſtat
Vitali indicio præcedere ſæpe timorem.
Securos lætoſque reos tellure Gomorræ
Jam prope ſub flammis ſententia dicta videbat.
Ninivæ contra populis terrore ſalubri
Prævaluit pro pace metus. Nam venerat illuc
Juſſus, multum ille & terris jactatus & alto,
Qui clamaturus tantæ diſcrimina plebi
Diluvium timuit mundo conſtante propheta.
Hauſerat hunc valido pervadens bellua rictu,
Immerſumque mari ventris concluſerat arca.
Deglutire virum, fauceſque implere capaces,
Ardenti monſtro cum ſit permiſſa poteſtas,
Non licuit mordere tamen, nil dentibus actum.
Intravit cupidum deludens præda vorantem,
Invaſuſque cibus jejuna vixit in alvo,
Dum tres luce dies una ſub nocte prophetæ
Sol ageret, lituſque novum vacuanda viderent,
Et caſtigatum vomerent ergaſtula paſtum.
Ut monſtro exutus vates, cælumque recepit
Contingens terras, magnam tunc percitus urbem
Terribili cum voce petens, quid criminis, inquit,
Ardetis flammis? reſtringent omnia pœnæ.
Jamque venit finis, lentum eſt hoc dicere, venit.
Non plus fatus erat, totus conjurat in omne
Lamentum populus: procurrunt undique fletus,
Pectora tunduntur, cælum ſuſpiria pulſant.
Mollibus abjectis Cilicum dant tegmina ſetæ,

Inque cibos cinerem, lacrymaſque in pocula fundunt.
Ipſe etiam, dignus tali qui tempore princeps
Ante aciem flentum portet vexilla ſalutis,
Atque novum dictu metuens diſcrimina vincat,
Projicit hinc ſceptrum, linquit ſublime tribunal,
Pallia blattarum ſpreto diſſibulat auro,
Serica deſpiciens, atque aſpera tegmina ſumens.
Ac pius ex alto contemplans talia rector
Exertas revocat ſedatis motibus iras,
Vibratumque tenens reſtinxit miſſile fulmen,
Temporibus propriis juſtus ſic conditor arcæ
Securo ſolus timuiſſe pericula mundo
Gaudebit, finem cunctis, ſibi ferre ſalutem,
Diverſam cernens meriti diſcrimine ſortem.
Ergo ubi ſilveſtres ſexu collegit utroque
Incluſitque feras, pecudum tunc eligit illa
Sumere, quæ licitum eſt mandi, vel munda vocantur,
Hinc tantum ſeptena dedit viventia clauſtro,
Ut ternis paribus ſervato ſemine ſalvis,
Septima quæ fuerint ſacris quandoque litentur.
Et jam vitalis concluſerat omnia carcer.
Tunc juſtum, cunctoſque ſuos, natoſque, nuruſque,
Accipit expectans clauſtrum, vitaque reponit.
Nam ſervos nondum dederat natura vocari,
Nec dominos famulis diſcernere noverat ordo.
Primus enim maculam ſervili nomine ſenſit
Hujus natorum medius, qui forte cachinno
Diſtectum petiit miſero ſpectamine patrem,
Materiamque ſui riſit deformior ortus,
Et plus jam turpis nudato ſimplice nequam.
Quod poſtquam ſanctus potuit cognoſcere Noe,
Natum germanis famulum dedit. inde repertum
Tale jugum. cuncti nam ſemine naſcimur uno.
Servitii certe cauſam feciſſe reatus
Cernitur, & liber peccans fit crimine ſervus:
Si rurſum nexu famulus ſtringatur honeſti,
Natales faciens ſibimet, jam nobilis hic eſt.
Nuntius interea, dudum qui miſſus ab alto
Detulerat juſto cæleſtis munera verbi,
Protinus ut clauſum vidit, rebuſque paratis
Expectare diem, rurſus deſcendere cælo
Feſtinans, laxos firmavit cardine poſtes,
Incluſitque viros, atque oſtia fortia traxit,
Confeſtimque levans ſupero ſe retulit axi.
Ævo ſexcentos ſenior tranſcenderat annos,
Lunaque bis plenos addebat menſtrua curſus,
Septimus & decimus qui poſt illuxerat orbi,
Ultimus ille dies jam nunc dabit omnia leto.
Ilicet obtegitur cælum, nimiiſque tenebris
Victa repelluntur fuſcati lumina ſolis.
Inſanas hominum mentes vix tangere terror
Cœperat, inſuetus mox profluit æthere nimbus,
Et valido primum ſimilis demittitur imbri
Arida terrarum pariter madere per orbem,
Una fuit toto facies & nubila cælo.
Ægyptus tunc ipſa novas expavit ad undas,
Alſit & infuſus Garamas, dudumque calentes
Humida Maſſylas tetigerunt frigora Syrtes.
Nec longum pluviæ ſpecies, non denique guttæ
Stillant, ſed rupta funduntur flumina cælo.
Non aliter Tanais, nivibus cum paſcitur albis,
Riphæo de monte ruens illiditur amni,
Præcipitatque ſimul longo quod tramite ducit.
Undarum tali quatitur certamine tellus,
Fitque lacus inſtar compreſſus fluctibus aer.
Nec tamen hic lymphas tantum fudere ſuperna,
Terreſtres etiam mundus conſurgit in iras.
Rumpitur omne ſolum, crebros dant arva meatus,
Proſiliunt fontes, ignataque flumina manant.
Vergitur in ſurſum mutato pondere nimbus,
Inde cadens cælis, hinc terris undique ſurgens,
Occurrit mox unda ſibi, junctoque furore
Conjurant elementa neci. tranſcenditur omnis

Riparum limes fluviis, atque obice rupta
Sævit laxatis diſcurrens humor habenis.
Sed cum diffuſæ ſpatium concludere terræ
Omnia certarent, mundumque implere capacem,
Suſpendi forſan potuit ſententia leti,
Atque mora majore trahi, quo tardius omnem
Concedens ſpatium rapiat ſors ultima carnem:
Oceanus vertex rerum ni fervidus uno
Litore, quo tantum terras atque æquora cingit
Exiret, rumpenſque fidem perfunderet arva.
Diſſipat æternas leges, & ſede relicta
Regna aliena petens naturæ fœdera turbat.
Ut diros primum pelagi ſenſere furores
Illuſtres fluvii, magnos quos inclyta curſu
Fama refert, motuſque novos ſtupuere parumper,
Ut credas ſapuiſſe fugam, ſic verſa retrorſum
Per terras ſpargunt ſublata volumine ponto.
Inſequitur tamen Oceanus, refugiſque fluentis
Imminet, & ſalſis impellit molibus amnes.
Tunc major ſtrepitu tanto mortalibus ægris
Fit metus, aſcendunt turres, & celſa domorum
Culmina, præſentemque juvat vel tempore parvo
Sic differre necem. multos dum ſcandere tentant
Creſcens unda trahit, quoſdam montana petentes
Conſequitur, letoque fugam deprendit inanem.
Aſt alii longo jactantes membra natatu,
Defeſſi exſpirant animas, aut pondere nimbi
Obruta flumineas commixta per æquora lymphas
In quocumque bibunt morientia corpora monte.
Ædibus impulſis alii periere ruina,
Inque undas venere ſimul dominique domuſque.
It fragor in cælum ſonitu collectus ab omni,
Quadrupedumque greges humana in morte cadentum
Augent confuſos permixta voce tumultus.
Hæc inter miſeri ferventia funera mundi,
Prægravis inſanis pulſatur motibus arca,
Compageſque tremunt, ſtridens junctura laborat.
Non tamen obſtructam penetrat vis improba, quanquam
Verberet, & ſolidam fluctu feriente fatiget.
Non aliter crebras Eccleſia vera procellas
Suſtinet, & ſævis ſic nunc vexatur ab undis.
Hinc gentilis agit tumidos ſine more furores,
Hinc Judæa fremit, rabidoque illiditur ore,
Provocat inde furens hereſum veſana charybdis:
Turgida Grajorum ſapientia philoſophorum,
Inter ſe tumidos gaudet committere fluctus.
Obloquiis vanos ſufflant mendacia ventos,
Sed clauſam vacuo pulſant impune latratu.
Jam medium creſcens Arcæ contexerat unda,
Commovitque cavam ſuſpendens undique molem.
Et melius tutam facili portante natatu,
Quoque vocant undæ, ſequitur jam mobile pondus.
Cedamus mundo, dum ducimur: omne reſiſtens,
Si flecti neſcit, metuat vel pondere frangi.
Sed ſi cedamus, fluxum ne ſentiat intus,
Peccatumve trahat mens impenetrabilis ullum.
Navigat interea clauſtro commiſſus eunti
Fons vitæ, ſervatque furens ſuper omnia pontus
Orbis depoſitum, fido quod tegmine promat,
Cum pax terrarum reddi ſibi debita poſcet.
Ergo ibant undæ, tellus ſubducitur omnis,
Collibus impoſitæ vicerunt ædita lymphæ.
Delituit tellus ponto tum pinifer Othris.
Parnaſſi vertex cautem non protulit altam,
Ipſa cupreſſiferi latuerunt ſaxa Lyeai,
Subducta rupes, æquatæ fluctibus Alpes,
Omnibus excluſis totus jam denique mundus
Axis & unda fuit. Nam cunctis morte ſubactis
Regnabantque pelagi ſilvoſo in gurgite monſtra.
Et jam vicinum pulſabant humida cælum,
Jamque quater denis manabat noctibus imber,
Compleratque necem, nec jam quod tolleret ultra
Mors habuit, preſſitque natantia funera pontus.

Frænantur tandem pluviæ, reſplenduit æther,
Redditur, & cœlis vultus. Sol ipſe reductus,
Sed non inventis qucis reddat lumina terris,
Tantum luxit aquis. triſtis videt æquora fulgor;
Quamque breves radios admotas frangit in undas,
Tam conſumendis fervens ac proximus inſtat.
Nec minus & patuli terræ clauduntur hiatus,
Quæque prius vomuit letali ex ore fluenta,
Obicibus propriis conſtricta reſorbet abyſſus.
Nec tamen ut venit, breviter ſic unda recedit:
Siccant non pauci longo ſed tempore menſes,
Quod pauci fudere dies. jam ducta natatu
Armeniæ celſis inſtabat montibus arca,
Et nondum nudis fundo conſedit in arvis.
Ut ſtabilem ſenſit ſenior, motuque carentem,
Nec fluitare natans ventoſa per æquora lignum,
Credidit abductis nitiſſe liquoribus orbem.
Tunc reſerat ſummam ſublimi a fronte feneſtram,
Emiſſa reſluos exploret ut alite fluctus.
Illa volans longo diverberat aera plauſu,
Atque quatit vacuas pennarum motibus auras,
Cumque diu feſſis undas perſtringeret alis,
Nec locus optatam requiem concederet ullus,
Conſuetum repetit proſpecto ex æquore clauſtrum.
Exceptam ſenior manibus tunc colligit intus,
Advertens nullas patuiſſe per humida terras.
Interea magna pontus ſe mole movendo
In chaos antiquum linquens mundana redibat.
Excelſi tandem proferre cacumina primum
Incipiunt, poſt quos tenues crebreſcere montes.
At vero ut pelagus cinxerunt litora priſcum,
Oceanuſque ſacer, notas collectus in oras,
Contentus ſolito labentia flumina tractu
Sorbuit, & cunctis diſtinxit fræna fluentis,
Torrenteſque ſuæ clauſerunt undique foſſæ,
Libera ſubductis nituerunt arida lymphis.
Tunc interpoſito producens tempore corvum,
Scire cupit ſenior, vacuumque interrogat orbem.
Ales ut extenſis nitidum petit aera pennis,
Aſpiciens plenis ſtipata cadavera terris,
Carnibus incumbens, & mox oblita reverti,
Rectorem placidum communi in ſede reliquit.
Sic neſcis, Judæe, fidem ſervare magiſtro,
Sic carnem dimiſſus amas, ſic gratia nunquam
Cuſtodi vitæ dominoque rependitur ulla.
Mente vaga ſic laxus abis, ſic fœdera legis
Rupiſti, & primum violaſti, perfide, pactum.
Temporis ut ſpatio ſenior collegit inertem
Jam potuiſſe ſatis corvum ſe reddere clauſtris,
Ignarus tardi reditus, cauſæque morandi,
Ne fors innexis feſſum conſumpſerit alis,
Junxerit & cunctis pereuntibus unda recurrens;
Protinus albentem mittit de ſede columbam.
Illa memor juſſi rapido petit arva volatu,
Paciferæque videns ramum viridantis olivæ,
Decerpit, mitique refert ad condita roſtro.
Tali legatus firmavit fœdera ſimplex
Indicio, purumque pius ſic comperit orbem.
Integer emenſum vertebat circinus annum,
Quo felix clauſtrum ſpirantia cuncta tenebat:
Tum pater ablatis obducta repagula ferris
Pandit, & incluſis defunctum reddere ſolem
Incipit, effato redeant ut ſemina mundo.
Ante tamen Juſtus jubeat quam ſparſa vagari,
Singula de ſeptem, quæ dudum claudere munda
Curavit, natis pariter, nuribuſque vocatis,
Ceſpite conſtructa diſponens immolat ara,
Accendens ſanctos his primum altaribus ignes.
Plurima dum magnis adolentur corpora flammis,
Et numeroſa levat præpinguem victima fumum:
Suavis odor lætum tetigit trans æthera cœlum,
Primaque purgati ſuſcepta eſt hoſtia mundi.
Tunc igni permixta ſacro vox intonat iſta.

Hactenus infectus contagia traxerit orbis,
Sufficiat regnaſſe nefas, mundata lavando
Perpetuo niteat tellus, vultuſque reductos
Contineant elementa ſuos: haud amplius ullis
Perturbata malis moles mundana fatiſcat.
Vos quoque, quos leti ſalvavit tempore vita,
Intactoſque tenens caſu defendit ab omni,
Ducite ſecurum ſervatis legibus ævum:
Voſque caput generis fœcundo ſemine prolem
Spargite, diffuſum late quæ compleat orbem,
Deletum inſtauret numerum, dominetur & orbi.
Fertile quinetiam reddent animantia germen,
Quod tamen inflexum famulabitur ordine priſco.
Inſuper & terris ex hoc jam non erit ultra
Diluvium regnans, carnem quod conterat omnem.
Unum quod fuerit, ſigno monſtrabitur uno.
Nec ſimilem repetita necem peccata videbunt:
Et ſi crimen erit, terror non deforet alter.
Sic unum genitor jurans baptiſma ſacrabat,
Ut ſemel ablutum lymphis purgantibus orbem,
Sic ſperare reos lavacrum non poſſe ſecundum.
Vix tribus exactis cæli jam partibus ibat
Pronus in occaſum radius, cum forte remotam
Axe ſub Eoo juſſus contingere nubem,
Protulit excuſſum madefacto ex aere ſignum,
Arcus & emicuit, quæ nunc Thaumantida Grajo,
Irim Romuleo vocitant ſermone poetæ.
Pendulus obliquum ſolem cum ſenſerit humor,
Ancipites vario mittit ſplendore colores:
Nec numerare queas, ſic mixtos lumine viſus
Illudunt dubii diverſis vultibus orbes,
Sapphiruſque virens, maculoſus, cærulus, albus,
Purpureum de nube trahit, de ſole coruſcum,
De cælo nitidum, de terra ſumit & atrum,
Et tamen abjunctis quæ conſtant hæc elementis,
Sic diverſa putes, ut concordantia cernas.
Hanc formam ſigno trepidis mortalibus arcus
Præſtitit eſſe Deus, promittens nube ſerenum,
Nullaque jam terris debere pericula cælum.
Nunc quicumque cupis veram ſervare ſalutem,
Illud ſuſpicies ſignum, quod ſigna figurant.
Namque dator vitæ præmiſit talia Chriſtus,
Et geminata dedit ſubſtantia ſalvatorem.
In terris ſumptæ nitida de virgine carni
Naturalis ineſt patrio de germine fulgor:
Et medius quidam mediator in æthere celſo
Munere multimodo varius, ſed fulgidus omni,
Vitalem monſtrat ſacrati pignoris arcum.
Iſtum corde vide, quiſquis baptiſmate lotus
Ad cælum liber culpis pereuntibus exis.
Nam legis forma vos, inquit Apoſtolus, iſta
Salvabit lavacrum, priſci cum tempore Noe
Concluſas lignis animas deſcriberet octo.
Comparat ille datum, tu ſervans dilige donum,
Hoc votis precibuſque gerens, hoc fletibus optans,
Ne redeant peccata tibi, ne merſa leventur,
Mortua ne ſurgant, ne debellata rebellent,
Ne poſt ablutum valeant diſcrimina crimen,
Et flammam timeas, quia jam non ſuppetit unda.

ALCI.

ALCIMI AVITI EPISCOPI VIENNENSIS

POEMATUM LIBER QUINTUS.

De tranſitu maris rubri.

HActenus in terris undas patuiſſe canenti,
Terram inter fluctus aperit nunc carminis ordo.
Illic diluvium quos perderet ante petivit,
Nunc ad diluvium pleno ſuccenſa furore
Sponte ſua current perituræ millia gentis.
Si non ut dignum tanti præconia facti
Eloquium captent, divina in laude voluntas
Sufficit, & famulo monſtrari munere votum.
Quod ſi quis nequeat verbis perſolvere grates,
Non minimum virtutis habet vel credere geſtis,
Signa per electos quæ perrexere priores.
In quibus excellit longe præſtantius illud,
Quod pelago geſtum rubro celeberrima perfert
Scriptorum ſeries, in cujus pondere ſacro
Cauſarum mage pignus erat, pulchramque relatu
Pulchrior exſuperat præmiſſa forma ſalutis,
Hiſtoriis quæ magna ſatis, majorque figuris,
Conceptam gravido peperit de tegmine vitam.
Suſtinuit duros externa in ſede labores,
Dum Peluſiacæ ſerviret ſubdita genti,
Plebs oppreſſa diu: denſi quam pondere cœni,
Et laterum numeris, operis menſura diurni
Afflictam ſævi vexabat fraude tyranni.
Inviſam ſibimet frendens qui creſcere turbam,
Augeri doluit famulos. Nam juſſerat ut lux
Vidiſſet quoſcumque mares, mox docta necaret
Omnis anus, natumque premat ſollertia ſexum.
Sed tamen averſæ fugerunt talia matres,
Atque interdictos detrectant perdere fœtus,
Perſiſtente Deo plebem diffundere ſanctam:
Quoque magis mens cæca trahit crudelia vota,
Hoc plus accreſcunt teneræ primordia gentis.
Viderat interea genitor de ſede ſuperna,
Afflictamque manum placido proſpexerat ore:
Jam ſacer innocuas dederat de fomite flammas,
Et rubus in rubeo viridis permanſerat æſtu:
Quo ſigno ſpinas noſtræ ferveſcere mentis,
Et lucere pio qui non conſumeret igne,
Devotus noſſet ſanctis in cordibus ardor.
Ilicet electi vates mandata ferebant,
Depromit regi cum primus talia Moſes:
Servitii longo laſſatam pondere plebem,
Oppreſſos cophinis humeros, attritaque colla,
Quaſque opus aſſiduum fecit dureſcere palmas.
Laxandi jam tempus adeſt: dimitte precantes
Tandem cæleſti domino perſolvere vota,
Et complere datos patrio moderamine ritus.
Ille fremens inquit, quæ tanti cauſa tumultus,
Quiſve novus populum Deus exigit omine miſſo?
Scilicet hæ vacuæ tangunt cæleſtia curæ,
Ut dominus dominis famulos nunc tollere priſcos
Vellet, & ad tumidos mittat mandata rebelles.
Quis Deus iſte foret, cui me parere neceſſe eſt?
Aut ſceptris celſo quid formidabile regi?
Sed veſtras nimium ſeducunt otia mentes:
Et niſi laxatos requies conceſſa foveret,
Nulla ſupervacuis tererentur tempora verbis.
Quæ ſi caſtigans reſtringet ſarcina major,
Illicitus vetitum conari deſinet auſus.
At vos ſignifero qui talia vota ducatu

Inſtruitis, vano & plebem ſubvertitis ore,
Conſpectus vitate meos, vultumque cavete.
Ditem namque Pharon, vel pollentiſſime curſus
Teſtor, Nile, tuos, & divæ vocis Anubem
Cum rabidus latrat, Jam non impune futurum,
Si noſtrum rurſus repetant hæc dicta tribunal.
Virgam forte manu geſtabat legifer heros,
Quo baculo nitens greſſum dum dextra regebat,
Excutit hanc valido projectam cominus ictu.
Tum mirum dictu, commotum ſerpere lignum,
Non inſenſibiles ceu promit palmite ramos
Vita movens tantum quos præſtat creſcere fructus:
Sed flexu reptans, mutati & corporis uſu
Senſum animamque gerens, cæpit decurrere virga,
Mox anguem formata refert. conterritus hæſit,
Æternumque niger tum palluit ore tyrannus.
Sed ne confuſum tali ſuccumbere ſigno
Cerneret aſſiſtens vultu nutante ſatelles;
Diſſimulat ſummo rem geſtam credere juſſu,
Nec divina volens, hominum ſed facta putari,
Tum mandat quoſcumque magos, vel carmina doctos,
Illicitam diris tentantes fraudibus artem
Ægypti, longinqua darent baſtilia, cogens
Murmure funereo faciat monſtrata miniſter,
Undique tunc juſſi concurrunt, & medicatas
Armant quique ſuas noto medicamine virgas,
Dant jactæ vanas ſpecies, angueſque putati
Illuſos terrent oculos fallente figura.
Nec longum tumuere magi: conſumitur omne
Quod feciſſe rati. fictos namque arte dracones
Primus adhuc mordax abſorbuit ore cераſta.
Poſtquam virtutis clauſit ſpectacula Moſes,
Victoriſque tenens caudam tellure levavit,
Decedit ſerpens ligno, vultuſque recedit,
Diriguere vagi durato corpore flexus,
Quid multis? fit virga prior, qua deinde ſacerdos
Plurima ſucciduo monſtravit tempore ſigna,
Hinc dirum frendens Pharaonis conſcius ardor,
Divinæ incipiens per cuncta reſiſtere dextræ,
Et quæ cognoſcens, nolens tamen ipſe fateri,
Protinus expulſos juſſit diſcedere vates.
Illi divinas pulſant cum fletibus aures,
Ut fremitus gentis tandem frænetur iniquæ,
Quam gravius ſævam monitus fecere ſuperni,
Ipſis quinetiam cæleſtibus arma minantem.
Tum pater, accipiens gemitus lacrymaſque precantum,
Taliter hortatu blando ſolatur amaros.
Ne tantum vacuo ſubmittite corda timori,
Plebs mea, quam toto mundi de corpore ſumptam
Elegi, & propria ſolam mihi ſorte dicavi.
Jam nunc cernetis quanto primordia veſtra
Proſequar auxilio, ſævos ac perſequar hoſtes.
Ducam ſublimem portenta per omnia dextram;
Nec volet in paucis Pharius rex cedere ſignis,
Longius ut duram vincant miracula mentem.
Poſt hæc laxatos quin & diſcedere coget,
Expelletque ſolo: quod nunc negat, ingeret ultro.
Ibitis ad magnas poſt fortia prælia ſedes,
Quo vocat expectans præfertilis ubere terra,
Et claras victis condetis gentibus urbes.
Vos modo promiſſis tantum confidite donis,
Et quos depoſcent ingentia facta labores,
Læta ferat virtus, ſeſeque ad proſpera ſervet.
Talibus auditis melior ſpes accipit illos.
Attollunt animos, palmaſque ad ſidera tendunt,
Concipiuntque fidem votis, grateſque rependunt.
Poſtera lux dubios primum præmiſerat ortus,
Et ſucceſſorem depulſa nocte ferebat
Inſiſtens aurora diem: tum flumina ſanguis
Imbuit, & ſubito maduerunt arva cruore,
Sed non hoc minimis portentum contigit undis;
Fluviorum rex ipſe rubet, nec lumine priſco
Nilus agit proprium quem ſumpſit fonte nitorem.

Quin magis, averſo ne tangat priſtina limo,
Sanguis in externum certans manare canalem,
Carnoſus non carnis erat, nec corpore fuſus,
Aut ſtrages quæ multa ſimul, quo vulnere poſſit
Lympharum damnum proprio ſupplere cruore.
Naribus obſtructis preſſi, victoque natatu,
Interiere ſimul peregrini in gurgite craſſo,
Auxeruntque ſuo ſaniem de funere piſces.
Et fortaſſe rear cladis mortiſque futuræ
Sanguinis indicio jam præceſſiſſe ruinam,
Hoc ipſum ni pœna foret. Nam ſcilicet omne
Ægypti ſpatium, vel quo patet ampla Canopus,
Mox inter pingues ſitiens defecerat undas,
Si non omnipotens celerem ſuper arva medelam
Spargeret, & nitidos revocaret vallibus amnes.
Tum vero ut requiem peſtis ſubducta reduxit,
Effertur rurſus dilata morte tyrannus,
Et vix evaſum contemnens mente flagellum,
Innocuam flagris perſiſtit ſubdere gentem.
At quid per cunctam ſtylus æſtuet ire ſuperbi
Perfidiam, cæſi numerans perjuria regni?
Sed tamen extorquent varium mendacia monſtrum,
Undaque vicino vix dum purgata cruore,
Ranarum fœdis texit cantatibus urbes.
Complentur cellæ, ſtrati penetralia, menſæ,
Suſtinet innumeros regalis purpura ſaltus,
Atque premens homines frendet ſuccumbere ranis,
Quarum mox cumulis flamma tonitruque ſubactis,
Congeſtiſque, ſonans muſcarum nubis ad auras
Exiit, infectum corrumpens aera flatu.
Illic quas ſcinifes vocitant, quantoſque volatus
Pendula committunt levibus corpuſcula ventis,
Pennarumque vices peragunt ſtridentibus alis?
Fundunt ſe pariter, turbataque mœnia complent.
Et licet immerſis defigant vulnera roſtris,
Plus horror quam pœna movet. ſed tollit & iſtam
Ventus agens, ceſſat laxata moleſtia paulum
Confeſtim ceſſante metu, nec longius ira
Sentitur quam plaga calet. Sed peſte remota
Succedunt aliæ gravius. conſumitur omne
Jumentum, cunctoſque greges nox abſtulit una.
Nec tantum damnoſa reos portenta fatigant:
Vertitur ad carnem quæ ſuſcitat ira dolores.
Inſidunt penitus turgentia vulnera membris,
Et ſacer incubuit percuſſis artubus ignis,
Creditur hic etiam caſu contingere languor:
Sed morbus mentis diſcrimina corporis urget,
Præterit ille dies: tum demum luce ſecuta
Concutitur cælum tonitru, nubeſque coactæ
Terribili ſplendore micant: ferit omnia fulgur
Fulmina agens, totas uno ſub tempore mortes
Æthere turbato terris elementa minantur.
Ignibus inſeritur prægrandis corpore grando,
Non ut nube ſolet terris nimboſæ venire:
Sed quocumque cadens ut deprimat, atque ruinam
Pondere vel ſolo faciat. conjungitur ergo
Grandineum flammis ferventibus aere frigus,
Et natura neci ſervans adſignat utrumque.
Hic primus ſtragem ſparſis dat mortibus imber:
Exin reſtantem ſurgit conſumere fructum
Bruchus, & excuſſo confidens crure locuſta.
Hoc ſed docta malis, & jam diſcrimine crebro
Tanquam lene ſatis calloſa ſuperbia duxit.
Inſequitur velox gravius quæ vindicet ira.
Cæcas mane novo ſurgens ſol ſparſerat umbras,
Et lætus jubaris ſplendebat fronte ſereni,
Cum ſurgens mediam nubes ſe porrigit atra,
Naſcentemque diem depulſo lumine claudit.
In molem nox denſa coit, perit obrutus aer,
Palpanteſque manus denſas ſenſere tenebras,
Atque repercuſſus vexatur anhelitus æger:
Et ſi ſopitos flando quis ſuſcitet ignes,
Aut flammas excire velit, compreſſa necantur

Lumina, nec vibrant reſtricti pondere motus:
Quo quemcumque loco tenebroſus repperit horror,
Continuit, vidit nullum, nec viſus ab ullo eſt.
Squalentes pariter viventia millia credas
Infernas intraſſe domos, aut forte revulſa
Obice terrarum patriam ſordentis abyſſi
Migraſſe in ſuperos, ac mundum luce fugata
Sub leges miſiſſe ſuas. tres perdidit iſta
Nocte dies, digne pendens perjuria tellus
Iſthæc damna tulit. nam cetera fulgidus orbis
Continet, & ſolitos diſtinguunt tempora curſus.
Moſes interea lacrymas, jejunia, vota
Continuat, precibuſque frequens ac pervigil inſtat,
Majoris natu fultus ſolamine fratris.
Inſtruit hos ſacris ſimul, informatque creator
Myſtica ſolennem qua pandat victima ritum.
Cernitis ut multa deſudans clade reatum
Ægyptus contrita gemat ſatis undique tacta,
Sed tamen immota perſtans cervice rebellis?
Nec portanda diu præcedunt iſta ruinam.
Ægrotat quodcumque tumet, nec ſana ſuperbo
Cauſa ſubeſt, junctum monſtrat mens turgida letum.
Unus adhuc reſtat qui vindicet omnia luctus,
Poſtque novem decima percellat cæde merentes.
Vos modo perpetuos ſacrorum diſcite mores,
Cultibus & propriis manſura lege tenete.
Menſibus in cunctis, orbis quos circinat anni,
Iſte caput princepſque foret, quem nomine belli
Gentiles vocitant, vos tantum dicite primum:
Lunaque bis ſeptem cum fecerit addita noctes,
Veſpere tum ſero dabitis primordia ſacris.
Sumite manſuetum perfecti temporis agnum,
Qui careat macula, & purum det corpore vellus.
Hoc animal feſtis mactabitis. hujus utrumque
Signabit ſanguis nitido de corpore poſtem.
Hoc dabit indicium ſervandæ cura ſalutis,
Cum percuſſor aget tacitam ſine vulnere cædem,
Perſpiciet ſacro limen maduiſſe cruore,
Hoc tantum tranſire volens diſtantia talis
Cuſtodit veſtras ſparſis a mortibus ædes.
Sic nos, Chriſte, tuum ſalvet ſuper omnia ſignum
Frontibus impoſitum: ſic ſanguis denique ſanctus,
Tunc præmonſtrati dudum qui funditur agni,
Oribus inſuſus poſtes luſtraſſe tuorum
Inter labentis ferventia funera mundi
Credatur, caſuque tuos diſcernat ab omni.
Dum non ſignatos percurrit funere mucro,
Tu cognoſce tuam ſalvanda in plebe figuram.
Ut quocumque loco ſanctus mactabitur agnus,
Atque cibo ſanctum porrexerit hoſtia corpus
Rite ſacrum celebret vitæ promiſſa ſequentis.
Fermento nequam duplici de corde revulſo,
Sincerum nitidæ conſpergant azyma mentes.
Finierat rector leges & fœdera feſti
Paſchalis mandare viris, quod protinus omnes
Arripuere ſimul. peragunt convivia læti,
Solenniſque novo cultu diſponitur eſus,
Tranſeat ad ſeros quæ condita forma nepotes.
Nox erat, & mediam carpebant cuncta quietem,
Umbraque libratas jamjam diviſerat horas:
Ecce venit tacito per dira ſilentia motu
Angelus ex erto miſſus qui ſæviat enſe:
Nec confuſa datur ſubiti ſententia leti,
Omne malum ſed forte cadit, longeque videtur,
Quem petat in tenebris præfixi funeris ordo:
Majores natu pereunt, ſolique leguntur
Ad mortem primos luci quos edidit ortus.
Cum dominis famuli pereunt, natique potentum
Permixta cum plebe cadunt, ſic vilis, ut ille
Quem celſi tenuit morientem purpura fulcri.
Hæc nuda tellure jacent, hæc ſerica velant,
Diſparibus ſtratis ſternuntur corpora leto.
Non quemquam mors æqua timet, non excipit ullos

In vivis tantum qui diſcernuntur honores.
Pauperis ad fletum nulla pietate movetur,
Ditibus ut pareat nullo corrumpitur auro.
Ægrotum ſanus, longævum junior ante
Migrat. huic ſoli debet confidere nemo.
Hoc tantum tamen eſt ſibimet quo mortua diſtent.
Vivant ut meritis qui complent tempora ſorte.
Hæc nunquam penitus morti licet auferat, & ſi
Jure poteſtatis lutea compage creatum,
Semine mortali genitum, terræque reductum,
Juſtorum in factis leto nil creditur ulli.
Ergo ut percuſſas ſoboles confuſa repente
Aula videt, currunt flentes ad funera matres,
Pectora contundunt pugnis, crineſque revellunt
Unguibus, & nigras feſtinant ſcindere malas.
Nec dominos planxere diu, mox occupat omnes
Luctus quemque ſuus, ſonat unus in æthere clamor
Non uno ex fletu. confundit voce tumultum
Nulla vacans a morte domus. tum lumine multo
Omni curatur populorum funus in urbe.
Judicium juſtum cogit mœrere merentes.
Et dum quis proprio ſervat lamenta dolori,
Exequias tardant luctus, inhumataque turba
Dilata jacuit tantiſper ſorte ſepulcri:
Et niſi jam tandem vacuos & honore carentes
Vel nuda tellure locet, vel concremet igni,
Vix collecta manus quæ tantos clauderet urna.
Tum regem circum commoto murmure ſiſtit
Mœſta cohors, humiles depromens voce querelas.
Heus nimium noſtris adverſa potentia rebus
Hebræi populi, toties cui vindice dextra
Militat omne malum, totus cui denique mundus
Pugnat, & irato ſuccedunt proſpera cælo.
Vix quædam ſecreta Dei, majorque poteſtas
Hæc in ſceptra furit, gentemque ulciſcitur ipſam
Urbis jactura. ſolos pereuntia ſalvant
Victores elementa ſuos, redimuntque cadendo.
En jacet Ægyptus, nec jam reparabilis ultra.
Atque utinam pœnas vivis; damnumque per arva
Ferret adhuc divina manus, nec funere tanto
Deceptam ſubita vacuaſſet cæde Canopum:
Tandem parce ſolo, cauſaſque expelle ruinæ,
Dum levior ſtrages, dum quiſquam luce tenetur,
Dum ſupereſt qui terna premat, qui limite trudat,
Et ne quem, ſi forte velint ex corde morari,
Non ſinat ejecto depellens hoſpite cladem,
Permoveat noſter natorum funere luctus,
Permoveat te forte tuus: vel pauca ſuperſtent
Pignora, quæ tantos tergant ſervata dolores,
Et detruncatæ reparent diſpendia gentis.
His dictis lacrymas populus dedit. ipſe ſuperbus
Frangitur ad fletum princeps, victumque fatetur.
Hæc perturbata ſed dum tractantur in aula,
Hebræi vatum ſtudio, monitiſque ſupernis,
Optima quæque ſacris fingunt, epuliſque requirunt,
Vaſaque ſolennes quæ poſcunt plurima cultus.
Ornamenta etiam, veſteſque, monilia, gemmas,
Ut reddenda petunt, nec tardus commodat hoſpes,
Ditat & ignorans trepidam manus æmula plebem.
Quæ jam digna tuis pandantur laudibus ora,
Summe pater: qui tam ſævo ſic uteris hoſte?
Annuit adverſus, largitur munera nolens,
Quæ ſecum dimiſſa ferant: nec ſolvere tantum
Sufficit oppreſſos, opibus ditantur euntes,
Theſauroſque novos libertas reddita ſumit.
Inter ferventes inimica in ſede furores
Prædatur dominum fugiens, fallitque videntem,
Præſentem vacuat, ne tam diſcedere pulſos
Quam lætos migraſſe putes. portantur avari
Sic Pharaonis opes: quem tunc mercede ſoluta
Servitii longum credas taxaſſe laborem.
Nonnunquam rectis & quæ contraria proſunt,
Et quæ læva malus voluit, mutata recurrunt,

In dextram vertente Deo, ſoloſque nocentes
Vis odii perimens meditata in vulnera ducit,
Et partos fratri laqueos incurrere cogit.
Egreſſi interea trepido de rege miniſtri
Compellunt celare fugam, coguntque volentes,
Præcipitant alacres, & feſtinantibus inſtant,
Pellendaſque putant pulſa cum gente ruinas.
Jam prope centenum compleverat advena luſtrum
In regnis Ægypte tuis, ex tempore quondam
Quo priſcus Patriarcha Jacob perduxerat illuc
Bis ſena cum prole domum, caroſque nepotes,
Quo per fœcundum creverunt millia patrem.
Procedit tandem populus, moxque agmine juncto
Diram linquit humum tenebris ac luctibus orbam.
Nam vicina dies nondum produxerat ortus,
Hæc nox feſta Deo redeuntibus annua ſacris
Hæc gentis ſolennis erit, qua ſolvitur hoſte.
Primo conſpicuus fulgebat in ordine ductor
Legifer, adjuncto præcedens agmina fratre.
Poſt quos belligeræ diſponunt arma cohortes,
Ducunt & validas inſtructo robore turmas.
Arma ferunt humeris, enſes per ſingula lævo
Dependent lateri, preſſo tum vertice caſſis
Fulget, & albenti certat lux ferrea lunæ.
Nituntur jaculis alii, clypeoſque ſiniſtris
Volvunt, & rapido meditantur bella rotatu.
Gaudet pars etiam pharetris, volucreſque ſagittas
Hoſtis in occurſum mittendis mortibus aptat.
Aut ſi forte virum fugentia terga ſequatur,
Ut pennata leves tranſmittant ſpicula ventos.
Incedit pavidum poſtrema per agmina vulgus,
Non impar numero, cælum cum pingitur aſtris,
Æſtuat aut motus pelagi criſpantibus undis,
Littore vel quantas convertit fluctus arenas,
Vel quantis ſtillant humentia nubila guttis.
Mirantur Pharii Satrapæ, nec credere tantum
Se potuiſſe vident: placet ejeciſſe tot hoſtes.
Sed non hac acie duri ſalvabere ferri.
Quamlibet innumeris peditum ſtipere catervis,
Unus pugnabit cunctis pro millibus auctor.
At populus lento moderatus tramite greſſum
Arreptum carpebat iter, præcedere tantum
Aggreſſis ducibus, quantum vel tarda ſenectus
Vel rudibus reptans infantia ſuſtinet annis.
Ne præmaturis fragilem contriſtet eundo
Ætatem ſexumque labor. Sic cuncta ſupernus
Diſpenſat nutus, plebique aſſiſtit ovanti.
Ergo ubi ſignatis ſederunt millia caſtris,
Armatuſque pedes vulgus vallavit inerme,
Veſpere tum primo ſtanti adſimulata columnæ
Inſiſtens puro reſplenduit æthere flamma:
Non tamen ut noto dirum micat ignis in axe,
Prodita cum terris cæli portenta minantur,
Seu morbis triſtem, belliſque aut cladibus annum:
Sed radiis fulgens, & lumine candida læto,
Oſtendit nitidum caſtris mirantibus ignem.
Diffugiunt tenebræ, vicinaque ſidera cedunt.
Obſtupuere viri primum, perterruit omnes,
Incuſſitque metum novitas, tum luminis uſus
Paulatim cæleſte jubar commendat amori.
Maxima nocturnas jam pars exegerat horas,
Et volvenda dies inſtabat ſorte propinqua:
Cunctorum ante oculos per cælum viſa moveri,
Arripuitque viam populo ſpectante columna.
Protinus hanc patres ſancti ſenſere ſequendam,
Eſſe ducemque ducum: læti mox præſule tanta
Abrupere moras, caſtris excedere certam.
Tunc ut quæque tribus primum ſortita laborem
Ordine carpit iter, ſequitur cum cetera pubes.
Hæc inter clarum rediens lux pandit olympum,
Flammea palleſcit conſpecto ſole columna.
Vertitur in nubem totus qui fulſerat ignis,
Sed ſpecies perſtat tenſæ ſuper æthera formæ.

Tertia nocturnos deterſerat hora liquores,
Et matutinas ſcandens ſol vicerat umbras:
Ecce novum dictu, cælo ſervata ſereno
Frigida ferventi juſſa eſt opponere nubes
Se radio, denſumque parat tenuiſſima tegmen.
Sic circumjectis, tellus queis ardet Eoa,
Æſtibus ignorat genuinum turba calorem,
Veſperis ut credas leni reſpergere flatu,
Blanda vel humentes diffundere frigora ventos.
Nec tamen hanc nubem tetro ſuffuſa colore
Forma dabat, nec concreto ſic horrida vultu,
Ut terrent validos cum promunt nubila nimbos:
Sed qualis madidus ſolem cum viderit arcus,
Tanta fuit pulchræ ſpecies extenta columnæ.
Noctibus ignis erat, lumenque accenſa ferebat,
Cum ſol torreret; gelidi dabat humida roris.
Has alternantem ducens cum tempore ſortem
Mutavit natura vices, ſubſtantia diſcors
Muneribus propriis concordem reddidit uſum.
Si manſit, manſere viri: ſi mota, ſecuti.
Si multis etiam viſa eſt pendere diebus.
Subdita defixo tardabant agmina vallo.
Iſta quaterdenis pietas percrebuit annis,
Dum vaſtos eremi curris, Judæa, receſſus,
Vincla pedum firmante via, dum tempore tanto
Non attrita ſuum ſervarent tegmina pondus,
Mollitieque nova priſci durantur amictus.
Sic longæva foret, quod non damnoſa vetuſtas.
Dum ſacram populo victum candentia manna
Ferrent, & cæli frugem terrena viderent.
Per quam ſublimis prædiceret ante figura
Edendum ex utero purum ſine ſemine corpus,
Quo caperet paſcenda ſalus de ſede ſuperna
Illabente Deo ſanctis altaribus eſcas.
Hoc ſigno ſummus percuſſa rupe ſacerdos
Protulit irriguos populis ſitientibus hauſtus.
Chriſtum namque vides ſtabilem conſiſtere petram,
Percuſſus jaculo largas qui præbuit undas,
Porrexitque ſuis ſacro de vulnere potum.
Hebræi interea læti ducente columna
Per terras greſſu, per cælum viſibus ibant.
Ecce iterum Phariis inſedit mentibus ira,
Et populus ſine more ferox his vocibus armat,
Tandem poſtremos vicina morte furores.
O nimium ſtultis illudens mentibus error,
Præſtigiæque ſatis nebuloſa in fraude peractæ.
Nonne pudet famulam nullo certamine gentem
Sic impune rapi, quod nemine præſule tantus
Deſeruit vacuas diſcedens accola terras?
Rura vacant, captis deſiſtunt oppida muris.
Non ſolitum conſurgit opus, non cultor in agris
Exercet validos attrito dente ligones.
Turbidus exactor ſiluit, nulloque tumultu
Fervida conſuetos repetunt ſuſpendia cenſus.
Quin potius ſumptis exercitus irruat armis,
Imbellemque manum, profugoſque reducat alumnos.
Quos ſi ſervilis tantum ſuccenderit auſus,
Ut telis certare velint, mox occidat omnis
Confuſa cum plebe manus: ferventibus armis
Permixtæ pereant confoſſo pectore matres,
Uberibus junctos configant ſpicula natos.
Prolem quiſque ſuam cernens ante ora cadentem,
Oblatis optet jugulis ſuccurrere mortem.
Orbatum noſtros faciat libare dolores
Ultima ſors populum: ſic vivens omnia perdat,
Tum pereat. denſa campi ſub ſtrage jacentes
Triſti committant inhumata cadavera cælo.
Inde ubi jam totos ſatiaverit enſe furores,
Theſauros revocet fugientes dextera victrix.
Talibus excitas acuebant flatibus iras,
Irridente Deo, ſolus qui deſpicit omnem
Conatum rigido meditantem vana timore,
Conſiliumque ducum caſſato diſſipat actu.

Ergo bella rogant, fervens rapit arma juventus,
Spumantes ducuntur equi, phaleriſque potentes
Suſpendunt alacres ſplendentia fræna jugales.
Pugnax pompa nitet, ſubjectos curribus axes
Aurato temone trahunt: tum cetera pubes
Induitur chalybe, aut fulvo circumdatur ære.
Hi loricarum vaſto ſub tegmine gaudent,
Intexit creber ſibimet quas circulus hærens,
Atque catenoſi crepitant per corpora panni.
Aſt aliis tenui concurrens lamina ferro,
Qua ſe ſucciduas junctim ſcandente per oras
Flectitur, adſuti crates compacta metalli
Horrentes habitus diverſa fecerat arte.
Et tamen ardentum cuncta inter tela virorum
Terribilis plus forma fuit, quis namque furentes
Spectet, quos lætos vix poſſit cernere vultus?
Incluſæ galeis facies, & ferrea veſtis
Cinxerat iratas armorum luce tenebras.
Progreditur collecta manus: rex ipſe frementes
Curru cogit equos: telis tamen undique ſeptus
Delituit, denſam reddunt haſtilia ſilvam.
Concutitur pulſata rotis & pondere tellus,
Anguſtavit humum latam ſtipata juventus,
Concluſitque vias. quicquid virtutis habere
Ægyptus potuit, totum mors proxima ducit.
Junxerat interea, ponto qua Magdalus inſtat,
Hebræus populus rubranti caſtra profundo,
Evaſos credens ſecuris mentibus hoſtes.
Dum reſident, fixoque parant requieſcere vallo:
Cernunt pulvereas in cælum ſurgere nubes.
Cunctatis primum mox agmina ſæva pateſcunt,
Non tamen infenſas patitur committere partes
Sole ſub occiduo vicinus prælia veſper.
Diſtulit in lucem vallatus bella tyrannus,
Et fors ardentes nondum compeſceret iras,
Nec ſervare furor potuiſſet fœdera nocti,
Auroramque velit motis præcedere ſignis,
Flammea ni retro ſubſiſtens forte columna
Objectu medio gentes diſcerneret ambas.
Contemplans rex ipſe tamen mirabile lumen,
Sic ignem metuit, quod ſenſu fervidus ardet.
Paulatimque mori non profuit. itur ad unam
Quæ claudat cunctos pelago pandente ruinam.
Plebs trepidat concluſa loco, finemque ſequenti
Expectat pavefacta die, non tela, nec ullas
Bellorum molita vices, ſed voce levata
Vatibus inſiſtens: o terque quaterque beati,
Ægyptus quos morte tulit, tellure vel ampla
Urnam defunctis ſuprema ſorte paravit!
Digni qui tantos nequeant ſentire dolores,
Nec ſtragem prolis, vel pignora capta videre.
Alitibus nos eſca dati, nec ſede ſepulcri
Condita deſerto ſolventur corpora vaſto.
Talia voce viri: reſpondit luctibus omne
Vulgus, & accenſo perſultat turba tumultu.
Tum ſancti cœpere duces promiſſa referre,
Solarique metum, fletuſque abſtergere dictis.
Quæſumus ingratos deponite mente timores,
Experti multum nec deſperanda putetis
Quæ tantis ſpondent cæleſtia munera ſignis.
Inſidiſne poteſt elabi cordibus unquam
Ægyptus tot cæſa malis, interque flagella
Succumbens quæ ſenſit humus, vos, cunctaque veſtra
Afflicto regno ſalvos vixiſſe ſub hoſte?
Quid de tranſactis dicatur? nempe videtis
Ut mediatricis curet tutela columnæ,
Ne quid ab adverſa liceat nos fraude vereri.
Quin magis erectas firma ſpe tollite mentes.
Ultima namque dies defixa eſt craſtina genti,
Quæ nunc bella crepans ſumptis confidit in armis.
Non ſic pugna foret, nec telis tela feretis
Obvia, nec veſtro vobis ſudore triumphus
Hac vice proveniet, cæli pugnabitur ira,

Qua vobis placido peragentur prælia nutu.
Talibus intenti vates dejecta levabant
Corda virum, ſancta ſedantes voce timorem.
At pontum validus ferventi flamine ventus
Urebat, tota conſumens nocte profundum,
Contra naturam genitor dum fulminat undas,
Ardet & afflatus percuſſo in gurgite fluctus.
Jam matutinum pervenerat horrida tempus
Vix acies, primoſque nitens aurora rubores
Spargebat mundo, tetris dum protinus omnes
Erumpunt caſtris, fremit undique mota juventus.
At pavidæ plebis poſtquam pervenit ad aures,
Clangentiſque tubæ percuſſit pectora terror,
Arripiunt carpuntque viam, quà proxima ponti
Littora ſollicitant rubro inſignita liquore.
Ut ſummas pelagi populus pervenit ad oras,
Ceſſit confeſtim ducti reverentia fluctus,
Expanditque viam, cui terram clauſerat hoſtis.
Machina, pendentis ſtruxit quam ſcena liquoris,
Frænatas cælſo ſuſpenderat aere lymphas.
Aggreditur medium fugiens, vincenſque ſequentes
Gens electa Dei, figens veſtigia terris
In regione maris, calcantur ſaxa profundi,
Conterit & nudum percurrens orbita limum.
Torridus aſpectum ſciſſis ſol inſerit undis,
Ignotamque novo contigit lumine terram:
Longior & radius ſpatium diſcendere tantum
Certavit, feſſumque jubar vix intulit imis.
Credidit excluſos primum, fluctuque repulſos
Inque fugam verſos Pharius dare terga tyrannus.
Præcipitare moras tali jubet agmina verbo:
Ecce iterum fugitiva cohors pendentia bella
Deſerit, auxilioque pedum confiſa recedit:
Vos armis premite, & clauſis inſiſtite tantum;
Cetera pontus aget. Vix hæc perdixerat, illi
Proſiliunt, curſuque ruunt attingere litus.
Ut venere, vident arentis vaſta profundi
Inſolitam præbere viam, pauſoque receſſu
Ceu trepidas fugiſſe piis calcantibus undas.
Hos quoque per ſiccum tutos deſcendere callem
Securos pelagi, atque ſui; non arma, nec ipſum
Formidare ſatis patientem vincula pontum.
Subſtitit ad modicum reſtrictis motibus agmen,
Frænaque ſuſpenſos tenuerunt ducta jugales.
Atque aliquis, cui vel tenuem mutata calorem
Tunc ſcintilla dabat cordi, ſic forte locutus:
Quis Deus a priſco detorquet cardine mundum
Lege nova, mutatque vices, & condita turbat?
Nam ſi ſervatur rebus natura creatis,
Monſtriferæ quæ cauſa viæ? quid denique reſtat,
Si mare tranſitur greſſu, niſi navibus arva
Sulcentur, cælumque ſuo decurat ab axe,
In ſuperos inferna levent, plaga fervida cæli
Algeat, afflatam ſuccendat ſcorpius urſam?
Hæc niſi confuſus rerum ſubverterit ordo,
Non duce me quiſquam ſevum deſcenderit æquor,
Sit ſuſpecta mihi quæ ſemita dirigit hoſtem.
Nam ſi bella velit librans æqualia numen,
Obice ſervata fugitivum clauſerat agmen.
Nunc abeant, tantumque vagos ſua monſtra ſequantur.
Nec ſatis amplector, ſiccum circumvenit alte
Quod pelagus, nudo celans diſcrimina fundo.
Excipit hæc ardens cum ſeditione tumultus,
Inſtantiſque latens urget ſententia leti.
Vicerat æquoream pedibus plebs inclyta vallem,
Gurgitis & vacui convexa volumina linquens,
Poſt baratrum ſuperas ſcandebat litore terras.
Effertur nigri dux agminis, & Pharaonem
Ira ſubit proprio vocitatum nomine Cenchrem.
Arripiunt pariter reſerati concava ponti,
Invadunſque viam. Quid non furor audeat amens?
Hinc equitum pars agmen agit, par inde citatis
Ire jubet ſtimulis rapidas ſuper arva quadrigas.

Ut medium venit frendens equitatus in æquor,
Accuſatque moras tam lati gurgitis ardens
Ira virum, tremit artato pars altera mundo:
Tum per ſublimem ſplendenti nube columnam
De cælo vox miſſa tonat, verbique ſuperni
Interpres, ſanctum compellans nomine Moſem,
Venit, ait, tempus, mea quo mandata probentur:
Ægypto jam finis erit, jam clade ſuprema
Tot caſtigatam vicibus ſententia mentem
Puniet expugnans: enſis ſuccede flagellis.
Tu modo diviſum virga jam percute fluctum,
Atque reducta ſuos aſſumant æquora vultus.
Ille genu fixo ſiccati marginis oras,
Et litus cui fluctus abeſt, mox juſſus adeſſe
Percutit, inſigni credens myſteria ligno.
Hinc ſubitus crepitare fragor, tonat undique circum
Lympha ruens, primumque illic committitur unda,
Qua monſtrabat iter Phario ſors ultima regi.
Poſtquam clauſa via eſt, fluctuſque repellit euntem,
Pœnitet intrati jam gurgitis, & fuga ſerum
Molitur reditum: trepidæ dant terga cohortes,
Armaque projiciunt. pontus fugientibus inſtat,
Occurritque ſequens: perit undique circumjectus
Decurrentis aquæ laxatis murus habenis.
Ille ferus ſemper, jam mitis morte ſub ipſa,
Non hæc humanis cedit victoria bellis,
Expugnamur, ait, cæloque evertimur oſte.
Effuge quiſque potes, victuſque evade ſatelles,
Nec jam tela Deo conatibus ingere caſſis.
O ſi compunctas humana ſuperbia mentes
Ante obitum mutare velit! quid denique prodeſt
Tunc finem poſuiſſe malis, cum terminus urget,
Præſentis vitæ ſpatium cum ceditur ævo?
Confitearis, ait, ſanus, ſcriptura, valenſque,
Si tunc peccatum quiſquam dimittere vovit
Cum peccare nequit, luxu dimittitur ipſe.
Ergo exaltatis pendens ſuſtollitur undis
Mox mergenda phalanx: lympharum monte levata,
Pondere telorum premitur, fundoque tenaci
Indutum revehunt morientia corpora ferrum.
Pars exarmatis cum primum libera membris
Implicuit nantes miſeris complexibus artus,
Auxilio decepta perit, pariterque tenentes
Æterno ſub faſce ruunt, nexique necantur.
Aſt alii. laſſata diu dum brachia jactant,
Incurrunt enſes, jaculiſque natantibus hærent,
Concolor & rubro miſcetur ſanguine pontus.
Quin & conſpicuus princeps Memphitidis aulæ,
Candentes ducens nigro rectore jugales,
Inſpector cladis propriæ, gentiſque ſuperſtes
Ultimus ingreſſis per currum naufragat undis.
Bella vacant pugnante ſalo, vincitque quietus
Iſrael ſolo peragens certamina viſu.
Tum vallis completa perit, fluctuque reverſo
Ducitur extentum planati gurgitis æquor.
Litore jactantur tum tetra cadavera toto,
Expoſuitque ſuum pelagus ſuper arva triumphum.
Inclitus egregium ſolenni carmine ductor
Deſcribit factum, toto quod pſallitur orbe,
Cum purgata ſacris deletur culpa fluentis,
Emittitque novam parientis lympha lavacri
Prolem, poſt veteres quos edidit Eva reatus.
De qua ſermonem præmiſſo carmine ſumpſit,
Luctificos replicat tenuis dum pagina lapſus.
Si quid triſte fuit, dictum eſt quod paupere verſu,
Terſerit hoc ſacri memorabilis unda triumphi,
Gaudia quo reſonant, crimen quo tollitur omne
Per lavacrum, vivitque novus pereunte veterno:
Quo bona conſurgunt, quo noxia facta necantur,
Iſrael verus ſacris quo tingitur undis.
Conſona quo reſonat perſultans turba trophæum,
Quo præcurrentis complentur dona figuræ,
Quæ pius explicuit per quinque volumina vates,

Noſque tubam ſtipula ſequimur, numerumque tenentes
Ponimus hoc tenui cymbæ nunc litore portum

Aviti de Moſaicæ Hiſtoriæ Geſtis Poematum finis.

PRÆFATIO IN LIBRUM SEQUENTEM.

Domino ſancto, beatiſſimo & piiſſimo germano, Apollinari Epiſcopo Avitus frater.

POſt conſummationem libellorum, quos non ſicut voluerat edidit diſpoſitio mea, ſed tua ſodaliumque quorumdam pia feſtinatio, affectuoſa quidem, ſed inconſulta præripuit, cogis inſuper tibi ſpecialius dari verſus illos, quos ad venerabilem Fuſcinam ſororem noſtram de conſolatoria caſtitatis laude conſcripſi. Quos tunc cum ego poſt denuntiatum poematis finem epigramma rectius dicerem, tu primum libri nomine vocitaſti, hoc ſcilicet vocabulum prolixitati ejus aſſerens convenire. Quapropter habe me etiam in hac parte famulantem judicio, imo potius affectui tuo: quoniam profecto iniquum eſt, ut cui parui in majoribus, in exiguis contradicam. Meminerit autem pietas tua, hunc ipſum quia ſic vocas libellum, vel de religione parentum communium, vel de virginibus noſtræ familiæ familiarius diſputantem, illis tantummodo legendum dare, quos revera nobis, aut vinculum propinquitatis, aut propoſitum religionis adnectit. Potes enim ex materiæ qualitate metiri, quod de germanæ ſanctimonialis affectu ſecreta meditatione compoſitum, vix vel tibi crebra victus juſſione confiteor, quando aut qualiter venire in extraneorum manus velim. ſane a faciendis verſibus pedibuſque jungendis pedem de cetero relaturus, niſi forte evidentis cauſæ ratio extorſerit alicujus epigrammatis neceſſitatem: cujus tantam exiguitatem fore polliceor, ut ei aliud nomen aſſumere nec ipſe præſumas. Decet enim dudum profeſſionem, nunc etiam ætatem noſtram, ſi quid ſcriptitandum eſt, graviori potius ſtylo operam ac tempus inſumere, nec in eo immorari, quod paucis intelligentibus menſuram ſyllabarum ſervando canat, ſed quod legentibus multis menſurata fidei adſtructione deſerviat.

ALCIMI AVITI EPISCOPI VIENNENSIS

POEMATUM LIBER SEXTUS.

De conſolatoria laude caſtitatis, ad Fuſcinam ſororem Deo virginem ſacratam.

Suſcipe complectens, Chriſto digniſſima virgo,
Alcimus iſta tibi quæ mittit munera frater,
Inque levi calamo cauſarum reſpice pondus,
Et tenuis fortem commendet cantus amorem.
Nam quoties ſanctum compleveris ordine curſum?
Alternos recinens dulci modulamine pſalmos,
Quos vivens in corde chelys, virtute canora,
Interiore ſono caſtis concentibus aptat:
Tum licet excuſſo libeat tibi ludere verſu,
Atque fatigatam meditando abſolvere mentem.
Non hic fallaci tingetur barbitos unda,
Pegaſus unde leves prævertens motibus auras
Fingitur aſſumpto pendens hinniſſe volatu,
Dum ferretur equi gravis ungula præpete penna.
Sed nec Pierio ducent hic cantica ludo,
Quas ſibi ter ternas mentitur fama ſorores.
Dat tibi germanum ſed verax muſica plectrum,
Et Chriſtum reſonans claudetur fiſtula Phœbo.
Edidit ut quartam genitrix Audentia prolem,
Teque dedit generi partu fœcunda ſupremo:
Confeſtim parcam promittit ducere vitam,
Ac deinceps paribus caſtum ſervare cubile
Conſtituit votis carorum cura parentum
Et quia principium tam ſancti fœderis eſſes,

Tu ſimul offerris Chriſto, qui protinus ipſis
Accipit in cunis lactentia membra dicatis.
Sic quondam, cum prima novo ſplendeſceret ortu
Terra nitens, pulchraſque darent ſua ſemina fruges,
Viventem ducens ad ſancta altaria fœtum,
Innocuis ſonuiſſe Deo balatibus agnum,
Inſinuante fide juſtus cognoverat Abel,
Et capite oblato placuit grex totus ab uno.
Ergo ubi vitalis fovit te lympha lavacri,
Jamque ſuum peperit cæleſtis gratia pignus;
Non tibi gemmato poſuere monilia collo,
Nec te contexit, neto quæ fulgurat auro,
Veſtis ductilibus concludens fila talentis.
Nec te Sidonium bis cocti muricis oſtrum
Induit, aut rutilo perlucens purpura fuco,
Mollia vel tactu quæ mittunt vellera Seres.
Nec tibi tranſfoſſis fixerunt auribus aurum,
Quo dependentes ornarent vulnera baccæ,
Et pretioſa quidem malas ſed ſaxa gravarent.
Latius hæc vero ſanctus deſcribit Eſaias,
Ornatuſque refert varios, qui membra venuſtant,
Quæ mox paſcendis præbebunt vermibus eſcam,
Et forſan dum vita manet. percurrere verbis
Morborum tot ſæva poteſt diſcrimina nemo,
Ante obitum cuncti quæ formidare docemur.
Singula vel totis obnoxia mortibus eſſe,
Omnia dum proprio ſolvantur corpora fine,
Atque unus præſtet reliquos deſiſtere caſus.
Et quid quiſque cupit periturum comere vultum,
Interior dum ſordet homo, ac ſe crimine turpat?
Sed tibi cum geminum tetigerunt tempora luſtrum,
Mox ſtola ſincero velat te candida cultu,
Virginis os habitumque decens, & concipit omnem
Floribus in primis jam mens matura pudorem.
Haud ſecus exultans ſterilis, poſt damna juventæ
Fœcundata novum cum ferret femina fœtum,
Veſtem læta ſuo parvam texebat alumno,
Diſceret ut Samuel jam tum puer eſſe ſacerdos.
Sic te læta domus ſanctis altaribus aptans,
Aſſueto docuit dignam concreſcere templo,
Scribens in thalamos ac magni fœdera regis.
Et cupit electam ſpeciem ſibi jungere Chriſtus;
Ornatu vario ditat quam gratia pollens.
Hæc ubi reſpirans prævenit gaudia mater,
Ac tibi collatum parvo conſpexit in ævo
Grande bonum, teneris dum virtus creditur annis,
Teque reparturiens melius quam corporis alvo,
Spemque metumque inter, quamquam jam libera voto,
Fert tamen attonitas ſic læta quod anxia curas,
Inſinuans cauſam lacrymis, tum talia mandat.
Ortu quarta quidem, ſacro ſed munere prima,
Dulcis nata mihi, cælo quam carne fideque
Bis genui, Chriſtoque rudem de ventre dicavi,
Hactenus hoc noſtrum fuerat, ſed tempore ducto
Jam decet eſſe tuum: nam quod ſervabere virgo,
A me principium, tibi pervenit. omnia poſſe
Incipies, cum velle ſubeſt. veſtigia ſervent,
Per quæ ſectato conſcendas tramite cælum:
Nec deſunt exempla domi. Nam reſpice quantas
Virginibus florens jam noſtrum ſtemma coronas
Miſerit in cælum, ſancto quas dogmate mater
Severiana levans, & te conjungier optat.
Nec multo ſenior nunc gaudens Aſpida, quondam
Sacratum velata caput, tua munia ſumpſit,
Biſſenos jungens ſanctis altaribus annos.
Quam licet hinc celeri tulerit ſors ultima leto,
Nil tamen eſt ſubitum ſemper migrare paratis.
Aſpice nunc columen, gemina quod virgine fulget,
Eximiumque decus, cujus tu jure propinqua
Fuſcinam Fuſcina refers: nec ſegnius illam,
Euphroſine. *Quæ pietate potens, * Graia ſi voce ſonetur,*
Significat propriam ſumpto de nomine mentem.
Queis licet emeritum cedant ſua ſæcula culmen,

Vitaque ſublimi cunctis præpolleat arce,
Has generoſa tamen matres ſi corde ſequaris,
Gaudebunt vinci dum proficis, ac tibi ſummam
Sponte dabunt palmam ſuperanti vota magiſtræ.
Hæc dicens teneros ſancto exhortamine ſenſus
Impulit, accendens ad virginitatis amorem.
Sic mater fœcunda utero, fœcundior actu,
Machabæa potens, & prolis funere felix,
Orbari gaudens, animo vincente ſenectam,
Edocet hortando ſobolem non cedere mundo,
Inflammatque pios ad fortia facta furores.
Quid tua nunc repetam, tenero quæ fortior ævo,
Ante annos animumque gerens, reſponſa dediſti?
Non hæc parva tuam ſuſcepit pagina laudem.
Exitus impleto veniet cum tempore victor,
Laus melius canitur, cum jam clamante triumpho,
Conſummata tuis reddentur præmia factis.
Nunc decet attonitos cauta te voce monere,
Sollicitas tecum partiri ac volvere curas,
Atque juvare tuos hortantia dicta labores,
Dum pugnat varius per crebra pericula caſus,
Lubrica dum fragili currit ſub tramite vita,
Dum tua calcatus captat veſtigia ſerpens,
Aſcendens dextro quem conterat aggere planta.
Nil non intentum præſentia ſæcula ducunt,
Nec ſecura datur requies in carne caduca.
Vertuntur nam ſæpe boni, perit obruta virtus,
Partaque tranſacta decedunt præmia laudis:
Ac plerumque ſolet, ſubito ſuccenſa calore,
Frigida quæ nuper fuerat, mens linquere mundum,
Atque repentino reſtringere crimina fræno.
Sic alternantem commutant fata rotatum,
Impius ut ſperet veniam, juſtuſque timendo
Proficiens, cumulum magnis virtutibus addat.
Nam ſtudium ſancti laxet ſi forte laboris,
Pigraque conſuetas diſſolvant otia curas,
Labitur in præceps damnoſa gloria vitæ.
Stare nequit meritum, ſi non acquirit eundo,
Amittit rediens: nitendum eſt viribus amplis,
Ut ſatis anguſtum obſervent veſtigia callem.
Nam qui diffuſam ſpatio laxante plateam
Mundanis ludens facili nunc aggere currit,
Strictior hunc carcer crudeli ſorte ligabit.
Tu modo da veniam, qui te exhortatur, amori,
Currentemque monet, cum vix tamen ipſe ſequatur:
Suadet veloci tardus compendia greſſus.
Namque ad doctrinam, canimus quam paupere verſu,
Tu melius jam docta venis, quæ junior ortu,
Religione prior, vivendi jura dicaſti.
Annorumque ſequens, meritorum ſorte ſuperſtas.
Quod ſi conſequimur, jam noſtrum forte putetur:
Quod ſequimur, tamen hocce tuum eſt: converſio fratrum
Exemplo debenda pio, te reſpicit auctor,
Primitiaſque in te ſacris de fructibus offert:
Indicit ſed ſancta fides, ut corde propinquo
Participata levet fraternum ſarcina pondus.
Tu germana, pium quæ ducis ab ubere faſcem,
Non carnis, ſed legis habes cervice fideli
Subdita ferre jugum, nec vincla in conjugis ire:
Mundanas odiſſe vias, percurrere mundas:
Illinc nolle toros, hinc ſponſum quærere Chriſtum,
Sic tædas tempſiſſe, pio quod amore calere,
Pigra voluptati ferveſcere corda labori,
Ignorare virum, fœtus tamen edere tales,
Quos triſtis nunquam poſſit tibi tollere caſus.
Non orbata gemes fœcundæ pignora vitæ,
Nec viduam ſponſo metues ſupereſſe perenni,
Expers ipſa mali: nec te ſententia tanget,
Qua prolis mortiſque parens compellitur Eva,
Occiſam pariens ſobolem vivente reatu.
Quæ ſubjecta viro dominum paſſura cubilis,
Servit in obſceno tolerans connubia lecto.
Sic captiva tori, cum portet nomen inane,

N iij

Conjugis & vana dicatur imagine conſors,
Sola jugo premitur non æquam ducere ſortem.
Et cum longa decem tulerint faſtidia menſes,
Perfectoque gravis fœtu diſtenditur alvus,
Semina quæ patris fuerant, hæc pondera matri
Infligunt duros utero turgente dolores.
Nam cum luctato ſolvuntur viſcera partu,
Una luit, tanto carnis diſcrimine pendens
Quod coiere duo. ſpes palpat forte dolentem,
Editus in lucem ſi vivat filius: atqui
Contingit plerumque gemens ut mortua fundat.
Sæpe etiam ſoboli nec mortis tempore natæ
Dant geminum matris commortua membra ſepulcrum.
Illud jam levius quoties intervenit, ipſa
Ut pereat tum ſola parens, ac pondere fuſo
Emittat cum prole animam? quid forte levatum
Nutritumque diu rapitur ſi funere pignus,
Unica quod crebro ſpes reſpicit, & perit omne
Quod ſibi conceptis ſpondebant gaudia votis?
Omnibus his illud gravius, ſi forte carentem
Cæleſti lavacro tenerum mors invida natum
Præripiat dura generatum ſorte gehennæ.
Quique, genitricis ceſſat cum filius eſſe,
Perditionis erit. triſtes tunc edita nolunt,
Quæ flammis tantum genuerunt, membra parentes.
Quis memorare queat tanti diſcrimina caſus,
In quæ pertrahitur dilectæ gloria carnis?
At late longeque tuam diſcernere ſortem
Libertas cum lege poteſt qua necteris, ut te
Impia fallentis non ſtringant vincula mundi.
Tu Mariam ſequeris, dono cui contigit alto
Virginis & matris gemina gaudere corona,
Conciperet cum carne Deum, cælique creator
Intraret clauſum reſerans myſteria ventrem.
A genetrice ſatus, ſed quam formaverat ipſe,
Elegit nitidam de qua procederet alvum,
Solus qui carnis proprium diſponeret ortum,
Præſciretque diem longe, tempuſque videret
Quo pariendus erat. præceſſit membra voluntas.
Ipſe Deus Verbum, veſtitum viſcere ſumpto,
Qui cum patre jubet, materno in corpore ſervit,
Suſcipit & famulum dominus, qui juſſerat ævum.
Tempora per patrem, per matrem ſemina neſcit.
Illa quidem fœcunda fuit, quæ pondere caſto
Factorem portare ſuum, dominumque perennem
Edere promeruit. ſed nec tibi gloria tanti
Defuerit facti, Chriſtum ſi crudela corde
Concipiens, operum parias pia germina cælo.
Si quis, ait, noſtram compleverit ordine legem
Hic mihi ſemper erit frater, materque, ſororque.
Aſpicis ut ſexu careat cæleſtis imago,
Interior ſortitus homo quam mente retentat?
Præbuit exemplum ſurgens a morte redemptor
Femineum maribus cum ſic præponit honorem.
Guſtavit ſumptam noſtro pro crimine mortem,
In crucis excelſo pendens ſine crimine Chriſtus.
Atque animam, vivos quæ mox remearet in artus,
Fixus adhuc ſancto clavis efflaverat ore.
Deſeruit populi ſpectacula talia cœtus,
Signaque ferre nequit, cælum quæ triſte minatur.
Nam ſol obductus, vultumque retortus ab orbe.
Ceſſerat injuſtas nocturnis luctibus horas,
Atque peregrinis aditum dedit ipſe tenebris,
Temporibus magno mutatis ordine rerum.
Nox erat in ſuperis, lucemque inferna videbant,
Contremuit tellus, & niſu mœnia magno
Concuſſis ſummo nutabant vertice criſtis.
Senſerunt motum priſcis deſcendere ſaxa
Juſſa locis, ſonituſque novos colliſa dederunt.
Hos inter ſtrepitus, cunctis fugientibus, illæ
Decernunt, quanquam trepidæ, perſiſtere matres,
Pervigil ut ſancto ſic vivens cura ſepulcro
Serviat, & voto præſens perſolvat honorem.

Pinguia fraganti componunt illita ſucco,
Quæ ſalvans ſalvum ſervarent lintea corpus.
His amor expenſis lugubria dona parabat,
Supremum credens ſemet perſolvere munus.
Et cum ſic breviter prævenerit iſta reſurgens,
Quod credebatur ſervandum poſcere munus,
Quo non indiguit, placatur munere Chriſtus.
Pro quo reſpondens confeſtim gratia, præſtat
Angelicos cernant humana ut lumina vultus.
Splendida candebat cæleſti in corpore veſtis,
Et vultum rutilus reſperſerat undique fulgor,
Matribus ut dignis verbum cæleſte ſonaret,
Angelus alloquitur ſancto quas taliter ore.
Femineo ſexu mentes tranſite viriles,
Nec trepidate novo fortiſſima corda tumultu.
Adverſos hæc ſigna petunt, vos nulla timendi
Cauſa manet, quas cura pii confirmat amoris.
Quæritis, agnoſco, pretioſa in ſede ſepulcri
Solenni nuper tumulatum funere Jeſum.
Sed meminiſſe decet quid præſcius ore fideli
Dixerit ante obitum, duplici non amplius ulla
Servandum ſe nocte, & jamjam tertius hic eſt
Qui complet promiſſa dies. patet ecce ſepulcrum
Deſeruit vacuum victa quod morte reſurgens.
Taliter excelſus juſſo ſermone miniſter,
Sparſurus mundo vitalis dona triumphi
Has primum gaudere dedit, luctuque levavit.
Ibant impavidæ læto jam pectore matres,
Credula conceptæ ſervantes corda ſaluti,
Cum medium ſeſe Criſtus gradientibus offert,
Agnoſcique jubet, blando & ſermone ſalutat.
Ite, ait, & noſtris hæc jam mandata referte
Diſcipulis, norint ut ſurrexiſſe magiſtrum.
Illæ complexis defigunt oſcula plantis,
Atque ad diſcipulos alacri cum mente recurrunt,
Doctoreſque docent, & quæ ſpargenda per orbem
Primum femineis inſtructi diſcere verbis,
Agnoſcunt animam potius quam vivere ſexum.
Communis virtus igitur, commune periclum
Matribus atque viris, nulla eſt diſtantia cordis,
Rectum velle ſubeſt, ſi gratia conſtat utriſque,
Cui tamen attento deſudet vita labore.
Aut quid dona juvant hominem, ſi mente ſoluta
Turpia collatum diſperdant otia munus?
Auxilium conatus amat. quis namque vacantem
Adjuvet, aut ſomno virtutem jungat inertii?
Cæleſtis rex ille, parans diſcedere terris,
Argentum famulis, ut quis virtute valebat,
Quinque minas primo, duplicem dat ſorte ſecundo.
Atque impar magnis ſuſcepit tertius unam.
Tunc ſic diſcedens famulos ſimul inſtruit omnes:
Nunc ſi quis veſtrum devota mente fidelis
Experiar fuerit, quæſtu noſcendus ab iſto
Qua quis ſit virtute potens, qua præditus arte.
Theſauros geminate meos, uſuque polite,
Livida ne facies pulla rubigine tinguat
Accipitis nitidum pura quod fronte metallum.
Si redeam, meritis addentur præmia juſtis.
Dixit, & abſceſſu cæleſtia regna petivit.
Incubuere duo ſtudii certamine vernæ.
Fœnerat ille citus partem ſplendentis acervi,
Pauperibus largo diſpenſans plurima dono,
Creſcit & in cumulos quicquid confertur egenis.
Exponens alter ſacri myſteria verbi,
Uſuras ſancto gaudet concreſcere lucro,
Et cupidus recti vitam dum prædicat addit.
At ſolus minimo ſumpſit qui pondere libram,
Defoſſis ſcrobibus marſupia merſa locavit,
Degenerique fluens elegit vivere luxu.
Sed judex tandem finito tempore mundi
Regreditur, cujuſque moram deſpexerat, exors
Contemnit ſervus reditum. tunc omnibus ille
Ut doceant ratione jubet quem tempore tanto

Poſcenti reddant operata negotia fructum.
Argentum gemini geminata mole miniſtri
Promunt, & læto referunt commercia vultu;
Tertius ille piger drachmam tellure latentem
Promit, quæ juncti ſorbens contagia cœni
Perdiderit proprios incluſo lumine vultus.
Illum terribili dominus tunc increpat ore:
Tantane te noſtri tenuere oblivia ſegnem,
Serve piger, reditusque mei ſic cura refugit?
Argentum, nitida quod purum luce tuliſti,
En tetrum preſſumque refers. Nam cognita quondam
Delituit, nec reſpondens, ut ſæpe ſolebat,
Forma mihi, vultuſque mei non paret imago
Aſſignata tibi. ſed ſi ferrentur ad uſus,
Altariſque mei tetigiſſent credita menſam,
Creſceret inſcriptus noſtro de nomine nummus.
Nunc igitur famuli vos totum ferte fideles,
Addat ut utilibus ſors ultima, tollat inerti.
Improbus in paucis hic dignus non erit ullis:
Quiſque voluntatem noſcens contemnit herilem,
Cæditur hic multis, paucis qui neſcius errat.
Ergo age, ſuccinctis ad fortia prælia lumbis
Armata cum mente veni, nec femina bellum
Formides quod mens peragit. nam gloria dudum
Sexus iſta tui nota eſt tibi ſæpe legendo.
Nec dubiam te noſſe reor, cum Debora quondam
Duceret inſtructas poſt fortia claſſica turmas,
Et mulier ſumpto præcederet agmina ſigno,
Mirantes hortata viros, quos ipſa ducatu,
Exemplo, verboque monens accendit in hoſtem.
Sed poſtquam ducens princeps animoſa catervas
Impulit accendens vegetata furoribus arma,
Barbariæ cecidere manus: diſſolvitur omnis
Hoſtilis virtus, & qua ſe femina monſtrat,
Palantes dant terga viri, latebramque petentes
Si vivant, viciſſe putant. Tunc maximus ipſe,
Forma gigantææ junxit quem corpore molis,
Immenſamque levans produxit verticis arcem,
Rex Siſara fugam, telorum faſce rejecto
Incomitatus agit, metuens ſublime notari
Corpus, & excelſa fugitivum prodere maſſa.
Sed poſtquam latuiſſe putans, tectoque receptus,
Mollia perpetuo dimiſit lumina ſomno,
Hunc etiam ſternit mulier, terraque jacenti
Malleus infixo transfodit tempora clavo.
Femineus ſic ille fuit per cuncta triumphus.
At tu, virgo Dei, ſanctis quam moribus ornant
Hinc pudor, inde fides, internis fortior armis
Bella geris, juſtis ſævus quæ commovet hoſtis.
Spes tibi fida foret felix in vertice caſſis,
Contineat lumbos pretioſi zona pudoris,
Juſtitiæ lorica tuos conſtringat amictus,
Pro gladio verbum ſemper tueatur acutum.
Has virtutis opes, hæc ſic ſolatia belli
Deſcribens, mentis varias cum corpore pugnas
Prudenti quondam cecinit Prudentius ore.
Namque ibi bellatrix, & pleno robore pollens
Virginitas armata venit: quam fœda libido
Appetit, & caſſo vocat in certamina niſu.
Sic bellatricem te ſentiat æmulus anguis,
Cumque laceſſitæ concedent prælia palmam,
Læta feras ſummum calcato ex hoſte trophæum.
Nam quicquid ſacræ divina volumina legis
Eloquio ſenſuque docent, quod prædicat ipſe
Antiquus mundi replicans exordia vates,
Sive ille hiſtorias texat, ſeu forte figuras,
Quod diverſa retro multorum tempora regum
Poſt Ruth ſucciduo geſſerunt ordine magnum:
Vel quos poſt reprobum Davidica regna Saulem
Ter quinquageno ſcripſerunt carmine pſalmos.
Pacificus quicquid læta inter ſceptra Salomon
Obſcurum ſenſu per clara proverbia dixit:
Quodque bis octoni poſt ſe videre propheta,

Quod clauſum Job mitis ait eum vulnere aperto.
Heſter quid memorem, & caſtæ mendacia Judith,
Ornati cum fraude Satraps accenditur oris,
Cum meat illudens obſcenum femina lectum,
Deſectoque feros compeſcit vertice viſus?
Quod melius cernens cæcato in corpore Tobi,
Quæ ſecreta videns perſcripſit conditor Eſdras.
Quicquid poſt priſcam ſuccedens gratia legem
Intonat, atque novi miracula Teſtamenti
Hinc hominis clamat facies, vos inde leonis,
Et pernix aquila, & fortis certamine taurus.
Inde quater terni puris quod mentibus agni
Egerunt toto ſpergentes ſemina mundo.
Bis ſeptena pii quod ſpargit epiſtola Pauli,
Quod Petrus Jacobuſque docent, quod Judas, & ipſe
Qui conſpecta refert cæli ſecreta Joannes.
Quin & veridici quæ plurima tractatores
Expoſuere ſuis myſteria digna libellis,
Hæc tu cuncta tenens animo ſitiente bibiſti.
Nec ſi quid ſacrum noſtri cecinere poetæ
Te latet, agnoſtique legens, & condita ſervas,
Atque aliena tuo commendas carmina cantu,
Quid totum replicem? tu ſenſibus utere doctis,
Et quæ nota tibi, vel quæ percurſa legendo,
Ad virtutis opus ſtudio converte virili.
Nam niſi doctrinæ jungatur vita fidelis,
Agnoſci gravius non obſervanda nocebit.
Eſuriit poſtquam dominus, cum forte vianti
Conſpicitur diffuſa levi ficulnea fronde,
Nec jam maturum prædicta ex arbore fructum
Carpere tempus erat, quam mox ut repperit ille
Indutam tantum foliis, ſed germine nudam,
Prorſus inane virens ornatus inutilis horret:
Percutitur ſubito radix afflata calore,
Aruit & poſito ramorum tegmine truncus.
Inſtruimur tali legem cognoſcere ſigno,
Ne Chriſti famulo, ſolo ſermone fatenti,
Nomine confeſſo vivens operatio deſit.
Nam ſi Chriſticolas noſmet ſanctoſque putamus,
Aggravat hoc etiam, ni dictum facta ſequantur.
Sic & virginitas ſacro devota pudori,
Indiget adjunctis virtutibus: & niſi mentem
Intactam ſervans caſto cum corpore jungat,
Succumbit vitiis, nec caſtam dicere carnem
Jure poteſt, animus quam ſic corrumpit adulter.
Ira, furor, mœror, livor, diſcordia, luxus,
Lingua duplex, conſtricta manus, laxata voluptas,
Mœchantur cum corde hominis, tum ſemine mortis
Fœtus mortis alunt. En quo perducitur omnis,
Nomine virgineo quæ ſe dum jactitat, intus
Criminibus gravidam neſcit turgeſcere mentem,
Ecce tibi e multis unum, quo cetera noſcas,
Exemplum. Dominus plebem eum forte doceret
Pervigili cura ſupremum noſcere tempus,
Expectare diem quo judex imminet orbi;
Virginibus ſancto ſignatos chriſmate confert,
Haſque decem nobis documenti in vertice monſtrat,
Quarum quinque tamen ſapientia dives adornat,
Aſt aliis ſtolidum lentavit inertia ſenſum.
Sopitas pariter requies complectitur una,
Atque obitum ſignans depreſſit lumina ſomnus.
Tranſierat medium vix forte quietis, & illud
Tempus erat noctis, quo Chriſtus carne recepta
Fregerat obſtructas, perrupto cardine leti,
Jam portas inferne tuas, ſpretoque ſepulcro
Devictis læta remeabat luce tenebris.
Perſtrepuit ſubditus rumpitque ſilentia clamor,
Tandem ſponſus adeſt, nocturnus corpore torpor
Abſcedat, ſapidæ raptim properate puellæ.
Protinus exiliunt omnes, ſtratiſque relictis,
Aptavere ſuas quæſito lumine flammas.
Tunc ſed quinque, quibus cordi ſolertia major,
Quamvis feſtinant, oleum tamen addere ſumptis

Sollicitudo fuit vaſis, pinguique liquore
Ignibus armatis ſqualentem rumpere noctem.
At quæ neglectum liquit pars altera ſuccum,
Sumens flammigeras nequicquam ſuſtulit haſtas.
Emicat exiguus commoti luminis ignis,
Sed virtute carens languentem lampada fervor
Deſerit, & ſiccam percurrit flamma papyrum,
Atque inter picei nebuloſa volumina fumi
Vaneſcunt pigra creſcentes mole favillæ.
Ut ſeſe indignas tali videre paratu,
Occurrant ſponſo quæ cominus advenienti,
Tarda movet lentis pudibundum cura laborem.
Quæ prece ſubmiſſa ſtultis tum vocibus orant,
Ut porrecta manus torpentes ſuſcitet ignes,
Dividat & proprium ſapientia pinguis olivum.
Reſpondent pariter tali ſermone ſorores:
Eſt miſeranda quidem veſtrorum cauſa malorum,
Sed tamen hic oleum non plus quam ſufficit affert
Unuſquiſque ſibi, conſtat quia copia vaſis,
Et perfecta ſuum ſervat menſura liquorem.
Nec fas quæſitum partiri aut perdere ſuccum,
Ne diſperſa cavis deſint fomenta lucernis,
Cumque lucrum vobis diſpendia noſtra parabunt,
Tota ſimul feſſis torpeſcant lumina flammis.
Talibus abjectæ dictis, triſtique repulſa,
Perluſtrant quocumque loci commercia fervent,
Venaleſque manus: ſed dum diſceditur, ecce
Introiit ſponſus thalamum, induxitque paratas,
Atque vagas linquens excluſit porta ſorores.
Cernis virginei pereat quod nomen honoris,
Ni fertur ſanctus thalamis cæleſtibus ignis.
Felix illa manus, largis quæ provida donis
Accenſum pura fovit pinguedine lumen.
Tantum namque olei vaſis diffunditur amplis,
Quantum poſcenti miſerans porrexit egeno.
Hinc dominus palmis ardentes ferre lucernas
Admonet, hoc opus eſt, hæc claræ gloria vitæ.
Suppetat ergo tibi pietas, patientia, virtus,
Sed virtus animi. fragiles nam carne puellas
Protulit interdum cælo conſtantia mentis.
Eugeniæ dudum toto celeberrima mundo
Fama fuit, dum dat Chriſti pro nomine vitam.
Ante tamen mulier fortes proceſſit in actus,
Cum ſtipante choro ſanctorum fieret Abbas,
Atque patrem complens celaret tegmine matrem.
Sed poſtquam ſancto cunctis perclaruit ore,
Et meritis anniſque graves, longaque verendos
Religione ſenes juvenili rexit in ævo:
Impatiens recti, toto qui tempore ſerpens
Mille nocendi artes, ſtimuliſque inflammat amoris,
Quo famam violare cupit, dedit inde coronam.
Commovet inſano qui fingat amore puellæ
Accendi Eugeniam, motuque ardere virili.
Turba ſenum turbata coit, quod crimine tanto
Tam rigidam nuper potuiſſet ſolvere vitam
Mens dejecta viri, viduataque præſule ſummo
Nil non poſſe dolet titubans perfectio carnem.
Ducitur iſte foro juvenis, ſævumque tribunal
Intrat adhuc monachus. vincit concordia fraudis;
Et jam jamque reum ſecreti ignara tenebat
Publica vis, odio tantum flammata ſiniſtro.
Conſcia tum ſexus proprii, cordiſque pudici,
Vincitur ut vincat jam prodens fœmina fraudem,
Quamvis exterius carnem compulſa fateri,
Interiore tamen ſervato permanet heros.
Semper tuta fuit caſti cuſtodia voti,
Quamlibet impugnet miſeri fraus callida mundi,
Extendatque dolis laqueos, mendacia nectat,
Non venit ad pronam mens culpæ ignara ruinam.
Quoſque fremens hoſtis fallaci tribulat aſtu,
Purgandos ſancto patientia diſcutit igni.
Vendiderat quondam juvenem manus æmula fratrum,
Et famulum Joſeph tellus Memphitis habebat:

Pertulit ille quidem dominum, cum crimine falſo
Confictus voluiſſe nefas, quod triſte refugit,
Suſtinuit tolerans ergaſtula, vincla, catenas,
Dum ſpatium replicans geminos ſol junxerat annos.
Oblitus jam lucis erat, jam crine fluenti
Nutritus macie tangebat terga capillus.
Sed vegetante Deo mens nullis clauſa tenebris
Prævidet arcanum quicquid poſt exitus implet.
Denique producto certatim gloria fertur,
Non tantum venia: & precibus tunc ipſe rogatus,
Ut diadema libens captivos in vertice ſumat,
Exilium regno commutat, principe ſervum.
Præmia ſervati cordis ſic percipit iſte.
Suſannam poſt hunc dignis quis laudibus unquam
Excolat, infirmis quondam quæ vicit in annis
Improba vota ſenum, conjuratoſque furores?
Primum disjuncto quos cepit cauſa viritim
Conſilio, ſoluſque ſibi promiſit uterque
Spem culpæ, ſed turpe calens in cordibus ignis
Conflavit mentem ſceleris fornace duorum.
Conveniunt, nam forte die ſic contigit una,
Abſceſſu ficto diverſa ut parte redirent.
Inque nemus venere ſimul, vulgata viciſſim
Panditur alterno flagrans in corde voluptas.
Ilicet incautam fallentes fraude puellam
Appetiere ſimul: poſcunt conſentiat ante
Dedecoris tantum moveat quam fama rebelli,
Moxque retorquendum facinus, ni cedat, in ipſam.
Confeſſi ardorem pariter mendacia produnt
Diſpoſita, & laqueos pandunt, quos nectere vellent.
Anceps illa diu ſecum luctatur, & hærens
Fluctuat incertæ quo vergant pondera mentis:
Lex peccare vetat, rurſuſque infamia terret.
Hinc iterum duros precibus mollire furores
Tentat, & obſcœnas lacrymis reſtinguere flammas.
Sed poſtquam nullis precibus monitiſque remotos
Obſtrictoſque ſenes vicit cognata libido:
Femina præclaro mentem ſuccenſa pudore
Decrevit tunc caſta mori, ne crimine tanto
Ambirent miſeram carnis commercia vitam.
Cælum teſte vocat, famamque recuſat inanem
Judicio contenta ſuo: cum conſcia corda
Commendat ſuperæ fidei, ſervatque futuris.
Maluit ille tamen ſecreti inſpector apertum
Examen præſtare loco, facinuſque recluſum
Pandere, & objectas laqueis producere fraudes.
Spectabat vanis commotam fletibus urbem
Junior ille puer, pueris tribus ipſe futurus
Poſt comes, undanti quos jecit Parthica flammæ
Contempto imperio flammis ferventior ira.
Arſit contracto pariter creſcente calore
Hinc furor, inde fides, ſanctis dum mollior ignis
Serviit, & tepido conluſit pruna rubore:
Donec miratus ceſſare incendia Satraps
Juſſit, & adſtantes flammarum copia cinxit.
Hos meritis æquant Danielis proxima virtus
Horrida frendentum compeſcuit ora leonum,
Dum prius accenſi ſtimulis famis atque furoris,
Frænatoque ſimul ſternentes corpora rictu,
Incolumen lambunt inter jejunia paſtum,
Cum ſumat tamen iſte cibos, quos vertice pendens
Angelica librante manu per inane citatus,
Subjectas calcans immotis greſſibus auras,
Intulit illatus faſcis cum faſce propheta.
Excepit Daniel tranſmiſſas deſuper eſcas.
Fercula longinquis migrant ferventia terris,
Aſſervantque ſuos peregrina in ſede ſapores.
Hic ergo impubes Suſannam forte videbat
In tormenta rapi, veri quam neſcius ante
Vulgus inauditam damnaverat, & ſimul omnes
Inſontis ſontem certabant cernere mortem,
Cum ſubito in medium juvenis ſe proripit agmen,
Accenſum tenera caſtigans voce tumultum,

Cur tanto ex cœtu nullus rem judicat, ac ſe
Liber ad injuſtum clamat non currere letum.
Protinus ad verbum pueri permota repreſſit
Turba ſequax animos: judex decernitur ipſe,
Conſultorque ſenum, per quem via vera pateſcat.
Conſulit avulſos quiſnam ſit criminis ordo:
Sed dum diſcordans reſponſum præbet uterque,
Conjunctum facinus disjuncta voce fatentur.
Tunc omnes pariter timor accipit. undique clamor
Tollitur, auctores ſceleris plebs obruit omnis,
Laudaturque Deus qui nunquam vota bonorum
Deſerit, auxiliumque ſuum pro tempore monſtrat,
Et tamen his prior eſt quæ virginitate pudica
Intactum præfert ad vota perennia corpus.
Nam ſi terrena nubentem lege puellam
Aſſervaſſe toros, atque unum noſſe cubile,
Mortali tantum laudatur judice cœtu,
Conjice virgineis quantum diſponitur illic
Quo Chriſtus vocat hinc meritis, ubi ſede ſuperna
Humanum in partes dirimet genus arbiter orbis.
Agnos dextra levans lævos contemnet ut hædos,
Stabunt Angelici mirantes facta bonorum
Laudanteſque chori, cunctis commune patebit
Decurſæ carnis meritum: fraus nulla tenebris
Abdere, vel notas poterit ſubducere culpas.
Illic nota tibi ſubſiſtens vita petatur,
Quo juſtus ditat diſpenſans præmia judex.
Quondam ſuccinctæ quod dictum eſt ore magiſtri,
Dum viget officio famulans ſolertia Marthæ,
Attentamque tenet verbi virtute ſororem,
Cura cibo melior, paſtu quæ digna perenni.
Tunc vacuas domino depromens Martha querelas,
O doctor non cernis, ait, quod ſola paratu
Vexor, & hæc nullum confert germana levamen?
Cui Chriſtus ſic forte refert, ſunt plurima quæ te
Obſtrictam retinent, melior ſed cauſa quietis,
Lectaque nec poterit Mariæ pars optima tolli.
Sic, germana, ſuis dum flagrant ſæcula curis,
Electam ſervare tibi non deſine partem.
Te meruit primam cognatio tota patronam,
Jam te ſigniferam ſequimur, vexillaque Chriſti
Te portante libens ſectatur ſtemma parentum:
Quos licet antiquo mundus donaſſet honore,
Et titulis monſtret generoſo ſemper ab ortu:
Plus tamen ornavit divinum inſigne gerentes,
Ordine quod proprio ſanctas meruere cathedras.
Non atavos jam nunc tibimet proavoſque retexam,
Vita ſacerdotes quos reddidit inclyta dignos,
Pontificem ſacris adſumptum reſpice patrem,
Cumque tibi genitor vel avunculus undique magni
Poſt faſces placeant populorum ſumere faſcem,
Suſcipe quos humiles patrum ad conſortia fratres
Officio ſimiles nectens Eccleſia junxit.
Pro quibus aſſiduas Chriſto perſolvere grates,
Fundere vel fletus non tædeat: ut tibi nullus
Fratrum de numero deſit, cum præmia ſumes
Factis digna tuis, materque effecta parentum
Virgineæ victrix ſociabere læta coronæ.

Alcimi Aviti Viennenſium Archiepiſcopi V. C. & Inl. liber VI. explicit, ad Fuſcinam virginem ſororem ſuam Deo ſacratam.

DE ALIIS AVITI POEMATIS
ejuſdem argumenti, non editis.

PRæter hos quoque libros, & ſextum qui adtexi ſolet, ad Fuſcinam ſororem, carmen hactenus Aviti nullum prodiit: nec plura his olim Gregorio Turon. & Iſidoro cognita fuiſſe Aviti poemata conſtat. Sed alia ta- men non pauca diverſis de rebus ab eo verſibus ſcripta docet epiſtola ad Apollinarem fratrem. De quibus ſer- mo nobis hoc loco non eſt: ſed de iis tantum libris, qui Moſaicam hiſtoriam continuantes, Exodum, & reli- quas Heptateuchi partes perſequuntur, atque Alcimi Aviti nomine in nonnullis Bibliothecis reperiuntur. Quos ego ut ad Avitum pertinere non abnuerim, adeo tamen rudes paſſim, & impolitos, ac mendis ſcatentes in tribus quæ vidi exemplaribus animadverti, ut religioni ſit, opus, quod auctor ipſe, ni fallor, hoc habitu pre- mi mallet, in lucem evulgare. Singulorum autem librorum initia, ſi cui animus eſt cognoſcere, ex ſubjecto Indice deprehendet.

ALC. AVITI METRUM IN EXODUM. Verſus continet M. CCC. XXVII.

Interea varios agitant dum tempora curſus,
Es nova ſucciduo ſurgit de germine proles.

IN LEVITICUM. Verſus continet CCCVIII.

Poſtquam conſpicuo longinqua in devia templo
Extrema eſt impoſita manus, mox cura ſacrorum
Vatibus incubuit.

IN NUMEROS. Verſus continet DCXXCIX.

Verterat interea ſolitis ſe curſibus annus
Menſibus explicitis ſua per veſtigia currens.

IN DEUTERONOMIUM. Verſus continet CCXXCVII.

Hactenus informis eremi vexatus arenis
Jordanem ad fluvium populus promoverat arma.

IN LIBRUM JESU NAVE Verſus continet CCCCLII.

Hæc inter Dominus Jeſum dignatus adire
Promittit validis ſublimem confore donis
Admonitum tranſire vadum Jordanis amœni.

IN LIBRUM JUDICUM. Verſus continet DCXCV.

Poſtquam conſpicuo Jeſus deceſſerat actu,
Reddideratque Deus famulum poſt bella quieti,
Confeſtim Judæa tumens ſibi poſcere regem
Incipit, & Dominum quæ ſit ſententia poſcit.

* Pauca hæc Aviti quæ ſequuntur, poſt Sirmondum ab aliis edita, daſiderari noluimus, ut Avitus qua licet integer hic extaret. Epiſtolam quoque Symmachi Papæ ad Avitum adjicere viſum eſt, nec non Epiſcoporum coram Rege Gundebaldo collationem, in qua primas partes habet Avitus, imo catholicorum Antiſtitum ipſe unus ſermonem habet.

SANCTI AVITI EPISCOPI VIENNENSIS EPISTOLÆ QUATUOR.

Primum a Joanne Ferrando Presbytero Societatis Jeſu anno M. DC. LXI. *ex veteri codice M S. clariſſ. viri Petri Marnæſii Senatoris Gratianopolitani: rurſus a viro clariſſ. Stephano Baluzio ex eodem codice M S. emendatiores editæ anno* M. DC LXXVIII. *in libro primo Miſcellaneorum.*

I. Ad Gundobadum Regem Burgundionum.

Epiſtola Aviti Epiſcopi ad Domnum Regem facta.

AVitus Epiſcopus Domno Regi. Quæſtio quam pietas veſtra differendam propoſuit, tota prorſus ad interiorem figuram ſpiritali conſideratione referenda eſt. Neque enim illud centuplicato fœnore promittitur reformandum, quod unuſquiſque animo miſerendi alimoniæ pauperum pia profeſſione contulerit: quia & in hac ipſa eleemoſynaria largitate, in qua operantis ſenſus potius quam cenſus aſpicitur, non eſt doni quantitas penſanda, ſed ſtudii. Quo factum eſt per evangelicam lectionem, ut infinitis auri argentique donariis paupertina numi duplicis præferatur oblatio.

A

Quæ ſi utique viduæ donatrici ad menſuram centupli redderetur, ſine dubio cunctis minus reciperet quæ minus omnibus intuliſſet. Unde & ſanctus Petrus cum dixiſſet, *Ecce nos* Matth. 19.
reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, qui certe, ſicut lectio docet, nihil aliud quam retia reliquerat, quibus tenuem victum piſcandi artificio tranſigebat, reſponſum illi eſt: *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Namque cum in ſcripturis ſanctis centenarius numerus

omni perfectione ſacratus ſit, diſcernite quod reddantur in centuplum, non quæ tribuuntur Chriſti nomine, ſed quæ pro Chriſti nomine relinquuntur: quia licet magna ſalutaris proſit merces eleemoſynæ, incomparabiliter tamen majus eſt omnia dimittere, quam plurima diſpenſare. Quocirca definiat gloria veſtra de ſolo iſtud martyrio prædicari, cujus coronæ nullum penitus meritum humani operis exæquatur. Iſte eſt centeſimus fructus, qui in futuro quidem vitam æternam expectat, ſed in præſenti quoque ſæculo illatas martyribus contumelias mirificato honore compenſat. Unde & alio evangelii loco dominicus ſermo teſtatur quod ad centenariam frugem cadens in terram bonam nutritæ ſementis germen exierit. Parentes ergo, uxorem, vel filios, ſive fratres pro Chriſti tantum conſecrat nomine relinquendos, id eſt, cum pro adſerenda nominis confeſſione, non tantum hujuſmodi neceſitudinum, ſed animarum quoque nobis corporumque facienda jactura ſit. De qua diviſione idem Dominus alio loco, *Veni*, inquit, Matth. 10. *ſeparare filios adverſus parentes*, *nurum adverſus ſocrum*. id eſt, ut quorumlibet affectuum perſonæ, tendentibus nobis ad Chriſtum, ſi comitari noluerint, deſerantur. Excepto autem hoc ſenſu, propinquitates iſtas non ſemper nobis ut præjudicatas debere dimitti. & exemplis & ratione colligitur. Nec enim & illi propinqui dimittendi ſunt, qui ad cæleſtes coronas contemptu ſæculi calcata morte feſtinant; neque ſuadere fidelibus poſſumus ut conjugia vel parentes abiciant, cum Dominus clamet quod non Matth. 19. Marc. 10. 1. Tim. 5. liceat homini dimittere uxorem. *Et quod Deus*, inquit, *conjunxit*, *homo non ſeparet*. Et Apoſtolus proteſtatur quod qui ſuis & maxime propinquis non providet, fidem neget, ſitque deterior infideli. Dominum Petrus, Petrum conjux propria ſequebatur. Ceſſante carnali uſu, manebat ſpiritale ſolatium. Et comitante ſe Andrea germano, nec fratrem nec uxorem dimiſerat, in quorum contubernio Chriſti veſtigiis adhærebat. Quapropter perſonas hujuſmodi non obeſſe nobis, ſed impedire timendum eſt. Nam cum omnino hominum generi, ordini, dignitati obtinendum cæleſte regnum divinus ſermo proponat, eſt temerarius prædicator, neceſſitati principum, quæ regnum divinis nutibus adminiſtrat, ſi omnia quæ ſupra diximus relinquenda ſuaſerit, cum tamen etiam perſonis hujus culminis contemptus mundi ſuggeri, & cælorum regnum debeat repromitti, Apoſtolo, ſicut recolitis, proteſtante locupletibus, ut divites ſint in operibus bonis, & theſaurizent ſibi fundamentum bonum, ut apprehendant veram vitam. Quibus ſecundum hanc ſententiam agrorum ſive reddituum & prodeſſe uſus poterit, ſi non nocuerit appetitus. Eſt tamen & aliud ſanctitatis genus, in quo ſi tempus perſecutionis aſſiſtat, martyrium quoddam plena confeſſio queat imitari. Si quis enim antiquam parentum conſuetudinem ſive ſectam melius credendo commutet, nec teneatur privilegio conſuetudinis, cum veritas provocat ad dilectionem ſalutis, utiliter hic parentes, fratres, ſororeſque dimittit, velut Abraham dives, qui cunctis cæleſtibus donis fruens, filiis, famulis, auro, argento, patrimonio, matrimonio recte uſus, patriæ ſe tamen & cognationi ſuæ voto mutandæ religionis excuſſit, & imminente jam ſenio, ſignum circumciſionis, quo Chriſtianitas figurabatur, accipiens, provectos jam per ætatem converſione pueros fieri poſſe præmonuit. De quibus & propheticus ſermo, *Puer*, inquit, *centum annorum morietur*. Iſa. 65. id eſt, centuplum accipiet quod puer factus eſt: quem præfata ſacrati numeri pluralitate præſtantem, ſicut ætate matura vivendi novitas fecit puerum, ſic cuſtodita renovatio immortalis faciet longævitate profectum.

II. *Epiſtola beati Aviti Epiſcopi ad illuſtrem virum Arigium.*

AVitus Epiſcopus viro illuſtriſſimo Arigio. Scio quidem quantæ devotionis affectu ire me ad feſta communia voluiſtis, veruntamen ita ut quem gaviſurum tantummodo vobiſcum, non aliquid profuturum, credere debueritis. Nam cum vobis ſacerdotes & magni merito & multi numero digne atque ambienter occurrerint, ego ſolus damno percellor, qui ſingularis patroni gaudiis intereſſe non mereor. Quibus ſi præſentia mea ſecundum deſiderium proveniſſet, ſicut optaveram de laude tanti operis quoſcunque digni ſermonis audirem, qui omnibus membris fabricæ ſublimis inſpectis, congruenter poſſent aſcribere conditori in diſpoſitionum qualitate elegantiam, in expenſarum profuſione jacturam, in dimenſionum ratione concordiam, in ſpatiis diffuſionem, in culminibus celſitudinem, in humilitate firmitatem, expolire præconiis marmorum dignitatem, quibus gemmarum nomen ſola magnitudinis tollat invidia, collectum quodam modo atque incluſum induſtria diem, emolumento metallorum ſplendentium luce vegetari, hiſque omnibus pompis digne inferri reliquias, quibus mundus indignus eſt. Hæc igitur exaggeranda melioribus jure conceſſeram. Veruntamen peculiarem ſibi mercedem ſuam ſermo meus fuerat vindicaturus, recolens utique tempus illud quod inter ſæviſſimas perturbationum procellas, cum facti operis firmam ſoliditatem quaſi gubernatores invicti ad dedicationis portum circumſtridentibus undique naufragiorum caſibus impune duxiſtis, me, ut ex communi neceſſitate recolitis, pro gaudiis lacrymas dependente; cui cum ipſum præmaturæ innovationis ardore, cauſarum ratione librata, non minus congerere ſuadeo quam plangere: quia non ut nuptæ tali ſponſo, cui pacta fuerat, qualitercunque jungendæ, etſi ſatis deſiderabantur ſtrumenta cultuum, plus tamen formidari oportuit tela raptorum. Quocirca his omnibus conſilio maturiore penſatis, mutaſtis viri fortis conſtantiæ genus, & deponentes quo * adpeſſime floretis ſæcularis ducatus audaciam, quicquid ab adverſa parte diſcriminis incubuerat, timore viciſtis. Quapropter omnis qui viderit coram poſitam jocunditatem, laudet præteritam feſtinationem. Convenit diſpoſitionibus veſtris rapta de adverſitate ſecuritas. Ante decuit noſtrum fieri quod taliter libuerat ornari. Ego autem ut horum modo viſione non perfruar, & quæ cauſa faciat, & nobiles patroni, & quales arbitri, etiamſi taceatur, advertitis. Apoſtolorum namque feſtivitas Viennenſibus quidem veſtris inter annuum martyrium dies peculiari ſtudio vivit. Habeo præſentiam tempori, quo diei paſſionis fabriculæ quam noſtis videtur injuncta eſſe dedicatio virorum, quia nihil eſt ad quod animum meum veſter deſtinare non poſſit affectus. Excuſans plebiculæ abſentiam, meam anteponerem conſuetudini ſingularitatem, niſi, ut noſtis, in ipſis pœnitentibus noſtris fervor appetens vitium vi-

* ſ. *optiſſime*

cinum diu formaret atque ſtrepitum; cum e noſtris ambitio aliquos, alios ſollicitudo adoleſcentior, multos gula tractura ſit. Veritus ſum ne forte ſi vel paucos qui forent quos aliena declinantes, ſuæ magis feſtivitati ſtudium manſuetudinis aggregaret, apud aliquos animus, ut ſolet in tali turbatione, motus iſti quaſi per abſentiam meam, eo die curſus noſtræ devotionis putaretur omitti, quo diverſæ partes videbantur inſtitui. Unde excuſationem meremur. Si rationem rite agnoviſtis, ignoſcite, communem feſtivitatem præteritorum recordatione, præſentium plenitudine cognoſcite, tam abſentium eſt quam præſentium officiis celebrate. Confido de miſericordia Dei noſtri quod etiam mihi in hoc loco quandocunque oportunius verbi præſtabit aditum, quibus geminatæ conſecrationis ornatiorem conceſſit effectum.

III. *Epiſtola beati Aviti Epiſcopi ad Stephanum Epiſcopum.*

AVitus Epiſcopus Stephano Epiſcopo. Poſt ſanctam feſtivitatem, quam licet avidi atque anxii, veſtro tamen interventu divinaque tuitione tranſivimus, debito famulatus obſequio ac ſedulæ ſollicitudinis devotione ſervimus, quicquid illud nobiſcum meritæ aſperitatis eſt, ſolari veſtræ, quam Deus ſemper augeat, proſperitatis agnitione cupientes.

IV. *Epiſtola Aviti Epiſcopi ad Gregorium Epiſcopum.*

AVitus Epiſcopus Gregorio Epiſcopo. Meis potius aſcribo peccatis, quod vos ad diſpoſitionem piiſſimæ voluntatis corporis inæqualitas impedivit, quamquam conſueta dignatio oratione nos & oblatione comitata ſit. Unde ſalutationis officia pagina famulante perſolvens, ſupra quam ſermone valeo gratias ago, quod feſtivitatem noſtram pleno vos deſiderio ſitientem, etiamſi non ſatiaſtis præſentia, reſeciſtis expenſa.

* FRAGMENTA

Libri de divinitate Spiritus ſancti.

** Vir clariſſ. Stephan. Baluzius in Miſcella lib. 1. hæc fragmenta edidit ex veteri codice M S. Monaſterii S. Galli in Helvetia. Vide opera Aviti pag. 107.*

SAnctus *Avitus in illo libro quem de divinitate Spiritus ſancti contra Gundobadum Arrianum Regem ſcripſit, proceſſionem Spiritus ſancti a patre & filio ita declarat.*

De divinitate Spiritus ſancti, quem nec factum legimus, nec genitum, nec creatum, Deus eſt, Deus qui operatur omnia in omnibus. Et eodem loco: *Omnia autem hæc operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* Et Petrus in Actibus Apoſtolorum: *Quid convenit*, inquit, *inter vos mentiri Spiritui ſancto?* Et poſt: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo*, Item alio loco: *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* Et alibi: *Si quis ſpiritum Dei non habet, hic non eſt ejus.* Nos vero ſpiritum ſanctum dicimus a filio & patre procedere,

1. Cor. 12. — Act. 5. — 1. Cor. 3. — Rom. 8.

Idem Avitus in eodem libro.

IPſe certe per ſe Dominus, *Spiritum*, inquit, *veritatis qui a patre procedit*. Enimvero non dicendo *proceſſit*, ſed *procedit*, non tempus procedentis docuit, ſed præterito futuroque ſubmoto, ſub interminabilis æternitate præſentiæ virtutem proceſſionis oſtendit; ut ſicut eſt proprium Spiritui ſancto a patre filioque procedere, iſtud catholica fides etiamſi renuentibus non perſuaſerit, in ſuæ tamen diſciplinæ regula non excedit.

Joan. 15.

Item Avitus.

SPiritum ſanctum æque patris & filii eſſe confiteor, eumque a patre vel filio ſimiliter mitti. quod mecum prolata quoque Apoſtoli ſententia videtur adprobaſſe. Nam legimus: *Paraclitus quem mittet pater in nomine meo.* Et alio loco: *Quem ego mittam vobis a patre.* Nec tamen ut nuper habita * conlocutione tractavimus, ſcinditur una perſonarum diſcretione divinitas. Quia ſi ſpiritus, ut adquieſcitis, a patre filioque vel mittitur vel procedit, non poteſt miſſus mittenſque miſceri, & ex quo procedit procedenſque confundi.

Joan. 14. & 15.

** Ea collatio eſt quæ ſequitur.*

* COLLATIO EPISCOPORUM, PRÆSERTIM AVITI VIENNENSIS EPISCOPI,

coram Rege Gungebaldo adverſus Arianos.

** Hanc vir clariſſ. Lucas Dacherius ex ſchedis Hieronymi Vignerii Congreg. Orat. D. J. edidit in tom. 5. Spicilegii.*

PRovidente Domino Eccleſiæ ſuæ, & inſpirante pro ſalute totius gentis cor Domni Remigii, qui ubique altaria deſtruebat Idolorum, & veram fidem potenter cum multitudine ſignorum amplificabat, factum eſt ut Epiſcopi plures non contradicente Rege * congregarentur, ſi fieri poſſet, ut Ariani, qui religionem Chriſtianam ſcindebant, ad unitatem poſſent reverti. Quod ut melius fieret, videreturque id non conſilio accidiſſe ſed occaſione, Domnus Stephanus ſcripſit ad Epiſcopos multos, & invitavit illos ad feſtivitatem S. Juſti quæ inſtabat, in qua ob frequentiam miraculorum fiebat concurſus plurimus populorum. Venerunt itaque de Vienna Avitus, de Arelate Æonius, de Valentia . . . . , de Maſſilia . . . . . . ius, & plures alii omnes Catholicæ profeſſionis & laudabilis vitæ in Domino. Qui omnes ad ſalutationem Regis cum Domno Stephano ad Sarbiniacum, ubi tunc erat, profecti ſunt. Erant quidam inibi de potentioribus Arianis cum eo, qui ſi potuiſſent, prohibuiſſent noſtrorum acceſſum ad Regem, ſed, Domino cooperante, nihil profecerunt.

** Gundebaldo.*

Poſt ſalutationem factam, Domnus Avitus, cui, licet non eſſet ſenior nec dignitate, nec ætate, tamen plurimum deferebatur, dixit ad Regem: Si excellentia veſtra vellet procurare pacem Eccleſiæ, parati ſumus fidem noſtram tam clare demonſtrare eſſe ſecundum Evangelium &

Apoſtolos, quod nulli dubium erit, illam quam retinetis non eſſe ſecundum Deum & Eccleſiam. Habetis hic de veſtris qui ſunt inſtructi in omnibus ſcientiis, jubeatis ut nobiſcum colloquantur, & videant ſi poſſint reſpondere rationibus noſtris, ut parati ſumus reſpondere rationibus eorum.

Ad quæ Rex reſpondit: Si veſtra fides eſt vera, quare Epiſcopi veſtri non impediunt Regem Francorum, qui mihi bellum indixit, & ſe cum inimicis meis ſociavit ut me deſtruerent: nam non eſt fides ubi eſt appetentia alieni, & ſitis ſanguinis populorum: oſtendat fidem per opera ſua.

Tunc humiliter reſpondit Domnus Avitus faciem habens Angelicam ut & ſermonem: Ignoramus, o Rex, quo conſilio & qua de cauſa Rex Francorum facit quod dicitis; ſed Scriptura nos docet, quod propter derelictionem legis Dei ſæpe ſubvertuntur regna, & ſuſcitantur inimici omni ex parte, illis qui ſe inimicos adverſus Deum conſtituunt. Sed redite cum populo veſtro ad legem Dei, & ipſe dabit pacem in finibus veſtris; nam ſi habetis pacem cum illo, habebitis & cum cæteris, & non prævalebunt inimici veſtri.

Cui Rex: Nonne legem Dei profiteor? ſed quia nolo tres Deos, dicitis quia non profiteor legem Dei. In Scriptura ſancta non legi plures eſſe Deos, ſed unum.

Ad quæ Domnus Avitus: Abſit, o Rex, ut plures Deos colamus: *Unus eſt Deus tuus, o Iſrael*, ſed ille unus Deus in eſſentia, eſt trinus in perſonis; & Filius, & Spiritus ſanctus non ſunt alii Dei, ſed unus Deus, cujus prima perſona eſt Pater, ſecunda Filius, tertia Spiritus ſanctus; ſed Patri non eſt alia ſubſtantia quam Filio, & Spiritui ſancto non eſt alia quam Patri & Filio; & ille Deus qui olim locutus eſt per Prophetas, noviſſime locutus eſt in Filio, & adhuc loquitur quotidie in Spiritu ſancto. Et quamvis olim per Prophetas, mox per Filium, nunc per Spiritum, unus idemque Deus loquitur; ſed ſic dicitur ad diſtinctionem perſonarum, cum revera ſint coæternæ & conſubſtantiales. Hoc profitemur & parati ſumus oſtendere.

Et cum videret Regem pacifice audientem, protelavit ſermonem & dixit: O ſi vellet ſagacitas veſtra cognoſcere quam bene fundata ſit noſtra fides, quantum boni vobis & populo veſtro inde proveniret; nam & cæleſtis gloria vobis non deeſſet & pax abundantia in turribus veſtris. Sed veſtri cum ſint inimici Chriſti ſuper regnum veſtrum, & ſuper populum, iram deſuper accendunt, quod, ut ſperamus, non eſſet ſi velletis audire monita noſtra, & jubere ut veſtri Sacerdotes de his nobiſcum colloquantur coram ſublimitate veſtra, & populo veſtro, ut ſciatis quia Dominus Jeſus eſt æterni Patris æternus Filius, & utrique coæternus Spiritus ſanctus, unus Deus benedictus in ſæcula; ſimulque ante omnia tempora & abſque ullo initio.

Cum hæc dixiſſet procidit ad pedes Regis, & amplectens eos flebat amare. procubuerunt & omnes Epiſcopi cum eo: unde Rex valde commotus eſt, & inclinans ſe uſque ad eos, erexit Domnum Avitum cum cæteris, quibus amicabiliter dixit ſe reſponſum daturum illis ſuper petitionibus illorum.

Quod & craſtina die factum eſt: nam Rex per Sagonam rediens ad urbem miſit ad Domnos Stephanum & Avitum, ut venirent apud illum: qui cum veniſſent, Rex dixit ad illos: Habetis quod poſtulatis, nam Sacerdotes mei A parati ſunt vobis oſtendere quod nullus poteſt eſſe coæternus & conſubſtantialis Deo. Sed nolo ut id fiat coram omni populo, ne turbæ excitentur; ſed tantum coram Senatoribus meis, & aliis quos eligam, ſicut vos eligetis ex veſtris quos volueritis; ſed non in magno numero. & id fiet die craſtina in hoc loco. Quo dicto Epiſcopi ſalutato Rege diſceſſerunt, & reverſi ſunt ut omnia intimarent aliis Epiſcopis. Erat autem vigilia ſolemnitatis S. Juſti. Et licet optaviſſent quod hoc fieret die ſolemnitatem ſequenti, noluerunt tamen propter tantum bonum amplius procaſtinare. Sed unanimiter decreverunt apud S. Juſti ſepulcrum pernoctare, ut illo intercedente obtinerent a Domino petitiones B cordis ſui.

Evenit autem ut ea nocte cum Lector ſecundum morem inciperet lectionem a Moyſe, incidit in illa verba Domini: *Sed ego indurabo* Exodi 7. *cor ejus, & multiplicabo ſigna & oſtenta mea in terra Ægypti, & non audiet vos*. Deinde cum poſt Pſalmos decantatos recitaret ex Prophetis, occurrerunt verba Domini ad Eſaiam dicentis: *Vade & dices populo huic, audite audientes &* Eſaiæ 6. *nolite intelligere; & videte viſionem & nolite cognoſcere. Excæca cor populi ejus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude ne forte videat oculis ſuis, & auribus audiat, & intelligat ſuo corde, & convertatur, & ſanem eum*. Cumque adhuc pſalmi fuiſſent decantati, & legeret ex C Evangelio incidit in verba quibus Salvator exprobrat Judæis incredulitatem: *Væ tibi Corrazaim*, Matth. c. 11. *væ tibi Betzaida; quia ſi in Tyro & in Sidone virtutes factæ eſſent, quæ ſunt factæ in vobis, jamdudum in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent*. Denique cum lectio fieret ex Apoſtolo, pronunciata ſunt verba illa: *An divitias bonitatis ejus* Ad Rom. 2. *& patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam ſuſtinentia Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum autem duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in tempore iræ*. Quod cum ab omnibus Epiſcopis obſervatum fuiſſet, cognoverunt lectiones illas ſic occurriſſe volente D Domino, ut ſcirent induratum eſſe cor Regis, Deumque illum in ſua impœnitentia relinquere, ad oſtendendum divitias juſtitiæ ſuæ, unde valde triſtes effecti, noctem in lacrymis tranſegerunt. Non deſtiterunt tamen veritatem noſtræ religionis contra Arianos aſſerere.

Igitur tempore quo Rex juſſerat, conveniunt omnes Epiſcopi, & ſimul ad Regiam vadunt cum multis Sacerdotibus & Diaconibus, & quibuſdam de Catholicis, inter quos erant Placidus & Lucanus, qui erant de præcipuis militiæ Regis. Venerunt etiam Ariani cum ſuis. Cum ergo ſediſſent coram Rege Domnus Avitus pro Catholicis, Bonifacius pro Arianis, ſermonem habuerunt. Sed poſtquam Domnus Avitus pro- E poſuit fidem noſtram cum teſtimoniis ſacræ Scripturæ, ut erat alter Tullius, & Dominus inſpirabat gratiam omnibus quæ dicebat; tanta conſternatio cecidit ſuper Arianos, ut qui ſatis ambicabiliter audientiam præbuerat Bonifacius, nihil omnino reſpondere poſſet ad rationes Domni Aviti, ſed tantum quæſtiones difficiles proponeret, quibus videbatur velle Regem fatigare. ſed cum ab Avito urgeretur, ut reſponderet ad antedicta, promittens ſe etiam reſponſurum ad ea quæ propoſuerat, non potuit reſpondere ad unam de rationibus quæ fuerant a Domno Avito propoſitæ, neque ullam pro defenſione ſuæ partis allegare; ſed tantum os ſuum in convitiis aperiebat, & dicebat Catholicos eſſe

eſſe præſtigiatores, & colerere multitudinem Deorum. Quod ſolum cum diceret, videretque Rex confuſionem ſuæ ſectæ, ſurrexit de ſua ſede, dicens quod in craſtinum reſponderet Boniſacius. Diſceſſerunt ergo omnes Epiſcopi: & quia adhuc dies non erat inclinata, iverunt ſimul cum cæteris Catholicis ad Baſilicam Domni Juſti, confitentes Dominum quoniam bonus, & laudantes eum qui dederat illis talem victoriam de inimicis ſuis.

Sequenti vero die iterum ad Regiam profecti cum his qui in præcedenti aderant: cumque ingrederentur, invenerunt Aredium, qui eis perſuadere volebat ut regrederentur; dicebat enim quod tales rixæ exaſperabant animos multitudinis, & quod non poterat aliquid boni ex eis provenire. Sed Domnus Stephanus, qui ſciebat illum ſavere Arianis ut gratiam Regis conſequeretur, licet fidem noſtram profiteretur, reſpondit ei quod non timendum erat ne rixæ procederent ex inquiſitione veritatis, & amore ſalutis fratrum ſuorum, imo nihil eſſe utilius ad jungendos animos in ſancta amicitia, quam cognoſcere apud quos eſſet veritas, quia ubicunque eſt, amabilis eſt, & profeſſores ejus reddit amabiles.

Addidit inſuper omnes huc veniſſe ſecundum juſſionem Regis, contra quod reſponſum non eſt auſus Aredius amplius reſilire. Ingreſſi ſunt ergo, & cum Rex eos vidiſſet, ſurrexit in occurſum eorum, mediuſque inter Domnum Stephanum & Domnum Avitum adhuc multa locutus eſt contra Francorum Regem, quem dicebat ſolicitare fratrem ſuum contra ſe. Sed cum reſponderent præfati Epiſcopi, quod non eſſet melior via ineundi pacem, quam concordare in fide, & operam ſuam, ſi gratam haberet, pollicerentur pro tam ſancto fœdere conciliando, nihil amplius locutus eſt, ſed unuſquiſque locum quem præcedenti die tenuerat, occupavit.

Cum itaque ſediſſent, Domnus Avitus tam lucide probavit quod Catholici non plures Deos adorabant, ut ſapientiam ejus tam Catholici quam adverſarii cum ſtupore mirarentur. Id autem fecit ut reſponderet conviciis quæ Boniſacius in noſtram fidem jecerat. Poſtquam ergo conticuit, ut locum daret reſponſionibus Boniſacii, nihil aliud potuit ille dicere, quam quod præcedenti die fecerat, & conviciis addens convitia, tanto impetu clamabat, ut præ raucitate non poſſet amplius loqui, & quaſi ſuffocaretur.

Quod cum Rex vidiſſet, & ſatis diu expectaſſet, tandem ſurrexit vultu indignationem prætendens contra Boniſacium. Tunc Domnus Avitus dixit ad Regem: Si ſublimitas veſtra vellet jubere ut hi reſponderent propoſitionibus noſtris, ut poſſet judicare quænam fides eſſet retinenda. Sed nihil Rex reſpondit, neque cæteri Ariani qui erant cum illo, adeo ſtupefacti erant de doctrina & ſapientia Domni Aviti. Qui cum videret eorum ſilentium ſubjunxit: ſi veſtri non poſſunt reſpondere rationibus noſtris, quid obſtat, cur non omnes ſimul conveniamus in eadem fide. Tunc murmurantibus illis, de ſua fide ſecurus in Domino addidit: Si rationes noſtræ non poſſunt illos convincere, non dubito quin Deus fidem noſtram miraculo confirmet; jubeat ſublimitas veſtra ut tam illi quam nos eamus ad ſepulcrum hominis Dei Juſti, & interrogemus illum de noſtra fide, ſimiliter & Boniſacius de ſua, & Dominus pronunciabit per os ſervi ſui in quibus complaceat. Rex attonitus annuere videbatur: ſed inclamare cœperunt Ariani, & dicere ſe pro fide ſua manifeſtanda facere nolle ut fecerat Saul, & ideo maledictus fuerat; aut recurrere ad incantationes & illicita, ſufficere ſibi ſe habere Scripturam, quæ ſit fortior omnibus præſtigiis, & hæc ſemper repetentes, & boantes potius quam vociferantes; Rex qui jam ſurrexerat accipiens per manus Domnum Stephanum & Domnum Avitum duxit eos uſque ad cubiculum ſuum, & cum intraret amplexus eſt eos, dicens ut orarent pro eo. Cognoverunt quidem illi perplexitatem & anguſtias cordis ejus, ſed quia Pater eum non traxerat; non potuit venire ad Filium, ut veritas impleretur: *Non eſt volentis, neque feſtinantis, ſed miſerentis Dei*. Et ex ea die plurimi Ariani ad pœnitentiam venerunt, & poſt aliquot dies baptizati fuerunt, & magnificavit Dominus fidem noſtram per interceſſionem Domni Juſti in conſpectu omnium.

SYMACHI PAPÆ
AD AVITUM
VIENNENSEM EPISCOPUM
EPISTOLA.

Item Dacherius edidit in tomo 5. Spicilegii.

Dilectiſſimo fratri Avito Symmachus.

NOn debuit caritatem tuam offendere, quod ad Fratrem & Coepiſcopum noſtrum Æonium nuper reſcripſimus. Non enim juri tuo, dilectiſſime Frater, præjudicatum fuit, cum nos, inaudita parte, & abſque competenti inſtructione, non poſſe judicare reſpondimus. Unde Fraternitati tuæ ſalvum eſt allegare quod putaverit allegandum, & proponere quod viderit proponendum. Nam licet confuſionem provinciæ a prædeceſſore noſtro ſanctæ memoriæ Anaſtaſio Epiſcopo præter Eccleſiæ conſuetudinem, & antiqua Prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta factam eſſe dixerimus, & non eſſe tolerandam; attamen ſi ea quæ fecit, rationabiliter feciſſe Fraternitas tuas docuerit, gaudebimus nihil eſſe ab eo contra canones attentatum, quia quod fit præter regulam, modo ſit ex juſta cauſa, non infringit regulam, quam

IDATII EPISCOPI
CHRONICON,
ET
FASTI CONSULARES.

Opera & ſtudio JACOBI SIRMONDI *Societatis Jeſu Presbyteri*
anno M. DC. XIX.

LECTORI

DE CHRONICO ET FASTIS IDATII.

I*Datii Chronicon, cujus excerpta tantum quædam ab Henrico Caniſio primum, deinde a Joſepho Scaligero edita fuerant, integrum nunc demum indicem prodit, unde nuper Romæ vulgari cœptum eſt. ex antiquo videlicet codice noſtro, quem qui Romanam editionem curavit, quia Pariſiis eſſe audiverat, Pariſienſem appellavit: nos Metenſem potius dicturi eramus, quod Metis olim exſcriptum arbitremur; inde certe ad nos ex Monaſterio non ignobili nec obſcuro pervenerit. Quanti autem merito eſſe debeat hic libellus, tute, Lector, ſtatim agnoſces. Intelliges enim, non ſolum ab hoc fonte hauſta ea eſſe, quæ de Gothorum, Suevorum, aliarumque gentium rebus in Hiſpania Galliaque per ea tempora geſtis, apud Iſidorum, & alios ſcriptores, non aliis ferme quam Chronici hujus verbis contexta leguntur: ſed alia præterea tum ad ſacram, tum ad civilem hiſtoriam plurima hic doceri, quæ ut ceteris omnibus intacta qui extant, ipſi nos etiam, niſi ab Idatio prodita eſſent, ignorare cogeremur. Facile ergo judicabis publici uſus fuiſſe, ut non diutius hoc beneficio careremus. Nec vero minor, ut ſpero, erit gratia Faſtorum Conſularium, quos Chronico adjecimus, Idatianoſque jam alibi nominavimus: non tam quod in eodem codice Idatii Chronico ſubjiciebantur; quam quod rerum & verborum in utroque opere affinitas & cognatio, epocharumque & temporum par obſervatio, totius denique ſcriptionis color idem ac genius, eundem utriuſque auctorem fuiſſe ſatis oſtendant, tametſi auctoris nomen nullum præferat Inſcriptio, quæ his verbis ibi concepta eſt,* Deſcriptio Conſulum ex quo primum ordinati ſunt. *Etſi porro in exemplari noſtro procedebant hi Faſti ad ſecundum uſque Anthemii Conſulatum, hoc eſt ad ea tempora, in quibus Idatii Chronicon deſinit, atque a primis orſi Conſulibus, omnia exinde ad eum uſque annum paria Conſulum percenſebant: nobis tamen, dum aliud conſilium dies proferat, ſatius in præſens viſum eſt, eam duntaxat partem edi, quæ ab antiquariis minus fuerat depravata, & memorabilium rerum varietate, atque fructu tibi acceptior, jucundiorque fore videbatur. Fruere itaque, Lector, & vale.*

IDATII EPISCOPI CHRONICON.

PRÆFATIO.

IDATIUS SERVUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI univerſis fidelibus in Domino Jeſu Chriſto, & ſervientibus ei in veritate ſalutem.

PRobatiſſimorum in omnibus virorum ſtudia, quos præcipue in fide Catholica, & converſatione perfecta teſtes veritatis divini cultus docet adſertio, ut ornantur decore dictorum, ita & commendantur honore meritorum, ut miram in omni opere ſuo obtineant firmitatem. Verum Idatius provinciæ Gallæciæ natus in Lemica civitate, mage divino munere, quam proprio merito, ſummi præſul creatus officii, ut extremus plagæ, ita extremus & vitæ, perexiguum informatus ſtudio ſæculari, multo minus docilis ſanctæ lectionis volumine ſalutari; ſanctorum & eruditiſſimorum patrum in præcedenti opere ſuo, pro capacitate proprii ſenſus aut verbi, oſtenſum ab his ſecutus exemplar. Quorum primus Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, qui Eccleſiaſticas ſui numeri libris ſcripſit hiſtorias, ab initio Nini regnantis Aſſyriis, ſancti Abrahæ patriarchæ Hebræis, & reliquorum contemporales his annos regum, in viceſimum Conſtantini Auguſti quo imperabat annum, Græci ſermonis Chronographiæ concludit hiſtoria. Poſt hunc ſucceſſor ſyngrapheus perfectus univerſis factorum dictorumque monimentis, Hieronymus presbyter, idem Euſebius cognomento, de Græco in Latinum ſcripturæ hujus interpres, a viceſimo anno ſupradicti Imperatoris in quartum decimum Valentis Auguſti annum ſubditam texit hiſtoriam. Eſto ut in ſanctis quibus deguit Hieroſolymorum locis, a memorato Valentis anno in tempus, quo in præſenti vita duravit, forte quamplurima de his quæ ſunt inſecuta ſubjecerit: quia haud unquam, dum valuit, a diverſo ſtyli opere ceſſavit. Quem quodam tempore propriæ peregrinationis in ſupradictis regionibus adhuc infantulus vidiſſe me certus ſum. Qui poſt aliquot annos beato ut erat manſit in corpore. Si tunc proprio operi quod

A ſubdidit aliqua ſubjunxerit, apud eos, ad quos ſcriptorum ejus omne opus vel ſumma pervenit, certa & plena cognitio eſt. Sed quoniam in cujuſdam ſtudii ſui ſcriptura dixiſſe eum conſtat, debacchantibus jam in Romano ſolo barbaris omnia haberi permixta, atque confuſa, opinamur ex hujus indicio ſermonis, in hoc per ſe annorum volumine ſubdito de ſucceſſione temporum ab ipſo nihil adjectum. Tamen quia ad noſtri temporis curſum, ut ſuperior lectio docet, deſcriptio defluxit annorum, cum membrana hujus hiſtoriæ curam contigiſſet expertis, mentem monuit imperiti, ut de cognitis, etſi in omnibus impari greſſu, vel veſtigiis ſe ſubſterneret præceſſorum.

B Quæ fideli ſuſcipiens cordis intuitu, partim ex ſtudio ſcriptorum, partim ex certo aliquantorum relatu, partim ex cognitione quam jam lacrymabile propriæ vitæ tempus oſtendit, quæ ſubſequuntur adjecimus. Quorum continentiam geſtorum & temporum, qui legis ita diſcernes. Ab anno primo Theodoſii Auguſti in annum tertium Valentiniani Auguſti, Placidiæ reginæ filii, ex ſupradicto a nobis conſcripta ſunt ſtudio, vel ex ſcriptorum ſtylo, vel ex relationibus indicantum. Exin immerito adlectus ad Epiſcopatus officium, non ignarus omnium miſe-

C rabilis temporis ærumnarum, & concluſi in anguſtias imperii Romani metas ſubdidimus ruituras, & quod eſt luctuoſius, intra extremam univerſi urbis Gallæciam deformem Eccleſiaſtici ordinis ſtatum, creationibus indiſcretis honeſtæ libertatis interitum, & univerſæ propemodum in divina diſciplina religionis occaſum ex furentium dominantem permixta iniquarum perturbatione nationum. Hæc jam quidem inſerta: ſed poſteris in temporibus quibus offenderint, reliquimus conſummanda.

IDATII EPISCOPI CHRONICON.

ROmanorum XXXIX. Theodoſius per Gratianum in conſortium regni adſumptus, cum ipſo, & Valentiniano juniore regnat annis XVII.

I. Theodoſius natione Hiſpanus, de provincia Gallæcia, civitate Cauca, a Gratiano Auguſtus appellatur.

Inter Romanos, & Gothos multa certamina conſeruntur.

II. Theodoſius Conſtantinopolim ingreditur in primo conſulatu ſuo, quem cum Gratiano agebat Auguſto.

D Alexandriæ XXI. habetur epiſcopus Theophilus vir eruditiſſimus, inſignis, qui a primo conſulatu Theodoſii Auguſti Laterculum per centum annos digeſtum de Paſchæ obſervatione conſcripſit. Olymp. CCXC.

III. Athanaricus rex Gothorum apud Conſtantinopolim decimo quinto die ex quo a Theodoſio fuerat ſuſceptus interiit.

IV. Gothi infida Romanis pace ſe tradunt. CCCCXC.

Ambroſius in Italia Mediolani epiſcopus, Martinus in Galliis Turonis epiſcopus, & vitæ meri- VII. Jobeleus ex quo

Galliam, & in Africa Heraclianus pari tyrannidis inſtantur inſania.

Olymp. ccxcviii. Auguſtinus Hipponeregienſis epiſcopus habetur inſignis, inter cujus ſtudia magnifica, Donatiſtas ab eo Dei adjutorio ſuperatos, probata fides demonſtrat auctorum.

XIX. Jovinus, & Sebaſtianus oppreſſi ab Honorii ducibus Narbona interfecti ſunt.

Gothi Narbonam ingreſſi vindemiæ tempore.

Heraclianus movens exercitum de Africa adverſus Honorium, Utriculo in Italia in conflictu ſuperatus effugit in Africam, cæſis in loco ſupradicto L. millibus armatorum. Ipſe poſt Carthagine in æde Memoriæ per Honorium percuſſoribus miſſis occiditur.

Ti. ccccxxx. XX. Ataulfus apud Narbonam Placidiam duxit uxorem: in quo prophetia Danielis putatur impleta, qui ait filiam regis Auſtri ſociandam regi Aquilonis: nullo tamen ejus ex ea ſemine ſubſiſtente.

XXI. Hieroſolymis Joanne quo ſupra epiſcopo * præſidente, ſanctus & primus poſt Chriſtum Dominum martyr Stephanus revelatur.

* MS. *præſidente ſancto & primus.*

Hieronymus, qui ſupra, præcipuus in omnibus, elementorum quoque peritiſſimus Hebræorum, in lege Domini, quod ſcriptum eſt, diurna, nocturnaque meditatione continuus, ſtudia operis ſui reliquit innumera. Ad ultimum * Pelagianorum ſectam cum ejuſdem auctore adamantino veritatis malleo contrivit. Adverſum hos, & adverſum alios hæreticos extant ejus probatiſſima monimenta.

* MS. *Pelagiani.*

XXII. Ataulfus a Patricio Conſtantio pulſatus, ut relicta Narbona Hiſpanias peteret, per quendam Gothum apud * Barcinonam inter familiares fabulas jugulatur. Cui ſuccedens Wallia in regno, cum Patricio Conſtantio pace mox facta, Alanis, & Wandalis Silingis, in Luſitania, & Bætica ſedentibus adverſatur.

* MS. *Barcilonam.*

Olym. ccxcix. Alexandrinæ Eccleſiæ poſt Theophilum quis præſederit, ignoravi hæc ſcribens.

Conſtantius Placidiam accepit uxorem.

(*Fredibalum regem gentis Wandalorum ſine ullo certamine ingenioſe captum ad Imperatorem Honorium deſtinat.*)

XXIII. Walia Rex Gothorum Romani nominis cauſa intra Hiſpanias cædes magnas efficit barbarorum.

XXIV. Solis facta defectio die decimo quarto Kal. Auguſti, qui fuit quinta feria.

Romanæ Eccleſiæ XXXIX. præſidet Epiſcopus * Zoſimus.

* MS. *Eulalius.*

Durante Epiſcopo quo ſupra, graviſſimo terræ motu ſancta in Hieroſolymis loca quaſſantur, & cætera, de quibus in geſtis ejuſdem Epiſcopi ſcripta declarant.

Wandali Silingi in Bætica per Walliam regem omnes extincti.

Alani, qui Wandalis, & Suevis potentabantur, adeo cæſi ſunt a Gothis, ut extincto * Atace rege ipſorum, pauci, qui ſuperfuerant, abolito regni nomine, Gunderici regis Wandalorum, qui in Gallæcia reſederat, ſe patrocinio ſubjugarent.

*MS. *Addace*

Gothi intermiſſo certamine, quod agebant, per Conſtantium ad Gallias revocati, ſedes in Aquitanica a Toloſa uſque ad Oceanum acceperunt.

Wallia eorum rege defuncto Theodoricus ſuccedit in regno.

XXV. Inter Gundericum Wandalorum, & Hermericum Suevorum reges certamine orto,

A Suevi * in Nervaſi montibus obſidentur a Wandalis. * MS. *Nervaſis.*

Valentinianus Conſtantii, & Placidiæ filius naſcitur.

In Gallicana regione in civitate Biterris multa ſigna effecta, terrifica, Paulini epiſcopi ejuſdem civitatis epiſtola enarrat ubique directa.

XXVI. Wandali Suevorum obſidione dimiſſa, inſtante Aſterio Hiſpaniarum Comite, ſub Vicario Maurocello, aliquantis Bracaræ in exitu ſuo occiſis, relicta Gallæcia ad Bæticam tranſierunt.

(*Romanæ Eccleſiæ XL. præſidet Epiſcopus Bonifacius.*)

B Honorius apud Ravennam Conſtantium conſortem ſibi facit in regno.

XXVII. Conſtantius Imperator Ravennæ moritur in ſuo tertio conſulatu. Olymp. ccc.

XXVIII. Caſtinus Magiſter militum cum magna manu, & auxiliis Gothorum, bellum in Bætica Wandalis infert. quos cum ad inopiam vi obſidionis artaret, adeo ut ſe tradere jam pararent, inconſulte publico certamine confligens, auxiliorum fraude deceptus, ad * Tarraconam victus effugit. * MS. *Terraconam.*

Bonifacius palatium deſerens Africam invadit.

XXIX.

C XXX. Honorius actis tricennalibus ſuis Ravennæ obiit. Ti. ccccxl.

Paulinus nobiliſſimus, & eloquentiſſimus, dudum converſione ad Deum nobilior factus, vir Apoſtolicus, Nola Campaniæ epiſcopus habetur inſignis: cui Theraſia de conjuge facta ſoror, teſtimonio vitæ beatæ æquatur, & merito. Extant operis ipſius egregii ſtudia prædicanda. Olymp. ccci.

Romanorum XLI. Theodoſius Arcadii filius, ante aliquot annos regnans in partibus Orientis, defuncto patre, poſt obitum Honorii patrui, monarchiam tenet imperii, cum eſſet annorum viginti ſex.

D Joannes arripit tyrannidem.

I. Theodoſius Valentinianum, amitæ ſuæ Placidiæ filium, Conſtantinopoli Cæſarem facit, & contra Joannem mittit. ſub quo a ducibus, qui cum eo per Theodoſium miſſi fuerant, apud Ravennam primo anno invaſæ tyrannidis occiditur, & Felix Patricius ordinatur * ex Magiſtro militum. *MS. & *Magiſter militum.*

Valentinianus, qui erat Cæſar, Romæ Auguſtus appellatur.

Wandali Balearicas inſulas deprædantur: deinde Carthagine Spartaria, & Hiſpali everſa, & Hiſpaniis deprædatis, Mauritaniam invadunt.

E II. Romanæ eccleſiæ * XLI. præſidet epiſcopus Cæleſtinus. * MS. xl.

III.

IV. Gundericus rex Wandalorum capta Hiſpali, cum impie elatus, manus in eccleſiam civitatis ipſius extendiſſet, mox Dei judicio dæmone correptus interiit. Cui Gaiſericus frater ſuccedit in regno. Qui ut aliquorum relatio habet, effectus apoſtata de fide Catholica in Arrianam dictus eſt tranſiſſe perfidiam

V. Gaiſericus rex de Bæticæ provinciæ litore cum Wandalis omnibus, eorumque familiis, menſe Maio ad Mauritaniam; & Africam relictis tranſit Hiſpaniis. Qui priuſquam pertran- Olymp. cccii.

ſiret, admonitus Hermigarium Suevum vicinas in tranſitu ſuo provincias deprædari, recurſu cum aliquantis ſuis facto, prædantem in Luſitania conſequitur. Qui haud procul de Emerita, quam cum ſanctæ martyris Eulaliæ injuria ſpreverat multis per Gaiſericum cæſis, ex his quos ſecum habebat, arrepto, ut putavit, Euro velocius fugæ ſubſidio, in flumine Ana divino brachio præcipitatus interiit. Quo ita extincto, mox quo cœperat Gaiſericus enavigavit.

VI. Suevi ſub Hermerico rege medias partes Gallæciæ deprædantes, per plebem, quæ caſtella tutiora retinebat, acta ſuorum partim cæde, partim captivitate, pacem, quam ruperant, familiarum, quæ tenebantur, redhibitione reſtaurant.

Per Aetium Comitem haud procul de Arelate quædam Gothorum manus extinguitur, Anaolſo optimate eorum capto. Juthungi per eum ſimiliter debellantur, & Nori.

Felix qui dicebatur Patricius Ravennæ tumultu occiditur militari.

VII. Aetius Dux utriuſque militiæ Noros edomat rebellantes. Rurſum Suevi initam cum Gallæcis pacem libata ſibi occaſione conturbant. Ob quorum deprædationem Idatius epiſcopus ad Aetium ducem, qui expeditionem agebat in Galliis, ſuſcipit legationem. Vetto, qui de Gothis doloſe ad Gallæciam venerat, ſine aliquo effectu redit ad Gothos.

VIII. Superatis per Aetium in certamine Francis, & in pace ſuſceptis, Cenſorius Comes legatus mittitur ad Suevos, ſupradicto ſecum Idatio redeunte.

Olymp. ccciii. Bonifacius in æmulationem Aetii de Africa per Placidiam evocatus in Italiam ad palatium redit. Qui depulſo Aetio in locum ejus ſuccedens, paucis poſt menſibus, inito adverſum Aetium conflictu, de vulnere, quo fuerat percuſſus interiit. Cui Sebaſtianus gener ſubſtitutus per Aetium de palatio ſuperatus expellitur.

IX Regreſſo Cenſorio ad palatium, Hermericus pacem cum Gallæcis, quos prædabatur aſſidue, ſub interventu epiſcopali datis ſibi reformat obſidibus.

Symphoſius epiſcopus per eum ad comitatum legatus miſſus, rebus in caſſum fruſtratur arreptis.

In conventu Lucenſi contra voluntatem Agreſtii Lucenſis epiſcopi, Paſtor & Syagrius epiſcopi ordinantur.

Aetius Dux utriuſque militiæ Patricius appellatur.

[Olymp.] ccccl. X. Sebaſtianus exul & profugus effectus, navigat ad palatium Orientis.

Romanæ Eccleſiæ * XLII. habetur epiſcopus Xyſtus. * MS. xli.

XI. Hieroſolymis Juvenalem epiſcopum præſidere, Germani presbyteri Arabicæ regionis exinde ad Gallæciam venientis, & aliorum Græcorum relatione comperimus, adjicientibus Conſtantinopolim cum eum aliis, & Palæſtinæ provinciæ & Orientis epiſcopis evocatum, ſub præſentia Theodoſii Auguſti, contracto epiſcoporum interfuiſſe concilio ad deſtruendam Hebionitarum hæreſim, quam * Neſtorius ejuſdem urbis epiſcopus pravo ſtultiſſimæ ſectæ reſuſcitabat ingenio. *MS. *Atticus*

Quo vero tempore ſancti Joannes, Hieronymus, & alii, quos ſupra diximus, obierint, vel quis Joanni ante Juvenalem ſucceſſerit, ſicut & feciſſe cognitum eſt in brevi ſeniorem quendam, referentum ſermo non edidit.

A XII. Narbona obſideri cœpta per Gothos.

Burgundiones, qui rebellaverant, a Romanis duce Aetio debellantur.

Uno, eodemque tempore Alexandriæ Cyrillum epiſcopum præſidere, & Conſtantinopoli Neſtorium hæreticum Hebionæum, Cyrilli ipſius ad eundem epiſtola, & hæreſim deſtruentis, & regulam fidei exponentis oſtendit. Hæc cum aliis habentur allata. Olymp. ccciv.

XIII. Narbona obſidione liberatur Aetio Duce, & Magiſtro militum. Burgundionum cæſa viginti millia.

Rurſus Cenſorius, & Fretimundus legati mittuntur ad Suevos.

B XIV. Gothorum cæſa octo millia ſub Aetio duce.

Suevi cum parte plebis Gallæciæ, cui adverſabantur, pacis jura confirmant.

Hermericus rex morbo oppreſſus Rechilam filium ſuum ſubſtituit in regnum: qui Andevotum cum ſua, quam habebat, manu ad Singilionem Bæticæ fluvium aperto marte proſtravit, magnis ejus auri & argenti opibus occupatis.

XV. Carthagine fraude decepta die decimo quarto Kalen. Novembris omnem Africam rex Gaiſericus invadit.

Bello Gothico ſub Theodorico rege apud Toloſam, Litorius Romanus dux, inconſultius cum auxiliari Hunorum manu irruens, cæſis his, C ipſe vulneratus capitur, & poſt dies paucos occiditur.

Inter Romanos & Gothos pax efficitur.

Gaiſericus elatus impie Epiſcopum, clerumque Carthaginis depellit ex ea, & juxta prophetiam Danielis, demutatis miniſteriis ſanctorum, eccleſias catholicas * tradit Arrianis. * MS. *tradidit*.

Rechila rex Suevorum Emeritam ingreditur.

XVI. Gaiſericus Siciliam deprædatus Panormum diu obſedit: qui damnati a catholicis epiſcopis Maximini, apud Siciliam Arrianorum ducis, adverſum catholicos præcipitatur inſtinctu, D ut eos quoquo pacto in impietatem cogeret Arrianam. nonnullis declinantibus, aliquanti durantes in catholica fide conſummavere martyrium.

Cenſorius Comes, qui legatus miſſus fuerat ad Suevos, reſidens * Mirtyli, obſeſſus a Rechila in pace ſe tradidit. * MS. *Martyli*.

XVII. Rex Suevorum diuturno per annos ſeptem morbo adflictus moritur Hermericus. Olymp. cccv.

Rex Rechila Hiſpali obtenta, Bæticam, & Carthaginienſem provincias in ſuam redigit poteſtatem.

(*Romanæ Eccleſiæ xliii. præſidet epiſcopus Leo*.)

E Sabino epiſcopo de Hiſpali factione depulſo, in locum ejus Epiphanius ordinatur fraude, non jure.

Aſturius Dux utriuſque militiæ ad Hiſpanias miſſus Tarraconenſium cædit multitudinem Bacaudarum.

XVIII. Cometæ ſidus apparere incipit menſe Decembri: quod per menſes aliquot viſum, ſubſequentis in peſtilentia plagæ, quæ fere in toto orbe diffuſa eſt, præmiſit oſtentum.

Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ depulſo Neſtorio præſidet epiſcopus Flavianus.

XIX. Aſturio Magiſtro utriuſque militiæ gener ipſius ſucceſſor ipſi mittitur Merobaudis, natu nobilis, & eloquentiæ merito, vel maxime in poematis ſtudio veteribus comparandus, teſtimonio etiam provehitur ſtatuarum. Brevi tempore poteſtatis ſuæ Aracellitanorum fran-

frangit inſolentiam Bacaudarum. Mox nonnullorum invidia perurgente, ad urbem Romam ſacram præceptione revocatur.

Π. ccccix. XX. Sebaſtianus illic, quo confugerat, deprehenſus ſibi adverſa moliri, e Conſtantinopoli fugit admonitus, & ad Theodorem regem Gothorum veniens, conquæſitam ſibi, qua potuit, Barcinonam hoſtis factus ingreditur.

Olymp. cccvi. XXI. In Aſturicenſi urbe Gallæciæ, quidam ante aliquot annos latentes Manichæi geſtis epiſcopalibus deteguntur, quæ ab Idatio, & Turibio epiſcopis, qui eos audierant, ad Antoninum Emeritenſem epiſcopum directa ſunt.

Wandali navibus Turonio in litore Gallæciæ repente advecti, familias capiunt plurimorum.

Sebaſtianus de Barcilone fugatus migrat ad Wandalos.

Per Epiſcopum Romæ tunc præſidentem geſta de Manichæis per provincias diriguntur.

XXII. Vitus Magiſter utriuſque militiæ factus ad Hiſpanias miſſus, non exiguæ manus fultus auxilio, cum Carthaginienſes vexaret, & Bæticos, ſuccedentibus cum rege ſuo illic Suevis, ſuperatis etiam in congreſſione, qui ei ad deprædandum in adjutorium venerant, Gothis, territus miſerabili timore diffugit. Suevi ex in illas provincias magna deprædatione ſubvertunt.

* in MS. xlii. XXIII. Romanæ Eccleſiæ * xliii. præſidet epiſcopus Leo. hujus ſcripta per epiſcopi Turibii diaconem Pervincum contra Priſcillianiſtas ad Hiſpanienſes epiſcopos deferuntur. Inter quæ ad epiſcopum Turibium de obſervatione catholicæ fidei, & de hæreſum blaſphemiis, diſputatio plena dirigitur, quæ ab aliquibus Gallæcis ſubdolo probatur arbitrio.

Solis facta defectio die nono Kal. Januarias, qui fuit tertia feria.

XXIV. Rechila rex Suevorum Emeritæ gentilis moritur menſe Auguſto: cui mox filius ſuus catholicus Rechiarius ſuccedit in regnum, nonnullis quidem ſibi de gente ſua æmulis, ſed latenter. obtento tamen regno, ſine mora ulteriores regiones invadit ad prædam.

Paſcentium quendam urbis Romæ, qui de Aſturica diffugerat, Manichæum Antoninus epiſcopus Emeritæ comprehendit, auditumque etiam de provincia Luſitania facit expelli.

Per Agiulſum Hiſpali cenſorius jugulatur.

Olymp. cccvii. XXV. Rechiarius accepta in conjugium Theodoris regis filia, auſpicatus initium regni, Vaſconias deprædatur menſe Februario.

Baſilius ob teſtimonium egregii auſus ſui congregatis Bacaudis in Eccleſia Tyriaſſone fœderatos occidit. ubi & Leo ejuſdem eccleſiæ epiſcopus, ab eiſdem qui cum Baſilio aderant, in eo loco obiit vulneratus.

Rechiarius menſe Julio ad Theodorem ſocerum profectus, Cæſarauguſtanam regionem cum Baſilio in reditu deprædatur. Irrupta per dolum Ilerdenſi urbe acta eſt non parva captivitas.

XXVI. Aſturius vir illuſtris ad honorem provehitur conſulatus.

Sebaſtianus exul factus ad pernicioſam ſibi, ſicut poſt exitus docuit, Gaiſerici confugit poteſtatem: parvo poſt tempore quam venerat per eum jubetur occidi.

De Galliis epiſtolæ deferuntur Flaviani epiſcopi ad Leonem epiſcopum miſſæ, cum ſcriptis Cyrilli epiſcopi Alexandrini ad Neſtorium Conſtantinopolitanum de Eutychete Hebionita hæretico, & Leonis epiſcopi ad eundem reſponſa: quæ cum aliorum epiſcoporum & geſtis, & ſcriptis, per eccleſias diriguntur.

XXVII. Theodoſius Imperator moritur Conſtantinopoli anno ætatis ſuæ quadrageſimo octavo.

Poſt quem xliii. ſtatim apud Conſtantinopolim Marcianus a militibus, & ab exercitu, inſtante etiam ſorore Theodoſii Pulcheria regina, efficitur Imperator. Qua ſibi in conjugium adſumpta, regnat in partibus Orientis.

XXVIII. Valentiniani Imperatoris mater Placidia moritur apud Romam.

In Gallæcia terræmotus aſſidui, ſigna in cælo
plurima oſtenduntur. Nam pridie nonas Aprilis Olymp. cccviii.
tertia feria, poſt ſolis occaſum, ab Aquilonis plaga cælum rubens ſicut ignis, aut ſanguis, efficitur, intermixtis per igneum ruborem lineis clarioribus in ſpeciem haſtarum rutilantium deformatis. a die clauſo uſque in horam noctis fere tertiam ſigni durat oſtenſio, quæ mox ingenti exitu perdocetur.

Gens Hunnorum pace rupta deprædatur provincias Galliarum. plurimæ civitates effractæ: in campis Catalannicis, haud longe de civitate, quam effregerant, Mettis, Aetio duci, & regi Theodori, quibus erat in pace ſocietas, aperto marte confligens, divino cæſa ſuperatur auxilio: bellum nox intempeſta diremit. Rex illic Theodores proſtratus occubuit: ccc. ferme millia hominum in eo certamine cecidiſſe memorantur.

Multa anno ſigna procedunt. Quinto Kalen. Octobris a parte Orientis Luna fuſcatur. In diebus ſequentis paſchæ viſa quædam in cælo regionibus Galliarum, epiſtola de his Eufronii Auguſtodunenſis epiſcopi ad Agrippinum Comitem facta evidenter oſtendit. Stella cometes a decimo quarto Kal. Julias apparere incipit, quæ iii. Kal. diluculo ab Oriente viſa, poſt occaſum Solis ab occidua parte mox cernitur. Kalendis Auguſti a parte Occidentis apparet.

Occiſo Theodore Thoriſmo filius ejus ſuccedit in regno.

Hunni cum rege ſuo Attila relictis Galliis poſt certamen Italiam petunt.

XXIX. Secundo regni anno principis Marciani, Hunni, qui Italiam prædabantur, aliquantis etiam civitatibus irruptis, divinitus partim fame, partim morbo quodam plagis cæleſtibus feriuntur: miſſis etiam per Marcianum principem Aetio duce cæduntur auxiliis; pariterque in ſedibus ſuis, & cæleſtibus plagis, & Marciani ſubiguntur exercitum. & ita ſubacti, pace facta cum Romanis, propias univerſi repetunt ſedes, ad quas rex eorum Attila mox reverſus interiit.

Ad Suevos Manſuetos Comes Hiſpaniarum, & Fronto ſimiliter Comes, legati pro pace mittuntur, & obtinent conditiones injunctas.

Thoriſmo rex Gothorum ſpirans hoſtilia a Theudorico & Frederico fratribus jugulatur: cui Theodericus ſuccedit in regno.

XXX. Tertio regni anno principis Marciani Π. cccclx.
regina moritur Pulcheria menſe Julio.

Per Fredericum Theodorici regis fratrem Bacaudæ Tarraconenſes cæduntur ex auctoritate Romana.

In Gallæcia terræmotus, & in ſole ſignum in ortu, quaſi altero ſecum concertante monſtratur.

Aetius Dux, & Patricius fraudulenter ſingu-

laris accitus intra palatium manu ipſius Valentiniani Imperatoris occiditur. Et cum ipſo per ſpatiarum ejus aliqui ſingulariter intromiſſi jugulantur honorati.

His geſtis legatos Valentinianus mittit ad gentes, ex quibus ad Suevos venit Juſtinianus.

XXXI. Quarto regni anno principis Marciani per duos barbaros Aetii familiares Valentinianus Romæ Imperator occiditur in campo, exercitu circumſtante, anno ætatis ſuæ XXXVI. & regni XXXI. Poſt quem mox Maximus ex conſulibus XLIII. Romæ Auguſtus appellatur. qui cum Imperator factus relictam Valentiniani ſibi duxiſſet uxorem, & filio ſuo ex priore conjuge Palladio, quem Cæſarem fecerat, Valentiniani filiam in conjugium tradidiſſet, magnorum motuum, quos verebatur, perturbatione diſtortus, & quia in occiſorum per Valentinianum, & in ipſius interitum Valentiniani, ambitu regni conſilia ſceleſta patrata contulerat, cum imperium deſerere vellet, & Romam, vix quatuor regni ſui menſibus expletis, in ipſa urbe tumultu populi, & ſeditione occiditur militari.

Ipſo anno in Galliis Avitus Gallus civis ab exercitu Gallicano, & ab honoratis, primum Toloſæ, dehinc apud Arelatum Auguſtus appellatus, Romam pergit, & ſuſcipitur.

Uſque ad Valentinianum Theodoſii generatio tenuit principatum.

I. ROmanorum XLIII. Marcianus quarto jam regni ſui anno obtinet monarchiam.

Per Avitum, qui a Romanis, & evocatus & ſuſceptus fuerat Imperator, legati ad Marcianum pro unanimitate mittuntur imperii.

Gaiſericus ſollicitatus a relicta Valentiniani, ut malum fama diſpergit, priuſquam Avitus Auguſtus fieret, Romam ingreditur, direptiſque opibus Romanorum Carthaginem redit, relictam Valentiniani, & filias duas, & Aetii filium Gaudentium nomine, ſecum ducens.

Suevi Carthaginenſes regiones, quas Romanis reddiderant, deprædantur.

Marcianus, & Avitus concordes principatu Romani utuntur imperii.

Olymp. cccix. v. annus Marciani.

Per Auguſtum Avitum Fronto Comes legatus mittitur ad Suevos. Similiter & a rege Gothorum Theudorico; quia fidus Romano eſſet imperio, legati ad eoſdem mittuntur, ut tam ſecum, quam cum Romano imperio, quia uno eſſent paucis fœdere copulati, jurati fœderis promiſſa ſervarent. Remiſſis legatis utriuſque partis, atque omni juris ratione violata, Suevi Tarraconenſem provinciam, quæ Romano imperio deſerviebat, invadunt.

De Erulorum gente ſeptem navibus in Lucenſi litore aliquanti advecti, viri ferme cccc. expediti, ſuperventu multitudinis congregatæ duobus tantum ex ſuo numero effugantur occiſis. qui ad ſedes proprias redeuntes, Cantabriarum, & Vardulliarum loca maritima crudeliſſime deprædati ſunt.

Legati Gothorum rurſum veniunt ad Suevos. poſt quorum adventum rex Suevorum Rechiarius cum magna ſuurum multitudine regiones provinciæ Tarraconenſis invadit, acta illic deprædatione, & grandi ad Gallæciam captivitate deducta.

Mox Hiſpanias rex Gothorum Theodoricus cum ingenti exercitu ſuo, & cum voluntate, & ordinatione Aviti Imperatoris ingreditur. Cui cum multitudine Suevorum rex Rechiarius occurens duodecimo de Aſturicenſi urbe milliario, ad fluvium nomine Urbicum, tertio nonas Octobris die, ſexta feria inito mox certamine ſuperatur. cæſis ſuorum agminibus, aliquantis captis, plurimiſque fugatis, ipſe ad extremas ſedes Gallæciæ plagatus vix evadit, ac profugus.

Theudorico rege cum exercitu ad Bracaram extremam civitatem Gallæciæ pertendente, quinto Kal. Novemb. die Dominico, etſi incruenta, fit tamen ſatis mœſta, & lacrymabilis ejuſdem direptio civitatis. Romanorum magna agitur captivitas captivorum, Sanctorum baſilicæ effractæ, altaria ſublata atque confracta, virgines Dei exin quidem adductæ, ſed integritate ſervata, clerus uſque ad nuditatem pudoris exutus, promiſcui ſexus cum parvulis, de lucis refugii ſanctis populus omnis abſtractus, jumentorum, pecorum, camelorumque horrore locus ſacer impletus, ſcripta ſuper Hieruſalem ex parte cæleſtis iræ revocavit exempla.

II. Rechiarius ad locum, qui Portucale appellatur, profugus regi Theudorico captivus adducitur. quo in cuſtodiam redacto, cæteris, qui de priore certamine ſuperfuerant, tradentibus ſe Suevis, aliquantis nihilominus interfectis, regnum deſtructum, & finitum eſt Suevorum.

Hiſdem diebus Rechimeris Comitis circumventione magna multitudo Wandalorum, quæ ſe de Carthagine cum LX. navibus ad Gallias, vel ad Italiam moverat, regi Theudorico nunciatur occiſa per Avitum.

Heſychius Tribunus legatus ad Theodoricum cum ſacris muneribus miſſus ad Gallæciam venit, nuncians ei id quod ſupra, in Corſica cæſam multitudinem Wandalorum, & Avitum de Italia ad Gallias Arelate ſucceſſiſſe. Orientalium naves Hiſpalim venientes per Marciani exercitum cæſas nunciat.

Occiſo Rechiario menſe Decembri, rex Theudoricus de Gallæcia ad Luſitaniam ſuccedit.

In conventus parte Bracarenſis latrocinantum deprædatio perpetratur.

Aiulfus deſerens Gothos in Gallæcia reſidet.

Suevi, qui remanſerant in extrema parte Gallæciæ, Maſſiliæ filium nomine Maldram ſibi regem conſtituunt.

Theudoricus Emeritam deprædari volens beatæ Eulaliæ martyris terretur oſtentis.

III. Avitus tertio anno poſteaquam a Gallis, & a Gothis factus fuerat Imperator, caret imperio, Gothorum promiſſo deſtitutus auxilio, caret & vita.

In Orientis partibus ſeptimo anno imperii ſui moritur Marcianus.

ROmanorum XLIV. Majorianus in Italia, & Conſtantinopoli Leo Auguſti appellantur.

I. Theodoricus adverſis ſibi nunciis territus, mox poſt dies Paſchæ, quod fuit quinto Kal. Aprilis, de Emerita egreditur, & Gallias repetens, partem ex ea quam habebat multitudine variæ nationis, cum ducibus ſuis ad campos Gallæciæ dirigit. qui dolis, & perjuriis inſtructi, ſicut eis fuerat imperatum, Aſturicam, quam jam prædones ipſius ſub ſpecie Romanæ ordinationis intraverant, mentientes ad Suevos, qui remanſerant, juſſam ſibi expeditionem, ingrediuntur pace fucata ſolitæ arte perfidiæ. Nec mora pro-

miſcui generis reperta illic cæditur multitudo, ſanctæ effringuntur eccleſiæ, altaribus direptis, & demolitis, ſacer omnis ornatus, & uſus aufertur. Duo illic epiſcopi inventi cum omni clero abducuntur in captivitatem: invalidior promiſcui ſexus agitur miſeranda captivitas; reſiduis, & vacuis civitatis domibus datis incendio, camporum loca vaſtantur. Palentina civitas ſimili, quo Aſturica, per Gothos perit exitio. Unum Coviacenſe caſtrum triceſimo de Aſturica milliario à Gothis diutino certamine fatigatum, auxilio Dei, hoſtibus & obſiſtit, & prævalet: quam plurimis ex eorum manu interfectis, reliqui revertuntur ad Gallias.

Aiulfus dum regnum Suevorum ſpirat, Portucale moritur menſe Junio.

Suevi in partes diviſi pacem ambiunt Gallæciarum: e quibus pars Frantanem, pars Maldram regem appellat. Solito more perfidiæ Luſitaniam deprædatur pars Suevorum Maldram ſequens. acta illic Romanorum cæde, prædiſque contractis, civitas Ulyxippona ſub ſpecie pacis intratur.

Frantanes moritur per Paſcha, & Pentecoſtem. Jubente Maldra Suevi in ſolitam perfidiam verſi, regionem Gallæciæ adhærentem flumini Durio deprædantur. Quinto idus Junias die, quarta feria, ab hora quarta in horam ſextam, ad ſpeciem Lunæ quintæ, vel ſextæ, ſol de lumine orbis ſui minoratus apparuit.

II. Gothicus exercitus duce ſuo Cyrila a Theuderico rege ad Hiſpanias miſſus menſe Julio ſuccedit ad Bæticam. Legati Gothorum & Wandalorum pariter ad Suevos veniunt, & revertuntur.

Olymp. cccx. III. Theudoricus cnm duce ſuo Snnierico exercitus ſui aliquantam ad Bæticam dirigit manum: Cyrila revocatur ad Gallias. Suevi nihilominus Luſitaniæ partes cum Maldra, alii cum Rechimundo Gallæciam deprædantur.

Eruli maritima conventus Lucenſis loca nonnulla crudeliſſime invadunt ad Bæticam pertendentes.

Maldras germanum ſuum fratrem interficit, & Portucale caſtrum idem hoſtis invadit.

Inter Suevos, & Gallæcos interfectis aliquantis honeſtis natu, malum hoſtile miſcetur.

Legati a Nepotiano Magiſtro militiæ, & a Sunierico Comite miſſi veniunt ad Gallæcios, nunciantes Majorianum Auguſtum, & Theudoricum regem firmiſſima inter ſe pacis jura ſanxiſſe, Gothis in quodam certamine ſuperatis.

IV. Maldras in fine menſis Februarii jugulatus merito perit interitu.

Per Suevos Luco habitantes, in diebus Paſchæ, Romani aliquanti cum rectore ſuo honeſto natu repentino ſecuri de reverentia dierum occiduntur incurſu.

Menſe Majo Majoranus Hiſpanias ingreditur Imperator: quo Carthaginenſem provinciam pertendente, aliquantas naves, quas ſibi ad tranſitum adverſum Wandalos præparabat, de litore Carthaginenſi commoniti Wandali per proditores abripiunt. Majorianus ita a ſua ordinatione fruſtratus ad Italiam revertitur.

Pars Gothici exercitus a Sunierico & Nepotiano Comitibus ad Gallæciam directa, Suevos apud Lucum deprædantur, quæ Dictinio, Spinione & Aſcanio delatoribus, ſpargentibuſque ad terrorem propriæ venena perfidiæ, indicata recurrit ad ſuos. ac mox iiſdem delatoribus, quibus ſupra, Frumarius cum manu Suevorum, quam habebat impulſus, capto Idatio epiſcopo ſeptimo

A Kalen. Auguſti in Aquæflavienſi eccleſia, eundem conventum grandi evertit excidio.

Rechimundus vicina ſibi pariter Auregenſium loca, & Lucenſis conventus maritima populatur.

Inter Frumarium, & Rechimundum oritur de regni poteſtate diſſenſio.

Gallæciorum & Suevorum pacis quædam umbra conſeritur.

A Theudorico legati ad Suevos veniunt, & recurrunt.

Sunieri cus Scallabim, cui adverſabatur, obtinet civitatem.

B Idatius, qui ſupra, tribus menſibus captivitatis impletis, menſe Novembri miſerantis Dei gratia, contra votum, & ordinationem ſupradictorum delatorum, redit ad Flavias.

De rege Theudorico legati gentis perfidæ revertuntur.

Gaiſericus rex a Majoriano Imperatore per legatos poſtulat pacem.

5. 1. Majorianum de Gallis Romam redeuntem, & Romano imperio vel nomini res neceſſarias ordinantem, Rechimer livore percitus, & invidorum conſilio fultus, fraude interficit circumventum.

ROmanorum xlv. Severus a Senatu Romæ Auguſtus appellatur anno imperii Leonis quinto.

C 6. 2. Suniericus redit ad Gallias. Nepotianus Theudorico ordinante Arborium accipit ſucceſſorem. II. cccc. lxxx.

In provincia Gallæcia prodigiorum videntur ſigna diverſa. Æra D. VI. Nonas Martias pullorum cantu, ab occaſu ſolis luna in ſanguinem plena convertitur. Idem dies ſexta feria fuit.

Antiochia " major * Iſauriæ inobediens monitis ſalutaribus, terra dehiſcente demergitur, tantum ipſius civitatis aliquantis, qui eum obaudientes timori Domini ſunt ſecuti, de interitu liberatis, turrium etiam ſolis cacuminibus extantibus ſuper terram. " f. majoris Syria.

D Gaiſericus Valentiniani relictam Conſtantinopolim remittit. Filiæ ipſius, una Gentoni Gaiſerici filio, alia Olybrio ſenatori urbis Romæ jure matrimonii copulantur.

Agrippinus Gallus & Comes, & civis, Ægidio Comiti viro inſigni inimicus, ut Gothorum mereretur auxilia, Narbonam tradidit Theudorico. Olymp. cccxi.

Adverſus Ægidinm Comitem utriuſque militiæ, virum ut fama commendat, Deo bonis operibns complacentem, in Armoricana provincia Fretiricus frater Theuderici regis inſurgens, cum his cum quibus fuerat ſuperatus occiditur.

E Cum Palegorio viro nobili Gallæciæ, qui ad ſupradictum fuerat regem Cyrila legatus, ad Gallæciam veniens, euntes ad eundem regem legatos obviat Rechimundi. qui regreſſi in celeri, revertentem Cyrillam in Lucenſi urbe ſuſcipiunt. Poſt cujus mox egreſſum de Gallæcia, Suevi promiſſionum ſuarum ut ſemper fallaces & perfidi, diverſa loca infelicis Gallæciæ ſolito deprædantur.

Per Theudoricum ad Suevos Remiſmundus, & Cyrila cum aliquantis Gothis, qui prius venerant, remittuntur. Cyrila in Gallæcia remanente, Remiſmundo mox recurrente ad regem, inter Gallæcos, & Suevos indiſciplinata perturbatio dominatur.

Romanæ Eccleſiæ * XLIV. præſidet epiſcopus Hilarius. * in MS. xliii.

7. 3. Nepotianus recedit e corpore.

Frumario mortuo, Rechimundus omnibus Suevis in ſuam ditionem regali jure revocatis, pacem reformat elapſam.

Menſe Maio ſupradicti viri Ægidii legati per Oceanum ad Wandalos tranſeunt, qui eodem curſu Septembri menſe revertuntur ad ſuos.

Decimotertio Kalend. Auguſti die, ſecunda feria, in ſpeciem lunæ quintæ ſol de lumine ſuo ab hora tertia in horam ſextam cernitur minoratus.

Legatos Remiſmundus mittit ad Theudoricum; qui ſimiliter ſuos ad Remiſmundum remittit, cum armorum adjectione, vel munerum, directa & conjuge, quam haberet.

Wandali per Marcellinum in Sicilia cæſi effugantur ex ea.

Ægidius moritur, alii dicunt inſidiis, alii veneno deceptus. Quo deſiſtente, mox Gothi regiones invadunt, quas Romano nomini tuebatur.

Suevi Conimbricam doloſe ingreſſi, familiam nobilem Cantabri ſpoliant, & captivam abducunt matrem cum filiis:

Legati eodem anno duabus vicibus a rege Suevorum mittuntur ad regem Theudoricum, ad quem & Arborius proficiſcitur evocatus.

8. 4. Reverſi legati Suevorum obiiſſe nunciant Severum imperii ſui anno quarto. qui ſupra remittuntur ad Conibricam.

Ajax natione Galata, effectus apoſtata, & ſenior Arrianus, inter Suevos regis ſui auxilio hoſtis Catholicæ fidei, & divinæ Trinitatis exergit. ad Gallicanam Gothorum habitationem hoc peſtiferum inimici hominis virus advectum.

Suevi adverſum Aunonenſem ſæviunt plebem. qua de cauſa legati a Theuderico ad Remiſmundum mittuntur in caſſum, ſpretique ab eo mox redeunt.

De Conſtantinopoli a Leone Auguſto Anthemius frater Procopii cum Marcellino, aliiſque comitibus viris electis, & cum ingenti multitudine exercitus copioſi, ad Italiam, Deo ordinante, directus aſcendit.

Romanorum X:VI. Anthemius octavo milliario de Roma Auguſtus appellatur, anno Leonis imperii octavo, menſe Auguſto.

9. .. Expeditio ad Africam adverſus Wandalos ordinata metabularum commutatione, & navigationis inopportunitate revocatur.

Per Theudericum Salla legatus mittitur ad Remiſmundum regem Suevorum, qui reverſus ad Gallias eum a fratre ſuo * Eurico reperit interfectum.

Euricus pari ſcelere quo frater, ſuccedit in regnum: qui honore provectus, & crimine, legatos ad regem dirigit Suevorum; quibus ſine mora a Remiſmundo remiſſis, ejuſdem regis legati ad Imperatorem, alii ad Wandalos, alii diriguntur ad Gothos.

De Aunonenſi plebe, cui Suevorum adverſabatur hoſtilitas, Opilio cum viris ſecum a rege profectis, & cum aliquantis, qui cum ipſo miſſi fuerant, revertitur.

Gothi, qui ad Wandalos miſſi fuerant, ſupradictæ expeditionis rumore perterriti revertuntur in celeri: pariter & Suevi, qui poſt legatos, more ſolito, per diverſa loca in prædam diſperſi fuerant, revocantur: ſed paucis poſt menſibus ipſe rex Suevorum ad Luſitaniam tranſit.

II. Conimbrica in pace decepta diripitur: domus deſtruuntur cum aliqua parte murorum, habitatoribuſque captis atque diſperſis, & regio deſolatur, & civitas.

Legati de Gothico reverſi portenta, in Gallis viſa aliquanta, in conſpectu ...... ſimilem ipſi de continuo paruiſſe ſolem alium viſum ... ... ſolis occaſu. Congregatis etiam quodam die concilii ſui Gothis, tela, quæ habebant in manibus a parte ferri, vel acie, alia viridi, alia roſeo, alia croceo, alia nigro colore naturalem ferri ſpeciem aliquandiu non habuiſſe mutata. Medio Toloſæ civitatis hiſdem diebus e terra ſanguinem erupiſſe, totoque diei fluxiſſe curriculo. Olymp. CCCXII.

III. Legatorum Suevorum reditum aliquanta Gothorum manus inſequens Emeritam petit.

Ulixippona a Suevis occupatur, cive ſuo, qui illic præerat, tradente Luſidio. Hac re cognita Gothi, qui venerant, invadunt, & Suevos deprædantur, pariter & Romanos ipſis in Luſitaniæ regionibus ſervientes.

Legati qui ad Imperatorem miſſi fuerant, redeunt, nuntiantes ſub præſentia ſui magnum valde exercitum cum tribus ducibus lectis adverſum Wandalos a Leone Imperatore deſcendiſſe, directo Marcellino pariter cum manu magna eidem per Imperatorem Anthemium ſociata. Rechimerum generum Anthemii Imperatoris, & Patricium factum: Aſparem degradatum ad privatam vitam, filium ejus occiſum, adverſum Romanum imperium, ſicut detectique ſunt, Wandalis conſulentes.

Hilaro defuncto ſex ſacerdotii ſui annis expletis, X V. Romanæ Eccleſiæ Simplicius epiſcopus ordinatur.

Aunonenſes pacem cum rege faciunt Suevorum, qui & Luſitaniæ, & conventus Aſturicenſis quædam loca prædantes invadunt.

Gothi circa eundem conventum pari hoſtilitate deſæviunt, partes etiam Luſitaniæ deprædantur.

Luſidius per Remiſmundum cum ſuis hominibus Suevis ad Imperatorem in legatione dirigitur.

Duriſſimus extra ſolitum hoc eodem tempore annus hiberni, veris, æſtatis, autumni in aeris, & omnium fructuum permutatione diffunditur.

Signa etiam aliquanta, & prodigia in locis Gallæciæ pervidentur. In flumine Minio, de municipio Lais milliario ferme quinto, capiuntur piſces quatuor novi viſu, & ſpecie, ſicut retulere, qui cœperant Chriſtiani, & religioſi, Hebræis, & Græcis literis, Latinis autem ærarum numeris inſigniti, ita CCC XV. anni circulum continentes, pari menſium intervallo. Haud procul de ſupradicto municipio in ſpeciem lenticulæ viridiſſimorum ut herba quædam forma granorum plena amaritudine defluxit e cælo, & multa alia oſtenta, quæ memorare prolixum eſt.

* in MS. *Euterico.*

IDATII EPISCOPI
DESCRIPTIO CONSULUM
EX QUO PRIMUM ORDINATI SUNT

Ex Codice MS. Bibliothecæ Collegii Pariſienſis Societatis Jeſu.

Annos ab Urbe condita Varronianos ad oram addidit Labbeus.

* *Hanc partem, uſque ad annumChriſti 270. non edidit Sirmondus Vide ipſius præfationem.*

245 BRuto & Collatino.
246 Publicola & Lucretio.
247 Publicola II. & Publilio *. — * Puivillo.
248 *Omiſſi Lartius & Exquilinus.*
249 *Omiſſi Valerius & Tubertus.*
250 Publicola III. & Lucretio II.
251 Menenio Agrippa & Poſtumio.
252 Tricoſto & Vitellino * — *Viſcellino. *Cic. in Bruto n. 62.*
253 Aurunco & Flavo.
254 Camerino & Longo.
255 Helva & Gemino.
256 Flavo & Siſulo *. — * Siculo.
257 Atratino & Augurino.
258 Albo & Cœlimontano.
259 Sabino & Priſco.
260 Cœlimontano II. & Vitellino * III. — * Gemino
261 Aurunco II. & Vitellino.
262 Macrino * & Augurino. — * Macerino
263 Augurino II. & Atratino.
264 Camerino & Flabio *. — * Flavo.
265 Tullo * & Ruſo. — * Julo.

His Conſſ. Romani proceres dicti ſunt.

266 Nautio & Ruſo *. — * Fuſo *vel* Furio.
267 Tuſco & Sabino.
268 Rutilio * & Viſcellino. — * *Vel* Rutilo.
269 Fabio & Maluginenſe.
270 Mamerco & Fabio.
271 Fabio & Voleſio *. — * Valerio.
272 Tertulio * & Fabio II. — * Julo.
273 Sabino & Fuſo.
274 Cincinato & Fabio III.
275 Rutilio & Fabio IV.
276 Æmilio II. & Æſculino *. — * Eſquilino
277 Lænate * & Publilio. — * Lanato & Pulvilio.
278 *Omiſſi Tricoſtus & Structus.*
279 Nautio & Publicola.
280 Mallio * & Furio. — * Manlio.
281 Æmilio & Julio.
282 Pinario & Fuſco *. — * Fuſo.
283 Sabino & Capitolino.
284 Æmilio & Valerio.
285 Cœlimontano & Priſco II.
286 Capitolino & Priſco.
287 Æmilio II. & Vibulano.
288 Regilliano & Fuſco *. — * Priſco.
289 *Omiſſi Capitolinus* III. *& Fabius* II.
290 Priſco * & Albo. — * Fuſo.
291 *Omiſſi Priſcus & Elva.*
292 Tricipitino & Veturio.
293 Gallo & Camerino.
294 Publicola II. & Sabino.
295 Vibulano & Maluginenſe.
296 Nautio & Atratino. — * Pulvilio & Augurino.
297 Publilio * & Hilario.
298 Maximo & Virginio. — * *Alii* Romilio.
299 Roco * & Veturio. — * A. Æternio *vel* Aterio.
300 Capitolino & Varo *.

301 Feſto & Quintillo *. — * Quintilio.
302 Lænate & Capitolino.

His * Conſſ. Decemviri creati priores & poſteriores annis II. — * *Forte* Sine Conſſ.

305 Barbato & Potito.
306 Herminio & Tricoſto.
307 Macerino & Julio.
308 Furio & Capitolino.
309 Genutio & Curtio.

His Conſſ. Tribuni Plebis facti tres anno I.

310 *Omiſſi Mugillanus & Atratinus.*
311 Macerino & Capitolino.
312 Vibulano & Helva.
313 Pacilio * & Craſſo. — * Pacilo.
314 *Omiſſi Macerinus & Lanatus.*
315 Mallio * & Capitolino. — * Menenio.

His * Conſſ. item Tribuni Plebis III. ann. II. — * Sine Conſſ.

317 Macerino & Fidenate.
318 Maluginenſe & Craſſo.
319 Julio & Virginio.
320 Capitolino & Camerino.

His * Conſſ. item Tribuni plebis III. ann. II. — * Sine Conſſ.

323 Penno & Mentone.
324 Craſſo & Julio.
325 Tricipitino & Fidenate II.
326 Coſſo & Pœno *. — * Penno.
327 Achilla * & Mugillano. — * Ahala.

His * Conſſ. item Tribuni plebis IV. annis III. — * Sine Conſſ.

331 Atratino & Vibulano.
332 Capitolino & Vibulano.

His * Conſſ. item Tribuni plebis IV. anno VIII. — * Sine Conſſ.

341 *Omiſſi Coſſus & Medullinus:*
342 *Omiſſi Ambuſtus & Pacilus.*
343 Mugillano & Rutilio *. — * Rutilo.
344 Æmilio & Ruſtico *. — * *Alii* C. Valerio.
345 Coſſo & Medullino.

His * Conſſ. item Tribuni plebis IV. & II. & VI. annis XV. — * Sine Conſſ.

361 Flavo & Camerino.
362 Potito & Capitolino.

* Sine Coſſ. His * Conſſ. item Tribuni plebis creati ſunt annis XVIII. poſtea annis IV. nemo curulis Magiſtratus ſuit: Item Tribuni plebis VI.

*Mamerco, 388 Mamertino * & Laterano.
vel Mamer- 389 Genucio & Curtio.
cino.
* Calvo. 390 Petico & Galva *.
* *Alii* Genu- 391 Mamertino II. & Silla *.
cio. 392 Ahala & Genucio.
* Petico. 393 Stolone & Perino *.
394 *Omiſſi Baldus & Ambuſtus*,
*Manlio *Vi-* 395 Libone * & Lænate.
de Sigon. 396 Ambuſto & Proculo.
* Rutilo, 397 Ruſtico & Capitolino *.
398 Ambuſto II. & Lænate.
* Petico. 399 Potito * & Publicola.
400 *Omiſſi Ambuſtus* III. *& Capitolinus*.
401 *Deſunt Peticus* IV. *& Poplicola* II.
402 *Deſunt P. Publicola & Rutilus* II.
* Petico & 403 Roetico * & Pœno *.
Penno. 404 Scipione & Lænate II.
405 Camillo & Craſſo.
406 Corvino & Lænate III.
* Vennone 407 Veneco * & Torquato.
408 Corvino II. & Libone.
* Dorſone 409 Burſone * & Camerino.
410 Rutilo & Torquato II.
411 Corvino III. & Coſſo.
412 Ahala & Rutilo II.
* Vennone. 413 Venoce * II. & Mamertino.
* Mure. 414 Torquato III. & Muſone *.
* Philone. 415 Mamertino & Seleno *.
416 Camillo & Mœnio.
* Peto. 717 Feſto * & Longo.
* Duillio. 418 Craſſo & Dulillo *.
419 Regulo & Curvino.
* Calvino. 420 Albino & Galbino *.
Vide Sigon. 421 *Ann. iſte Coſſ. nullos habuit.*
422 Galbino & Coſſo.
423 Potito & Marcello.
* Vennone. 424 Craſſo & Venoce *
425 Mamertino II. & Deciano.
426 Venoce II. & Scipione.
* Philone. 427 Lentulo & Silone *
* Libone. 428 Libonio * & Curſore.
429 Camillo & Bruto.

* Sine Conſſ. His * Conſſ. tum Dictator creatus Papyrius Curſor, & Magiſter Equitum Druſus.

431 Longo & Cerretano.
* Max. Rul- 432 Curſore * & Rullo *.
liano & Ful- 433 Calvino & Albino.
vio Curvo. 434 Curſore II. de Philone.
435 Papirio & Cæretano.
* Vennone & 436 Venoce * & Flaccino.
Flacco. 437 Barbula & Bubulco.
438 Butilio & Lænate.
* Philone 439 Curſore III. & Lænate * II.
* Poetelio 440 Samnite * & Longo.
441 Curſore IV. & Bubulco II.
* Mure. 442 Maximo & Muſone *.
443 Bubulco III. & Barbula.
444 Rullo & Rutilio.

* Sine Conſſ. His * Conſſ. tum Dictator Curſor, & Magiſter Equitum Bubulcus.

* Mure. 446 Muſone * II. & Rullo II.
* Volumnio. 447 Appio Cæco & Violente *
* Arvina. 448 Tremulo & Albino *.

449 Metello * & Minutio. * Megello.
450 Sempronio & Faberio *. * Saverrione, vel Averione.
451 Lentulo & Abetenſi *. * Aventinēſi.
452 Dentone * & Æmilio. * Dentre.

His * Conſſ. Corvinus Dictator, & Æmilius Magiſter Equitum menſibus VI. deinde fuerunt. * Sine Conſſ.

454 Corvino * & Panſa. * Corvo.
455 Pætico * & Torquato. * Pætino, vel Pæto.
756 Scipione & Maximo.
757 Rullo III * & Muſone * III. * Q. Fabio IV. & P. Decio III.
458 Claudio & Violente *.
Rullo IV. & Muſone IV.)
Claudio II. & Violente II.) *Hi male inſerti videntur.*) * Volumnio II.
459 Rullo V. & Muſone V. * * IV.
460 Metello & * Regulo. * Megello II
461 Curſore & Maximo *. * Carvilio.
462 Maximo Gurgite & Braccho *. * Bruto.
463 Metello * II. & Vulbo *. * Megello III. & Bulbulco.
464 *Omiſſi Rufinus & Dentatus*.
465 Maxime * Noctua. * Corvino.
466 Tremulo & Albino *. * Arviana.
467 Marcello & Rutilo.
468 Potito & Petito *. * Pæto.
469 Lepido & Cæcina * * Canina.
470 Dacio * & Dentone *. * Tuca & Dentre.
671 Dolabella & Maximo *. * Domitio.
472 Lucio * & Papo. * Luſcino.
473 Barbula & Philippo.
474 Lævino & Coruncano.
475 Caverione * & Muſone *. * Saverrione & Mure.
476 Lucinio * & Papo. * Luſcino.
477 Rufino & Bubulco.
478 Gurgite & Clepyno * * Clepſina.
479 Dentato & Lentulo.
480 Dentato II. * & Merenda. * III.
481 Licinio & Cambia *. * Canina.
482 Curſore & Maximo *. * Carvilio.
483 Claudio & Clepſinate *. * Clepſina.
484 *Omiſſi Clepſina* II. *& Blaſio*.
485 Gallo Sabino & Piſone *. * Pictore.
486 Sempronio Sapiente & Ruſo.
487 Regulo & Libone.
488 Fabio Pictore & Poeta *. * Pera.
489 Maximo & Vitulo * * Mure.
490 Theudace * & Flacco. * Candice
491 Maximo & Craſſo.
492 Albino * & Vitulo. * L. Poſtumio Megello.
493 Flacco II. & Craſſo.
494 Scipione Aſina & Duillio.
495 Scipione & Floro.
496 Catacœno * & Paterculo. * Calatino.
497 Regulo & Blæſo *. * Blaſione.
498 Wlſone & Decio *, cui ſuffectus Regulus. * Cædicio
499 Pætino * & Paulo. * Fulvio.
500 Scipione & Calatino.
501 Capitone * & Blæſo. * Cæpione.
502 Cotta & Gemino.
503 Metello & Papo * * Pacilo.
504 Regulo II. & Wlſone.
505 Pulchro & Pullo.
506 Cotta II. & Gemino II.
507 Metello & Buteone.
508 Craſſo & Licinio.
509 Buteone II. & Bullo *. * Balbo.
510 Torquato & Blæſo.
511 Fundulo & Gallo Longo.
512 Catulo & Albino.
513 Torquato & Catone * * Cercone.

Cic. in Bruto. 72. 514 Centone & Tuditano.
* Turrino & Faltone. 515 Tuncino * & Falcone *.
516 Gracchо & Faltone.
517 *Omiſſi Lentulus & Flaccus.*
* P. Corn. Lentulo Caudino. 518 Claudio Lentulo * & Varo.
519 Torquato & Volbo *.
520 Albino & Rogo *.
* Balbo. * Carvilio. 521 Maximo & Mathone.
*Malleolo. 522 Lepido & Balbulo *.
523 Mathone & Maſone.
524 Barbula II. & Pera.
525 Albino & Centumalo.
* Q. Fab. Max.&Carvilio. de ſenect. 11. 526 Burga & * Maximo Vero *.
527 Flacco & Regulo.
528 Maximo Meſſala * & Apuſtio.
*Val.Meſſala. 529 Papo * & Regulo.
530 Torquato & Papo *.
* Flacco 531 Flaminio & Philone *.
* Flacco. 532 Scipione & Marcello.
* Philo. 533 Scipione Naſica * & Rufo.
* Aſina. 534 Catulo & Philone.
535 Paulo & Salinatore.
536 Scipione & Longo.
537 Gemino & Flaminio, cui ſuffectus eſt Regulus.
538 Paulo II. & Varrone.
539 Fabio Maximo & Gracchо.
540 Fabio Maximo II. & Marcello.
541 Maximo & Gracchо.
542 Pulchro & Flacco.
543 Galba & Centumalo.
* Lævino. 544 Lebyno * & Marcello.
545 Fabio & Flacco.
546 Marcello & Criſpino.
547 Nerone & Salinatore.
Cic. ibid. 57. 548 Metello & Philone.
Ibid. 77. 549 Scipione & Craſſo divite.
Ibid 58.&60. 550 Cethego & Tuditano.
551 Cæpione & Servilio.
552 Nerone & Servilio.
553 Lentulo & Pæto.
554 Galba II. & Cotta.
555 Lentulo & Tappulo.
556 Flaminio & Pæto.
Cic. ibid. 73. 557 Cetego & Rufo.
* Purpureone. 558 Porphyrio * & Marcello.
559 Feſto * & Flacco.
* Catone. 560 Scipione Africano & Longo.
561 Merula & Thermo.
562 Flaminio & Ahenobarbo.
563 Glabrione & Naſica.
564 Scipione & Lælio.
565 Wlſone & Nobiliore.
566 Salinatore & Meſſala.
567 Lepido & Flaminio.
568 Albino & Philippo.
569 Pulchro & Tuditano.
Cic. in Bruto. 60. 570 Pulchro II. & Licinio.
571 Labeone & Marcello.
*Tamphylo. 572 Pamfilio & Paulo.
*Tamphylo. 573 Cethego & Pamfilio *.
574 Albino & Piſone.
* Acidino. 575 Acindyno * & Flacco.
576 Bruto & Wlſone.
577 Pulchro & Gracchо.
578 Scipione & Petilio.
579 Lepido II. & Scævola.
580 *Omiſſi Albinus & Scævola.*
581 Albino & Lænate.
582 Lænate & Ærio.
*Longino. 583 Craſſo & Longo *.
* Mancino. 584 Macrino * & Serrano.
Cic. in Bruto. 78. 585 Philippo & Cæpione.

586 Paulo & Craſſo.
587 Pæto & Prnno. Ibid. 109.
588 Gallo & Claudio.
589 Torquato & Octavio. De Fin. l. 1. 24.
590 Torquato II. & Longino.
591 Gracchо & Thalna.
592 Scipione Naſica & Figulo.

In horum locum, quia vitio creati erant, ſufficiuntur Lentulus & Domitius.

593 Meſſala & Carbone *. * Strabone.
594 Gallo & Cethego.
595 Dolabella & Fulvio Nobiliore.
596 Lepido & Lænate II.
597 Cæſare & Oreſte.
598 Lentulo & Figulo. Cic. in Bruto. 79.
599 Naſica & Marcello.
600 Opimio & Albino.
601 Nobiliore & Luſco. Ibid. 79.
602 Marcello II. & Flacco.
603 Lucullo & Albino. Ibid. 81.
604 Flaminio & Balbo.
605 Cenſorino & Manilio. Cic. in Bruto, 61.
606 Albino & Piſone.
607 Scipione Æmilii * & Druſo. *Æmiliano
608 Lentulo & Numicio *. * Mummio.
609 Maximo Æmilii * & Mancino. *Æmiliano. de Amicit. 96.
610 Galba & Cotta.
611 Claudio & Metello.
612 Metello II. & Maximo. Cic. in Bruto. 161.
613 *Omiſſi Cæpio & Rufus.*
614 Cæpione & Lælio. Cic. ibid. 85.
615 Lænate & Piſone. Ibid. 106.
616 Naſica Scipione & Bruto.
617 Lepido Porcina & Mancino.
618 Philo & Servilio *. *Sex. Atilio.
619 Flacco & Piſone.
620 Scipione Africano & Flacco.
621 Scævola & Calpurnio.
622 Lænate & Rutilio *. *Rupilio. de Amicitia 37.
623 Craſſo & Flacco.
624 Lentulo * & Perpenna.
625 Tuditano & Anulio *. *App. Claudio.
626 Octavio & Rufo *. * Aquilio de Nat. deor. 14.
627 Longino & Cinna.
628 Lepido & Oreſte. * T. Annio. Cic. ibid. 109.
629 Hypſæo & Flacco.
630 Longino & Calvino.
631 Metello & Flaminio. Pro domo. 136.
632 Ahenobarbo & Fannio.
633 Opimio & Maximo Æmilii *. In Bruto. 99.
634 Manilio * & Carbone. *Æmiliano. * Manlio.
635 Metello & Cotta.
636 Catone & Marcio Rege.
637 Metello Diademato & Mutio Scevola. * vel Dalmatico.
638 Geta & Maximo Serviliano.
639 Scauro & Metello.
640 Balbo & Catone.
641 Metello & Carbone.
642 Druſo & Piſone.

His Conſſ. initium belli Jugurthini.

643 Naſica Scipione & Beſtia Calpurnio. Cic. in Bruto. 128.
644 Rufo & Albino.
645 Metello Numidico & Silano. Ibid. 135.
646 Sulpitio & Scauro.
647 Longino & Mario. Cic. ibid. 161.
648 Serrano & Cæpione.

His Conſſ. natus eſt Cicero die * VIII. Kalendas Maias. * III. Non. Jan. ad Att. 7. 5.

* Manilio. 649 Ruſo & Mallio *.
650 Mario II. & Fimbria.
651 Mario III. & Oreſte.
652 Mario IV. & Catulo.
653 Mario V. & Aquillio.
Pro Rabir. 20. 654 Mario VI. & Flacco.
Poſt redit. ad Quir. 11. 655 Antonio & Albino.
656 Metello Nepote & Tito Didio.
657 Lentulo & Craſſo.
658 Ahenobarbo & Longino.
Cic. in Bruto, 229. 659 Craſſo & Scævola.
660 Galva * & Ahenobarbo.
* Caldo. 661 Flacco & Herennio,
662 Pulchro & Perperna.
* Sex. Jul. Cæſ. 663 Philippo & Cæſare.
664 Cæſare & Lupo.
*L. Jul. Cæſ. 1 665 Strabone & Catone.
Divin. 4. 666 Sylla & Ruſo.
2. *In Rull.* 38 667 Octavio & Cinna.
Tuſcul 55. CCCL. 668 Mario VII. & Cinna II.

His Conſſ. natus eſt Saluſtius die Kalend. Octobr.

669 Cinna III. & Carbone.
* Cinna IV. 670 Carbone II. & Scribonio.
Pro Quintio 24. 671 Scipione & Norbano.
672 Carbone III. & Mario.
3. *In Rull.* 7. 673 Decula & Dolabella.
2. *In Rull.* 35. 674 Sylla & Metello Pio.
Pro Plancio. 69. 675 Vatia & Pulchro.
Pro Balbo. 34 676 Lepido & Catulo.
In Bruto. 175 677 Bruto & Mamerco.
Ibid. 217. 678 Octavio & Curione.
1. *Verr.* 130. 679 Octavio & Cotta.
680 Lucullo & Cotta.
Pro Cluente. 137. 681 Marco Lucullo & Caſſio Longino.
682 Cn. Lentulo & Gellio.
4. *Verr.* 95. 683 P. Lentulo & Oreſte.
5. *Verr.* 123. 684 Pompeio & Craſſo.
Pro Cluentio. 685 Hortenſio & Metello.

His Conſſ. natus eſt Vergilius die Id. Octobr.

In Piſ. 8. 686 Marcio Rege & Metello.
2. *Philipp.* 687 Piſone & Glabrione.
1. *Catil.* 15. 688 Volcatio & Tullo. (*Duos ex uno fecit. Volcatio Tullo collega fuit Æmilius Lepidus.*)
3. *Catil.* 19. 689 Cotta & Torquato.
Pro Sylla 56. 690 L. Cæſare & Figulo.
691 Cicerone & Antonio.

His Conſſ. bellum Catilinæ geſtum eſt.

Pro Flacco. 30. 692 Silano & Murena.
693 Piſone Frugi & Meſſala Nigro.
Ad At. 1. 15. 694 Afranio & Metello Celere.
In Piſon. 3. 695 C. Cæſare & Bibulo.
696 Piſone & Gabinio.
Poſt red. in Sen. 5. 697 Lentulo & Metello Nepote.
698 Marcellino & Philippo.
Ad Fam. 1. 9. 699 Pompeio II. & Craſſo II.
700 Ahenobarbo & Pulchro.
701 Calvino & Meſſala.
702 Pompeio III. & Metello Scipione.
703 Ruſo & Marcello.
704 Marcello & Paulo.
705 Lentulo & Marcello.
In Bruto 229 706 Cæſare & Servilio Iſaurico.
2. *Philipp.* 51. 707 Caleno & Vatinio.
708 Ceſare III. & Lepido.
709 Cæſare IV. ſolo.
710 Cæſare V. & Antonio.
711 Panſa & Hirtio.

His Conſſ. obiit Cicero die IV. Kal. Maias. (*Obiit VII. Idus Decembres. Ita teſtimonio Tironis prodidit auctor Dialogi de oratoribus.*)

712 Lepido & Planco.
713 Antonio Pietate & Iſaurico.

His Conſſ. bellum Iſauricum geſtum eſt & Julius Cæſar ex Senatus conſilio deceptus in Curia occiditur a Caſſio & Bruto.

Poſt hunc Octavianus Gæſar Auguſtus appellatur. (*Iſta loco non ſuo appoſita hic eſſe ſatis liquet. Cæſar occiſus eſt an.* 710. *Idibus Martiis. Auguſti autem nomen Octaviano tributum anno* 727. *teſtibus Dione & Cenſorino.*)

714 Calvino II. & Pollione.
715 Ruſo Cenſorino * & Sabino. * L. Martio Cenſorino. I.
716 Pulchro & Flacco.

His Conſſ. obiit Saluſtius die III. Idus Maias.

717 Agrippa & Gallo.
718 Publicola & Nerva Cocceio.
719 Cornificio & Pompeio Magno *. * Sexto Pompeio.

His Conſſ. bellum Fugitivorum geſtum eſt.

720 Antonio II. & Libone.

His Conſſ. obiit Cicero interfectus die IV. Kal. Maias. (*Expungenda hæc eſſe nemo non videt.*)

721 Octaviano Auguſto II. & Paulo *. * Tullo.

His Conſſ. Æra prima curſus Lunæ inventus eſt. (*Referendum id fuit ad annum* 716.)

722 Ahenobarbo & Soſio. (*Hi perperam poſiti infra erant in MS.*)
723 Octaviano Aug. III. & Corbilio *. * Corvino.
724 Octaviano IV. & Craſſo.
725 Octaviano V. & Pulchro *. X. * Apuleio
726 Octaviano VI. & Agrippa II.

His Conſſ. Carthago libertatem a Populo Romano recepit.

727 Octaviano VII. & Agrippa III.
728 Octaviano VIII. & Tauro.
729 Octaviano IX. & Silano.
730 Octaviano X. & Flacco.
731 Octaviano XI. & Piſone.
732 Æſernino & Aruntio.
Celſo & Hibero, (*Iſti male hic inſerti.*)
733 Lollio & Lepido.
734 Apuleio & Nerva.
735 Saturnino & Lucretio Cinna. XX.
736 Duobus Lentulis.
His Conſſ. obiit Vergilius die XI. Kal. Octob. (*Obiit anno ſuperiore proximo, Saturnino & Lucretio Coſſ. Idibus octobr.*)

Lentulo & Cornelio. (*Hi ſunt duo Lentuli modo appellati, nec eſt alius Conſulatus.*

* Furnio. 737 Fornicio & Silano.
738 Scipione & Domitio Ahenobarbo.
739 Libone & Piſone.
740 Craſſo & Lentulo.
741 Nerone & Varo.
742 Meſſala & Quirino.
Rubellio & Saturnino. (*Temere inſerti.*)
* Fab. M.Africa & 1. Antonio. 743 Maximo & Tuberone.
744 Africano * & Maximo.
XXX. 745 Druſo & Criſpino.
746 Cenſorino & Gallo.
747 Nerone II. & Piſone II.
748 Balbo & Vetere.
749 Octaviano XII. & Sylla.
* Rufo. 750 Sabino & Rufino *.
751 Lentulo & Meſſalino.
* Silvano. 752 Octaviano XIII. & Silano *.

His Conſſ. natus eſt Chriſtus die VIII. Kal. Jan.

753 Lentulo & Piſone.

(*Æra Chriſtiana annos deinceps inſcribemus margini quibus perpetua methodo additi anni 753. Urbis Conditæ annos exhibebunt.*)

1 C. Cæſare & Lucio Paulo.
XL *Vinicio 2 Vindicio * & Varo.
* *Sic eſt in MS.* 3 Lamia & Servilio ñ niano *.
4 *Omiſſi Ælius Catus & Saturninus.*
*Cinna Magno. 5 Magno Pompeio * & Valerio.
6 Lepido & Aruntio.
7 Cretico & Nerva.
8 Camillo & Quintiliano.
9 Camerino & Sabino.
* Silano. 10 Dolabella & Sabino *.
11 Lepido & Tauro.
12 *Omiſſi Germanicus Cæſar & C. Fonteius Capito.*
* Planco & Silio. 13 Flacco * & Silano *.
14 Duobus Sextis Pompeio Magno & Apuleio.
* Druſo. 15 Bruto & Flacco.
16 Tauro & Libone.
* Flacco. 17 Craſſo * & Rufo.
* German. Cæſ. 18 Tiberio Cæſare II. & Druſo Germanico * II.
19 Silano & Balbo.
* Cotta. 20 Meſſala & Grato *.
*Druſo Tib. fil. II. 21 Tiberio Cæſare III. & Druſo Germanico * III.
LX. 22 Agrippa & Galba.
23 Pollione & Vetere.
* Varrone. 24 Cethego & Varo *.
* *Sic eſt in MS.* 25 Agrippa II. & Lentulo Galva *.
26 Getulico & Sabino.
27 Craſſo & Piſone.
28 Silano & Nerva.
* Fuſio, *vel* Fuſio & Rubellio. 29 Rufo * & Rubellione.

His Conſſ. paſſus eſt Chriſtus die decimo Kalendas Aprilis, & reſurrexit VIII. Kalendas eaſdem.

(*Hic in margine MS. hæc leguntur*) Cum Joannis Evangelium doceat ſalvatorem & Dominum noſtrum tribus annis poſt baptiſmum docuiſſe, ad quod venit tricеſimo ætatis ſuæ anno, ſicut in Imperio Tiberii Cæſaris habetur adſcriptum. In hoc loco per Conſules error annorum eſt niſi ſi de Rufo & Rubellione in tertium ordinem conſulum ſubputatio pertendat.

30 Vinicio & Longino Caſſio. * Et Ælio Sejano.
31 Tiberio Cæſare IV. ſolo *. LXX.
32 Aruntio * & Ahenobarbo. * A. Vitellio.
33 Galba libolo * & Sylla. *Sulp.Galba
34 Perſico & Vitellio Pulo * (*In MS. aſſignantur anno 32.*) *L.Vitellio.
35 Gallo & Noniano.
36 Æmiliano * & Plautio. * Galieno, *vel* Allieno.
37 Proculo & Nigrino.
38 Juliano & Aſprenate.
39 Cæſare * II. & Cæſiano. * Caio Cæſ.
40 Cæſare III. ſolo.
41 Cæſare IV. & Antonino *. * Saturnino.
42 Claudio II. & Largo. LXXX.
43 Claudio III. & Vitellio II.
44 Criſpo II. & Tauro. * Criſpino.
45 Vinitio & Corvino.
46 Aſiatico & Silano.
47 Claudio IV. & Vitellio * III. *L.Vitellio.
48 Vitellio IV. * & Publicola. **Non IV. nam hic eſt A. Vitellius.*
49 Veranio & Gallo.
50 Vetere & Nerviliano.
51 Claudio * & Orfito. *Claudio V.
52 Sylla & Catone *. XC. * Othone.
53 Silano & Antonino.
54 Marcello & Aviola.
55 Nerone & Vetere.
56 Saturnino & Scipione.
57 Nerone II. & Piſone.
58 Nerone III. & Meſſala Corvino.

His Conſſ. Petrus & Paulus paſſi ſunt die III. Kal. Julias.

59 Aproniano & Capitone.
60 Nerone IV. & Lentulo.
61 Lacio * & Turpiliano. * Pæto. C.
62 Mario & Gallo.

His Conſſ. Judæa capta eſt.

63 Rufo & Regulo.
64 Craſſo & Baſſo.
65 Helva * & Veſtino. * Nerva.
66 Teleſino & Paulino.
67 Capitone & Rufo.
68 Italico & Trachalo.

His Conſſ. Nero non comparuit.

69 Galba II. & Tito Rufino.
70 Veſpaſiano II. ſolo. * Et Tito Cæſare I.
71 Veſpaſiano III. & Nerva.
72 Veſpaſiano IV. & Tito II. CX.
73 Domitiano II. & Meſſalino.
74 Veſpaſiano V. & Tito III.
75 Veſpaſiano VI. & Tito IV.
76 Veſpaſiano VII. & Tito V.
77 Veſpaſiano VIII. & Domitiano * III. *Tito VI. cui Domitianus ſuffectus.

His Conſſ. Judæi pervicti ſunt.

78 *Commodus & Priſcus omiſſi,*
79 Veſpaſiano IX. & Tito VI. * Tito VII
80 Tito * VII. & Domitiano * IV. *Tito VIII & Dom. VII*
81 Galba * & Pollione. * Silvano.
82 Domitiano V. & Flavio Sabino. CXX.

83 Domitiano vi. & Ruſo.
84 Domitiano vii. & Appio Sabino ii.
85 Domitiano viii. & Fulvio.
86 Domitiano ix. & Dolabella.
87 Domitiano x. & Saturnino.
88 Domitiano xi. & Ruſo.
89 Fulvio & Atratino.
90 Domitiano xii. & Nerva ii.
91 Glabrione & Trajano.
CXXX. 92 Domitiano xiii. & Saturnino.
* Pompeio & Priſco. 93 * Pompeiano & Priſciaoo.
94 Aſprenate & Laterano *.
* Arretino Clemente. 95 Domitiaoo xiv. & Clemente *.
* T. Fl. Clemente. 96 Valente & Vetere.

His Conſſ. exceſſit Domitianus in palatio Romæ.

97 Nerva iii. & Ruſo iii.
98 Nerva iv. & Trajano ii.
* ii. 99 Palma & Senecione *.
* Frontone. 100 Trajano iii. & Pontioo *.
101 Trajano iv. & Pæto.
CXL. * Senecione iii & Sura. 102 Severiano & Syrio *.
103 Trajano v. & Maximo.
* Surano. 104 Suburano * ii. & Marcello.
105 Candido ii. & Quadrato.
106 Commodo & Cereali.
*Sura. * iv. 107 Syra * iii. & Senecione ii. *
108 Gallo & Bradua.
109 Palma ii. & Tullo.
* Criſpino. 110 Orſito & Priſciano *.
* Bolano. 111 Piſone & Juliano *.
CL. 112 Trajano vi. & Africano.

His Conſſ. perſecutio Chriſtianorum.

* Criſpino. 113 Celſo ii. & Priſciano * ii.
* Vopiſco. 114 Haſta & Voluſo *.
115 Meſſala & Pedooe.
116 Æliano & Vetere.
117 Aproniano & Nigro.
* ii. 118 Hadriano * & Salinatore.
* iii. 119 Hadriano * iv. & Ruſtico.
120 Severo ii. & Fulvo.
121 Vero ii. & Augure.
CLX. 122 Aviola & Paoſa.
* Pætino. 123 Aproniano & Paupino *.
124 Glabriooe & Torquato.
* ii. 125 Aſiatico * & Aquilino.
126 Vero iii. & Ambibulo.
127 Titiano & Gallicano.
128 Torquato & Libone.
* *Alii* Q. Jul. Balbo. 129 Marcello * & Celſo.
* Apro. 130 Catullino & Libone *.
* Rufino. 131 Pontiano & Ruſo *.
CLXX. * Severiano. 132 Augurino & Sergiaoo *.
133 Hibero & Siſenna.
* Servilio, *vel* Serviano. 134 Severo * iii. & Varo.
* Aciliano. 135 Pontiano & Aquilioo Ruſo *.
136 Commodo & Pompeiano.
* ÆlioCæſ. 137 Cæſare * ii. & Balbino.
138 Camerino & Nigro.
139 Antonino ii. & Præſeote.
140 Antonioo iii. & Aurelio.
* M. Pæduceo Priſcino 141 Severo & Silvano *.
CLXXX. 142 Rufino & Quadrato.
143 Torquato & Herode.
144 Avito & Maximo.
145 Antonino iv. & Aurelio ii.
* ii. 146 Claro * & Severo.
147 Largo & Meſſalioo.
* ii. 148 Torquato * & Juliano.

149 Orſito & Priſco.
150 Glabrione * & Vetere. * Gallicano.
151 Conpiano * & Maximo. * Gordiano.
152 Glabrione ii. & Homilio *. CXC. * Omullo Veriano.
153 Præſente & Rufino.
154 Commodo & Laterano.
155 Severo & Sabiniaoo.
156 Silvano & Augurino.
157 Barbaro * & Regulo. * *Vel* Barbato
158 Tullo * & Sacerdote. * Tertullo
159 Quintillo & Priſco.
160 Bradua & Vero *. * Baro.
161 Antonino v. & Aurelio Cæſ. duobus Auguſtis.

His Cooſſ. orta perſecutione paſſi Polycarpus & Pionius.

162 Rufioo * & Aquilino. CC. * Ruſtico.
163 L. Æliano & Paſtore.
164 Macrino & Celſo.
165 Orſito & Pudente.
166 Pudente & Pollione.
167 Vero iii. & Quadrato.

In Chronico his Conſſ. paſſos legis (*Tantum hæc in MS.*)

168 Aproniano * & Paulo. * Montano.
169 Priſco & Apollinare.
170 Cethego & Claro.
171 Severo & Herenniano.
172 Orſito & Maximo. CCX.
173 Severo ii. & Pompeiano.
174 Gallo & Flacco.
175 Piſooe & Juliano.
176 Pollione & Apro.
177 Commodo & Quintillo.
178 Orſito & Ruſo.
179 Commodo ii. & Vero.
180 Præſeote * & Condiano. * ii.
181 Commodo iii. & Byrro *. * *Sive* Burrho.
182 Mamertioo & Ruſo.
183 Commodo iv. & Victorino. CCXX.
184 Marullo & Æliano.
185 Materno & Bradua.
186 Commodo v. & Glabrione.
187 Criſpino & Æliano.
188 Fuſciano & Silano.
189 Duobus Silanis.
190 Commodo vi. & Septimiano.
191 Aproniano & Bradua.
192 Commodo vii. & Pertinace. CCXXX.
193 Flaccone * & Claro. * Falcone.
194 Severo ii. & Albioo.
195 Tertullo & Clemente.
196 Dextro & Priſco.
197 Laterano & Rufino.
198 Saturnioo & Gallo.
199 Anulino & Frontone.
200 Severo ii. * & Victorino. * *Male* ii.
201 Muciaoo & Fabiano.
202 Severo iii. & Antonino. CCXL.
203 Plautiaoo ii. & Geta.
204 Ciiooe & Libone.
205 Antooino ii. & Geta ii.
206 Albino & Æmiliano.
207 Apro & Maximo.
208 Aotonino iii. & Geta iii.
209 Pompeiano & Avito.
210 Fauſtino & Rufino.
211 Gentiano & Baſſo.
212 Duobus Aſpris. CCL.

213 Antonino IV. & Balbino.
214 Meſſala & Sabino.
215 Læto & Cereale.
216 Sabino & Anulino.
217 Præſente & Extricato.
* Antonino Macrino. 218 Antonino * & Advento.

His Conſſ. inſtrumenta debitorum fiſco in foro Romano arſerunt per dies XXX.

* Antonino Elagabalo. 219 Antonino * II. & Sacerdote.
220 Antonino III. & Comazonte.
221 Grato & Seleuco.
CCLX. 222 Antonino IV. & Alexandro.
223 Maximo II. & Æliano.
* Juliano. 224 Fabiano * & Criſpino.
* Fuſco, *vel* Rufo. 225 Fuſciano * & Dextro.
226 Alexandro II. & Marcello.
*Balbino, *al.* Sabino. 227 Albino & Maximo.
228 Modeſto & Probo.
229 Alexandro III. & Dione.
* Clementino. 230 Agricola & Clemente *
231 Pompeiano & Peligniano.
CCLXX. 232 Lupo & Maximo.
233 Maximo & Paterno.
234 Maximo II. & Urbano.
235 Severo & Quintiano.
*Maximino. 236 Maximo III. * & Africano.
237 Perpetuo & Corneliano.
238 Pio & Pontiano.
239 Gordiano & Aviola.
* Sabino II. 240 Albino * & Venuſto.
141 Gordiano II. & Pompeiano.
CCLXXX. 242 Attico & Prætextato.
243 Arriano & Papo.
244 Peregrino & Æmiliano.
245 Philippo & Titiano.
246 Præſente & Albino.
247 Philippo II. & Philippo.
248 *Omiſſi Philippus* III. *& Philippus* II.
249 Æmiliano & Aquilino.
250 Decio II. & Grato.
251 Decio III. & Decio Cæſare.

His Conſſ. perſecutio Chriſtianorum.

CCXC. 252 Gallo II. & Voluſiano.
253 Voluſiano II. & Maximo.
254 Valeriano II. & Gallieno.
255 Valeriano III. & Gallieno II.
256 Maximo & Glabrione.
257 Valeriano IV. & Gallieno III.
258 Tuſco & Baſſo.

His Conſſ. paſſus eſt Cyprianus die XVIII. Kal. Octobris.

259 Æmiliano & Baſſo.
260 Sæculare & Donato.
261 Gallieno IV. & Voluſiano.

His Conſſ. hoſtes multi irruerunt in Romania.

CCC.* Fauſtino. 262 Gallieno V. & Fauſtiniano *
263 Albino & Dextro.
264 Gallieno VI. & Saturnino.
* II. 265 Valeriano * V. & Lucillo.
266 Gallieno VII. & Sabillino.

His Conſſ. captus Valerianus in Perſida.

267 Paterno & Arceſilao.
268 Paterno II. & Mariniano.
269 Claudio & Paterno.

His Conſſ. victi Gothi a Claudio.

270 Antiochiano & Orfito. *A Sirmondo edita ſunt quæ ſequuntur ad obitum uſque Honorii.*

His Conſſ. levatus Aurelianus Imperator.

271 Aureliano & Baſſo.

His Conſſ. muri urbis cœpti fieri.

272 Quieto & Valdumiano *. CCCX. *Voldumiano.
273 Tacito & Placidiano.
274 Aureliano II. & Capitolino.
275 Aureliano III. & Marcellino.

His Conſſ. occiſus eſt Aurelianus Imper. Cænofrurio, & levatus eſt poſt dies * Tacitus Romæ. * *Numerus dierum non notatur in MS.*

276 Tacito II. & Æmiliano.
277 Probo & Paulino.

His Conſſ. occiſus eſt Tacitus Tyana.

278 Probo II. & Lupo.
279 Probo III. & Paterno.
280 Meſſala & Grato.
281 Probo IV. & Tiberiano.
282 Probo V. & Victorino. CCCXX.
283 Caro & Carino.

His Conſſ. occiſus eſt Probus Sirmio.

284 Caro * II. & Numeriano. * Carino

His Conſſ. magna fames fuit.

285 Diocletiano II. & Ariſtobulo.

His Conſſ. occiſus eſt Carinus Margo, qui ipſo anno cum Ariſtobulo Conſul proceſſerat.

286 Maximo II. & Aquilino.

His Conſſ. levatus eſt Maximianus Imperator ſenior die Kal. April.

287 Diocletiano III. & Maximiano.
288 Maximiano II. & Anuarino *. * Januario.
289 Baſſo & Quintiano.
290 Diocletiano IV. & Maximiano III.
291 Tiberiano & Dione.

His Conſſ. tenebræ fuerunt inter diem. & eo anno levati ſunt Conſtantius & Maximianus Cæſares die Kal. Mart.

292 Annibaliano & Aſclepiodoto. CCCXXX.
293 Diocletiano V. & Maximiano IV.
294 Conſtantino * & Maximiano. * Conſtantio

His Conſſ. caſtra facta in Sarmatia contra Acinco & Bononia.

295 Tuſco & Anulino.

His Conſſ. Carporum gens univerſa in Romania ſe tradidit.

296 Diocletiano vi. & Conſtantio ii.
297 Maximiano v. & Maximiano ii.

His Conſſ. victi Perſæ.

298 Fauſto ii. & Gallo.
* vi. 299 Diocletiano vii. & Maximiano v. *

His Conſſ. victi Marcomanni.

300 Conſtantio iii. & Maximiano iii.
301 Titiano ii. & Nepotiano.
CCCXL. 302 Conſtantio iv. & Maximiano iv.

His Conſſ. vilitatem juſſerunt Imperatores eſſe.

303 Diocletiano viii. & Maximiano vii.

His Conſſ. perſecutio Chriſtianorum.

304 Diocletiano ix. & Maximiano viii.

His conſſ. depoſuerunt purpuram privati effecti Diocletianus & Maximianus, & veſtierunt Severum & Maximianum *. Nam Conſtantius & Maximianus, qui Cæſares fuerunt, eadem hora Auguſti nuncupati ſunt die Kal. April.

* Maximinum.

* v. 305 Conſtantio v. & Maximiano vi. *
306 *Omiſſi Conſtantio vi. & Maximiano vi.*

His Conſſ. diem functus Conſtantius, & poſtea levatus eſt Conſtantinus viii. Kal. Aug.

* Maximiano ix. 307 Novies * & Conſtantino.

His Conſſ. quod eſt poſt ſextum Conſulatum, occiſus Severus Romæ.

308 Item Decies & Maximiano vii. *

His Conſſ. quod eſt Maxentio & Romulo, levatus Licinius Carnunto iii. Id. Nov.

* x Max. Herculii. * vii. Galerii Max. 309 Poſt Conſſ. x. * & vii. *

His Conſſ. quod eſt Maxentio ii. & Romulo ii.

310 Anno ii. poſt Conſſ. x. & vii.

His Conſſ. quod eſt Maxentio iii. ſolo, diem functus Maximianus ſenior.

311 Maximiano viii. Conſule.

His Conſſ. quod eſt Rufino & Voluſiano, diem functus Maximianus junior.

CCCL. 312 Conſtantino ii. & Licinio ii.

His Conſſ. quod eſt Maxentio iv. ſolo, victus & occiſus Maxentius Romæ ad pontem Mulvium.

313 Conſtantino iii. & Licinio iii.
314 Voluſiano ii. & Anniano.

His Conſſ. bellum Cibalenſe fuit die viii. Idus Octobr.

315 Conſtantino iv. & Licinio iv.
316 Sabino & Rufino.

His Conſſ. diem functus Diocletianus Sola * die iii. Non. Decemb. * Salona.

317 Gallicano & Baſſo.

His Conſſ. levati tres Cæſares, Criſpus, Licinius & Conſtantinus die Kal. Mart.

318 Licinio v. & Criſpo Cæſare.

His Conſſ. tenebræ fuerunt inter diem hora ix.

319 Conſtantino v. & Licinio Cæſare.
320 Conſtantino vi. & Conſtantino Cæſare.
321 Criſpo ii. & Conſtantino ii.
322 Probiano & Juliano. CCCLX.
323 Severo & Rufino.
324 Criſpo iii. & Conſtantino iii.

His Conſſ. bellum Hadrianopolitanum die v. Non. Julias, & bellum Calchedonenſe xiv. Kal. Octob. & levatus eſt Conſtantinus * Cæſar vi. Idus Novemb. * Conſtantius.

325 Paulino & Juliano.

His Conſſ. occiſus Licinius.

326 Conſtantino vii. & Conſtantino * Cæſare. * Conſtantio.

His Conſſ. occiſus eſt Criſpus, & edidit vicennalia Conſtantinus Auguſtus Romæ.

327 Conſtantino & Maximo.
328 Januario * & Juſto. * Januatio.
329 Conſtantino viii. & Conſtantino iv.
330 Gallicano & Symmacho.

His Conſſ. dedicata eſt Conſtantinopolis die v. Idus Maias.

331 Baſſo & Ablabio.
332 Pacatiano & Hilariano. CCCLXX.

His Conſſ. victi Gothi ab exercitu Romano in terris Sarmatarum die xii. Kal. Maii.

333 Dalmatio & Zenophilo.

His Conſſ. levatus eſt Conſtans die viii. Kal. Januar.

334 Optato & Paulino.

His Conſſ. Sarmatæ ſervi univerſa gens dominos ſuos in Romaniam expulerunt.

335 Conſtantino * & Albino. * Conſtantio.

His Conſſ. tricennalia edidit Conſtanti-

nus Aug. die VIII. Kal. Aug. & levatus eſt Dalmatius Cæſar XIV. Kal. Octob.

336 Nepotiano & Facundo.
337 Feliciano & Titiano.

His Conſſ. Conſtantinus Aug. ad cæleſtia regna ablatus eſt die XI. Kal. Junias. & ipſo anno nuncupati ſunt tres Auguſti Conſtantinus, & Conſtantius, & Conſtans V. Idus Septemb.

338 Urſo & Polemio.
339 Conſtantio II. & Conſtante.
340 Acyndino & Proculo.

His Conſſ. occiſus eſt Conſtantius* junior.

* Conſtantinus.

341 Marcellino & Probino.

His Conſſ. pugna facta eſt cum gente Francorum a Conſtante Aug. in Gallis. & ipſo anno terræmotus fuit ad Orientem per totum annum præter Antiochiam.

CCCLXXX 342 Conſtantio III. & Conſtante II.

His Conſſ. victi Franci a Conſtante Aug. ſeu pacati. tractus Hermogenes.

343 Placido & Romulo.
344 Leontio & Saluſtio.
* Amantio. 345 Amentio * & Albino.
346 Conſtantino IV. & Conſtante III.
347 Rufino & Euſebio.
348 Philippo & Salia.

His Conſſ. bellum Perſicum fuit nocturnum.

349 Limenio & Catullino.
350 Sergio & Nigriniano.

His Conſſ. Conſtans occiſus eſt in Gallis a Magnentio. & levatus eſt Magnentius die XV. Kal. Febr. & Vetranio apud Sirmium Kal. Martias eo anno. & Nepotianus Romæ III. Non. Junias. & pugna magna fuit cum Romanis & Magnentianis.

351 Poſt Conſſ. Sergii & Nigriniani.

His Conſſ. bellum Magnentii fuit Morſa die IV. Kal. Octob. & eo anno depoſitus Vetranio VIII. Kal. Januar. & levatus eſt Conſtantius Cæſar Idus * Martias & apparuit in Oriente ſignum Salvatoris die III. Kal. Febr. Luna XXVIII.

*Idibus Martiis, *ut habet Chronicon Alexandr.*

CCCXC. 352 Conſtantio V. & Conſtantio Cæſ.
353 Conſtantio VI. & Conſtantio II.

His Conſſ. Magnentius ſe interfecit in Gallis apud Lugdunum die III. Id. Aug. & Decentius frater Magnentii laqueo ſe ſuſpendit XV. Kal. Septemb.

354 Conſtantio VII. & Conſtantino * III.

* Conſtantio Gallo.

His Conſſ. occiſſus eſt Conſtantius Cæſar in inſula Flanona.

355 Arbetione & Lolliano.

His Conſſ. levatus eſt Julianus Cæſar die VIII. Idus Novembres.

356 Conſtantio VIII. & Juliano Cæſ.

His Conſſ. introierunt Conſtantinopolim reliquiæ Apoſtoli Timothæi die Kal. Jun.

357 Conſtantio IX. & Juliano Cæſ. II.

His Conſſ. introierunt Conſtantinopolim reliquiæ ſanctorum Apoſtolorum Andreæ & Lucæ die V. Non. Mart. & introivit Conſtantius Aug. Romæ IV. Kal. Maias, & edidit XXXV.

358 Datiano & Cæreale.

His Conſſ. introierunt Conſtantinopolim legati Perſarum die VIII. Kal. Mart. Ipſo anno terræmotus factus, ita ut civitas Nicomedenſium funditus verſaretur die IX. Kal. Septemb. aliæ vero CL. civitates partibus vexatæ ſunt.

359 Euſebio & Hypatio.

His Conſſ. natus eſt Gratianus filius Auguſti Valentiniani die XIV. Kal. Maias. & ipſo anno primum proceſſit Conſtantinopolim Præfectus urbis, nomine Honoratus, die III. Idus Decemb.

360 Conſtantino X. & Juliano III.

His Conſſ. dedicatum eſt Conſtantinopoli Dominicum die XV. Kal. Martias.

361 Tauro & Florentio.

His Coſſ. diem functus Conſtantius Aug. Mopſucrenas in fines Ciliciæ Phœniciæ provinciæ III. Non. Novemb. & introivit Julianus Aug. Conſtantinopolim die III. Idus Decembres.

362 Mamertino & Nevitta. CCCC.
363 Juliano Aug. IV. & Saluſtio.

His Conſſ. occiſus eſt Julianus Aug. in bello Perſico die VI. Kal. Julias. & quia apoſtata a Deo factus eſt Chriſtianorum etiam perſecutor, occiſus eſt, & levatus eſt Chriſtianiſſimus Jovianus Aug. V. Kalend. Julias.

364 Joviano Aug. & Varro. * *Varroniano

His Conſſ. receſſit Jovianus Aug. Dadaſtena die XI. Kal. Mart. & leva-

tus eſt Valentinianus Aug. apud Nicæam die V. Kal. Mart. Ipſo anno levatus eſt Valens Aug. Conſtantinopolim in miliario VII. in tribunali a fratre ſuo Valentiniano die IV. Kal. April.

365 Valentiniano & Valente Augg.

His Conſſ. mare ultra terminos ſuos egreſſum eſt die XII. Kal. Aug. & ipſo anno latro nocturnus hoſtiſque publicus intra urbem Conſtantinopolim apparuit die IV. Kal. Octob.

366 Gratiano Nob. * & Dagalaiſo.

* Nobiliſſimo puero,

His Conſſ. natus eſt Valentinianus junior filius Auguſti Valentis die XV. Kal. Febr. & ipſo anno idem hoſtis publicus & prædo intra Phrygiam ſalutarem, & in Nacolienſium campos ab Auguſto Valente oppreſſus atque extinctus eſt die VI. Kal. Junias. Ipſo anno Auguſtus Valentinianus gentem Alamannicam pervicit.

367 Lupicino & Jovino.

His Conſſ. in civitate Conſtantinopoli, Deus grandinem pluit in modum petrarum die IV. Nonas Julias. Et ipſo anno levatus eſt Gratianus Aug. in Galliis apud Ambianos in tribunali a patre ſuo Auguſto Valentiniano die IX. Kal. Sept.

368 Valentiniano II. & Valente II.

His Conſſ. terræmotus factus, ita ut civitas Nicænorum terræ funditus proſterneretur die V. Idus Octob.

369 Valentiniano Nob. & Victore.

His Conſſ. opus magnificum ciſternæ Conſtantinopolitanæ completum eſt a Domitio modeſto v. c. iterum Præfecto urbis. quod in prima inchoaverat Præfectura. Agon poſt annos XVII. reſtitutus eſt ab Auguſto Valente.

370 Valentiniano III. & Valente III.

His Conſſ. magna fames fuit in partibus Phrygiæ. & dedicata eſt ſancta Eccleſia. ubi beati Apoſtoli poſiti ſunt, die V. Idus April.

371 Gratiano Aug. II. & Probo.
CCCCX. 372 Modeſto & Arintheo.
373 Valentiniano IV. & Valente IV.
374 Gratiano III. & Æquitio. *
375 Poſt Conſſ. Gratiani III. & Æquitii.

* Equitio.

His Conſſ. thermæ Caroſianæ dedicatæ ſunt agente Præfecto v. c. Vindalonio Magno. Et ipſo anno diem functus Valentinianus ſenior XV. Kal. Decemb. in caſtello Virgitione & levatus eſt Valentinianus junior Aug. filius Aug. Valentiniani ab exercitu in tribunali die X. Kal. Decemb. in civitate Acinco.

376 Valente Aug. V. & Valentiniano juniore Auguſto.

His Conſſ. victi & expulſi ſunt Gothi a gente Hunorum, & ſuſcepti ſunt in Romania pro miſericordia juſſione Aug. Valentis. Et ipſo anno introivit corpus Auguſti Valentiniani Conſtantinopolim, die V. Kal. Jan.

377 Gratiano IV. & Merobaude.

His Conſſ. gens Gothorum, qui pro miſericordia ſuſcepti ſunt, rebellaverunt adverſus Romanos. ad quos expugnandos miſſi ſunt Comites cum militibus, & pugnaverunt cum Gothis.

378 Valente VI. & Valentiniano II. CCCCXVI.

His Conſſ. ingreſſus eſt Valens Aug. ab Oriente Conſtantinopolim die III. Kal. Jun. Et ipſo anno profectus eſt Valens Aug. ex urbe ad foſſatum die III. Idus Junias. & pugna magna fuit cum Romanis & Gothis a miliario XII. ab Hadrianopoli, die V. Idus Auguſti. Ex ea die Valens Auguſtus nuſquam apparuit. & toto anno per diœceſim Thraciarum, & Scythiæ, & Mœſiæ, Gothi habitaverunt ſimul, & eas prædaverunt. deinde uſque ad portas urbis Conſtantinopolitanæ venerunt.

379 Auſonio & Olybrio.

His Conſſ. levatus eſt Theodoſius Aug. ab Auguſto Gratiano die XIV. Kal. Februar. in civitate Sirmio. Ipſo anno multa bella Romani cum Gothis commiſerunt. Deinde victoriæ nunciatæ ſunt adverſus Gothos, Alanos, atque Hunos die XV. Kal. Decemb.

Ad oram codicis noſtri MS. hæc habentur adſcripta, quæ Sirmondus omiſit: His Conſulibus Theophilus Alexandriæ Epiſcopus ſubjectum Laterculum infra de Paſchæ obſervatione conſcribit.

380 Gratiano Aug. V. & Theodoſio Aug.

His Conſſ. victoriæ nunciatæ ſunt amborum Auguſtorum. Et ipſo anno ingreſſus eſt Theodoſius Aug. Conſtantinopolim die XVIII. Kal. Decemb.

381 Syagrio & Eucherio.

His Conſſ. ingreſſus eſt Athanaricus rex Gothorum Conſtantinopolim die III. Idus Jan. Eodem menſe diem functus idem Athanaricus VIII. Kal. Febr.

382 Antonio & Syagrio. CCCCXX.

His

His Conſſ. Theodoſius Aug. corpus Augusti Valentiniani in ſarcophago depoſuit die IX. Kal. Mart. Ipſo anno univerſa gens Gothorum cum rege ſuo in Romaniam ſe tradiderunt die v. Non. Octob.

383 Merobaude II. & Saturnino.

His Conſulibus levatus eſt Arcadius Aug. Conſtantinopoli in miliario VII. in tribunali a Theodoſio Aug. patre ſuo die XVII. Kal. Febr. Et ipſo anno ingreſſum eſt Conſtantinopolim corpus Conſtantiæ filiæ Auguſti Conſtantini die II. Idus Septemb.

384 Ricomere & Clearcho.

His Conſſ. introierunt Conſtantinopolim legati Perſarum. Ipſo anno natus eſt Honorius nob. in purpuris die v. Idus Septemb.

385 Arcadio Aug. & Bautone.
386 Honorio nob. & Evodio.

His Conſſ. victi atque expugnati, & in Romania captivi adducti gens Greothyngorum a noſtris Theodoſio & Arcadio. deinde cum victoria & triumpho ingreſſi ſunt Constantinopolim die IV. Idus Octob.

387 Valerio * III. & Eutropio.

* Valentiniano.

His Conſſ. Quinquennalia Arcadius Aug. propria cum Theodoſio Aug. patre ſuo editionibus ludiſque celebravit die decimo ſeptimo Kal. Febr.

388 Theodoſio Aug. II. & Cynegio.

His Conſſ. Defunctus eſt Cynegius Præfectus Orientis in Conſulatu ſuo Conſtantinopoli. Hic univerſas provincias longi temporis tabe deceptas in ſtatum priſtinum revocavit. & uſque ad Ægyptum penetravit, & ſimulacra gentium evertit. Unde cum magno fletu totius populi civitatis deductum eſt corpus ejus ad Apoſtolos die XIV. Kal. April. Et poſt annum tranſtulit eum matrona ejus Achantia ad Hiſpanias pedeſtre. Et ipſo anno occiditur hoſtis publicus Maximus tyrannus a Theodoſio Aug. in miliario III. de Aquileia die v. Kal. Aug. Sed & filius ejus Victor occiditur poſt paucos dies in Gallis a Comite Theodoſii Auguſti.

389 Timaſio & Promoto.

His Conſſ. introivit Theodoſius Aug. in urbem Romam cum Honorio filio ſuo die Iduum Juniarum, & dedit congiarium Romanis.

390 Valentiniano IV. & Neuterio *.

* Neoterio.

391 Tatiano & Symmacho.

392 Arcadio Aug. II. & Rufino. CCCCXXX.

His Conſſ. Valentinianus junior apud Vienuam eſt interfectus. & levavit ſe Eugenius tyrannus poſtmodum Theodoſius Aug. occidit Eugenium.

393 Theodoſio Aug. III. & Abundantio.
394 Arcadio Aug. III. & Honorio Aug. II.
395 Olybrio & Probino.

His Conſſ. receſſit apud Mediolanum Theodoſius Aug.

396 Arcadio Aug. IV. & Honorio Aug. III.
397 Attico & Cæſario.
398 Honorio Aug. IV. & Eutychiano.

His Conſſ. Gildo occiſus.

399 Manlio & Theodoro * v. c.

* Manlio Theodoro

His Conſſ. templa gentilium demolita ſunt, Joviano & Gaudentio Comitibus.

400 Stilicone v. c. Conſule.
401 Vincentio & Fravito.
402 Arcadio v. & Honorio v. CCCCXL.

His Conſſ. Solis facta defectio III. Id. Novemb.

403 Theudoſio & Rumorido.
404 Honorio IV. & Ariſtone *.

* Ariſtæneto.

His Conſſ. bellum civile fuit ex III. Kal. Septembres.

405 Stilicone II. & Anthemio.

His Conſſ. inter Catholicos & Donatiſtas unitas facta.

406 Arcadio VI. & Probo.
407 Honorio VII. & Theodoſio Aug. II.
408 Baſſo & Philippo.
409 Honorio VIII. & Theodoſio III. CCCCXLVIII.

His Conſſ. barbari Hiſpanias ingreſſi.

410 Honorio IX. & Varari, quod fuit Tertullo.
411 Theodoſio Aug. IV.

His Conſſ. Conſtantini tyranni in conto caput adlatum eſt XIV. Kal. Octob.

412 Honorio IX. & Theodoſio v. CCCCL.
413 Poſt Conſulatum Honorii IX. & Theodoſii v. Lucio Conſ.

His Conſſ. occiſi ſunt Jovianus, Sebaſtianus, Saluſtius. & Heraclianus abolitus eſt.

414 Conſtantio v. c.
415 Honorio X. & Theodoſio VI.

His Conſſ. S. Stephanus primus martyr revelatur ſancto Presbytero Luciano die VI. feria, quæ fuit tunc

III. Non. Dec. in Hieroſolymis ſancto Joanne Epiſcopo præſidente. & extant ex his geſtis epiſtolæ ſupradicti presbyteri, & ſancti Aviti presbyteri Bracarenſis, qui tunc in Hieroſolymis degebant.

416 Theodoſio VII. & Palladio.
417 Honorio XI. & Conſtantio II.
418 Honorio XII. & Theodoſio VIII.
419 Monaxio & Plenta.

His Conſſ. ſanctus Joannes Hieroſolymorum Epiſcopus qui ſupra, epiſtolam dirigit per Eccleſias orbis terrarum, quæ habetur, de ſignis terroribuſque divinitus perpetratis.

420 Theodoſio IX. & Conſtantio III.
421 Agricola & Euſtathio.
CCCCLX. 422 Honorio XIII. & Theodoſio X.
423 Mariniano & Aſclepiodoto.

His Conſſ. Honorius Aug. receſſit Ravenna.

(*Hactenus Sirmondi editio, cætera ex eodem M S. Codice.*)

424 Caſtino & Victore.
425 Theodoſio XI. & Valentiniano Cæſ.
426 Theod. XII. & Valentin. Aug. II.
* Hierio & Ardabure. 427 Pierio * & Artabu.
428 Felice & Tauro.
429 Florentio & Dionyſio.
430 Theodoſio XIII. & Valentin. III.
431 Baſſo & Antiocho.
CCCCLXX 432 Aetio & Valerio.
433 Theodoſio XIV. & Maximo.
434 Aſpare & Ariovindo.
435 Theodoſio XV. & Valentiniano IV.
436 Iſidoro & Senatore.
437 Aetio II. & Segiſvuldo.
438 Theodoſio XVI. & Fauſto.
439 Theodoſio XVII. & Feſto.
440 Valentiniano V. & Anatolio.
441 Cyro V. C.
442 Dioſcoro. (*Omiſit Eudoxium.*) CCCCLXXX
443 Maximo II. & Paterio *. * Paterno.
444 Theodoſio XVIII. & Albino.
445 Valentiniano VI. & Aetio III. (*Hic confunduntur anni duo, quorum priore Conſſ. fuere Valentinianus* VI. *& Nonius: altero autem.*
446 *Aetius* III. *& Symmachus.*)
447 Callepio & Ardabure.
448 Poſtumiano & Zenone.
449 Aſturio & Protogene.
450 Valentiniano VII. & Avieno.
451 Adelphio & Marciano.
452 Herculano & Parracio *. CCCCXC.
453 Opilione. (*Omiſit Vincomalum.*) * Sporatio.
454 Aetio IV. & Studio.
455 Valentiniano VIII. & Anthemio.
456 Avito Auguſto Conſ. *. * Joanne & Varane.
457 *Omiſſi Conſtantinus & Rufus.*
458 Recimere & * qui de Oriente. (*Hi pertinent ad annum* 459.) * Patricio.
459 Majoriano Aug. & Ariovindo *. *Leone Aug
(*Hi ad annum* 458.)
460 Magno & Apollonio.
461 Severiano & * qui de Oriente. * Dagalaipho.

His Conſſ. Majorianus occiditur, & Severus efficitur Imperator.

462 Severo & Leone Auguſtis. D.
463 Baſilio & Gadaipho *. * Viviano.
464 Dn. Olybrio *. *Et Ruſtico
Severus Auguſtus obiit.
Anthemius Romæ Imperator factus eſt. Adverſum Wandalos grandis exercitus cum Marcellino Duce dirigitur.
468 Auguſto Anthemio II. Conſule.

MARCELLINI
VIRI CLARISSIMI
COMITIS ILLYRICIANI
CHRONICON

Multo quam antea emendatius & auctius.

Opera JACOBI SIRMONDI *Societatis Jeſu Presbyteri*
anno M. DC. XIX.

L E C T O R I.

De Chronici hujus auctore neceſſario monendus es, Lector, non omnia Marcellini eſſe, quæ in illo continentur. Teſtatur enim præfatione ſua Marcellinus ſe opus ſuum ab initio principis Theodoſii, ad Magni uſque Conſulatum, per annos CXL. *perduxiſſe: tum deinde alios tantum* XVI. *annos adjeciſſe, a primo Juſtini ad quartum uſque Juſtiniani Aug. Conſulatum, hoc eſt ad annum Chriſti* DXXXIV. *Ultra hunc annum igitur non proceſſerat Marcellinus: nec plura ſane his fuerant in editione Ant. Sconhovii, qui Chronicon hoc in lucem primus dedit. Quæ deinceps ſequuntur ad finem uſque principis Juſtiniani, ab alio poſtea quopiam adjecta ſunt, & a Panvinio primum, deinde ab aliis nullo diſcrimine pro Marcellinianis edita. Nos ex vetuſtiſſimo Tilianæ bibliothecæ Codice, tum Marcellini omnia multo quam hactenus emendatiora, tum Appendicem, quæ & ipſa perantiqui eſt ſcriptoris, multis partibus auctiorem damus: integram daturi, niſi nos lacerum exemplar in ſeptimo poſt Baſilii Conſulatum anno deſtituiſſet. Quo factum, ut in reliquis ad finem uſque Panvinianam editionem ſequi neceſſe fuerit, demptis annorum ad calcem epilogiſmis, quos idcirco prætermittendos cenſuimus, quia nihil illos neque ad Marcellini Chronicon, neque ad ejus Appendicem pertinere conſtabat.*

C A S S I O D O R U S I N S T I T U T I O N I S
divinarum Scripturarum cap. XVII.

Marcellinus etiam quatuor libros de temporum qualitatibus, & poſitionibus locorum pulcherrima proprietate conficiens, itineris ſui tramitem laudabiliter percurrit: quem vobis pariter dereliqui. Chronica vero, quæ ſunt imagines hiſtoriarum, breviſſimæque temporum commemorationes, ſcripſit Græce Euſebius, quem tranſtulit Hieronymus in Latinum, & uſque ad tempora ſua deduxit eximie. Hunc ſubſecutus eſt ſupraſcriptus Marcellinus Illyricianus, qui adhuc patricii Juſtiniani fertur egiſſe cancellos: ſed meliore dictione devotus, a tempore Theodoſii principis, uſque ad fores imperii triumphalis Auguſti Juſtiniani opus ſuum, Domino juvante, perduxit: ut qui ante fuit in obſequio ſuſcepto gratus, poſtea ipſius imperio copioſe amantiſſimus appareret.

MARCELLINI COMITIS V. C. CHRONICON.

PRÆFATIO.

POſt mirandum opus, quod a mundi fabrica uſque in Conſtantinum principem Euſebius Cæſarienſis, hujus ſæculi originem, tempora, annos, regna, virtuteſque mortalium, & variarum artium repertores, omniumque pene provinciarum monumenta commemorans, Græco edidit ſtylo, noſter Hieronymus cuncta tranſtulit in Latinum, & uſque in Valentem Cæſarem Romano adjecit eloquio. Igitur uterque hujus operis auctor V. & DLXXIX. annorum hunc mundum tunc fore miro computavit ingenio. Ego vero ſimplici duntaxat computatione Orientale tantum ſecutus imperium, per indictiones, perque Conſules infra ſcriptos, centum & XL. annos, a ſeptima videlicet indictione, & a Conſulatu Auſonii & Olybrii (quibus etiam Conſulibus Theodoſius Magnus creatus eſt Imperator) enumerans, & uſque in Conſulatum Magni indictionis undecimæ colligens, eorumdem auctorum operi ſubrogavi: itemque alios XVI. annos, à conſulatu Juſtini Auguſti primo, uſque in conſulatum Juſtiniani Auguſti IV. ſuffeci: id ſunt ſimul anni CLVI. & meum ruſticum opus ſuppoſui.

INDICTIONE VII.

ANNO CHRISTI 379.

Auſonio & Olybrio Coſſ.

THeodoſius Hiſpanus Italicæ divi Trajani civitatis, a Gratiano Auguſto apud Sirmium XXXIX. poſt Valentis interitum Imperator creatus eſt, XIV. Kalendas Februarias, Orientalem duntaxat Rempublicam recturus, vir admodum religioſus, & catholicæ Eccleſiæ propagator, omnibuſque Orientalibus principibus præponendus, niſi quod Marcianum, tertium poſt ſe principem, imitatorem habuerit. Alanos, Hunnos, Gothos, gentes Scythicas magnis multiſque præliis vicit.

380. *Ind. VIII. Gratiano Aug. V. & Theodoſio Aug. Coſſ.*

Gregorius Nazianzenus facundiſſimus Chriſti ſacerdos, & Hieronymi noſtri præceptor. Eccleſia noſtra apud Byzantium capta ab Arrianis, plebem catholicam in beatæ Anaſtaſiæ oratorio catholica quotidie allocutione continuit. Sæpe namque pravorum conviciis inſectatus eſt: ſed gratia Chriſti præditus, uſque ad id tempus, quo eadem Eccleſia ſui præſentia noſtris eſt reddita, perfidis obſtitit Arrianis. Nam his Coſſ. Theodoſius Magnus poſtquam de Scythicis gentibus triumphavit, expulſis continuo ab Orthodoxorum Eccleſia Arrianis, qui eam per XL. ferme annos ſub Arrianis Imperatoribus tenuerant, noſtris Catholicis Orthodoxus reſtituit Imperator menſe Decembri.

Ind. IX. Eucherio & Evagrio Coſſ. (f Syagrio.)

381. Sanctis CL. patribus urbe Auguſta congregatis adverſus Macedonium in Spiritum ſanctum naufragantem, ab iiſdem epiſcopis ſancta Synodus confirmata eſt: Damaſo videlicet ſedem beati Petri tenente, Conſtantinopoli vero per Timotheum Alexandrinum, perque Meletium Antiochenum & Cyrillum Hieroſolymitanum epiſcopos, Nectario ex pagano protinus baptizato, & in præfata Synodo pontifice ordinato. Athanaricus rex Gothorum, cum quo Theodoſius Imp. fœdus pepigerat, Conſtantinopolim menſe Januario venit, eodemque menſe morbo periit.

Ind. X. Antonio & Syagrio Coſſ. 382.

Divi Valentiniani magni * cadaver Theodoſius princeps ab Italia * reportatum, apud Comitatum regio in ſepulchro recondidit. Eodem anno univerſa gens Gothorum, Athanarico rege ſuo defuncto, Romano ſeſe imperio dedit menſe Octobrio. Damaſus Romanæ Eccleſiæ, exceptis Liberio & Felice, XXXV. epiſcopos anno pontificatus ſui XVIII. in Domino requievit.

* cadavera * reportato.

Ind. XI. Merobaude II. & Saturnino Coſſ. 383.

Romanæ Eccleſiæ Siricius XXXVI. antiſtites factus, vixit annos XV. Archadius patri ſuo Theodoſio Aug. conſors imperii ſeptimo ab urbe milliario coronatus eſt. Gratianus Imp. Maximi tyranni dolo apud Lugdunum occiſus eſt VIII. Kal. Septembris.

Ind. XII. Richomere & Clearcho Coſſ. 384.

Legati Perſarum Conſtantinopolim advenerunt pacem * a Theodoſio principe poſtulantes. Eodem tempore Honorius alter Theodoſio natus eſt filius menſe Septembri.

* Theodoſii principis.

Ind. XIII. Archadio & Bautone Coſſ. 385.

Theodoſius Imp. aliquantas * Eoas nationes per legatos ſuos ſuo ut pote imperio ſubdidit.

* *aliqui cod.* ſævas.

Ind. XIV. Honorio Cæſare & Evodio Coſſ. 386.

Invaſam princeps Theodoſius ab hoſtibus Thraciam vindicavit, victorque cum Archadio filio ſuo urbem ingreſſus eſt. Galla Theodoſii regis altera uxor his conſulibus Conſtantinopolim venit.

Ind. XV. Valentiniano III. & Eutropio Coſſ. 387.

Archadius Cæſar cum patre ſuo Theodoſio ſua quinquennalia celebravit. Theodoſius Magnus Italiam contra Maximum tyrannum pugnaturus acceſſit.

Ind. I. Theodoſio Aug. II. & Cynegio Coſſ. 388.

Valentinianus Gratiani frater & Theodoſius

Imp. Maximum tyrannum & Victorem filium ejus apud Aquileiam rebellantem vicerunt. Andragathius Comes morte Maximi cognita præcipitem ſeſe e navi in undas dedit ac ſuffocatus eſt.

389. *Ind. II. Timaſio & Promoto Coſſ.*

Theodoſius Imp. cum Honorio filio ſuo Romam menſe Junio introivit, congiarium Romano populo tribuit, urbeque egreſſus eſt Cal. Septembris. Per idem tempus grando crepitans per biduum continuum pro pluvia cecidit, pecorum arborumque pernicies. Stella a Septentrione gallicinio ſurgens, & in modum Luciferi ardens potius quam ſplendens apparuit, * viceſimo tertio die eſſe deſiit. Templum Serapidis apud Alexandriam Theodoſii Imp. edicto ſolutum eſt.

* *aliqui cod.* viceſimoque die.

390. *Ind. III. Valentiniano Aug. IV. & Neoterio Coſſ.*

Signum in cœlo quaſi columna pendens ardenſque per dies XXX. apparuit. Galla Theodoſii uxor ab Archadio privigno ſuo ejecta eſt. Obeliſcus in circo poſitus eſt. columna haud longe ab Eccleſia conſtituta eſt, quæ argenteam Theodoſii Magni ſtatuam ferens hactenus contemplatur.

391. *Ind. IV. Tatiano & Symmacho Coſſ.*

Theodoſius Imp. Italia decedens Conſtantinopolim remeavit. Valentinianus Imp. apud Viennam dolo Arbogaſtis ſtrangulatus interiit Idib. Martiis. Eugenius Arbogaſtis favore confiſus imperium ſibimet uſurpavit.

392. *Ind. V. Archadio II. & Rufino Coſſ.*

Arbogaſtes Valentiniano Imp. extincto, & Eugenio Cæſare facto, innumeras invictaſque copias undique in Gallias contraxit, Occidentale ſibi imperium utpote vindicaturus, vir barbarus, animo, conſilio, manu, audacia, potentiaque nimius. Contraxit autem undique innumeras copias, vel Romanorum præſidiis, vel Barbarorum auxiliis, alibi poteſtate, alibi cognatione ſubnixus. Uſque hunc XIIII. Theodoſi Imperii annum, beatus Hieronymus poſt aſcenſionem D. N. Jeſu Chriſti, a Petro Apoſtolo incipiens, & in ſemetipſum deſinens, CXXXV. virorum illuſtrium Eccleſiaſtica volumina deſcripſit, apud Bethleem oppidum degens, ubi & monaſterium ſibi condidit, & alia multa Eccleſiaſtica literis quoque Hebraicis edoctus ſcripſit, finemque vitæ ſuæ admodum ſenex fecit, ibique ſepultus eſt, Catholicis quidem inexpugnabilis Eccleſiæ turris, hæreticis autem omnibus infatigabilis hoſtis, tam propoſito vitæ ſuæ, quam librorum a ſe editorum aſſertionibus depugnans.

393. *Ind. VI. Theodoſio III. & Abundantio Coſſ.*

Honorium pater ſuus Theodoſius in eodem loco quo fratrem ejus Archadium Cæſarem fecit, id eſt ſeptimo ab urbe regia milliario. Tunc quippe hora diei tertia tenebræ factæ ſunt.

394. *Ind. VII. Archadio III. & Honorio II. Coſſ.*

Theodoſius Auguſtus aſſumpto Honorio Cæſare, eodemque filio, contra Arbogaſtem, qui Eugenium tyrannum Imperatorem facere auſus eſt, iterum properavit. bello commiſſo Eugenius victus atque captus interfectus eſt, Arbogaſtes ſua ſe manu perculit. Terræmotu a menſe Septembrio in Novembrium continuo imminente, aliquantæ Europæ regiones quaſſatæ ſunt. Thermæ Archadianæ ex conditoris ſui nomine nomen acceperunt.

Ind. VIII. Olybrio & Probino Coſſ. 395.

Theodoſius Magnus apud Mediolanum vita deceſſit. Imperavit annos XVII. Corpus ejus eodem anno Conſtantinopolim allatum, atque ſepultum. Archadius & Honorius germani, utrumque imperium diviſis tantum ſedibus tenere cœperunt. Rufinus patricius Archadio principi inſidias tendens, Alaricum Gothorum regem, miſſis ei clam pecuniis, infeſtum Reipublicæ fecit, & in Græciam miſit. Porro detecto dolo ſuo Rufinus ab Italicis militibus, * olim cum Gaina Comite Archadio miſſis; ante portas urbis merito trucidatus eſt. Caput ejus manuſque dextra per totam Coſtantinopolim demonſtrata.

* *abſque* olim

Ind. IX. Archadio IIII. & Honorio III. Coſſ. 396.

Rufini uxor & filia exulant. Eutropius ſacri palatii cubicularius omnes opes abripuit, avaritiamque tranſgreſſus eſt. Terræmotus per dies plurimos fuit, cælumque ardere viſum eſt.

Ind. X. Cæſario & Attico Coſſ. 397.

His conſulibus Flaccilla Archadio nata eſt filia,

Ind. XI. Honorio IIII. & Eutychiano Coſſ. 398.

Romanæ Eccleſiæ Anaſtaſius XXXVII. epiſcopus ordinatus vixit annos quatuor. Ambroſius Mediolanenſis, virtutum epiſcopus, arx fidei, orator Catholicus, ad Chriſtum Dominum commigravit. Joannes Antiochiæ natus, ibique a Meletio ejuſdem civitatis epiſcopo, eodemque confeſſore, lector Eccleſiæ ordinatus, per ſingulos officii gradus aſcendit. Ubi per quinquennium continuum Diaconus multos divinoſque edidit libros: Presbyter quoque factus per XII. annos plures confecit. Tanta dehinc opinione ubique merito propagatus, Conſtantinopoli in locum Nectarii pontifex ſuffectus eſt. ubi plurima dulciaque divinarum ſcripturarum volumina ſuo operi * catholico addidit, hoſque epiſcopos habuit inimicos, Theophilum Alexandrinum, Epiphanium Cyprium, Acacium Beroenſem, Antiochum Ptolomenſem, Severianum Gabalenſem, & Severum Calchedonenſem. Gildo Comes, idemque paganus, qui mortuo Theodoſio principe Africæ præerat, dum Archadio & Honorio adhuc pueris regnantibus invidet, Africamque nititur obtinere, frater ejus Maſcezel cognita ejus veſania, relictiſque duobus apud Africam filiis, in Italiam remeat: Gildo utrumque fratris filium dolo trucidat. Maſcezel fratris ſcelere cognito, cum quinque millibus ſuorum contra Gildonem cum LXX. millibus armatorum ſibimet obviantem infeſtus accedit, Gildonemque parricidam jejuniis & orationibus ſuis *, immo beati Ambroſii inſomnis admonitu, auxiliantibus fugavit. Gildo fugiens propria ſe manu ſtrangulavit: ſicque Maſcezel ſine bello victoriam meruit, ac ſine cæde vindictam.

* catholicis.

* *abſque* ſuis.

Ind. XII. Theodoro & Eutropio eunucho Coſſ. 399.

Hic Eutropius omnium ſpadonum primus

atque ultimus conſul fuit : de quo Claudianus poeta ait,

Omnia ceſſerunt Eunucho conſule monſtra.

Pulcheria Arcadio altera filia nata eſt . Gaina Comes apud Conſtantinopolim ad præparandum civile bellum barbaros ſuos occulte admonet ; ipſe valetudinem ſimulans urbe digreditur. cæpto adverſus Byzantios prælio plurimi hoſtium cadunt , cæteri fugientes Eccleſiæ noſtræ ſuccedunt, ibique * recto Eccleſiæ culmine, jactiſque deſuper lapidibus obruuntur.

* detecto.

Ind. XIII. *Stilicone & Aureliano Coſſ.*

Bellum navale contra Gainam tyrannum inter Cherroneſum & Helleſpontum geſtum eſt : multa millia Gothorum cæſa, vel demerſa ſunt. Gaina Comes de hoc bello fugiens evaſit . ipſo tamen anno occiſus eſt menſe * Februario.

* f. Decembrio.

Ind. XIV. *Vincentio & Fravita Coſſ.*

401. Caput Gainæ haſtili præfixum Conſtantinopolim allatum eſt . Maris Pontici ſuperficies ita gelu frænata eſt , ut per triginta dies ſoluta tandem glacies inſtar montium per Propontidem ſuperne portata decurreret . Theodoſius junior patre Arcadio natus eſt * III. Idus Apriles .

* aliqui codices IV.

Ind. XV. *Archadio* V. *& Honorio* V. *Coſſ.*

402. Romanæ Eccleſiæ Innocentius XXXVIII. creatus antiſtes, vixit annos XV. Theodoſius junior in loco quo pater, patruuſque ſuus, Cæſar creatus eſt , Conſtantinopoli ingens terræ motus fuit .

Ind. I. *Theodoſio juniore & Rumorido Coſſ.*

403. Marina patre Archadio nata III. Idus Febr. Eudoxiæ Archadii uxoris ſuper porphyreticam columnam argentea ſtatua juxta Eccleſiam poſita hactenus ſiſtit . Joannem Conſtantinopolitanæ civitatis epiſcopum , cui ſupradicti ſex antiſtites in caſſum æmuli fuere , alioſque triginta ſibimet epiſcopus conſcivere, nolente Archadio principe, in Cucuſum Armeniæ oppidum exulem miſerunt , eumque poſt annum unum in villam , quæ Comana in regione Pontica dicitur , de exilio in exilium relegarunt . Hunc ibidem mortuum religioſa Orthodoxorum plebs in atrio Baſiliſci epiſcopi ſancti , idemque martyris , ab eodem Martyre in ſomnis admonita , in novum moxque repertum ſepulchrum recondidit.

Ind. II. *Honorio* VI. *& Ariſtæneto Coſſ.*

404. Eccleſiam Conſtantinopolitanam flamma ignis, quæ de beati Joannis throno quondam epiſcopi nata fuit , ſubito conflagravit, vicinamque Eccleſiæ urbis faciem ſerpens nihilominus exuſſit . Eudoxia uxor Arcadii diem obiit.

Ind. III. *Stilicone* II. *& Anthemio Coſſ.*

405. Iſauri per montem Tauri diſcurſantes ingens diſpendium Reipublicæ importarunt : quibus Narbazaicus legatus majus continuo rependit incommodum.

Ind. IV. *Archadio* VI. *& Probo Coſſ.*

406. Theodoſius junior quinquennalia dedit . Radagaiſus paganus & Scytha cum ducentis millibus ſuorum totam Italiam inundavit , Huldin & Sarus Hunnorum Gothorumque reges Radagaiſum continuo devicerunt, ipſius capite amputato , captivos ejus ſingulis aureis diſtrahentes .

Ind. V. *Honorio* VII. *& Theodoſio juniore* II. *Coſſ.* 407.

Ciſterna maxima juxta porphyreticam Conſtantini Imperatoris columnam in foro ejus ſubplateæ tranſitum conſtructa eſt.

Ind. VI. *Baſſo & Philippo Coſſ.* 408.

Stilicho Comes , cujus duæ filiæ Maria & Thermantia ſingulæ uxores Honorii principis fuere , utraque tamen virgo defuncta , ſpreto Honorio , regnumque ejus inhians , Alanorum, Suevorum , Wandalorumque gentes donis pecuniiſque illectas contra regnum Honorii excitavit, Eucherium filium ſuum paganum & adverſum Chriſtianos inſidias moltentem cupiens Cæſarem ordinare . qui cum eodem Eucherio dolo ſuo detecto occiſus eſt . Romæ in foro pacis per dies ſeptem terra mugitum dedit . Archadius Imp. vitæ finem fecit. regnavit poſt obitum patris ſui Theodoſii annos XIII.

Ind. VII. *Honorio* VIII. *& Theodoſio juniore* III. *Coſſ.* 409.

Apud Conſtantinopolim magna exarſit populi ſeditio , panis ſcilicet penuria ſibimet ingruente .

Ind. VIII. *Varane ſolo Coſſ.* 410.

Alaricus trepidam urbem Romam invaſit , partemque ejus cremavit incendio, ſextoque die quam ingreſſus fuerat deprædata urbe egreſſus eſt , Placidia Honorii principis ſorore abducta , quam poſtea Ataulfo propinquo ſuo tradidit uxorem .

Ind. IX. *Honorio* IX. *& Theodoſio* * IV. *Coſſ.* * aliis Theodoſ. IV. ſolo.

411. Theodoſius junior decennalia , Honorius Romæ vicennalia dedit . Conſtantinus apud Gallias invaſit imperium , filiumque ſuum ex monacho Cæſarem fecit : ipſe apud Arelatum civitatem occiditur , Conſtans filius apud Viennam capite plectitur .

Ind. X. *Theodoſio Imp.* V. *ſolo* * *Coſſ.* * aliis Honorio IX. & Theodoſio V

412. Jovinus ac Sebaſtianus in Galliis tyrannidem molientes occiſi ſunt . Attalus in mari captus , atque Honorio exhibitus , truncata manu vitæ relictus eſt.

Ind. XI. *Lucio ſolo Coſſ.* 413.

Heraclianus Africæ Comes cum ſeptingentis navibus & tribus militum millibus ad urbem tendens , mox ad urbem Romam egreſſus eſt , occurſu Marini Comitis territus & in fugam verſus , arrepta nave ſolus Carthaginem rediit , ibique illico interfectus eſt.

Ind. XII. *Conſtantio & Conſtante Coſſ.* 414.

Pulcheria Theodoſii ſoror Auguſta appellata eſt . Valia rex Gothorum facta cum Honorio principe pace , Placidiam ſororem ejus eidem viduam reddidit.

Ind. XIII. *Honorio* X. *& Theodoſio* VI. *Coſſ.* 415.

Eccleſia Conſtantinopolitana dudum igni cremata, his Coſſ. reſtaurata dedicataque eſt, Attico epiſcopo eamdem regente Eccleſiam. Lucianus presbyter vir ſanctus , cui revelavit Deus his Conſulibus locum ſepulchri & reliquiarum corporis ſancti Stephani primi Martyris, ſcripſit ipſam revelationem Græco ſermone ad omnium Eccleſiarum perſonas .

416. *Ind.* XIIII. *Theodoſio* VII. *& Paladio Coſſ.*

Oroſius presbyter Hiſpanici generis ſeptem libros hiſtoriarum deſcripſit. Miſſus ab Auguſtino epiſcopo idem Oroſius pro diſcenda animæ ratione ad Hieronymum Presbyterum, reliquias beati Stephani tunc nuper inventas rediens primus intulit Occidenti. Atticus Conſtantinopolitanus epiſcopus ſcripſit ad reginas, Archadii Imp. filias, de fide & virginitate librum valde egregium, in quo præveniens Neſtorianum dogma impugnat.

417. *Ind.* XV. *Honorio* XI. *& Conſtantio* II. *Coſſ.*

Tenebræ in die factæ ſunt. Cybera Aſiæ civitas, aliquantaque prædia terræ motu demerſa. Romanæ Eccleſiæ Zoſimus XXXVIII. epiſcopus ordinatus vixit annis III.

418. *Ind.* I. *Honorio* XII. *& Theodoſio* VIII. *Coſſ.*

Plinta Comes, idemque rebellium, apud Palæſtinam provinciam auctor deletus eſt. Solis defectio facta eſt. Stella ab Oriente per ſeptem menſes ſurgens ardenſque apparuit.

Ind. II. *Monaxio & Plinta Coſſ.*

419. Valentinianus junior apud Ravennam patre Conſtantio, & Placidia matre, V. Nonas Julias natus eſt. Multæ Palæſtinæ civitates villæque terræmotu collapſæ Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſemper ubique * præſens, & ſuper montem Oliveti Hieroſolymæ vicinum ſeſe de nube maniſeſtavit. Multæ tunc utriuſque ſexus vicinarum gentium nationes, tam viſu quam auditu perterritæ, atque credulæ, ſacro Chriſti fonte ablutæ ſunt, omniumque baptizatorum in tunicis crux Chriſti ſalvatoris, divinitatis nutu, extemplo impreſſa reſulſit.

* *aliqui codices* totus.

420. *Ind.* III. *Theodoſio* IX. *& Conſtantio* III. *Coſſ.*

Romanæ Eccleſiæ Bonifacius XL. epiſcopus ordinatus, vixit annis tribus. In Oriente tumultum milites excitarunt, ductoremque ſuum Maximinum nomine extinxerunt. In Perſide in Chriſtianos perſecutio deſævit.

421. *Ind.* IIII. *Euſtathio & Agricola Coſſ.*

Theodoſius Imp. Eudociam Achivam duxit uxorem. Archadio patri ſuo in foro ejus, ſuper immanem columnam, ingentem ſtatuam idem Theodoſius dedicavit. Ciſterna Aetii conſtructa eſt, Romani cum Perſis conflixere.

422. *Ind.* V. *Honorio* XIII. *& Theodoſio* X. *Coſſ.*

Theodoſius Imp. Eudoxiam filiam genuit. In tricennalia Honorii, Maximus tyrannus & Jovinus ferro victi, adducti de Hiſpaniis atque interfecti ſunt. Hunni Thraciam vaſtaverunt. Perſæ cum Romanis pacem pepigere.

423. *Ind.* VI. *Aſclepiodoto & Mariniano Coſſ.*

Cæleſtinus Romanæ Eccleſiæ XLI. Antiſtes creatus eſt, vixit annos IX. Evagrius ſcripſit altercationem Judæi Simonis & Theophili Chriſtiani, quæ pene omnibus nota eſt. Terræmotus multis in locis fuit, & frugum inedia ſubſecuta. Philippus & Saluſtius philoſophi morbo perierunt. ſtella ſæpe ardente crinita Honorius Imp. fatale munus implevit.

424. *Ind.* VII. *Victore & Caſtino Coſſ.*

Placida mater Valentiniani Auguſta nuncupata eſt. Valentinianus Cæſar creatus Theodoſii Imp. Eudoxiam filiam ſibimet deſponſavit. Joannes regnum Occidentale Honorio defuncto invaſit.

Ind. VIII. *Theodoſio* XI. *& Valentiniano Cæſare Coſſ.* 425.

Supraſatus Joannes dolo potius Ardaburis & Aſparis, quam virtute occiditur. Valentinianur junior apud Ravennam factus eſt Imperator.

Ind. IX. *Theodoſio* XII. *& Valentiniano* II. *Coſſ.* 426.

Siſinnius vir ſanctæ ſimplicitatis, & ſimplicis ſanctitatis, Conſtantinopolitanus epiſcopus factus eſt.

Ind. X. *Hierio & Ardabure Coſſ.* 427.

Pannoniæ, quæ per quinquaginta annos ab Hunnis retinebantur, a Romanis receptæ ſunt. Thermæ Theodoſianæ dedicatæ.

Ind. XI. *Felice & Tauro Coſſ.* 428.

Neſtorius Antiochia natus, vir ſatis quidem eloquentiæ, ſapientiæ vero parum habens, Conſtantinopolitanis admodum adnitentibus, ex presbytero epiſcopus ordinatus eſt. Beatiſſimi Joannis epiſcopi, dudum malorum epiſcoporum invidia exulati, apud Comitatum cœpit memoria celebrari menſe Septembrio die XXVI.

Ind. XII. *Florentino & Dionyſio Coſſ.* 429.

Orthodoxi noſtri Macedionianorum Eccleſiam extra muros urbis poſitam abſtulerunt, quoniam iidem Macedoniani Antoninum Germis Catholicum epiſcopum interfecerunt. Beatiſſimus Auguſtinus Hipponenſis Eccleſiæ elegantiſſimus Chriſti ſacerdos, doctorque præcipuus, morte placida quievit.

Ind. XIII. *Theodoſio* XIII. *& Valentiniano* III. *Coſſ.* 430.

Theodoſius Imp. tricennalia geſſit. Felix apud Ravennam occiditur. Cæleſtinus Romanæ arcis pontifex, Neſtorio pravitatis epiſcopo per epiſtolam ſuam, datis eidem X. dierum induciis, vel pœnitenti veniam, vel diſſentienti damnationem denunciat. Idem Neſtorius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ perfidus Antiſtes, a quo & Neſtoriana perfidia pullulavit, apud Epheſum ducentorum ſanctorum patrum ſententia in Synodo condemnatus eſt, Cæleſtino Cyrillum Alexandrinæ civitatis epiſcopum pro tempore vicarium denunciante: in locum Neſtorii Maximianus epiſcopus eſt ſubrogatus.

Ind. XIIII. *Antiocho & Baſſo Coſſ.* 431.

Flaccilla Theodoſii Auguſti filia extremum ſpiritum fudit. Barbari urbe Auguſta enutritiad Eccleſiam noſtram hoſtili ritu confluunt: ignem in Eccleſiam ad comburendum altare dum infeſti jaciunt, invicem ſeſe, reſiſtente Deo, trucidant. Hoc tempore dum ad horrea publica Theodoſius proceſſum celebrat, tritici in plebe ingruente penuria Imperator ab eſuriente populo lapidibus impetitur.

Ind. XV. *Valerio & Aetio Coſſ.* 432.

Romanæ Eccleſiæ Xyſtus XLII. epiſcopus ordinatus vixit annis VIII. Placidiæ matris Valentiniani Imp. Inſtinctu, ingens bellum inter Bonifacium & Aetium patricios geſtum eſt. Aetius longiore Bonifacii telo pridie ſibimet præ-

præparato, Bonifacium congredientem vulneravit illæſus: tertioque menſe Bonifacius vulnere quo ſauciatus fuerat emoritur, Pelagiam uxorem ſuam valde locupletem, nulli alteri niſi Aetio ut nuberet exhortans.

433. *Ind.* I. *Theodoſio* xiv. *& Maximo Coſſ.*

Maxima urbis regiæ pars Septentrionalis per tres dies continuos incenſa, collapſaque eſt menſe Auguſto.

434. *Ind.* II. *Ariobindo & Aſpare Coſſ.*

Honoria Valentiniani Imp. ſoror ab Eugenio procuratore ſuo ſtrupata concepit, palatioque expulſa, Theodoſio principi de Italia tranſmiſſa, * Attilanem contra Occidentalem rempublicam concitabat.

* aliqui cod. male enim contra Occ. remp. cogitabat.

435. *Ind.* III. *Theodoſio* xv. *& Valentiniano* iv. *Coſſ.*

Forum Theodoſii Imp. in loco qui Helianæ dicitur ædificatum eſt. Sebaſtianus Bonifacii quondam patricii gener urbe Auguſta fugit, atque in Africa interemptus eſt.

436. *Ind.* iv. *Iſidoro & Senatore Coſſ.*

Theodoſius Imp. Cyzicum civitatem navibus petit, multaque eidem civitati munificentia præſtita, urbem Auguſtam renavigavit.

437. *Ind.* v. *Aetio* II. *& Sigiſvuldo Coſſ.*

Valentinianus Imp. Roma digreſſus, ad copulandam ſibi in matrimonium Eudoxiam Theodoſii principis filiam, quia dudum deſponſaverat, Conſtantinopolim advenit, eaque ſibi nupta, apud Theſſalonicam Italiam repetens hyemavit.

438. *Ind.* vi. *Theodoſio* xvi. *& Fauſto Coſſ.*

Cotradis prædo cum piratis ſuiſque comitibus captus interfectuſque eſt. Reliquiæ beatiſsimi Joannis, Auguſtæ urbis quondam epiſcopi, eidem redditæ civitati, ibique ſepultæ, menſe Januario die xxviii. Valentinianus Imp. cum Eudoxia uxore Ravennam ingreſſus eſt.

439. *Ind.* vii. *Theodoſio* xvii. *& Feſto Coſſ.*

Theodoſius Imp. octava quinquennalia edidit. Eudocia uxor Theodoſii principis ab Hieroſolymis urbem regiam remeavit, beatiſſimi Stephani primi martyris reliquias, quæ in baſilica Sancti Laurentii poſitæ venerantur, ſecum deferens. Hoc tempore Genſericus rex Wandalorum Africæ civitates, Carthaginemque metropolim cum ſuis ſatellitibus occupavit x. Kal. Novembris.

440. *Ind.* viii. *Valentiniano* v. *& Anatolio Coſſ.*

Paulinus magiſter officiorum in Cæſarea Cappadociæ, jubente Theodoſio Principe, interemptus eſt. Romanæ Eccleſiæ Leo xlii. Papa creatus vixit annos xxi.

Ind. ix. *Cyro ſolo Coſ.*

441. Perſæ, Sarraceni, * Zanni, Iſauri, Hunni finibus ſuis egreſſi Romanorum ſola vaſtarunt. Miſſi ſunt contra hos Anatolius & Aſpar magiſtri militiæ, pacemque cum eis unius anni fecerunt. Joannes natione Wandalus, magiſterque militiæ, * Arnegiſcli fraude in Thracia interemptus eſt. Hunnorum reges numeroſis ſuorum cum millibus in Illyricum irruerunt: Naiſum, Singidunum, aliaſque civitates, oppidaque Illyrici plurima exciderunt.

* Tzanni

* Arnitiſeli

Ind. x. *Eudoxio & Dioſcoro Coſſ.*

Stella quæ crinita dicitur per plurimum tempus ardens apparuit. Bleda & Attila fratres, multarumque gentium reges, Illyricum, Thraciamque depopulati ſunt. 442.

Ind. xi. *Maximo* II. *& * Taterio Coſſ.*

His conſulibus tanta nix cecidit, ut per ſex menſes vix liqueſcere potuerit: multa hominum & animalium millia frigoris rigore confecta perierunt. Theodoſius Imp. ex Aſiana expeditione in urbem redit. Thermarum quæ Achilleæ dicuntur encæniæ factæ. 443.

* ſeu Paterno

Ind. xii. *Theodoſio* xviii. *& Albino Coſſ.* 444.

Theodoſius princeps nona quinquennalia dedit. Archadia ſoror Theodoſii vivendi finem fecit. Aliquanta Bithyniæ oppida atque prædia continuarum vi longa pluviarum, & fluviorum inundatione creſcentium, ſublapſa diſſolutaque perierunt. Severum presbyterum & Joannem Diaconum Eudociæ reginæ apud Æliam urbem miniſtrantes, miſſus ab Imp. Theodoſio Saturninus Comes domeſticorum occidit. Eudocia neſcio quo excita dolore Saturninum protinus obtruncavit: ſtatimque mariti Imp. nutu, regiis ſpoliata miniſtris, apud Æliam civitatem moritura remanſit.

Ind. xiii. *Valentiniano* vi. *& * Nomo Coſſ.*

Bleda rex Hunnorum Attilæ fratris ſui inſidiis interimitur. Apud Byzantium populari orta in Circo ſeditione multi ſeſe invicem occiderunt, multaque intrinſecus hominum pecudumque morbo corpora perierunt. 445.

* vel Nonio

Ind. xiv. * *Aetio* iii. *& Symmacho Coſſ.*

His Conſulibus magna fames Conſtantinopolim invaſit, peſtiſque ilico ſubſecuta. Templum Regiæ civitatis igne crematum. 446.

*Valentiniano vii. & Aetio iii.

Ind. xv. *Ardabure & * Callepio Coſſ.*

Ingenti terræmotu per loca varia imminente plurimi urbis Auguſtæ muri recenti adhuc reædificatione conſtructi, cum lvii. turribus corruerunt. Saxa quoque ingentia in foro Tauri dudum ſuper ſeſe in ædificio poſita, ſtatuæque plurimæ ſine ullius videlicet læſione collapſæ ſunt, plurimis nihilominus civitatibus collapſis: fames, & aerum peſtifer odor multa millia hominum jumentorumque delevit. Ingens bellum & priore majus per Attilam regem noſtris inflictum, pene totam Europam, exciſis, invaſiſque civitatibus, atque caſtellis, conraſit. Eodem anno, urbis Auguſtæ muri olim terræmotu collapſi, intra tres menſes, Conſtantino Præfecto prætorio operam dante, reædificati ſunt. Attila rex uſque ad Thermopolim infeſtus advenit. Arnegiſclus magiſter militiæ in ripenſe Dacia, juxta Utum amnem, ab Attila rege, viriliter pugnans, plurimis hoſtium interemptis, occiſus eſt. 447.

* Calipio.

Ind. I. *Zenone & Poſtumiano Coſſ.*

Provincia India Theodoſio principi pro munere Tigrim domitam miſit. Utramque porticum Troadenſem, turreſque portarum utraſque ignis ſubitus exuſſit: quarum ruina continuo purgata, Antiochus Præfectus prætorio in priſtinam erexit ſpeciem: legatis Attilæ a Theodoſio * deſpectas olim pecunias flagitantibus. 448.

* aliqui cod. depactas.

449. *Ind.* II. *Protogene & Aſturio Coſſ.*

Marina Theodoſii regis ſoror fati munus implevit. Flavianus epiſcopus in ſecunda apud Epheſum Synodo, vi Dioſcori Alexandrini epiſcopi, & Saturnini ſpadonis in Epipam exulatus eſt. Areobinda & Taurus patricii communi vita defuncti ſunt.

Ind. III. *Valentiniano* VII. *& Abieno Coſſ.*

450. Theodoſius Imp. vivendi finem fecit: regnavit poſt mortem Archadii patris ſui annos XLII. * Loco ejus Marcianus imperium * adeptus eſt, Cryſaphius eunuchus, Pulcheriæ Theodoſii ſororis nutu, ſua cum avaritia interemptus eſt.

* locum.
* Imperator

451. *Ind.* IV. *Marciano Aug. & Adelfo Coſſ.*

Leone Pontifice ſedem B. Petri regente, DCXXX patrum ſancta & univerſalis ſynodus contra Eutychetem nefandiſſimorum præſulem monachorum, apud Calchedonam in baſilica ſanctæ Euphemiæ firmata eſt; ſolus Dioſcorus Alexandrinæ Eccleſiæ epiſcopus diſſenſit, ſtatimque ab iiſdem catholicis patribus ſacerdotio abdicatus eſt.

Ind. V. *Sporacio & Herculano Coſſ.*

452. Marcianus Aug. ſuis ſtatuit decretis, ut hi qui conſules fieri cupiebant nihil æris in populum ſpargerent, ſed ſtatutam pecuniam ad reparandum urbis aquæ ductum dependerent. Hoc tempore tres magni lapides e cælo in Thracia ceciderunt. Aquileia civitas ab Attila Hunnorum rege exciſa eſt.

453. *Ind.* VI. *Vincomalo & Opilione Coſſ.*

Joannes præcurſor Domini & baptiſta, caput ſuum, quod olim Herodias impia nefandaque poſtulatione ab humeris amputatum & in diſco poſitum accepit, proculque a truncato ejus corpore ſepelivit, duobus Orientalibus monachis ob adorandam apud Hieroſolymam Chriſti Domini reſurrectionem introeuntibus revelavit, ut ad Herodis quondam regis habitaculum accedentes admoniti requirerent, fideliterque humo extollerent. Hoc ergo caput fide repertum, ſuaque hiſpida in mantica conditum, dum ad propria remeantes habitacula pervehunt, quidam Emiſenæ figulus civitatis, diutinam imminentemque ſibi fugiens paupertatem, ſeſe his exhibuit comitem: quique dum neſcius peram ſibi creditam cum ſacro capite portat, ab eo cujus caput vehebat, noctu admonitus, utrumque comitem fugiens dereliquit, ſtatimque Emiſenam urbem cum ſancto levique onere introgreſſus eſt. Ibique dum advixit præcurſoris Chriſti veneratus eſt caput, morienſque ſorori ſuæ rerum neſciæ ſignatum in vaſculo tradidit recolendum. Illa vero ſucceſſori ſuo repoſitum, ſignatumque ut erat dereliquit. Porro Euſtochius quidam occultus Arrianæ perfidiæ presbyter, talem tantumque theſaurum indignus obtinuit, gratiamque quam Chriſtus Dominus per Joannem Baptiſtam infirmo populo tribuebat, is eam, ac ſi ſuam duntaxat, in vulgo diſſeminabat. Hinc pravitate ſua detecta Emiſena civitate expulſus eſt. Hoc deinde antrum, in quo beatiſſimi Joannis caput in urnam miſſum, ſub terraque reconditum erat, quidam monachi pro habitaculo habere cœperunt. Marcellus demum presbyter, totiuſque monaſterii præſul, dum in eodem ſpecu vita irreprehenſibili habitat, idem B. Joannes Chriſtique præcurſor ſeſe eidem ſuumque oſtendit caput, ibidemque ſepultum mul- [A] tis præfulgens virtutibus patefecit. Hoc igitur venerabile caput ſub Uranio memoratæ epiſcopo civitatis, per præfatum Marcellum presbyterum conſtat inventum Vincomalo & Opilione coſſ. menſe Februario, die XXIV. media jejuniorum paſchalium ſeptimana, Imperatoribus vero Valentiniano & Marciano regnantibus. Pulcheria Auguſta Marciani principis uxor, B. Laurentii atrium inimitabili opere conſummavit, beatumque vivendi finem fecit.

f. colendum.

Ind. VII. *Aetio & Studio Coſſ.* 454.

Attila rex Hunnorum Europæ orbator provinciæ noctu mulieris manu cultroque confoditur. Quidam vero ſanguinis rejectione necatum perhibent. Aetius patricius magna Occidentalis [B] Reipublicæ ſalus, & regis Attilæ terror, a Valentiano Imp. cum Boetio amico in palatio trucidatur, atque cum ipſo Heſperium cecidit regnum, nec hactenus valuit relevari.

Ind. VIII. *Valentiano* VIII. *& Anthemio Coſſ.*

Valentinianus princeps dolo Maximi patricii, 455.
cujus etiam fraude Aetius perierat, in campo Martio per Optilam & Trauſtilam Aetii ſatellites, jam percuſſo Heraclio ſpadone, truncatus eſt. Idem Maximus invaſit imperium, tertioque tyrannidis ſuæ menſe, membratim Romæ a Romanis * tractus diſcerptuſque eſt. Genſericus rex Wandalorum, ab Eudoxia Valentiniani uxore [C] epiſtolis invitatus ex Africa Romam ingreſſus eſt, eaque urbe rebus omnibus ſpoliata, eandem Eudoxiam cum duabus filiabus ſecum rediens abduxit.

* diſcerptus eſt.

Ind. IX. *Varane & Joanne Coſſ.*

His Conſulibus innumera locuſtarum agmina fructum Phrygiæ vaſtaverunt. Eucherius Lugdunenſis Eccleſiæ pontifex multa ſcripſit tam eccleſiaſticis, quam monaſticis ſtudiis neceſſaria.

* Romæ Avito Aug. Coſ. 456.

Ind. X. *Conſtantino & Ruſo Coſſ.* 457.

Marcianus Imp. bonis principibus comparandus vitæ ſpiritum amiſit. Imperavit annos VI. menſes VI. Leo eidem defuncto ſucceſſit, cujus [D] voluntate Majorianus apud Ravennam Cæſar eſt ordinatus.

Ind. XI. *Leone Aug. & Majoriano * Coſſ.* * Aug. 458.

Leo Imp. pro tomo Calchedonenſe per univerſum orbem ſingulis orthodoxorum epiſcopis, ſingulas conſonanteſque miſit epiſtolas, quo ſibi quid de eodem tomo ſentirent cuncti ſuis reſcriptionibus indicarent. Horum omnium epiſcoporum ita conſpirantes ſuſcepit epiſtolas, ut eas putares uno tempore unius viri eloquio fuiſſe dictatas.

Ind. XII. *Patricio & Ricimere Coſſ.*

[E] Iſaac Antiochenæ Eccleſiæ presbyter ſcripſit 459.
Syro ſermone multa, præcipueque adverſus Neſtorianos & Eutychianos. Ruinam enim Antiochiæ elego carmine planxit, quemadmodum Ephrem diaconus Nicomediæ lapſum.

Ind. XIII. *Apollonio & Magno Coſſ.*

Cyzicus civitas terræmotu concuſſa, muro- 460.
rorumque ſuorum ambitu interrupto, ſeſe ſuoſque diu deplanxit.

Ind. XIV. *Dagalaiſo & Severino Coſſ.*

Romanæ Eccleſiæ Hilarus XLIIII. pontifex 461.

factus, vixit annos VI. Majorianus Cæſar apud Dertonam, juxta fluvium qui Hyra dicitur, interemptus eſt. Locum ejus Severus invaſit.

"*collegam addit Severum Aug. Caſſiodorus ac Epiſtola Hilarii Papæ*

Ind. XV. Leone Aug. II. ſolo Coſ.

462\. Jacobus natione Achivus, religione paganus, medicinæ artis peritia, tam ingenio quam literatura perclaruit. Hic ob medendum Leonem Aug. febre deſatigatum, ſacrum palatii cubiculum vocatus intravit, ſtatimque in ſella juxta thorum imperialem poſita, ſine ullo Auguſti nutu conſedit, ſicque medicas adhibuit manus. Porro meridie ad eundem ſacrum pulvinar reverſus, ſublatum "ſui, propter ſolium, in quo matutinus reſederat, protinus intellexit, ſpondamque thori regiam intrepidus ſuperſedit, veterumque ſtudii ſui repertorum præceptionibus monitum id ſeſe geſſiſſe, non temere præſumpſiſſe, ægrotantem docuit principem.

" *Onuphrius legit* ſibi.

Ind. I. Viviano & Felice Coſſ.

463\. Proſper homo Aquitanicæ regionis, ſermone ſcholaſticus, & aſſertionibus nervoſus, multa compoſuiſſe dicitur. Epiſtolæ quoque Papæ Leonis adverſus Eutychem de vera Chriſti incarnatione datæ, ab iſto dictatæ creduntur.

Ind. II. Ruſticio & Olybrio Coſſ.

464\. Bergo rex Alanorum a Ricimere rege occiditur.

Ind. III. Baſiliſco & Herminerico Coſſ.

465\. Conſtantinopolis magno invaſa incendio, facieque fœdata deplanxit. Severus, qui Occidentis arripuit principatum, Romæ interiit.

Ind. IV. Leone Aug. III. ſolo Coſ.

466\. Theodoritus epiſcopus Cyri civitatis, ſcripſit de incarnatione Domini adverſus Eutychem presbyterum, & Dioſcorum Alexandrinæ Eccleſiæ epiſcopum, qui humanam in Chriſto carnem fuiſſe denegant.

Ind. V. Puſeo & Joanne Coſſ.

467\. Leo Imp. Anthemium patricium Romam miſit, Imperatoremque conſtituit. Romanæ Eccleſiæ Simplicius XLV. Pontifex creatus vixit annos XV. Ravennam civitatem terræmotus deterruit.

Ind. VI. Anthemio Aug. II. ſolo Coſ.

468\. Marcellinus Occidentis patricius, idemque paganus, dum Romanis contra Wandalos apud Carthaginem pugnantibus opem auxiliumque fert, iiſdem dolo confoditur, pro quibus palam venerat pugnaturus.

Ind. VII. Zenone & Marciano Coſſ.

469\. His Coſſ. caput Dezincis Hunnorum regis Attilæ filii Conſtantinopolim allatum eſt.

Ind. VIII. Jordane & Severo Coſſ.

470\. Gennadius Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ pontifex Danihelem prophetam ex integro ad verbum commentatus eſt, & Homilias multas compoſuit, & Pauli epiſtolas omnes expoſuit.

Ind. IX. Leone Aug. IV. & Probiano Coſſ.

471\. Aſpar primus patriciorum cum Ardabure & Patriciolo filiis, illo quidem olim patricio, hoc autem Cæſare, generoque Leonis principis appellato, Arrianus cum Arriana prole, ſpadonum enſibus in palatio vulneratus interiit.

Ind. X. Marciano & Feſto Coſſ.

Veſuvius mons Campaniæ torridus inteſtinis ignibus æſtuans exuſta evomuit viſcera, nocturniſque in die tenebris incumbentibus, omnem Europæ faciem minuto contexit pulvere. Hujus metuendi memoriam cineris Byzantii annue celebrant VIII. Idus Novemb. Anthemius Imp. Romæ a Ricimere genero ſuo occiditur. Loco ejus Olybrius ſubſtitutus, ſeptimo menſe imperii ſui vita defunctus eſt. In Aſia aliquantæ civitates vel oppida terræmotu collapſa ſunt. 472.

Ind. XI. Leone Aug. V. ſolo Coſ.

Glycerius apud Ravennam plus præſumptione quam electione Cæſar factus eſt. Conſtantinopoli ſeditione in Circo orta, multi Iſaurorum a populo interempti ſunt. 473.

Ind. XII. Leone juniore ſolo Coſ.

Leo ſenior Imp. Leone juniore a ſe jam Cæſare conſtituto, morbo periit, tam ſui imperii annis, quam hujus Leonis regni menſibus computatis, anno XVII. menſe VI. Zenonem Leo junior, idemque filius Imperator principem regni conſtituit. Glycerius Cæſar Romæ imperium tenens, a Nepote, Marcellini quondam patricii ſororis filio, imperio expulſus, in portu urbis Romæ ex Cæſare epiſcopus ordinatus eſt, & obiit. 474.

Ind. XIII. Zenone Aug. II. ſolo Coſ.

Zeno Imp. Verinæ ſocrus ſuæ, & Baſiliſci fratris ejus inſidiis circumventus, cum Ariadne uxore ſua profugus in Iſauriam tendit. Regnum Zenonis Baſiliſcus tyrannus invaſit. Nepos, qui Glycerium regno pepulerat, Romæ elevatus eſt Imperator. Nepote Oreſtes protinus effugato, Auguſtulum filium ſuum in imperium collocavit. 475.

Ind. XIV. Baſiliſco & Armato Coſſ.

Baſiliſcus tyrannus Marco filio ſuo Cæſare facto, dum contra fidem Catholicam "Neſtoriana perfidia intumeſcens conatur aſſurgere, ante inflatus crepuit, quam pœnitens ſtare potuerit. Baſiliſcus cum filio, & Zenonida uxore ſua, jam Zenone priſtinum ad imperium remeante, in exilium miſſus eſt, atque in oppidulum, quod Leminis in provincia Cappadociæ dicitur, truſus ſame extabuit. Odoacer rex Gothorum Romam obtinuit, Oreſtem Odoacer illico trucidavit, Auguſtulum filium Oreſtis Odoacer in Lucullano Campaniæ caſtello exilii pœna damnavit. Heſperium Romanæ gentis imperium, quod ſeptingenteſimo nono urbis conditæ anno primus Auguſtorum Octavianus Auguſtus tenere cœpit, cum hoc Auguſtulo periit, anno deceſſorum regni Imperatorum DXXII. Gothorum dehinc regibus Romam tenentibus. 476.

" *potius* Eutychiana. *Vide Liberatum c.* 16.

Ind. XV. ſine conſulibus.

Bracilam Comitem Odoacer rex apud Ravennam occidit. 477.

Ind. I. Illo ſolo Coſ.

Theodolus presbyter in Cœleſyra multa conſcripſit, clarusque habetur. 478.

Ind. II. Zenone Aug. III. Coſ.

Sabinianus magnus Illyricianæ utriuſque militiæ ductor creatus, curiam fragilem, conlapſumque juſtum Reipublicæ cenſum, vel præpa- 479.

ventem ſovit, vel dependentem tutatus eſt. Diſciplinæ præterea militatis ita optimus inſtitutor coercitorque fuit, ut priſcis Romanorum ductoribus comparetur. Theodoricum idem Sabinianus regem apud Græciam debacchantem ingenio magis quam virtute deterruit.

* juniore.

Ind. III. *Baſilio * ſolo Coſ.*

480. Urbs regia per XL. continuos dies aſſiduo terræmotu quaſſata magnopere ſeſe afflicta deplanxit. Ambæ Troadenſes porticus corruerunt, aliquantæ Eccleſiæ vel ſciſſæ ſunt, vel collapſæ. Statua Theodoſii magni in foro Tauri ſuper cochlidem columnam poſita corruit, duobus fornicibus ejuſdem collapſis. Hunc formidoloſum diem Byzantii celebrant VIII. Kal. Octobris. His Coſſ. Nepos, quem dudum Oreſtes imperio abdicaverat, Viatoris & Ovidæ comitum ſuorum inſidiis, haud longe a Salonis, ſua in villa occiſus eſt.

Ind. IV. *Placido ſolo Coſ.*

481. Theodoricus Triarii filius rex Gothorum adſcitis ſuis uſque ad Anaplum, quarto urbis milliario armatus advenit: nulli tamen Romanorum noxius continuo reverſus eſt. Porro in Illyricum properans, dum inter ſuorum moventia plauſtra progreditur, jacentis ſuper carpentum teli acumine, & paveſcentis equi ſui impulſione, fixus transverberatuſque interiit. Sabinianum magnum mors, quæ huic peccanti mundo merito imminet, ante eum ademit, quam integrum defatigatæ reip. ſubſidium foret.

Ind. V. *Trocondo & Severino * Coſſ.*

* juniore.

482. Romanæ Eccleſiæ Felix XVI. epiſcopus ordinatus vixit annis XII. Theodoricus cognomento Valamer utramque Macedoniam, Theſſaliamque depopulatus eſt, Lariſſam quoque metropolim deprædatus.

Ind. VI. *Fauſto ſolo Coſ.*

483. Idem Theodoricus rex Gothorum Zenonis Aug. munificentiis pene pacatus, Magiſterque præſentis militiæ factus, Conſul quoque deſignatus, creditam ſibi ripenſis Daciæ partem, Mœſiæque inferioris, cum ſuis ſatellitibus pro tempore tenuit.

Ind. VII. *Theodorico & Venantio Coſſ.*

Illus natione Iſaurus, dignitate Magiſter of-
484. ficiorum, amputata apud Comitatum auricula, Orientem Zenoni infeſtus invaſit. Porro cum Leontio tyrannidem arripuit. Totam namque per Africam crudelis Hunerici Wandalorum regis in noſtros Catholicos perſecutio importata eſt. Nam exulatis, diffugatiſque pluſquam CCCXXXIV. orthodoxorum Epiſcopis, Eccleſiiſque eorum clauſis, plebs fidelium variis ſubacta ſuppliciis, beatum conſummavit agonem. Nempe tunc idem rex Hunericus, unius Catholici adoleſcentis, vitam a nativitate ſua fine ullo ſermone ducentis, linguam præcepit excidi, idemque mutus quod ſine humano auditu Chriſto credens fide didicerat, mox præciſa ſibi lingua locutus eſt, gloriamque Deo in primo vocis ſuæ exordio dedit. Denique ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religioſiſſimos viros præciſis linguis, manibus truncatis, apud Byzantium integra voce conſpexi loquentes. Hæc Arrianorum crudelitas in religioſos Chriſti cultores ſupraſcriptis Coſſ. menſe Februario cœpit infligi.

Ind. VIII. *Symmacho ſolo Coſ.*

485. Longinus Zenonis frater Auguſti, poſt decennalem cuſtodiam, quam eidem Illus apud Iſauriam inflixerat, ad germanum ſuum Conſtantinopolim advenit.

Ind. IX. *Longino ſolo * Coſ.*

* collegam addunt alii Decium.

486. Joannes Antiochenæ parœciæ ex grammatico presbyter, ſcripſit adverſum eos, qui in una tantum ſubſtantia adorandum aſſerunt Chriſtum, nec adquieſcunt duas in Chriſto confitendas eſſe naturas.

Ind. X. *Boetio ſolo Coſ.*

487. Theodoricus rex Gothorum Zenonis Auguſti nunquam beneficiis ſatiatus magna ſuorum manu, uſque ad regiam civitatem & Melentiadam oppidum infeſtus acceſſit, plurimiſque locis igne crematis, ad Novenſem Mœſiæ civitatem, unde advenerat, remeavit.

Ind. XI. *Dinamio & Sifidio Coſſ.*

488. Leontius interea rex, & Illus tyrannus, in Papyrio Iſauriæ caſtello capti, decollatique ſunt. Capita eorum Conſtantinopolim allata præfixa haſtilibus tabuere. Eodem anno Theodoricus rex omnium ſuorum multitudine aſſumpta Gothorum in Italiam tendit.

Ind. XII. *Euſebio & Probino Coſſ.*

489. Idem Theodoricus rex Gothorum optatam occupavit Italiam: Odoacer itidem rex Gothorum metu Theodorici perterritus, Ravennam ingreſſus eſt. porro ab eodem Theodorico perjuriis illectus, interfectuſque eſt.

Ind. XIII. *Longino* II. *& Fauſto Coſſ.*

490. Zeno Imp. Pelagii gulam in inſula quæ Panormum dicitur, laqueo frangi præcepit.

Ind. XIV. *Olybrio ſolo Coſſ.*

491. Zeno Auguſtus vita deceſſit, tam ſui imperii annis, quam Baſiliſci tyrannidis menſibus computatis, anno XVII. menſe VI. Anaſtaſius ex ſilentiario imperator creatus eſt. Bellum plebeium inter Byzantios ortum, parſque urbis plurima atque Circi igne combuſta.

Ind. XV. *Anaſtaſio Aug. & Rufo Coſſ.*

492. Dum bellum paratur Iſauricum, dumque Iſauri imperium ſibi vindicare nituntur, in Phrygia juxta Cotiæum civitatem undique confluunt, ibique Lilingis, ſegnis quidem pedes, ſed eques in bello acerrimus, a Romanis primus in prælio trucidatur, omneſque ſimul Iſauri fugæ dediti, per montana aſperaque loca Iſauriam repetunt. Hoc bellum Iſauricum per ſex annos tractum eſt.

Ind. I. *Euſebio* II. *& Albino Coſſ.* 493

Bella civilia adverſus Anaſtaſii regnum apud Conſtantinopolim geſta ſunt: ſtatuæ regis reginæque funibus ligatæ, atque per urbem tractæ. Julianus Magiſter militiæ nocturno prælio pugnans, Scythico ferro in Thracia confoſſus interiit.

Ind. II. *Aſterio & Præſidio Coſſ.*

494. Anaſtaſius Imp. contra Orthodoxorum fidei majeſtatem inteſtina cœpit prælia commovere. piaculi ſui perfidiam prius in Euſemium urbis epiſcopum, ſibi pro orthodoxorum fide viriliter

reſultantem, profano manifeſtavit ingenio. Laodicea, Hierapolis, & Tripolis, atque Agathicum uno tempore unoque terræmotu collapſæ ſunt. Romanæ Eccleſiæ x..vii. Gelaſius epiſcopus ordinatus vixit annos iv.

495. *Ind.* iii. *Viatore ſolo Coſ.*

Euſemius Auguſtæ civitatis antiſtes, de quo ſuperius fecimus mentionem, falſo ab Anaſtaſio principe accuſatus atque damnatus, in exilium ductus eſt. Locum Euſemii Macedonius tenuit.

496. *Ind.* iv. *Paulo ſolo Coſ.*

Auguſtatico ſuo dudum Anaſtaſius militibus præſtito, donativum quoque hoc fratre Conſule tribuit. India Anaſtaſio principi elephantem, quem Plautus poeta noſter Lucabum * nomine dicit, duaſque Camelopardalas pro munere miſit.

* Lucam bovem.

ii. 497. *Ind.* v. *Anaſtaſio Aug.* * *ſolo Coſ.*

Solis defectus apparuit. bellumque Iſauricum hoc ſexto anno ſedatum. Athenodorus Iſaurorum primus in Iſauria captus decollatuſque eſt. Caput ejus Tarſum civitatem allatum pro portis haſtili fixum extabuit.

498. *Ind.* vi. *Joanne Scytha & Paulino Coſſ.*

Romanæ Eccleſiæ x.viii. Anaſtaſius pontifex ordinatus vixit annos ii. Longinus Iſaurus cognomento Selinunteus, apud Antiochiam Iſauriæ civitatem a Priſco Comite captus, Conſtantinopolim miſſus eſt, catenatuſque per Agentem circunductus Anaſtaſio principi, & populo ingens ſpectaculum fuit, variiſque deinde cruciatibus apud Nicæam Bithyniæ civitatem expenſus eſt. Nummis, quos Romani Terentianos * vocant, Græci follares, Anaſtaſius princeps ſuo nomine figuratis, placabilem plebi commutationem diſtraxit.

* ſ Teruntios aut Teruntianos.

499. *Ind.* vii. *Joanne Gibbo ſolo Coſ.*

Ariſtus Illyricianæ ductor militiæ cum xv. millibus armatorum, & cum DXX. plauſtris armis ad præliandum neceſſariis oneratis, contra Bulgares Thraciam devaſtantes profectus eſt. Bellum juxta Zurtam fluvium conſertum, ubi plus quam iv. millia noſtrorum, aut in fuga, aut in præcipitio ripæ fluminis interempta ſunt. Ibique Illyriciana virtus militum periit, Nicoſtrato, Innocentio, & Aquilino Comitibus interfectis. Hoc anno ingens terræmotus Ponticam concuſſit provinciam.

500. *Ind.* viii. *Patricio & Hypatio Coſſ.*

Romanæ Eccleſiæ x ix. Symmachus Epiſcopus factus, vixit annos xv. Anaſtaſius Imp. donativum Illyricianis militibus, per Paulum tribunum notariorum erogandum miſit.

501. *Ind.* ix. *Pompeio & Avieno Coſſ.*

Conſtantio Præfecto urbis ludos theatrales meridiano tempore ſpectante, pars in eodem ſpectaculo cerealis parti diverſo cæruleæ occultas præparavit inſidias. Nam enſes ſaxaque in vaſis incluſa fictilibus, eademque arma diverſis pomis deſuper cumulata, ſub Theatri porticu ritu vendentium ſtatuit. Dum reſidente Conſtantio ex more civium concrepant voces, ante viſa quam audita arma excutiuntur, ſaxaque in incautos & cives inſtar imbrium jaciuntur, enſeſque vibrantes in amicorum, inque vicinorum ſanguine obliti, ſuis cum percuſſoribus debacchantur: nutat & congemiſcit Theatri cavea,

A & refugentium huc atque illuc ſuorum pedibus conculcata, occiſſorumque fœdata cruore deplangit. Plus enim quam tria millia civium ſaxis, gladiiſque, compreſſionibus, & aquis profecnis amiſſos urbs Auguſta deflevit.

Ind. x. *Probo & Avieno Coſſ.*

502. Conſueta gens Bulgarorum deprædatam ſæpe Thraciam, nullo Romanorum milite reſiſtente, iterum devaſtavit. Amidam opulentiſſimam civitatem, monachorum ejus aſtu proditam, Chosadis rex Perſarum, quinto menſe quam expugnare eam cœperat, irrupit, proditoreſque ejus monachos obtruncavit.

B *Ind.* xi. *Dexicrate & Volusiano Coſſ.*

503. Tres Romanorum ductores, Patricius, Hypatius, & Areobinda, qui cum xv. millibus armatorum olim in Perſas miſſi fuerant pugnaturi, juxta Syficum caſtellum cum iiſdem Perſis ſine audacia confixerunt, multis tunc militum ductoribus de prælio fugientibus cæſis. Immenſo dehinc auri pondere hoſtibus dato, captam rebuſque vacuam Amidam civitatem, iidem noſtri redemere ductores, jam Celere magiſtro officiorum ſibi cum duobus millibus bellatorum in ſubſidium deſtinato.

Ind. xii. *Cethego ſolo Coſ.*

C 504. Interea Celer Magiſter Officiorum per Callinicum Meſopotamiæ civitatem armatum ducens militem, ad devaſtanda Perſarum rura diſcurrit, plurimos agreſtes ruſticis intentos laboribus more pecudum trucidat, paſtores diverſorum pecorum cum numeroſis jumentis abducit, caſtella latere lutoque conſtructa invadit, uſque ad pontem ferreum, ſic nomine dictum, cuncta vaſtando progreditur, omnique præda potitus ad communia caſtra ditato milite remeat, aliquanta dehinc ob percutiendum fœdus cum Perſis deliberat, miſſo ad ſe pro pepigendo fœdere Armonio a ſecretis.

D *Ind.* xiii. *Sabiniano & Theodoro Coſſ.* 505.

Idem Sabinianus Sabiniani magni filius, ductorque militiæ, delegatus contra Mundonem Getam arma conſtruxit, x. millia armatorum ſibimet adſcitorum, plauſtraque armis atque commeatibus onerata ſecum trahens, pugnaturus acceſsit. commiſſoque ad * Horreo Margo prælio, multis ſuorum militibus in hoc conflictu perditis, & in Margo flumine enecatis, amiſsis præterea plauſtris in caſtellum, quod Nato dicitur, cum paucis fugit. tanta in hoc lamentabili bello ſpes militum cecidit, ut quantum apud mortales nequaquam potuerit reparari.

* ſ Horrea Margi.

Ind. xiv. *Arehobinda & Meſſala Coſſ.*

E 506. His Coſſ. Anaſtaſii principis ſtatua, in eodem loco quo dudum Theodoſii magni ſteterat, ſuper immanem columnam in foro Tauri ſtatuta eſt.

Ind. xv. *Anaſtaſio Aug.* iii. * *Coſ.*

507. Seditio popularis in Circo facta eſt, miles & armatus obſtitit. Gradus Circi ſeptentionalis ſua cum forma incenſi collapſique ſunt, Anaſtaſio Cæſare in proceſſibus commorante.

* *Caſſiodorus collegam addit Venantium.*

Ind. i. *Celere & Venantio Coſſ.*

508. Romanus Comes Domeſticorum, & Ruſticus Comes Scholariorum, cum centum armatis navibus, totidemque dromonibus, octo millia militum armatorum ſecum ferentibus, ad deva-

ſtanda Italiæ litora proceſſerunt, & uſque ad Tarentum antiquiſſimam civitatem aggreſſi ſunt, remenſoque mari inhoneſtam victoriam, quam piratico auſu Romani ex Romanis rapuerunt, Anaſtaſio Cæſari reportarunt.

* ſive Importuno.

*Ind. II. Opportuno * ſolo Coſ.*

509. Orto Auguſta urbe incendio utramque porticum a foro Conſtantini uſque ad Perdiccæ tenuiſſimam ſtatuam ignis in pulverem redegit. Portus Juliani undis ſuis rotalibus machinis prius exhauſtus, cœnoque effoſſo, purgatus eſt.

510. *Ind. III. Boetio ſolo Coſ.*

' Simulacrum æneum in foro Strategii ſuper fornicem reſidens, & cornu copiæ fortunæ retinens incendio proflammatum eſt, combuſtumque amiſit brachium, quod tamen ſtatuarii continuo ſolidarunt. Appius Patricius exulatus eſt. Conſtantinus olim Magiſter militiæ epiſcopus Laodiceæ ordinatus.

511. *Ind. IV. Secundino & Felice Coſſ.*

Macedonius Auguſtæ urbis epiſcopus, licet olim Anaſtaſii Imperatoris dolis fallaciiſque circumventus, pravorumque teſtimoniis eidem Cæſari accuſatus, quoniam tomum ſanctorum Patrum apud Calchedonam ſancta dudum ſubſcriptione roboratum, eidem principi dare diſtulit, ab eodem Euchaita in exilium deputatus eſt. Locum Macedonii Timotheus meridiano tempore ab Anaſtaſio Cæſare epiſcopus ordinatus invaſit.

512. *Ind. V. Paulo & Muſciano Coſſ.*

Sæpe cœlum a ſeptentrionali plaga ardere viſum eſt. Die dominico, dum jubente Anaſtaſio Cæſare per Marinum, perque Platonem in eccleſiæ pulpito conſiſtentes, in hymnum Trinitatis Deipaſſianorum quaternitas additur, multi Orthodoxorum priſtina voce pſallentes, perfidoſque præcones, clamoribus objurgantes, in ejuſdem eccleſiæ gremio cæſi ſunt, ductique in carceres perierunt. altera nihilominus die in atrio ſancti Theodori majori cæde Catholici pro fide unica perculſi ſunt. Quapropter commota Orthodoxorum agmina die ſequenti, id eſt VIII. Idus Novemb. (in quo die memoria cineris dudum totam Europam tegentis apud Byzantios celebratur) in forum Conſtantini undique confluunt: quorum alii quidem, cæteris die noctuque hymnum Trinitatis Chriſto Deo pſallentibus, totam peragrant civitatem, & Anaſtaſii Cæſaris monaſtico habitu adſentatores ferro flammiſque interimunt: alii claves portarum, omniaque ſigna militaria ad forum, quo religionis caſtra metati fuerant, deferunt: ibique Anaſtaſio Cæſare in proceſſibus degente, Areobindam ſibi imperatorem fieri clamitant. Imaginibus deinde, ſtatuiſque Anaſtaſii in terram dejectis, Celerem & Patricium Senatores, ad ſe ſupplicandi ſibi vel ſatisfaciendi gratia miſſos, jactis pluviæ inſtar lapidibus repulerunt. Domibus Marini & Pompei ſuccenſis, in circum ad Anaſtaſium venientes, & ante ſuum ſolium conſiſtentes, hymnum Trinitatis juxta morem Catholicorum concinentes, coruſcanſque Evangelium, crucemque Chriſti ferentes, e foro plurimi convenerunt, Marinum, Platonemque pravitatis ejus autores feris ſubjici conclamantes. Hos cives idem Anaſtaſius Cæſar ſolitis perjuriis, ſimulatiſque vocibus, ſeſe facturum cuncta promittens, tertio die quam in forum advenerant, ſine ullo rerum effectu ad ſua fecit habitacula repedare. Porro redintegrata Anaſtaſius pravitate, infamem & irridendam ſynodum apud Sidonem civitatem, cujus de nomine in ridiculis nomina præponuntur, LXXX. ferme perfidorum epiſcopis congregatis, adverſum Orthodoxorum epiſcopum *, fieri imperavit. Flavianus Antiochiæ Catholicus Patriarcha, & Joannes Paltenſium oppidi pontifex, quoniam hunc cœtum ſacrilegum reſelierant, in caſtellum quod Petra dicitur, exules miſſi ſunt. Ibi Flavianus confeſſor Chriſti in Domino requievit: Joannem Juſtinus Aug. mox Imperator factus, revocavit. Iiſdem ferme temporibus ſolis defectus contigit. Gens Erulorum in terras, atque civitates Romanorum juſſu Anaſtaſii Cæſaris introducta.

* aliqui cod. epiſcopos.

Ind. VI. Clementino & Probo Coſſ.

Severus Eutychetis perfidiæ cultor, Anaſtaſio Cæſare volente, ſedem Flaviani antiſtitis ex monacho factus epiſcopus occupavit. Dorotheus Ancyræ civitatis venerandus antiſtes, Anaſtaſio principi propter unicam Orthodoxorum fidem jugiter adverſarius, finem vivendi, quem ſibimet miſſo contra ſe a Cæſare Magiſtriano ipſe prædixerat, in dicto tempore fecit. 513.

Ind. VII. Senatore ſolo Coſſ.

Vitalianus Scytta aſſumptis Romanorum equitum peditumque pluſquam LX. millibus armatorum in triduo congregatorum, in locum qui Septimius dicitur, advenit, ibique caſtra metatus eſt; diſpoſitiſque a mari in mare ſuorum ordinibus, ipſe ad uſque portam, quæ aurea dicitur, ſine ullius acceſſit diſpendio; ſcilicet pro orthodoxorum ſe fide, proque Macedonio urbis epiſcopo, in caſſum ab Anaſtaſio principe exulato, Conſtantinopolim acceſsiſse aſſerens. Porro Anaſtaſii ſimulationibus atque perjuriis per Theodorum internuncium illectus atque illuſus, octavo die quam urbem acceſſerat, remeavit. Hinc Odyſſum Mœſiæ civitatem Vitalianus pernoctans aſtu ingreſſus eſt. Cyrillum lenocinantem magis, quam ſtrenuum militiæ ductorem, inter duas pellices Vitalianus reperit dormientem, cumque abſtractum mox cultro Getico jugulavit, hoſtemque ſe Anaſtaſio Cæſari palam aperteque exhibuit. 514.

Ind. VIII. Anthemio & Florentio Coſſ. 515.

Romanæ eccleſiæ L. Hormiſda epiſcopus ordinatus vixit annos IX. Idem Vitalianus eidem Anaſtaſio Imp. immanior factus eſt inimicus. præmiſſis quippe ſuorum equitibus, armatiſque naviculis ſiniſtro ſibi litore decurrentibus, ipſe peditum armis ſtipatus Syſthenenſe prædium ingreſſus eſt, totiuſque loci palatium habuit manſionem. Miſsi ſunt ad Vitalianum a Cæſare Senatores, qui pacis cum eo leges componerent. nonaginta auri pondo, exceptis regalibus muneribus, pro pretio tunc accepit Hypatii, jam mille centum auri libris cum Uranio captivo ſibi a ſuis in Sozopoli oblatis. Magiſter militum Vitalianus per Thraciam factus, Hypatium, quem captivum catenatumque apud Acres caſtellum tenebat, reverſus ſuo remiſit avunculo. Ea tempeſtate Hunni Armenia tranſmiſſa totam Cappadociam devaſtantes, uſque Lycaoniam perrexerunt: Ariadne Auguſta LX. annis in palatio exactis vita deceſsit.

Ind. IX. Petro ſolo Coſ.

Mutata fide Anaſtaſius Imp. Vitaliano ſuccedit, eidemque Rufinum deſtinat ſucceſſorem. 516.

Helias Hieroſolymitanæ urbis epiſcopus in villa,
quæ Haila dicitur, ab eodem principe relaga-
tus emoritur, Laurentium præterea Lychniden-
ſem, Domnionem Serdicenſem, Alciſſum Nico-
politanum, Gaianum Naiſitanum, & Evangelum
Pautalienſem, Catholicos Illyrici ſacerdotes, ſuis
Anaſtaſius præſentari juſſit obtutibus. Alciſſus,
& Gaianus epiſcopi apud Byzantium vita defun-
cti ſunt, unoque ſepulcro reconditi. Domnione
& Evangelo ad ſedes proprias, ob metum Illy-
riciani Catholici militis, extemplo remiſſis, ſo-
lus Laurentius Anaſtaſium Imp. in palatio pro
fide Catholica ſæpe convincens, apud Comita-
tum, ac ſi in exilio relegatus, retentuſque eſt,
mobiliorque deinde corpore, quam Conſtantino
polim advenerat, effectus. Nam ſeptimo infirmi-
tatis ſuæ anno idem Laurentius fide ſua, ſed
* Chriſti gratia, in atrio Coſmæ & Damiani ſa-
natus eſt, pedibuſque ſiſtere propriis, greſſibuſque
meruit confirmari, ſuæque dein patriæ incolu-
mis reddi, ubi major octogenario requieſcit.

* *Onuphr.* & Chriſti gratia.

Ind. IX. *Anaſtaſio & Agapito Coſſ.*

Olla illa quæ in Hieremia vate ab Aquilone
517. adverſum nos noſtraque delicta ſæpe ſuccenditur,
tela ignita fabricavit, maximamque partem Il-
lyrici iiſdem jaculis vulneravit. Duæ tunc Ma-
cedoniæ, Theſſaliaque vaſtata eſt, & uſque Ther-
mopylas, veteremque Epirum, Getæ equites de-
prædati ſunt. Mille tunc librarum auri denarios
per Paulum Anaſtaſius Imperator pro redimendis
Romanorum captivis, Joanni Præfecto Illyrici
miſit. deficiente pretio, vel incluſi ſuis cum
domunculis captivi Romani tenti ſunt, vel pro
muris clauſarum urbium trucidati.

Ind. XI. *Magno ſolo* * *Coſ.*

In provincia Dardania aſſiduo terræmotu XXIV.
caſtella uno momento collapſa ſunt. Quorum
duo ſuis cum habitatoribus demerſa, quatuor
dimidia ædificiorum ſuorum hominumque amiſ-
518. ſa parte deſtructa, undecim tertia domorum to-
tidemque populi clade dejecta, ſeptem quarta
tectorum ſuorum, tantaque plebis parte depreſ-
ſa, vicina * vero metu ruinarum deſpecta ſunt.
Scupus namque metropolis, licet ſine civium
ſuorum hoſtem fugientium clade, funditus ta-
men corruit. Uno in caſtello regionis Caniſæ,
quod Sarnunto dicitur, ruptis tunc terra venis,
& ad inſtar torridæ fornacis exæſtuans, diuti-
num altrinſecus ferventemque imbrem evomuit.
Plurimi totius provinciæ montes hoc terræmotu
ſciſſi ſunt, ſaxaque ſuis evulſa compagibus, de-
volutaque arborum crepido per XXX. paſſuum
millia patens, & in XII. pedum latitudinem
dehiſcens, profundam aliquantis voraginem civi-
bus, caſtellorum ſaxorumque ruinas, vel adhuc
hoſtium incurſiones fugientibus, juſſa paravit.
Anaſtaſius Imp. ſubita morte præventus, major
octogenario periit: regnavit annos XXVII. men-
ſes II. dies XXIX.

* *cui Florentium alii, alii Agapetum II adjungunt.*

* *Onuphrius* vicinarum metu.

Ind. XII. *Juſtino Aug. & Eutharico Coſſ.*

Juſtinus a Senatu electus Imperator continuo
519. ordinatus eſt. Amantius palatii Præpoſitus, An-
dreas, Miſael, & Ardabur cubicularii, Mani-
chæorum fautores, & Juſtini Auguſti deprehen-
ſi ſunt proditores. Quorum duo, Amantius &
Andreas, ferro trucidati ſunt: Miſael & Arda-
bur Serdicam in exilium miſſi. Theocritus Aman-
tii ſatelles, quem idem Amantius Præpoſitus ad
regnandum clam præparaverat, comprehenſus,
& in carcere ſaxis contuſus ingentibus periit,

A ſalſoque in gurgite jacuit, ſepultura quoque
cum imperio cui inhiarat caruit. Vitalianus
Scytha Juſtini principis pietate ad rempublicam
revocatus, Conſtantinopolim ingreſſus eſt, ſepti-
moque receptionis ſuæ die Magiſter militiæ or-
dinatus.

Ind. XIII. *Vitaliano & Ruſtico Coſſ.*

Vitalianus Conſul VII. menſe conſulatus ſui 520.
XVI. vulneribus confoſſus, in palatio cum Ce-
leriano & Paulo ſatellitibus ſuis interemptus eſt.

Ind. XIV. *Juſtiniano & Valerio Coſſ.*

Famoſiſſimum hunc Conſulatum Juſtinianus 521.
Conſul omnium Orientalium Conſulatu profecto
B munificentior his liberalitatibus edidit. Nam
CCLXXXVIII. millia ſolidorum in populum, in-
que ſpectacula ſive in ſpectaculorum machinam
diſtributa, XX. leones, XXX. pardos, exceptis
aliis feris, in amphiteatro ſimul exhibuit. Nu-
meroſos præterea phaleratoſque in Circo cabal-
los jam donatis quoque impertivit aurigis, una
duntaxat ultimaque mappa inſanienti populo
denegata.

Ind. XV. *Symmacho & Boetio Coſſ.* 522.
Ind. I. *Maximo ſolo Coſ.* 523.

Plerique lapidatorum, percuſſorum, urbiſque
depopulatorum, ſua ob ſcelera deprehenſi, fer-
ro, igni, ſuſpendioque expenſi ſunt, gratum bo-
C nis civibus ſpectaculum exhibentes.

Ind. II. *Juſtino Aug.* II. *& Opilione Coſſ.*

His Conſulibus inopia olei magnam penuriam 524.
in populum importavit.

Ind. III. *Filoxeno & Probo Coſſ.*

Joannes Romanæ eccleſiæ Papa I. anno a Pe- 525.
tro Apoſtolorum Pontificumque præſule CCCC.XXV.
ſeſſionis ejus, Theodorico rege pro Arrianorum
ſuorum cæremoniis reparandis laborante, ſolus
duntaxat Romanorum ſibimet deceſſorum, urbe
digreſſus Conſtantinopolim venit, miro honore
ſuſceptus eſt. Dexter dextrum eccleſiæ inſedit
D ſolium, diemque Domini noſtri reſurrectionis ple-
na voce Romanis precibus celebravit.

Ind. IV. *Olybrio ſolo Coſ.*

Totam quidem Antiochiam Syriæ civitatem 526.
repens inter prandendum terræmotus invaſit.
alioquin occiduam urbis magnamque ejus par-
tem, finiſtris mox ventis undique flantibus, flam-
maſque coquinarum pro tempore æſtuantes ruen-
tia in ædificia miſcentibus, duplex torridumque
exitium importavit. Eufraſium quoque totius
* urbis epiſcopum adempto ejus capite, combu-
ſto ſimul obruit ſepulcro, obeliſco Circi inver-
ſo, & humi defoſſo.

* *Onuphrius* loci hujus urbis.

Ind. V. *Mabortio* * *ſolo Coſ.*

E Anno regiæ urbis conditæ CXCVII. Juſtinus
imperator Juſtinianum ex ſorore ſua nepotem, 527.
jamdudum a ſe nobiliſſimum deſignatum, parti-
cipem quoque regni ſui, ſucceſſoremque creavit
Cal. Aprilis. ipſe vero quarto ab hoc menſe
vita deceſſit, anno imperii IX. menſe II.

* ſive *Mavortio.*

Ind. VI. *Juſtiniano Aug. ſolo Coſ.*

Anno regiæ urbis conditæ CXCVIII. regium 528.
veſtibulum, priſcumque in eo ſolium, ob aſpi-
cienda probandaque in Circo certamina ſtructum,
victor Juſtinianus princeps, eminentius clarius-
que quam fuerat, & utramque Senatorum ex
more ſpectantium porticum ſolita magnanimita-

te redintegravit, bonis quidem agitatoribus præmium, ignavis autem ſeveritatem innnens.

529. *Ind.* VII. *Decio ſolo Coſ.*

Parthis bella moventibus arma Romanus paravit exercitus, fineſque ſuos rebellans tutatus eſt. Hæc expeditio noſtrorum pene per quinquennium tenuit, digreſſaque Oriente Africam petit, contra Vandalos feliciter dimicatura.

530. *Ind.* VIII. *Lampadio & Oreſte Coſſ.*

Mundo Illyricianæ utriuſque militiæ ductor, dudum Getis Illyricum diſcurſantibus primus omnium Romanorum ducum incubuit, eoſque haud paucis ipſorum interemptis fugavit. His autem deinde Coſſ. idem dux audaciæ ſuæ ſecundus in Thraciam quoque advolans, prædantes eam Bulgares feliciore pugna cecidit, quingentis eorum in prælio trucidatis.

531. *Ind.* IX. *Poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis.*

His Coſſ. Codex Juſtinianus orbi promulgatus eſt.

532. *Ind.* X. *item Poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis*

Hypatius, Pompeius, & Probus genere conſobrini, Divique Anaſtaſii nepotes, imperium quod ſibi ſinguli indigna ambitione exoptabant, Idibus Januariis, jam pleriſque nobilium conjuratis, omnique ſeditioſorum turba armis doniſque miniſtratis illecta, dolis invadere tentaverunt, atque per quinque continuos dies urbem regiam rapinis, ferro igneque per ſceleratos cives, ſine certo interrege diſcurſantes, hoſtili impietate, ipſi ſe fideles reipublicæ in palatio diſſimulantes, depopulati ſunt. Quinta vero hujus infandi ſceleris die, dum de foro Hypatius ſceleratorum comitum manibus torque redimitus aureo, & Pompeius comes ejus ſua ſub veſte loricatus, ad invadendum conſcendunt palatium; uterque eorum ante fores palatii captus eſt, ſtatimque piiſſimi principis noſtri nutu catenatus trucidatuſque pœnas luit, & ante imperium perdidit, quam haberet, innumeris paſſim in Circo populis trucidatis, & tyrannorum ſociis continuo proſcriptis. Eccleſia tunc incenſa mox cœpit ab eodem Auguſto renovari.

533. *Ind.* XI. *Juſtiniano Aug.* III. *Coſ.*

Poſt diuturnum immanemque laborem contra Medos Romanis geſtum ſudoribus, tandem per Rufinum patricium, perque Hermogenem Magiſtrum officiorum, utrumque legatum a principe noſtro miſſum, pax cum Parthis depacta eſt. Sponſionem percuſſi fœderis ab utroque Imperatore invicem ſibi munera in concordiam miſſa ſecuta ſunt.

534. *Ind.* XII. *Juſtiniano Aug.* IV. *& Paulino Coſſ.*

Provincia Africa, quæ in diviſione orbis terrarum a pleriſque in parte tertia poſita eſt volente Deo vindicata eſt. Carthago quoque civitas ejus anno excidionis ſuæ XCVI. pulſis devictiſque Wandalis, & Gelimero rege eorum capto, & Conſtantinopolim miſſo, quarto Juſtiniani principis Conſulatu ipſius moderatione recepta eſt, ſua cum patria firmius quam dudum fuerat, redintegrata. Quo tempore Theodahadus rex Gothorum Amalaſuentham reginam creatricem ſuam de regno pulſam in Inſula laci Bulſinienſis occidit. Cujus mortem Imperator Juſtinianus ut doluit, ſic eſt ultus. (*Huc uſque Marcellinus Comes.*)

A *Ind.* XIII. *Beliſario ſolo Coſ.* 535.

Poſtquam Carthago Libyaque ſuo cum rege Selimero per Beliſarium eſt ſubjugata, de Roma Italiaque deliberat Imperator. iterumque expeditio, iterumque claſſis paratur, idemque ductor qui Conſul eligitur, rectoque navigio Siciliam properat, Catanam & Syracuſas ſine mora, immo omnem pervadit Trinacriam. Ibique compeliens quod in Africa civile bellum exoritur, & miles in proprium ducem inſurgit, cum paucis ad Africam tendit, Solomoni qui præerat ſubvenit: exercitum vero partim blandiendo, partim ulciſcendo, inimicum tyrannum effugando, reipublicæ conſulit utilitati, remenſoque navigio Trinacriam redit. Agapitus Romanæ urbis Epi-
B ſcopus a Theodato rege Gothorum in legationem directus Conſtantinopolim venit. Tzitta patricius in Myſia cum hoſte Bulgarum congrediens ad Iatrum ſuperior invenitur. Epiphanius epiſcopus regiæ Urbis ante adventum Romani præſulis moritur. cujus epiſcopatum contra canones Anthimus Trapezuntena Eccleſia relicta invadit.

Ind. XIV. *Poſt Conſulatum Beliſarii* 536.

Ebremud Theodati gener relicto exercitu regio in Brutiis, ad Beliſarium in Siciliam convolavit. In Africa vero, Solomone itidem cum exercitu diffidente, Germanus ſuccedit Solomonem remittens ad Principem. Beliſarius Campaniam tranſiens Neapolim vaſtat. Gothorum exercitus Theodahadum regem habens ſuſpectum,
C Vitigem in regnum adſciſcit. qui mox in campo barbarico regnum pervaſit. Expeditione ſoluta Romam ingreditur, ubi jam Agapito Conſtantinopoli defuncto, Theodahadus rex Silverium epiſcopatui ſubrogarat. ibique reſidens dirigit Ravennam, Theodatum occidit, in loco qui dicitur Quintus, juxta fluvium Santernum: & ipſe ſubſequitur per Tuſciam, omnes opes Theodati diripiens, quas in Inſula, vel in Urbevetus congregaverat. Ravennamque ingreſſus Mateſventham neptem Theodorici ſibi ſociam in regno plus vi copulat, quam amore. Beliſarius favente Domino ingreditur. Germanus in Africa feliciter adminiſtrat. Agapitus Conſtantinopolim ut diximus, epiſcopus de Roma adveniens, An-
D thimum mox Eccleſia pellit, dicens eum juxta Eccleſiaſticam regulam adulterum, qui ſua Eccleſia dimiſſa ambierat alienam. in cujus locum Mennam presbyterum epiſcopum ordinavit: & ipſe extremum diem obiit in Domino. in nullo tamen, ſicut ei a Principe objiciebatur, ſentiens contra fidem. Ipſo namque anno ob nimiam ſiccitatem paſtura in Perſide denegata, circiter quindecim millia Saracenorum ab Alamundaro cum Chabo & Hezido phylarchis limites Euphratiſiæ ingreſſa ſunt. Ubi Batzas dux eos partim blanditiis, partim diſtractione * pacifica fovit, & * vel diſtrictione.
inhiantes belare repreſſit.

E *Ind.* XV. *Iterum poſt Conſulatum Beliſarii.* 537.

Vitiges Tyrannus exercitu aggregato Romam obſidet. cui tunc faventem Papam Silverium Beliſarius ab epiſcopatu ſummovit, & loco ejus Vigilium Diaconum ordinavit. Temporeque longo Romam obſidente Vitige, Beliſarius intus inedia vigiliiſque laborans, auxilium ab Imperatore depoſcit. Cui directi ſunt Martinus & Valerianus, uterque Magiſter militiæ. nec ſic tamen Vitiges obſidionem reliquit. In Africa Germanus rebelliones milites cum Stotza Tyranno inter Maurorum deſerta bellando effugat. In Oriente quoque Joannes Cottiſtis arripiens tyranni-

rannidem, antequam adverſi aliquid tentaret, Daras extinctus eſt. Eccleſia major Conſtantinopoli ab Imperatore Juſtiniano ſingulariter in mundo conſtructa dedicatur die VI. Kalend. Januarias.

* *al.* Voluſiano & Joanne

Ind. I. *Joanne ſolo* * *Coſ.*

538. Adhuc Vitige in obſidione Romæ morante, Joannes Magiſter militum cum Batza, Conone, Paulo, Remaque inluſtribus, magnoque exercitu apparato, ad Italiam properant, caſtraque ad portum Romanum conlocant, laboranti Romæ ſubveniunt. Quorum adventum Vitiges cernens, trium menſium temporis cum Beliſario pacta confirmat, ſuoſque legatos ad Imperatorem tranſmittit. In qua pace Beliſarius Campaniam redit, annonæ copiam Romæ inlaturus. reverſuſque Campania contrarium ſibi de medio aufert Conſtantinum Patricium. Joannes vero in portu quæ poſuerat caſtra deſerens, Samnitum regionem ingreſſus eſt, Aternoque oppido expugnato, Tremonem Gothorum ducem cum ſuis proſternit: Ortonam quoque ſimiliter invadit, Picenum deprædans Ariminum occupat. Quo audito Vitiges ab obſidione Urbis, in qua adhuc poſt turbatam pacem conſiſtebat, relicta Roma, per Clodiæ aggerem, & annonariam Tuſciam tranſiit Apenninum, & in Rubiconis fluminis ripa caſtra metatus, Ariminum obſidet. Unde proturbatus a Narſete de Conſtantinopoli, & a Beliſario de Roma venientibus, fugit Ravennam. Cujus nepos Oraio Mediolanum longa inedia deterit, Mundilam, Paulumque duces ibi poſitos cum ſuo milite obſidens. Narſete vero Arimino reſidente, Beliſarius accedens Romam ad exhyemandum, deditione ſuſcipit Urbinum, & Urbem vetus, & Inſulam laci Bulſinenſis.

Ind. II. *Appione ſolo Coſ.*

539. Narſes revertitur Conſtantinopolim. Beliſarius obſidens Auximum ſeptimo menſe ingreditur, ſimiliterque & Feſulam. Gothi Mediolanum ingreſſi muros diruunt, prædamque potiti, omnes Romanos interficiunt. Mundilam, Paulumque duces abducunt Ravennam. Theudibertus Francorum Rex cum magno exercitu adveniens, Liguriam, totamque deprædat Æmiliam. Genuam oppidum in litore Tyrreni maris ſitum evertit, ac prædat. Exercitu dehinc ſuo morbo laborante, ut ſubveniat paciſcens cum Beliſario, ad Gallias revertitur. Germanus de Africa Conſtantinopolim evocatur. Solomon ibi rurſus dirigitur. Calluc Magiſter militum cum Gepidis primum feliciter dimicans, ſecundo infeliciter ruit.

Ind. III. *Juſtino jun. ſolo Coſ.*

540. Parthi in Syriam ingreſſi multas urbes ſubvertunt. contra quos Germanus arma arripiens, Juſtinum filium, eundemque Conſulem, in ipſis faſcibus ſecum ducit. Antiochia magna deprædata demolitur a Perſis. Beliſarius Ravennam ingreditur; regem Vitigem, & reginam, cunctaſque opes, Gothoſque nobiliores tollens ſecum, ad Imperatorem revertitur, evocante ſe Marcello Comite. Solomon in Africa feliciter dimicans rebelliones proturbat. Gothi trans Padum reſidentes, Oraio Vitigis nepote & Heldebado ductantibus, Vitigem regem cum regina, opibuſque palatii, necnon & Gothos audientes ſedibus propriis pulſos, Orientemque per Beliſarium abductos, rebellare diſponunt, regem ſibi ſtatuentes Heldebadum. contra quem debellaturus Beſſa patricius Placentiam a Ravenna conſcendit, Conſtantino Ravennam de Dalmatiis, ut præeſſet exercitui, ab Imperatore directo.

Ind. IV. *Baſilio ſolo Coſ.*

Parthis perſiſtentibus inimicis, Beliſarius Orientis ſuſcepit expeditionem, Germano regreſſo ad urbem regiam. Gothi Heldibado occiſo Erarium ſibi ordinant regem. Solomon in Africa interficitur, Sergius loco ejus dux ſucceſſit belli, moderatorque provinciæ. 541.

Ind. V. *Poſt Conſulatum Baſilii.*

Milites clam Veronam ingreſſi, dum avaritia inhiante de præda concertant, a Gothis egredientibus de latebris cum ſuo dedecore civitate pelluntur. Gothi Erario rege occiſo Totilam in regnum manciparunt. Qui malo Italiæ mox Padum tranſit, & ad Faventiam Æmiliæ civitatem Romanorum exercitum ſuperat, duces effugat, Cæſenam, & Urbinum Montemferetris, & Petrapertuſa occupat, huc illucque diſcurrens devaſtat Italiam. Rurſus in annonaria Tuſcia ad Mucellos per Ruderit, & Viliarid, Bledamque duces ſuos Romanum exercitum ſuperat. Quo prælio Beſſa patricius vulneratus evadit: cæteri vero fugientes per quaqua ſalvati ſunt. 542.

Ind. VI. *Poſt Conſulatum Baſilii anno* II.

Totila devaſtat Campaniam, urbeſque muratas evertens, per ſuos Tiburim obſidet. Mortalitas magna Italiæ ſolum devaſtat, Oriente jam & Illyrico peræque attritis. In oriente Perſis adhuc tenentibus conflictum cum noſtris, Sergius in Africa inquietatur a rebellionibus cum Stotza & Mauris. 543.

Ind. VII. *Poſt Conſulatum Baſilii anno* III.

Totila obſidet Firmum & Aſculum, invaſamque Neapolim deſolat, & Tibur. Roma vero obſidetur a longe, in qua præerat Joannes Magiſter militum. In Oriente Beliſario conſtituto, exulatur Joannes ex Conſule ordinario Patricius, atque Præfectus prætorio, & domus ejus datur Beliſario. 544.

Ind. VIII. *Poſt Conſulatum Baſilii anno* IV.

Totila Firmum & Aſculum ſub juramento ingreſſus eſt: milite Romano cum rebus ſuis dimiſſo, crudelitatem ſuam in Romanos exercuit, eoſque omnes nudat & necat. In Africa Joannes inruens ſuper tyrannum Stotzam, interimit eum, & ipſe ab ejus occiditur armigero. In qua tyrannide Joannes quidam electus Stotzas junior vocitatur. Beliſarius de Oriente evocatus, in offenſam periculumque incurrens grave, & invidiæ ſubjacens, rurſus remittitur ad Italiam. Qui veniens, Romam dirigit Beſſam, Joannem mittit ad Imperatorem. Totilas vaſtato Piceno, pugnanſque ad Auximum vincit. Indeque diſcurrens per Tuſciam, Spoletium deſtruit, & Aſiſium, Cluſiumque oppida tenuit, & obſidet Peruſiam. 545.

Ind. IX. *Poſt Conſulatum Baſilii anno* V.

Vigilius Papa LIX. ab Apoſtolo Petro, evocatus ab Imperatore Roma egreditur, & in Siciliam venit. Totila occupata Lucania & Brutiis Neapolim ſubvertit, Romam obſidet. De Africa Sergius evocatur, & Areobindas nepte Imperatoris accepta, ibi judex dirigitur. In O- 546.

riente cùm Parthis fœdus initur per Conſtantianum Magiſtrnm militiæ, & exercitus revertitur Conſtantinopolim.

547. *Ind. x. Poſt Conſulatum Baſilii vi.*

Gothi legationem mittunt ad Imperatorem per epiſcopum civitatis Aſiſinatium, nomine Aventium. Joannes Magiſter militum ad Italiam properat. Beliſarius a Ravenna egreſſus venit Dyrrachium. indeque directo Joanne Calabria, ipſe per Siciliam Romam perrexit Papa Vigilius ingreſſus eſt Conſtantinopolim VIII. Kal. Febr. Totila dolo Iſaurorum ingreditur Romam die XVI. Kal. Januarias, ac evertit muros, domos aliquantas igni comburens, ac omnes Romanorum res in prædam accepit. hos ipſos Romanos in Campaniam captivos abduxit. Poſt quam devaſtationem, XL. aut amplius dies Roma fuit ita deſolata, ut nemo ibi hominum niſi beſtiæ morarentur. Hinc veniens Beliſarius murorum partem reſtanrat, venienteque Totila ad pugnam reſiſtit. Eodemque anno de Africa neptis Imperatoris revertitur vidua, occiſo Areobinda a Gunthario Tyranno, qui cum Stotza juniore tractans eum occiderat. Sed Artabanes utroſque comprehenſos Guntharium occidit, Joannem idem Stotzam juniorem vinctum tranſmittit ad principem. Poſt aliquantos dies mittitur in Africam Joannes, & Artabanes evocatns præſentale accepit Magiſterinm.

548. *Ind. XI. Poſt Conſulatum Baſilii VII.*

Joannes Magiſter militnm in Campania prædans Gothos, nonnullos liberat Senatores. qui poſtea patitur nocturnnm Totilæ ſuperventum Bulgarum ſuorum proditione. * * *

549. *Ind. XII. Poſt Conſulatum Baſilii VIII.*
550. *Ind. XIII. Poſt Conſulatum Baſilii IX.*
551. *Ind. XIV. Poſt Conſulatum Baſilii X.*

His temporibus in Africa Mauri per Joannem Patricium domiti ſunt.

552. *Ind. XV. Poſt Conſulatum Baſilii XI.*

Hoc tempore Juſtinianus Auguſtus Naſem eunuchum Chartularium & Cubicularium ſuum principem militiæ fecit, & in Italiam miſit. Qui commiſſa pugna Dei gratia victor Totilam occidit, & gentem Gothorum, auxiliantibus etiam Longobardis, in Italia exterminavit. Per hæc tempora, cum Buccelinus Comes cum ſociis a Theodeberto rege Francorum dudum miſſus, per annos aliquot Italiam Siciliamque infeſtaret, & Romanum ſæpe exercitum ſuperaret, tandem exercitus ejus profluvio ventris attritus, a Narſe pugna victus & profligatus, ipſe Dux occiſus eſt. Nec multo poſt ſocius ejus Omnirugus dux cum reliquis Gothorum quibus ſe junxit, peremptus eſt.

553. *Ind. I. Poſt Conſulatum Baſilii V. C. XII.*

Theodebaldus Francorum rex moritur, & regnum ejus uxoremque Vanderadam Hlotarius rex patris ejus Theodeberti patruus accepit, qui jam XLIV. annis regnabat. Quo ipſo anno Hlotarius ipſe Saxones rebellantes juxta Wiſeram fluvium magna cæde domuit, & Thuringiam pervaſam devaſtavit.

Ind. II. Poſt Conſulatum Baſilii V. C. XIII. 554.

Vigilius Papa tandem ab Imperatoribus Romanis, & a Narſe de exilio relaxatus, cum Romam redire cœpiſſet, in Sicilia morbo calculi tactus deceſſit: moxque Romam perlatus apud S. Marcellum in via Salaria ſepultus eſt. Pro quo ordinatus Pelagius Papa LXII. ſedit annis XI. menſibus X. Qui a populo Romano factionis contra Vigilium incuſatus, celebratis una cum Narſe litaniis, apud S. Petrum ambone aſcenſo, Evangelioque ſuper caput ſuum poſito, juramento ſe crimine purgavit.

Ind. III. Poſt Conſulatum Baſilii V. C. XIV. 555.

Hoc tempore Saxones iterum Hlotario rebellantes, cum ab eo peterentur hoſtiliter, eique pro ſatisfactione dimidium rerum ſuarum offerrent, idque exercitus Francorum reſutans eo invito pugnaſſet, magna ab eis cæde protritus, fugæ præſidium petiit.

Ind. IV. Poſt Conſulatum Baſilii V. C. XV. 556.

His diebus Hramnus patri ſuo Hlotario, annuente patruo Hildeberto rebellans, regnum Francorum ſeditione perturbat. Saxones factione Hildeberti in Francia prædas egerunt. Hildebertus Remenſem Campaniam populatur.

Ind. V. Poſt Conſulatum Baſilii V. C. XVI. 557.

In Britannia Bridus rex Pictorum efficitur. Hildebertus rex Francorum circa hæc tempora moritur, & Pariſius in Baſilica S. Vincentii a ſe conſtructa ſepelitur, regnumque ejus frater Hlotarius aſſumens, totam paterni regni monarchiam obtinuit.

Ind. VI. Poſt Conſulatum Baſilii V. C. XVII. 558.

Hramnus patrem Hlotarium, quem multis malis offenderat, hoc tempore in Britanniam fugiens, inſequente eo ibidem cum Conoboro rege pugna victus & captus, cum uxore & filiabus vivus incenſus eſt. Quo etiam tempore Turonis baſilica S. Martini rebellibus ad eam fugientibus igne crematur.

Ind. VII. Poſt Conſulatum Baſilii V. C. XVIII. 559.
Ind. VIII. Poſt Conſulatum Baſilii V. C. XIX. 560.
Ind. IX. Poſt Conſulatum Baſilii V. C. XX. 561.
Ind. X. Poſt Conſulatum Baſilii V. C. XXI. 562.
Ind. XI. Poſt Conſulatum Baſilii V. C. XXII. 563.
Ind. XII. Poſt Conſulatum Baſilii V. C. XXIII. 564.
Ind. XIII. Poſt Conſulatum Baſilii V. C. XXIV. 565.
Ind. XIV. Poſt Conſulatum Baſilii V. C. XXV. 566.

FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS
PROVINCIÆ AFRICANÆ
PRO DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM
CONCILII CALCHEDONENSIS
LIBRI XII.
AD JUSTINIANUM IMPERATOREM.

JACOBI SIRMONDI *Societatis Jeſu Presbyteri cura & ſtudio primum in lucem editi, Notiſque illuſtrati anno* M. DC. XXIX.

Nunc vero in præſenti editione Veneta cum MS. vetuſtiſſimo Bibliothecæ Capituli Veronenſis collati, emendati, & ſuppleti.

FRANCISCO BARBERINO
S. R. E.
CARDINALI AMPLISSIMO,
SEDIS APOSTOLICÆ BIBLIOTHECARIO.

REdit in Urbem poſtliminio Facundus noſter, & Vaticanam ex qua prodierat auſpiciis tuis repetit, Illuſtriſſime Cardinalis. Redit autem, non ut ſuſceptam Trium capitulorum cauſam approbet, quam Synodi poſtea decreto exploſam atque conclamatam non ignorat: ſed ut a ſe tum ſuſceptam defenſamque oſtendat, cum defendere licebat. hoc eſt, cum facti auctorem ducemque haberet Vigilium Papam, quem in eadem cauſa, eademque in ſententia præeuntem non ſequi nefas erat. Quamquam ergo qui hos ejus libros ſeverius carperent non defuerunt: tamen adeo verendum nihil habet, ne culpam apud æquos judices ſuſtineat hac in parte, ut laudem poſſit non injuria ſperare. utinam parem & ex altera liceret! Nam de libello ad Mutianum, quem Vigilio jam iratior effudit, cum prudentiſſimi Pontificis pacis ſtudio ſeſe inflectentis conſilium moderationemque capere non poſſet, laudem ille profecto nullam captat. veniam, Cardinalis, vel indulgentia, vel interceſſione tua flagitat, non præmium. Tu vero illum, quæ tua eſt lenitas & clementia, tui etiam, ut ſpero, nominis tutela præſidioque honeſtari non abnues. quo & Urbi gratior appareat, & beneficii tui fructum ad exteras gentes alacrior juſſu ac miſſione tua circumferat. Tum ut illa Punicæ facundiæ copia qua pollet, dum æternam in Eccleſia fixamque Conciliorum auctoritatem, atque in ſanciendis Conciliis primam & maximam Romanæ ſedis poteſtatem celebrat: dum hæreticorum artes, ingenia, dolos aperit, quibuſque illos machinis retundi, quibus viribus proſterni ac debellari conveniat, exponit: dum ſub Juſtiniani denique perſona Chriſtianos principes conteſtatur, ne imperii ſui decorem alieni, id eſt ſacri officii uſurpatione fœdatum velint, diſtinguantque quibus in cauſis uti poteſtate; & in quibus exhibere debeant obedientiam Chriſtiani: hæc inter aliaque rerum eximiarum documenta, tui ſimul nominis objectu, quanti patrui quantus Romæ fratris filius purpuram, qua ornari alii ſolent, vita moribuſque ſuis ornet, admoneat. Hic tu vero me plura meditantem nutu ipſo jam revocas, ſentio: atque iſta ſingulari animi tui modeſtia, cui ipſi præcipua laus debetur, laudari te vetas: ſed ignoſce. Vocem premere, ſtylumque juſſi poſſumus: ut tacitos de te ſenſus premant, quorum ante oculos adſidue verſaris, vel quorum animos nuper, cum Legatus eſſes, virtutum tuarum admiratione compleſti, aut quibus de te fama demum ipſa nuntiavit, optare forſitan potes, Illuſtriſſime Cardinalis, imperare omnino vel impetrare non potes.

ILLUSTRISSIMÆ ET REVERENDISSIMÆ D. T.

Addictiſſimus devinctiſſimuſque

JACOBUS SIRMONDUS.

L E C T O R I.

FAcundi Epiſcopi libros ex codicibus Vaticanis, hoc eſt ex eo illorum apographo damus, quo in Annalibus ſuis uſus eſt, quodque moriens juris noſtri eſſe voluit laudatiſſimus Cardinalis Baronius. Ex indice porro capitum, quibus libros ſingulos diſtinximus, (nam libros auctor in capita non diviſerat) illico agnoſces habere illum affatim, unde poſſit rerum quas tractat utilitate, copia, varietate, animum ſtudiumque tuum non immerito retinere. Nec vero fraudi eſſe poſſe trium capitulorum cauſam, quam defendit: in qua, ſi verum loqui placet, honeſtius fuerat cum Vigilio cadere, quam vincere cum Juſtiniano. Quod ſi Vigilium perpetuo ducem ſequi maluiſſet, quam Vigilium, poſtquam Juſtiniano cedendum cenſuit, cum Afris ſuis reprehendere, nemo illum de ſuſcepta capitulorum defenſione, ad quam Vigilius ipſe ultro poſtea rediit, jure accuſandum judicaret. Sed Facundum collegaſque, ut Vigilio repugnarent, fefellit error quo tenebantur, quemque Victoris & Iſidori de Facundo teſtimonia declarant, quod perſuaſum haberent, non poſſe abſque injuria fidei, Synodique Calchedonenſis everſione, capitula condemnari. proinde damnari non patiebantur. At contra Vigilius liberam eſſe controverſiam intelligens, & quæ utram in partem vergeret, ad fidei doctrinam nihil attineret, (quod ipſum poſt Vigilii tempora Gregorius magnus, Pelagius, & alii ſæpe teſtati ſunt) ea interdum libertate uſus eſt, quam cauſa concedebat: ſemper alioquin ad defendenda, ut par erat, & probanda capitula propenſior. Nam & principio, cum mali labes orta eſt Conſtantinopoli, eorum damnationi vehementius obſtitit. & quamquam Judicatum poſtea in eorum condemnationem protulit, ut ſchiſmati occurreret, publicamque concordiam ſententiæ ſuæ jactura redimeret: tamen ubi aliter eveniſſe quam ſperabat, atque hac ejus moderatione turbari capitulorum defenſores, abuti adverſarios animadvertit; tum ſuppreſſo Judicato ad priſtinam defenſionem mox rediit, in eaque conſtitit. Cumque id agi ſentiret, ut per vim extorqueretur ab invitis condemnatio, ſuſpectam habens Synodum Græcorum intereſſe noluit; & ſuam de capitulis non damnandis ſententiam edito Conſtituto graviter expoſuit. Synodo denique, cum capitula damnaſſet, ne provincias, quæ plurimæ reclamabant, iterum offenderet, aſſenſum negavit. Ex quibus apparet, nullam in hac Vigilii conſiliorum varietate inconſtantiam fuiſſe, quod viſum eſt nonnullis: ſed ſtatam potius fixamque in tuenda Eccleſiæ, quam regebat, pace concordiaque conſtantiam. Cujus ipſius pacis ſtudio Vigilii ſucceſſores, cum paucos jam contra niti viderent, ut una omnium in Eccleſia mens & vox eſſet, aſſenſerunt & ipſi tandem, & Synodo incertæ ad id tempus auctoritatis, Concilii generalis vim nomenque confirmatione ſua præbuerunt. Quo autem ordine per ſingulos annos hæc geſta ſint, & quo rerum eventu, ſubdita Notis ad operis calcem * Synopſis oſtendet.

* *Hic illam præfiximus operi.*

VETERUM SCRIPTORUM
DE FACUNDO
TESTIMONIA.

Iſidori de viris illuſtribus cap. XVIII.

FAcundus Afer, Ermianenſis Eccleſiæ Epiſcopus, duodecim libros pro defenſione trium capitulorum ſcripſit: quorum ſtylo elicuit præfata tria capitula in præſcriptione Apoſtolicæ fidei, & Calchedonenſis Synodi impugnatione fuiſſe damnata. id eſt epiſtolam Ibæ Edeſſeni Epiſcopi ad Marim Perſam, & Theodorum Mopſueſtenum Epiſcopum, & Theodoreti Cyri Epiſcopi dicta. Claruit poſt Conſulatum Baſilii anno x. regnante Juſtiniano Imperatore.

Victoris Epiſcopi Tonnonenſis in Chronico.

POſt Conſulatum Baſilii V. C. anno x. Libri duodecim Facundi Hermianenſis Eccleſiæ Epiſcopi refulſere. quibus evidentiſſime declaravit tria capitula in præſcriptione fidei catholicæ & Apoſtolicæ Calchedonenſis Concilii fuiſſe damnata.

Caſſiodori Senatoris in Pſalmum CXXXVIII.

FAcundus venerabilis Epiſcopus, hæreticorum penetrabili ſubtilitate deſtructor, nuper ad Juſtinianum principem ſcribens de duabus naturis domini Chriſti duos libellos, caute nimis luculenterque tractavit. Quos vobis tranſcriptos reliqui, ut nec antiquis egeatis tractatoribus, nec modernis.

MONITUM TYPOGRAPHI VENETI

AD LECTOREM.

IN novam vitam reſurgit, lector humaniſſime, Facundus Hermianenſis Provinciæ Africanæ Epiſcopus: Damus videlicet luci publicæ in hac Veneta Sirmondi Voluminum editione opera ejus tot mendis purgata, ut fere novum opus videri poſſint. Diligentiſſima a Joſepho Blanchino, Franciſci Blanchini virtutibus, eruditione, dignitate præſtantiſſimi Viri nepote digniſſimo, facta collatio eſt cum MS. Codice, qui adſervatur in Bibliotheca ampliſſimi Capituli Veronenſis, cui & ipſe cooptatus eſt. Ætatem codicis ad ſæculum VII. litterarum ſpecimen referre videtur: venerandam certe ejus antiquitatem exhibet. Membranaceus eſt, nitidiſſime ſcriptus, ac duobus tantum foliis, quæ tempus conſumpſit, aut injuſta ac punienda manus abraſit, detruncatus. Optimam notam intelliges, ſi ipſum animadvertas ad Eccleſiam Veronenſem pertinere, quæ olim cum ſchiſmaticis decertavit pro tribus Capitulis, ſibique deeſſe paſſa non fuerit tam grande opus pro eiſdem conſcriptum, illudque qua potuit majori diligentia exaratum. Hiſtoriam ſchiſmatis habes apud Henricum Noriſium in *Diſſertatione hiſtorica de Synodo V.* Textum relinquere placuit, qualem vulgavit Sirmondus, emendavitque novis curis Jacobus de la Baune S. J. qui in unum corpus opera ejus omnia collegit. Numeri textui inſerti lectionem deſignant noſtri Codicis infra poſitam, qua textus idem illuſtratur, emendatur, ſuppletur. Integræ non paucæ replentur lacunæ; ſenſus aut involuti declarantur, aut perturbati priſtinæ reſtituuntur ſinceritati; quæ aliorum citantur verba a Facundi verbis diſcernuntur; illuſtrantur quamplura, ac etiam putidiſſimi ſolœciſmi emendantur: ut dicendum denique ſit, in miſeros codices e quibus nobis Hermianenſem Epiſcopum dedit, incidiſſe malo fato Sirmondum; ac etiam dormitaſſe Jacobum de la Baune, qui tot menda clauſis oculis præterire potuit. Notas denique breves hinc inde reperies in collationibus adjectas, quæ opus erant, ut Codicis noſtri lectio veluti genuina confirmaretur. Operam ergo noſtram grato excipe animo, dum tibi tuiſque ſtudiis non ſemel in hac editione conſulere poſſe ſi polliceamur, inania verba non damus.

SPECIMEN

SPECIMEN CHARACTERUM FACUNDI HERMIANENSIS EPISCOPI

EX CODICE MEMBRANACEO BIBLIOTHECAE CAPITULI VERONENSIS.

INCP LIB· PRIMVS SCI FACVNDI EPI
HERMIANENSIS ECCLESIAE PROVINCIAE AFRICANAE

EXPLICIT LIB PRIMVS BEATISSIMI FACVNDI EPI
AD IMPERATOREM. INCP LIBER SECVNDVS
EIVSDEM AD EVNDEM

INITIUM· LIBRI XII.

Defensio magnae synodi chalcedonensis quam
criminantur acephali quod epistulam ve
nerabilis ibae theodori docti hā ro laudantem
iudicavit orthodoxam compulit nos commenta aliū &

EXPLICIVNT LIBRI NVMERO XII·
SCAE MEM FACVNDI EPI HERMIANE
SIS ECCL AD IVSTINIANVM IMP IN
DEFENSIONEM TRIVM CAPITVLORV
INC P LIB EIVSDEM BEATIS FACVNDI
CONTRA MVCIANVM SCHOLASTICV

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI.

I. QUod Juſtinianus in confeſſione fidei ſuæ, unum de Trinitate crucifixum, B. Mariam vere & proprie matrem Dei, & Chriſti duas eſſe naturas recte profeſſus ſit.

II. Quod Eutychiani ſub trium capitulorum nomine Concilium Calchedonenſe fraudulenter oppugnent. quibus antequam reſpondeat, fidei ſuæ confeſſionem exponit.

III. Quod unus de Trinitate paſſus contra Neſtorianos aptius dicatur, quam una de Trinitate perſona. Perſonarum nomen in Trinitate Sabellii cauſa uſurpari cœptum. & de baptiſmo in nomine domini Jeſu.

IV. Quod B. Maria vere ac proprie ſit mater Dei, contra quoſdam catholicos, & contra Neſtorianos. Examinantur Hilarii, Auguſtini, & Leporii presbyteri teſtimonia.

V. Quod Chriſti duæ ſint naturæ, non una compoſita, contra Eutychianos & Semieutychianos. De Julio Papa, & de Cyrillo Alexandrino, quorum ſcripta objiciunt adverſarii.

VI. Quod Eutychiani unam Chriſti compoſitam naturam adſtruentes Neſtorianos adjuvent; & quod perperam utantur exemplo humanæ naturæ ex anima & corpore compoſitæ.

LIBRI II.

I. QUod damnationem trium capitulorum adverſarii Concilii Calchedonenſis conſcripſerint, & Imperatoris titulo prænotarint.

II. Quod epiſtola Ibæ, quamvis eam Concilium orthodoxam non pronuntiaſſet, damnari abſque Concilii reprehenſione non poſſit.

III. Quod epiſtolam Ibæ ideo damnarint, quia duas in Chriſto naturas confitetur. Quo conſilio Epiſcoporum ſubſcriptiones exigant. & cur damnantium communionem ipſi refugiant.

IV. Quod falſo damnatam a ſe jactent epiſtolam, quia Cyrilium male tractarit, cum acerbius tractatus ſit a Gennadio & Iſidoro, quos non reprehendunt.

V. Quod temere damnetur epiſtola poſt examen Synodi Calchedonenſis, cujus decretis addi nihil debere Leo Papa, & Epiſcopi Orientis confirmant.

VI. Quod fruſtra Vigilii Papæ reſponſum expectare ſe dicant, qui a Leonis deceſſoris ſui veſtigiis minime receſſurus ſit.

LIBRI III.

I. QUod Theodori Mopſueſteni ſcripta cum denotant, Synodi Calchedonenſis & Leonis Papæ judicium reprehendant.

II. Quod Theodorus ut Neſtorii doctor accenſari nequeat, cum rectam de Chriſto fidem contra Samoſateni & Neſtorii errorem teneat. & de ſymbolo quod Theodori dicebatur.

III. Quod Theodorum imperite arguant, quod Chriſtum in paſſione formidaſſe & turbatum fuiſſe dixerit, cum Chriſtus & martyres ad mortem reipſa trepidarint.

IV. Quod Theodorum immerito calumnientur, quaſi in expoſitione hiſtoriæ centurionis Chriſtum purum hominem eſſe docuerit.

V. Quod falſo Theodorum accuſent, quaſi perſonarum Trinitatem cum Sabellio negarit; unamque Patris & Filii & Spiritus ſancti perſonam eſſe docuerit.

VI. Quod Theodorus prophetias de Chriſto non evacuarit, etſi aliquas interdum etiam moraliter exponat. & quod conſtanter a Cyrillo laudatus ſit.

LIBRI IV.

I. QUod Cyrillum ſequi non debeant, ſi Theodorum aliquando culpaſſe concedatur, cum in iis non ſequantur, quæ contra Chryſoſtomum ſcripſit.

II. Quod in Theodori damnatione Cyrillum ſequi non debeant, cum illum in Diodori damnatione merito non ſequantur, quem patres & principes orthodoxi commendant, ſoli Apollinariſtæ hæretici cum Juliano apoſtata vituperant.

III. Quod Vigilius Papa ex itinere ſcribens Ibæ ac Theodori damnationem improbarit, atque emendari juſſerit. & quod diverſæ provinciæ Vigilium ne hoc pateretur conteſtatæ ſint.

IV. Quod contra Synodum Calchedonenſem factam eſſe trium capitulorum damnationem, ipſi etiam qui conſenſerunt primates & Epiſcopi Orientis agnoverint. quos redarguit quod Imperatori non reſtiterint.

LIBRI V.

I. QUod epiſtolam Ibæ orthodoxam revera pronuntiarit Synodus Calchedonenſis, falſoque dicant adverſarii ab ea non fuiſſe ſuſceptam.

II. Quod falſo dicant Ibam negaſſe in Judicio Epiſcoporum Photii & Euſtachii epiſtolam illam ſuam eſſe.

III. Quod falſo dicant Theodoretum in Concilio Calchedonenſi, niſi poſt damnationem Eutychis atque Dioſcori, non ſediſſe. quodque Synodi auctoritati non obſit, ſi in ea ſedeant qui ab hæreſi reſipuerunt.

IV. Quod Leo Papa non ſolam definitionem fidei Synodi Calchedonenſis, ſed omnia ejus acta & decreta confirmarit, excepto faſtu Anatolii quem redarguit. Epiſtolæ autem Ibæ approbationem non excluſit.

V. Quod poſt decreta Conciliorum diſputare non liceat, nec audiendi ſint Eutychiani, ſi Concilii de Ibæ epiſtola definitioni reſiſtant.

LIBRI VI.

I. Quod Synodus Calchedonenſis epiſtolam Ibæ pronuntians orthodoxam recte judicarit, & ſacræ ſcripturæ morem ſecuta ſit, quæ de multis ex majore ac meliore parte ſolet ferre ſententiam.

II. Quod Synodus epiſtolam Ibæ orthodoxam pronuntiarit propter duarum in Chriſto naturarum confeſſionem, quam continet, non propter falſam de B. Cyrillo ſuſpicionem.

III. Quod Synodus epiſtolam Ibæ damnare non potuit, quin Cyrillum itidem hæreſeos damnaret. quodque Cyrillus Neſtorio reſpondens de induſtria parcius de duarum naturarum diſcretione locutus ſit.

IV. Quod Ibas male de Cyrillo ſuſpicans, non Cyrilli fidem, ſed quam Cyrilli eſſe falſo putabat, in epiſtola ſua reprehenderit, & Cyrilli de Chriſti incarnatione fidem reipſa probarit.

V. Quod Synodum quo minus epiſtolam Ibæ orthodoxam pronuntiaret, morari non debuit falſa illius de Cyrillo ſuſpicio, cum Cyrillum ipſum, quo minus Orientalium confeſſioni ſubſcriberet, par illorum ſuſpicio non retardarit.

LIBRI VII.

I. Quod Ibas in epiſtola ſua unam Chriſti virtutem cum dixit, duas in Chriſto naturas non negavit, ſed unicam perſonam aſſeruit.

II. Quod Ibas dicens Neſtorium ſine judicio & inquiſitione damnatum, non damnationem ejus improbarit, ſed hoc tantum, quod expectati non fuerint Orientales.

III. Quod Ibas judicio falli potuerit in Neſtorio, ſicut Anatolius in Dioſcoro, Athanaſius in Timotheo, Synodus Palæſtina & Zozimus Papa in Pelagio & Cæleſtio.

IV. Quod epiſtolam Ibæ mutilam produxerint, ea omittentes, ex quibus conſtaret Neſtorium ab illo excuſatum non fuiſſe.

V. Quod falſo dicant Ibam a Synodo compulſum anathematizare Neſtorium. & quod nunquam illi excuſationem Neſtorii accuſatores objecerint.

VI. Quod Ibas de Cyrilli capitulis male ſuſpicatus ſit, tanti Synodo viſum non fuiſſe, ut propterea ejus epiſtolam condemnandam cenſeret.

VII. Quod templum & habitans in eo recte dictum ſit. & quod propter Theodori laudes condemnari a Synodo Ibæ epiſtola non debuit, cum idem a Chryſoſtomo & a Nazianzeno laudatus ſit.

LIBRI VIII.

I. Quod Joannis Antiocheni & Orientalium teſtimonio antiqui patres plurimi conſona iis ſcripſerint quæ in Theodoro Mopſueſteno culpantur.

II. Quod falſo dicatur Proclus Theodori nomen perſtrinxiſſe, cum ex ejus ſcriptis id aperte refellatur.

III. Quod Synodus Orientis ad Theodoſium Imp. & Theodoſius ad Synodum, de non condemnando Theodoro ſcripſerint.

IV. Quod Synodus eadem Orientis ad Cyrillum etiam de non damnando Theodoro ſcripſerit.

V. Quod Domnus Antiochenus Theodorum laudet in ſynodica ad Theodoſium Imp. & quod iidem omnes patres doceant mortuis in Eccleſiæ pace defunctis non eſſe inſultandum.

VI. Quod officere Theodoro non debeat, ſi contra illum poſtea ſcripſerit Cyrillus. & quod damnari Theodorus ſine Diodoro non poſſit.

VII. Quod ſi ſuſpectus de hæreſi fuiſſet Theodorus, ejus temporis patres id minime diſſimulaſſent. & quod illorum potius, quam Cyrilli unius de Theodoro ſententiæ credendum ſit.

LIBRI IX.

I. Quod ex ſcriptis Theodori probetur ipſum fuiſſe catholicum. & ex unius Pſalmi XLIV. expoſitione refellantur omnia, quæ contra ejus doctrinam objecta ſunt.

II. Quod Theodorus vere Chriſtum non hominem tantum, ſed etiam Deum natura eſſe faſſus ſit.

III. Quod Theodorus in duabus Chriſti naturis unicam ejus perſonam agnoverit, alienuſque fuerit ab errore tum Judæorum, tum Manichæorum.

IV. Quod Theodorus ad oſtendendam tantum unitatem perſonæ in Chriſto non ad confundendas ejus naturas, ſimilitudine uſus ſit hominis ex anima & corpore compoſiti.

V. Quod obſcura & ambigua patrum dicta ex apertis eorum dictis interpretari oporteat. quod propoſitis aliquot exemplis declarat.

LIBRI X.

I. QUod reprehendenda Synodus non ſit, quia Theodorum non damnarit, tametſi in ejus ſcriptis quædam ſint culpanda : cum fieri potuerit , ut eam laterent , vel illa melius interpretanda, aut ab inimicis ejus immiſſa crederentur.

II. Quod etſi aliquando errarit, damnari ut hæreticus non potuerit, quia pertinax non fuit , cum ultro quædam quæ notabantur correxerit.

III. Quod tametſi Theodorus in quibuſdam erraſſet , laudari ab Iba potuerit propter alia quæ recte ſcripſit.

IV. Quod Theodorum Synodus , ſi apud eam accuſatus fuiſſet , damnare poſt mortem in Eccleſiæ pace defunctum non debuerit.

V. Quod Athanaſium nemo damnat propter excuſationem quam ſuſcepit Dionyſii Alexandrini . & quod multo facilius ſit Theodorum defendere.

VI. Quod Baſilius Gregorii Thaumaturgi, & Hilarius Antiocheni ac Sirmienſis Concilii dicta quædam duriora excuſarint. & Theodorum eodem modo excuſare Synodo licuerit , ſi hoc ſuſcepiſſet.

VII. Quod adverſarii in una damnationis Theodori brevi ſententia quatuor in magna vitia incurrerint.

LIBRI XI.

I. QUod multi patres antiqui ſimilia dixerint iis quæ in Theodoro reprehenduntur , atque in primis Euſtathius Antiochenus.

II. Quod apud B. Athanaſium quædam reperiantur non minus difficilia his, quæ in Theodoro reprehenduntur.

III. Quod Amphilochius Iconienſis ſimilia etiam iis ſcripſerit, quæ in Theodoro reprehenduntur.

IV. Quod in Gregorii libris adverſus Eunomium ſimilia extent iis quæ in Theodori libris reprehenduntur.

V. Quod apud Joannem Chryſoſtomum quædam etiam ſimilia ſint iis quæ in Theodori ſcriptis reprehenduntur.

VI. Quod in ſanctis patribus, ſi quid errant, excuſanda ſit intentio, ne hæretici credantur.

VII. Quod Cyrilli quoque plurima ſint Theodori dictis quæ reprehenduntur ſimilia , quorum decem profert exempla.

LIBRI XII.

I. QUod hæreticum faciat non ignorantia , ſed obſtinata defenſio falſitatis . & quod hæretici non ſtatim judicandi ſint qui in aliquibus erraverint.

II. Quod retractari non debeant ea quæ in Synodo ſemel ſunt conſtituta.

III. Quod principum ſit in cauſis fidei obedientiam exhibere , non ea ſibi uſurpare , quæ ſunt propria ſacerdotum, docet exemplo Marciani & Leonis Imperatorum.

IV. Quod Zeno Imp. de rebus fidei decernere præſumens Eccleſiam diuturno & gravi ſchiſmate turbavit.

V. Concluſio totius operis, cum paræneſi ad Juſtinianum ut Theodoſii exemplo errorem agnoſcat.

FACUNDI
[a] HERMIANENSIS ECCLESIÆ EPISCOPI
PROVINCIÆ AFRICANÆ,
PRO DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM CONCILII CALCHEDONENSIS,
LIBRI XII.
AD JUSTINIANUM IMPERATOREM.

PRÆFATIO.

CUm in præjudicium ſancti Concilii Calchedonenſis impugnatores ejus Acephali per quoſdam ſubriperent, ut epiſtola Ibæ Edeſſeni Epiſcopi, quam ad ſe delatam memorata Synodus catholicam judicavit; ſed & Theodorus [*] Mopſueſtenus, ejuſque doctrina, quæ in eadem epiſtola Ibæ laudata eſt; nec non & quædam Theodoreti Cyrri Epiſcopi ſcripta, qui in prædicto Calchedonenſi Concilio epiſtolam dogmaticam Papæ Leonis aſſeruit, ſub anathemate damnarentur: hoc opus ſuadentibus fratribus ad Imperatorem Conſtantinopoli ſcripſi. Quo necdum finito ac pertractato, adductus eſt [b] Romanus Epiſcopus: in cujus examine cum geſtis ſuper hac cauſa diſceptaremus, mediante conflictu interrumpi acta præcepit; & ab univerſis Epiſcopis, qui aderamus expetiit, ut ſcripto quiſque reſponderet quod ei de his capitulis videretur. Cum ergo per Magiſtrum officio-A rum ſub gravi neceſſitate reſpondere conſtringerer, vix mihi ſeptem dierum induciæ datæ ſunt, in quibus erant etiam duo feſti. Unde ut omnia dicerem, quæ magis neceſſaria judicabam, ex his libris aliquanta decerpſi: quia non occurrebam omnia nova dicere, ſiquidem tria millia verſuum excedit illa reſponſio. Sane quoniam, ſicut dixi, necdum a me pertractati fuerant iidem libri, quædam teſtimonia pro mendoſitate codicum, ex quibus ea poſueramus, vel pro incuria translatorum, aliter continebant, quæ ſic etiam in illam reſponſionem tranſcripta ſunt. Idcirco igitur præloqui ac præmonere curavi, ut neminem, qui memorata reſponſione perlecta hos contigerit libros, offendat iſta diverſitas: ſed illic ignoſcat feſtinanti, & huic potius credat. Nam & aliqua ibi cum perturbatione prolata, moderatius hic ordinatiuſque tractata ſunt.

---

a *Hermianenſis*) In Africæ provincia Byzacena. cujus civitatis ante Facundum Epiſcopi leguntur Maximianus in collatione I. Carthaginenſi numero cxxcvii. & Donatus in elencho MS. Epiſcoporum, qui Carthaginem ex præcepto regis Hunerici, anno ejus regni ſexto, pro reddenda ratione fidei venerunt. Poſt Facundum vero, Benadus in concilio Byzaceno, cujus extat epiſtola in Synodo Romana Martini I. Secretario II. Epiſtolæ autem inter ceteros ſubſcribit. *Benadus gratia Dei Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Hermianenſis.*

b *Romanus Epiſcopus*) Vigilius. Anaſtaſium bibliothecarium merito rejicit Baronius, qui Vigilium Conſtantinopolim perveniſſe ſcripſerit in vigilia Natalis Domini anno exeunte dxlvi. Hoc enim fieri non potuiſſe liquido probat: ſed quando pervenerit, non docet. Docet autem Appendix a nobis edita Marcellini Comitis, Papam Vigilium ingreſſum eſſe Conſtantinopolim viii. Kalendas Februarias, poſt Conſulatum Baſilii anno vi. id eſt Chriſti dxlvii. Jam tum ergo Facundus in hujus operis ſcriptione verſabatur, poſt centum ferme annos, ut lib. ii. cap. i. narrat, a Synodo Calchedonenſi.

* (1) *Epiſcopus Mopſueſtenus.*

FACUNDI EPISCOPI HERMIANENSIS PRO DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM

LIBER PRIMUS.

CAP. I. a CONfeſſionem tuæ fidei, clementiſſime Imperator, magni Concilii Calchedonenſis definitionibus conſonantem, & approbavi ſemper, & adverſus multorum contradictiones aſſerui. Nam cum duæ nunc ferveant hæreſes ab eodem Concilio refutatæ, quæ contentione quidem contraria, ſed deteſtatione ſimili, myſterium divinæ incarnationis oppugnant, Neſtorianorum dico, & Eutychianorum: quid ſalubrius, vel quid evidentius adverſus utramque hæreſim dici potuit, quam quod ipſe confeſſus es, unum de Trinitate pro nobis crucifixum? quem magnum Deum te credere docuit Apoſtolus dicens: (*Tit. 2. 11.*) B *Apparuit enim gratia Dei ſalvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, caſte & juſte & pie vivamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti*. Propter quod etiam beatam virginem Mariam vere, & proprie matrem Dei eſſe dixiſti. Non enim alium ſcis Deum verbum, & alium Jeſum Chriſtum, quem in duabus naturis unum eundemque pronuntiaſti conſubſtantialem eſſe patri ſecundum deitatem, & conſubſtantialem nobis eumdem ſecundum humanitatem: & de quo conſequenter etiam hoc dixiſti: (*Cod. de ſumma Trin. l. 6.*) C »Nam ſicut eſt in deitate perfectus, ita idem in humanitate perfectus eſt. Quæ omnia certum eſt te juxta Calchedonenſis Concilii ſententiam protuliſſe. Nam unum eſſe de Trinitate dominum Jeſum Chriſtum, ex ejuſdem ſynodi allocutione, quam ad Martianum principem fecit, evidenter oſtenditur. (*Poſt acta Concilii.*) Ubi cum beati Leonis Eccleſiæ Romanæ præſulis epiſtolam contra hæreticorum maledicta defenderet, poſt aliquanta ſic ait: »Facile eſt advertere, quod ambiguitate quæſtionis exorta, patrum interpretationibus noſtram confeſſionem coaptaſſe cognoſcimur, ſatisfacientes quod in nullo diſcordem intelligentiæ eorum detulerimus D animum, ſed his * utamur teſtibus ad noſtræ fidei firmitatem. Sic Athanaſii ad Epictetum amplectimur literas: ſic tamquam propriam Gregorii ad Cledonium epiſtolam ubique præferimus. Et quid oportet plura dicere? Si enim per epiſtolas Eccleſiæ dogmata declarari pro unaquaque quæſtione dignum culpa judicant, ipſum imprimis beatiſſimum Cyrillum quilibet poterit denotare, qui literis ſuis quod ſentiebat Orientalibus expreſſit: nec non & magnum Proclum huic vituperationi ſubjiciet, qui eiſdem Orientalibus volumen ad Armenos pro fidei congruen- (A) tia deſtinavit. His autem conſociabitur ad culpam & ſapientiſſimus Joannes Antiochenus Epiſcopus, qui hæreticorum maledicta rejiciens, & apoſtolicæ doctrinæ dogma declarans, totius Orientis confeſſionem, velut ex uno ore, ſanctiſſimo Proclo, & ei qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, deſtinavit. In hoc autem volumine ad Armenos, quod, ut memorata ſynodus ait, magnus Proclus Orientalibus quoque pro fidei congruentia deſtinavit, ita confeſſus eſt: (*Edit. Rom. pag. 128.*) »Nec enim dicentes filium paſſum, ratione deitatis eum pati potuiſſe ſentimus; ſiquidem divina natura, nullam prorſus recipit paſſionem: ſed confitentes Deum verbum unum ex Trinitate incarnatum, tribuimus intelligendi materiam his qui fideliter ſciſcitantur cur incarnari dignatus eſt. Scribens etiam beato Joanni Antiocheno, cui & illa, quæ ſcripſerat ad Armenos, pro ſervanda communis fidei ſocietate direxit; ut ſicut unum atque idem omnes corde credebant ad juſtitiam, ſic etiam una & eadem ore omnium confeſſio fieret ad ſalutem, ſic ait: (*Liberat. cap. 10.*) »Dicentes autem iterum paſſibilem Deum, id eſt Chriſtum, confitemur eum non eo paſſum quod erat, ſed quod factum eſt, id eſt propria carne, & ita prædicantes nullo modo fallimur: quoniam quidem & unum ex Trinitate ſecundum carnem crucifixum fatemur, & deitatem paſſibilem minime blaſphemamus. Et hanc ejus ſanam doctrinam ſapientiſſimus Joannes Antiochenus cum Orientali concilio ſuis literis approbavit; in quibus eum memorata ſynodus Calchedonenſis teſtatur hæreticorum maledicta rejeciſſe, & apoſtolicam declaraſſe doctrinam. Qui reſcribens eidem beato Proclo dixit: »Tomum qui ad Armenos factus eſt a * reverentiſſimo noſtro filio diacono Theodoſio, qui dignus eſt tuis diſpoſitionibus miniſtrare, ob eam quæ ineſt ei ſuper ætatem diligentiam, & petivimus, & cum omni delectatione ejus fecimus mentionem. Faciebat autem nobis delectationem non pulcritudo compoſitionis ſola, neque argumentationum multitudo contra utramque partem adverſantium pertractata, quantum ipſa ſacrorum dogmatum cautela ſimul & pietas. Pietas quidem, quia regalem divinarum * ſcripturarum in his quæ dicebantur, verbum veritatis recte confitens, pergebas, non ſine teſtimoniis ſcripturæ præſumens aliquid ex poteſtate propria prædicare: cautela vero, quia cum divinis ſcripturis etiam patrum dicta, ad probandum quæ dicebantur, propo-

a *Confeſſionem tuæ fidei*) Eam innuit, quam Juſtinianus Conſtantinopoli edidit, diverſaſque in provincias miſit tertio ſuo Conſulatu, anno Chriſti dxxxiii. Quæ & Græce Latineque extat Cod. de ſumma Trinitate l. vi. & tria capita, quæ Facundus hoc loco commemorat, iiſdem verbis explicat, de duabus in Chriſto naturis, uno de Trinitate crucifixo, & beata Virgine κυρίως καὶ κατ' ἀλήθειαν Deipara.

* (2) *utimur*.

* (3) *reverendo*.

* (4) *ſcripturarum viam*.

nebas. Scribens etiam B. Cyrillo ſupradictus A
* 5 * Joannes cum eadem ſynodo Orientis, ita ſe tomum ipſum ad Armenos approbaſſe perhibuit: „ Sanctiſſimo, inquit, Epiſcopo Proclo tomum re„ cte revera & pie habentem, quem ad Armenos „ ſcripſit, nobis deſtinante, & noſtrum quærente „ conſenſum, omnia facta ſunt a nobis, & in „ nullo minus fecimus. Apparuit igitur, religioſe Imperator, quod ſecundum ſententiam ipſius magnæ ſynodi confeſſus es unum de Trinitate pro nobis crucifixum: quandoquidem in eis epiſtolis hæc tua confeſſio continetur, quibus tantam auctoritatem detulit, ut earum exemplo defendendam B. Leonis epiſtolam judicaret.

Poſt acta Concilii. Illud etiam quod B. Mariam vere & proprie matrem Dei eſſe dixiſti, in eadem ſynodi allocutione invenimus eſſe firmatum, ubi dictum eſt: B „ Verum non latuit indormitabilem oculum na„ turæ communis inimicus, ſed tamquam lumi„ naria confeſtim patres noſtros, his quos tene„ brarum pervaſerat error, oſtendit; qui cunctis „ reſerarent intelligentiam fidei, & incarnationis „ diligenter beneficia prædicarent: quomodo diſ„ penſationis ſacramentum ſit ab initio ex vulva „ diſpoſitum: quomodo & Dei genetrix ſit virgo „ vocitata propter eum qui virginitatem ejus di„ gnatus eſt etiam ſacrare poſt partum, vulvam„ que, ut decebat Deum, integritate ſignare: quo„ modo ſecundum veritatem mater Dei dicta ſit „ propter carnem, quam ex ſe omnium domino „ miniſtravit. Ecce & hoc oſtenſum eſt, quoniam eadem ſancta ſynodus docuit, quod illa virgo Dei genitrix ſecundum veritatem vocata ſit, C propter carnem, quam ex ſe omnium domino miniſtravit. Nec intereſt, utrum ſecundum veritatem, id eſt, vere Dei mater vocetur; an vere & proprie, ſicut ipſe confeſſus es. Nam quod Joannes Apoſtolus dicit verum Dei filium, ipſum Paulus proprium dicit. Sic enim ſcribit:

1. Joan. 5. 20. *Scimus quoniam Dei filius venit, & dedit nobis intellectum, ut ſciamus quod eſt verum, & ſimus in vero filio ejus Jeſu Chriſto.* Hic autem

Rom. 8. 31. ſcribens Romanis ait: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam filio ſuo proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Non igitur eſt aliud, quod dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Joannes verum Dei filium vocat, quam quod eum proprium Dei filium Paulus appellat. Et ideo non aliud putandum eſt etiam, D quod ſancta Calchedonenſis ſynodus beatam Mariam vere matrem Dei eſſe confeſſa eſt, quam quod eam ipſe confeſſus es vere & proprie matrem Dei. Quod ſi cui minus hoc ſufficit, & adhuc eam vere & proprie Dei matrem dubitat appellare, pleniorem de hoc ipſo rationem, quam inferius reddemus, expectet. Quia vero

* 6 * ſimul ſecundum Calchedonenſe concilium, etiam in duabus naturis dominum Jeſum Chriſtum confeſſus es, ipſius concilii definitione monſtratur: in qua ſtatuit unum eumdemque Chriſtum, filium Dei unigenitum, in duabus naturis, ſine confuſione, ſine converſione, ſine diviſione, & ſine ſeparatione eſſe noſcendum; nuſquam naturarum differentia per unitatem penitus amputata, magis autem ſalva proprietate utriuſque naturæ. His igitur omnibus probatur confeſſio fidei tuæ magni * Concilii deſfinitionibus conſonare. * 7 Propter quod etiam nos & congratulati ſemper ejus rectitudini ſumus, & pro ea de te maxime gloriati. Quid enim prius laudetur in homine? quid excellentius decet in Principe, quam catholica fides, quæ totius noſtri boni eſt fundamentum, & ſine qua nihil in nobis eſt bonum? Omne enim quod non ex fide, peccatum eſt.

CAP. II.

SEd rogo, clementiſſime Imperator, ut rationes meas vel gratanter, vel patienter accipias. Nam demonſtrare propoſui, quoniam pro ejuſdem fidei quam tenes defenſione, & propter Calchedonenſium cuſtodiam decretorum, quibus & manifeſta eſt & firmata, his qui nuper contrariam eis ſententiam protulerunt, conſentiendum eſſe non duxi. Inquietus enim & impudens hæreticorum ſpiritus, qui facilis & promptus ad impugnanda vetera conſtituta, in confuſionem ſuam ſemper extollitur, quia ſæpe fruſtratus eſt, cum evidenti contradictione Calchedonenſis decreta Concilii ſubvertere niteretur; obliqua nunc & obtecta malignitate ſubrepens, intelligi non poſſe credidit ſuæ factionis inſidias. Invenit autem deſideratam occaſionem ex furore quorumdam, qui ſub nomine Chriſtiano latenter in Eccleſia gentile Origenis dogma ſectantur. Et quia per inſtantiam tuæ religionis ejuſdem profani dogmatis iterata damnatio eſt: hinc ejus ſectatores exarſerunt adverſus Eccleſiam, quærentes eam quacunque poſſet immiſſione turbare. Et hoc totum publicam notitiam non effugit: præſertim cum & [a] Domitianus a Anchyrenſis quidem civitatis Epiſcopus provinciæ primæ Galatiæ, qui fuit ipſius Origenianæ hæreſis manifeſtus aſſertor, per libellum, quem ad beatiſſimum Papam Vigilium ſcripſit, Deo extorquente confeſſus eſt, quod ejus complices Origeniani, cum viderent non ſe poſſe proprium dogma defendere, neque ſibi quicquam ſpei de conflictu reſtare, ad ultionem eorum quæ contra Origenem geſta ſunt, hæc Eccleſiæ ſcandala commoverunt. Horum igitur ſatellitio fungens Eutychianorum perfidia, ea quæ per ſe contra Calchedonenſe Concilium nequicquam ſæpe tentaverat, per ipſos latenter aggreſſa eſt, qui nobis non videbantur in hac parte ſuſpecti. Nec tamen & illi magnam Synodum palam reprehendere præſumpſerunt: magis autem ſub quodam colore defenſionis, quam tuæ pietati commendabat fallax eorum promiſſio, robur ejus infirmare conati ſunt. Jactabant enim, ſicut optime noſti, quod omnes Eutychiani, qui decretis ejus offenduntur, communicarent Eccleſiæ, ſi epiſtola venerabilis Ibæ Edeſſeni Epiſcopi ad Marim Perſam ſcripta, quam prædicta Sy-

---

a *Domitianus Anchyrenſis*) De quo iterum lib. IV. cap. IV. ubi & libelli hujus verba proferentur. Quod autem hic adſtruit ex libello Domitiani, adfirmat etiam Liberatus Diaconus in Breviario. incenſos videlicet damnati Origenis dolore Origeniſtas ad Trium capitulorum damnationem impuliſſe Juſtinianum; dolique architectum ex eadem ſecta fuiſſe Theodorum Cappadocem Cæſarienſem Epiſcopum, qui Imperatori ſuggerebat hoc modo ad ſuſcipiendam Synodum Calchedonenſem, Eccleſiæque communionem adduci Acephalos poſſe. Editæ ſunt poſt Synodum V. Græcolatinæ de utroque argumento epiſtolæ duæ Juſtiniani. Prioris adverſus Origenem initium eſt, *Ἡμῖν μὲν ἀεὶ σπουδὴ*, *Nobis ſemper ſtudio fuit*. poſterioris de tribus capitulis, *Εἰδότες ὡς οὐδὲν ἄλλο*. *Scientes quod nihil aliud*.

* (5) *S. Joannes*.
* (6) *ſimiliter*.
* (7) *Concilii Calchedonenſis*.

A nodus, cum pro ea memoratus Ibas tanquam
injurioſus in B. Cyrillum accuſaretur, pronuntia-
vit orthodoxam, damnaretur quidem ut Neſto-
riana, ſed approbata fuiſſe a Synodo negaretur.
Hoc agentes aſtute, ut dum neſcios & ignaros
advocant, quod per falſam & impudentiſſimam
negationem defendi Synodus poſſit, quæcunque
mendacia Eutychiani in reprehenſione ipſius epi-
ſtolæ dictarent, nemine jam reſiſtente, vel hinc
ſatagente, ſcriberent noſtrorum, quod valde lu-
gendum eſt, ſubſcriptionibus affirmanda: ut cum
* 8 poſtea, quod facillimum * erat ſola geſtorum
prolatione, ſuſcepta fuiſſe ab illo Concilio mon-
ſtraretur, nil jam ſupereſſet, quod Eutychianis
de Neſtoriano dogmate ſemper illud infamanti-
* 9 bus reſpondere * poſſemus. His igitur ita frau-
B dulenter agentibus, ac neſcio quam promitten-
tibus unitatem, quæ ſi etiam ſequeretur, con-
fuſio potius dicenda erat, illud execrandum hor-
rendumque conceſſum eſt, ut epiſtola, quam
ſancti illi venerabiles patres orthodoxam proba-
verunt, non ſola ſaltem, ſed cum ſuis appro-
10 batoribus eſſet * anathematizata. Et ideo tam
nefariæ occurſurus audaciæ, quoniam ſatis ip-
ſorum Eutychianorum conſuetudinem habemus
expertam, quod omnibus pro veritate ſibi reſi-
ſtentibus Neſtorianorum crimen imponant; fi-
dem meam in primis, quam de ſalutifera in-
carnatione domini noſtri Jeſu Chriſti teneo,
* 11 non ſolum * ſimplici ſermone aperire, quod in
tuæ confeſſionis approbatione jam feci, ſed etiam
documentis neceſſariis affirmare, atque adver-
C ſus impugnantes defendere ſtatui: ut eorum ca-
lumnias quanta valeo manifeſtatione veritatis
evitem, quorum fraudes mendaciaque detegere,
& errores propoſui refutare. Id autem facio,
ne animos quorumque ſimplicium, qui nos igno-
rant, noſtri nominis infamatione, a veritate
agnoſcenda, quam inſinuaturi ſumus, avertant.
Nam & hoc bene compertum eſt, quod non
ſolum Eutychiani de ſua vanitate convicti Ne-
ſtorianos, verum etiam ipſi Neſtoriani, quos
non minus redarguit fidei noſtræ defenſio, e
contra nos de Eutychiana hæreſi criminantur.
Et licet iſta nec expaveſcamus; nec quaſi nova
miremur: quoniam ſic aliquando etiam patres no-
ſtros Ariani velut Sabellianos, Sabelliani vero ve-
lut Arianos mendaciter infamabant: oportet nos
Rom. 12. 17. tamen, ſicut monet Apoſtolus, providere bona,
D non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus
hominibus, & criminationes detrahentium, præ-
ſertim in cauſa fidei, prævenire. Et hæc qui-
dem dicta ſint ad ſatisfactionem eorum, qui cum
eam neceſſitatem ignorent, etiam ea quæ dicuntur
minus vigilanter attendunt. Intelligentiores au-
tem profecto cognoſcent, quid & defenſioni præ-
ſentis cauſæ proficiat defenſio fidei, quæ mihi
cum tua pietate communis eſt. Si enim proba-
vero eam recte ac prudenter Neſtorianis Euty-
chianiſque reſiſtere, quam ſupra jam docuimus
magnæ Synodi Calchedonenſis definitionibus con-
venire; nimis abſurdum videbitur, ut Neſtoriana
credatur epiſtola, quam illa Synodus approbavit,
quæ ipſis ſuis definitionibus Neſtorianorum falla-

A ciæ tam ſolerter occurrit. Deinde cum propter
hæc eam, vel in ſententia ſuper epiſtola Ibæ
prolata, vel in ceteris hinc atque inde Neſto-
riani & Eutychiani calumnientur, omnis eorum
vana fiet intentio, & fruſtra ſe laborare cogno-
ſcent, ſi cum fidem noſtram aſſerimus, illi de-
creta ipſius Synodi viderint confirmari, pro qui-
bus infirmandis fallaci & longo circuitu aucto-
ritatem ejus in aliis auferre conantur. Quoniam
igitur cum defenſori, tum etiam cauſæ defen-
ſioni, propoſitus ordo conducit, tria quæ ſupe-
rius commemorata ſunt breviter in hoc volu-
mine defendemus. Quid enim nos contra calum-
niantes Eutychianos manifeſtius probat a falla-
cia Neſtorianorum penitus alienos, quam ſi duo
hæc aſſeramus, id eſt, unum de Trinitate pro
B nobis crucifixum, & beatam Mariam recte vo-
cari & vere & proprie matrem Dei? Vel quid
nos item contra calumniantes Neſtorianos, ab
Eutychianorum diſcordia longius abeſſe demon-
ſtret, quam ut illud quoque tertium adſtrua-
mus, quia idem dominus noſter Jeſus Chriſtus in
duabus naturis, hoc eſt, in divinitate atque hu-
manitate perfectus eſt.

SAne tacendum non arbitror, quod ſint [a] etiam CAP. III.
catholici, qui ſicut credimus neſcientes hoc a
* ante memorata Synodo confirmatum, ſuper- * 12
flue contra de verbo contendant: quia videtur
eis quod dici non debeat unum de Trinitate pro
nobis crucifixum, ſed potius unam de Trinitate
perſonam. Hos ergo tanquam propinquos prius
C nobis ſociare debemus, ut ipſi quoque nobiſcum
hanc confeſſionem teneant, in qua non poteſt,
ſicut pleriſque * videtur, Neſtorianorum dolus * 13
abſcondi: ne cum inaniter de verbo contendunt,
rei controverſiam minus examinate definiant.
Nam cum dominum noſtrum Jeſum Chriſtum
ſic perhibeant unam eſſe de Trinitate perſonam,
ut & Dei ſubſiſtentiam unam eſſe non dene-
gent, quæ naturarum adunatione, id eſt divini-
tatis & humanitatis, exiſtat; eundem eſſe dicentes
Deum, quem hominem, nec aliter Deum, aliter
hominem, ſed & hoc & illud ſimiliter, id eſt na-
turaliter, de verbo contendere mihi videntur.
Siquidem hoc etiam ſuo ſermone demonſtrant.
Si enim dicamus, inquit, unum de Trinitate
pro nobis crucifixum, ſi quis interroget, quid
D unum dicamus, non poſſumus reſpondere Deum,
aut filium; quia non tres ſunt in Trinitate Dii,
vel filii, ex quibus unus crucifixus dicatur: &
ideo recte dicimus unam de Trinitate crucifixam
eſſe perſonam, quoniam tres ſunt in Trinitate
perſonæ, ex quibus una crucifixa dicatur. At
hæc non generalis eſt loquendi regula, ſed quæ-
dam privata lex, quam ſibi ſua contentione fe-
cerunt. Nam in tantum neceſſe non eſt tres in-
telligi Deos, aut filios, ſi unus de Trinitate cru-
cifixus dicatur; ut ita in Geneſi ſcriberetur;
Ecce factus eſt Adam unus ex nobis. Quod uti- *Gen.* 3. 22.
que non ex ſolius perſona patris, neque ex ſolius
filii, vel Spiritus ſancti, dictum accipitur; ſed to-
ta ipſa Trinitas, id eſt pater, & filius, & Spiri-

a *Etiam Catholici*) Unum de Trinitate crucifixum qui-
bus dici non placebat, id maxime ſpectabant, ne divini-
tatem paſſam cum Eutychianis dicere viderentur. Alii
contra, ut Joannes Maxentius, eos qui unam de Trini-
tate perſonam dicerent, in ſuſpicionem vocabant, quaſi
quartam cum Neſtorio perſonam inducerent. Ceterum
pie recteque utrumque, atque uno & eodem ſenſu dici,
docet cum Facundo ejuſdem ævi gentiſque auctor Fer-
randus diaconus Carthaginenſis in epiſtola ad Anato-
lium diaconum Romanum: & ante utrumque Joannes
II. Papa in epiſtola ad Avienum, Senatorem, Liberium,
& alios.

* (8) *eſt*.
* (9) *poſſimus*.
* (10) *anathema*.
* (11) *ſimpliciter*.
* (12) *a* loco *ante*.
* (13) deeſt τὸ *videtur*.

tus

tus ſanctus, illic inducitur loqui; ideo pluraliter *ex nobis* dictum eſt. Cur igitur non ibi ſcriptura dicit, Ecce factus eſt Adam una perſona ex noſtris perſonis, ſed potius, *Ecce factus eſt Adam unus ex nobis*? Nunquid unus Deus ex nobis, quaſi ex tribus? " aut unus pater ex nobis, quaſi ex tribus patribus? aut unus filius, vel ſpiritus ſanctus ex nobis, quaſi ex tribus filiis, vel ſpiritibus ſanctis? Quis hoc vel inſanus * dixit? Nullus autem de Trinitate melius loqui poteſt, quam ipſa de ſe locuta eſt Trinitas. Non ergo ſequitur, ut cum dicitur unus de Trinitate dominus Jeſus Chriſtus, unus Deus, aut unus filius ſubaudiatur ex tribus Diis, aut filiis. Tres tamen ſunt, pater, & filius, & Spiritus ſanctus, ex quibus unus recte dicitur dominus Jeſus Chriſtus: Nam & Joannes Apoſtolus in epiſtola ſua de patre & filio & Spiritu ſancto ſic dicit: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt*: in ſpiritu ſignificans patrem, ſicut Dominus mulieri Samaritanæ ſecundum ipſius Joannis Evangelium loquitur, dicens; *Crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus; quia ſalus ex Judæis eſt. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate. nam & pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*. In aqua vero Spiritum ſanctum ſignificans, ſicut in eodem ſuo Evangelio exponit verba Domini dicentis: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Ubi ſubſecutus adjecit: *Hoc autem dicebat de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat ſpiritus datus, quia Jeſus nondum fuerat glorificatus*. In ſanguine vero filium ſignificans, quoniam ipſe ex ſancta Trinitate communicavit carni & ſanguini. Non ergo ait Joannes Apoſtolus, loquens de Patre & Filio & Spiritu ſancto, tres ſunt perſonæ, quæ teſtificantur in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, * & hi tres unum ſunt. Quid ergo pro Joanne reſpondent Apoſtolo? Qui ſunt hi tres, qui in terra teſtificari, & qui unum eſſe dicuntur? num dii? num patres? num filii, aut ſpiritus ſancti? Non utique. ſed hi tres, Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt, tamen etſi non invenitur unum nomen, quod de omnibus communiter maſculino genere prædicetur, ſicut communiter de illis perſonæ prædicantur genere feminino. Aut ſi forſitan ipſi, qui de verbo contendunt, in eo quod dixit: *Tres ſunt qui teſtificantur in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt*, Trinitatem, quæ unus Deus eſt, nolunt intelligi, ſecundum ipſa verba quæ poſuit pro Apoſtolo Joanne reſpondeant. Nunquid hi tres, qui in terra teſtificari, & qui unum eſſe dicuntur, poſſunt ſpiritus, aut aquæ, aut ſanguines dici? Quod tamen Joannis Apoſtoli teſtimonium B. Cyprianus Carthaginenſis antiſtes & martyr in Epiſtola, ſive libro, quem * de Trinitate

Margin: " *f.* ex tribus Diis. — * 14 — 1. *Joan.* 5. 7. — *Joan.* 4. 21. — *Joan.* 7. 37. — * 15 — *ermo* 2. — * 16

A ſcripſit, de Patre & Filio & Spiritu ſancto dictum intelligit. Ait enim: Dicit Dominus, *Ego & pater unum ſumus*, & iterum de Patre & Filio & Spiritu ſancto ſcriptum eſt, *& hi tres unum ſunt*. Proinde conſiderare debent, qui verborum captionibus ſupervacue ſtudent, quia non ſimul & conjuncte dicimus unum filium ex Trinitate crucifixum, ut tres aut duos filios inducere videamur: ſed prius dicentes, quod magna Synodus confirmavit, unum ex Trinitate incarnatum, vel paſſum, vel crucifixum, cum interrogati fuerimus, quem unum de Trinitate dicamus, recte poſtea reſpondemus, filium. Non autem
B recte ſimul * diceretur unus filius ex Trinitate incarnatus, aut paſſus, aut crucifixus. Sed non eſt conſequens, ut quæ ſimul non recte dicuntur, etiam ſigillatim non recte dicantur. Ac ne hoc diſſimulent intelligere, aut fortaſſe non poſſint, verborum ſuorum vel convincantur vel admoneantur exemplo. Nam & ipſi, cum recte dicant unam ex Trinitate perſonam crucifixam, ſecundum quod ille etiam vir beatus, & doctrinæ admirabilis, Auguſtinus in opere, quod ſcripſit de prædeſtinatione, & perſeverantia ſanctorum, * docet: "Fidelis, qui in eo veram naturam credit & confitetur humanam, id eſt noſtram, quam-
C vis ſingulariter ſuſcipiente Deo verbo, in unicum Dei filium ſublimatam: ita ut qui ſuſcepit, & quod ſuſcepit, una eſſet in Trinitate perſona." Cum igitur & ipſi, quemadmodum * docuimus, juxta doctrinam patrum recte dicant, unam ex Trinitate perſonam crucifixam: & item interrogati cujus eandem dicant eſſe perſonam, recte reſpondeant, filii: non tamen quod ſingillatim recte dicunt, etiam ſimul & conjuncte recte dicere poterunt, id eſt, unam perſonam filii ex Trinitate crucifixam, quaſi duæ perſonæ ſint filii. Sicut ergo, quamvis non recte ſimul dicatur, una perſona filii ex Trinitate crucifixa, * & recte item de ipſa perſo-
D na ſingillatim dicitur quod filii ſit: ita quamvis non recte ſimul dicatur, unus filius ex Trinitate crucifixus: recte tamen ſingillatim dicitur, unus ex Trinitate crucifixus: & item de ipſo uno quod filius ſit. Quocirca, recte dicitur unus ex Trinitate crucifixus, & una ex Trinitate perſona. Sed unam dicere perſonam Neſtorianorum nova ſubterfugia minus excludit: qui convicti innumeris teſtimoniis patrum, quod Deus verbum & aſſumptus homo una perſona ſit, pro auctoritatis dignitate ab eis hoc vel exiſtimant dictum, vel exiſtimare ſe fingunt. ut ſic homo Jeſus Chriſtus dicatur verbi geſſiſſe perſonam, ſicut etiam geſſit Apoſtolus, qui ſcribens ad
E Corinthios dicit: *Nam & ego * quod donavi, propter vos in perſona Chriſti, ut non circumveniamur a ſatana*: non ut unus idemque eſſet Deus & homo. Cum vero & unus ex Trinitate, & una ex Trinitate perſona pro nobis crucifixa recte dicatur, hanc utilitatem, * qua fraus Neſtorianorum a ſancta & magna Synodo ſufficienter excluſa eſt, intelligere & approbare jam debent, qui dici nolebant unum de Trinitate pro nobis incarnatum, vel paſſum, vel crucifixum. Qui etiam ſi nulla invitaret utilitas, neque hoc eſſet tantæ Synodi auctoritate firmatum, modeſtius facerent

Margin: *Joan.* 10. 30. — 1 *Joan.* 5. 7. — * 17 — *De bono perſev. cap.* 24. — * 18 — * 19 — * 20 — * 21 — 2. *Cor.* 2. 10. — * 22

* (14) *dixerit.*
* (15) *& hæ tres unum ſunt; ſed hoc potius, tres ſunt* (qui) *teſtificantur in terra, ſpiritus aqua & & ſanguis, & hi tres unum ſunt. Quid ergo &c.*
* (16) *de Unitate*. Sane in libro *de Unitate Eccleſiæ* Verba leguntur, quæ refert Facundus.

* (17) *dicitur.*
* (18) *dicit.*
* (19) *diximus.*
* (20) *recte tamen ſingillatim dicitur, una perſona ex Trinitate crucifixa. & recte item &c.*
* (21) *quod donavi, ſi quid donavi, propter vos &c.*
* (22) *quia.*

Gregor. Nazianzenus Orat. 39. adquieſcere ſapienti Gregorio, qui de vocabulorum diverſitate diffidendum non eſſe decrevit. In eo enim ſermone, cujus eſt titulus. De luminibus, ita locutus eſt: Deum cum nomino, „uno lumine illuſtramini, ſimul & tribus. Tri„bus quidem, ſecundum uniuſcujuſque proprie„tates, ſive perſonas. Nihil enim pro vocabulo„rum diverſitate diffidendum eſt, cum ad eun„dem ſenſum omnium diverſitas provocet intel„lectum. Dum igitur & magna nos ad hanc confeſſionem invitet utilitas, & non inaudita & nova ſit iſta vox, de qua nobis deliberare ſit liberum an admitti debeat, quam divinarum ſcripturarum teſtimoniis convenire etiam a tantis patribus confirmatum eſſe docuimus, nihilque de verbo ſit diffidendum; placere omnibus debet, ut unus ex Trinitate, vel de Trinitate, crucifixus pro una perſona dicatur. Quamquam ſiquis rem diligenter attendat, & altius cauſam repetat, inveniet quod non ſic dicimus, unus pro una perſona, ſed potius una perſona pro uno ex Trinitate dicatur.

* 23 Nam * ſic Eccleſia Chriſti, etiam cum necdum ad diſtinctionem patris & filii & ſpiritus ſancti
* 24 uteretur nomine * perſonæ, tres credidit & prædicavit, patrem & filium & ſpiritum ſan-
* 25 ctum; ſicut teſtimonio * Joannis ſupra docui-
1 Joan. 5. 7. mus, quo dictum eſt: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt*. Perſonarum autem nomen, non niſi cum Sabellius impugnaret Eccleſiam, neceſſario in uſum prædicationis aſſumptum eſt; ut qui ſemper tres crediti ſunt & vocati, pater & filius & ſpiritus ſanctus, uno quoque ſimul & communi perſonarum nomine vocarentur. Deinde etiam ſubſiſtentiæ dictæ ſunt, quoniam Eccleſiæ placuit, ad ſignificandam Trinitatem, & hoc nomen diſtinctioni perſonali tribuere. Quæſtio itaque aliquando de novo nomine perſonæ & ſubſiſtentiæ fuit, utrum ad ſignificandam Trinitatem, quæ Deus eſt, deberet admitti, ſicut & ipſius Trinitatis nomen admiſſum eſt: non de eo quod ſemper tenuit & prædicavit Eccleſia, quia tres ſunt qui teſtificantur in terra, & hi tres unum
* 26 ſunt. Unde etiam memoratus * vir Augufti-
Cap. 3. nus in quinto decimo de Trinitate libro: Cla„rum, inquit, eſt in ſubſtantia veritatis, non „ſolum patrem filio non eſſe majorem, ſed nec „ambos ſimul aliquid majus eſſe, quam ſolum „ſpiritum ſanctum; aut quoslibet duos in ea„dem Trinitate majus aliquid eſſe, quam unum; „aut omnes ſimul tres, majus aliquid eſſe, quam „ſingulos. Nec ait vir cautiſſimus & ſapientiſſimus, ambas perſonas ſimul aliquid eſſe majus in ſubſtantia veritatis, quam ſolum ſpiritum ſanctum, quod quidem recte ſi vellet diceret: ſed potius ambos. neque ait quaslibet duas perſonas in eadem Trinitate majus eſſe aliquid quam unam: ſed quoslibet duos in eadem Tri-

A nitate majus eſſe aliquid quam unum. neque dixit omnes ſimul tres perſonas majus aliquid eſſe, quam ſingulas: ſed omnes ſimul tres majus aliquid eſſe, quam ſingulos. Quod ſi hujuſmodi locutiones ex dictis probatiſſimorum patrum velim colligere, ante me tempus, quam exempla, deficiet. Nihil eſt igitur quod de verbo reprehendamur, dicentes unum de Trinitate incarnatum, ſive paſſum, ſive crucifixum. Quod etiam ſancta Calchedonenſis Synodus divinarum ſcripturarum auctoritate, & antiquiſſimorum patrum teſtimoniis informata, videns a magno Proclo ad Armenos utiliter ſcriptum, & a ſapientiſſimo Joanne Antiocheno & ceteris Orientalibus Epiſcopis in Concilio approbatum, B convenienter ipſa quoque firmavit. Et ideo hanc religioſam & neceſſariam vocem ſuſcipientes, qui de verbo ſuperflue contendebant, ita jam nobiſcum Neſtorianos urgere debent ac premere, ut non tantum unam ex Trinitate perſonam dicant; quod illi male, ſicut jam diximus, interpretantur: ſed etiam unum ex Trinitate paſſum, quod nulla fraude poſſint eludere. Quibus Neſtorianis hoc modo gravius inſiſtimus, ſi eis dicamus, certum eſt accipere vos nobiſcum, quia Trinitatem, quæ unus Deus eſt, ſignificavit Apoſtolus dicens:
O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, Rom. 11. 33.
quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prius dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, C *& per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula*. Ex ipſo dicens, ex patre: per ipſum
vero, per filium. ſicut alibi dicit: *Nobis tamen* 1. Cor. 8. 6.
*unus Deus pater, ex quo omnia, & nos * in illo:* * 27
& unus dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. In ipſo vero, in ſpiritu ſancto.
de quo Salomon ait: *Quoniam ſpiritus Dei reple-* Sap. 1. 7.
vit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis. nec aliud eſt in ipſo eſſe omnia, niſi ab ipſo omnia contineri. Quæ cum ita ſint, quomodo non unus ex hac Trinitate eſt dominus Jeſus Chriſtus, cum, ſicut oſtendimus,
idem dicat Apoſtolus: unus dominus Jeſus Chri- 1. Cor. 8. 6.
ſtus, per quem omnia, & nos per ipſum? Item cum ipſe dominus Jeſus Chriſtus, hanc Trinitatem nobis inſinuans, D in Evangelio diſcipulis ſuis
dixerit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes* Matth. 28. 19
eos in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti: quomodo Petrus Apoſtolus Judæos exhortans dice-
ret: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſ-* Act. 2. 38.
que veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum ſpiritus
ſancti? aut quod * ſimul in eiſdem Actis Apoſto- * 28
lorum legitur, quidam diſcipuli, quos ejus coa- Act. 19.
poſtolus Paulus Epheſi reperit baptiſmo tantum Joannis imbutos, ab eo admoniti baptizarentur in nomine domini Jeſu, ſi non unus eſſet ex Trinitate, in qua tantum baptizari præceptum eſt, dominus Jeſus Chriſtus? Quod autem [a] in nomine

---

a *In nomine domini Jeſu*) Alia fuit ſententia S. Ambroſii, qui in libro de Spiritu ſancto cap. 111. Apoſtolos cenſuit in nomine domini Jeſu tantummodo baptizaſſe: plenum tamen fuiſſe myſterium, quia qui unum dixerit, Trinitatem ſignavit. Quod ipſum in libro de Trinitate Latine tantum edito ſcripſerat S. Athanaſius. *Numquid prævaricatores*, inquit, *mandati Salvatoris Apoſtoli effecti, & contra traditionem ejus baptizarunt tantam multitudinem? Non enim ſcriptum eſt baptizaſſe eos in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti, ſed tantum in nomine domini Jeſu. Numquid ergo prævaricati ſunt? Abſit. Nam licet filii nomen tantummodo dicatur, habet tamen & patrem & ſpiritum ſecum pronuntiatum*. In eadem quoque ſententia eſt Ferrandus idem diaconus in epiſtola ad Anatolium.

* (23) *ſemper*.
* (24) *perſonarum*.
* (25) *Joannis Apoſtoli*.
* (26) *vir doctiſſimus*.
* (27) *in illum*.
* (28) *ſimiliter*.

domini Jeſu hi quos memoravimus baptizati narrantur, non eo credendum arbitror, quia non in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti baptizati ſunt, ut etiam in ipſis ſervaretur verbis a Domino conſtituta forma baptiſmi. Sed quia hoc erat inſinuandum quod baptiſmo novo fuerint baptizati; ſufficere judicatum eſt ad diſcretionem ipſius novi baptiſmi ſolum nomen domini Jeſu memorare, quod neque in baptiſmo Joannis, neque in aliis baptiſmis Judaici ritus interſerebatur. Ceterum illis ſacratis verbis, id eſt, in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti, baptizati mihi videntur. Nec mendaciter dictum, quod abſit, exiſtimo: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti*, aut quia baptizati ſunt quidam in nomine domini Jeſu.
* 29 quoniam certiſſime in nomine * Jeſu baptizabant Apoſtoli, & ſi non in ſolius domini Jeſu, id eſt filii, nomine baptizabant, verum etiam in patris & ſpiritus ſancti. Ac per hoc arbitror, quod cum baptiſma celebraretur, in ipſis quoque ſacratis verbis ſervabatur illa forma baptiſmi: in narratione vero ſufficiebat, ad diſcretionem aliorum baptiſmatum, ſolius domini Jeſu facere mentionem. Propterea vero credo, quod de omnium trium perſonarum commemoratione, domini Jeſu nomen ad inſinuandum novum baptiſmum magis aſſumptum eſt, quoniam ipſi conſepelimur per baptiſmum in mortem. Verumtamen non diceretur, niſi, ut jam aſſeruimus, unus eſſet ex Trinitate dominus Jeſus Chriſtus. His igitur atque aliis quamplurimis informatus, prius quam hoc a magna ſynodo Calchedonenſi approbatum eſſe cognoſcerem, unum de Trinitate credidi dominum Jeſum Chriſtum, qui Deus ex Deo natus ante ſæcula, idem in plenitudine temporum homo ſit natus ex virgine; & qui patris exiſtens unigenitus, factus ſit unigenitus matris; ut geminæ gigas ſubſtantiæ, ſicut intellexit & cantavit Ambroſius, utriuſque veræ nativitatis proprietate credatur; ſitque conſubſtantialis patri ſecundum divinitatem, & conſubſtantialis matri ſecundum humanitatem. & ſicut ideo conſubſtantialis patri creditur, quia proprius ejus & verus eſt filius: ſic etiam matri propterea conſubſtantialis credatur, quia proprius etiam ejus & verus eſt filius:

CAP. IV. VEri autem & proprii filii quis niſi abſurdiſſimus neget vere & proprie eſſe matrem? quod æque monſtravimus magnæ ſynodi Calchedonenſis ſententiæ convenire, & nos ſecundo partitionis loco promiſimus aſſerturos. Inſinuandum vero eſt, quod hanc quoque confeſſionem, qua beatam Mariam vere & proprie dicimus
a matrem Dei, ª quidam etiam communicantes Eccleſiæ putent non debere ſuſcipi, cum Neſtorium fateantur, propter quod eam matrem Dei negabat, debuiſſe damnari. Quibus, antequam
30 Neſtorianis reſpondeamus, * reſpondendum puto, ſicut & in ſuperiore quæſtione jam factum eſt: quod omnino ſtultum ac turpe ſit, & condemnationem probare Neſtorii, & beatam Ma-

A riam negare, quod vere & proprie ſit mater Dei. Nam ſi qua hinc eſſe potuit quæſtio, cum ipſo Neſtorio ſimul excluſa eſt, qui eam matrem Dei eſſe negabat. Hoc enim & ad credendum difficile, & dignum controverſia videbatur, utrum Deum illa virgo genuerit: ceterum quod vere & proprie genuerit, quicquid eſt ille quem genuit, * nulli dignum diſceptationis apparet. * 31
Qui ergo concedunt, quia Deum virgo genuit, quod incapabile eſt, & unius ſingulariter matris: cur eam negant vere & proprie genuiſſe, quod commune omnibus matribus, & nullius dignum eſt quæſtionis? Et audent inſuper hoc, quod dicimus B. Mariam vere &
B proprie matrem Dei, Eutychiano dogmati deputare: non intelligentes neque quæ loquuntur, ſicut dicit Apoſtolus, neque de quibus aſſirmant, cum ſancta Calchedonenſis Synodus, a qua ipſe damnatus eſt Eutyches, ſicut memoravimus, dicat: (1. Tim. 1. 7. In allocut. ad Martian.) Quomodo Dei genitrix ſit virgo " vocitata propter eum qui virginitatem ejus di- " gnatus eſt etiam ſacrare poſt partum, vulvam- " que, ut decebat Deum, integritate ſignare: " quomodo ſecundum veritatem mater dicta ſit " propter carnem, quam ex ſe omnium domino " miniſtravit. Cum igitur, ut iſti patres docue-
C runt, propterea ſecundum veritatem * mater dicta ſit, quia carnem ex ſe omnium domino miniſtravit, quod Eutyches negat: quomodo putatur Eutychiano dogmati deputandum, cui magis invenitur eſſe contrarium? * 32
Non enim poteſt beatam virginem vere & proprie dicere matrem Dei, ſed nuncupative potius ac perfunctorie, quam non credit carnem ex ſe omnium domino miniſtraſſe. Non ergo Neſtorianam tantum, verum etiam Eutychianam hæreſim deſtruit iſta confeſſio, qua dicitur B. Maria vere & proprie mater Dei. Quod ſi nos rectæ fidei eſſe non credunt, & aliquid ſuſpicantur in his
D verbis occulere, inquirant a nobis id ipſum quemadmodum volunt, & interrogationibus ſuis quid ſentiamus eliciant. Si autem de rectitudine quidem fidei noſtræ non dubitant: ſed putantes ipſam fidem rectam non rectis verbis pronunciari, dicunt quod ſenſu quidem ſumus perfecti, non autem ſumus perfecti ſententia, cum Apoſtolus in utroque nos hortetur * perfectos * 33
dicens: *Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*: (1. Cor. 1. 10) ipſi doceant quatenus illa virgo, quod non abnuunt, mater Dei dicatur, utrum vere & proprie, an nuncupative & perfunctorie. Quod ſi dicunt non eſſe conſequens,
E ut ſi vere & proprie non ſit, nuncupative & perfunctorie ſit mater Dei: ipſi dicant modum quo contra nos prædicanda ſit mater Dei. Omnis enim qui alterius prædicationi repugnat, dicere debet aliquid, quod aut contrarium ei ſit, aut diverſum. * Sicut Arianis dicentibus, quod minor * 34
patre ſit filius, contra nos dicimus quod æqualis ei ſit. ſicut Manichæis dicentibus quod phantaſtica, id eſt, falſa caro fuerit ejuſdem filii Dei, contra nos dicimus quod in vera carne homo fuerit factus. Atque ita & illi viciſſim, impugnantes quod verum eſt, atque catholicum, affirmant aliquid ſuum. Nec quiſquam aliter doctrinæ

---

a *Quidam comunicantes Eccleſiæ*) Tametſi de Maria Virgine, quin vere ac proprie dicenda ſit Deipara Θεοτόκος, ambigere inter catholicos integrum non erat poſt Synodum Epheſinam, quæ liquido id ſanxit contra Neſtorium: non defuiſſe tamen, qui de ea voce his temporibus immerito contenderent, præter Facundum, oſtendit ex Juſtiniani literis Joannes Papa in eadem epiſtola ad Senatores.

* (29) *domini Jeſu*.
* (30) *demonſtrandum*.
* (31) *nullius*.
* (32) *mater Dei*.
* (33) *perfectos eſſe*.
* (34) *ſic*.

reſiſtit alterius, niſi contra aliquid dicat: cum
vero aliquid contradixerit, tum demum ſi ac-
ceptabilis ſit illa contradictio diſquiritur. Ho
rum vero, qui nos prohibent dicere vere & pro-
prie matrem Dei Mariam, nec dicunt ſecun-
dum quem modum dicenda ſit mater Dei, non
eſt quærendum ſi acceptabilis ſit contradictio.
Nam qui contra nihil dicunt, quomodo vel di-
cere videantur? Et ideo non tam laborioſum
ſtudio noſtro eſt eorum abſurditati reſiſtere,
quam exiſtimationi periculoſum, ne videamur ſu-
perflue non contradicentibus reſpondere. Quam-
vis autem negantes hoc noſtrum quod dicimus,
vere & proprie eſſe matrem Dei Mariam, ni-
hil hactenus affirmaverint ſuum: interrogandi
ſunt tamen, utrum quod neceſſario ſequitur,
vel negare audeant quod nos prohibent confi-
teri, ut addita negatione dicant eam non ve-
re & proprie matrem Dei. Et jam non dicam
aures catholicorum, ſed frons illorum ferat,
ſi poteſt, hanc profanam & deteſtabilem vo-
cem. Si autem non audent dicere, non vere
& proprie mater eſt Dei, cur nos prohibent
confiteri, quod negare non audent? Cognoſcant
igitur cum ſancta ſynodo, cujus ſe profitentur
decreta ſuſcipere; quod propterea beata illa vir-
go ſecundum veritatem mater dicta ſit Dei,
quoniam carnem ex ſe omnium Domino mini-
ſtravit, & non ſe dicant Eutychianis repugna-
re, negantes vere & proprie matrem Dei Ma-
riam, cum potius eis neſcii favere monſtrentur;
reſiſtendo ſententiæ ſynodi Calchedonenſis, in
qua damnati ſunt, & negando quod eorum eſt
vanitati contrarium. Illud etiam caveant Neſto-
rianorum experti perfidiam, quibus pro hac quo-
que confeſſione jam reſpondere debemus, ne
quaſi pro naturarum diſcretione dicentes quod
non homo Chriſtus Jeſus, ſed Deus verbum
proprius & verus ſit filius Dei; aut quod non
Deus verbum, ſed homo Chriſtus Jeſus proprius
& verus ſit filius hominis; videantur & ipſi non
eundem credere Deum verbum quem hominem,
ſed alteram perſonam Dei, alteram hominis ar-
bitrari. Porro ſi idem eſt Deus qui homo, &
idem homo qui Deus, tam recte dicitur Deus
verbum proprius & verus filius hominis, quam
recte dicitur idem ipſe mediator Dei & homi-
num homo Chriſtus Jeſus proprius & verus fi-
lius Dei: nec ulla confuſio naturarum ex hoc
inducitur, ſed perſonæ unitas intimatur. Ne-
que enim confuſionem naturarum Joannes indu-
1. *Joan.* 5.20. cebat Apoſtolus dicens: *Scimus quoniam filius*
* 35 *Dei venit, & dedit* * *intellectum, ut ſciamus*
* *f.* ſimus. *quod eſt verus &* " *ſumus in vero filio ejus Je-*
Rom. 8. 31. *ſu Chriſto*: vel Paulus cum diceret, *Si Deus pro*
nobis, quis contra nos? qui etiam filio proprio
non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit il-
lum. Si autem Joannes Chriſtum, id eſt un-
ctum, verum Dei filium dicit, quem & veniſ-
ſe teſtatur; venire autem & ungi, quantum ad
naturarum diſcretionem ſpectat, humanitati po-
tius, quam deitati conveniunt: & ſi Paulus
quem proprium Dei vocat filium, ipſi patrem
non pepercisse docet, ſed eum pro nobis omni-
bus tradidiſſe, & omnia ei donaſſe; quæ ſimili-
ter, cum de naturis agitur diſtinguendis, deita-
ti non poſſunt attribui: & neuter horum talia
prædicans creditur confudiſſe naturas, ſed uni-

A tatem magis expreſſiſſe perſonæ: reſpondeant
Neſtoriani, quomodo non eadem perſonalis uni-
tatis ratio, ſine ulla naturarum confuſione, de
nobis flagitat, ut vere & proprie dicamus filium
hominis Deum verbum, & beatam virginem ve-
re & proprie matrem Dei. Nam & ille cen-
turio, qui corpus domini gloriæ crucifixi ſerva-
bat, cum expirante * mundi creatore, mundi * 36
videret elementa turbari, filium Dei eum * ve- * 37
rum eſſe cognovit. ait enim: *Vere filius Dei* *Matth.* 27.55
erat iſte. Cujus verbi fidem beatus facit Hila-
rius, ita dicens: Qui cruci affixerant, vere Dei " *Lib.* 3. *de*
filium confitentur: prædicationi conſentit effe- " *Trinitate*.
ctus. Dominus dixerat: *Clarifica filium tuum*. " *Joan.* 17.1.
Non ſolum nomine conteſtatus eſt filium, ſed "
B & proprietate qua dicitur *tuum*. Multi enim "
nos filii Dei: ſed non talis hic filius eſt. Hic "
enim & proprius & verus eſt filius, origine non "
adoptione, veritate non nuncupatione, nativi- "
tate non creatione. Ergo poſt clarificationem e- "
jus veritatem confeſſio ſecuta eſt. Nam verum "
Dei filium centurio confitetur, ne quis cre- "
dentium ambigeret quod unus perſequentium "
non negaſſet. Si igitur, Hilario quoque, doctiſ- "
ſimo antiſtite & fortiſſimo confeſſore, ſecundum
doctrinam Apoſtolicam teſtante, proprius & ve-
rus eſt filius Dei qui crucifixus eſt, non eſt du-
bium quin etiam Deus vere & proprie pater ſit
crucifixi filii. Quæ cum ita ſint, quemadmo-
dum nihil ex hoc metuendum eſt, ne cum di-
C citur Deus vere & proprie pater filii crucifixi,
ſequi videatur quod illa humanitas a verbo
Dei ſuſcepta & crucifixa in deitatem converſa
ſit, & natura humana, quæ compoſita eſt, ſim-
plici naturæ patris conſubſtantialis effecta: ita
non ſequitur, cum dicimus vere & proprie ma-
trem Dei Mariam, ut deitas Verbi converſa vi-
deatur in carnem, & natura divina, quæ ſim-
plex eſt, compoſitæ naturæ matris conſubſtan-
tialis effecta. Alioquin ſi blaſphemum & ab-
ſurdum eſt quod B. Maria vere & proprie dici-
tur mater Dei, ſine ulla diſceptatione blaſphe-
mum & abſurdum eſt, * quod Deus verbum ve- * 38
D re & proprie dicitur filius hominis. Si autem
& hoc blaſphemum & abſurdum videtur, ut
Deus verbum vere & proprie dicatur filius ho-
minis; conſequenter blaſphemum videbitur &
abſurdum, ut idem ipſe mediator Dei & ho-
minum homo Chriſtus Jeſus vere & proprie di-
catur filius Dei. Porro ſcriptura divina, quæ
nihil blaſphemum loquitur vel abſurdum, pro
unitate perſonæ verum & proprium Dei filium
dicit mediatorem Dei & hominum, hominem
Jeſum Chriſtum: qui dedit ſemetipſum redem-
ptionem pro omnibus, in quo vero Dei filio
ſumus, & cui proprio filio pater non pepercit,
ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Recte
igitur etiam B. Maria, pro eadem unitate per-
E ſonæ, vere & proprie mater dicitur ipſius uni-
geniti Dei verbi. Ideoque ſapientiſſimus atque
clariſſimus eccleſiarum Chriſti magiſter Auguſti-
nus in opere memorato, quod conſcripſit de
prædeſtinatione & perſeverantia ſanctorum: Cla- " *Rom.* 1. 1.
mat, inquit, doctor gentium in capite epiſto- " *De præd.*
larum ſuarum, *Paulus ſervus Jeſu Chriſti voca-* " *ſanctor. c.*
tus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei, " 15.
quod ante promiſerat per prophetas ſuos in ſcriptu- "
ris ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Da- "

* (35) *nobis intellectum*.
* (36) *eodem mundi &c.*

* (37) *vere*.
* (38) *quod etiam reciproce Deus &c.*

„ *vid ſecundum carnem ; qui prædeſtinatus eſt fi-*
„ *lius Dei in virtute , ſecundum ſpiritum ſanctifi-*
„ *cationis ex reſurrectione mortuorum* . Prædeſtina-
„ tus eſt ergo Jeſus , ut qui futurus erat ſecun-
„ dum carnem filius David , eſſet tamen in vir-
„ tute filius Dei ſecundum ſpiritum ſanctificatio-
„ nis , quia natus eſt de ſpiritu ſancto ex virgine
„ Maria . Ipſa eſt illa ineffabiliter facta hominis
„ a Deo verbo ſuſceptio ſingularis , ut filius Dei
„ & filius hominis ſimul , & filius hominis pro-
„ pter ſuſceptum hominem , & filius Dei propter
„ ſuſcipientem unigenitum Deum veraciter & pro-
„ prie diceretur , ne non Trinitas ſed quater-
„ nitas crederetur . Igitur iſte vir doctus & ſu-
39 ſceptum * hominem veraciter & proprie docuit
dici filium Dei : & ſuſcipientem Deum propter
ſuſceptum hominem veraciter & proprie dici fi-
lium hominis . Si quo minus , neceſſe non erat
dicere quod adjecit , *veraciter & proprie* , niſi
ad hujus magni myſterii commendationem , per
quod & Deus filius hominis & homo filius Dei
factus eſt. Nam veraciter & proprie dici homi-
nem filium hominis , & Deum filium Dei quis
poſſit ambigere ! Idem itaque & Deus verbum ,
qui etiam eſt mediator Dei & hominum , homo
Chriſtus Jeſus , ſecundum hujus viri ſancti do-
ctrinam , tam veraciter & proprie dicitur filius
hominis , quam veraciter & proprie filius Dei .
Si autem veraciter & proprie dicitur filius homi-
nis Deus , neceſſe eſt ut reciproce dicatur & B.
Maria veraciter & proprie mater Dei. Cum ve-
„ ro hoc adjecit dicens , ne non Trinitas , ſed
„ quaternitas crederetur , coegit omnino ut B.
Mariam veraciter & proprie matrem Dei eſſe
dicamus , ne non Trinitatem , ſed quaterni-
tatem credere videamur . Et ideo religioſæ ac
neceſſariæ vocis hujus negatio non levis putetur,
quam tanta blaſphemia conſequitur . Sane mi-
randum non eſt , quod Auguſtinus veraciter &
proprie dici pronunciat filium hominis Deum ,
De tempore ſerm. 33. cum in quodam ſermone de Epiphania , cujus
principium eſt : Nuper celebravimus diem quo
ex Judæis Dominus natus eſt, hodie celebramus
„ quo a gentibus adoratus eſt, ita loquatur : Ma-
„ gos ſane ad ipſum proprie locum, ubi Deus ver-
* 40 „ bum infans erat, ſtella perduxit. * " Quod ergo
ſ qui ergo. verbum Deum dicit infantem, quomodo non ve-
raciter & proprie diceret prædicari filium homi-
nis Deum? Nam ſi infans ille veraciter & pro-
prie dicitur filius hominis , ipſe autem infans
eſt Deus verbum, veraciter & proprie dicitur fi-
Ibidem ſerm. 30. lius hominis Deus verbum. Rurſus in alio ejuſ-
dem diei ſermone, cujus eſt principium : Ad par-
tum virginis adorandum Magi ab oriente vene-
„ runt, ſic ait: Jam vero quod eadem ſtella quæ
„ magos perduxit ad locum, ubi erat cum matre
„ virgine Deus infans , &c. Is ergo negare poteſt
veraciter & proprie dici filium hominis Deum,
qui hujus ſapientiſſimi viri doctrinæ repugnans,
aut Deum negat infantem, aut vere & proprie
filium eſſe hominis negat infantem . Quia ergo
illud pietas, hoc autem humanitas negare non
patitur ; vere & proprie eſſe filium hominis Deum
ſine dubitatione credendum eſt. Hoc autem con-
ſtituto, non eſt dubium, quin etiam illa virgo vi-
* 41 ciſſim vere & proprie mater Dei eſſe dicatur .
a Item cum quidam [a] Leporius presbyter apud * Gal-
lias, depravatus a vera & antiqua Eccleſiæ fide,
eadem docere præſumeret, quæ poſtea Neſtorius
docuit, atque inde pro tali errore depulſus, in
Africam docendus veniret , illic inſtructus, ut
docet Apoſtolus, in ſpiritu manſuetudinis a ſpi- *Gal. 6. 1.*
ritalibus patribus Aurelio Carthaginenſi, & præ-
dicto Auguſtino, atque aliis Africanis Epiſcopis,
praviſſimam novitatem ſui dogmatis abdicavit .
Scripſit autem libellum ſatisfactionis idem Lepo-
rius ad Gallos Epiſcopos, quem memorati vene-
rabiles patres Aurelius atque Auguſtinus & ce-
teri ſic probaverunt, ut ad faciendam veritatis
fidem , etiam ſuas ei ſubſcriptiones adjicerent .
In quo libello poſt * multum ſic dicit : Naſci- * 42
tur ergo proprie de Spiritu ſancto & Maria * vir- " * 43
gine Deus homo Jeſus Chriſtus filius Dei, ac ſic "
in alterutrum unum ſit & verbum & caro, ut "
manente in ſua perfectione naturaliter utraque "
ſubſtantia, ſine ſui præjudicio & humanitati di- "
vina communicent, & divinitati humana parti- "
cipent . nec alter Deus, alter homo; ſed idem "
ipſe Deus qui & homo, & viciſſim homo qui & "
Deus Jeſus Chriſtus filius Dei nuncupetur & ve- "
re ſit . Cum itaque nefandus error , qui eva-
cuans totum ſalutis noſtræ myſterium cautus ſi-
bi videtur ac diligens , in eccleſia Latinorum
prius apparens, non ſicut apud Græcos conten-
tionibus augeretur, ſed * ſatagendo magna & ſol- * 44
licita patrum pietate, mox ut deprehenſus eſt,
etiam a ſuo condemnaretur auctore: non aliter
viſus eſt eiſdem ſanctis patribus abolendus , niſi
ut de virgine Maria proprie Deum eſſe natum
ſcripto confiteretur ipſius auctor erroris. Ait e-
nim , ſicut memoravimus : *Naſcitur ergo proprie
de ſpiritu ſancto & Maria ſemper virgine Deus* :
Atque ita Deus ab eo dicitur proprie natus ex
virgine , ut etiam homo Jeſus Chriſtus viciſſim
Dei filius nuncupari & vere eſſe dicatur . Un-
de & illud adjecit : *Ac ſic in alterutrum unum
ſit & Verbum & caro* . Nec per hoc diſcretio-
ni utriuſque naturæ præjudicium intulit ; qui
confeſſus eſt quod manente in ſua perfectione
naturaliter utraque ſubſtantia, ſine ſui præjudi-
cio & humanitati divina communicent , & di-
vinitati humana participent. non alterum dicens
Deum , alterum hominem : ſed eundem ipſum
Deum, quem & hominem, & viciſſim hominem,
quem Deum , Jeſum Chriſtum Dei filium nun-
cupari & vere eſſe confeſſus eſt. Si autem Deus
vere eſt homo, nec aliunde vere homo niſi na-
ſcendo de virgine , cur non dicatur Deus vere
natus ex virgine ? Et ſi Deus proprie factus eſt
homo , nec aliunde proprie factus eſt homo
niſi naſcendo de virgine , cur non dicatur
etiam proprie natus ex virgine ? Abſurdum ni-
mis eſt , ut Deus , qui naſcendo de virgine ve-
re & proprie factus eſt homo, non vere & pro-
prie de illa natus eſſe dicatur : ut vera ſit res
quam effecit illa nativitas , & ipſa rei ejus ef-
fectrix non ſit vera nativitas. Verum nec illud
minus abſurdum eſt, ut qui non offenditur pro- *Pſal. 86. 5.*
pheta dicente : *Mater Sion dicit , homo, & ho-
mo factus eſt in ea, & ipſe fundavit eam altiſ-
ſimus* , & manſuete & fideliter accipit , quod ip-
ſe altiſſimus , qui Sion fundavit , homo factus
eſt in ea: & qui non offenditur Evangeliſta di- *Joan. 1. 14.*
cente, *Verbum caro factum eſt*: ſi audiat ea quæ

a *Leporius Presbyter*) Leporii libellum ſatisfactionis, cujus partem ex Caſſiano dedimus Tomo I. Conciliorum Galliæ, integrum poſtea nacti ſumus cum Aurelii, Auguſtini, aliorumque ſubſcriptionibus, quarum hic mentio. Hunc ergo publici juris propediem futurum ſperamus.

* (39) *hominem propter ſuſcipientem Unigenitum Deum veraciter &c.*
* (40) *Qui.*
* (41) *Galliam.*
* (42) *multa.*
* (43) *ſemper Virgine.*
* (44) *ſatagente.*

ſunt hominis altiſſimo tribui qui factus eſt homo & ea quæ ſunt carnis Verbo tribui quod factum eſt caro, ſcandalum patiatur, tamquam non horum cauſam ante crediderit, quando altiſſimum factum hominem & verbum carnem credidit factum. Plus eſt autem dicere altiſſimum hominem factum, quam tribuere, quæ ſunt hominis altiſſimo: & plus eſt dicere, verbum caro factum eſt, quam tribuere quæ carnis ſunt Deo verbo. Cum itaque ſpiritus Dei, ad commedandam nobis in hoc myſterio adunationem divinæ humanæque naturæ, hoc quod eſt amplius dicere congruentius & utilius judicavit, quia altiſſimus homo factus eſt, &, verbum caro factum eſt: cur quiſquam metuat hac auctoritate fundatus, ſine præjudicio utriuſque naturæ. ea quæ ſunt humanitatis altiſſimo, & quæ ſunt carnis verbo tribuere; propter ſacramentum ac diſpenſationem incarnationis ſuæ? De quo verbo Deo loquens idem Joannes in epiſtola ſua;
* 45 * ei quæ carnis ſunt deputare non dubitat, ut
* 46 pote quem * carne factum in ſuo Evangelio prædicavit. Nam ſicut ibi ſermonem inde exorſus
Joan. 1. 1. eſt dicens: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*: & infra: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*: ita & in epiſtola ſua inde ſimiliter cœ-
1. Joan. 1. pit: *Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod inſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita palam facta eſt, & vidimus & teſtamur, & nuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & palam facta eſt nobis*. Annuncians itaque nobis de verbo vitæ, quod erat ab initio, nec in his quæ memoravimus ſuſceptæ ab eo carnis nomen interſerens, de ipſo verbo dicit, quod oculis ſuis illum inſpexerit, & manibus contrectaverit, non dubitans quæ ſunt carnis incarnato verbo tribuere. Quid ergo Neſtoriani, quaſi cautiores & diligentiores ipſo Joanne Apoſtolo, immo ipſo Deo verbo, qui ſic de ſe in Joanne loquebatur Apoſtolo, refugiunt quæ ſunt humanitatis Deo tribuere, & B. Mariam dicere vere & proprie matrem Dei, quam non refugiunt dicere vere & proprie hominis matrem, niſi quia non eundem credentes eſſe Deum, quem hominem, duos nobis filios, licet non verbis,
* 47 rebus * tamen volunt inducere? Nos autem ſcien-
Rom. 9. 3. tes Apoſtolum dixiſſe: *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamenta, & legislatio, & altura, & promiſſa: quorum patres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*, non alterum Chriſtum putamus, & alterum ſuper omnia Deum; ſed eundem Chriſtum credentes ſuper omnia Deum, ejus matrem beatam Mariam virginem vere & proprie dicimus matrem Dei.

HÆc adverſus Neſtorianorum perfidiam dixiſſe ſufficiat, quæ nos, ſicut arbitror, a calumniis Eutychianorum ſatis ſuperque defendunt, qui cum refelluntur a catholicis, Neſtorianorum eis crimen affigunt. Et ideo jam illud tertium prædictis Eutychianis contrarium rectum eſſe monſtremus, quod dominum noſtrum Jeſum Chriſtum confitemur in duabus naturis, id eſt in divinitate atque in humanitate perfectum. CAP. V.
Quo Neſtorianorum quoque calumnias * evertemus, qui nos putant ad confuſionem duarum * 48
Chriſti naturarum dicere, quod unus ex Trinitate ſit dominus Jeſus Chriſtus, & vere proprie mater Dei Maria. Chriſtum igitur filium Dei, quemadmodum dictum eſt, in duabus prædicamus eſſe naturis. Nec dici patimur unam ejus ex divinitate & humanitate compoſitam eſſe naturam, ne patri, cujus ſimplex natura eſt, conſubſtantialis non ſit; & ſicut alterius eſt perſonæ, quam pater, ita etiam alterius, id eſt diverſæ, dicatur eſſe naturæ. Verum neque nobis erit conſubſtantialis, niſi ejus duæ naturæ ſint: ut ſcilicet altera ſit, in qua conſubſtantialis eſt patri, altera vero in qua conſubſtantialis eſt nobis. At huic evidentiſſimæ rationi bruta Eutychianorum contentio refragatur, adfirmans Dei verbi unitatem incommutabiliter ſimplicem cum ſuſcepta humanitate in unam componi potuiſſe naturam. Quorum Eutychianorum duæ ſunt partes. una, quæ per totum ſequitur Eutychis principis ſui ſententiam: alia vero, quæ in quibuſdam ab eo diſſentiens, per ſuperbiam tamen dedignatur ad Eccleſiam pœnitendo reverti: ut de ipſis dictum videatur in pſalmis, *Diſciſſi ſunt, nec conpuncti ſunt*. Nam quia con- *Pſal. 34. 17*
tentioſa vanitate præſumpſerunt longe diverſa, id eſt creatricem naturam creatamque confundere, traditi figmentis & erroribus cordis ſui, quamvis ex eodem cœnoſo fonte manantes, juſte meritoque diſciſſi ſunt. Sed illi, qui licet, ut diximus, recedentes in quibuſdam ab ipſius Eutychis auctoris & capitis ſui ſententia, ſequi tamen dedignantur Eccleſiæ catholicæ doctrinam, cujus caput eſt Chriſtus in duabus naturis, id eſt in divinitate atque humanitate perfectus, tamquam ſine capite remanentes, [a] Acephali vocantur a Græcis, quos ſignificantius nos Semieutychianos poſſumus appellare. Hi ergo ſciſſorum Eutychianorum ſchiſmatici, dicunt, quoniam ſi & una prædicetur filii Dei natura, poteſt accipi eadem una natura ſecundum aliquid naturæ patris eſſe conſubſtantialis, & item ſecundum aliquid noſtræ: hoc eſt autem dicere, nec patris eam naturæ conſubſtantialem eſſe, nec noſtræ. Namque cum aliquid habere dicitur hæc una filii Dei natura, quod patris natura non habeat, & rurſus aliquid quod noſtra non habeat, non aliud eſt, quam eam negare conſubſtantialem & naturæ patris & noſtræ. Ut enim nos recte dicamus filium & patri eſſe conſubſtantialem & nobis, propterea utique quia li-

a *Acephali vocantur*) Alii alias hujus nominis cauſas tradunt, ut Leontius de ſectis cap. 5. Ado Vieunenſis in Chronico, Nicephorus lib. XVIII. cap. XLV. & alii. Ceterum conſtat Acephalos tandem, quæcumque ſit origo, univerſe appellatos monophyſitas omnes, qui unicam in Chriſto naturam ſtatuebant, & Synodum Calchedonenſem oppugnabant, licet inter ſe alii aliis erroribus diſcreparent. Scite autem Anaſtaſius Antiochenus, περὶ τῆς Χριστοῦ οἰκονομίας, ad decem illorum coryphæos alludens, δεκακέρατον ὀρχήστραν, decem cornuum orcheſtram nuncupavit. ἀποβάλλεται, inquit, ἡ ἁγία ἐκκλησία, καὶ Εὐτυχέα, καὶ Διόσκορον, καὶ Θεοδόσιον, καὶ Πέτρον, καὶ Τιμόθεον, καὶ Ἰουλιανὸν, καὶ Γαϊανὸν, καὶ Βαρσανούφιον, καὶ Ἰάκωβον, καὶ τὸν ἔξαρχον τῆς δεκακεράτου ταύτης ὀρχήστρας, Σεβῆρον· καὶ τοὺς λοιποὺς αἱρεσιάρχας τοὺς μίαν φύσιν ἀρειανικῶς ἐν Χριστῷ δογματίζοντας.

* (45) *ea quæ carnis ſunt, ei deputare*.

* (46) *carnem*.

* (47) *rebus tamen ipſis*.

* (48) *evitemus*.

* 49 cet unam dicamus * eſſe perſonam, non tamen
diffitemur quod in quadam naturarum dualita-
te ſubſiſtat, ut ſecundum unam conſubſtantialis
patri dicatur, & ſecundum alteram nobis . U-
nam vero, quam ipſi dicunt Chriſti eſſe naturam,
negant omnino in dualitate aliqua contineri; ne
requiſiti cujus rei ſit illa dualitas, quia non poſ-
ſunt jam dicere naturarum, perſonarum dicere
cogantur, quod nobiſcum contra Neſtorium ne-
gant . Et quia, cum naturæ natura conſertur,
* 50 * non poteſt ibi pronunciari conſubſtantialitas,
niſi tota toti æquetur, ut definitionis nulla diver-
ſitas intercedat: non autem poteſt una eſſe defini-
tio naturæ ex divinitate & humanitate compoſi-
tæ, ſi de filio ſic credatur, & ſimplicis naturæ
patris, quæ tantum divina eſt, aut noſtræ, quæ
tantum humana eſt: non ergo erit filius & pa-
* 51 tri conſubſtantialis * & nobis. Et ſi de filio ſic
credatur, duas confiteri debent unius filii Dei
naturas, quod innumeris teſtimoniis antiquorum
* 52 patrum in * deſenſione magnæ ſynodi Calchedo-
* 53 nenſis, & * convictione Eutychianæ vecordiæ,
cum plurimis tum etiam vos probaſtis. Ex qui-
bus & nos adhuc aliqua proſerimus, & ſi non
multa numero, pondere tamen gravia: ut pote
quæ ſynodi Epheſinæ ſint auctoritate firmata.
Ibi enim prolata ſunt contra Neſtorium, & ex
his ibi convictus atque damnatus eſt. Quia igi-
tur utraque pars Eutychianorum ipſius ſynodi
auctoritatem ſequi ſe dicit, ſufficere conſutario-
ni eorum exiſtimo, ſi aliis omiſſis hoc ſolum cla-
reat, quod ipſa quoque duas firmaverit Chriſti
eſſe naturas, cum protulit adverſus Neſtorium
ex ſecundo libro beati Ambroſii ad Gratianum
* 54 Cap. 4. » Imperatorem, * dicens: Sileant igitur inanes de
» ſermonibus quæſtiones: quia regnum Dei, ſicut
» ſcriptum eſt, non in perſuaſione verbi eſt, ſed
» in oſtenſione virtutis. Servemus diſtinctionem di-
» vinitatis & carnis. unus in utraque loquitur Dei
» filius, quia in eodem utraque natura eſt. Et ſi
» idem loquitur, non uno ſemper loquitur modo.
« Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis
» paſſiones. Quaſi Deus loquitur quæ ſunt divina,
» quia verbum eſt: quaſi homo dicit quæ ſunt hu-
» mana, quia in mea ſubſtantia loquebatur, &c.
Actione 1. Audiunt hæc Ambroſii verba recitata in Epheſi-
na ſynodo: cognoſcunt ex his condemnatum eſſe
Neſtorium, quibus dicitur, Servemus diſtinctio-
nem divinitatis & carnis, & quod licet unus, ta-
men in utroque loquitur Dei filius, hoc eſt in
utraque natura divinitatis & carnis. unde ſecu-
tus adjecit, quia in eodem utraque natura eſt.
Et non erubeſcunt aperte mentiri quod ejuſdem
ſynodi ſtatuta cuſtodiant, negantes Chriſtum in

duabus eſſe naturis, & confingentes quod una
potius natura facta ſit ex duabus. Verum ad-
vertant quid etiam ex dictis beati Gregorii Na-
zianzeni prolatum ibi fuerit contra ipſius dogma Epiſt. 1. ad Cledonium.
Neſtorii. Si quis introducit duos filios, unum «
quidem ex Deo patre, alterum autem ex ma- «
tre & non unum & eundem, adoptione frauda- «
bitur, quæ promiſſa eſt recte credentibus. Na- «
turæ etenim duæ, Deus & homo quemadmodum «
& anima & corpus, * non autem filii duo: « * 55
neque enim hic duo homines, licet ſic Paulus « 2. Cor. 4.
quod interius eſt hominis & exterius appellave- « 16.
rit. Et ut breviter dicatur, aliud quidem & «
aliud ex quibus ſalvator eſt: & licet non id ſit «
inviſibile quod viſibile, & tempore carens quod ſub «
tempore; non tamen alius & alius. abſit. Ambo «
etenim unum temperamentum, Deo quidem in- «
carnato, homine autem deificato, vel quomo- «
do quis nominare potuerit. Dico autem aliud «
& aliud. Aliter autem in Trinitate eſt. Ibi «
etenim alius & alius eſt, ut non ſubſiſtentias «
confundamus; non aliud & aliud: unum ete- «
nim tria & idem divinitate. Cum igitur & hic
audiant, quia naturæ duæ ſunt Deus & homo,
nec ut iſti volunt una dicatur ex utraque com-
poſita: cumque ſimul advertant, quia ſicut in
Trinitate alius eſt pater, & alius eſt filius, &
alius ſpiritus ſanctus, & hæc tria nomina non
unius perſonæ, quamvis unius naturæ ſint; ita
etiam in Chriſto non una ſit natura, quamvis
una perſona ſit: quomodo Eutychiani, ſi Gre-
gorio credunt, vel potius Epheſinæ ſynodo,
non vident quod ejuſdem proſanationis ſit, ſi
una dicatur Chriſti eſſe natura, cujus proſana-
tionis eſt, ſi una dicatur patris & filii & ſpi-
ritu ſancti eſſe perſona? utrumque ſimile eſſe
prædicta ſynodus, teſte Gregorio, demonſtra-
vit. Quid autem illos contra hæc evidentiſſi-
ma patrum teſtimonia juvare poterit, quod in
aſſertionem vaniſſimi ſui erroris dicunt, [a] Ju- a
lium Romanum Epiſcopum neſcio ubi * reſcri- * 56
pſiſſe quod una ſit Chriſti natura? cum in ea-
dem ſancta ſynodo Epheſina, hoc ſolum ipſius
beati Julii contra Neſtorium recitatum fuerit ex
epiſtola ad Proſdocium, in qua ait: Prædica- " Actione 1.
tur vero ad ſupplementum fidei & incarnatus "
ex Maria virgine * filius, & habitans in homi- " * 57
nibus, non in homine operatus. hoc enim in "
prophetis fuerat, & Apoſtolis. perfectus Deus in "
carne, & homo perfectus in ſpiritu. non duo "
filii, unus quidem proprius filius aſſumens ho- "
minem, alter vero mortalis ſuſceptus a Deo: "
ſed unus unigenitus in cœlo, unigenitus Deus "
in terra. Non aliud, præter hanc ad Proſdo- "

a *Julium Romanum Epiſcopum*) Epiſtolam ad Dionyſium, quam Julio Papæ adſcribebant Acephali, Julii revera fuiſſe credidit Gennadius in ſcriptoribus Eccleſiaſticis cap. II. ſubdititiam Facundus ſuſpicatur hoc loco, & apud Photium Eulogius Alexandrinus orat. III. Leontius vero Byzantius, qui & epiſtolæ verba recitat quibus abutebantur Eutychiani, non Julii, ſed Apollinaris hæretici eam fuiſſe docet cap. VIII. de ſectis. Quod ipſum affirmat Anaſtaſius in Ecloge χρήσεων, & ante utrumque Hypatius Epiſcopus Epheſinus in Collatione cum Acephalis habita Conſtantinopoli: *B. Julii famoſam illam epiſtolam manifeſte Apollinaris oſtendimus fuiſſe, ſcriptam ad Dionyſium.* Quin & alteram item ad Proſdocimum, ſeu Docium epiſtolam, cujus teſtimonio uſa eſt Synodus Epheſina, nec ipſam Julii fuiſſe vult Leontius, ſed Timothei diſcipuli Apollinaris. Sed hanc ſine controverſia Julio alii quoque aſſerunt: atque inter ceteros Ephræmius Patriarcha Antiochenus lib. III. de ſacris legibus apud Photium, ubi alterius ex eadem epiſtola ſententiæ partem delibat, quam integram profert Anaſtaſius idem presbyter in Ecloge, τῶν χρήσεων περὶ τῆς θείας θεολογίας, καὶ οἰκονομίας. cap. XXXVIII. niſi quod Acacium vocat pro Docio. Sic enim habet. Ἰουλίου ἐπισκόπου ῥώμης ἐκ τῆς πρὸς Ἀκάκιον ἐπιστολῆς· πᾶς ὃς τὸν ἐκ Μαρίας υἱὸν μὴ ὁμολογεῖ θεὸν λόγον ἔνσαρκον ὁμοούσιον τῷ πατρὶ ἐξ ἀρχῆς ὄντα· ἄτρεπτον δὲ ἐν τῇ σαρκώσει· καὶ ἀπαθῆ ἐν τοῖς πάθεσιν· ἀνάθεμα ἔστω.

* (49) *ejus eſſe.*
* (50) *toti utique tota confertur, non poteſt &c.*
* (51) *& nobis. Sed quia & ver. . . . ut & ipſi quoque non denegant, quod & Patri ſit conſubſtantialis & nobis, duas confiteri debent unius Filii Dei naturas; quod innumeris &c.*
* (52) *defenſionem,*
* (53) *convictionem.*
* (54) *dicentis.*
* (55) *filii autem non duo, neque Dii; neque enim hic &c.* conſonat textus græcus: υἱοὶ δὲ οὐ δύο, οὐδὲ θεοί.
* (56) *ſcripſiſſe.*
* (57) *Dei filius.*

cium epiſtolam, ex dictis beati Julii in illa Sy-
nodo prolatum eſt, ſi qua forſitan alia ſcripſit,
neque ex hac epiſtola aliquid amplius. Cur igi-
tur non illud potius, quod de una Chriſti na-
tura iſti circumferunt tanquam ab ipſo B. Julio
ſcriptum, vel quæque ſimilia, quæ ſcripſiſſe au-
tumant alios venerabiles patres, in Synodo re-
citata ſunt contra Neſtorium? Nam ipſa magis
ejus dogmati contraria viderentur. Quid enim
jam controverſiæ remanſiſſet, quod una eſſet il-
lius Dei hominis ſubſiſtentia, ſive perſona, ſi
probarentur patres quod etiam unam prædica-
verint ejus eſſe naturam? Igitur ut omnis au-
feratur quæſtio, ſi non poſtea epiſtola illa con-
fecta eſt, aut B. Julii eam non eſſe, ſicut ma-
gis credendum eſt, Synodus judicavit. aut et-
iam & ſi ejus eſſe credidit, quod ego non di-
co, ut aliam magis quam ipſam ejuſdem ſancti
Julii contra Neſtorium proferret, non ex eo
quod incaute dictum eſt contrarium errorem ju-
dicavit eſſe vincendum. Hoc autem & adver-
ſus cetera, quæ ex nomine aliorum antiquorum
Epheſinæ ſynodi patrum, vel falſa, vel male
intellecta ventilant, nos reſpondere cognoſcant:
quoniam ſi vera fuerant, aut ſicut ipſi volunt
intelligenda, eis protinus Epheſina ſynodus Ne-
ſtorium refutaret. Nihil igitur habent, quod
de magno Calchedonenſi concilio Eutychiani vel
Semieutychiani querantur: quoniam Chriſtum
in duabus eſſe naturis, ſecundum prioris Ephe-
ſinæ ſynodi, quam nobiſcum ſuſcipiunt, ſta-
tuta firmavit. Sed nec ex dictis B. Cyrilli,
quæ alia, ſicut credendum eſt, intentione pro-
* 58 lata * ſimul male intelligunt, contra horum
evidentiam merito poſſunt objicere: quoniam
vel ſi ab his teſtimoniis patrum, quæ in Ephe-
ſina Synodo firmata ſunt, diſſonare credantur,
non poſſunt præferri, ſive conferri decretis ſy-
nodalibus, quæ ſuſcepit univerſalis Eccleſia.
Huc accedit, quia ipſius Epheſinæ ſynodi pri-
mus fuit idem B. Cyrillus, qui non temere cre-
dendus eſt ſibi extitiſſe contrarius. Quod ſi et-
iam fuiſſet, non in eo ſequendus erat, quod
privatim ſingulis, ut ei viſum eſt, dixiſſe, ſed
potius quod cum tractatu ac deliberatione Sy-
* 59 nodi * docuiſſe communiter probaretur. Nam
(& cum ſanctus Joannes Antiochenus, & ce-
teri Orientales, atque aliarum provinciarum E-
piſcopi, prædictum B. Cyrillum putarent, ſicut
nunc Eutychiani putant, unius Chriſtum prædi-
care naturæ, & ob hoc eum licet probabili zelo
fidei, tamen improbe judicarent hæreticum: om-
nipotens Deus, cujus ſapiens & mirabilis boni-
tas humanæ ignorantiæ malum poteſt in uſum
doctrinæ convertere, talem dedit exitum cauſæ,
ut illa Orientalium aliarumque provinciarum an-
tiſtitum falſa de B. Cyrillo ſuſpicio nihil nobis
relinqueret ſuſpicandum. Cum enim poſtea re-
dintegrandæ pacis Eccleſiarum cura ſuccederet,
quoniam de hac ſuſpicione non leve fuerat ſchiſ-
ma commotum; memorati Orientales per venera-
bilem Paulum Emeſenum Epiſcopum ab eodem B.
Cyrillo expetiverunt, ut ſi vellet omne ſcanda-
lum, omnemque offenſionem de medio ſubmove-
ri, unum Deum atque hominem Chriſtum in dua-
bus naturis evidentiſſime fateretur. Quod & ille
gratanter amplexus atque confeſſus eſt: quippe
qui ſibi conſcius erat non ſe aliter & antea credi-

A diſſe. Atque ita Deus omnipotens, non ſolum O-
rientalium, & aliorum patrum, atque ipſius B.
Cyrilli rectam fidem manifeſtam omnibus fecit,
quia nec illi quicquam expetiverunt indignum,
nec ille quod expetitum eſt denegavit: verum etiam
contra futuros Eutychianos multo promptiorem,
multoque evidentiorem reddidit doctrinæ catho-
licæ veritatem. Tantum vero contra hunc erro-
rem, quo Chriſtus dicitur unius eſſe naturæ, eo-
rundem patrum Orientalium ſollicitudo ac diligen-
tia vigilavit, ut in epiſtola, quam ei miſerunt,
ipſius rectæ confeſſionis, quam ab illo * expecta-
bant, verba conſcriberent, & præfato Paulo com- * 60
B mendarent Epiſcopo, ut ea B. Cyrillus in ſuam
transferens epiſtolam eis reſcriberet, ne quid re-
maneret ambiguum, unde quandoque rurſus quæ-
ſtio naſceretur. Quod etiam ille, ſicut jam dixi-
mus, optato ſuſcipiens, ſeque non aliter & an- «
tea credidiſſe teſtatus, ſic eidem ſancto Joanni «
Antiocheno reſcripſit: Quoniam vero ſuperflua & «
importuna Eccleſiarum diviſio facta eſt, nunc ma- «
xime ſatisfactum eſt nobis, domino meo * reve- «
rentiſſimo Paulo chartam proferente habentem in- « * 61
reprehenſibilem fidei confeſſionem, & hanc affir- «
mante a veſtra ſanctitate compoſitam, & ab his «
qui illic ſunt religioſiſſimis Epiſcopis. Habet au- «
C tem ita conſcriptio, quæ & in his verbis in- «
ſerta eſt huic epiſtolæ. *Et poſt aliqua*: Confi- «
temur igitur dominum noſtrum Jeſum Chriſtum «
filium Dei unigenitum, Deum perfectum & ho- «
minem perfectum ex anima rationali & corpore «
ante ſæcula quidem de patre natum ſecundum «
deitatem; in ultimis vero diebus eundem pro- «
pter nos, & propter noſtram ſalutem, de Maria «
virgine ſecundum humanitatem: conſubſtantia- «
lem patri eundem ſecundum deitatem, & con- «
ſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem. Dua- «
rum enim naturarum * adunatio facta eſt: pro- «
pter quod unum Chriſtum, unum filium, unum « * 62
D Deum confitemur. Secundum hanc inconfuſæ «
unitatis ſententiam, confitemur ſanctam virgi- «
nem Dei genetricem Mariam, propter quod «
Deus verbum incarnatus & homo factus, ex ip- «
ſa conceptione adunavit ſibi quod ex ea ſump- «
tum eſt templum. Evangelicas vero & Apoſto- «
licas de Domino voces ſcimus viros divini ver- «
bi prædicatores alias quidem conjungentes tan- «
quam de una perſona, alias vero dividentes «
tanquam de duabus naturis: & alias quidem con- «
venientes Deo ſecundum deitatem Chriſti, alias «
vero humiles ſecundum humanitatem ejus tra- «
dentes. His veſtris ſacris vocibus intendentes, «
& ſic etiam noſmetipſos ſapere reperientes (u- «
E nus enim Dominus, una fides, unum baptiſma) «
glorificavimus omnium ſalvatorem Dominum, «
invicem nobis ac vobis congaudentes: quoniam «
ſcripturis divinitus inſpiratis, & traditioni ſan- «
ctorum patrum noſtrorum convenientem habent «
fidem, quæ apud nos, & quæ apud vos ſunt, «
Eccleſiæ. Proinde cum Cyrillus in hac confeſ- «
ſione, per quam a ſe removit indignæ ſuſpicio- «
nis invidiam, & cum Orientalibus, aliarumque
provinciarum Eccleſiis adunatus eſt, ſic duarum
naturarum * unitionem factam dicat in Chriſto,
quia utique unius perſonæ & ſubſtantiæ ſunt eædem * 63
duæ naturæ, ut Evangelicas & Apoſtolicas de
Domino voces alias quidem conjungendas fatea-
tur, tamquam de una perſona, alias vero di-

* (58) *ſimiliter.*
* (59) *ſtatuiſſe.*
* (60) *expetebant.*

* (61) *Reverendo.*
* (62) *adunitio.*
* (63) *adunationem.*

viden-

videndas, tanquam de duabus naturis: quomodo Eutychiani, vel Acephali, ex ejuſdem B. Cyrilli dictis, non duas Chriſti naturas, ſed unam ex duabus compoſitam nituntur adſtruere? Nam ſi Evangelicæ & Apoſtolicæ de Domino voces, non de una compoſita, ſed tanquam de duabus naturis loquuntur, ſine dubio Chriſtum in duabus naturis eſſe teſtantur. Proinde quænam dicta B. Cyrilli ſine ulla expoſitione ac dijudicatione ſequenda ſunt, vel ſi ejus, ut diximus, alia veluti ab his diſſonantia videantur? ea ne pro quibus, vel pro quorum ſimilibus, ſiniſtram ſuſpicionem incurrit: an illa, ex quibus ab ipſa ſuſpicione purgatus eſt? Illa profecto ſine interpretatione qualibet, ſicut perſpicue claret, indubitanter accipienda ſunt, quæ omnem ſuſpicionem dubitantibus abſtulerunt. Et ideo quæcumque & quantacumque ab eis falſa, vel male interpretata, contra diffinitionem ſynodi Calchedonenſis, etiam ex B. Cyrilli nomine proferantur, his quibus eſt in Epheſina ſynodo, ipſo primum decernente, Neſtorius improbatus, & quibus poſtea apud conſacerdotes ſuos ipſe purgatus eſt, præferri vel conferri non poterunt. Hoc quoque conſiderationi lectoris accedat, quod jam Neſtoriana hæreſe univerſam Eccleſiam ſcandalizante, & Eutychiana necdum exorta, Cyrillus iſta protulerit; & non mirabitur, ſi minus contra Eutychianorum, quam contra Neſtorianorum vigilavit errorem. Verum nec illud arbitror omittendum, in quo & amplius prædictorum Orientalium patrum pro catholicæ fidei conſervanda integritate libertas, & ipſius B. Cyrilli in hoc ipſum manifeſtata confeſſio eſt. Nam cum minus utilitati Eccleſiæ ſufficere videretur, ut ſolis epiſtolis, quæ ad paucorum poſſent pervenire notitiam, in hac fide confeſſionem mutuo ſibi communicarent iidem Domini ſacerdotes, memoratus venerabilis Paulus Emeſenus Epiſcopus illic in Alexandrina Eccleſia, ipſo præſente beato Cyrillo, de incarnatione Domini diſputavit. in quo ſermone inter alia dicit: Quid eſt, *Conc. Epheſ. P. III. Homil. 2.*

Joan. 1. 14. „*Verbum caro factum eſt*, & *habitavit in nobis*,
„hoc eſt in noſtra natura? Vide Joannem duas na-
„turas prædicantem, & unum filium, aliud taber-
„naculum, & aliud quod in tabernaculo: aliud
„templum, & aliud quod inhabitat Deus. Atten-
„de quod dicitur non dixi alius & alius, tan-
„quam de duabus perſonis, aut duobus Chriſtis,
„aut de duobus filiis: ſed aliud & aliud, tan-
„quam de duabus naturis. Quando ergo dixit,
„*habitavit in nobis*, & prædicavit duas naturas,
„tunc intulit, & *vidimus gloriam ejus*, *gloriam*
„*quaſi unigeniti*. Non dixit duorum filiorum, ſed
„quaſi unigeniti. Poſt hunc vero memorati vene-
rabilis Epiſcopi Pauli ſermonem, ſanctus Cyril-
„lus alloquitur populum, dicens: Beatus prophe-
„ta Eſaias prædicans ſuaviloquia futurorum in
Eſa. 12. 3. „Chriſto magiſtrorum, dicit: *Haurite aquas cum*
„*lætitia de fontibus ſalvatoris*. Ecce igitur hauſi-
„mus aquam de ſancto fonte; dico autem de magi-
„ſtro prædicante, qui ſancti ſpiritus epulis illuſtra-
„tus, differuit nobis magnum & ſacrum ſalvatoris
„myſterium, per quod ſalvati ſumus credentes in
„eum, &c. Cum igitur in duabus naturis Chriſtum

* 64 non ſola ſynodus Epheſina * prædicandum eſſe perhibeat, verum etiam B. Cyrillus in ſua, per quam Orientalibus communicavit, epiſtola omnes Ægyptios ſacerdotes eandem fateatur habere doctrinam, dicens, Scripturis divinitus inſpiratis, & traditioni ſanctorum noſtrorum, convenientem habent fidem, quæ apud nos ſunt, & quæ apud vos ſunt, Eccleſiæ: inſuper etiam Paulum Emeſenum Epiſcopum coram ſe, & in ſua Eccleſia diſputantem de duabus Chriſti naturis, atque idipſum repetitione creberrima * commendet & magnis extollat præconiis, * 65 populo etiam qui ſermocinanti aderat acclamante, ſicut legitur, atque dicente, Bene * dixiſti, Epiſcope orthodoxe, or- „ * 66 bis eruditor, qui ſic credit diligitur: nec in his „ omnibus aliquid audiamus de una, quæ compo- „ ſita dicitur, Chriſti natura: quomodo nunc Eutychiani, quorum pars magna eſt Alexandriæ, non ſecundum hanc orthodoxam & antiquam orbis eruditionem credunt, Neſtorianæ eam hæreſi deputantes, quam ſui dilexere majores? Deſinant igitur ab hac horrenda ſtultitia, qua dicentes Chriſtum unius compoſitæ eſſe naturæ, Deum ſe blaſphemare non intelligunt, cujus naturam credunt * poſſe componi. * 67 Nec B. Cyrillum dicant ſibi contraria docuiſſe. quoniam per hoc errori quidem ſuo nihil defenſionis afferunt: illi tamen maximum prævaricationis crimen impingunt.

CAP. IV.

Sed & jam probare debemus, quomodo iidem Eutychiani, vel Semieutychiani, qui contra Calchedonenſe, immo vero etiam contra Epheſinum concilium, duas filii Dei negant eſſe naturas, e contrario Neſtorianos per hoc adjuvent, quorum falſitati ſe putant veritatis negatione reſiſtere. Aſſerentes enim quod una ſit filii Dei natura, ipſi potius alterius ſubſtantiæ hominem Chriſtum Jeſum extra Dei filium dicere convincuntur: quod nobis falſo imputant, qui duas unius dicimus filii eſſe naturas. Nam ſi quæratur ab eis, utrum filium Dei, quem unius dicunt eſſe naturæ, conſubſtantialem patri fateantur, negare non poterunt. Deinde ſi hoc ab eis quæratur, utrum ſimplicis naturæ ſit pater; hoc quoque ſimiliter fatebuntur. Igitur filium Dei, quem unius dicunt eſſe naturæ, patrique conſubſtantialem, etiam ſimplicis, id eſt divinæ tantum dicere compellentur; ac per hoc alterius erit * ſubſtantiæ homo Chriſtus Jeſus, * 68 cui ſeparatim deputetur humana natura. Atque ita cum duas unius filii negant eſſe naturas, alteram ſubſiſtentiam filii Dei, & alteram aſſumpti hominis arguentur inducere. Cujus probabilis rationis ſancta Epheſina ſynodus non ignara cum Neſtorium condemnaret, quod Dei filium non ſolum in duabus naturis, quod ſanctum eſt, ſed etiam in duabus ſubſiſtentiis, quod profanum eſt, prædicabat: non quod duas fateretur filii Dei naturas, ſed quod duas ſubſiſtentias mentiretur, eum redarguit: nec teſtimoniis antiquorum patrum, quibus eum de pravi dogmatis novitate convincit, unam filii Dei naturam eſſe monſtravit, ſed unam potius eſſe perſonam. Et utique ad comprimendum & penitus extinguendum errorem Neſtorii, qui duos nobis filios inducere conabatur, nihil utilius, ſicut jam diximus, nihilque validius eſſet, ſi veritas ſineret, quam ut unam eſſe filii Dei naturam, vel teſtimoniis patrum probarent, vel ſua definitione decernerent. At quum Neſtorium non ſolum duas in illo myſterio naturas, verum etiam duas ſubſiſtentias prædicantem, non propter utrumque, ſed propter hoc ſolum ſynodus Epheſina redarguit, quod unum filium in duas ſubſiſtentias divideret, vel ſi illa

* (64) *confitendum*.
* (65) *commendantem*.
* (66) *veniſti*.
* (67) *potuiſſe*. * (68) *ſubſiſtentiæ*.

contra eum patrum teſtimonia non proferret, quibus Chriſtus in duabus eſſe naturis oſtenditur affirmaſſe merito judicaretur duas unius filii Dei eſſe naturas, quod in Neſtorio, propter aliud improbato, non pariter improbavit. Unde vel hac auctoritate oſtenſa coerciti Eutychiani, jam deſinant contra ſanam & neceſſariam confeſſionem Eccleſiæ diſputare: quæ non tantum ſecundum Calchedonenſis, ſed etiam ſecundum Epheſinæ ſynodi inſtituta, Chriſtum in duabus prædicat eſſe naturis. Non enim, vel ſi eis conſtare poſſit, humanorum argumentorum ratiocinationi credere ſe debuerunt, ut unam Chriſti contenderent eſſe naturam; ſed patrum potius auctoritati ſe ſubjicere, in quibus ſpiritus Dei locutus eſt. Verum hoc prudentia eorum non patietur, de qua dicit Apoſtolus: *Quoniam prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita & pax. quoniam prudentia carnis inimica eſt in Deum: legi enim Dei non ſubjicitur, nec enim poteſt.* ut in perſonæ quidem vel ſubſiſtentiæ unitate, auctoritatem nobiſcum divinam ſequantur, quoniam tanti miraculi ſecretum humana ratio indagare non valet. In hoc autem, quod putantes unam ex duabus factam eſſe naturam, a fundatiſſima patrum auctoritate diſcedunt, videamus ſi, quemadmodum fidunt, vel ſecundum ſapientiam mundi conſtare illis ſua ratio poteſt. Dicitur igitur, ſicut ex duabus naturis, id eſt ex anima & carne, una compoſita eſt humana natura, ſic ex deitate & humanitate una compoſita eſt Chriſti natura: & ideo ex duabus quidem, ſed non in duabus naturis Chriſtum confitemur. Equidem nulla cauſa eſt, cur etiam unuſquiſque homo in duabus negetur eſſe naturis, in carne ſcilicet atque anima. Quæ tamen quia & una ex duabus compoſita, recte hominis naturam dici certiſſimum eſt. potuit enim hominis anima in unam naturam cum ſua carne componi. De Chriſti vero divinitate inconvertibiliter ſimplici, non ſine ingenti blaſphemia dicitur, quod in unam naturam cum ſuſcepta humanitate componi potuerit. Deinde conſiderent, quod ſive anima, ſive caro, adunationis ſuæ cauſa extiterunt, & non hunc habent naturæ finem, ſingulariter ac ſeparatim conſiſtere: ſed ad ſui conjunctionem tendunt, & invicem ſibi debent quodammodo ut exiſtant. Nam ſicut caro animæ facta eſt, ita * & anima carni: & ipſe naturalis earum intentioni eſt finis, pariter eſſe. Non enim credendum eſt a * Origenis deliramentis, qui ſuſpicatur humanarum animarum ſubſtantias longe antequam in corporibus eſſent, non ſolum fuiſſe, verum etiam peccaſſe, & prius quidem mentes, poſtea vero animas factas, cum pro peccatorum ſuorum meritis in corpora truderentur. cum dicat Apoſtolus: *Rebecca ex uno concubitu habens Iſaac patrem noſtrum, &c. Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid egiſſent bonum ac malum ſecundum electionem, ut propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori.* Paulo itaque melius & fidelius credimus docenti, quia cum Jacob & Eſau necdum nati fuiſſent, nihil egerunt bonum aut malum, nec ex operibus, ſed ex vocantis gratia ſunt diſcreti, quam Origeni ſomnianti quod, ut naſcerentur, ſupplicium fuerat neſcio cujus mali. Nam & cum morte a ſuis corporibus animæ ſeparantur, ad ſui tamen conjunctionem ſimiliter tendunt, & propterea unam naturam humanam efficiunt. Quod de verbi Dei natura nefas eſt credere, quoniam aliquando non * ſola ſubſtiterit, ſed humanæ naturæ adunatio cauſa ei fuerit exiſtendi, ut ipſa ſibi adunata quieſceret naturalis ejus intentio. Verum neque de humana natura dici poteſt, quod non poſſit ſine Dei verbi in unam naturam compoſitione ſubſiſtere: quam videmus ſpecie ſua contentam, non in aliquid tendere, cui ſic naturaliter adhæreſcat, ut unam cum illo naturam efficiat. Nihil igitur Eutychiani humanæ naturæ adjuvantur exemplo, ut unam aſſerant Chriſti eſſe naturam, vel ſi, remota patrum auctoritate concedatur eis ſecundum argumentationes humanas de incarnationis divinæ myſterio diſputare, quod menſuram humanæ rationis excedit. Ad perſonæ vero unitatem, præcedente auctoritate divina, convenientius hoc refertur exemplum, ad quam & a ſanctis patribus relatum eſſe cognoſcimus. Propter quod etiam beatus vir Auguſtinus, in catholicæ doctrinæ ſinceritate ac prudentia diffamatus, in libro de fide, & ſpe, & caritate, qui pene ab omnibus, quibus notus eſt, Enchiridion appellatur, ita de Chriſto locutus eſt: Nempe ex quo eſſe homo cœpit, non aliud cœpit eſſe homo quam Dei filius, & hoc unicus, propter Deum verbum, quod illo ſuſcepto caro factum eſt, utique Deus: ut quemadmodum eſt una perſona quilibet homo, anima ſcilicet rationalis & caro, ita ſit una perſona Chriſtus, verbum & homo. Nec ait, ita ſit Chriſti una natura verbum & homo. Sed jam breviter quæ acta ſunt colligamus. Apparuit in primis, quod ſecundum magnæ ſynodi Calchedonenſis ſententiam confeſſus es, Imperator, & unum eſſe de Trinitate crucifixum pro nobis dominum Chriſtum, & vere & proprie matrem Dei Mariam, & eundem dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in duabus eſſe naturis. Apparuit etiam, in declaratione ac defenſione ipſius fidei noſtræ, memoratam ſynodum hæc ipſa, pro divinarum ſcripturarum auctoritate & patrum teſtimoniis, definiſſe ſive firmaſſe. Ubi ſimul & illi licet qui communicantes Eccleſiæ, & auctoritatem venerantes ipſius ſanctæ ſynodi, tanquam dogmati Eutychiano contrarii, tamen per contentionem verbi ſuperfluam, negant debere dici unum ex Trinitate crucifixum, & vere proprie matrem Dei Mariam, inventi ſunt adverſus eandem ſynodum facere, & Eutychianos e contrario ſuis contentionibus adjuvare. Apparuit etiam, ipſos Eutychianos, qui tanquam contra dogma Neſtorii, duas unius filii Dei negant eſſe naturas, Neſtorianis per hoc indubitatam dare victoriam, & ſynodum Epheſinam reprehendere, quam acceptare ſe fingunt. Sic meretur cæcari, ut ſibi primum contradicat, obvia veritati contentio, quæ nec rationis eſt capax, nec contenta eſſe patrum auctoritate dignatur.

Rom. 8. 6. — * 69 — Rom. 9. 10. — * 70 — Cap. 36.

a *Origenis deliramentis*) Nugas etiam & deliramenta verbis Epiphanii vocat Hieronymus epiſtola lx. & paſſim explodunt patres tum Græci, tum Latini. ut Antipater Boſtrorum Epiſcopus Diſſertationis in Origenem cap. VII. *ὁ ποιήσας τὸν ἄνθρωπον ἀπ' ἀρχῆς ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς. οὐ πρώτην νέας κατ' αὐτὸν, καὶ ἐξ ἁμαρτιῶν ἀνθρώπους.* Et poſt alia Dei benedictionem tractans, qua hominum genus propagatum eſt, *οὐκ ἐξ ἁμαρτιῶν καὶ ἀποπτώσεως πληθυνθὲν, ὡς ὁ τούτου διδάσκει γραφή. ἀλλ' ἐκ τῆς τοῦ θεοῦ εὐλογίας, ὡς ὁ προφήτης ἐδήλωσεν. εἰ γὰρ ἐκ παραβάσεως, καὶ ἐκ τῆς τοῦ καλοῦ ἀποψύξεως τὸ τῶν ἀνθρώπων πληθύνεται γένος. οὐκ εὐλογία, ἀλλὰ κατάρα μᾶλλον ἂν δικαίως λεχθείη.* & cetera, quæ copioſe toto capite diſſeruntur.

* (69) *& anima facta eſt carni.*

* (70) *ſibi.*

FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS,
PRO
DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM,
LIBER SECUNDUS.

CAP. I. QUoniam integritatem fidei, quæ mihi, religioſe Princeps, cum tua pietate communis eſt, & declaratam ſufficienter arbitror, & defenſam; nihilque relictum eſt calumniis hæreticorum, in quo vel nos male ſentire de myſterio divinæ incarnationis infament, vel magnam ſynodum Calchedonenſem, cujus decretis eandem noſtram fidem conſonare monſtravimus: ſecuri jam pergimus occultas eorum fraudes & execranda mendacia ventilare, quibus per ſuos ſatellites atque fautores prædictam ſynodum, ſub obtentu defenſionis, expugnare moliti ſunt. Confido enim, quod non ſolum tuæ ſerenitati, ſed omni hæc legenti, qui talis non eſt qualem notat ſermo propheticus dicens, *noluit intelligere ut bene ageret;* (Pſal. 35. 4.) luce clarius apparebit, quod in evacuationem prædictæ ſynodi facta ſunt quæ in ejus purgationem ſcripta eſſe jactantur. Unum ſolum petimus de tua clementia, cujus cognomine decoraris, ut quia in Eccleſiæ præjudicium multa per ſubreptionem hæreticorum & acta & ſcripta ſunt, quæ zelus Dei nos impellit arguere, noſtra te reſponſio nihil offendat. Egerunt enim callide per ſuos complices, ſicut ſolent, adverſarii veritatis, ut ea ipſa quæ ſcribi fecerunt, etiam [a] titulo nominis tui prænotarentur: exiſtimantes quod propoſito terrore tuæ perſonæ, condemnationem, vel etiam convictionem ſuæ temeritatis & falſitatis effugerent. Verum nos illa ſcripta nolumus tua dici, quæ ſcimus cognitæ nobis tuæ fidei contraria. Nam ſi legibus veſtris bene atque utiliter cenſuiſtis, ut quæcumque veſtra reſcripta, contra ipſas quas promulgaſtis leges, in quibus vobis deſervitur, & quas vobis infringere licet, per ſubreptionem fuerint elicita, vacuentur, nec dicantur a vobis data, quæ generalibus conſtitutionibus veſtris inveniuntur adverſa: quomodo illa, quæ adverſantur conſtitutionibus patrum tuorum, quibus te ſicut religioſum neceſſe eſt deſervire, & quas nec tibi nec omnibus tecum in commune hominibus licet infringere, non jure meritoque tua non eſſe dicimus? Obedientes itaque Petro Apoſtolo dicenti, *Deum timete, regem autem honorificate,* (1. Petr. 2. 17.) & pro Dei timore, quæ contraria ſunt Eccleſiæ Chriſti refellimus: & pro regis honorificentia, quæ refellenda ſunt, tua non dicimus. Sint igitur illorum, qui fruſtra putaverunt, quod falſo tui nominis titulo munirentur quæ ratione ſtare non poſſunt: & illis potius imputentur, quorum & fraudulentis excogitationibus adinventa, & diuturnis elucubrationibus contra ſanctam Calchedonenſem ſynodum noviṁus eſſe compoſita. Nam quid opus erat, obſecro, quietem Eccleſiæ ſupervacuarum quæſtionum, ut non dicam noxiarum, concurſionibus agitare? Quid opus erat ejuſdem ſynodi retractare decreta, non ſolum contra religionis reverentiam, ſed etiam contra ipſius humanitatis pudorem, quæ conſenſu totius Eccleſiæ per centum ferme annos, * te cuſtode, hactenus inviolata manſerunt? * 71 Vel quid opus erat Theodori Mopſueſteni Epiſcopi, olim in Eccleſiæ pace defuncti, calumnioſe dicta diſcutere, & ſicubi lapſus putatur, vel etiam verbo humanitatis lapſus eſt, tanta adverſus eum furere contumelia, quanta, ſi adhuc in corpore degeret, eum affici non deceret, niſi reprehenſus prius, atque convictus, poſt unam & ſecundam correptionem, pertinaciter veritati reſiſteret? Sed quia laudatur idem Theodorus in epiſtola venerabilis Ibæ, quam memorata ſynodus pronuntiavit orthodoxam, per hoc auctoritatem ipſius ſynodi ſolvendam hæretici crediderunt, ſi nunc eum, poſt centum & amplius defunctionis ejus annos, velut auctorem magiſtrumque Neſtorii condemnare facerent, & conſequenter etiam ipſam epiſtolam, quaſi hæretici laudatricem. Quid autem agent, quod non ſolum in ipſa laudatur epiſtola Theodorus Mopſueſtenus Epiſcopus, verum etiam dum viveret, a ſanctis patribus, qui cum eo in verbi prædicatione converſati ſunt, & approbatus & magna laude prædicatus oſtenditur, ſicut a Joanne Conſtantinopolitano, & Gregorio Nazianzeno, & poſt mortem a Joanne & Domno Antiocheni, ac tota ſynodo Orientis apud Antiochiam congregata? Nunquid ergo & iſtos omnes venerabiles Eccleſiæ Chriſti doctores, vel dicta eorum anathematizari facient? Aliter enim videri non * poteſt epiſtola Ibæ * 72 pro laude Theodori juſte ſub anathemate condemnata, niſi & iſti omnes beatiſſimi patres, aut eorum ſaltem ſcripta, ſimiliter abdicentur, in quibus eundem Theodorum multo amplius, quam in ea, docebimus eſſe laudatum. Sed nec illa quæ dicuntur a Theodo-

a *Titulo nominis tui*) De hoc opere Juſtiniani Liberatus cap. ultimo *Callida*, inquit, *fraude rogaverunt Acephali, ut dictaret librum in damnationem trium capitulorum. quo libro ejus edito, & toti mundo manifeſto, dum emendare princeps erubeſcit, irrevocabilis cauſa fieret. Et condidit librum pro delictis noſtris nobis omnibus notiſſimum*. Meminit etiam Vigilius in epiſtola damnationis Theodori Cæſarienſis. Non dubitabat ergo Facundus, quin hujus libri auctor eſſet Juſtinianus; ſed artificioſe diſſimulat, ut liberius impugnet. Nam totus deinceps in ejus reprehenſione verſabitur. Itaque falluntur, qui a Facundo impugnari putant edictum, ſeu epiſtolam Juſtiniani, de qua ſuperiore libro dictum eſt. Ut enim omittam epiſtolam multo poſt editam fuiſſe, in ea certe illa non ſunt, quæ Facundus paſſim adfert ex libro quem refellit.

* (71) *etiam te cuſtode*.
* (72) *poterit*.

A reto Cyrri Epiſcopo contra B. Cyrillum neſcio quando ſcripta, ob aliud modo damnata ſunt, niſi ut per hoc quoque ſynodus Calchedonenſis quaſi notabilis videretur, quod idem Theodoretus deliberationi ac definitioni ejus interfuit, atque epiſtolam Papæ Leonis, Eutychis dementiam confutantem, ibi defendit, & quibuſdam minus intelligentibus rectam eſſe monſtravit. Nam ut inferius oſtendetur, & alii quorum memoriæ communicamus, ſcripſerunt adverſus B. Cyrillum eundem; verumtamen in hoc anathemate denominati non ſunt, quoniam in Calchedonenſi concilio non fuerunt. De quibus omnibus dicturus, hoc ordine totam cauſam tractare diſpoſui. B Prius evidentium documentorum prolatione demonſtrare, quod in evacuationem memorati magni Concilii, & decretorum Papæ Leonis, hæreticorum fautores hæc egerint. Deinde quoniam fruſtra confingitur, ſupradictam epiſtolam venerabilis Ibæ ab eodem Calchedonenſi concilio non fuiſſe ſuſceptam: ſed cum oſtendi non poſſit, tali mendacio nos in ejus condemnationem adducere voluerunt. Poſtremo autem probabo, non poſſe juſte culpari ſanctam ſynodum quod eam pronuntiavit orthodoxam. Ubi ſimul inopinum quoddam, & quod difficile credes, Auguſte, monſtrabitur. Nam cum Eutychiani memoratam ſynodum criminentur, C quod velut in approbatione ipſius epiſtolæ Beatum Cyrillum hæreticum fuiſſe firmaverit, & Neſtorii excuſationem, Epheſini vero concilii reprehenſionem receperit: ego contra doceam, quia ſi prædictam epiſtolam quaſi hæreticam improbaret, hinc potius B. Cyrillum credidiſſe hæreticum, & Neſtorium excuſaſſe, atque Epheſinum reprehendiſſe concilium videretur.

CAP. II. Sed jam primam diviſionis hujus partem tractare debemus. Dicimus igitur, quia vel ſi, ut quidam mentiti ſunt, epiſtolam venerabilis Ibæ D minime Calchedonenſis ſynodus approbaret, nec omnino ad ejus deferretur examen; ſic quoque in ipſius evacuationem pro Theodori laude damnaretur. Quod ex ejus allocutione, quam, ſicut priore libro docuimus, ad Martianum ſcripſit Auguſtum, cujus auctoritatem veſtra quoque pietas ſua lege firmavit, evidenter oſtenditur. Sed priuſquam allocutionis ipſius ſuper hac quoque cauſa teſtimonium proferamus, ſive expendamus, prædictam legem veſtram, quæ auctoritati ejus, ut diximus, atteſtatur, commemorare neceſſarium credo. Titulus autem, ſub quo continetur, iſte eſt: De ſumma Trinitate E & fide catholica, & ut nemo de ea publice contendere audeat. Principium vero: *Cod. de ſumma Trinit. l. 7.* "Imperator Juſtinianus Auguſtus Epiphanio ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo regiæ urbis hujus, & univerſali patriarchæ. Scire volentes tuam ſanctitatem omnia quæ ad Eccleſiaſticum ſtatum reſpiciunt. Et poſt alia: Eadem vero ſancta Calchedonenſis ſynodus, & magni Procli ad Armenios ſcriptam epiſtolam, de eo quod oportet dicere dominum Jeſum Chriſtum filium Dei, & Deum noſtrum, unum ſanctæ Trinitatis, per ſuam relationem ſuſcepit & confirmavit. Si enim prædictas ſanctas quatuor ſynodos egrediamur, aut ab his diſpoſita, damus facultatem hæreticis, qui depoſiti ab eis ſunt, & eorum dogmatibus, ſuam peſtilentiam iterum in ſanctas Dei Eccleſias oſtentare. Hæc in confirmationem prædictæ * allocutionis ex lege veſtra protuliſſe ſufficiat." * 73

Cujus titulus, quo interdictum eſt, ut de fide catholica nemo publice contendere audeat, utrum obſervetur, cum de ſynodi univerſalis ſententia, poſt centum fere annos, in Eccleſia modo contenditur, tuæ pietatis eſt judicare: aut ſi nulla tranſgreſſione quatuor ſanctæ ſynodi, & ab his diſpoſita convelluntur, cum epiſtola venerabilis Ibæ Edeſſeni Epiſcopi, quam magna ſynodus Calchedonenſis orthodoxam pronuntiavit, velut impia & Neſtoriana damnatur. Quid ergo prodeſt prævidiſſe quod per hæc facultas daretur hæreticis, qui depoſiti ab eis ſunt, & eorum dogmatibus, ſuam peſtilentiam iterum in ſanctas Dei Eccleſias oſtentare, & minime providiſſe ne fieret? Sed ex illa jam allocutione quod intendimus probare debemus. Alloquens itaque Martianum Auguſtum prædicta ſynodus, & tam decretorum * ſimul rationem, * 74 quam epiſtolæ B. Leonis, patrum auctoritate confirmans, ita reſpondit adverſus Eutychianos, qui *Poſt acta Concilii.* eam culpabant, quod duas diffinierit Chriſti eſſe naturas: "Ambiguitate quæſtionis exorta, patrum interpretationibus noſtram confeſſionem coaptaſſe cognoſcimur: ſatisfacientes quod in nullo diſcordem intelligentiæ eorum detulerimus animum, ſed his utimur teſtibus ad noſtræ fidei firmitatem." Et ut oſtenderet, quod non tam ipſam, quam doctores antiquos Eccleſiæ, quorum ſententiam in hoc ſecuta eſt, prædicti culparent hæretici, commemoratis in eadem allocutione quorundam patrum epiſtolis, etiam magni Procli volumen ad Armenios, cujus in veſtra lege meminiſtis, & epiſtolam ſapientiſſimi Joannis Antiocheni ſic memorat dicens: "Necnon & magnum Proclum huic vituperationi ſubjiciet, qui eiſdem Orientalibus volumen ad Armenios pro fidei congruentia deſtinavit. His autem conſociabitur ad culpam & ſanctiſſimus Joannes Antiochenus Epiſcopus, qui hæreticorum maledicta rejiciens, & Apoſtolicæ doctrinæ dogma declarans, totius Orientis confeſſionem velut ex uno ore, ſanctiſſimo Proclo, & ei qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, deſtinavit. Non igitur admirandi Romanæ urbis Præſulis epiſtolam, velut innovationis offendiculum, criminentur, &c." In hac vero ſapientiſſimi Joannis Antiocheni, & totius Orientis confeſſione, ſanctiſſimo Proclo & Imperatori Theodoſio deſtinata, cujus exemplo ſynodus Calchedonenſis admirandi Romanæ urbis Præſulis, id eſt, B. Leonis defendit epiſtolam, ut pote per quam memoratum Joannem Antiochenum & hæreticorum maledicta rejeciſſe, & doctrinam Apoſtolicam declaraſſe teſtatur, per quam & illud confirmatum eſſe primo libro docuimus, quod unus ex Trinitate ſit dominus Jeſus Chriſtus, multo majori laude, quam in epiſtola venerabilis Ibæ, Theodorus prædicatur. Nam Proclo quidem reſcribens ſuper confirmatione tomi ejus ad Armenos miſſi, idem [a] Joannes cum ſynodo Orientis dicit hæc: Non ſolum

a *Joannes cum Synodo Orientis* (Liberatus idem cap. x. de Armeniæ monachis agens, qui Theodorum Mopſueſtenum criminabantur. *Tunc*, inquit, *Joannes Antiochenus Synodo congregata tres pro Theodoro Mopſueſteno dictavit epiſtolas. & unam quidem direxit Theodoſio Imper. aliam Cyrillo Alexandrino, & tertiam Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo, laudans in eis Theodorum, & ejus exponens ſapientiam*. Primæ ac tertiæ verba ſunt, quæ hoc loco recitantur; ſecundæ, quæ lib. VII. cap. IV. At Juſtinianus in Edicto has Theodori laudes non pluris facien-

* (73) *allocutionis, ſive relationis.* * (74) *ſuorum.*

„ nos viventes tales calumnias ab his qui contur-
„ bare volunt Eccleſias continue ſuſtinemus : ſed
„ & qui bene de vita profectus eſt B. Theodorus,
„ & quinque & quadraginta annis clare in do-
„ ctrina præfulſit, & omnem hæreſim expugnavit,
„ nullam alicubi detractionem ab orthodoxis in
„ vita ſuſcipiens; poſt longi temporis hinc diſceſ-
„ ſum, & poſt multa certamina , & poſt decem
„ millia libros adverſus hæreſes conſcriptos, & po-
„ ſteaquam in conſpectu ſacerdotum & Imperato-
„ rum & populorum probatus eſt, periclitatur quæ
„ hæreticorum ſunt ſuſtinere , & illis proximus
„ prædicari. Theodoſio vero Imperatori , qui per
idem tempus mundi regebat gubernacula, ſic di-
„ cit : Theodorus enim , quem quando dicimus ,
„ virum dicimus in epiſcopatu clarum finem ha-
„ bentem, & quinquaginta pene annis fortiter re-
„ pugnantem cunctis hæreſibus, & expoſitionibus,
„ quas in omnibus Eccleſiis Orientalibus faciebat,
„ & quibus in regia civitate valde eſſe compro-
„ batus apparet, a nullo quoquam neque majo-
„ rum, neque ſimilium, judicatus eſt hæreticus :
„ e contrario autem ab omnibus ſacerdotibus, pro-
„ pter eam quæ illi aderat doctrinæ gratiam , in
„ admiratione ſemper eſt habitus , & ſuperio-
* 75 „ rem honorem * gloria poſſedit. & non a ſacer-
„ dotibus tantummodo , ſed a ſacratiſſimo veſtro
„ avo, dicimus ter beato , & a Deo imperii ſce-
„ ptra ſumente , & vobis tranſmittente Theodo-
„ ſio. qui in deſiderio viſionis viri factus, in Ec-
„ cleſia ejus doctrinæ fuit auditor magnus ille
„ Imperator: nec arbitratus eſt alterum ſe talem
„ comperiſſe doctorem , ſuperadmiratus quidem
„ ejus doctrinam , & colloquio delectatus atque
„ obſtupefactus tunc, quem nunc ſpernunt aliqui,
„ tanquam fortem ſumentes probandi & reproban-
„ di obeuntium doctorum quos volunt . Jam vero
„ & a veſtro Imperio, pro ſui reverentia, & ſpi-
„ ritali ſapientia, ei ſæpius atteſtatum eſt, & ve-
„ ſtris literis honoratus eſt. Itemque de illo in-
„ ferius: Iſte ille eſt Flaviani magni Antiochenſium
„ ſanctæ Dei Eccleſiæ pontificis amantiſſimus di-
„ ſcipulus, & B. Joannis Conſtantinopolitani Epi-
„ ſcopi condiſcipulus , cujus memoriam redivivam
„ feciſtis, maximam hinc gloriam pietatis veſtræ
„ imperio facientes . Dicunt & alia , quæ tunc
convenientius memorabuntur , cum & aliorum
ſanctorum patrum teſtimonia , quibus eidem
Theodoro ſimiliter atteſtati ſunt , proferemus .
Et cum Joannes Antiochenus, & ceteri Orien-
* 76 tales Epiſcopi, Mopſueſtenum Theodorum * præ-
coniis in eiſdem epiſtolis , quarum formam ſe
attendiſſe in ſuis diffinitionibus Calchedonenſis
ſynodus fatetur , tamquam Apoſtolicam decla-
rantem doctrinam, ut epiſtolam B. Leonis acci-
peret: quomodo non in ejus evacuationem, pro
laude Theodori, damnaretur epiſtola Ibæ, vel ſi,
ut dictum eſt, non eam pronunciaret ortodoxam,
neque ad ejus deferretur examen? Nam ſi quia
Theodorus, ut aiunt, Neſtorii quidem magiſter fuit,
majore autem quam ille impietate blaſphemavit,
& ſi quia omnia Theodori dicta adverſus Chriſtum
diaboli tranſgrediuntur inſaniam, ideo non ſolus
ipſe juſte damnatur, ſed etiam quæ illum laudavit

A epiſtola: ſynodus quoque Calchedonenſis juſte dam-
nabitur , quæ non tantum maximos laudatores
ipſius Theodori , prædictum Antiochenum , &
ceteros Orientis Epiſcopos, ſuſcepit ut patres ,
verum etiam ipſas quibus eum laudaverunt epi-
ſtolas ſecutam ſe fuiſſe in ſuis definitionibus
confitetur. Pervides igitur, clementiſſime Impe-
rator, quoniam vel ſi nos quoque contra teſti-
monium conſcientiæ denegemus epiſtolam vene-
rabilis Ibæ ortodoxam fuiſſe judicatam in ſyno-
do , & huic mendacio etiam illud addamus ,
quod nec ad ejus fuerit delata judicium, * præ- * 77
dicta ſynodus a nobis non poſſit defendi , ſi
eandem epiſtolam pro Theodori laude damne-
mus . Et illi quidem qui videntur in Eccleſia
falſi fratres, qui utinam foris eſſent , modo ne-
B gantibus non reſiſtunt, quin immo & * laudan- * 78
tur. Quod ut nos ſeducerent fallaciter immiſe-
runt : ut poſtea nobis ab ipſis , vel ab his qui
foris ſunt dicatur hæreticis ; qui Theodorum
juſte damnaſtis , quod ejus omnia dicta diaboli
tranſgrediantur inſaniam , & ideo conſequenter
etiam Ibæ rejeciſtis epiſtolam , atque a ſynodo
negaſtis eſſe ſuſceptam; crimini utique deputan-
tes, ſi eam orthodoxam pronuntiaſſe diceretur,
quæ blaſphemum laudavit & impium : quomo-
do ipſam Calchedonenſem ſynodum recipitis ,
evidentiſſime teſtantem illas epiſtolas Apoſtoli-
cam declaraſſe doctrinam, & hæreticorum male-
dicta rejeciſſe; in quibus doctrina Theodori mul-
to majore, quam in Ibæ epiſtola , prædicatione
laudatur? Amplioris autem delicti eſt, quod il-
C larum epiſtolarum judicio atque auctoritati ſe
ſubdidit, quam ſi male de ipſa, quod negaſtis ,
Ibæ epiſtola judicaret. Sed & hoc adjicient di-
centes , iſta eſt quam magnificatis Apoſtolica
Leonis veſtri doctrina : cujus epiſtolam ſynodus
Calchedonenſis illarum epiſtolarum teſtimonio ;
vel exemplo, excuſare tentavit, quæ profanum
Theodorum, & a vobis pro ſua impietate dam-
natum , maximis præconiis extulerunt . Hæc
cum objecerint, quid reſpondebimus , obſecro ?
quid dicemus noſtro judicio nobis ora clauden-
tes, niſi hoc unum fortaſſe quod reſtat , & ad
quod nos * omnia compellunt , illam ſynodum * 79
non recte de fidei Chriſtianæ dogmatibus cen-
ſuiſſe? Hoc enim conſequitur, ſi hæreſis crimen
eſt laudaſſe Theodorum, in illis epiſtolis prædi-
catum , quarum ſe formam attendiſſe in ſuis
D decretis, quibus B. Leonis approbavit epiſtolam,
prædicta ſynodus confitetur. Si autem volumus
immutilatam nobis ejus auctoritatem manere ,
non dicemus Neſtorianam epiſtolam venerabilis
Ibæ pro laude Theodori , quem in illis epiſto-
lis, quas tantum prætulit , amplius invenimus
eſſe laudatum. Sicut autem ipſarum epiſtolarum
teſtimonio convincuntur , qui cum teneantur
Calchedonenſis auctoritate concilii , a quo lau-
datæ ſunt , nolunt unum de Trinitate dicere
dominum Jeſum Chriſtum: ita & illi earum te-
ſtimonio convincentur, qui ſimili fide probantes
ejuſdem decreta Concilii , epiſtolam venerabilis
Ibæ, quia Theodorum laudavit , tanquam Ne-
ſtorianam voluerint abdicari . Et hæc adſerta

das docet, quam ea quæ Joannes idem & Orientales contra Cyrillum fidemque orthodoxam ſcripſerant, & pro Neſtorio. εἰ δὲ προσφέρουσι μαρτυρίας Ἰωάννου τοῦ Ἀντιοχείας, καὶ τῆς ὑπ' αὐτὸν ἀνατολικῆς συνόδου ὑπὲρ Θεοδώρου, καὶ τῆς αὐτοῦ ἀσεβείας γενομένας, ἀνάγκη αὐτοὺς κἀκεῖνα δέξασθαι, ἅπερ ἴσασι τοῦγε ἐπ' αὐτοῖς εἰς κατηγορίαν τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου, καὶ ἀθέτησιν τῆς ὀρθῆς πίστεως, εἰ πε-
εἰ Ἰωάννην ἐτόλμησαν. καὶ ἅπερ ἔγραψαν Νεστόριον καὶ τὴν αὐτοῦ κακοδοξίαν ἐπὶ πλεῖστον χρόνον ἐκδικοῦντες.

* (75) *gloriamque.*
* (76) *præconiis extollant.*
* (77) *prædictam Synodum a nobis non poſſe defendi.*
* (78) *laudant.*
* (79) *omnia iſta.*

ſunt, vel ſi, ut jam diximus, non eam ſyno-
dus pronunciaret orthodoxam, nec apud eam
recitata poſſet oſtendi. Quia vero fatentur quod
ibi recitata fuerit, adhuc eis amplius conceda-
mus, & diſſimulemus ab hac quoque ſententia
* 80 ſynodi, qua pronunciavit quod * ſanctiſſimus
Joannes Antiochenus, hæreticorum maledicta re-
jiciens, & Apoſtolicæ doctrinæ dogma declarans,
totius Orientis confeſſionem, velut ex uno ore,
ſanctiſſimo Proclo, & ei, qui per idem tempus
mundi regebat gubernacula, deſtinavit: ut ſicut
negatur eadem ſynodus epiſtolam venerabilis
Ibæ orthodoxam pronunciaſſe, ita etiam nege-
tur memoratas ſapientiſſimi Joannis, & totius
Concilii orientalis epiſtolas, in quibus Mopſue-
ſtenus Theodorus multo amplius laudatus eſt,
approbaſſe, & earum formam in ſua definitio-
ne, quemadmodum docuimus, attendiſſe. Num-
quid etiam ſic non in reprehenſionem ipſius ſy-
nodi pro quacumque cauſa prædicta epiſtola vi-
debitur? Nam ſi credendum eſt ad zelum ca-
tholicæ fidei pertinere, quod poſt centum fer-
me annos tanquam Neſtoriana damnata eſt;
ſancta illa ſynodus hæreſi Neſtorianæ cohibuit,
quæ apud ſe recitatam eandem epiſtolam non
damnavit. ſi tamen ſola illa ſynodus, & non
tota Chriſti Eccleſia uſquequaque diffuſa, quæ
decreta ipſius ſynodi in magna ſemper auctori-
tate ſuſcepit. Indubitatum eſt igitur, quod ſy-
nodum Calchedonenſem non falſa negatio, ad
deceptionem facilium ab hæreticis adinventa,
ſed ſola poſſit defendere ratio veritatis: quam
nos, diſcuſſis ipſorum hæreticorum fraudibus at-
que mendaciis, Deo adjuvante reddemus.

CAP. III. UT autem clementiæ tuæ magis appareat,
quod non forſitan minus occurrente ratione,
qua illa defenderetur epiſtola, negatum ſit a ſy-
nodo fuiſſe ſuſceptam; ſed potius in præjudi-
cium ipſius ſynodi facta ſint omnia, quæ in
ejus purgatione elaborata dicuntur: conſidera,
quæſo, aut eos etiam qui talia conſcripſerunt
interroga, cur tanta in ipſius epiſtolæ repre-
* 81 henſionem ſcripta; cur tam multa vitia * ad-
ſcripta ſunt, nec ab ipſis Ibæ accuſatoribus im-
putata; cur poſtremo velut impia & Neſtoriana
damnata eſt. Non & iſtud defendendæ ſynodi
neceſſitas flagitabat: cum magis excuſari de-
* 82 buerit, ut etiam ſi * metuendum putabatur,
utroque defenſionis latere muniri ſynodus vide-
retur, cum dicerent & illam epiſtolam non fuiſ-
ſe ſuſceptam, & vel ſi ſuſcepta fuiſſet, ſyno-
dum non eſſe culpandam. Nunc autem conge-
runt in ipſam epiſtolam multa crimina, adfin-
gunt velut acceptabiles damnationis ejus cauſas,
quod ab hæreticis expectatum eſt; & jactant
non fuiſſe ſuſceptam, quod oſtendere nemo po-
teſt. Namque cum venirent ad locum ipſius
„epiſtolæ, ubi refert Ibas, & dicit: Multi autem,
„ante oculos non habentes Dei timorem, occa-
„ſione Eccleſiaſtici zeli, inimicitias, quas occul-
„tas in cordibus ſuis habebant, ad effectum per-
„ducere feſtinaverunt. Ex quibus unus exiſtit no-
„ſtræ civitatis tyrannus, quem nec tu ipſe igno-
„ras; qui occaſione fidei non ſolum nunc viven-
„tes inſequitur, ſed & hos qui olim ad Deum
„præceſſerunt. Quorum unus eſt B. Theodorus,

A præco veritatis & doctor Eccleſiæ. qui non ſo- "
lum in ſua vita colaphizavit hæreticos per ve- "
ritatem ſuæ fidei, ſed & poſt mortem ſpiritalia "
arma in libris propriis Eccleſiæ filiis dereliquit, "
ſicut & tua reverentia eidem collocuta cogno- "
vit, & ex his quæ ſcripſit inſtructa eſt. Hunc præ- "
ſumpſit qui omnia præſumit in Eccleſia palam "
anathematizare. qui propter zelum Dei, non "
ſolum propriam civitatem ab errore ad verita- "
tem convertit, ſed & longe poſitas ſua doctri- "
na inſtruxit Eccleſias. Cum ergo ad iſtum lo- "
cum, ſicut dixi, venirent, ubi quemdam deno-
tat idem venerabilis Ibas ad Marim Perſam ſcri-
bens, quod Theodorum anathematizare præſum-
pſerit: quamvis ipſius epiſtolæ verba non ita in
B ſuo libro poſuerint, ſicut habentur, ſed quæ vo-
luerunt pro ſua voluntate decerpſerint: tamen
non dubitaverunt & hoc addere dicentes, O- "
portet aperte inſpicere ad Marim epiſtolam, "
omnia quidem ſine Deo & impie dicentem: "
illud tantummodo oſtendentem bene, quia ex "
illo Theodorus per Orientem in Eccleſia ana- "
thematizatus eſt. Vellem itaque mihi reſponde- "
rent, atque monſtrarent: non dico qui talia
ſcripſerunt (ipſi enim ſciunt quid egerint)
ſed iſti qui talibus ſubſcripſerunt, quomodo con-
firment quod illa epiſtola ad Marim ſcripta
omnia ſine Deo & impie dicat. Num etiam con-
feſſionem duarum naturarum Chriſti damnave-
rit. An non in eadem epiſtola continentur hæc "
verba: Eccleſia enim ſic dicit, ſicut & tua ſan- "
C ctitas novit, & ſicut a principio didicit, & "
confirmata eſt divina doctrina ex libris beato- "
rum patrum, duæ naturæ, una virtus, una per- "
ſona, quod eſt unus filius dominus Jeſus Chri- "
ſtus. Liquet igitur, * jamque, quantum exiſti- " * 83
mo, etiam his quibus forte aliud videbatur,
quod aſtute ad denegationem duarum Chriſti
naturarum, ſub obtentu neſcio cujus novæ di-
ligentiæ, epiſtola illa damnata ſit. Nam quare
dicerent quod omnia ſine Deo & impie dicat,
niſi ut illud quoque complecterentur, quod duas
Chriſti confiteatur eſſe naturas? Ac ne ſecun-
dum aliquam loquendi conſuetudinem accipere-
tur, quod dixerunt omnia, non leviter, ſed
D caute atque ſollicite ſe id poſuiſſe exceptione
addita monſtraverunt, adjicientes atque dicen-
tes, Illud tantummodo oſtendentem bene, quia "
ex illo Theodorus per Orientem in Eccleſia ana- "
thematizatus eſt. Si igitur illo tantummodo "
excepto, omnia ſine Deo & impie dicit, in ipſis
omnibus proculdubio etiam illud voluerunt in-
telligi, quod duas profeſſa eſt Chriſti eſſe na-
turas. Non autem, ſicut jactant, hoc illa bene
oſtendit epiſtola, quia ex illo Theodororus per
Orientem in Eccleſia anathematizatus eſt, cum
hoc ab uno factum referat: ſed hoc potius be-
E ne oſtendit, quod anathematizandus non ſit,
quem unus tantummodo anathematizare præ-
ſumpſit: cujus præſumptionem ſi quis approbat,
ceteros Orientis Epiſcopos, qui hoc impium ju-
dicaverunt, ſine dubitatione condemnat. Ut au-
tem alio quoque oſtendamus indicio, quod ad
denegationem duarum Chriſti naturarum, quas
in memorata epiſtola confeſſus eſt idem Ibas,
adjecerunt ut dicerent eam omnia ſine Deo &
impie dicentem: recordare, quæſo, Imperator,
quæ formula prius data fuerit damnationis ipſius

* (80) *ſapientiſſimus.*
* (81) *falſo adſcripta.*
* (82) *mentiendum.*
* (83) *jam.*

epiſtolæ, & quæ ſit modo compoſita. Nam prius
» dictum fuerat: Si quis dicit rectam eſſe ad Ma-
» rim impiam epiſtolam, quæ dicitur ab Iba eſ-
» ſe facta, aut ejus aſſertor eſt, & non magis
» anathemati ſubjicit, ut pote male tractantem
» ſanctum Cyrillum, qui dicit quia Deus verbum
» factus eſt homo, & ejuſdem S. Cyrilli XII. ca-
» pitulis detrahentem, & primam Epheſinam ſy-
* 84 » nodum * impetentem, Neſtorium vero defen-
» dentem, laudantem autem Theodorum Mopſue-
» ſtiæ, anathema ſit. Nunc autem, ſubmotis his omnibus cauſis, nolo dicere utrum veris aut qualibus, ne propter ipſas tantum videretur eſſe damnata, ac non etiam pro confeſſione duarum naturarum Chriſti, quam continet, poſtea talis data eſt formula ſubſcribendi, & ſic abſo-
» lute fieri præceptum eſt: Si quis dicit rectam
» eſſe ad Marim impiam epiſtolam, aut eam de-
» fendit, & non anathematizat eam, anathema ſit.
Cum ergo & in ipſius conteſtatione libri pronuntiaverint, quod omnia ſine Deo & impie dicat, & in ſubſcriptionis formula, quam poſtea mutaverunt, abſtulerint alias qualeſcumque damnationis ejus cauſas, ut non pro aliquibus damnata, ſed pro omnibus videretur: quid aliud intelligendum eſt, niſi quia ſub prætextu falſæ diligentiæ confeſſionem duarum naturarum Chriſti deſtruere voluerunt? Emendaverunt & alia, & adhuc emendant, in eodem neſcio quali ſuo libro: ſi tamen emendatio illa dicenda eſt, per quam non aufertur mendacium, ſed augetur. Unde ſi poſt hanc quoque reſponſionem noſtram mutaverint alia, nobis imputare non debent, quaſi falſe reprehenderimus, quæ ab eis aliter dicta ſunt. Si enim aliquando conſiſterent, & mutari atque mutare deſinerent, congrua dictis ipſorum inveniretur etiam noſtra reſponſio. Quod ſi quiſquam dolos eorum ex his quæ memoravimus inveſtigare non poſſit, quoniam non omnes habent ſtudium lectionis, cui ſola ipſius facti conſideratio non ſufficeret ad cognoſcenda factionis hæreticæ non experta conſilia? Primum quod ſubito, & " nulla ſaltim provocante cauſa, ante centum ferme annos ab univerſali judicata Concilio ventilatur. Deinde quod data formula ſubſcribendi, quam non liceret excedere, paſſim & ubicunque reperti, ad augendum numerum, alieno decreto ſubſcribere compelluntur Epiſcopi, quod per diverſas circumlatum provincias omnium ſacerdotum videretur ſubſcriptione firmari. Nam ſcientes Eutychiani quoniam privata cujuſcunque voluntas univerſali ſynodo præjudicium, quod ſemper quæſierunt, inferre non poſſet, id egerunt per ſuos ſatellites, arte qua ſolet hæreticorum exercitata malitia, ut quaſi totius Eccleſiæ judicato Neſtorianam eſſe epiſtolam comprobarent, de cujus receptione univerſalem ſynodum criminantur. Nam alia cauſa nec videtur, nec dicitur, pro qua ſubſcribendum in multas provincias mitteretur. Quod ſi & hæc intelligere non poſſemus, quem ſanum tandem non ſollicitaret, ſi ei nec petenti, nec egenti, ingereretur antidotum, quod utique contra aliquid dari, ipſum nomen ejus indicium eſt? Et propterea, ſi morbus non ſit contra quem detur, non ſine ſuſpicione auferendæ ſalutis ingeritur. Quod tibi, religioſe Imperator, non aliena ratione ſuademus. nam veſtra ſunt iſta quæ dicimus. Tum enim cum pro firmanda, vel amplius publicanda, condemnatione ᵃ Theodori Alexandrini, aliorumque ſimilium, beatiſſimo Romano Epiſcopo ſcripſiſtis, hoc etiam quod aſſerimus addidiſtis, ita dicentes: Ceterum quod generale dici- »
tis fieri debere Concilium, quæ hujus rei cauſa »
ſit ignoramus. Nullus ignotus proceſſit hæreti- »
cus, nulla noſtris eſt temporibus nata perfidia, »
nec aliquid in fide, quod retractari debeat, in- »
venitur. & intuliſtis quod & nos in hac cauſa »
dicimus: Qui enim ſanis ea adhibet quæ ſolent »
adhiberi vulneribus, non reducere cupit, ſed »
expellere ſanitatem. Hæc tua eſt ratio, ſereniſ- »
ſime Imperator. a qua ſi non avertamus aſpectum, non aliud de cauſa præſenti poſſumus judicare, niſi quod in condemnatione hujus epiſtolæ fautores hæreticorum non reducere cupierunt, ſed expellere ſanitatem. Ob hoc ergo non abducimur falſo titulo nominis tui, ut quæ huic ſane rationi contraria cernimus, tuæ pietatis eſſe dicamus; aut talibus purgatam credamus ſanctam & univerſalem ſynodum, quaſi hactenus * impura remanſiſſet, & mendacii atque coactæ * 85
defenſionis indigeret verax & omnium catholicorum devotione honorata ſemper ejus auctoritas. Quando ſi ita pro ea reſpondendum hæreticis * videretur, ut negaretur, quod epiſtolam * 86
venerabilis Ibæ pronunciavit ortodoxam, non illorum hoc poſſit Epiſcoporum ſubſcriptione ſive teſtimonio confirmari, quibus Eutychiani ſi crederent, non ſe a communione Eccleſiæ ſepararent. Propter quod nec aliquis unquam propriis teſtibus uſus eſt adverſus hæreticos: ſed divina potius auctoritate, atque neceſſaria ratione, & antiquorum patrum teſtimoniis, quorum ſe nobiſcum doctrinam accipere mentiuntur. At enim dicitur, quod Eutychiani graviter beati Cyrilli doleant injurias, quas * epiſtola continet, & propte- * 87
rea ſcandalizantur in ſynodo, a qua dicunt eſſe ſuſceptam. Quid ergo ſi negaverimus eſſe ſuſceptam, credent nobis? aut nobis, id eſt catholicis crediderunt, & non ipſi potius viderunt eſſe ſuſceptam, ut hinc expoſtulent? Quod ſi etiam dicantur nobis credidiſſe quia ſuſcepta eſt, quomodo nobis iterum credent, ſi dicamus quia ſuſcepta non eſt? Si autem non crediderunt teſtimonio noſtro, ſed ipſi quod manifeſtum eſt cognoverunt; numquid plus noſtris ſubſcriptionibus credituri ſunt, quam ſuæ rationi? Non igitur hæreticorum doloſi fautores hoc illorum Epiſcoporum ſubſcriptionibus voluerunt efficere, ut convincerentur Eutychiani, quod non fuerit a ſynodo epiſtola venerabilis Ibæ ſuſcepta: ſed ut ipſa potius eorum negatione videretur non fuiſſe ſuſcipienda. Verum iſta putaverint Eutychianos falſo noſtro teſtimonio credituros. cur igitur non ita ſaltim ſtatuerunt ut dicerent: Si quis dicit ſuſceptam eſſe a ſynodo Calchedonenſi ad Marim epiſtolam, anathema ſit: ſed magis * dicendum, Si quis dicit rectam * 88
eſſe * ad Marim epiſtolam, aut impiam defendit, * 89
& non anathematizaverit eam, anathema ſit:

Margin: * ſ. nullo ſaltim provocante, cauſa ante, &c.

a *Theodori Alexandrini*) Monachi opinor illius e ſecta Severi Theopaſchitæ, qui contra Themiſtium Agnoetarum principem libros ſcripſit, de quibus Photius in Bibliotheca numero CVIII. *Θεοδώρου μονάζοντος Ἀλεξανδρέως κατὰ Θεμιστίου. ἄμφω δὲ αἱρετικοὶ, καὶ τῆς Θεοπασχιτῶν μερίδος ὑπάρχουσι, Σεβήρῳ δὲ προσανακείμενοι.* Cetera Facundo debentur: quia de Theodoro ſilent alii, & Juſtiniani aut Pontificis Romani de eo literæ non extant.

* (84) *injuriis impetentem.*
* (85) *impurgata.*
* (86) *videbatur.*
* (87) *epiſtola illa.*
* (88) *dixerunt.*
* (89) *ad Marim impiam epiſtolam aut defendit, &c.*

niſi ut ſanctos, qui eam in concilium congregati non anathematizaverunt, immo & orthodoxam judicaverunt, pro hæreticorum voluntate damnarent? Et licet, ut nos ad condemnationem ejus inducerent, finxerunt quod iidem patres, qui Calchedona convenerunt, non eam pronuntiaverunt orthodoxam, de quo poſtea diſquiremus; interea tamen certum eſt, quod cum
* 90 apud eos recitaretur, non eam * anathematizari ſubdiderunt. An quia non præteriti temporis verbo dixerunt, ſi quis non anathematizavit ad Marim impiam epiſtolam, ſed, ſi quis non anathematizat: ideo non pro condemnatione ſynodi Calchedonenſis hoc adinveniſſe putandi ſunt?
* 91 Equidem ſi hoc a ſubſcribentibus * " exigerentur
* 92 93 fieri, * acta res eſſet, nec jam * ſuſpicio, ſed manifeſta contradictio videretur. At hoc ſibi neceſſarium non eſſe duxerunt, cum ſemper dicamus, Propheta dicit, Apoſtolus dicit, Evangeliſta dicit, & tantumdem valeat, quantum ſi dicamus, ille vel ille dixit. Deinde ipſos qui Calchedona convenerunt patres, & apud Deum, & apud nos, in ſuis dicimus conſtitutionibus vivere. quia, ſicut Dominus in Evangelio dicit:
Matth. 22. 32 *Deus eorum non eſt Deus mortuorum, ſed Deus vivorum.* Quod etiam beatus Leo, Romanæ præſul Eccleſiæ, ſcribens venerabili Anatolio, hujus regiæ civitatis Epiſcopo, ſic accipiendum „ inſinuat: Sancti, inquit, illi & venerabiles pa„ tres, qui in urbe Nicæna, ſacrilego Arrio cum „ ſua impietate damnato, manſuras uſque in fi„ nem mundi leges Eccleſiaſticorum canonum con„ diderunt, & apud nos, & in toto orbe terra„ rum, in ſuis conſtitutionibus vivunt. Si igitur omnes venerabiles patres in ſuis conſtitutionibus vivunt, profecto etiam qui in Calchedona convenerant, tanquam viventes, non ſolum non anathematizaverunt, verum etiam adhuc non anathematizant, nec unquam anathematizabunt epiſtolam venerabilis Ibæ. Quæ cum ita ſint, certum eſt quod ad eoſdem patres voluerunt hoc anathema pervenire. Porro & hac ratione ſubmota, non poteſt acceptabiliter dici, quod non pro condemnatione ſynodi Calchedonenſis ita inſtitutum eſt, ſed ut illi qui ſunt præſentes in corpore tantummodo damnarentur, ſi anathema epiſtolæ Ibæ non dicerent. Nam quomodo nos condemnare poſſumus, qui judices in cauſa non fuimus, illis patribus non condemnatis qui prius in ſuo judicio recitatam eandem non condemnaverunt epiſtolam, & quorum exemplo ſumus inducti, ut ei nos quoque non diceremus anathema? Ab illorum enim damnatione procedere debet forma judicii, a quorum errore proceſſit forma peccati: & ampliore ſupplicio digni ſunt qui auctores, quam qui ſequaces deprehenduntur erroris. Cum vero hæc in condemnatione ſanctæ ſynodi, pro hæreticorum voluntate cenſuerint, & conſtituerint, ut ſi quis non anathematizat memoratam venerabilis Ibæ epiſtolam, anathema ſit: conſidera quæſo cujus levitatis, cujus confuſionis eſt atque dedecoris, ut nos ſibi communicare compellant, permanentes in ea ſententia, qua non ſolum anathema ei non dicimus, ſed etiam negamus eſſe dicendum.

f. exigerent fieri, aperta res, &c.

A Ubi omittimus dicere, quoniam ſi communicemus eis, qui nobis jam dixerunt anathema, non ſolum condemnationi ſynodi Calchedonenſis communicabimus, verum & ſententias in nos eorum, ipſa eorum communicatione firmabimus. Id enim etiam ipſos fortaſſis velle dicitur. Sed hoc potius dicimus, quoniam ſi ullus apud eos eſſet divinæ religionis, vel rationis humanæ reſpectus, ipſis quoque profanum & nimis turpe videri debuit, communicando nobis anathema, quod in nos decreverunt, in ſemetipſos ultro convertere. Unde ſatis apparet quanta ſit gravitas, & quanta integritas eorum „ qui Calchedonenſis decreta concilii retractare præſumunt. Proinde beneficio magis, quam injuriæ deputent, quod eis non communicamus, donec de medio * tollant iſtud anathema, quod * 94
B velut magnum chaos interjacens, dividit a populo ſpiritu paupere, in ſenſu paternæ fidei & ſententiæ quieſcente, inquietos ac ſuperbiſſimos præſumptores, qui ſibi tantum videntur abundare ſapientia, ut ablactati ſuper matrem ſuam, Eccleſiæ inſtituta contemnant, cum ſcriptum ſit: *Fili, cuſtodi legem patris tui, & ne repuleris inſtituta matris tuæ. Alliga autem illa circa tuam animam ſemper, & circunda collo tuo.* Prov. 6. 20. ruſſumque: *Audi fili diſciplinam patris tui, & ne abjeceris inſtituta matris tuæ: coronam enim gratiarum accipies tuo vertici, & torquem aureum circa tuum collum.* Prov. 1. 8. O quantum malum, torquem aureum mola aſinaria velle commutare: ut qui debemus, Dei patris diſciplina & lege ſervata, de reverentia quoque matris noſtræ inſtitutorum, coronam * gratiæ accipere noſtro * 95
C vertici, & torquem aureum circa collum noſtrum; abjiciendo quæ mater ſancta conſtituit, ſcandalum ejus filiis præbeamus, & incidamus in illud judicium, de quo Dominus dicit: *Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo a ſcandalis. neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala: verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Matth. 18. 6. Si igitur unum puſillum ſcandalizare tam grave eſt, ut magis expediat ſcandalizanti, mola aſinaria collo ejus ſuſpenſa, in profundum maris demergi, quanto magis totam Eccleſiam ſola inquietudine animi, & non tacendi libidine conturbare!

D

CAP. IV.

QUale vero illud eſt quod jactant, ideo ſe damnaſſe hanc epiſtolam, quod ejus conſcriptor videatur in ea de beato Cyrillo quod male ſenſiſſet, cum ſcripſerit adverſus eundem ſanctum Cyrillum, & XII. ejus capitula, beatæ quoque memoriæ ᵃ Gennadius hujus regiæ civitatis Epiſcopus, nec ab iſtis reprehenſus in hac condemnatione denominetur, qui multo vehementius & contumelioſius eum in ſua reſponſione tractavit? Nam ſic adverſus eum dicit: Væ mihi a malis. « heu, heu! unde enim quiſquam in præſenti « aliunde ſumat exordium? Quales Cyrilli Ægy- « ptii, & quantas blaſphemias incurri, & quan- « tas blaſphemias audivi! Quis revera det capiti « Hier. 9. 1. meo aquam, & oculis meis fontem lacryma- «

a *Gennadius Epiſcopus.*) Succeſſor Anatolii, ad quem ſcripta eſt Leonis epiſtola centeſima. Hujus locum alterum ex lib. II. ad Parthenium profert Leontius in locis communibus de Origine animarum, *Γενναδίου Κωνσταντινοπόλεως ἐκ τοῦ πρὸς Παρθένιον δευτέρου λόγου.*

* (90) *anathemati.*
* (91) *exigerent.*
* (92) *aperta res eſſet.*
* (93) *ſubreptio.*
* (94) *tollatur.*
* (95) *gratiarum.*

rum

„rum ? & plorabo iſtud die & nocte : quoniam
„extendit lingua ejus mendacium, & non fidem:
„confortatus eſt ſuper terram . ex certo pax pec-
„catoribus deceptio : propter hoc enim obtinuit
„eos , inquit , ſuperbia eorum in finem : cogita-
„verunt & locuti ſunt in malignitate : iniquita-
Pſal. 72. 9. „tem in altum locuti ſunt : poſuerunt in cælo
„os ſuum , & lingua eorum tranſivit ſuper ter-
„ram . Pſalmiſtæ iſta ſunt : Jeremiæ autem pro-
Act. 20. 30. „phetæ illa prima. Euge, o beate Paule. *Exur-
„gent*, inquit, *& ex vobis ipſis viri loquentes per-
„verſa , ut abducant diſcipulos poſt ſe*. Væ malo
„Alexandriæ, familiari ejus, & proprio jam Iſtiſe-
„cundo. quæ corrupta ploremus, quæque corrum-
„pit. ex toto jam myſterium iniquitatis , & ve-
„reor ne forte nunquam qui tenet de medio fiat.
Thren. 2. „Euge Jeremiæ prophetæ. Idem illi voci extaſis
„terribilis facta eſt ſuper terram : Prophetæ pro-
„phetant iniqua : ſacerdotes plauſerunt manibus
„ſuis, & populus meus dilexit ita. Quid enim mi-
„nimum, aut quid mediocre in illis ? omnem ſu-
„pereminentiam blaſphemiæ jaculatus eſt adverſus
* 96 „ſanctos patres, adverſus eorum * priores Apoſto-
„los, adverſus ipſum Salvatorem , in reſurrectio-
* 97 „nem meditatus eſt. Aſſumptam quidem * huma-
„nitatem ex nobis & pro nobis injuriat: divinam
* 98 „* ejus naturam, & impaſſibilem paſſionibus ſub-
„jacere contendit. Ecce quanta & qualia ſanctus
Gennadius in beatum Cyrillum effudit, & nulla
hinc fit nominis ejus invidia, quoniam ipſe non
interfuit Calchedonenſi concilio. Quin etiam re-
ſpondens primo ejuſdem ſancti Cyrilli capitulo,
quo dixit; Si quis non confitetur Deum eſſe ſe-
cundum veritatem Emmanuel, & propterea Dei
genitricem ſanctam virginem , genuit enim car-
naliter carnem factum Dei verbum , anathema
Act. 23. 3. „ſit; ita in eum invectus eſt: Anathematizaturus
„eſt te Deus, paries dealbate. juſtiſſimum enim
„eſt te, ſimiliter Ananiæ Judæorum principi ſa-
„cerdotum linguam adverſus diſcipulos Chriſti
„moventem, ſimilem ab eis indignationem expe-
„riri. & cetera, quæ in eodem opere , ſiquis vo-
let, inveniet. Cur igitur in hac ultione , ſicut
dicunt, injuriarum beati Cyrilli, non magis ſan-
cti Gennadii nomen, & pro ſui loci auctorita-
te, quaſi regiæ civitatis Epiſcopi, & pro male-
dictionum atque contumeliarum magnitudine, ven-
tilatur ? Quod ſi hoc conſideraverunt , quoniam
talia Gennadius de Cyrillo non ſcriberet , niſi
dicentis intentionem minus intellexiſſet : hanc
prudentem & piam conſiderationem ego quoque
ſuſcipio. Potuit enim & ipſe de Chriſtiana reli-
gione quæ recta ſunt credens , non intellectum
beatum Cyrillum bona intentione culpare, & bo-
nam damnare intentionem damnabile crediderunt.
Quod ſi hoc etiam conſideraverunt , quoniam
ſi ea, quæ ante centum annos a beato Genna-

A dio ſcripta ſunt, modo condemnarentur, in * re- * 99
prehenſione totius Eccleſiæ fieret , quæ hoc an-
te non fecit: hoc quoque ſapienter atque mode-
ſte conſideratum eſſe, * ſi quis ſapiens & mode- * 100
ſtus, agnoſcet . Sed quare non amplius hoc ſu-
per epiſtola venerabilis Ibæ conſideratum eſt, quæ,
ut non dicam ab univerſali ſynodo approbata
eſt, certe recitata illic oſtenditur , nec oſtendi-
tur abdicata; niſi quia pro deſtructione ipſius ſy-
nodi, & non pro injuria ipſius Cyrilli , quaſi
profana damnata eſt ? Denique etiam dicta vene-
rabilis Theodoreti Epiſcopi Cyrri, in quibus con-
traria dicitur ſcripſiſſe beato Cyrillo, ſub hujus
ultionis obtentu ſimiliter reprehenderunt ; & ob
B hoc eum volentes videri notabilem , quia ipſe
inter alios patres affuit Calchedonenſi Concilio,
& beati Leonis epiſtolam , quam Eutychiani
anathematizant , cum ibi relegeretur , dubitan-
tibus Epiſcopis Illyricianis & Palæſtinis aſſeruit.
Alioquin cur adverſus Ibæ epiſtolam , & Theo-
doreti ſcripta, ſic evidenter agerent , aliorum
nominibus tacitis , quorum & dignitas potior ,
& opinio clarior , & ipſa quæ contra beatum
* Cyrillum , vehementiora , atque acriora cer- * 101
nuntur ? Nam vir etiam ſanctiſſimus, & magnæ
in Eccleſia Chriſti gloriæ , * Iſidorus presbyter a
Ægyptius Peluſiota , quem duo millia epiſtola-
rum ad ædificationem Eccleſiæ multi ſcripſiſſe
noverunt, qui etiam pro vitæ ac ſapientiæ ſuæ
C meritis, ut pater ab ipſo Cyrillo & honoratus
eſt & vocatus , ſic ei ſcribit , quin potius re-
ſcribit: Terrent me divinæ ſcripturæ exempla , “ 1. Reg. 4.
& reſcribere quæ oportet compellor . Sive enim “
pater ſum , ſicut ipſe dixiſti, propter Heli con- “
demnationem , qui filios peccantes non caſtiga- “
vit: ſive filius ſum tuus, ſicut magis novi, quod “ 1. Reg. 15. & 31.
magni illius Marci habitum geſtes, formido Jo- “
nathæ condemnationem , quod patrem * allo- “ * 102
quentem ventriloquam non prohibuit : & prior “ 1. Paral. 10. 13.
mortuus in bello, eo qui peccavit , qui prohi- “
bere poterat. Ut autem neque ego condemner, “
neque ipſe a Deo condemneris , requieſce a “
contentione , nec ultionem propriarum injuria- “
rum , quæ tibi a mortalibus hominibus debe- “
D tur , exigas a vivente Eccleſia , & æternam ei “
diſcordiam ſub prætextu pietatis ædifices . Nec “
Iſidori ſcripta , dicentis quod æternam diſcor-
diam ſub prætextu pietatis Cyrillus ædificaret
Eccleſiæ , cum magna invidia , quemadmodum
Theodoreti Epiſcopi dicta , & venerabilis Ibæ
epiſtola, denotantur. Scribit autem ad illum rur-
ſus idem ſanctus Iſidorus dicens: Compaſſio qui-
dem aciem oculorum obtundit : æmulatio ve-
ro excæcat omnino. * Noli ergo ab utraque ſen- “ * 103
tentiarum exſecutor fieri, ſed examini juſto cau- “
ſas permitte: quoniam & Deus, qui omnia ſcit “
antequam fiant , deſcendere & videre clamorem “ Geneſ. 18. 21.

---

a *Iſidorus Peluſiota*) Harum ad Cyrillum prior eſt cccIxx. libri primi, poſterior cccx. Quod vero Iſidori epiſtolas in univerſum numerat bis mille, viderat fortaſſe codices Acœmetenſis monaſterii Conſtantinopoli , in quibus totidem continebantur, ut in veteri MS. adnotatum memini ab antiquo earum interprete his verbis: *Has omnes B. Iſidori presbyteri & abbatis Peluſiotæ recenſui & tranſtuli ex epiſtolis ejus duobus millibus , quæ ſunt per quingentas diſtributæ in Acœmitenſis monaſterii codicibus vetuſtiſſimis quatuor*. Nec plures hactenus triplici editione in lucem prodiere quam bis mille tredecim . Ceterum ad decem millia ſcripſiſſe Iſidorum , atque in his ter mille ſcripturam ſacram expoſuiſſe , auctor eſt Suidas , vel quem Suidas exſcripſit. Ἰσίδωρος , inquit , πρεσβύτερος ὁ Πηλουσιώτης , &c. γέγραφεν ἐπιστολὰς ἑρμηνεύσας τὴν θείαν γραφὴν Γ. καὶ ἑτέρας Ζ. καὶ ἄλλα , τινά . Sic enim habent codices emendati .

* (96) *ſuperiores* .
* (97) *humanitatem Unigeniti* .
* (98) *autem ejus* .
* (99) *reprehenſionem* .
* (100) *quis ſapiens & modeſtus ignores ? Sed &c.*
* (101) *Cyrillum ſcripſerunt vehementiora &c.*
* (102) *quærentem* .
* (103) *Ab utraque lippitudine purgare te ſi ſtudes , noli v . . . tarum* (violentarum) *ſententiarum exſecutor fieri &c.* in editis, Jacobo Billio Prunæo interprete, hæc habentur l. 1. ep. 310. *quapropter ſi ab utraque lema purus atque immunis eſſe ſtudes, noli violentas ſententias ferre* .

„ Sodomorum humaniter cum bonitate voluit , „ diligentis inquiſitionis nos docens argumentum. „ Multi namque te quaſi per comœdiam irrident „ ex his qui collecti ſunt in Epheſum, quod pri-
* 104 „ vatam injuriam * judicans, non quæ Chriſti ſunt
a „ ortodoxe requiſieris . dicunt , quod ᵃ conſobri- „ nus Theophili eſt, & imitans illius voluntatem. „ Sicut enim ille inſaniam apertam diffudit con- „ tra Theodorum , & noſtrum Joannem : ſic con- „ cupiſcit & iſte gloriari. licet inter examinatos, „ multum eſt quod diſcrepet. Ecce & in hac epiſtola arguit illum, velut animi paſſione & emulatione cæcatum , violenter magis , quam juſto examine, cauſas agere atque irrideri a multis , quod injuriæ privatæ vindictam, non quæ Chriſti ſunt ortodoxe requiſierit apud Epheſum in cauſa Neſtorii, ſicut etiam Theophilus , conſobrinus ac deceſſor ejus , in condemnatione Joannis Conſtantinopolitani hominum gloriam requiſiſſet . Ideo ſanctus quoque Gennadius de ipſo beato Cyrillo dixit , quemadmodum ſupra docuimus: Væ malo Alexandriæ, familiari ejus, & proprio jam iſti ſecundo: primum volens intelligi Theophilum, ſecundum vero Cyrillum.
* 105 Et qnanquam vir * doctus diverſam cauſam Joannis & Neſtorii judicet, dicens, Licet inter examinatos multum eſt quod diſcrepet , in quo reprobat Neſtorium ipſum : tamen in utraque
b credidit æmulationis fuiſſe propoſitum . ᵇ Alias quoque ſimiliter ad eum ſcribit epiſtolas , quibus perhibet quod per ſuam mutabilitatem cæleſtia proderet, & contrarius ſibimetipſi in ſuis ſcriptis exiſteret, cupiditate vanæ gloriæ victus.
* 106 Non igitur venerabilibus Iba * & Theodoro coepiſcopis innocentiores in hac parte credendi ſunt Gennadius & Iſidorus viri probatiſſimi , ſed feliciores potius , quod ipſi non ſunt participes ſynodi Calchedonenſis inventi.

CAP. V. HÆc ſi tranquillo animo , & meliore inten-
* 107 tione conſiderare dignemini , illo * vobis aperiente cor veſtrum , & claudente ſurreptionibus
Apoc. 3. 7. impiorum , qui , ſicut ſcriptum eſt , *ſanctus & verus , habet clavem David , & qui aperit , & nemo claudit , & qui claudit & nemo aperit :* ipſa rerum geſtarum evidentia cognoſcetis quod in evacuationem decretorum ſynodi Calchedonenſis, atque epiſtolæ Papæ Leonis, cujus Theodoretus Epiſcopus in eadem ſynodo fuit aſſertor, hæc omnia & ab hæreticis eſſe adinventa, & ab eorum fautoribus conſtituta: quæ niſi melioris emendatione judicii reciſſa fuerint , fruſtra, vel ſi credi poſſet , negatur quod epiſtolam venerabilis Ibæ memorata ſynodus approbavit . Cum enim conſtet , quod ibi prædicto Epiſcopo ab accuſatoribus ſuis objecta ſit : proculdubio, ſicut ſupra jam diximus , ſi nunc juſte damnatur, tunc maxime condemnari debuerat. Quia vero non oſtenditur factum : videtur illa ſynodus , ut non dicam hæreſi cohibuiſſe , aliquid certe minus feciſſe , quod adjicere iſti deberent , atque ſupplere. Beatus autem Leo, fidelis ac fidens propugnator Eccleſiæ , & hæreticorum non fictus aut trepidus impugnator, ſic ibi eſſe dicit omnia definita, ut nihil eorum perfectioni adjici poſſe confirmet. Namque cum multis & variis machinationibus ejuſdem ſynodi auctoritatem, ſicut & nunc , Eutychiani infringere vel minuere conarentur , & quæ ibi ſunt judicata diſcuti quærerent , ut ſub prætextu diligentioris tractatus, aut emendari in eis videretur aliquid , aut ſuppleri : prudenter ac fortiter eorum inſidiis reſtitit, Leoni Auguſto ita ſcribens : *Epiſt.* 81.
“ Deteſtandum nobis, eſt perſeveranterque vitandum, “ quod fraus hæretica nititur obtinere , nec in “ aliquam diſceptationem pie & plene definita “ revocanda ſunt : ne ad arbitrium damnatorum “ ipſi de his videamur ambigere, quæ manifeſtum “ eſt per omnia propheticis , & Evangelicis , at- “ que Apoſtolicis auctoritatibus conſonare . Un- “ de ſi qui ſunt , qui ab his quæ cælitus ſunt “ conſtituta diſſentiunt , ſuis opinionibus relin- “ quantur, & ab unitate Eccleſiæ , cum ea quam “ elegerunt perverſitate , diſcedant . Nam nullo “ modo fieri poteſt, ut qui divinis audent con- “ tradicere ſacramentis , aliqua nobis communio- “ ne ſocientur. Jactent ſe in ſui eloquii vanita- “ te , & de argumentationum ſuarum verſutia , “ quæ inimica eſt fidei, glorientur . Nobis placet “ Apoſtolicis obedire præceptis , dicentibus : *Vide-* “ *Coloſſ.* 2. 8.
te ne quis vos decipiat per philoſophiam , & “ *inanem ſeductionem hominum* . Nam ſecundum “ eundem Apoſtolum , ſi quæ deſtruxi, hæc ædifi- “ *Gal.* 2. 18.
co, prævaricatorem me conſtituo, & eis me ul- “ tionum conditionibus ſubdo, quas non ſolum au- “ ctoritas beatæ memoriæ principis Martiani , ſed “ ego etiam mea confeſſione firmavi . Quia, ſicut “ ſancte veraciterque dixiſtis , perfectio incremen- “ tum , & adjectionem plenitudo non recipit . “ Pervidet igitur ſerenitas tua , quod ſicut nihil in ejuſdem ſynodi decretis emendari , ita nec adjici poſſit. Unde non ſolum contra ipſam ſynodum , verum etiam contra hujus Apoſtolici viri ſententiam, convincuntur egiſſe , qui venerabilis Ibæ epiſtolam temere damnaverunt . Quoniam, vel ſi dicunt qnod nihil in ejus decretis emendare præſumpſerunt , negare non poſſunt , quod aliquid eorum plenitudini judicaverint defuiſſe : ut quod ipſa minus fecit in cauſa quæ ibi tamdiu tractata eſt , iſti quaſi prudentiore ac diligentiore conſideratione ſupplerent . Quomodo igitur inſultationes hæreticorum valebimus declinare dicentium, Ubi ſunt illa magnifica veſtri Leonis verba , quibus nimis arrogans decretis ſynodi Calchedonenſis aiebat , Perfectio incrementum , & adjectionem plenitudo non recipit ? Ecce teſtimonio veſtro convincitur , quod in vacuum ventoſa verba jactabat . Nam quæ in illa ſynodo judicata ſunt , vel ſi non emendatis , certe ſuppletis , atque perficitis , & quod in eis non fuerit illa quæ dicebatur

---

a *Conſobrinus Theophili*) Iſidoro ἀδελφιδοῦς, quod eſt fratris vel ſororis filius. Sed fratris filium fuiſſe conſtat, non ſororis, ut Iſidori vertit Interpres. ἀνεψιὸς vocat Theophanes in Chronico. ἀδελφιδοῦ vero etiam Socrates lib. VII. c. VII. & Theodoretus lib. V cap. XXXV. & a Theodoreto viciſſim Theophilus Cyrilli θεῖος dicitur, non avunculus, ſed patruus. θεῖος πρὸς πατρὸς, ut eſt apud Nicephorum lib. XIV. cap. XXV. Quare mendum etiam eſt in hiſtoria Tripartita lib. X. cap. XXV. cum Cyrillus Theophili conſobrinus appellatur, pro eo quod apud Theodoretum eſt ἀδελφιδοῦς, fratris filius. Paulo poſt, ubi interpres legit Θεοδώρῳ, Græce θεοφόρῳ ſcriptum eſt, μανίαν σαφῆ κατεσκέδασε τῷ θεοφόρῳ καὶ θεοφιλοῦς Ἰωάννῃ. ita ut de uno Joanne ſit ſermo nullus de Theodoro.

b *Alias epiſtolas*) Deſignat epiſtolam CCCXXIV. libri primi, cujus hoc exordium: χρή σε, θαυμάσιε, ἄτρεπτον μένειν ἀεί, οὔτε φόβῳ προδιδόντα τὰ ἱερὰ, οὔτε σαυτῷ ἐναντίον φαινόμενον, & quæ ſequuntur.

* (104) *vindicans*. in editis, *ulciſcentem*.
* (105) *doctus Iſidorus diverſam &c.*
* (106) *& Theodorito*.
* (107) *nobis*.

perfectio & plenitudo, monſtratis: nec poteſtis
ulterius dicere, quod non merito a veſtra com-
munione diſceſſimus. An communicare debui-
mus illi ſynodo, in qua cum Ibæ a ſuis accu-
ſatoribus objiceretur impia & Neſtoriana epiſto-
la, ſicut vos quoque eſtis confeſſi, & coram om-
* 108 nibus legeretur, ut * dicamus quod fruſtra ne-
* 109 gaſtis, * & orthodoxa pronuntiata eſt. quam in
tantum probaſtis fuiſſe damnandam, ut ſero ad
noſtram ſententiam redeuntes, etiam poſt cen-
tum ferme annos, quo vos ab ejus crimine pur-
garetis, neceſſario anathematizandum eſſe vidi-
ſtis? & non hæc immerito dicent. Namque cum
iſti fautores eorum, nos, qui judices in cauſa
non fuimus, per condemnationem hujus epiſtolæ
a Neſtoriano crimine judicaverunt eſſe purgan-
dos, conſequenter illos patres, in quorum di-
ſcuſſa judicio non condemnata eſt, ab eodem
crimine judicaverunt non eſſe purgandos. Ecce
quale præjudicium nobis quæſierunt inducere:
ecce quomodo voluerunt adverſus Eccleſiam hæ-
reticorum calumnias roborare. qui non ſolum
* 110 beati Leonis, verum etiam * [a] illis conciliis
a tantorum Epiſcoporum vel epiſtolis refragan-
tur, in quibus de memorata ſynodo interroga-
„ ti, Leoni principi reſponderunt dicentes: Ne-
„ que unum iota, vel unum apicem, poſſumus aut
„ commovere, aut commutare eorum quæ apud
„ illam diffinita ſunt. & iterum: Quoniam ſicut
„ ſoli nihil minus eſt ad demonſtrandum, quia
„ ſol eſt: ſic & magnæ, & ſanctæ, & univerſali
„ ſynodo Calchedonenſi, minus quidem bonorum
„ nihil omnino eſt, neque additamento aliquo
„ eget, neque detractione, ab ſpiritu ſancto velu-
„ ti divino quodam ſale condita. Etenim qui in
* 111 „ ea * tunc damnati ſunt, indigni ſacerdotalis or-
„ dinis judicati, decreto ac judicio magni Dei,
„ velut impii condemnati ſunt. Qui vero in ea
„ recepti ſunt, injuſtam & tyrannicam antea ſu-
„ ſtinentes inſcriptionem, confeſtim decreto ſpiri-
„ tus ſancti juſte ſuſcepti ſunt: in quibus eſt &
„ noſtrorum temporum ſecundus Abel, beatus Fla-
„ vianus. Dicunt & alia multa, quæ commemo-
rare perlongum eſt. Quomodo igitur hæretico-
rum complices recipimus, nova & contraria de-
cernentes, tanquam minus religioni conſultum
fuerit in his quæ definita ſunt ab illa ſynodo:
cum antiqui patres unum iota, vel unum api-
cem, ſe in eis movere non poſſe pronuntient?
aut quid putamus perfecto ſoli & toto mundo
radianti deeſſe, quod debeat iſtorum adjectione
ſuppleri; qui ſicut inſuperabilem ſplendorem
ejus fruſtra obſcurare conantur, ita nihil poſ-
ſunt plenitudini ejus adjicere?

A ET adhuc dicunt, quod de tanta ſua præ- CAP. IV.
ſumptione Eccleſiam quoque Romanam conſulue-
rint, & nunc ſententiam beati Vigilii præſulis
ejus expectent. De quo quid ſentiant hujus tem-
poris homines, ut eum tantum nefas definire præ-
ſumerent, quod ab intentione beati Leonis, ſub
tantis ejus deceſſoribus, non ad id tempus ten-
tatum eſt, proculdubio intelligit & ipſe vir pru-
dens. Nam quis hoc non intelligat vel impru-
dens? Si enim, ut dicunt, etiam conſulere hinc
illum auſi ſunt, & ejus expectant in hac cauſa
judicium: non video quemadmodum jam ab eis
de ipſo non fuerit judicatum. Verum experien-
tur quantum illos ſuſpicio ſua fefellerit. Quia
B ille, non in deſtructionem paternæ ſententiæ,
ſed potius in defenſionem, atque ultionem,
[b] primam accepit & maximam poteſtatem: nec b
aliquid contra veritatem, ſed pro veritate plus
ceteris ſuis conſacerdotibus poteſt. Paulus enim
dicit Apoſtolus: *Non enim poſſumus aliquid ad-* 2. Cor. 13. 8.
verſus veritatem, ſed pro veritate. Quid autem
relictum eſt, quod de reſponſione Romani Epi-
ſcopi ſperent: cum ita jam dudum prædictus ve-
nerabilis Leo, vehementibus & crebris omnino
ſententiis coercens illicitos auſus, inſidioſis pru-
denter occurrerit; ut nunc ejus ſucceſſorem,
non quaſi dubiis in quæſtionibus * expetamus ju- * 112
dicem, ſed certiſſimæ tranſgreſſionis expectemus
C ultorem? Illa quippe multiplex & aperta prohi-
bitio deceſſoris ejus, ſicut prævaricatoribus cri-
men auxit, ita nihil cujuſquam judicio dereli-
quit. Cui enim magis alteri, quam Leoni, li-
ceret pro tantis laboribus, quos propter memo-
ratam ſynodum perſeverantiſſima virtute ſuſti-
nuit, aliquid in his quæ ab ea decreta ſunt re-
tractare? Sed abſit, ut ille vir ſanctus licitum
ſibi putaret, quod non expedire cernebat, &
magni ſui certaminis palmam, poſtquam vicit,
amitteret. Quid enim jam integrum, vel quid
conſtare poſſit immobile, ſi tanti Concilii ſen-
tentia, vel ſicut imperfecta ſuppleri, vel ſi-
cut dubia rurſum diſcuti videretur? Non au-
tem in ſola fidei * dubitatione, vel definitio- * 113
D ne, Conciliorum valet auctoritas: verum etiam
in omnibus, quæ pro pacis & unitatis obſer-
vantia, cujus maxima ſapientibus cura eſt, mo-
deſte ibi fuerint ac bene compoſita. * Hinc * 114
ergo rurſus agnoſce, Auguſte ac venerabilis Im-
perator, in quantum totius mundi præſidium
divina ſis providentia præparatus, & quid au-
xilii matri tuæ Eccleſiæ debeas, quæ te filio ma-
xime gloriatur, intellige. Non ſinantur, con-
tra dexteræ omnipotentis triumphum, redivivis
aſſurgere motibus extincta certamina. præſertim
cum id damnatis jam dudum hæreticorum auſibus

---

a *Illis conciliis*) Omnium videlicet provinciarum Orien-
tis, quæ Leonis Imp. juſſu in Synodus coactæ, de Ti-
motheo Alexandrino, & de Synodo Calchedonenſi,
quam Timotheani reſpuebant, quid ſentirent Leoni re-
ſcripſerunt. Extant ſingularum epiſtolæ in unum codi-
cem redactæ, poſt acta Synodi Calchedonenſis, qui co-
dex encyclius dicitur apud Caſſiodorum, cujus rogatu in
Latinam linguam converſus eſt ab Epiphanio ſcholaſtico.
Quæ vero a Facundo laudantur, verba ſunt partim pro-
vinciæ Europæ num. XXVII. partim Sebaſtiani Epiſcopi
Beroenſis Thraciæ II. num. XXX.

b *Primam & maximam poteſtatem*) Quam *principatum ge-
neralis Eccleſiæ* dixit Avitus Viennenſis in epiſtola de Sym-
machi Papæ judicio ad Senatores Urbis. De eo autem
quod Vigilii ſententiam expectare ſe aiebant damnatores
trium capitulorum, plura iterum lib. IV. cap. III.

* (108) *non dicamus*.

* (109) *& ortodoxa pronunciata eſt, certe convincitur eſſe damnata*.

* (110) *illis Encycliis tantorum Epiſcoporum epiſtolis*. memoratas epiſtolas ab omni retro antiquitate vocata fuiſſe *Encyclia*, oſtendit Baluzius in *nova collect. Concil*.

* (111) *ſecundum tempus*.

* (112) *expectemus*.

* (113) deſunt ea verba *dubitatione, vel*.

* (114) *Hinc Leonis rurſus* (forte *verba*:) Quæ porro verba ſequuntur, lineolis notantur veluti Leonis in noſtro codice: eademque totidem habentur in epiſtola Leonis M. ad Leonem Auguſtum, quæ eſt 133. in editione Queſnellii, uſque ad illa verba, *qui veritati audeant reſultare*.

omnino non liceat: & hic fructus piis laboribus
debeatur, ut omnis Eccleſiæ plenitudo in ſuæ
unitatis ſoliditate ſecura permaneat; nihilque
prorſus de bene compoſitis retractetur. quia
* 115 * prius legitimas, & divinitus inſpiratas conſti-
tutiones velle confligere, non pacifici eſt animi,
1. Tim. 1. 14. ſed rebellis, dicente Apoſtolo, *Verbis enim con-
tendere ad nihil eſt utile, niſi ad ſubverſionem au-
dientium*. Nam ſi humanis perſuaſionibus ſem-
per diſceptare ſit liberum, nunquam deeſſe po-
terunt, qui veritati audeant reſultare. Et re-
vera quis erit contentionum atque certaminum
finis, ſi de his, quæ totius Eccleſiæ conſenſio-
ne firmata ſunt, ſemel licuerit ferre judicium?
cur enim non rurſus & ipſum judicium judice-
tur? Et ideo prudentiſſimus vir, nullam peni-
tus dans occaſionem quærentibus, denunciabat
dicens, Nihil prorſus de bene compoſitis retra-
ctetur. Ergo ſi nihil, nec illud quod parvum
putatur admiſit. Et tamen iſti, qui Romanum
Antiſtitem impugnare poſſe præclari deceſſoris
ſui ſententiam ſperant, gloriantur offenſiones ſe
de illa ſynodo ſuſtuliſſe, dicentes quod pro ea
nobis Eutychiani ſemper communicare nolue-
f. quaſi. rint, " quia ſi vel tanta illa ſynodus, qua nu-
meroſior alia pro fidei veritate non fuit, tam
diuturna deliberatione, ſtimulantibus etiam hæ-
reticorum contradictionibus, quæ maximæ ſolent
in novitate fervere, quicquam præterire potue-
rit negligenter; vel prædictus Leo, cum toties
pulſaretur ex his quæ ab ea conſtituta fuerant
aliquid retractare; nullas hujuſmodi noxias ra-
tiones, veriſimilem ſpeciem prætendentes, & au-
diſſe, & immobili gravitate diſpoſuiſſe creden-
dus eſt, prudentiſſime cavens, ne forte qualibet
occaſione aditu patefacto male pulſantibus, in
Eccleſiam Chriſti inſidiantium furor irrumperet.
Porro hi qui ſupra modum ſunt diligentes, no-
lunt hæc omnia prudentiæ atque cautelæ ma-
gis quam negligentiæ deputare. Sed quid fa-
cient, quod omnis Eccleſia, Deo præſtante, po-
ſitos ſibi æternos patrum ſuorum terminos non
excedit? Quorum æmulari exoptat negligentiam
potius, quam iſtorum obſcuram diligentiam.
Cujus autem rationis ſequi judicium debeamus,
ſatis in promptu eſt. Utrum iſtorum, qui pu-
taverunt, quoniam ſi retractarent, immo repre-
henderent patrum ſententiam, Acephali com-
municarent Eccleſiæ, quod non eſt penitus ſub-
ſecutum, quod etiam ſi ſequeretur, non erat
adprobandum: an ſapientiſſimi Leonis, qui ſicut
in aliis ſcriptis ejus oſtenditur, nullum per hoc
collidendis Eccleſiis modum poni, ſed data li-
centia rebellandi, dilatari magis, quam ſopiri,
certamina prædixit; quod veraciter eſſe dictum,
evidenti rerum exitu, quin potius exitio, com-
probatur. Credo quod etiam tacentibus nobis
appareat, quid fuerit providentiæ divinæ, quid
temeritatis humanæ. Si vero beatiſſimus Leo,
* 116 quamvis * recentioris Concilii, & nulla ante
ſui deceſſoris aſſertione defenſi, quicquam in
diſceptationem revocare non paſſus eſt: quomo-
do ab his creditur quartusdecimus ſucceſſor ejus
ſanctus Vigilius novum poſſe aliquid judicare?
præſertim illo dicente, Nam ſecundum Apoſto- "
lum, ſi quæ deſtruxi hæc ædifico, prævaricato- "
rem me conſtituo, & eis me ultionum conditio- "
nibus ſubdo, quas non ſolum auctoritas beatæ "
memoriæ principis Martiani, ſed etiam ego mea "
* defenſione firmavi. utpote qui noverat Apoſto- " * 117
lum hoc dixiſſe? *Sed licet nos, aut angelus de* Gal. 1. 8.
*cælo evangelizet vobis præter quam evangeliza-
mus vobis, anathema ſit*. Nam * ſi, ut ipſe bea- * 118
tus Leo Calchedonenſi Concilio, poſtquam ejus
geſta ſuſcepit, * reſcripſit dicens; & fraterna " * 119
univerſitas, & omnium fidelium corda cogno- " Epiſt. 65.
ſcant, me non ſolum per fratres qui meam vi- "
cem executi ſunt, ſed etiam per approbationem "
geſtorum ſynodalium, propriam vobis communi- "
caſſe ſententiam: nec quicquam in eiſdem ge- "
ſtis reprehendiſſe atque arguiſſe monſtratur, niſi
quod * referretur venerabilis [a] Anatolius Con- * 129
ſtantinopolitanus Epiſcopus, priore, quam Ma- a
ximus Antiochenus, loco ſediſſe. quomodo, ſi
hanc Ibæ epiſtolam, quæ cum Neſtoriana dici-
tur, ad cauſam utique dicitur fidei pertinere;
vel tale aliquid, quod in illa ſynodo recitatum
nec damnatum geſta continent, anathematizari,
aut ſaltem diſcuti pateretur, non ſemetipſum
prævaricatorem conſtitueret, dubitationi ſub-
jiciens quæ ſe jam dixerat approbaſſe? Et idcir-
co, ſi etiam nulla ejus interdictio præceſſiſſet,
neque Imperatori Leoni pro ipſo Concilio reſ-
ponderet, perfectio incrementum, & adjectionem
plenitudo non recipit, hoc tantummodo provo-
caretur, quod in illis geſtis ſolam Conſtantino-
politani Epiſcopi præſumptionem argueret: pro-
fecto nihil in eis, quod Neſtorianum credi poſ-
ſit, ſucceſſoris ejus relictum judicio videretur.
Quoniam ſi hæreticum aliquid continerent,
quod delatum ad illius ſynodi judicium non in-
veniretur eſſe damnatum, Leo hoc prius repre-
henderet, cum ad ejus deferretur examen. Un-
de ſi tanquam Neſtoriana debet ab omnibus il-
la epiſtola condemnari, quæ ab accuſatoribus op-
poſita Ibæ Epiſcopo geſtis ſynodalibus continetur,
non ipſa tantum ſynodus, verum etiam Leo
præſul Apoſtolicæ ſedis, a quo approbata ſunt,
hæreſi Neſtorianæ cohibuit. Qui non ſola con-
ſideratione veritatis, ſed etiam præcedentis fa-
cti ſui argueretur exemplo. Nam cum ei bea-
tus Flavianus Conſtantinopolitanus geſta dirige-
ret, in quibus Eutyches interrogatus reſpondit
dicens: Confiteor ex duabus naturis fuiſſe do- "
minum noſtrum ante adunationem, poſt aduna- "
tionem vero unam naturam confiteor: relictis "
eiſdem geſtis, idem vir religioſiſſimus & pruden-
tiſſimus Leo, memorato Flaviano ita reſcribit:
Miror tam abſurdam, tamque perverſam pro- " Leo epiſt. ..
feſſionem, nulla judicantium increpatione repre- "
henſam, & ſermonem nimis inſipientem ita emiſ- "
ſum, quaſi nihil offenderet, eſſe auditum: cum "

---

a *Anatolius priore loco*) In actis Synodi Calchedonenſis poſt legatos ſedis Apoſtolicæ primus (rejecto nimirum & excluſo Dioſcoro Alexandrino, cujus cauſa diſceptabatur) perpetuo nominatur ſubſcribitque Anatolius, & poſt Anatolium Maximus Anthiochenus. Nempe hunc ille ſibi locum deberi volebat ex decreto Synodi II. generalis, quæ ſedem Conſtantinopolitanam Romanæ proximam ſtatuerat. Sed decretum hoc ſedes Apoſtolica non agnoſcebat, ut alienum a Synodo Nicæna, quæ ſecundum locum Epiſcopo Alexandrino, tertium Antiocheno decernit. Quare Leo Pontifex cum Synodum Calchedonenſem approbaret, hoc caput excepit, faſtumque & ambitum Anatolii multis ad Marcianum Aug. ad Anatolium ipſum, & ad Maximum Antiochenum epiſtolis redarguit. Qua de re iterum lib. v. cap. xv.

* (115) *poſt legitimas*. ita etiam in laudata Leonis epiſtola.
* (116) *adhuc recentioris*.
* (117) *conſenſione*.
* (118) *cum ipſe &c.*
* (119) *reſcripſerit*.
* (120) *quod ibi relegeretur*.

„ tam impie duarum naturarum ante adunationem
„ unigenitus Dei filius fuiſſe dicatur, quam nefarie,
„ poſtquam verbum caro factum eſt, natura in eo ſin-
„ gularis aſſeritur. Quod ne Eutyches ideo vel
„ recte, vel tolerabiliter, exiſtimet dictum, quia
„ nulla veſtra eſt ſententia confutatum, dilectio-
„ nis tuæ diligentiam commonemus, cariſſime fra-
„ ter, ut ſi per inſpirationem miſericordiæ Dei
„ ad ſatisfactionem cauſa perducitur, imprudentia
„ hominis imperiti etiam ab hac ſenſus ſui peſte
„ purgetur. Velim itaque inſtrui, quid contra Eu-
tychianos poſſimus referre, cum dixerint, Cur
Leo veſter, in examine geſtorum, quæ apud
Flavianum ſunt habita, adverſus Eutychem, ſi-
cut putatis, diligens, in approbatione geſtorum
ſynodi Calchedonenſis, adverſus Neſtorium ne-
gligens invenitur, ut Neſtorianam epiſtolam con-
firmaret, quæ ibidem continetur: niſi quia con-
trario Neſtorii præoccupatus errore, Eutychi re-
ſiſtebat? Nam qua de cauſa profeſſionem ejus,
qua dixit, Confiteor ex duabus naturis fuiſſe
Dominum noſtrum ante adunationem, de qua in
judicio Flaviani non fuerat accuſatus, abſurdam
vocat atque perverſam, culpans quod nulla ju-
dicantium increpatione reprehenſa fuerit, quæ
ipſi nimis inſipiens & impia videbatur: Neſto-
rianam vero epiſtolam, ad concilii Calchedonen-
ſis examen ab accuſatoribus Ibæ delatam, ibi-
que relectam, damnatam non fuiſſe diſſimulat,
quam nunc anathematizantes anathematizandam
illic fuiſſe fatemini? Nam vel ſi, quemadmodum
imprudenter negaſtis, ortodoxa pronunciata non
eſſet ab illo Concilio, damnari tamen debuit,
ne videretur ignorantibus approbata. Cum igi-
tur ſecundum has evidentes & inevitabiles ra-
* 121 tiones * damnationis hujus epiſtolæ, tantum bea-
ti quoque Leonis crimen neceſſario conſequatur,
quid ab iſtis de judicio ſucceſſoris ejus expecte-
* 122 tur ignoro: niſi, quod * dictum quoque magni
erroris eſt, & quod nunquam ſperare potuerunt
hæretici, ut cum magna & univerſali ſynodo Cal-
chedonenſi, idem glorioſiſſimus auctor atque de-

A ſenſor ejus Leo damnaretur. Sed quanta ani-
madverſione ſit dignum, quod hoc non tentare
tantum, verum etiam de ſucceſſore ejus auſi
ſunt expectare, ipſius conſiderationi dimittimus,
quem latere non poteſt, quam graviter offen-
datur Eccleſia, ſi tantum nefas, quod abſit, re-
liquerit impunitum. Confidunt equidem, non
bene ſentientes de obedientia, quam Chriſto de-
betis, & devotione, quam exhibetis ejus Eccle-
ſiis, quod contra vigorem, ac juſtitiam cano-
num defendi queant. Verum expedit illis me-
tuere potius, ne forſitan experiantur, Domino
regente cor veſtrum, quod non in patrocinium,
ſed in ultionem potius tranſgreſſionum poteſta-
B tem deſuper habeatis. Deſinant itaque temerato-
res paternæ ſententiæ in neſcio quo aſylo con-
fidere, quod eis non Romulus Chriſtianus, cu-
jus ille Deus eſt pater, qui veraciter dicitur
Dominus fortis & potens, *Dominus potens in* *Pſal.* 23. 8.
bello, ſed inanis ſua ſuſpicio fabricavit. Nec in
tali facto de veſtra conſenſione præſumant, quo-
niam vobis ſubreptum eſt, in plurimis reipubli-
cæ diſpoſitionibus occupatis, ut conſentiretis
hoc fieri: cum multo amplius inde quoque ple-
ctendi ſint, quod volentes objectu veſtræ perſo-
næ impunitam eſſe cohibentiam, quam præbue-
runt hæreticis, non permiſerunt inſinuari vo-
bis patrum decretis eſſe contraria quæ fiebant.
C ut eo modo, per auctoritatem veſtræ con-
ſenſionis, etiam multos ſibi conſcios aggrega-
rent: & quaſi multitudinem ſequeretur impu-
nitas, ſecundum quod viſum eſt cuidam di-
cere, quicquid multis peccatur inultum eſt,
minus attendentes, quod nec divino judi-
cio poſſit peccantium multitudo reſiſtere: nec
humano per multitudinem illudere temeri-
tatis auctores. Nam futuro examini Dei re-
lictis eis, qui vel factione illorum inducti,
vel oppreſſione coacti ſunt, debitam ſenten-
tiam iidem factioſi præſumptores excipient,
tanto graviorem, quanto pluribus obfue-
runt.

FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS,
PRO
DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM,
LIBER TERTIUS.

CAP. I. EXigit a nobis operis cura ſuſcepti, ut quod
ſuperiore libro demonſtrare cœpimus, in
iſto multipliciter oſtendamus, quoniam hæreti-
corum complices Theodorum quoque Mopſueſte-
num Epiſcopum, in Eccleſiæ pace defunctum,
& a ſanctis patribus, ſicut jam memoravimus,
prædicatum, in deſtructionem magnæ ſynodi
Calchedonenſis, atque inſtitutorum beati Leonis,
anathemati ſubdiderunt. Et quia, ut in ſuum
conſenſum leves corde poſſent adducere, dicunt
beatum Cyrillum aliqua ejuſdem Theodori ſcri-
pta culpaſſe: hoc quoque probemus, quod etiam

D ſi verum ſit, contra ejus ſententiam fecerint,
cujus exemplo præſumptionem ſuam inaniter ex-
cuſare conantur. Ut quemadmodum evidenter
apparuerunt quod fallaciter ſe jactaverunt, ob
injuriatum ejus dolorem, epiſtolam venerabilis
Ibæ damnaſſe; ita ſuo teſtimonio convincantur,
& in damnationem Theodori ejus impugnaſſe ju-
dicium. Ubi autem docuimus, quoniam vel ſi
eandem epiſtolam ſynodus Calchedonenſis non
pronunciaret orthodoxam, nihilominus in ejus
evacuationem pro laude Theodori damnaretur:
ibi utique ſimul oſtenſum eſt, ipſum quoque

* (121) *damnationem*.

* (122) *dictu*.

Theodorum propterea fuiſſe damnatum. Unde & illud quoque neceſſe eſt ſequi, quod etiam de ſnpradicta epiſtola venerabilis Ibæ jam diximns,
* 123 quoniam ſi dicatnr, ad veritatem atqne * judicium catholicæ fidei pertinere quod ſtatuerunt „ iſti, dicentes, Si qnis non anathematizat Theodorum Mopſueſtiæ, & ejus dogmata, eoſque qui „ aut ſimilia ei ſapuerunt, aut ſapiunt, anathema ſit; illa ſynodus catholica non fuiſſe firmabitnr, quæ non illum damnavit, cum ex epiſtola memorata recitari landes dogmatum ejus audiret. Verum nec Leo Romanus antiſtes carebit hoc crimine: qui cum geſta prædictæ ſynodi ſe diceret approbaſſe, non argnit quod ibi Theodori laudes non invenerit improbatas. Hoc autem, ubicumque de ipſius ſynodi reprehenſione conquerimur, oportet advertere, quoniam non ſine prædicto beato Leone culpatnr. Quid etiam illud, quod de modo ipſius facti, quo epiſtola illa damnata eſt, prudentium rationi conſiderandum propoſuimus, nonne in condemnatione quoque Theodori debet attendi, quoniam nec adverſus eum, vel ſi adhuc in corpore degeret, & hæreticus probaretur, olim Neſtoriano errore damnato, in quo præoccupatus fuiſſe dicitur, tam multorum Epiſcoporum
* 124 * erat quæri ſententiam; quæ nunquam pro veterum hæreticorum damnatione; ſed aliquando pro novorum excluſione fuit neceſſaria, ſi tamen admoniti errata corrigere deſpexiſſent? Ideo vero nunc quæſierunt hæreticorum fautores ab univerſali Eccleſia magiſtrum Neſtorii pronunciari Theodorum; ut quia facile monſtrare poſſunt, non ſolum epiſtolam venerabilis Ibæ, laudes ejus continentem, a ſynodo, quod falſe negatnm eſt, approbatam; verum etiam ſapientiſſimi Joannis Antiocheni, & Orientalis concilii litteras, ad beatnm Proclnm & Imperatorem Theodoſium datas, in quibus idem Theodorus multo amplins eſt laudatus; etiam per hoc prædictam ſynodum Neſtorianam eſſe firmarent. Nam & ipſa ſubſcriptionis formula, quæ data eſt in condemnationem ejuſdem Theodori, non „ aliud videtur oſtendere, cum dictum eſt; Si „ qnis non anathematizat Theodorum Mopſueſtiæ, „ & ejns dogmata, anathema ſit; quod in nullius heretici damnatione meminimus contigiſſe: ut illi quoque anathema eſſent, qui anathema ei non dicerent. Siquidem multorum hæreticorum multos & dogmata latent, & nomina, qui anathema eſſe non debent, quoniam non anathematizant eos quos neſciunt. Sed quemadmodnm dictum eſt, ut ad ſynodi Calchedonenſis injuriam pervenirent, quæ cum apud ſe recitarentur ex epiſtola venerabilis Ibæ laudes ipſius Theodori, neque ipſi, neque dogmatibus ejus dixit anathema; propterea talis data eſt contra conſuetndinem, contraque humanitatem formula ſnbſcribendi, qnaſi nemo aliter probari catholicns poſſit, niſi Mopſueſteno Theodoro, & ejus dogmatibus anathema dixerit. Quod decretum ſi recipimus, nihil eſt quod hæreticis pro ſynodo Calchedonenſi reſpondere poſſimus, cum dixerint, Sic vobis viſnm eſt illam ſynodnm excnſare in libro cui conſenſiſtis, ut diceretis, quod non contenta facta ab Iba denegatione propter ad Marim epiſtolam, neque etiam pro eo facta teſtificatione clericorum Edeſſenorum, ſed confirmans judicatum Photii & * Enſtachii, petivit Ibam, ad deſtructionem & excluſionem ad * 125
Marim impiæ epiſtolæ, anathematizare Neſtorium, & ejus dogmata. Et revera ſic oportebat orthodoxam ſynodum facere, cujuſcumque eſſet illa epiſtola, quæ Ibæ tanquam ſua erat objecta, ut ad removendam penitus ſuſpicionem, cogeret eundem Ibam Neſtorinm anathtmatizare, cujus * in eo mentio facta eſt. Quomodo igitur præ- * 126
dicta ſynodus Calchedonenſis, ſi vere orthodoxa fuerat, expetens Ibam anathematizare Neſtorium, & ejus dogmata quæ non laudaverat, non expetivit ut maxime * Theodorum anathe- * 127
matizaret, quem audierat apud ſe ex memorata epiſtola recitari beatum præconem veritatis, & doctorem Eccleſiæ, & in ſua vita colaphizaſſe hæreticos per veritatem ſnæ fidei, & poſt mortem ſpiritalia arma in libris propriis * Ec- * 128
cleſiis reliquiſſe? An Theodorns, de cujus blaſphemiis dixiſtis, quod diaboli tranſgrediantnr inſaniam, propter zelum Dei, * ſicnt ſcriptum * 129
eſt, non ſolnm propriam civitatem ab errore ad veritatem convertit, ſed & longe poſitas ſna doctrina inſtruxit Eccleſias? Quæ omnia cum ex epiſtola objecta Ibæ ſynodus Calchedonenſis andiret, non coegit eundem Ibam ſic laudatum anathematizare Theodorum: ob hoc profecto, quia Neſtorii impium ſnſcipiens errorem, ejus quidem nomen occultavit, Theodori autem Mopſueſteni defendit, qui magiſter Neſtorii fnit; quemadmodum in prædicto libro, cujus diffinitionibus ſubſcripſiſtis, de talibus dictum eſt. Hæc cum nobis oppoſita fuerint, qnid contra referre valebimus, ſi orthodoxus non eſt, qui Theodoro Mopſueſtiæ, & ejus dogmatibus, non dicit anathema? Proinde cognoſcis, Auguſte, quod in reprehenſionem ſynodi Calchedonenſis hæc fuerint conſtituta, vel ſi recitatam ſolummodo, non etiam receptam ibi memoraram epiſtolam mentiamur. Et ideo complices hæreticorum, ſua ratione, ſuoque teſtimonio, ſicut diximus, convincuntur adverſus magnam ſynodum talia decreviſſe. Nam * ſi, ut fallaciter ſuadent, inde a nobis * 130
excuſetur, quod non contenta venerabilis Ibæ Epiſcopi negatione propter ad Marim epiſtolam, neque facta pro eo teſtificatione clericorum Edeſſenorum, expetivit ab illo anathematizare Neſtorium, quem in ipſa epiſtola non laudavit: inde non poterit excuſari, quia non expetivit, nt Theodorum maxime, cum ſuis ibi dogmatibus prædicatum, anathematizaret, cum ſecundnm iſtos non aliter probari catholicus poſſit.

CAP. II.

Quid etiam illud, quod finxerunt eundem Theodorum a B. Leone, velut magiſtrum Neſtorii, denotatum? nnmquid ob aliud eos tam maniſeſtum mendacinm, ſine ullo reſpectu pudoris humani, formaſſe credendum eſt, niſi ut ipſius ſynodi cauſam, quod ibi nec ipſe damnatus eſt, nec quæ illum prædicavit epiſtola, non ſolnm Neſtorii, id eſt catholici, verum etiam magni teſtis gravaret auctoritas? Sic enim dixit: Oportet igitur manifeſte intelligere, qnia ſanctus Leo, „

* (123) *indicium.*
* (124) *opus erat.*
* (125) *Euſtacii*, vel Euſtathii, nt legitur in Concilio Cp. II. Generali V. collat. 6.
* (126) *in ea*, epiſtola ſcilicet Ibæ paulo ſuperius laudata.
* (127) *Theodorum Mopſueſtenum.*
* (128) *Eccleſiæ filiis.*
* (129) *ſicut ibi.*
* (130) *ſicut fallaciter ſuadent ut inde &c.*

„ confirmans ea quæ in Epheſo acta ſunt adver-
„ ſus Neſtorium a ſancto Cyrillo, & hæc cuſtodi-
„ ri præcipiens, definita quidem vocat XII. ca-
„ pitula ſancti Cyrilli, quibus Neſtorii adjudica-
„ tus eſt error: doctores autem anathematizat,
„ Neſtorii quidem Paulum Samoſatenum, & Theo-
„ dorum Mopſueſtenum: Eutychis autem Mani-
„ chæum & Apolinarem impios. cum probari non
poſſit, quia Theodorum Mopſueſtenum B. Leo
magiſtrum dixit eſſe Neſtorii. Sed proferant,
vel epiſtolam, vel quamcumque aliam ſcriptu-
ram, in qua hoc eum dixiſſe confirmant. Nam
& oportebat eos promere, ubi hoc B. Leo di-
xerit, ſi verum ſe dicere confidebant. Verum
ne hoc dubium relinquatur, nos ipſius Theodo-
ri verbis doceamus, quantum ab errore Pauli
Samoſateni fuerit alienus, qui tertiodecimo li-
bro codicis, quem myſticum appellavit, Ange-
" lus diaboli eſt, inquit, Samoſatenus Paulus,
" qui purum hominem dicere præſumpſit dominum
" Jeſum Chriſtum, & negavit exiſtentiam divini-
" tatis unigeniti, quæ eſt ante ſæcula. Item in
" opere, quod ª contra Apolinarem edidit, ter-
a " tio libro ita locutus eſt: Manifeſtum eſt enim,
quod Samoſatenus Paulus Epiſcopus quidem fuit
b „ Antiochenæ Eccleſiæ domini Dei, & * ᵇ Theo-
* 131 „ dori autem & Artemonis errore ægrotans, * qui
* 132 „ purum hominem dixerunt eſſe dominum Jeſum
„ Chriſtum, non eum cognoſcentes Deum verbum,
„ & in ſubſtantia propria filium Dei ante ſæcula
„ ex Deo patre æterno extantem. Numquid hunc
talia de Paulo Samoſateno loquentem, & talia
de Chriſto docentem, Leo Romanus cum ipſo
Paulo doctorem diceret eſſe Neſtorii? Sed iſti
ſic confidenter affirmant quodcumque voluerint,
quaſi hoc ſit verum probare, quod verba ja-
ctare. Ceterum abſit, ut hoc de illo ſanctiſſi-
mo viro credamus. Quoniam etſi Theodorus in
quibuſdam erraſſe monſtretur, non ideo menda-
citer accuſandus eſt, in quibus culpabilis non
eſt. Qui enim reprehendit & accuſat errorem
non voluntarium, voluntario mendacio ſe im-
plicare non debet: quoniam ſcriptum eſt: *Per-*
Pſal. 5. 7. *des omnes qui loquuntur mendacium*. Non tan-
tum vero miramur Eutychianos per ſuos ſatel-
lites ita mentiri, quantum quod illis ſic teme-
re & ſic facile creditur. Quomodo autem idem
Theodorus dicitur, quod hominem purum, id
eſt hominem tantum, non etiam Deum, dixe-
rit Chriſtum, qui propterea Paulum Samoſate-
num diabolum vocat, & Theodorum atque Ar-
temonem hoc dicentes, fatetur non ſanam te-
nere doctrinam, ſed in ſuo errore potius ægro-
tare? Quid igitur ipſe credidit eſſe dominum
Jeſum Chriſtum? hoc profecto, quod illos non
cognoviſſe redarguit, id eſt Deum verbum, &
in ſubſtantia propria filium Dei. quippe quem

A & ante ſæcula ex Deo patre æterne dicat ex-
tantem. Non ergo, ſicut in reprehenſione ſan-
ctæ ſynodi fingitur, duos iſte credidit, aut duos
docuit filios, quaſi alterius ſubſtantiæ dicens
hominem Chriſtum, & alterius Deum verbum.
qui, ſicut ejus verba declarant, ipſum dominum
Jeſum Chriſtum non purum hominem, ſed et-
iam Deum verbum eſſe cognovit: nec ſola au-
ctoritate aut dignitate perſonæ, ſed in ſubſtan-
tia propria Deum & filium Dei; ſicut etiam in
ſubſtantia propria hominem & filium hominis.
Quæ in his verbis occaſio, quæ ſuſpicio errori
Neſtoriano relinquitur? Ecce eſt aperta, & om-
ni ambiguitate carens Theodori fides, pro qua
in epiſtola venerabilis Ibæ, ſicut & a doctiſ-
B ſimis patribus, laudatur. Non eſt igitur quod
Eutychiani de Neſtoriano dogmate ſynodum cri-
minentur, quia prædictam epiſtolam, laudes
Theodori continentem, pronunciavit orthodo-
xam. ſicut autem non eſt dicendus Manichæus,
quia in hoc teſtimonio dominum Jeſum Deum
verbum, & in ſubſtantia propria filium Dei, ante
ſæcula ex Deo patre æterne extitiſſe confeſſus,
de ejus humanitate conticuit: ita velut Neſto-
rii doctor accuſari non debet, ubi de ejus hu-
manitate diſputans, de divinitate non loquitur:
aut ubi Apolinariſtarum hæreticorum contradi-
ctione cogente, naturas amplius dividit, quam
ut hæredum ipſorum, id eſt Eutychianorum,
C calumniam poſſet effugere. Accipe porro jam
& * aliud eorum mendacium, quod ſimiliter * 133
finxerunt in eodem libro ſuo dicentes: Oportet "
enim inſpicere animo, quia dicens Apoſtolus, " Philip. 2.
qui perſonam verbi ſignificavit in Dei eſſe for- "
ma, quod eſt in eſſentia patris, non dixit, "
quia qui erat in forma ſervi accepit, ut non "
præexiſtenti homini demonſtraret verbum unitum "
ſecundum Theodori & Neſtorii inſaniam: nec "
tamen oſtendunt ubi Theodorus dixit, quia ho-
mini præexiſtenti unitum eſt verbum. Nos igi-
tur, etiam hoc in denotationem atque invi-
diam magnæ ſynodi mendaciter eos dixiſſe, ip-
ſius Theodori verbis ſimpliciter oſtendamus. Qui
non, ſicut iſti confingunt, ante jam ſubſiſten-
D ti homini verbum dixit unitum; ſed ab ipſa
in matris utero pſalmatione, hominis naturam
cum Dei verbi natura in unam ſubſtitiſſe perſo-
nam. Nam tertiodecimo de Incarnatione libro,
ſic dicit: Bonum eſt in hoc loco maxime con- "
cludere, quid virtutis habeant ea quæ di- "
cta ſunt, ſive converſari, ſive baptizari, ſi- "
ve crucifigi, ſive mori, ſive & ſepeliri & re- "
ſurgere. Non puro alicui hæc coaptantes ho- "
mini dicimus. hoc enim in unaquaque dicto- "
rum demonſtratione addere non moramur, ut "
nullam calumniantibus præbeamus male loquen- "
di occaſionem: ſed inhabitato quidem a Deo "

---

a *Contra Apollinarem*) Qui Theodori Mopſueſteni laudibus favent, ejus contra Arianos & Apolinariſtas certamina prædicant: ut Theodoretus lib. v. Hiſtoriæ cap. ultimo. *ἓξ δὲ καὶ τριάκοντα ἐν τῇ προεδρίᾳ διατελέσας ἔτη, κατὰ Ἀρείου καὶ Εὐνομίου παραταττόμενος φάλαγγος, καὶ τὸν λῃστρικὸν Ἀπολιναρίου καταγωνιζόμενος λόχον*. Hujus operis Theodori (nam aliud ſcripſerat contra Apolinariſtas) meminere Synodus v. generalis, & Leontius Byzantius lib. III. contra Neſtorium & Eutychem. *Ἀπολινάριοι* porro Græcis conſtanter dicti, tum antiquior ille Hierapolitanus, qui ſub M. Aurelio vixit, apud Euſebium lib. IV. cap. XXVI. tum Laodiceni duo in Syria, quorum junior, id eſt filius, hæreſis auctor fuit, de qua Apolinariſtæ nuncupati. Pro Apolinariis Apollinares plerique apud Latinos vocant, diverſam vocis originem non animadvertentes.

b *Theodori & Artemonis*) Legendum *Theodoti*. De Theodoſio enim coriario ſermo eſt, qui primus Chriſtum nudum hominem docuit, eamque ob cauſam a Victore Papa damnatus eſt. Vetus auctor apud Euſebium lib. v. Hiſtoriæ cap. XXVII. *Βίκτωρ καὶ σκυτέα Θεόδοτον τὸν ἀρχηγὸν καὶ πατέρα τῆς ἀρνησιθέου ἀποστασίας ἀπεκήρυξε τῆς κοινωνίας, πρῶτον εἰπόντα ψιλὸν ἄνθρωπον Χριστόν*. Theodoti hæreſim ſecutus eſt Artemon. Artemonis Paulus Samoſatenus, ut idem auctor affirmat, & Epiſcopi Synodi Antiochenæ apud Euſebium eundem lib. VII. cap. XXIV.

* (131) *Theodori*. Falſam *Theodori* lectionem emendat Sirmondus in ſuperiore nota b.

* (132) *qui primi purum*,

* (133) *aliud evidens eorum*.

„ verbo ab ipſa in utero matris plaſmatione. inhabitato vero, non ſecundum communem inhabitationem, neque juxta eam quæ in multis intelligitur gratiam: ſed juxta quandam excellentem, ſecundum quam etiam adunari dicimus utraſque naturas, & unam juxta adunationem effectam eſſe perſonam. Ecce dum * volumus a-
* 134 liud eorum mendacium prodere, etiam omnes hic, aut pene omnes, eorum adverſus Theodorum de incarnatione Chriſti calumnias videmus excluſas. Nam accuſant eum illi, quod hominem purum dixerit Chriſtum. Ipſe autem dicit: „ Sive converſari, ſive baptizari, ſive crucifigi, ſive mori, ſive & ſepeliri & reſurgere, non puro alicui hæc coaptantes homini dicimus. Si autem non puro alicui homini hæc coaptat: igitur etiam Deum converſari, & baptizari, & crucifigi, & mori, & ſepeliri, & reſurgere fatetur in carne ſuſcepta. ſuamque ſolicitudinem monſtrans, „ Hoc enim, inquit, in unaquaque dictorum demonſtratione addere non moramur, ut nullam calumniantibus præbeamus male loquendi occaſionem. Et neque ſic amputare potuit occaſionem quærentibus occaſionem. Item accuſant eum illi, quod B. Mariam Deum genuiſſe negaverit. Ipſe autem dicit, quod ab ip-
* 135 ſa in * utero plaſmatione Deus verbum adunatum ſibi hominem inhabitaverit, ſecundum quod Evangeliſta dicit, *Verbum caro factum eſt, &*
Joan. 1. 14. *habitavit in nobis*. Item accuſant eum illi, quod ſic habitaſſe dixerit Deum verbum in aſſumpta hominis natura ſicut habitavit in multis ſanctis atque prophetis, non ut adunatis utriſque naturis una fieret ex earum adunatione perſona. Ipſe autem dicit, eum non ſecundum communem habitationem inhabitaſſe, ſed juxta quandam excellentem, ſecundum quam etiam adunari dicimus utraſque naturas, & unam juxta adunationem effectam eſſe perſonam. Ubi ſimul & illud attendat pietas veſtra, quoniam
* 136 * confictum de B. Leone, quod Theodorum dixerit doctorem fuiſſe Neſtorii. Nam cum idem
Leo epiſt. 66. B. Leo ſcribens Maximo Antiocheno doceat, quoniam catholicæ fidei petra, cujus cognomen B. Petrus Apoſtolus ſumpſit a domino, propterea Neſtorium anathematizet, quod verbi carniſque naturam in beatæ virginis conceptione ſejungens, unumque Chriſtum in duos dividens, aliam deitatis, & aliam humanitatis voluerit eſſe perſonam: non poſſet velut ejus magiſtrum Theodorum condemnare, qui jam dudum prævertens ipſius errorem Neſtorii, contra docet ab ipſa in utero matris plaſmatione Dei verbi naturam cum ea quæ aſſumpta eſt in unam ſubſtitiſſe perſonam. Et hæc quidem protulimus de Theodori ſcriptis, ex occaſione convincendæ falſitatis eorum, quos aperte mentiri non puduit: dum pro ejus perſona epiſtolam venerabilis Ibæ conantur excludere, & pro epiſtola venerabilis Ibæ Calchedonenſe concilium. Competenti vero loco tanta & talia proferemus, ut ſi non ip-

A ſos calumnioſos atque fallaces, alios certe pœniteat, qui eis facile crediderunt. Quis autem commemorare poſſit, aut eorum omnes falſitates, aut omnia quæ in illo libro ſparſa ſunt, ad augendum crimen ipſius Theodori, & epiſtolæ Ibæ, in qua laudatus eſt, ut ex hoc magnæ ſynodo ſuſcitaretur invidia, quod eam pronunciavit orthodoxam? Nam ſive cum Neſtorii, vel neſcio cujus Cyri, ſive cum Joannis * Græ- * 137
ci faciunt mentionem, nolunt eos ſine his conviciari: ſive cum teſtimonia proferunt patrum, nolunt eos ſine alterius eorum vituperatione laudare. Adhuc tamen aliud magnum ac duplex
B eorum mendacium publicemus: quod Calchedonenſe concilium, non Epheſini tantum, verum etiam ipſius Calchedonenſis judicio videri notabile voluerunt, dicentes: „ Theodori ſymbolum & in Epheſo ſub ſancto Cyrillo ſynodus, & in Calchedone condemnaverunt, atque anathemati ſubdiderunt, cum conſcriptore ejus: cum [a] in Epheſina ſynodo referatur quidam nomine Chariſius, presbyter & œconomus Philadelphiæ, neſcio quos Antonium & Jacobum presbyteros accuſaſſe de ſocietate Neſtorii, & docuiſſe quod
C non Eccleſiæ ſymbolum, ſed aliud, converſis Teſſareſcædecatitis hæreticis, qui non cum Eccleſia, ſed quartadecima luna Paſcha celebrabant, tradiderunt: nec ibi dicatur, vel ab ipſo Chariſio, vel a quoquam, illud ſymbolum Theodori fuiſſe Beatus Cyrillus ſcribens Orientalibus dicit: „ Prolata eſt in ſancta ſynodo Epheſina diffinitio, veluti a Theodoro depoſita, ſicuti offerentes dicebant. nec affirmat eam Theodori fuiſſe: verum neque cum ejus conſcriptore, ut iſti confingunt, refert eſſe damnatam: quia
D & nec juſte fieret. *Lex enim noſtra*, ſicut in Evangelio ſcriptum eſt, *non judicat hominem*, *Joan. 7. 51.*
niſi audierit ab eo prius, & cognoverit quid faciat. Falſum ergo eſt & * quod dixit, apud * 138
ſynodum Epheſinam Theodori ſymbolum cum ſuo ſcriptore damnatum. In Calchedone etiam non alibi mentio Theodori facta eſt, niſi ubi ex epiſtola venerabilis Ibæ recitatum eſt nomen ejus. Cognoſcant itaque, ſe nihil ſuis ſubreptionibus profeciſſe, quibus obtinere conati ſunt, ut Calchedonenſis ſynodus ſibi contraria videretur, ap-
E probans epiſtolam laudantem Theodorum, quem cum ſymbolo damnaverit ſuo. Ex his quidem ſatis ſuperque produntur fautores hæreticorum, ſicut epiſtolam venerabilis Ibæ, ita etiam Theodorum Mopſueſtenum Epiſcopum, in deſtructionem ſynodi Calchedonenſis, & decretorum Papæ Leonis, a quo ejuſdem ſynodi geſta ſunt approbata, anathemati ſubdidiſſe.

CAP. III.

NUnc illa proferamus, in quibus etiam beati Cyrilli teſtimonium ſuo convincuntur impugnaſſe judicio. Nam affirmantes ipſum eſſe auctorem [b] neſcio cujus operis, in quo aliqua ſancti Diodori Tarſenſis Epiſcopi, ac Theodori dicta culpantur, negare non poſſunt, quin ibi dixe-

a *In Epheſina Synodo*) Quæ hic narrantur extant in actione VI. Synodi Epheſinæ, cum exemplo ἐκθέσεως τοῦ παραπλασθέντος συμβόλου, *depravati hujus ſymboli*. quod rurſum legitur in Synodo V. generali actione IV. De eodem noſter iterum cap. V. hujus libri.

b *Neſcio cujus operis*) Scripſerat Cyrillus, ut auctor eſt Liberatus cap. X. tres libros adverſus Diodorum & Theodorum, quaſi Neſtoriani dogmatis auctores. Cujus operis fragmenta recitantur in actione V. Synodi ejuſdem. atque in his illa quæ Facundus commemorat, hoc titulo: *Ex ſecundo libro Cyrilli Epiſcopi Alexandriæ de eo quod unus eſt Chriſtus, contra Theodorum*. Sed longe diſcrepans & diverſa eſt Synodi lectio. ita ut Theodorum perſtringant Cyrilli verba, quæ hoc loco ad ejus laudem, poſtrema parte omiſſa, transferuntur. Sic enim habent: *Quos quidem labores nollet aliquis increpare, magis autem*

* (134) *voluimus*. * (135) *utero matris*. * (136) *confictum eſt*.
* (137) in codice loco τοῦ *Græci* habetur aliud verbum deletum, cujus hæ poſtremæ litteræ apparent... *rc*.
* (138) *quod dixerunt*.

rit:

„rit : Scripti ſunt a magno Theodoro adverſus
» Arrianorum & Eunomianorum hæreſes viginti for-
» te & adhuc amplius libri , & alia præter hæc
» Evangelica & Apoſtolica ſcripta interpretatus
» eſt. Et hos quidem labores nullus auſus eſt in-
» crepare , ſed dextro decreto honorare ſtudium
» rectorum dogmatum, quod in eis eſt . Iſti vero
e contrario , eundem Theodorum in Evangelii
expoſitione reprehendunt : in quo labores ejus ,
quiſquis eſt auctor illius operis , perhibet quod
nullus auſus fuerit increpare, ſed dextro potius
honorare decreto . & hinc eum impium vocant,
a quod [a] Dominum in paſſione , & formidaſſe ,
& turbatum eſſe dixerit : ita ut hoc quoque di-
» cerent , Horremus etiam ſolam memoriam bla-
» ſphemiarum ejus , & Deo ſupplicamus ut nobis
» fiat propitius , quod omnino in lingua talia ſu-
» ſtinemus afferentes , trepidare in paſſione eum
» poſſe , qui ſuis famulis , qui pro ejus nomine
» martyrium ſuſceperunt , talem donavit gratiam,
» ut cum gaudio, & promptitudine, & alacritate
» paſſiones adirent. Hæc autem reprehenſio & de-
teſtatio ſcriptorum Theodori, ſanam doctrinam B.
* 139 Leonis ſynodi Calchedonenſis auctoris * impu-
» gnat, qui ſcribens Juvenali Hieroſolymitano E-
Epiſt. 78. » piſcopo dicit: Utere igitur, frater cariſſime, in-
» victiſſimis catholicæ fidei documentis, & Evan-
» geliſtarum prædicationem ſanctorum locorum, in
» quibus degis , teſtificatione defende . Apud te
» eſt Bethleem, in qua ſalutifer Davidicæ virginis
» partus illuxit, quæ involutum pannis inter an-
» guſtias diverſorii præſepe ſuſcepit . Apud te eſt
» declarata ab Angelis , adorata a Magis, & per
» multorum infantium mortes ab Herode quæſita
» Salvatoris infantia . Apud te eſt , ubi pueritia
» ejus adolevit , ubi adoleſcentia maturavit , &
* 140 » per * omnia incrementa corporea in virum per-
» fectum veri hominis natura profecit , non ſine
» cibo eſuritionis, non ſine ſomno quietis, non ſi-
» ne fletu miſerationis, nec ſine pavore formidi-
» nis. Unus enim atque idem eſt , qui & in Dei
» forma operatus eſt miracula magna virtutis, &
» in forma ſervi ſubiit ſævitiam paſſionis. Si ergo
de nobis hæretici quærunt, cur non & Leonem
condemnemus prædicantem, & prædicari cogen-
tem, quod Chriſtus non ſine pavore formidinis
ſubiit ſævitiam paſſionis , quid reſpondebimus ,
* 141 Theodoro * nunc pro tali confeſſione damnato ,
niſi aut Leonis eſſe illam epiſtolam denegemus,
* 142 ad ſolitum * mendacium confugientes auxilium,
aut & ipſum Leonem cum Theodoro concedamus
eſſe damnandum? En qualia in defenſionem con-
cilii Calchedonenſis , & Romani Leonis , con-
ſcripta dicuntur , quæ nos ſuo præjudicio, &
ipſam ſynodum , & Leonem damnare compel-
lunt : & qui pro Dei timore talibus noluerint
admiſceri , & in Eccleſiæ præjudicio compoſita
* 143 eſſe docuerint , digni * dicuntur exilio , digni
carceribus. Nihil autem mirum. nam talia ſem-
per mundus arguenti ſe retribuit veritati. Quid

A porro eſt , quod in eodem libro, in quo Theo-
dorus dicitur diaboli tranſgreſſus inſaniam, quia
dominum noſtrum in paſſione formidaſſe & tur-
batum eſſe confeſſus eſt , Athanaſius approba-
tur , quod in [b] libro tertio adverſus Arrianos b
ſcribens de proprietatibus duarum Chriſti natu-
rarum, hoc etiam dicat, Etenim perturbari car- «
nis proprium eſt : poteſtatem autem habere po- «
nendi & ſumendi quando vult animam , non eſt «
hoc proprium hominis , ſed verbi virtutis eſt ! «
Ecce ipſi non alibi , ſed in eodem libro, imme-
mores ſui fatentur , quod beatus Athanaſius ve-
raciter in paſſione dominum dixerit eſſe turba-
B tum . Cur ergo ſibi contrarii , in quo Athana-
ſium probant , ut magno Concilio præjudicent ,
Theodorum damnant ? Qui beatus Athanaſius
ita locutus eſt etiam in libro quem de Trinita-
te conſcripſit : Verbum enim & filius Dei ſem- «
per erat dominus Deus , & non poſt crucifixio- «
nem factus eſt dominus Jeſus Chriſtus : ſed , ut «
prædixi , humanitatem ejus effecit divinitas do- «
minum & Deum . Et quando dicit , *Pater ſi poſ-* « Matth. 26.
ſibile eſt tranſeat a me calix iſte : verumtamen non « 39. & 41.
mea voluntas fiat , ſed tua : ſpiritus quidem «
promptus eſt , caro autem infirma , duas volun- «
tates hic oſtendit : humanam quidem , quæ eſt «
C carnis , aliam vero quæ eſt deitatis: & humana «
quidem propter infirmitatem carnis recuſat paſſio- «
nem , divinitas ejus prompta eſt . Cum igitur «
ſanctus Athanaſius duas voluntates profiteatur
in Chriſto , humanam quidem propter infirmita-
tem carnis recuſantem paſſionem , aliam vero
ejus , quæ deitatis eſt , promptam : reſcire jam
debent Eutychiani quoniam ſicut eſt conſequens,
ut ſi juſte damnatur pro tali confeſſione Theo-
dorus , * Romanus Leo non poſſit abſolvi ; * ita * 144 145
neceſſario nec ipſe , quem venerari ſe dicunt, A-
D thanaſius abſolvatur. Sed quid ego de Athana-
ſio loquar , quando nec ipſos Evangeliſtas du-
bitaverunt inceſſere? cum per Theodori damna-
tionem ad B. Leonis & ſynodi Calchedonenſis
injuriam tendant , quod epiſtolam Ibæ , laudes
ejus continentem , pronunciavit orthodoxam ?
Nam rurſus Theodoro Apolinariſtis reſiſtente ,
qui, ſicut nunc Eutychiani, humanam in Chri-
ſto volebant evacuare naturam , & dicente ad
comprobationem ipſius humanæ Chriſti naturæ ,
quod imminente paſſionis articulo, & impenſius
E oravit, & ab Angelo confortatus eſt, dicitur ab
iſtis, Quomodo opus habebat Angeli ſolatio An- «
gelorum operator ? ſicut Apoſtolus dicit : *Quia* « Coloſſ. 1. 16.
in ipſo creata ſunt omnia quæ in cælis, quæ in «
terra , viſibilia , & inviſibilia . & adjiciunt et- «
iam illud , quod ſupra meminimus , dicentes , «
Aut quomodo trepidabat paſſionem, qui ſuis fa- «
mulis, qui pro nomine ipſius martyrium ſuſce- «
perunt, talem donavit gratiam, cum gaudio, & «
promptitudine , & alacritate adire paſſiones ? «
Quæ omnia non contra Theodorum , nec contra
epiſtolam venerabilis Ibæ , quæ Theodorum

honoraret , ſi ineſſet eis dogmatum rectitudo. Laudari ait po-
tuiſſe libros Theodori , ſi nihil pravi docerent . mox ve-
ro quædam in his impia eſſe demonſtrat .

a *Dominum in paſſione formidaſſe*) Theodori verba in hanc ſententiam ex lib. III. contra Apollinarem habet Synodus actione IV. num. XI. *Et in magna* , inquit , *trepidatione per tempus paſſionis conſtitutus apparitione Angeli indiget confortantis eum ad patientiam & tolerantiam imminentium malorum* . Angeli etiam Chriſtum confortantis orationem effinxerat , cujus ibidem eſt mentio num. IV. & apud Leontium , qui Theodorum ex hoc capite multis exagitat lib. III. cap. XXXVII.

b *Libro III. adverſus Arrianos*) Infra iterum ſub finem hujus cap. ceterum in vulgatis oratio eſt IV. contra Arrianos . alter vero qui ſequitur Athanaſii locus , depromptus eſt ex libro *περὶ τῆς ἐνσάρκου ἐπιφανείας τοῦ θεοῦ λόγου* . *De humana natura ſuſcepta a verbo* .

* (139) *impugnant* .
* (140) deeſt τὸ *omnia* .
* (141) *jam pro tali &c.*
* (142) *mendacii* .
* (143) *ducantur* .
* (144) *etiam Romanus* .
* (145) *ita neceſſario ſequitur ut Theodoro & Leone damnatis , nec ipſe quem &c.*

laudavit: nec contra B. Leonem, qui ſimilia docuit, ſed potius contra Joannem & Lucam Evangeliſtas ibi dixerunt. Nam & Joannes refert dicentem Dominum. *Nunc anima mea turbata eſt. & quid dicam? Pater ſalvifica me ex hora hac*, & Lucas autem: *Apparuit illi angelus de cælo confortans eum; & factus in agonia, prolixius orabat, & factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*. Quocirca graviſſimas illas contumelias, quas Theodoro propter hanc ſententiam ingeſſerunt, volentes ex eis beatum Leonem, & Calchedonenſe maculare concilium, quicumque ſanum ſapiunt, Evangeliſtis potius ingeſta eſſe cognoſcant. Si autem recipimus iſtos dicentes, Quomodo opus habebat Angeli ſolatio Angelorum operator? ut nullius eum credamus in ſuſcepta natura eguiſſe ſolatii, Apoſtolum quoque Paulum non recipiemus dicentem: *Noſtis enim gratiam domini Jeſu Chriſti: quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis*. Sed refragantes omnibus quæ de illo ſcripta ſunt, dicemus etiam nos, Quomodo opus habebat mammis & lacte materno panis Angelorum? aut quomodo opus habebat humanis ulnis, & ſinu geſtari, qui gerit omnia verbo virtutis ſuæ? aut quomodo opus habebat ſomno, qui non dormitat cuſtodiens Hieruſalem? Ut ita jam verbo tenus duas dicamus ejus eſſe naturas, rebus ipſis evacuantes, quod profitemur in voce: ſicut etiam Calchedonenſe concilium nos dicimus honorare, cujus ſententiæ repugnamus. Non autem dicerent Evangelio reſiſtentes, Quomodo trepidabat paſſionem, qui ſuis famulis, qui pro nomine ipſius martyrium ſuſceperunt, talem donavit gratiam, cum gaudio & promptitudine, & alacritate adire paſſiones, ſi aut homines, aut ſaltim ut hominibus, de rebus loquerentur humanis. Quid ergo? non trepidaverunt martyres mori? neque naturali affectu commoti expaverunt ad mortem, quæ utique non ex natura, ſed ex peccatis ſupplicium eſt? Et ita eos ſpe
* 146 * futurorum cum gaudio atque alacritate paſſiones adire credimus, ut nullatenus trepidatione malorum præſentium moverentur? non utique, nam vellent non per mortem ad illud, quo tendebant, pervenire ſi poſſent. Propter hoc etiam ipſe Dominus Petro dixit: *Amen amen dico tibi: cum eſſes junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis. Hoc autem dixit*, ſicut Evangeliſta nos docuit, *ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum*. Audiunt dicentem veritatem, Alius cinget, & ducet quo non vis, & ipſi jactant inaniter, quod nulla fuit in martyribus trepidatio paſſionis. Sic poſſunt dicere, quoniam & ſi quiſquam letali ulcere de vita deſperans, ſpondente medico quod ei ferro poſſit reſtituere ſanitatem, ita ſpe futuræ ſalutis gaudeat, ut præſentem ſectionis moleſtiam non reformidet.
* 147 * Attendat vero quid etiam Paulus dicat Apoſtolus, de ipſa morte corporis loquens: *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habeamus domum non manufactam æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiſcimus habitationem noſtram quæ de cælo eſt, ſuperindui cupientes, ſi tamen & veſtiti, non nudi inveniamur. Nam & qui ſumus in tabernaculo, ingemiſcimus gravati, eo quod nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur mortale hoc a vita*. Apoſtolus itaque domum, ſive tabernaculum vocans corpus, dicit quod eo nollet exſpoliari; ſed fieri poteſt, & ſuperveſtiri potius immortalitate, ut ad eam non corporis exſpoliatione tranſiret. Sed neſcio quid dicunt, quia martyres, quibus dictum eſt, *Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam*, non trepidabant mori, immo trepidabant * non mori. Nollent, ſi fieri poſſet: ſed naturali ſuæ voluntati, voluntatem Dei devotione & obedientia præferebant. Quod & illa verba Domini ſignificaverunt, quibus dum diceret: *Pater ſi vis transfer calicem iſtum a me*, ibi ſtatim ſubjunxit, & ait: *Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat*. Quod ergo ait, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius eum timete, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam*, non illud quod contra naturam eſt imperavit, ut humanam mentem nulla mortis trepidatio tangeret: alioquin ſuum diceretur impugnaſſe præceptum: cum ipſe daret de fuga conſilium. ſed ut timor timore vinceretur, dixit: *Nolite eos timere, qui occidunt corpus*. ideo ſecutus adjecit, *ſed potius eum timete, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam*. Quid autem hinc etiam, condiſcipulus prædicti Mopſueſteni Theodori, ſanctus Joannes Conſtantinopolitanus dixerit advertamus. Qui exponens eumdem locum Evangelii ſecundum Matthæum, ſic ait: Ipſe quidem « intentius orat, ne videatur ſimulatio eſſe nego- « tium, & ſudores defluunt propter eamdem ite- « rum cauſam. & ne hoc dicant hæretici, quo- « niam ſimulabat agoniam; ideo & ſudores ſicut « guttæ ſanguinis, & Angelus confortans eum ap- « paruit, & mille timoris argumenta. Et ne quis « dicat verborum eſſe figmentum; propterea & « oratio. & dicere quidem, ſi poſſibile eſt tran- « ſeat, oſtendit humanitatem: dicere vero, ve- « runtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, o- « ſtendit quomodo per virtutis ſtudium & patien- « tiam doceamur, & retrahente nos natura, ſub- « ſequi Deum. Qui etiam in commento, quod in Joannis Evangelium fecit, capitulo vigeſimo ſexto, cujus eſt initium, Qui amat animam ſuam perdet eam; ita locutus eſt: Ut non dicant, " quoniam ipſe alienus a doloribus humanis exiſtens, facile de morte philoſophatur, & periculi " expers nos admonet, oſtendit quia & agoniam " propter utilitatem non recuſat. hæc autem diſpenſationis ſunt, non divinitatis. propterea ait, " *Nunc anima mea turbata eſt*. Alioquin, niſi hoc eſt, quam conſequentiam habet quod dictum eſt, " & dicere, *Pater ſalvifica me ex hac hora*? ſic perturbari, ut & liberationem quæreret, ſiquidem " eſſet effugere? Hæc naturæ humanæ infirmitatis " ſunt. ſed non habeo quid dicam, inquit, liberationem poſcens: * propter hoc veni in horam " hanc. quaſi diceret, vel ſi turbamur, ac perturbamur, non fugiamus mortem. Nam & ego " nunc perturbatus, non dico ut fugiam: decet " enim ferre quod supervenit. Non dico, libera " me ex hora hac. ſed quid? pater * glorifica nomen tuum. & quidem perturbatione hoc cogente " dicere, e contrario dico; glorifica nomen "

Margin notes: Joan. 12. 27. — Luc. 22. 43. & 44. — 2. Cor. 8. 9. — Joan. 21. 18. & 19. — 2. Cor. 5. 1. — Matth. 10. 23 — * 148 — Luc. 22. 42. — Matth. 16. 28 — Joan. 12. 27. — * 149 — * 150

* (146) *futurorum bonorum*.
* (147) *Attendant*.
* (148) *& non mori nollent, ſi fieri poſſet &c.*
* (149) *propter hoc enim &c.*
* (150) *clarifica*.

„ tuum, hoc eſt dum eam ad crucem: quod multum hoc quod humanum eſt demonſtrat, & naturam non volentem mori, ſed præſentis avidam vitæ. oſtendens quoniam non erat alienus ab humanis paſſionibus. Quomodo enim nec bibere crimen eſt, neque dormire, ſic neque præſentis vitæ habere deſiderium. Chriſtus autem corpus mundum a peccatis habuit, non a carnalibus neceſſitatibus expeditum: alioquin nec corpus fuit. Numquid Mopſueſtenus Theodorus, qui in beati Leonis & ſynodi Calchedonenſis præjudicium condemnatur, ad aſſerendam Chriſti humanitatem, ſicut ejus condiſcipulus beatus Joannes, mille timoris argumenta in ipſius paſſione confeſſus eſt? aut alicubi ab eis, quemadmodum iſte præclarus doctor Eccleſiæ, ſic turbatum ac perturbatum in paſſione Chriſtum dixiſſe probatus eſt, ut etiam liberationem quæreret, ſiquidem eſſet effugere? & alia multa, quæ naturam ejus humanam non volentem mori, ſed præſentis avidam vitæ, Joannes inſinuare teſtatur: quoniam ſicut potare crimen non eſt, neque dormire, ita nec deſiderium habere vitæ præſentis. Quodque majus eſt, & quorumdam modo novitiæ doctrinæ peremptorium, in hoc ſuam ſententiam claudit, Quoniam hæc paſſionibus Chriſti ſubtrahere, nihil eſt aliud, quam ipſam corporis ſubſtantiam ejus denegare, cum dicit, Chriſtus autem corpus mundum „ a peccatis habuit, non a carnalibus neceſſitatibus expeditum: alioquin neque corpus fuit. Quid autem ego alia de hac re, vel prædictorum, vel aliorum venerabilium patrum teſtimonia proferam, cum jam ſibi ſufficienter in eodem ſuo libro ipſi reſponderint, ſancti Athanaſii teſtimonium contra ſe, quemadmodum ſupra meminimus, proferentes, in quo ait, „ Etenim perturbari carnis proprium eſt: poteſtatem autem habere ponendi & ſumendi, quando vult, animam, non eſt hoc proprium hominis, ſed verbi virtutis eſt. Quid igitur ibi e contrario quaſi aliquid magnum dicunt, beatum Athanaſium, in eodem tertio adverſus Arrianos libro, de Chriſto dixiſſe, „ Quem Deus exiſtens formidaret, aut cur mortem pertimeſceret, dum eſſet ipſe vita, & alios ex morte liberans, aut quomodo dicens, Nolite timere occidentem corpus, ipſe formidaret? Intelligant hoc eum ſecundum ejus divinitatem dixiſſe adverſus Arrianos, qui ea quæ humanitatis fuerant, ad divinitatis ejus injuriam transferebant. Nam quomodo non ſolum in eodem opere, ſed in eodem etiam libro, utrumque diceret? niſi forte ſimilem iſtis Athanaſium credimus, ut ipſe quoque dicatur ita ſibi fuiſſe contrarius. Hoc & de aliorum teſtimoniis patrum dixerim, quæ ibi ſe congeſſiſſe contra Evangelicam ſententiam gloriantur. Sunt & alia multa in ipſo eorum libro, quibus ſemetipſos impugnant, adverſa ſibi loquentes, quæ nunc perſequi longum eſt, & melius vobis relinquimus arguenda, quoniam hoc facillime fieri poteſt: & illud opus a quolibet elaboratum magis ornari debet titulo nominis veſtri, per quod callide excogitata in præjudicium magnæ ſynodi falſitas reſellitur.

A

CAP. IV.

Nunc aliud aperiamus, in quo iterum ſuo teſtimonio convincuntur, beati Cyrilli, quod ſecutos ſe jactant, impugnaſſe judicium, cum ad præjudicium magnæ ſynodi ſimiliter eundem Theodorum criminantur interpretantem Evangelium ſecundum Matthæum dixiſſe, quia Chriſtum, [a] „ non tanquam filium Dei, & ante omnem exiſtentem creaturam, & eorum quæ ſunt opificem, adiit centurio pro pueri ſui ſalute. In hoc autem capitulo etiam fraudulenta falſitas eorum ſatis apparet. Nam inde ab eis Theodorus accuſatur, unde magis debet ab eorum accuſatione defendi. B Non enim, ſicut fingunt, exponens hunc locum Evangelii, quid ipſe de Chriſto ſentiret oſtendit, ſed potius quid centurio de illo putaverit. Immo & quid ipſe ſentiret oſtendit. Nam qui centurionem dixit, quod * ignorantia non ut Deum, & ante omnem exiſtentem creaturam, & eorum quæ ſunt opificem, Chriſtum adierit, proculdubio ipſe non hominem tantummodo, ſicut Neſtorius, ſed etiam Deum, & ante omnem exiſtentem creaturam, & eorum quæ ſunt opificem, Chriſtum eſſe cognovit. * 151 Quomodo autem ipſi conſuete, prout voluerunt, corruptam Theodori ſententiam in libro ſuo poſuerint, oſtendemus, C ac deinde quomodo ſe habeant ejus verba ſecundum ſcriptorum monumenta docebimus: ut in hac una * cognoſcere valeatis, * 152 quanta per alias ejus ſententias immiſerint importuna, quæ ille non dixit, quanta ſubtraxerint opportuna, quæ dixit. Sic enim dixerunt. ſed & reſiduas Theodori blaſphemias ſimili convincamus modo. „ Dicit enim ipſe impius Theodorus, adverſus Chriſtum inſaniens, & neque ab eo facta mirabilia tanquam a Deo facta dans, centurionis vocem, quam ad Dominum dixit, in pueri curatione, contrarie interpretans in Evangelio ſecundum D * Joannem dicit hæc: * 153 Bene adjecit illud, Nam & ego homo ſum: Quaſi nihil mirabile, ſi iſtud poſſe habes homo, cum ſis accipiens a Deo. quoniam ego cum ſim homo, accipio obedientes, ſemel habens jubendi poteſtatem ut voluero, per dantis munificentiam. Propter quod nihil ab re eſt, te & hanc ſumente a Deo poteſtatem, verbo tantum jubente expelli paſſiones. Neque enim tanquam Dei filium, & ante omnem creaturam ſubſiſtentem, & omnium quæ ſunt opificem, adierat centurio. Hæc ex eorum libro in noſtrum tranſtulimus. Et licet in his etiam verbis, quæ pro ſuo libitu compoſuerunt, non penitus obſcurari potuerit dicentis intentio: E quoniam, ſicut dictum eſt, non ſuam fidem, ſed exiſtimationem in eis ignorantis centurionis expreſſit: tamen ut hoc evidentius appareat, integra ipſius Theodori verba ponamus. „ Supplicabat autem ei, inquit, ut curaret puerum. Ad quem Dominus dicit, ego veniens curabo eum. Propterea maxime ipſe promptius ire promiſit, ut virtus centurionis cum refugit appareret. Etenim, non ſum dignus, dicit, ut intres ſub tectum meum, Igitur verbo tantum dic, & hoc * curare ſufficiet. * 154 Primum igitur reverentiam multam, ſecundo autem maximam fidem oſtendit. Deinde & cum pruden-

a *Non tanquam filium Dei*) Hic etiam locus inter cetera Theodori relectus eſt in Synodi v. actione IV. num. III. ſed alia eſt interpretatio, ſicut & in Vigilii Conſtituto cap. 53. his verbis; *Nec enim tanquam filio Dei, & ante univerſam creaturam exiſtenti, & creatori eorum quæ ſunt, acceſſit centurio.*

* (151) *per ignorantiam.*
* (152) *facile cognoſcere.*
* (153) *Matthæum*: ſcilicet cap. 8. & 9.
* (154) *cura.*

„ tia fidem propriam monſtrans, Nam & ego ho- A
„ mo ſum ſub poteſtate, habens ſub me milites,
„ & dico huic vade, & vadit: & alio veni, &
„ venit: & ſervo meo, fac hoc, & facit. Pruden-
„ tiæ enim erat, ſecundum rationem quæ ei vide-
„ batur, talia credere de Chriſto. Homo enim &
„ ego: ſed tamen, quorum accepi poteſtatem, ho-
„ rum ſum dominus, quæ mihi videntur ea fiunt
„ a meis ſubjectis. Ergo nihil ab re eſt, & te hanc
„ ſumente a Deo poteſtatem, verbo tantum juben-
„ te expelli paſſiones. Neque enim tamquam Dei
„ filium, & ante omnem creaturam ſubſiſtentem,
„ & omnium quæ ſunt opificem, adierat centu-
„ rio. Hæc enim neque diſcipulorum erat tunc
„ ſcire ante crucem, ſicut in reliquis oſtendemus
„ Domino adjuvante ſubtilius. ſed tanquam ho- B
„ minem per virtutem adeptum a Deo majorem
„ quam eſt hominis poteſtatem. Unde ei dixit,
Nam & ego homo ſum. Hoc modo ſe habent
* 155 verba Theodori. Jam nunc confer * utrumque
ſicut te dignum eſt, Imperator, & invenies
quanta ab eis fuerint ſuppoſita, & quanta ſub-
tracta, ne veritas appareret. Maxime autem, quis
non videat, quia non ob aliud ſubtraxerunt quod
„ ibi dictum eſt, Prudentiæ enim erat, ſecun-
„ dum rationem quæ ei videbatur, talia credere
* 156 „ de Chriſto; niſi ut in illis verbis * centurionis
ignorantis exiſtimationem, quam ſuam fidem,
* 157 videretur Theodorus * magis expreſſiſſe? vel il-
lud extremum quod pertingere noluerunt, ubi C
„ ait: Hæc enim neque diſcipulorum erat tunc
„ ſcire ante crucem, ſicut inferius oſtendemus,
„ Domino adjuvante, ſubtilius. Collige itaque pa-
riter cum his verbis finem ſententiæ, & inve-
nies Theodorum, qui Chriſtum, non tanquam
hominem per virtutem adeptum a Deo majorem,
quam eſt hominis, poteſtatem, ſed verum Dei
filium credidit, & ante omnem creaturam ſub-
ſiſtentem, & omnium quæ ſunt opificem. Nam
quomodo diceret, Nec diſcipulorum erat tunc
ſcire ante crucem, niſi hæc ipſe ſciret, & di-
ſcipulos quoque poſt crucem crederet cognoviſ-
ſe? Quis porro iſtorum tantas fraudes menda- D
ciaque non horreat? Si non conſideratur quod
Pſal. 5. 7. ſcriptum eſt, *perdes omnes qui loquuntur menda-
cium*, & timor Dei contemnitur: pro humano
ſaltim pudore, qui facile deprehendi poterant,
manifeſto mendacio debuerant abſtinere. & ta-
„ men de ipſo Theodoro loquentes dicunt, Hor-
„ remus etiam ſolam memoriam blaſphemiarum
„ ejus, & Deo ſupplicamus, ut nobis fiat propi-
„ tius quod omnino in lingua talia ſuſtinemus.
Quanta conſcientiæ ſanctitas, & quanta ſinceri-
tas? Quomodo ſe probant blaſphemiarum, quæ
ab alio dictæ ſunt, horrere memoriam, qui tan-
ta, quæ non ſunt dicta, confingunt? aut quo- E
modo eis non propitietur Deus, ita ſimpliciter
ac veraciter invocatus? Iſti ſunt, qui docent
novam, & tam Leoni Romano, donec advixit,
quam toti hactenus Eccleſiæ incognitam verita-
tem. Abjiciantur, obſecro, tales, & profugen-
tur ab auribus veſtris, nec eis ultra ſit liberum
titulo veſtri nominis ſua mendacia prænotare.
Nam ſi hanc manifeſtam Theodori de centurio-
ne ſententiam, per quam magis eum, quomodo
promiſeramus, oſtendimus ab eorum accuſatione
defendi, ſic impudenter accuſaverunt; ſic aliis
ſuppoſitis quidem, aliis vero ſubtractis, obſcu-
rare conati ſunt, ut ea in contrarium ſen-
ſum ſæva interpretatione converterent: quid il-
los in ceteris feciſſe credendum eſt, ubi prædi-
ctus Theodorus Apolinariſtis contradicens, quæ-
dam certative magis, quam modeſte cauteque
locutus eſt? Ac ſi beati Cyrilli, quemadmodum
jactant, eos teneret auctoritas, non ſolum Evan-
gelica ſcripta male fuiſſe a Theodoro interpreta-
ta non dicerent, in quibus ille perhibet, ſicut
affirmant, labores ejus nullum fuiſſe auſum in-
crepare, ſed dextro decreto honorare ſtudium
rectorum dogmatum, quod in eis eſt: verum
etiam quæcunque in aliis ejuſdem. Theodori
ſcriptis ſimilia non culparent, ſed potius ſe cre-
derent minus eorum rationem potuiſſe cognoſce-
re; ne talibus temere improbatis, conſequenter
& illa, quæ in laboribus ejus a beato Cyrillo
approbata eſſe non denegant, culpare pro ſimi-
litudine viderentur. Si autem quia Neſtorianus
error Chriſtum, non tanquam Dei filium, & an-
te omnem creaturam exiſtentem, & omnium quæ
ſunt opificem credit; ideo Theodorum condem-
naverunt, velut ſimilia ſapientem: neceſſario
ſequitur, ut quia probatus eſt idem Theodorus,
Chriſtum Dei filium, & ante omnem creaturam
ſubſiſtentem, & omnium quæ ſunt opificem cre-
didiſſe, inique fuerit condemnatus, quaſi Ne-
ſtorii doctor, cujus errori multum videtur fuiſ-
ſe contrarius. Cernis itaque, pie Princeps, quo-
modo ſi nobis alia defuiſſent, hoc uno ſatis ido-
nee doceremus, etiam epiſtolam venerabilis Ibæ,
quam ſynodus approbavit, indigne pro laude
Theodori fuiſſe damnatam.

QUid etiam, quod æque ad exaggerandam CAP. V.
invidiam ſanctæ ſynodo injuriam, in qua dum
recitarentur laudes ipſius Theodori, anathema-
tizatus non eſt, dicunt eum Trinitatem quo-
que negaſſe, & juxta Sabellium unam patris &
filii & ſpiritus ſancti crediciſſe perſonam! Num-
quid & hoc * contra beati Cyrilli ſententiam * 158
dicunt, ſi ipſe in illo opere quædam ſcripta
ſancti Diodori, & diſcipuli ejus Theodori, cul-
pat? Nam quicumque ſit, teſtificatur interea,
quoniam Theodorus adverſus Arianorum & Euno-
mianorum hæreſes viginti & amplius libros ir-
reprehenſibiliter ſcripſit: quod non aliter poſ-
ſet, niſi confitens Trinitatem. quoniam & e-
vangelica, atque apoſtolica ſcripta recte inter-
pretatus eſt: in quibus & Matthæus præcepiſſe
dominum refert: *Euntes docete omnes gentes, ba-* *Matth. 28. 19*
*ptizantes eos in nomine patris & filii & ſpiritus
ſancti*. & Paulus Corinthiis dixit: *Gratia domi-* *2. Cor. 13. 13.*
*ni noſtri Jeſu Chriſti, & caritas Dei, & communi-
catio ſancti ſpiritus, cum omnibus vobis*. & * ſi- * 159
milia, per quæ nobis in Evangelicis atque Apo-
ſtolicis ſcriptis inſinuata eſt Trinitas. Cum igi-
tur hæc, ut dicunt, beatus Cyrillus Theodorum
irreprehenſibiliter expoſuiſſe perhibeat, quomodo
non contra ejus teſtimonium affirmatur, quod
idem Theodorus negaverit Trinitatem, & unam
trium docuerit eſſe perſonam? Dixerunt enim, “
Verumtamen ut omnes Chriſtiani, Theodo- “
ri inſaniam cognoſcentes non circumferantur “
impiis illius doctrinis, parva ex ejus blaſphe- “
miis conſcriptis, in conficto ab eo ſymbolo, “
præſenti noſtro indidimus libro, quæ conſtant “

* (155) *utraque*.
* (156) *non tam Centurionis*.
* (157) deeſt τὸ *magis*.
* (158) *non contra*.
* (159) *multa ſimilia*.

a „ in ipſis ſermonibus : a Confitemur patrem per-
„ ſectum perſona, & filium ſimiliter, & ſpiritum
* 160 „ ſanctum * ibidem. Et hæc quidem Theodorus
„ impius. Oportet autem auditorem inſpicere,
„ quia in ſancta Trinitatis perſona dicens ſimili-
* 161 „ ter & * ibidem, unam perſonam oſtenditur di-
„ cere trium nominum ſanctæ Trinitatis, ſecun-
„ dum Sabellii inſaniam. Quoniam ergo dixerunt,
Oportet autem auditorem inſpicere, non mihi
contemnendi videntur, ſed, ut monuerunt, in-
ſpicienda nobis atque aperienda ſunt & illa ver-
ba, quæ dicunt eſſe Theodori, & ipſorum, qui-
bus ea refellere voluerunt: ut dinoſci facillime
queat, qui magis videantur loqui ſecundum Sa-
bellium. utrum ille, quiſquis eſt, qui dixit,
„ Confitemur patrem perfectum perſona, & filium
* 162 „ ſimiliter, & ſpiritum ſanctum * ibidem: an iſti,
qui dicunt: Oportet autem auditorem inſpice-
re, quia in ſanctæ Trinitatis perſona dicens ſi-
* 163 militer & * ibidem. Hi enim magis videntur
juxta Sabellii errorem, quem quaſi redarguunt,
loqui, qui dicunt in ſancta Trinitatis perſona,
& non ſicut veritas habet, in ſanctæ Trinita-
tis perſonis. Hæc autem prius inconſiderate lo-
quentes, poſtea laborant oſtendere, & nobis tam-
quam hinc dubitemus probare conantur, quod
tres perſonæ ſint, pater & filius & ſpiritus ſan-
ctus. Quibus hoc ego compendioſe reſpondeo,
quod iſtud ſymbolum, in quo negatam perhi-
bent Trinitatem, priorum teſtimonio affirme-
tur non eſſe Theodori. quia Trinitatem negare
non poſſet, quem beatus Cyrillus, ut ferunt,
adverſus Arianorum & Eunomianorum hæreſes,
viginti forte, & adhuc amplius libros, & alia
præter hæc Evangelica & Apoſtolica ſcripta in-
terpretatum eſſe indicat: & hos quidem labores
ejus nullum fuiſſe auſum increpare, ſed dextro
decreto honorare ſtudium rectorum dogmatum,
quod in eis eſt. Denique idem Theodorus in
epiſtola ad Artemium Alexandrinum presbyte-
„ rum ſecunda, ſic dicit. Quos oportuit ſcire,
„ quia patrem & filium & ſpiritum ſanctum ado-
„ ramus, in iſtis divinam & æternam & increa-
„ tam compleri dicentes Trinitatem. Quoniam
„ ejuſdem eſſentiæ eſt unumquodque horum, hoc
„ eſt æternæ omnium factorum cauſæ, & revera
„ divinæ. Et pater non propter aliud, ſed pro-
„ pter propriam eſſentiam adorandus eſt. Ita
„ etiam & filius, non pro alio hoc accipiens, ſed
„ quia illius & talis eſſentiæ eſt, circa quam con-
„ gruebat hæc impleri. Similiter etiam & ſpiri-
„ tum ſanctum ejuſdem eſſentiæ cognoſcentes,
„ propter propriam eſſentiam adoramus. Sic & tres
„ perſonas dicimus, unamquamque perfectam, &
„ ejuſdem eſſentiæ, æternæ ac divinæ, & eorum
„ quæ facta ſunt, cauſam arbitrantes eſſe, &
„ tres adoramus perſonas, unius eas eſſentiæ cre-
„ dentes revera divinæ. Quomodo itaque poſ-
„ ſibile eſt quartam perſonam ſuper has addere il-
„ lam quæ aſſumpta eſt ſervi formam? quam ne-
„ que ejuſdem ſubſtantiæ arbitramur eſſe, cui
„ neque propter ſe cultus debetur, neque pro-
„ pter propriam eſſentiam debere ſuſcipere ado-

A rationem agnoſcimus, neque ipſam ſolam apud „
ſe diviſe in propria perſona adoramus, ſicuti „
dividi eam putant. Numquidnam poſt horum „
commemorationem jactare debent, a Theodoro
ſymbolum eſſe confictum, in quo negatam aſ-
ſerunt Trinitatem? Aut vel nos dubitare debe-
mus ſanctis patribus credere, quod alienus fue-
rit a ſenſu Neſtorii? Nam in hoc teſtimonio
non ſolum tres perſonas & Trinitatem confi-
tetur, patrem & filium & ſpiritum ſanctum;
ſed etiam negat eſſe poſſibile, velut quartam
perſonam ſuper has addere illam quæ aſſumpta
eſt ſervi formam. quam ſic contra Apolina-
rem & Eutychem aſſeruerat alterius eſſe ſub-
ſtantiæ, & non ejuſdem cujus eſt deitas: ut
tamen eam ſolam contra Neſtorium neget, ve-
B lut in propria perſona, eſſe diviſam; tamquam
ſciens ad unam ex Trinitate ſubſiſtentiam per-
tinere. Quod ſi & hæc nobis ex his quæ ſcri-
pſit teſtimonia defuiſſent, & alia multa quæ
poſtea proferemus, pudere debuit ejus accuſato-
res, tam abſurda ſibique contraria de quocum-
que confingere. Nam cum ipſi dicant quod Tri-
nitatem negaverit, tanquam Deus ſolitarius,
nec filium habeat, nec ſpiritum ſanctum: con-
tra iterum ipſi dicunt, quod duos prædicaverit
filios. Sed quomodo & unum negaſſe, & duos
prædicaſſe dicatur, ignoro. Ridiculum, pie
Imperator, ridiculum, ſed dolendum. Ecce qua-
les nugæ ſunt, quibus ſubſcribere coguntur
Epiſcopi, & niſi fecerint, digni exilio judican-
tur. Ecce ad quod confirmandum adducitur
etiam Romanus Epiſcopus, ne quid inauſum
videretur ambitioſa hæreticorum ſubreptio reli-
C quiſſe.

VErum etiam & aliud accipe, in quo ſimi- CAP. VI.
militer ut amplius notabilem facerent magnam
ſynodum, tanquam non unius tantum hæreſis,
aut duarum, criminibus involutum Theodorum
laudari * pertulerit, & ſibi, & judicio beati Cy- * 164
rilli, ſuo teſtimonio convincuntur eſſe contra-
rii, dicentes eundem Theodorum b amputare b
quoque omnes in Chriſto factas prophetias. Quem
cum indigne, velut pro Judaica impietate,
damnaverint, dicentes c quod non Deum cre- c
diderit Chriſtum; rurſus ex adverſo etiam Ma-
D nichæorum ei crimen impingunt, quos novimus
vetus non accipere teſtamentum. Nam Judæi
quoque Chriſtum per prophetas annuntiatum
eſſe non denegant: ſed adhuc cum venturum
expectant, quem veniſſe nos credimus. Cui ve-
ro ſit vel parum intelligenti credibile, ut di-
catur Epiſcopus in Eccleſia catholica credidiſ-
ſe, ac docuiſſe, quod nihil prænuntiaverint de
Chriſto prophetæ, & in ejus communione man-
ſiſſe? Neque enim, ſicut multorum hæreticorum,
occultus hic error eſt, aut aliqua veriſimilitu-
dine coloratus, ut non primo religioſas aures
offendat auditu, cum dicitur, nihil de Chriſto
prophetaſſe prophetas. Hoc quippe eſt evacua-
re omnes in Chriſto factas prophetias quod ja-

a *Confitemur patrem*) In Synodo Epheſina, ubi extare diximus hoc ſymbolum, *ὁμολογοῦμεν δὲ πατέρα τέλειον προσώπῳ, καὶ υἱὸν ὁμοίως, καὶ πνεῦμα δὲ ἅγιον ὡσαύτως.* Pro *ibidem*, quod eſt apud Facundum, ſuſpicari liceat ſcriptum fuiſſe *itidem*, quod eſt *ὡσαύτως*. Synodi quintæ interpres, *eodem modo*.

b *Amputare prophetias*) Ad hoc caput pertinent, quæ in eadem actione Synodi habentur num. xx. & ſequentibus.

c *Quod non Deum crediderit Chriſtum*) In edicto Juſtiniani num. xx. *οὐδὲ γὰρ οὕτως λέγει τὸν Χριστὸν Θεόν. Nec enim dicit Theodorus Deum eſſe Chriſtum.*

* (160) *itidem.*
* (161) *itidem.*
* (162) *itidem.*
* (163) *itidem.*
* (164) *pertulerint.*

ctatur feciſſe Theodorus . Quamvis itaque ſua
ſponte, quod hic de illo confictum eſt incredi-
bile videatur: tamen & hoc ſecundum ipſos con-
tra beati Cyrilli ſententiam dicitur. Nam ſi om-
nes in Chriſtum factas prophetias Theodorus
amputavit, non recte Evangelica ſcripta inter-
pretatus eſt, in quibus Lucas dominum dixiſſe
Luc. 24. 44. commemorat: *Hæc ſunt verba quæ locutus ſum
ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum: quoniam
neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in libro
Moyſi, & prophetis, & pſalmis de me*. Sed ne-
que Apoſtolum recte expoſuit, qui in epiſtola-
Rom. 1. 1. rum ſuarum principio dicit: *Paulus ſervus Chri-
ſti Jeſu, vocatus apoſtolus, ſegregatus in Evan-
gelium Dei, quod ante promiſerat per prophetas
ſuos, in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus
eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem*. & alia
ſexcenta hujuſmodi, quibus plena ſunt Evange-
lica & Apoſtolica ſcripta . Quid autem idem
Theodorus in commento epiſtolæ ad Romanos
prædictum capitulum exponens dixerit, atten-
„damus : Et quoniam novum quodammodo eſſe
„videbatur, quod ab eis de Chriſto dicebatur,
„adjungit, quod ante promiſerat per prophetas
„ſuos, ex prophetia volens doctrinæ antiquita-
„tem oſtendere. Unde & magnificans prophe-
„tiam, bene adjunxit, in ſcripturis ſanctis. Ne-
„que enim litteram, vel characterem ſanctum vo-
„lebat dicere; ſed prophetiam ipſam, quæ erat
„ſpiritu ſancto revelationem eis donante. Ipſam
* 165 „ergo prophetiam recte ſic appellavit. * Sic &
2. Tim. 3. „alibi dixit: *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata
„utilis eſt*. Quid itaque iſtæ dicunt? de filio ejus.
„Et quoniam commune eſt filii nomen, & cum
„de divinitate dicitur, etiam de humanitate ac-
„cipitur: manifeſtius aperire volens, unde ei nunc
„dicere propoſitum ſit, vel cujus rei gratia pro-
„phetarum teſtimonium adjunxit, Qui factus eſt
„ei ex ſemine David ſecundum carnem, aperte
„quidem oſtendens, quoniam de aſſumpto homi-
„ne ſermonem inducit. tamen nec divinitatis in-
„dicium non ſignificatum reliquit. In eo enim
„quod addidit, ſecundum carnem, ſufficienter
„oſtendit, quia & aliter filii ſignificationem no-
„vit accipere. Si quidem ſecundum hoc ſcit eum
„ex ſemine David factum, tanquam ſecundum
„aliud non ita eum cognoſcens. Duæ enim na-
* 166 „turæ. unum autem quiddam connexione * in-
„telligunt. Altera quidem eſt aſſumpti hominis,
„altera vero Dei verbi. Concurrunt autem in
„unum ambæ propter aſſumptionem, & propter
„adunationem, quæ ex aſſumptione facta eſt,
* 167 „quam ad * Deum habet ſervi forma. Ecce Theo-
dorus, & prophetas de domino Chriſto locu-
tos, & ipſum dominum Chriſtum hominem con-
fitetur, & Deum: qui ſic Apoſtolum dicit do-
ctrinæ ſuæ antiquitatem per prophetiam in Chri-
ſto factam oſtendere, ut etiam dicat, quod
filii nomen, cum de divinitate dicitur, de hu-
manitate quoque accipiatur: & quia cum de
aſſumpto homine ſermonem inducit, nec divi-
nitatis indicium non ſignificatum reliquit. quod-
que eſt evidentius, & quod nulla poſſet in de-
vium ſenſum maligna interpretatione conver-
ti, dicit, quod Apoſtolus filium Dei ſecundum
carnem quidem, ſciat eum ex ſemine David
factum, tanquam ſecundum aliud non ita eum
cognoſcens, id eſt ſecundum deitatem. Quam-

A vis itaque ſecundum aliud & aliud, eum ta-
men in utroque Theodorus, & non alterum,
eſſe docet filium Dei. Non igitur alterum, eſ-
ſe perſona vel ſubſiſtentia, ſicut Neſtorius, cre-
didit ſecundum carnem ex ſemine David fa-
ctum, & alterum ſecundum deitatem, filium Dei,
qui & ſecundum carnem, & ſecundum deita-
tem, eumdem filium dicit Apoſtolum cognoviſſe.
Unde ſecutus adjecit, Duæ enim naturæ, unum
autem quiddam connexione intelliguntur. Et
quamvis altera ſit hominis, altera vero Dei
verbi natura: concurrunt tamen in unum am-
bæ, propter aſſumptionem & propter aduna-
B tionem, quæ ex aſſumptione facta eſt. Fatetur
autem ſecundum Apoſtolum, quod ante Deus per
prophetas promiſerit Chriſtum, & quia de fi-
lio ejus prophetæ locuti ſunt. Non ergo eva-
cuat iſte omnes factas in Chriſto prophetias.
Sane quia verum eſt, impugnatores ſanctæ ſy-
nodi ob hoc de illo iſta jactare, quod in inter-
pretatione pſalmorum quædam moraliter expo-
ſuiſſe dicatur, quæ in Chriſtum magis dicta de-
bent intelligi: ut non diſcutiamus, quomodo
ipſi ea poſuerint, & quomodo ab illo * ſunt po- * 168
ſita; neque jam probemus, quod iſta res hære-
ticum non faciat, cum ſæpe laudabile judicetur,
C ſi etiam moraliter exponantur, quæ prophetice
dicta ſunt: * his terminum contentionibus dant, * 169
quæ idem Theodorus in libro de allegoria &
hiſtoria, quem contra Origenem ſcripſit, (unde
& odium Origenianorum incurrit) dicit ad
Cerdonem. Ego quidem, quod noſtra ſic laudes, “
non alii cuipiam imputo, quam amicitiæ quam “
circa nos habes, quam etiam in multis & ma- “
gnis rebus ſemper oſtendiſti: & maxime * quo- “ * 170
niam ea quæ ſcripta ſunt in pſalmos miraris, “
quæ etiam prima ceterorum omnium ſcripſimus. “
Non autem quantam oportuerat habuimus cir- “
ca iſtam rem diligentiam. paſſi enim ſumus “
quæcumque incipientes, ut evenit, in imperi- “
tia ſcribendi conſtituti. Siquidem & multas im- “
D mutationes illo tempore quæ noſtra ſunt ſu- “
ſceperunt, quas non eſt præſentis temporis enar- “
rare: ex qua cauſa magis negligenter a nobis “
compoſita ſunt plurima, & maxime illa quæ “
prima ſunt. Ecce vel ſi hæreticum facerent “
ea, quæ in illo reprehenderunt interpretatione
pſalterium; ipſe ſemet retractans eandem inter-
pretationem ſuam diſplicere ſibi fatetur, & le-
via confidentis adoleſcentiæ dicta, maturioris
ætatis gravitate caſtigat. Magis igitur etiam
in hoc ipſo probandus, nec tantum vituperari
pro errore, quantum debet pro correctione lau-
dari, divina ſcriptura dicente: *Qui labitur, ſed* Eccl. 19. 16.
non ex animo: & quis eſt qui non peccavit in 17.
E *lingua ſua*? Et hic itaque non ex animo ſe lap-
ſum ſpontanea ſui reprehenſione monſtravit, &
quod eſt amplius, in opere in quo ab amico
laudatus eſt. Utinam hunc imitari vel ab aliis
reprehenſi dignentur, qui ſcientes ac volentes
Eccleſiam prodiderunt! Et hæc quidem Theo-
dori purgationi ſufficiunt. Sed iſti, qui hæ-
reſi deputant, ſi quædam prophetice in Chriſtum
dicta etiam moraliter exponantur, cogitare de-
bent quomodo beatum Cyrillum poſſint defende-
re. In illo enim opere, quod eum ſcripſiſſe di-
cunt in reprehenſionem quorundam dictorum
Diodori atque Theodori, tale aliquid inveni-

* (165) *ſicut*.
* (166) *intelliguntur*.
* (167) *Deum verbum*.

* (168) *ſint*.
* (169) *hunc terminum contentionibus damus, quod idem &c.*
* (170) *quando*.

tur: ut ſi adhuc ab ipſo compoſitum dicant, hæreticum eum fuiſſe confirment. Namque auctor ejuſdem operis tractat ibi capitulum, in
Hebr. 2. 5. quo ad Hebræos dicit Apoſtolus: *Non enim Angelis ſubjecit orbem terræ futurum, de quo loqui-*
Pſal. 8. 5. *mur. Teſtatus eſt autem in quodam loco quis dicens: quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. In eo*
* 171 *enim quod * omnia ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia ſubjecta ei. Eum qui modico quam Angeli minoratus eſt, videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum: ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*. Tractans ergo memorati operis auctor hoc teſtimonium, ea quæ Apoſtolus prophetam de Chriſto prædixiſſe teſtatur, de aliis affirmavit ſcripta eſſe perſonis: ſed ab eodem Apoſtolo artificioſe ad manifeſtandum Chriſti myſterium eſſe tranſlata. Ait enim: „Paulus autem „valde ſapiens artifex, ad introducendum divina „myſteria, etiam illa quæ de aliquibus aliis „dicta ſunt in ſcriptura divina, aliquotiens ad „manifeſtandum Chriſti ſacramentum inducit. „Veruntamen non ea ſeparat ab illis perſonis, in „quas dicta eſſe cognoſcimus, ſed neque omnia „illorum ad Chriſtum redigit: verum aliquam „partem minimam aliquotiens ſuſcipit, quam ipſe „poſſit ſine ullo periculo artificioſe ad ſuum re„ferre propoſitum. Hæc utrum B. Cyrilli an alterius eſſe velint, ipſorum arbitrio permittimus eligendum. Nam ſi B. Cyrilli ſunt, & ſi qui prophetice dicta moraliter quoque tractaverit, hæreticus eſt dicendus; multo magis ipſum hæreticum fuiſſe aſſeverant, qui ſuperius memorata contra teſtimonium Apoſtoli non prophetice de Chriſti ſacramento, ſed de aliquibus aliis perſonis, dicta eſſe confirmat. Si vero magis hoc eligerent dicere, quod illud opus non beati Cyrilli ſit, præſumptionem ſuam, qua Theodorum cum ſuis dogmatibus damnaverunt, ejus exemplo excuſare non poſſunt. Licet quicunque auctor illius operis eſſe dicatur, nihil huic poterit eorum defenſioni proficere: quia nec Theodoro anathema dixiſſe, nec ejus dogmatibus invenitur. Conſiderare igitur debent, utrum affirmantes illud opus a B. Cyrillo ſcriptum, habeant quod pro illo reſpondeant, ſi eis dicatur, Quoniam mortuorum judices eſſe, & in Eccleſiæ pace atque honore defunctos, velut hæreticos, damnare præſumitis; quid de Cyrillo Epiſcopo judicatis, qui dedocet quod Paulus Apoſtolus docet & aſſerit, ea quæ prophetice in Chriſtum ſcripta ſunt, de quibuſdam aliis dicta eſſe perſonis; ab Apoſtolo autem, artificioſe magis quam veraciter, aliquotiens ad manifeſtandum ſacramentum ejus induci? Quaſi tanta ſit ſcripturæ divinæ penuria, vel tanta fuerit ignavia ipſius Pauli Apoſtoli ad manifeſtandum ſacramentum Chriſti, ut tale teſtimonium inveniſſe non poſſet, quod de ipſo vere ſit ſcriptum, & cujus non aliquam partem minimam, aliquotiens artificioſe, ſine periculo quemadmodum dicit, ſed integrum, atque ſyncerum, ſicut habetur, ſimpliciter ac ſecure ad ſuum referre propoſitum poſſet. Cum vero dicat idem
2. Cor. 13. 3. Apoſtolus: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chriſtus?* ſi non artificioſe po-

A tius, quam veraciter dixit, omnipotens Chriſtus, qui etiam noſtra eſt veritas, affirmatur quod ut ſacramentum ſuum manifeſtaret, in ſua ſcriptura verum teſtimonium invenire non potuit. Videant igitur quid adverſus iſta reſpondeant, qui Theodorum in Calchedonenſis concilii præjudicium condemnantes, ut ſemet excuſent, objiciunt hoc ideo ſe feciſſe, quoniam in illo opere beatus Cyrillus ejus dicta culpavit. Nam nec Judæis quomodo perſuadeant habent, ſi dicatur ille vir, in quo Chriſtus loquebatur, falſum & de aliis perſonis dictum teſtimonium, ad manifeſtandum ſacramentum artificialiter induxiſſe. Poſtremo nec ipſis catholicis ſcire quærentibus, cur Apoſtolus quæ de aliis dicta ſunt
B ad manifeſtandum Chriſti ſacramentum induxerit, ſatisfacere poſſunt, & dicere quod aliqua ſaltim hoc fieri utilitas invitavit: quia ſuper quod a noſtræ fidei veritate longe eſt, ſi Chriſtiana utilitas verax non eſſe dicatur, etiam ſine adjudicatione B. Cyrilli non dicitur. Nam ſi utiliter illud propheticum de Chriſto fuiſſe ſcriptum Apoſtolus dixit, noxie contra dictum eſt a B. Cyrillo, quod de Chriſto ſcriptum non fuerit: nec prodere debuit quod Paulus voluit eſſe celatum. Præſertim quia inaniter hoc ſuadere quærebat, qui docens ne ſides haberetur Apoſtolo, multo magis docebat ſibi non eſſe credendum. Noverint autem iſti,
C quod conſequens non ſit, ut evacuet omnes factas in Chriſtum prophetias, qui aliqua myſtice in eum dicta, moraliter quoque recte tractaverit. Nam audiant Apoſtolum ſcribentem Epheſiis, atque dicentem: *Propter hoc relinquet* Epheſ. 5. 31.
homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Myſterium hoc magnum eſt. ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Hoc autem quod ait magnum eſſe myſterium, erunt duo in carne una, ſcribens Corinthiis aliter interpretatur, ac dicit: *Neſcitis quo-* 1. Cor. 6. 15.
niam corpora veſtra membra Chriſti ſunt? Tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis? abſit. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit: *duo in*
D *carne una*. Ecce magnum illud commendatumque myſterium, quod in Chriſto & in Eccleſia eſſe inſinuat, etiam fornicatori ac meretrici Paulus Apoſtolus ſine blaſphemia coaptat. Nec alicubi mentitur, aut fallitur, vel talia ſcribendo factas in Chriſtum prophetias evacuat, cum plerumque ſermo divinus, ut ſimilis margaritæ undique penetrabilis, rectiſſimo tantum & librato ac medio aperiri debeat intellectu. Audiant & ipſum Chriſtum in Evangelio factas in ſe prophetias non evacuantem, Phariſæis tentantibus, atque dicentibus, *Licet homini dimittere uxorem ſuam* Matth. 19. 3.
E *quacumque ex cauſa?* taliter reſpondiſſe: *Non legiſtis, quia qui fecit ab initio, maſculum & feminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una? Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Atque illud magnum & ſingulare myſterium, quod in ipſo & in Eccleſia verax ejus dixit Apoſtolus, ipſe, qui noſtra eſt veritas, etiam pro reſervando generaliter fœdere conjugali ſcriptum fuiſſe pronuntiat. Et his quidem ſufficiat probaſſe, quod ſæpe laudabile judicatur, ſi etiam moraliter exponantur, quæ prophetice dicta ſunt. Interea vero

* (171) *ei omnia*.

perſpicis, Imperator, & ipſa multiplicium documentorum evidentia magis ac magis cognoſcis, quod epiſtola Ibæ Neſtoriana convinci nequeat ex laude Theodori. Idcirco autem, ſicut jam diximus, quæſierunt hæretici, ut negaretur a ſynodo fuiſſe ſuſcepta, quod palam falſum eſt, ut primum nobis nihil reſiſtentibus, immo affirmantibus, quæcumque crimina vellent, in eam congererent: deinde ut ipſa noſtra negatione ſuſcipiendam non fuiſſe monſtrarent. Verum accipe jam, quomodo non ſolum in his quæ memoravimus, ſed in omnibus omnino, pro qui-
* 172 bus * Mopſueſtenum damnaverunt, judicium beati Cyrilli calcaverint, qui reſiſtens hæreticis accuſantibus dicta memorati Theodori, ſic beato
Joanni Antiocheno & univerſæ Orientali ſyno-
„do ſcribit. Audacia vero, & certamen, quod
„omnes pariter ſuſcepiſtis pro viro admirabili,
„& maximam gloriam merente apud vos, Theo-
„doro dico, reclamantes adverſus aliquos, qui ſe,
„ut apparet, circa illum infenſe habent, & oc-
„caſionem facientes contrario dogmate, quo te-
„nentur, ut capitula quædam non ex melioribus
„intellecta, ſicut quidam dixerunt, de quibus &
„veſtram ſanctitatem perturbaverunt, exigerent
„condemnari. Hoc autem & nunc, ſicuti veſtræ
„literæ monſtrant, ad regiam urbem pergentes
„movent, ſi quomodo prævaleant perſuadere
„concurſu aliquorum, ut per Imperatoriam for-
„mam anathemati ſubdantur illa quæ ab eis profe-
„runtur, cum accuſatione volentium ea defende-
„re. Ad hoc autem dico, ſicut mihi videtur, &
„omni mentem habenti, quoniam nefas eſt re-
„putare vel graviter ferre eos, qui recte ambu-
„lare neſciunt, ſed etiam quantum poteſt lon-
„giſſime derelinquere qui ita ſentiunt. Niſi forte
* 173 „in mentem adſumendum eſt, quod * concinna-
„re volunt; cum maxime neque in promptu eſt
„perſona quam culpæ ſupponunt, & capitulorum
„redargutio incerta, & qui hæc agunt in incer-
„tum currentes, & aerem verberantes invenientur.
Ecce probavimus non quædam, ſed omnia quæ accuſant in dictis Mopſueſteni Theodori, contra beati Cyrilli ſententiam fuiſſe damnata: quia cum non eſt in promptu perſona, quæ culpæ ſupponatur, capitulorum redargutio invenitur incerta. Verum & hoc attendere pietas veſtra dignetur, quia non illos dicit obſeſſos morbo Neſtorii, qui certabant, ne viri admirabilis, & maximam gloriam merentis, Theodori quædam capitula damnarentur: ſed ipſos potius dicit quod occaſionem facerent contrario dogmate quo tenebantur, qui ſe circa Theodorum infenſe habebant. Quos etiam objurgans quod recte ambulare neſcirent, admonet, ut eos qui ita ſentiunt, quantum poſſumus, longiſſime relinquamus, nec aſſumamus in noſtram mentem quod concinnare quærebant, ut cum non exiſteret certa perſona, quæ aut bene interpretaretur ea quæ dixerat, ſicut ipſe beatus Cyrillus de ſuis capitulis fecit, aut ſi non faceret culpæ ſupponeretur, vana capitulorum re-
* 174 dargutio fieret. Humanitus itaque ſuo * admonebat exemplo, quod multa recto propoſito dicerentur, quæ aliter poſſint intelligi. Sciamus ego, clementiſſime Imperator, juxta Cyrilli ſententiam, quod qui hæc agunt, in incertum currentes, & aerem verberantes invenian-

A tur. Ideoque rurſus in fine ipſius epiſtolæ de
talibus dicit. Sed juſte audient tametſi nolint, “
qui hujuſmodi cauſas præbent, obliviſcimini vos “
ipſos, quando adverſus pulveres arcus extendi- “
tis. Non enim supereſt, qui apud vos inſcriptus “
eſt. & me nullus culpet in hæc verba progreſ- “
ſum, ſed cedat famoſo nimium præceſſori. Gra- “
ve enim eſt inſultare defunctis, vel ſi laici fue- “
rint, nedum illis, qui in Epiſcopatu hanc vitam “
depoſuerunt. Juſtiſſimum enim apparet pru- “
dentibus viris, cedere præſcienti uniuſcujuſque “
voluntatem, & cognoſcenti qualis unuſquiſque “
noſtrum futurus ſit. Apparuit ex his quæ memorata ſunt, clementiſſime Imperator, quod
Cyrillus Epiſcopus grave judicet inſultare defun-
B ctis, etiam laicis. quanto magis in Epiſcopatu vitam finientibus anathema dicere, & eorum cauſæ judicium Deo præripere, præſcienti uniuſcujuſque voluntatem, qua intentione quid dicat? qui etiam novit qualis unuſquiſque no-
ſtrum futurus ſit, & * quales inveniuntur in illo * 175
judicio, ubi omnes adſtabimus ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive malum, ſive bonum. Cujus vero catholici animum non offendat, quod iſti judices mortuorum dicunt, eundem beatum Cyrillum ſibi extitiſſe contrarium, & aliter poſtea de quibuſdam ſcriptis memorati Theodori judicaſſe, atque in hoc incidiſſe, quod in aliorum
C inquieta præſumptione culpavit? cum dicat Apo-
ſtolus, *Si enim quæ deſtruxit, hæc iterum ædi-* Gal. 2. 18.
fico, prævaricatorem me conſtituo. Namque cum ipſe docuerit, quod illi, qui ſe infenſe haberent circa virum admirabilem, & maximam gloriam merentem Theodorum, quærentes quædam ejus capitula non ex melioribus intellecta damnari, occaſionem potius facerent contrario dogmate, quo tenebantur, eoſque non recte ambulare pronuntiet; quomodo ſe prævaricatorem non conſtitueret, & in ſe converteret omnia, quæ invectus in alios dixit, ſi ipſe quoque poſtea vellet aliqua Theodori capitula condem-
D nari? Aut quomodo non deprehenderetur ſibi eſſe contrarius, qui cum nos monuerit, ut alia quærentes, quantum fieri poteſt, longiſſime relinquamus; poſtmodum in mentem aſſumeret, quod concinnare illi volebant, ut cum perſona in promptu non eſſet, quam culpæ ſupponerent, incertam, ſicut ipſe definivit, capitulorum Theodori faceret redargutionem, in incertum juxta ſuam ſententiam currens, & aerem verberans? Durum nimis eſt, ut hoc temere de Cyrillo putetur, quod obliviſcens ſemetipſum, & non ſe cogitans eſſe mortalem, adverſus pulveres, id eſt adverſus mortuum, & in pulve-
E res redactum, arcum extenderet: cum impoſſibile non eſſet, ut hoc pateretur & ipſe poſt mortem, quando jam defendere, vel melius interpretari ſua dicta non poſſet. Ipſe Theodori æmulos arguens dixit, Grave eſt enim inſultare defunctis, vel ſi laici fuerint, nedum illis qui in Epiſcopatu hanc vitam depoſuerunt: & ipſe temere credendus eſt, quod poſtea Theodoro in Epiſcopatu mortem obeunti potuerit inſul-
tare, & non ſicut * oratus eſt, cedere Deo præ- * 176
ſcienti uniuſcujuſque voluntatem, & cognoſcenti qualis unuſquiſque noſtrum futurus ſit! Quis hoc de Cyrillo dicere audeat, niſi qui in eum

* (172) *Mopſveſtenum Theodorum*.
* 173) *continuare*.
* 174) *admonebatur*.

* (175) *qualis inveniatur*.
* (176) *hortatus eſt*.

volue-

voluerint non alienam provocare, ſed ſuam revocare ſententiam? Quod enim de illo forſitan alius dicere non auderet, ipſe jam dixit, Quoniam hæc juſte audiant, tametſi nolint, qui hujuſmodi cauſas præbent. Et ideo non temere credendus eſt contra ſuam ſententiam cauſas hujuſmodi præbuiſſe. Sed jam multipliciter, ſicut promiſimus, oſtenſum, Auguſte, cognoſcis, quoniam hæreticorum complices in evacuationem magnæ ſynodi Calchedonenſis, atque ſtatutorum beati Leonis, Theodorum quoque Mopſueſtenum Epiſcopum nimis audacter ſub anathemate damnaverunt: & quod incaſſum nituntur temeritatem ſuam neſcio quo patrocinio A beati Cyrilli defendere. Ubi ſimul advertere potuit ſerenitas tua, quoniam hæc demonſtrare quærentes, illa etiam tria, licet ex occaſione, & alio intenti, falſa eſſe docuimus: videlicet quod de ipſo Theodoro dixerunt, quia Chriſtum hominem tantummodo, non etiam Deum credidit, & quia Trinitatem juxta Sabellium denegavit, & quia evacuavit omnes in Chriſtum factas prophetias. Et hæc quidem ſufficere judicamus eis, qui fideli ac pia intentione volunt cognoſcere veritatem. Sed propterea dicemus & alia, quoniam ſatis non eſt ad contentionem, quod abundat ad fidem.

FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS,
PRO
DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM,
LIBER QUARTUS.

Ut noverint adverſarii, quanta ſit efficacia veritatis, quam ſequi nemo nolens potuit effugere perſequentem, concedamus ei Theodorum, Mopſueſtenum Epiſcopum, in quibuſdam ſcriptorum ſuorum Capitulis a beato Cyrillo eſſe culpatum. numquid, ſi etiam ab ipſis culpatus eſſet tantummodo, & non ſub anathemate condemnatus, poſſent exemplo Cyrilli convictionem veritatis eludere? Nam cum ipſe definiret, quia cum non ſit in promptu perſona, quæ culpæ ſupponatur, capitulorum redargutio ſit incerta, & quod grave ſit inſultare defunctis, vel ſi laici fuerint, nedum illis qui in Epiſcopatu hanc vitam depoſuerunt, eo quod juſtiſſimum appareat prudentibus viris cedere præſcienti uniuſcujuſque voluntatem, & cognoſcenti qualis unuſquiſque noſtrum futurus ſit: quomodo, ſi aliquid poſtea contrarium diceret, ejus ipſi putarentur ſecuti ſententiam, quando in contrarium currentia ſequi poſſibile nulli ſit, & fruſtra ſe quiſque confidat illo judice vel teſte purgari, a quo in uno eodemque facto, non ob aliud atque aliud, ſed ob hoc ipſum, & defenditur & culpatur. Non igitur etiamſi B. Cyrillus aliud poſtea contra Theodorum ſcripſiſſet, iſti recte crederentur ejus ſecuti judicium, ſed potius Calchedonenſis Concilii quæſiſſe præjudicium viderentur. Niſi forte ſine ulla humanitatis conſideratione reſpondeant, quod averſandus ſit Cyrillus, cum inſultare prohibet, B non dicam admirabilibus viris, & maximam gloriam merentibus, quod ipſe dixit, ſed quod ſolum ſufficit, in Eccleſiæ pace defunctis: ſequendus autem, cum eos criminandos exiſtimat. Quod ſi & hoc impudenti obſtinatione dicant, quid dicturi ſunt quod eum non ſequuntur in condemnatione S. Joannis Conſtantinopolitani, ejuſdem Theodori condiſcipuli, de quo tanta & talia locutus eſt, ut quod commemoramus ſola nos excuſare cauſæ neceſſitas poſſit? Reſcribens quippe beato Attico, hujus regiæ civitatis Epiſcopo, dicit: „Legens literas a veſtra reverentia miſſas, cognovi[a] nomen Joannis[b] in ſacris diptychis ſcriptum. Interrogans autem inde venientes, cognovi non in ordine laicorum, ſed in C Epiſcoporum taxari. Præſciens autem, & apud me ipſum cogitans, ſi regulis ſanctorum patrum, qui Nicæam convenerunt, concinnant qui hæc fecerunt, & paululum mentis oculum ad magnam illam congregationem eorumdem ſanctorum patrum extendens, video omnem illam congregationem velut quibuſdam oculis abnuentem, & omni virtute prohibentem nos concurrere in hujuſmodi conſenſum. Qualiter autem ſacerdotibus Dei connumeretur, & induatur illorum ſortem, qui de ſacerdotio pulſus eſt? vel qualiter in ordine erit Pontificum, qui ab Eccleſiaſticis muris excluſus eſt? Qui rurſus in conſequentibus ejuſdem epiſtolæ dicit: Jube ex catalogo Epiſcoporum Joannis nomen „ a b

a *Nomen Joannis in diptychis*) Joannis Chryſoſtomi nomen primus omnium in ſacras tabulas retulit Alexander Antiochenus, atque ut idem alii facerent, ad Imperatorem, omneſque Eccleſiarum Epiſcopos ſcripſit. Atticus Conſtantinopoli & ipſe tandem adſcripſit, & Cyrillum, qui vehementer obnitebatur, ut in Ægypto adſcribi præciperet, literis hortatus eſt. ſed fruſtra, ut hæc ejus ad Atticum epiſtola declarat. Ceſſit autem poſtea Cyrillus, partim Iſidori Peluſioræ ſuaſu, partim divino, ut aiunt, viſu admonitus Joanniſque nomen Synodo convocata diptychis appoſuit, ut ex Niceta philoſopho narrat Nicephorus, apud quem Attici quoque & Cyrilli mutuæ literæ leguntur lib. XIV. cap. XXVI. & XXVII.

b *In ſacris diptychis*) Græca Cyrilli, ἐν ταῖς ἱεραῖς δέλτοις. Atticus etiam μυστικαῖς δέλτοις appellarat. Nicephorus ἐκκλησιαστικαὶ δίθυρα, de Alexandro Antioch. loquens c. XXV. ἀγῶνας τὴν Ἰωάννου προσηγορίαν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς διθύροις ἐντάττει. Cyril. idem poſtea καταλόγου τῶν ἐπισκόπων, quia in diptychis inſcripta erant nomina Epiſcoporum.

,, auferri. Si enim nihil hoc eſſe arbitramur, non
,, contriſtet etiam Apoſtolorum chorum traditor
,, eis connumeratus. introducto autem nomine Ju-
,, dæ, ubi nobis Mathias ponitur? Si ergo nemo,
,, excludens Mathiam, ſcribit Judam in Apoſto-
,, lorum choro; maneat & ſervetur rogo poſt bea-
,, tæ memoriæ Nectarium ſecundus gradus beati
,, Arſacii, ut non per violentiam introductum
,, hujus nomen excludat beati memoriam. Item
,, inferius dicit: Non igitur connumeretur depul-
a ,, ſus Jechonias cum David, & Samuele, & pro-
,, phetis. neque quia inepte placuit * Eudoxii ca-
,, daver in ſanctis locis deponere, ideo & nos pro-
,, ſanum ſicut & ſanctum introducamus. Hæc amariſſima beati Cyrilli verba, Chriſtianis mentibus averſanda, quæ contra ſuaviſſimum Eccleſiæ patrem, melle attico dulciorem, ſui oblitus Cyrillus effudit, non ſine triſtitia coacti repetimus, quoniam cauſas cum ſuis auctoribus jam ſepultas, in præjudicium Calchedonenſis Concilii, reſuſcitare quidam, & ad contentiones reducere voluerunt. Nam quis memorare non horreat, quod Cyrillus Joannem, & quod eſt crudelius, jam defunctum, proh nefas! Judam, Jechoniam, profanumque vocare non trepidat, & eum conferens Eudoxio hujus urbis Ariano, ſicut fertur, Epiſcopo, ab Eccleſiaſticis muris dicit excluſum? Qui pro unitate ſervanda Eccleſiæ, quam dilexit, maluit ſuæ cauſæ ferre jacturam. Nam ſi eam vellet aſſerere, ſicut erat vitæ probabilis, & facundiæ ſingularis, habens etiam magnam gratiam populi Chriſtiani, cui pro majoribus ſuis meritis erat acceptus, & defenſionem ſedis Apoſtolicæ, ſine cujus erat judicio condemnatus; facile poſſet obtinere victoriam, quæ illum etiam fugientem eſt perſecuta poſt mortem. Sed metuens, ne abſolutus aliorum judicio, per obſtinationem adverſariorum ſuorum non reciperetur ab aliis; atque ita quibuſdam ei communicantibus, quibuſdam vero averſantibus ejus communionem, Eccleſia ſcinderetur, pro cujus utilitate ſciebat ſe Epiſcopum factum: elegit conſultiſſime, & admodum mirabili pietate, cathedram Epiſcopatus ſui relinquere; quam ut per ejus defenſionem unica Chriſti divideretur hæreditas. Sed væ mundo a ſcandalis, per quæ Joannes pro talibus meritis, Judas, Jechonias, ac profanus dicitur, & Eudoxio Arriano Epiſcopo comparatur. Quale porro illud eſt, quod beatus Atticus nomen deceſſoris ſui Joannis, non in ordine laicorum, ſed in Epiſcoporum, quaſi contra regulas ſanctorum patrum qui in Nicæa convenerant, taxaſſe culpatur? & hinc aſſeritur inter laicos eum adſcribere debuiſſe, quod non liceat ab Eccleſiaſticis muris excluſum in ordine habere Pontificum: neque Judæ traditoris nomen in Apoſtolorum choro introducere: ſive Jechoniam cum David & Samuel, & prophetis connumerare? Quaſi vero, ſi Joannes ab Eccleſiaſticis muris eſſet excluſus, & Judas, atque Jechonias habendus, ipſorum patrum regulis conveniret, ut taxaretur vel in ordine laicorum. Quia vero non negatur Joannes quocumque ordine in ſacris diptychis interim debuiſſe taxari, ſufficienter & ipſius criminatoris ſui teſtimonio probatur, quod nec ab Eccleſiaſticis muris excluſus, nec Judas, vel Jechonias dici debuerit, & profanus. Cum autem, ſicut diximus, iſti nimii dilectores, & ultra modum Cyrilli ſequaces, non ſequantur ejus exemplum in cauſa Conſtantinopolitani Joannis; quomodo in condiſcipulo ejus Theodoro Cyrillum ſecuti exiſtimentur? Intelligis igitur, Auguſte, quod Eccleſiæ conturbatores evidentiſſimam conniventiam ſuam, quam Eutychianis contra ſanctum Concilium præſtant, nequicquam exemplo beati Cyrilli obumbrare nitantur. Nam cum ille Joannem dicat profanum, & ab Eccleſiaſticis muris excluſum, iſti eum habent, ſicut habendus eſt, virum admirabilem, & maximam gloriam merentem: Theodorum vero cum idem dicat virum admirabilem, & maximam gloriam merentem, iſti eum habere volunt profanum, & ab Eccleſiaſticis muris excluſum.

CAP. II.

Quid etiam quod, ſicut jam memoravimus, ita dicunt ab eodem Cyrillo reprehenſum eſſe Theodorum, ut ſanctum quoque Diodorum, magiſtrum ipſius Theodori, pariter ab eo, & in eadem cauſa dicant fuiſſe culpatum? Si igitur auctoritatem Cyrilli ſecuti ſunt Theodorum * damnantes, quamquam dicere non audeant, * 177
quod ille Theodoro anathema dixerit, cujus etiam ſcripta anathematizare prohibuit, quare tamen non Diodorum quoque damnaverunt? An quia ipſe non eſt laudatus in Calchedonenſi concilio, non eum judicaverunt eſſe damnandum, Theodorum vero damnaverunt, quia & in epiſtola Ibæ quam pronunciavit orthodoxam, & in decretis ſynodi orientalis, quæ approbavit idem Calchedonenſe concilium, invenitur laudatus, ut auctoritatem ipſius concilii hujus damnatione calcarent? Ita plane eſt, & hoc negare nullus ſapiens poteſt. Nam prius utique, & amplius magiſtrum ejus Diodorum damnarent, velut communis erroris auctorem. Verum ego promere non omittam, qualecunque illud eſt, quod hic videri poteſt eorum defenſioni competere. Fortaſſis enim dicentes, Si quis non anathematizat Theodorum Mopſueſtiæ, & ejus dogmata, in eo quod adjecerunt, eoſque qui aut ſimilia ei ſapuerunt, S. Diodorum intelligi voluiſſe dicentur. Sed cur, obſecro, ſi * auctoritatem ſecuti ſunt B. Cyrilli, magis & * 178
prius Diodorus magiſter ejus nominatus * non * 179
eſt, ut ita ſaltem decerneretur, Si quis non anathematizat Diodorum, & ejus dogmata, anathema ſit, velut quibus male Theodorum dicitur imbuiſſe; & deinde ſequeretur, eoſque qui aut ſimilia ei ſapuerunt, aut ſapiunt. Nunc autem in Theodoro ejus diſcipulo intentio aperta & manifeſta dirigitur, Diodorus vero non dinumeratur, vel ſi & ipſe ſubintelligitur abdicandus. Deinde ſic beatus Cyrillus in accuſationem ſancti Diodori aliquid ſcripſiſſe dicitur, ut nihil in ejus defenſionem ſcripſiſſe dicatur: in accuſationem vero Theodori ſic aliquid ſcripſiſſe dicitur, ut etiam in ejus defenſionem ſcripſiſ-

a *Eudoxii cadaver*) Arriani, Epiſcopi Conſtantinopolitani. Hujus reliquias in Apoſtolorum templo conditas fuiſſe ſcripſerat Atticus. *οὐδὲ γάρ τι τὸν Δαβὶδ ἔβλαψεν ἔντιμος τοῦ Σαοὺλ κηδεία· οὔτε τοὺς ἀποστόλους ὁ τῆς τοῦ Ἀρείου ἀσεβείας ὑπασπιστὴς Εὐδόξιος, ὑπὸ τὸ αὐτὸ θυσιαστήριον κείμενος. Nihil enim David obfuit honorifica Saulis ſepultura, neque Apoſtolis Arii impietatis ſectator Eudoxius ſub ipſum altare conditus*. Hoc ergo ut *ἀδίκως*, & contra canones factum merito improbat Cyrilus.

* (177) *damnarent*.

* (178) *auctoritatem, ſicut alia, ſecuti ſunt &c.*

* (179) deeſt *τὸ non*.

* 180 ſe monſtretur. Clarum eſt itaque, * ſi videre velimus, quod propterea, non denominato Diodoro, Theodorum cum ſuis dogmatibus, & eos qui ei non dicunt anathema, damnaverunt, quia laudatus eſt & in epiſtola venerabilis Ibæ, quam ſynodus pronuntiavit orthodoxam; & in epiſtolis Orientalium patrum, quibus auctoritatem præcipuam detulit. Alioquin, ſi error conſideretur, qui fuiſſe jactatur amborum, idem Diodori qui Theodori dicitur. Si perſona magiſtri atque diſcipuli, aut ſolus, aut prius nominatim condemnandus erat auctor erroris. Si auctoritas beati Cyrilli, Diodorus evidenter & ſine ambiguitate culpandus; contra quem ſic invehi dicitur, ut pro illo non inveniatur alia Cyrilli ſententia. Cur igitur adverſus Theodorum nimis, adverſus Diodorum nihil? Quis in hæc paululum cordatus attendens, non ſtatim factionis hæreticæ dolos intelligat, quod ſolus denominatus eſt in cauſa communi Theodorus; cum ſi non uterque, * ſed alter eorum deno-
* 181 minandus eſſet, Diodorum potius denominari deceret? Et idcirco fruſtra negatur, quod lucet omnibus, & luce clarius, vel ſi nolimus, apparet, quoniam ut hæc agerentur contra Theodorum, non Eccleſiæ opus erat judicare de mortuo; ſed hæreticis potius Calchedonenſi præjudicare concilio. Quod ſi dicunt, propterea ſe non auſos fuiſſe condemnare B. Diodorum, quoniam, ſicut & inferius oſtendemus, optimum & maximum teſtimonium habet ſancti Athanaſii, & Petri atque Timothei Alexandrinorum antiſtitum, & Baſilii Cæſarienſis, & Joannis Conſtantinopolitani, & Epiphanii Cyprii, & Epiſcoporum Ægyptiorum, qui in exilium relegati a Valente Imperatore fuerant, & Concilii CL. ſacerdotum, qui cum ipſo Diodoro in hanc urbem contra Macedonium convenerant, quibus tantis ac talibus Cyrillus non erat præferendus: omitto nunc reſpondere, quod nec in cauſa Theodori ſolus Cyrillus tantis patribus, quorum & ille teſtimonio commendatur, præferri debuerit. Hoc unum interim teneo, quoniam & ipſi docent, juſta ratione dictante, beati Cyrilli ſe judicium reliquiſſe. Incipiamus itaque jam prædictorum venerabilium patrum teſtimonia recenſere, quibus commendatur Diodorus, quem cum Theodoro pariter & in eadem cauſa culpatum dicunt a Cyrillo, velut ea docentem, quæ Neſtorius docuit. ut quia ſine magiſtro ſuo, cum quo illi cauſa communis eſt, non potuit juſte Theodorus condemnari: cum probaverimus Diodorum non eſſe damnandum, multo amplius manifeſtum fiat omnibus pro ſolo præjudicio ſynodi Calchedonenſis, inique Theodorum fuiſſe damnatum. Beatus igitur Athanaſius ita memorato ſancto Diodoro ſcribit. „Domino meo filio & amantiſſimo conſacerdoti, Epiſcopo Tarſi Diodoro, Athanaſius in domino ſalutem. Gratias domino meo, qui ubicunque ſuam doctrinam fundat, & maxime per filios proprios, qualem & te ipſum res ipſa demonſtrat. Etenim antequam ſcriberet veſtra reverentia, cognovimus quanta gratia facta eſt in Tyro per tuam perſeverantiam: & congaudemus tibi, quia per te cognovit & Tyrus rectum verbum pietatis. Et ego quidem occaſionem aſſumens ſcripſi tibi, dilectiſſime & amantiſſime. Tu vero quomodo me ſcribente non reſcripſiſti, miratus ſum. Itaque non ſis ſegnis ſcribere continue; ſciens quia ſicut filius requieſcere me facis patrem, & ſient præco veritatis ſuperlætificas me. Et nihil contendas adverſus hæreticos, ſed ſilentio verboſitatem illorum ſupera, manſuetudine malitiam. Sic enim ſermo tuus, ſale conditus, habebit gratiam: illi autem apud omnium conſcientiam culpabuntur.“ Quid hic decernit veſtra juſtitia, ſereniſſime Imperator? Æquumne cenſetis, ut iſte veritatis præco Diodorus, cui tantum congaudet vir doctus & bonus Athanaſius, livoris & invidiæ neſcius, quoniam per ejus perſeverantiam rectum verbum pietatis Tyrus quoque cognovit, ut etiam hortetur eum ſcribere ſibi continue, & requieſcere ſe in illo tanquam patrem dicat in filio, damnetur velut hæreticus, qui & ipſe culpatus dicitur a Cyrillo? Durum nimis eſt, ut hoc de veſtra æquitate credamus. Nam & ipſi præſumptores iniquum eſſe viderunt. Si vero magiſter Diodorus condemnari velut hæreticus juſte non poterit, contra quem ſic invehi dicitur, ut pro illo non inveniatur alia Cyrilli ſententia: quomodo in eadem cauſa, ut ferunt, pariter accuſatus, niſi in præjudicium ſynodi Calchedonenſis, ejus diſcipulus Theodorus, velut hæreticus damnaretur, contra quem ſic invehi dicitur, ut etiam pro illo inveniatur alia Cyrilli ſententia? Petrus quoque, ſucceſſor ejuſdem ſancti Athanaſii, ſcribens Epiſcopis, & presbyteris atque diaconis, pro vera fide in exilio conſtitutis dicit: „Amor, quo circa vos in Chriſto gaudeo, non permiſit patienter ferre: immo etiam ſcribens veluti non ſcribens ſum, & iterum ad ſcribendum compellor. & infra: Conſiliatoribus igitur vobis in his quæ incurrunt utor. & quid oportet me facere ſic ſemper perturbatum, Timotheo (a) diffamante ſe ipſum Epiſcopum eſſe, ut per hoc confidentius injuriet, & paternas leges infringat? Voluit enim me anathematizare, & Baſilium Cæſareæ, & Paulinum, & Epiphanium, & Diodorum Epiſcopos, & ſoli Vitali communicare.“ Ecce etiam Petrus, Athanaſii ſucceſſor, æque neſarium ducit Baſilium Cæſarienſem, Paulinum Antiochenum, Epiphanium, & Diodorum Epiſcopos tanquam propugnatores fortiſsimos veritatis, anathematizare, & Vitali Antiocheno alteri, quem Apolinaris ordinaverat, communicare. Quis igitur iſtum Diodorum, quem cum Baſilio, & Paulino, & Epiphanio, ejuſdem fuiſſe doctrinæ, Petro judicante cognovimus, vel ſi, ut ferunt, cum Theodoro culpatus a Cyrillo credatur, pro ejus ſententia exiſtimet eſſe damnandum? Aut quis Theodorum ſine ipſo Diodoro, cum quo dicitur, ut diſcipulus, a Cyrillo culpatus, pro ejus ſententia, & non pro ſynodi præjudicio, exiſtimet eſſe damnatum? Timotheus quoque, Petri ſucceſſor, qui cum ipſo * Diodoro * 182

a *Timotheo*) Apollinaris diſcipulo, cujus mentio fiet lib. VII. cap. III. & de quo Damaſus Papa in epiſtola ad Orientales: *Quid eſt cur abdicationem Timothei a me rurſus requiratis, qui etiam hic judicio ſedis Apoſtolicæ, Petro quoque Alexandriæ Epiſcopo præſente, abdicatus eſt una cum magiſtro ſuo Apollinare?* & in epiſtola Orientalium ad Rufum Theſſalonicenſem Epiſcopum in actis Synodi Epheſinæ. *ὁ τρισμακάριος Δάμασος καθεῖλεν Ἀπολινάριον, καὶ Βιτάλιον, καὶ Τιμόθεον τοὺς αἱρετικούς*. Citatur etiam in Ecloge Anaſtaſii Polemon impius, Apollinarii diſcipulus, κατὰ Τιμόθεον συμμαθητοῦ αὐτοῦ.

* (180) *ſi videre velimus, vel potius libere dicere velimus, quod &c.*

* (181) *vel certe ſed alter.*

* (182) *B. Diodoro.*

pariter aderat concilio in hanc civitatem re-
giam contra Macedonium congregato, ſic ei ſcri-
„ bit : Domino meo per cuncta honorabili, & ſan-
„ ctiſſimo Epiſcopo, & conſacerdoti Diodoro, Ti-
„ motheus in Chriſto ſalutem . Virtutem tuam ,
„ & vitæ perfectionem, & zelum recte & Apoſto-
„ licæ tuæ fidei, pro dignitate prædicare nequaquam
„ potero, etiamſi nimium properavero . non enim æ-
„ quantur ſermones & res . Vobis ex certo donatum
„ eſt, non ſolum credere in Chriſtum Jeſum , ſed et-
„ iam pro ipſo pati . Hanc tuam rectam & beatam
„ circa Deum voluntatem, & indeclinabilem cir-
„ ca pietatis myſterium conſcientiam , olim vo-
* 183 „ bis ineſſe , & * divinus Papa noſter Athanaſius
„ atteſtatus eſt veſtræ religioſitati , & nos ſuos
„ diſcipulos adduxit ad amandam tuam perfectio-
„ nem , & orare a Deo in multos annorum cir-
„ cuitus præſervari veſtram vitam , ad utilitatem
Eccleſiarum Chriſti . Perſpicis , ut exiſtimo ,
clementiſſime Imperator (nam res omnino per-
ſpicua eſt) cujus virtutis , & perfectionis , &
zeli circa rectam & Apoſtolicam fidem Diodo-
rus ſemper fuerit , quem cum Theodoro culpa-
tum ferunt a B. Cyrillo, & quomodo ejus glo-
ria ſimul cum ætate creſcebat . Laudatur ado-
leſcens ab Athanaſio , laudatur a Petro jam
gravis, laudatur a Timotheo ſenex . Tota vita
ejus fuit in laudibus , & poſt mortem ab Athana-
ſii , Petri , Timothei ſucceſſore cum Theodoro
dicitur accuſatus . Quis hoc poſſit æquanimiter
ferre ? quis patienter audire ? Sed ab his melius
avertimur , ut meliora potius attendamus. De-
lectat enim me hujus ſancti viri Timothei ver-
ba repetere , quemadmodum & virtutem Atha-
naſii conſecutus, & ſedem , cum Diodoro dice-
ret , Vobis ex certo donatum eſt , non ſolum
credere in Chriſtum Jeſum , ſed etiam pro ipſo
pati ; hoc quoque intulit dicens, Hanc tuam
rectam & beatam circa Deum voluntatem , &
indeclinabilem circa pietatis myſterium conſci-
entiam , olim vobis ineſſe , & divinus vir Pa-
* 184 pa noſter Athanaſius atteſtatus eſt * noſtræ re-
ligioſitati , & nos ſuos diſcipulos adduxit ad
amandam tuam perfectionem . in hoc dignum
ſe probans Athanaſii ſucceſſorem , quod ejus te-
ſtimonium non impugnans , adductus ab eo
eſt ad amandum perfectionem Diodori, quem &
ille dilexit , & ad orandum Deum , ut in mul-
torum annorum circuitus vitam ejus conſerva-
ret, ad utilitatem Eccleſiarum Chriſti . Sed alia-
rum quoque civitatum Epiſcopos tranſeuntes ,
quale etiam ſanctus Baſilius Cæſareæ Cappodo-
ciæ , Diodoro teſtimonium perbibeat , debemus
advertere : qui ſcribens ad Patrophilum Epiſco-
pum [a] Ægenſis Eccleſiæ dicit : Diodorum au-
" tem velut nutrimentum B. Silvani ab initio ac-
" cepimus, nunc autem diligimus & prædicamus
" propter gratiam verbi , quæ ei adeſt, per quam
" plurimi ad eum convenientium meliores efficiun-
" tur . Idemque ſcribens ipſi Diodoro dicit: Legi
" libros a tua honorabilitate tranſmiſſos , & ſe-
" cundo quidem admodum inſtiti , non ſolum pro-
" pter brevitatem , utpote qui ſim circa omnia
" debilis , ſed etiam quia variatur ſententiis , &

A facile * eo diſcernuntur e contrario oppoſitio- „ * 185
nes , & ad eas reſponſiones ; & eſt oratione ſim- „
plex , & ſine ullo ſermonis cothurno : quod con- „
venire mihi viſum eſt Chriſtiani ſtylo , non ad „
oſtentationem , ſed ad utilitatem hominum con- „
ſcribentis . Et infra : Certum enim habeo, quod „
qui tantum habes ſcribendi ſtudium , etiam alia „
ſcripturus es . Nam neque qui ſcribendi occaſio- „
nes generent , deſunt vobis : nobis autem ſua- „
ve & amabile eſt legere veſtra ſcripta . Et poſt „
pauca : Direxi autem nunc per lectorem majo- „
rem codicem , primum pertranſiens eum , ſicut „
mihi poſsibile fuit . Minorem autem tenui , vo- „
lens eum deſcribere , & non habens ad præſens „
aliquem velociter ſcribentium . nam uſque ad „
tantam paupertatem pervenerunt invidioſa Cap- „
B padocum . Cum vero iſtum Diodorum , quam- „
quam dicatur cum Theodoro, immo præ Theo-
doro , ſicut ejus magiſter , fuiſſe culpatus , ta-
men quia ſic eum diligit ac prædicat vir ſan-
ctus & doctus Baſilius , & quia ſic honorat pro-
pter gratiam Dei , per quam plurimi ad eum
convenientes meliores efficiebantur : & quia
ſcripta ejus legere ita ſuave illi & amabile fuit,
ut etiam ea ſibi deſcriberet ad legendum ; fau-
tores hæreticorum cum ſuis dogmatibus nequa-
quam damnare præſumunt : multo minus Theo-
dorum, ob ea quæ ſuperius memoravimus , niſi
in præjudicium ſynodi Calchedonenſis, cum ſuis
dogmatibus damnare præſumerent . Agedum ve-
niamus & ad illud os aureum Conſtantinopoli-
tani Joannis, quem Domnus Antiochenus Epi-
C ſcopus , ſicut in ſequentibus oſtendemus , diſci-
pulum Diodori fuiſſe teſtatur : in quo potiſsi-
mum doctrina tanti magiſtri ſuæ probitatis &
virtutis dedit indicium, & cujus ſecundum pe-
ctus copioſiore ſpei ſatoris ubertate reſpondit ,
ut quantis ipſe quoque Diodorum præconiis ex-
tulerit advertamus . Nam ſic de illo in quodam
ſermone locutus eſt . Sapiens iſte & fortiſſimus „
doctor, nuper infirmitate corporis expoſita ſu- „
per ſedem iſtam aſcendens, de me ſermonis fe- „
cit exordium , baptiſtam me Joannem dicens , „
& vocem Eccleſiæ, & virgam Moyſi , & alia „
horum plurima de me dixit . Et ipſe quidem „
laudavit , vos autem adclamaſtis. Sed ego pro- „
cul ſedens , amariſsime ſuſpiravi . Et poſt ali- „
quanta : Sic etiam Imperatores faciunt aliquo- „
tiens, & ſibi aptum diadema auferentes , filio- „
D rum imponunt capitibus: atque ita cum vide- „
rint minus infantile caput , quam corona eſt , „
cupiunt eis tantummodo imponere, quamvis in- „
congrue, eo ipſo ſolum ſatisfacientes animo ſuo: „
auferentes deinde, ſibimetipſis imponunt . Quo- „
niam ergo & pater hic coronam ſibi competen- „
tem atque ſedentem nobis impoſuit , & major „
noſtro capite apparuit ; ex noſtro eam capite „
detrahentes, aptam hujus patris capiti impona- „
mus . Joannis enim nomen apud nos, intelle- „
ctus autem apud ipſum eſt : & appellationem „
quidem nos ſuſcipimus, philoſophiam autem ip- „
ſe poſsidet. Propter hoc & ipſius appellationis „
juſtior magis ipſe ſit hæres, quam nos. Synony- „
ma enim, non nominum communio, ſed rerum „

---

a *Ægenſis Eccleſiæ*) Apud Baſilium epiſtola xcii. corrupte legitur, Πατροφίλῳ ἐπισκόπῳ τῆς ἐν Αγαῖς, pro ἐν Αἰγαῖς; Ægas etiam vocat Plinius lib. v. c. xxvii. Eſt autem Ægenſis civitas Ciliciæ II. Quæ vero ſequitur , epiſtola eſt Baſilii clxvii. ad Diodorum ſcripta , cum adhuc presbyter eſſet Antiochiæ .

* (183) *divinus vir* , *Papa &c.*
* (184) *veſtræ* .
* (185) *in eo* .

“ cognatio facere conſuevit, etſi nomina differant.
“ Et infra : quia ergo indubitanter iſta eſt regu-
“ la, & integra diffinitio ſynonymorum apud ſcrip-
“ turam divinam, age oſtendamus qualiter mo-
“ rem æmulatus eſt Joannis ſapiens iſte noſter pa-
“ ter, ut cognoſcatis quoniam & appellationem
“ illius juſte ipſe poſſidere debet. Non erat illi
“ menſa, neque lectus, neque domus ſuper terram:
“ ſed neque huic aliquando fuit. & hujus rei nos
“ teſtes ſumus, qualiter omne tempus advixit,
* 136 “ Apoſtolicam * demonſtravit vitam, nihil pro-
“ prium habens, ſed a ſociis ſemper nutritus. ip-
“ ſe in oratione & doctrina verbi permanens præ-
“ dicabat. Ille trans fluvium prædicabat in deſer-
“ tis : & iſte trans fluvium aliquando civitatem
“ omnem edocens, ſalutiferam doctrinam docebat.
“ Habitavit ille in cuſtodia, & capite diminutus
“ eſt propter fiduciam, quam pro lege habebat.
“ ſed etiam iſte ſæpius illa patria fraudatus eſt,
“ propter fiduciam, quam pro fide gerit: ſæpius
“ etiam capite diminutus eſt, propter eamdem
“ cauſam, & ſi non reipſa, propoſito tamen.
“ Non enim ſufferunt veritatis inimici ejus lin-
“ guæ virtutem, decem millia ſemper præſtrue-
“ bant inſidias, & ex omnibus eum liberavit Do-
“ minus. Age itaque, jam linguam ejus audiamus:
“ hanc ipſam, propter quam & periclitatus eſt,&
“ ſalvatus. Illam linguam, de qua ſi quis dixerit,
“ quod de terra promiſſionis dixit Moyſes, nul-
“ latenus peccat. quid ergo de illa dixit ? terra
“ fluens lacte & melle. hoc etiam de iſtius lingua
“ dicendum eſt, lingua fluens lacte & melle. Ut
“ igitur lacte & melle ſaturemur, hic noſter jam
“ quieſcat ſermo, & audiamus lyram & tubam.
“ Quando enim ſuavitatem ſentio verborum, ly-
“ ram appello hujus vocem: quando vero fortitudi-
“ nem intelligentiarum, tubam quandam bellicam,
“ & talem, qualem habebant Judæi, cum Hie-
“ richo muros deſtruerent. Sicut enim tunc tuba-
“ rum ſonus, igne velocior ſuper lapides irruens,
“ omnia conſumebat : ſic & ejus vox, non mi-
“ nus quam illa tuba, ſuper molimina hæretico-
“ rum irruens, hoc eſt, diſputationes illorum e-
“ vertit, & omnem altitudinem extollentem ſe
“ adverſus ſcientiam Dei. Quod ne per noſtram
“ magis linguam, quam per hujus hæc dicamus,
“ jam hic noſter ſermo quieſcat, gloriam dantes
“ Deo tales nobis tribuenti doctores. Hanc elo-
quentiſſimi Joannis in Diodorum præcipuam laudem,
per quam nobis doctrinam ejus commendavit &
vitam, quamquam minus decorem ſuum, pro ne-
ceſſitate ipſius interpretationis, vel etiam pro
interpretis facultate, ſervaverit, meis tamen
longe imparibus verbis commendare ſuperfluum
puto. Hoc ſolum nobis conſiderare ſufficiat,
quod Joannes eum baptiſtæ Joanni converſatione
ac martyrio comparans, & ſuum nomen in illum
tranſtulit, & coronam. Qui rurſus in alio ſer-
“ mone de ipſo ſuo magiſtro Diodoro dixit: Non
“ ſuperflue, ſicut apparet, ſermones prolixos ex-
“ pendimus. Sed enim in martyrum celebratione com-
“ monemur etiam vivi martyris vicini martyrio flu-
“ minis ſpiritualis. Vivus eſt enim iſte martyr,
“ & martyr, ſi quidem mortuus eſt ſæpius propo-
“ ſito. Videte ejus membra mortificata, videte fi-
“ guram circumferentem quæ ſunt hominis, &

A ſenſum habentem Angelicum. Et Poſt aliquan-“
ta: Sed revertamur ad martyrem iſtum iterum,“
propter quem & iſta diximus. Quomodo itaque“
mortuus eſt mortificans membra ſua, & concul-“
cans naturæ cupiditates in humano corpore, &“
Angelicam nobis demonſtrans vitam? Si autem“
vultis videre, quia & reipſa mortuus eſt, recor-“
damini illius temporis, quando bellum aſperum“
adverſus Eccleſiam exſurrexerat, & exercitus mo-“
vebantur, & arma præparabantur, quando trans“
fluvium omnes congregabantur. Tunc ipſe e-“
xiens, & velut turris ante poſita, vel ſcopulus“
quidam altus & magnus ante alios ſtans, & con-“
trariorum ſuſcipiens fluctus & reſolvens, in tran-“
quillitate ceterum corpus Eccleſiæ cuſtodivit,“
B repercutiens tempeſtatem, & præſtans nobis quie-“
tum portum. Hunc itaque vivum martyrem,“
ac ſæpius martyrem, & mortificatione membro-
rum continuum martyrem, ſolamque figuram
circumferentem hominis, vitam vero Angelicam
demonſtrantem ; quem etiam velut turrim in
prælio, adverſus inimicos fidei ſtantem, & in-
gentem ſcopulum, Joannes ejus diſcipulus dicit
in quem contrariorum fluctus reſolverentur illi-
ſi; numquid juſtum exiſtimas, pie Princeps, ta-
lem retributionem laborum & certaminum ſuo-
rum de Chriſti Eccleſia mereri, ut ab ea velut
hæreticus excludatur ? Non arbitror. Et tamen
C in præjudicium ſynodi Calchedonenſis, idcirco
jactatur excluſus fuiſſe Theodorus, quod a Cy-
rillo ſectator ejus fuerit judicatus. Sunt adhuc
multa pro eodem ſancto Diodoro magni Joan-
nis dicta, quæ ad alia properantes omittimus.
Epiphanium quoque Cyprium, virum doctiſſimum
ſcimus ſcripſiſſe de hæreſibus libros, in quibus
& auctores earum, & cauſas diligenter expoſuit
& non ſolum Diodorum velut auctorem alicu-
jus hæreſis minime denotavit, verum etiam in
literis ſuis tali eum honore dignatus eſt, ut fi-
lium eum & diſcipulum & ſucceſſorem Heliæ,
D aliorumque prophetarum pronunciaret, & pro-
pinquam illis a Domino gratiam diceret conſe-
cutum. Unde conveniens videtur, ut hoc ſicut
in aliis fecimus, ex epiſtolæ ipſius tenore mon-“
ſtremus. Domino meo honorabili fratri & con-“
ſacerdoti a Diodoro, amabili Epiſcopo, Epi-“ a
phanius in domino ſalutem. Gratiam majorem“
præſtans, quam accipiens, petebat Dominus a“
Samaritana aquam bibere: ipſe fons extans,“
juxta puteum ſedebat, & fatigatus ex itinere in-“
veniebatur, ut conſequenter præſenti ſermone,“
E incarnationis non excederet veritatem. Et poſt“
paululum. Sed etiam ejus diſcipuli & ſervi, a“
quibus aliquid petebant, magis eis dabant, quam“
accipiebant ab eis. & alloquebatur quidem He-“
lias, qui erat figura * proprie Domini, & ne-“ * 187
ceſſariorum quantum opus erat exigebat menſu-“
ram: ſuperabundanter autem replebat præbentem“
ſibi benedictionem, a * vidua petens panem, per“ * 188
occaſionem autem petitionis præſtans abundan-“
tiam benedictionis. ſic & tua honorabilitas no-“
ſtram exiguitatem petens, magis das, quam“
ſumis. Subminiſtrans quidem tua ad Deum po-“
ſtulatio capſaci noſtro indeficientiam ex parvo præ-“
ſtat, & hydriæ indeficientem ex parviſſimo cu-“
mulum largitur. Petis itaque in principio epiſto-“

a *Diodoro Epiphanius*) Hinc liquet ad Diodorum Tarſenſem ſcriptum fuiſſe ab Epiphanio libellum περὶ τῶν δώδεκα λίθων, de gemmis XII. veſtis Aaronicæ, & libello præmiſſam hanc epiſtolam : cujus hodie pars tantum edita eſt in vulgatis cum nudo nomine Diodori.

* (186) *demonſtrans*.

* (187) *proprii*.

* (188) *a vidua quidem*.

“ læ tuæ, honorabilis, de lapidibus in rationali
“ ſuperhumeralis ſacerdotis ſuper pectus Aaron diſ-
*189 “ poſitis & inſertis, * & eorum & nomina, & co-
“ lores, & ſpecies, & loca, & ad pietatem du-
“ centes ipſorum lapidum contemplationes, & u-
“ nuſquiſque lapis pro quali tribu ordinatus erat,
“ & unde inventus eſt, & ex qua patria. Et, ſi-
“ cuti dixi, nobis quidem harum rerum difficilis
“ ſuit omnino, velut illi viduæ propter pauper-
“ tatem, inventio. Sed ſicut illi per benedictionem
“ miraculum contigit, & Samaritanæ pro aqua
*190 “ ſenſibili * Domini myſterium revelabatur: ſic
“ & nobis exiguis extantibus, ſed novo intelle-
“ ctu & nova cognitione, & nova ratione, abun-
“ dantia undique effecta eſt, veluti ex magna im-
“ brium effuſione per orationem Heliæ, & aliorum
“ prophetarum, quorum & filius & diſcipulus &
“ ſucceſſor exiſtis, honorabilis, ſuſcipiens propin-
“ quam illis hanc gratiam a Domino, & nobis
“ per orationem attribuens. Non parvi eſſet in-
“ dicii, clementiſſime Imperator, vel ſi aliorum
*191 patrum teſtimonia * defuiſſent, nullius auctorem
hæreſis extitiſſe Diodorum, quod eum Epipha-
nius, vir ſagaciſſimus, & in doctrina catholicæ
fidei laudabiliter diffamatus, non memoraverit
inter hæreſiarchas, quando neque illos qui ante
adventum Domini novas doctrinas inſtituerunt,
omiſerit. Cum ergo tanta fuerit induſtria ejus
atque ſcientia, ut antiquos etiam, qui tempori-
bus Judæorum nova docuerunt, hæreticos non
taceret, quomodo præſentem Diodorum magi-
ſtrum Theodori præteriret, ſi novæ doctrinæ,
quam Neſtorius ſecutus eſt, fuiſſet inventor?
Super hæc autem adjicimus etiam Epiſcoporum
a Ægyptiorum, qui * in Diocæſarea exulabant ſub
Valente Imperatore, magnum pro ſancto Diodo-
ro teſtimonium. Nam cum adverſus Apolinarem
*192 ſcriberent * monachi in Nitria conſtituti, hæc
“ poſt aliquanta dixerunt. Mirabilis vero Apoli-
“ narius tales literas ex nomine noſtro ſuſcipiens,
“ ſuſcipiens etiam & propriam epiſtolam in nomi-
“ ne Adelphi & Iſidori, juxta votum ſuum, in
“ tantum nos contempſit, ut ipſe poſtea auderet
“ ſuis literis accuſare irreprehenſibilem & religio-
“ ſiſſimum Archiepiſcopum Antiochiæ Paulinum,
“ qui ſemper communicavit ter beato Papæ no-
“ ſtro Athanaſio, & omnibus in occidente ortho-
“ doxis Epiſcopis. Nobis autem ex acceptione ta-
“ lium literarum commotis, & habentibus de ac-
“ cuſato, vel hæreſis, vel ſchiſmatis ſuſpicionem,
“ ſæpe volueramus illi reſcribere. Sed dum hæc
“ aguntur, ex diſpenſatione Dei demonſtratæ ſunt
“ nobis & inſcriptæ ejus diſpoſitiones & diffinitio-
“ nes de fide, conſonantes eis quæ antea multi
“ venientes ad nos de ipſo nobis Apolinario dixe-
“ rant, habentes ſe non recte de incarnatione ſal-
“ vatoris. Ad hæc etiam & alias literas, in qui-
“ bus accuſavit venerabilem Archiepiſcopum Cy-
“ pri Epiphanium orthodoxum, & communicantem
“ ſemper beatiſſimo Papæ noſtro Athanaſio. Ad-
“ huc etiam & ſanctiſſimum Tarſenſem, & com-
“ municantem ſimiliter beato Papæ noſtro Atha-
A naſio, & noſtrum ipſorum * Epiſcopum, Diodorum “ *193
* abjudicavit injuſte per proprias literas, ſi non ab- “ *194
ſtinuiſſet a communione antedictorum orthodo- “
xorum Epiſcoporum Paulini & Epiphanii. His “
etiam conſideratis, quæ confeſſores iſti loquuntur,
confiteri debemus, condemnandum non eſſe Dio-
dorum, quem videmus a talibus & pro talibus
adjudicatum. Non enim decet Apollinaris hæ-
reſiarchæ nos inveniri ſocios, vel irreprehenſibi-
li & religioſiſſimo Paulino Antiochiæ, & vene-
rabili Epiſcopo Epiphanio Cyprio contrarios: ut
ejus memoriæ non communicemus, velut hære-
tici, qui propterea condemnatus eſt ab hæreti-
B co, quod non abſtinuiſſet a communione antedi-
ctorum orthodoxorum. Accedit etiam noſtræ con-
ſiderationi auctoritas Concilii CL. Epiſcoporum,
in hanc regiam civitatem contra Macedonium
congregatorum, inter quos erat ſanctus iſte Dio-
dorus. Accedat quod in Eccleſiæ pace, plenus
dierum, cum gloria magna defunctus eſt. Et ni-
mis audax profecto videbitur, ut contra horum
omnium auctoritatem, talis ac tantus Eccleſiæ
doctor, pro Cyrilli querelis anathematizetur,
velut hæreticus. quod & iſtos judices mortuo-
rum conſideraſſe credendum eſt. Sed cum pro
iiſdem querelis, vel ſi verum ſit, non niſi prius
C excluſo magiſtro Diodoro, excludi ejus diſcipu-
lus poſſit: quomodo ab iſtis ſolus Theodorus
non ad everſionem ſynodi Calchedonenſis cre-
datur excluſus? Hieroymus quoque noſter: vir
admodum doctus, qui etiam tantæ fuerat lectio-
nis, ut omnes, aut pene omnes, ſive in Græco
ſive in Latino eloquio divinarum ſcripturarum
tractatores legeret, ſcripſit librum, cujus eſt ti-
tulus De viris illuſtribus, in quo non ſolum ca-
tholicos, ſed etiam hæreticos memoravit, qui
de ſcripturis ſanctis in utraque lingua aliquid
conſcripſerunt. * non tacuit qui hæreſum fuerint *195
conditores, quive aſſertores, vel qui etiam a
D quibuſdam ut hæretici accuſarentur, aliis con-
tra defendentibus: qui tamen ſanctum Diodo-
rum nec in ſuſpicionem hæreſis veniſſe retulit. “
de quo ſic ait: Diodorus Tarſenſis Epiſcopus, “
dum Antiochiæ eſſet presbyter, magis claruit. “
Extant ejus in Apoſtolo commentaria, & multa “
alia, ad Euſebii magis characterem pertinentia: “
cujus cum ſenſum ſecutus ſit, eloquentiam imita- “
ri non potuit propter ignorantiam ſæcularium
literarum. Conſonat autem hic ſermo B. Hie-
ronymi, quo refert eloquentia minorem Diodo-
rum fuiſſe, verbis quæ memoravimus B. Baſilii,
E quibus eidem Diodoro ſcribens de libro quem ei
miſerat, dixit: Quia variatur ſententiis, & facile
in eo diſcernuntur e contrario oppoſitiones, & ad
eas reſponſiones, & eſt oratione ſimplex, & ſine ul-
lo ſermonis cothurno: quod convenire mihi viſum
eſt Chriſtiani ſtylo, non ad oſtentationem, ſed ad
utilitatem hominum ſcribentis. Et abundaverant
quidem nobis, ad demonſtrandum quod propoſuimus
iſta quæ dicta ſunt. Verum quia nihil debemus,
vel gloriæ ipſius B. Diodori, vel cauſæ * cogni- *196
tioni minuere, qualiter etiam prædeceſſores ve-

a *In Diocæſarea exulabant*) Undecim Epiſcopos Ægypti ſub Valente, Arianorum impulſu, Magni Comitis ſacrarum largitionum opera in exilium ejectos, ac Diocæſareæ oppido Palæſtinæ habitare juſſos, auctor eſt Petrus Alexandrinus in epiſtola circulari, cujus partem recitat Theodoretus lib. IV. Hiſtoriæ cap. XX.

* (189) *ut eorum.*
* (190) *donum myſteriorum.*
* (191) *nobis defuiſſent.*
* (192) *Monachis in Nitria conſtitutis.* His enim ſcribunt Epiſcopi Ægyptii in Diocæſarea ſub Valente exulantes.
* (193) *Coepiſcopum.*
* (194) *adjudicavit.*
* (195) *Ubi non tacuit.*
* (196) *convictioni.*

ſtri religioſi principes, Gratianus, Valentinianus, A
& major Theodoſius, ei fuerint atteſtati, omittendum eſſe non credimus. qui quum ſcriberent ad Auxonium Proconſulem Aſiæ de reſtituendis
" Eccleſiis, ita poſt aliquanta dixerunt: Soli illi ha-
* 197 " beant Eccleſias, qui communicant Nectario * Con-
" ſtantinopolitano, & Timotheo Alexandrino,
" & Pelagio Laodiciæ orientis, & Diodoro Tarſi,
" & totius Concilii ſub Vicario Aſiæ conſtituti, &
" Amphilochio Epiſcopo Iconii, & Optimo Antio-
" chiæ. In Pontico vero concilio, Helladio Epi-
" ſcopo Cæſareæ, & Epiſcopo Melitinæ Otreio,
a " & Gregorio Nyſſeno, & [a] Terentio Scythiæ, &
* 198 " * Martyrio Marciopolitano. Qui vero & ean- B
" dem fidem non honorant, veluti hæretici ab Ec-
" cleſiis excludantur, & nunquam deinceps ad
" eas revertantur. Oportet enim undique poſt hanc
" legem purgatam eſſe apud omnes Chriſtianorum religionem. Cum igitur iſti religioſi principes hoc eſſe certum indicium ſtatuerint, ut ſi quis non communicaret B. Diodoro, eadem quæ Theodorus ſentienti, hæreticus haberetur: qua nunc ratione ſtatutum eſt, ut ſi quis Theodorum Mopſueſtiæ, & ejus dogmata, eoſque qui aut ſimilia ei ſapuerunt, aut ſapiunt, non anathematizat, hæreticus habeatur? Quia vero Diodorus, veritatis maximus prædicator, in virtute C
Dei per arma juſtitiæ, a dextris & ſiniſtris, Apoſtolo docente, belligerare didicerat: attende quæſo, clementiſſime Imperator, quemadmodum per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, forti ſemper & animoſa intentione cucurrerit. Nam ſicut ab Eccleſiæ doctoribus ſemper approbatus eſt, & ab hæreticis accuſatus, ita etiam ſemper a religioſis principibus laudatus, & vituperatus ab impiis invenitur. Julianus etenim Chriſto perfidus Imperator, ſic Photino hæreſiarchæ adverſus Diodorum ſcri-
« bit: Tu quidem, o Photine, veriſimilis videris,
b « & proximus ſalvare, benefaciens nequaquam [b] in D
« utero inducere quem credidiſti Deum. Diodorus
« autem Nazaræi magus, ejus pigmentalibus man-
« ganes acuens irrationabilitatem, acutus apparuit
« ſophiſta religionis agreſtis. Et poſt paululum:
« Quod ſi nobis opitulati fuerint dii & deæ, &
« muſæ omnes, & fortuna; oſtendemus infirmum
« & corruptorem legum, & rationum, & myſte-
« riorum paganorum, & deorum infernorum; &
« illum novum ejus Deum Galilæum, quem æter-
« num fabuloſe prædicat, indigna morte & ſepul-
« tura, denudatum confictæ a Diodoro deitatis. E
« Sicut autem ſolent errantes convicti fingere,
* 199 « quod arte magis quam * virtute vincantur, ſe-
« quitur dicens: Iſte enim malo communis utili-
« tatis Athenas navigans, & philoſophans impru-
« denter, muſicorum participatus eſt rationem, &
« rhetoris confectionibus odibilem adarmavit lin-
« guam adverſus cæleſtes Deos, uſque adeo igno-
« rans paganorum myſteria, omnemque miſerabili-
« ter imbibens, ut aiunt, degenerum & imperi-

torum ejus Theologorum piſcatorum errorem. "
Propter quod jam diu eſt quod ab ipſis punitur "
diis. Jam enim per multos annos in periculum "
converſus, & in corruptionem thoracis incidens, "
ad ſummum pervenit ſupplicium. Omne ejus "
corpus conſumptum eſt. nam malæ ejus conci- "
derunt, rugæ vero in altitudinem corporis de- "
ſcenderunt. quod non eſt philoſophicæ conver- "
ſationis indicio, ſicut videri vult a ſe deceptis, "
ſed juſtitiæ pro certo, deorumque pœnæ, qua "
percutitur competenti ratione, uſque ad noviſ- "
ſimum vitæ ſuæ finem aſperam, & amaram vi- "
tam vivens, & faciem pallore confectam. San- "
ctorum teſtimoniis patrum in Epiſcopis Epiſcopi ſupra cognovimus, quorum judicium ſequi debeamus in cauſa Diodoro Theodoroque communi, utrum Athanaſii, Petri, Timothei, Baſilii, Joannis, Epiphanii, atque Ægyptiorum Epiſcoporum apud Diocæſaream pro vera fide exulantium, & Conſtantinopolitani concilii, nec non doctiſſimi viri Hieronymi, an Apollinaris & diſcipulorum ejus, qui neque ſi catholici fuiſſent, tantis præferri debuerant. Nunc ex principibus principes cognoverunt, quorum magis in eadem Diodori atque Theodori cauſa judicium debeant ſequi: utrum Gratiani, & Valentiniani, & majoris Theodoſii, an Juliani apoſtatæ ſacrilegi, qui propterea Photinum veriſimilem, & ſaluti proximum dicit, quod non, ut Diodorus, in uterum induceret quem crediderat Deum. Quis autem ferat, accuſatum a Juliano Diodorum, quod Deum natum de virgine fateretur, accuſari etiam a Chriſtianis, tanquam hoc negaverit? vel quis audiens Julianum Diodoro comminantem, quod Jeſum Galilæum Deum æternum prædicaret, quem mortuum & ſepultum negare non poterat, & dicentem propterea illum puniri a ſuis diis ſummo ſupplicio, quod miſerabiliter imbibens Theologorum piſcatorum errorem, talia prædicaret: a Chriſtianis quoque judicet abdicandum, velut qui Jeſum Galilæum hominem tantum, non etiam Deum eſſe crediderit? Hanc itaque fautoribus hæreticorum proponimus optionem, ut aut eligant imitari venerabiles patres, & religioſos principes, & cum eis Diodorum & Theodorum probent: aut ſi Apollinarem magis, & ejus diſcipulos, atque Julianum deligent ſequi, non ſaltem propter aliud Diodorum culpent, niſi propter quod eum Apollinaris & ejus diſcipuli, atque Julianus, crediderunt eſſe culpandum. Quod ſi culpare non poſſunt Diodorum, quia Jeſum Nazaræum, quem in duabus naturis Deum credidit, in uterum induxit, ipſum dicens æternum, quem ſepultum & mortuum: quomodo juſte Theodorum ejus diſcipulum damnare potuerunt? Eandem enim amborum cauſam, & unam accuſationem fuiſſe teſtantur amborum. Proinde vel ſero deſinant Theodorianos vocare, qui tantorum patrum teſtimonium ſecuti ſunt,

---

a *Terentio Scythiæ*) In Codice Theod. L. III. De fide catholica, ubi extat hoc reſcriptum, perperam editum eſt *Terennio*. In vulgatis vero exemplaribus Synodi Conſtantinopolitanæ *Gerontius* appellatur: ſed in Codice Anicienſi *Terentius* recte, ut hoc loco. Fuit autem Tomorum Epiſcopus in Scythia. Mox rurſus Martyrius Marciopolis in Mæſia Epiſcopus dicitur, non *Marmarius* ut in Codice Theod. Nam Martyrium quoque vocant exemplaria omnia Synodi Conſtantinopolitanæ, cui ſubſcripſit.

b *In utero inducere*) Nempe abſurdum ducebat impius apoſtata Deum hominem fieri. At contra Cyrillus, Julianum refutans lib. VI. divini conſilii & ſapientiæ fuiſſe docet, ut cum humanam in ea omnem pompam, gloriamque contemneret. Aliam quippe rerum æſtimationem nobis eſſe, aliam Deo. Δοκησίσοφος, inquit, ὦ γενναῖε, καὶ ὅπερ τοῖς ἐστι καθ' ἡμᾶς ἐν λόγῳ, τοῦτο καὶ Θεὸς εἶναι τέχα τινα ποιεῖσθαι περὶ πολλοῦ. ἠγνόηκας δὲ παντελῶς τὸ μεγαλαβαυχοῦ, καὶ τὸ τῆς θείας δόξης αἰωνισμένον, καὶ τῆς ἐν ἡμῖν διανοίας τὸ σμικροπρεπές. &c.

* (197) *Epiſcopo Conſtantinopolitano.*

* (198) *Marcianopolitano.* Martyrius Marcianopolitanus in Mæſia ſubſcribit Synodo Conſtantinopolitanæ anno 381. ſub Theodoſio Magno.

* (199) *veritate.*

ut * Diodorum minime condemnare præſumerent. Cæterum nimium duri & obſtinati cordis eſt, nec approbantibus Diodorum, conſequenter etiam Theodorum nec reprobantibus, credere, ut eos nec ſicut laudati ſunt a ſanctis patribus laudent, nec propter quod damnati ſunt a ſacrilegis damnent. Verum ecce ſicut probas, ſereniſſime Imperator, etiam ſi demus eis, ut volunt, Theodorum Mopſueſtenum Epiſcopum a beato Cyrillo fuiſſe culpatum, nemini vel parum intelligenti videbitur, quod ut eum ſub anathemate condemnarent, ipſius beati Cyrilli judicium ſecuti ſunt, quod in ſancto Joanne
a Conſtantinopolitano ejus condiſcipulo, & [a] magiſtro Diodoro ſpernunt: ſed potius quia præjudicium Eccleſiæ quæſierunt, ut ejus condemnatione ſancta ſynodus Calchedonenſis, quæ neque ipſum, neque laudatricem ejus epiſtolam condemnavit, Neſtoriana fuiſſe videretur.

CAP. III.

HOc eſt autem mirabile, ut poſtquam horum condemnationem fecerunt, dicerent quod Eccleſiam Romanam conſulerent, & ſententiam Vigilii ejus præſulis expectarent: cui, quantum ad illos attinet, non permiſerunt cenſere quod ſenſerit, ante ſtatuentes, ut ſi quis Theodorum Mopſueſtiæ cum ſuis dogmatibus, & epiſtolam venerabilis Ibæ non anathematizat, fiat anathema. Sed ecce jam veniens ex itinere quod
b ei videbatur edixit, & [b] facti hujus auctori correctionem tumultuariæ ſuæ tranſgreſſionis indixit; & niſi citius quod malefactum eſt auferatur, etiam vindicaturum ſe eſſe prædixit, proteſtans & dicens cum Apoſtolo Timotheo:
2.Cor.12.20. *Ne forte quum venero, non quales volo inveniam vos, & ego inveniar a vobis qualem me non vultis*, Propter quod & de veſtra clementia, ſummis precibus, ſummoque adniſu, per ſuos legatos petit, ſicut eum venientem diverſæ provinciæ conteſtatæ ſunt, ne patiamini ſtare quod factum eſt. Tale ſiquidem ipſius facti crimen eſſe judicavit, ut illo doctoris gentium teſtimonio duceret arguendum, quod diſcipulo Timotheo ſcribens dicit:
1.Tim.9.20. *Depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt*. Quid ergo adhuc quæritur, utrum contra fidem, & ſynodum Calchedonenſem factum fuerit, quod dolemus,

A quando ille, cujus dicebatur expectari ſententia, profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt, in ipſius facti auctoribus judicaverat arguendas? Denique B. Dacium Mediolanenſium Epiſcopum, quem hinc reverſum in Sicilia ſe vidiſſe perhibuit, & alios conſacerdotes ſuos, ſed & venerabilis memoriæ [c] Stephanum diaconum, quem Romanæ Eccle-
ſiæ, cui per Dei gratiam præſidet, hic habuit e
reſponſalem, & per multos Eccleſiæ filios approbavit, quod ſe pro hac cauſa a venerabilis Mennæ, hujus regiæ civitatis Epiſcopi communione ſuſpenderit, & eos qui ei communicaverant ſub debita ſatisfactione ſuſceperit. Quod non faceret, niſi contrarium ſynodo Calchedo-
B nenſi, quod factum eſt, ſicut & alii, judicaret. Non autem ſolos, quos memoravimus, ſanctos & venerabiles viros hoc ſecum judicaſſe monſtravit, quando non tacuit, quod Romana quoque univerſitas egredientem, quod venientem Africa etiam, atque Sardinia, quamquam non per eas tranſierit, per ipſius tamen conſiliarium publica eum conteſtatione pulſaverint, ſicut Helas [d] & Illyricus provinciæ, per quas venit, d
ut nullatenus novitati quæ facta eſt acquieſcat. Non ergo civilis hæc cauſa credenda eſt, nec talis, quæ pro Eccleſiarum pace ferenda ſit, ſed quæ merito judicetur contra ipſius catholicæ fidei ſtatum hæreticorum ſurreptione commota, pro qua pars maxima orbis Chriſtiani, quæ potuit, primum inter primos Chriſtianos ſacerdotem publica conteſtatione pulſavit. Et
C Romana quidem univerſitas, atque Africa, priuſquam ipſius Romani Antiſtitis acceperimus epiſtolam, non parvo jam cognoveramus indicio, quid de hujus facti novitate ſentirent. Nam venerabiles Pelagius & Anatolius, Romani diaconi, debitam officio ſuo & loco ſollicitudinem pro Eccleſia Dei gerentes, laudabilis in Chriſto memoriæ [e] Ferrando Carthaginenſi dia-
cono ſcripſerunt, ut habito de hac cauſa di- e
ligenti tractatu, cum reverendiſſimo ejuſdem Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopo, vel aliis, quos & zelum fidei, & divinæ ſcripturæ ſciret habere notitiam, conſulentibus reſponderet, quid obſervandum in commune omnibus videretur. In ipſa vero conſultationis epiſtola non tacetur, quod hæc immiſſione Acephalorum, quos, ut diximus, ſemieutychia-

a *Magiſtro Diodoro*) Diodorum enim Cyrillus in epiſtola priore ad Succenſum aperte affirmat, cum Macednnianum errorem exuerer, in alterum incidiſſe, qui poſtea in Neſtorio ejus diſcipulo damnatus eſt, ut filios duos ſtatueret, alterum de ſemine David natum ex ſancta Virgine, alterum proprium filium Dei patris.

b *Facti hujus auctori*) Mennæ Patriarchæ Conſtantinopolitano, qui primus damnitioni trium capitulorum aſſenſit; ob eamque rem a Vigilio literis ex itinere caſtigatus, quatuor deinde menſium excommunicatione ab eodem multatus eſt, ut Anaſtaſius in Hiſtoria Eccleſiaſtica refert ex Theophane.

c *Stephanum Diaconum*) Narrantur eadem in epiſtola Vigilii ad Mennam, cujus partem recitat Facundus contra Mutianum. Succeſſerat Stephanus haud multo ante Pelagio item Diacono, qui apocriſiarium ſedis Apoſtolicæ complures annos egit Conſtantinopoli. At Stephanus non diu hoc munere functus eſt. obiit enim priuſquam Vigilius appelleret.

d *Et illyricus*) Poſt hæc etiam de eadem re in Illyrico habita eſt Synodus. Victor Tononenſis in Chronico. *P. C. Baſilii anno VIII. Illyriciana Synodus in defenſione trium capitum Juſtiniano Auguſto ſcribit*. & contra Illyricianam Synodum reſcriptum edidit Juſtinianus, ut teſtatur Iſidorus de viris illuſtribus cap. XVIII

e *Ferrando Carthaginenſi Diacono*) Clarum hoc tempore habitum Ferrandum in Eccleſia Carthaginenſi Victor idem notat anno VI. poſt Conſulem Baſilium. Extat ejus epiſtola ad Anatolium diaconum urbis Romæ, ſed diverſi argumenti. Hujus vero, ut apparet, mentio eſt in Duodecim auctorum catalogo, qui ſubdi ſolet Iſidori libello de viris illuſtribus. *Ferrandus*, inquit, *ad Pelagium & Anatolium Romanos diaconos conſulentes eum utrum liceat quemquam damnare poſt mortem, edidit reſcriptum, ubi inter alia ſic locutus eſt*: Quid prodeſt dormientibus Eccleſiam perturbare? Si quis adhuc in corpore mortis hujus accuſatus & damnatus antequam mereretur abſolvi, de Eccleſia raptus eſt, abſolvi non poteſt ulterius humano judicio. Si quis accuſatus ante diem ſacri examinis repentina vocatione præventus eſt, intra ſinum matris Eccleſiæ conſtitutus, divino intelligendus eſt judicio reſervari. De hoc nullus homo poteſt manifeſtam proferre ſententiam. cui ſi Deus indulgentiam dedit nihil nocet noſtra ſeveritas: ſed ſi ſupplicium præparavit, nihil prodeſt noſtra benignitas.

* (209) *Theodorum*.

nos

nos ſignificantius appellare poſſumus, contra Calchedonenſe concilium, & decreta Papæ Leonis, mota fuerint per eos, qui ſub nomine catholico ipſorum parti ſtudium præbent. Sed & ille qui conſultus fuerat reſcribens interrogantibus, retractandam non eſſe docuit epiſtolam, quam univerſalis ſynodus approbavit, quoniam ſi fieret, non ipſius tantum, ſed omnium Conciliorum ſtatuta deducerentur in dubium.

CAP. IV. VErum hoc inſolitum non eſt, ut vel Apoſtolica ſedes temeratores paternæ ſententiæ, tanquam excedentes a fide corriperet, vel incontaminati quique, & ab hac præſumptione penitus alieni, conteſtatione publica de tali facto quererentur, & pronuntiarent, quod ſi hoc ſemel admiſſum fuerit, non tantum Calchedonenſis, ſed omnium Conciliorum definitiones conſtare non poſſint. Illud eſt inſuetum, illud mirabile, illud in quo magna vis veritatis apparet, quod ipſos quoque præſumptores internis conſcientiæ ſtimulis fateri coegit, ad deſtructionem ſynodi Calchedonenſis hæc fuiſſe compoſita. Nam primus confirmator eorum [a] Mennas Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cum adhuc cunctaretur ſcripto, ſicut præceptum fuerat, eis præbere conſenſum, contra ſynodum Calchedonenſem fieri proteſtatus eſt. Sed & poſteaquam conſenſit, a prædicto venerabilis memoriæ Stephano Eccleſiæ Romanæ diacono, & apocriſario conventus, cur priori ſententiæ ſuæ contrarius, acquieviſſet his quæ ante culpaverat, & de quibus ſe nihil acturum ſine Apoſtolica ſede promiſerat, ſub ea ſe conditione ceſſiſſe, & juratum ſibi fuiſſe reſpondit, quod chirographum ſuum reciperet, ſi hæc Romanus Epiſcopus non probaret. In quo ſatis oſtendit, de judicio ſe potius humano, quam divino eſſe ſolicitum. Sed numquid, vel ſi propriam manum Romano Epiſcopo non probante recipiat, nihilque illi quod metuit de judicio humano contingat, ideo ſententiam Dei judicis atque ultoris effugiet? Nunquam hoc ei alterius ſecreta juratio, ſed ſola correctio ſua præſtabit. Semel Deo juravimus, Imperator, quum baptizandi in morte filii ejus ſpopondimus nos fidei, qua ſalvati ſumus, cuſtodire depoſitum. Adverſus hanc igitur dare vel accipere juramentum, magnum perjurii crimen eſt. Nam ſi nimis terribile creditur, cum ita ſecum homines fœdus ineunt in jusjurandum, ut aliquos interpacta baptizari faciant: quid de illo juramento credendum eſt, in quo ſumus cum Deo depacti, & nos qui juravimus baptizati? Sed & ipſam tanti myſterii quæſo conſideres actionem. quemadmodum lavacro regenerationis abluendi, in conſpectu Dei, & ſanctorum Angelorum ſtemus, occulta dedecoris Eccleſia teſte damnantes. Nihil ibi obtectum, nihil abſconditum fuit. expoliato denique corpore, magnum illud fidei percepimus, & ſervare ſpopondimus ſacramentum: & non ſola voce, verum etiam totius habitu corporis, profitemur exuiſſe nos

A hominem veterum cum actibus ſuis. Cur itaque nunc actum, cui renuntiavimus, veteris hominis reſumentes, neſcio quid extraordinarium in operto de ipſa fide paciſcimur, Eccleſia ignorante, quæ teſtis fuit, quando nos illam ſimpliciter ſervaturos palam & nudi juravimus? Quis porro auctoritatem contemnere poſſit iſtorum? quis dubitet talium ſequi ſententiam, videns quoniam libere ab eis, & intrepide veritas * prædicatur? Zoilus quoque Alexandrinæ urbis antiſtes, cum Romanum Epiſcopum venire cognoſceret, obviam illi ad Siciliam miſit, conquerens neceſſitate ſe ad ipſius decreti affirma-
B tionem fuiſſe compulſum: quod hic ei, poſtquam venit, idem Romanus Epiſcopus in facie palam, nobis quoque inter alios præſentibus, exprobravit. Nec non & Effremius Antiochenus, cum primum ei mandaretur, ut hoc etiam ipſe reſcribendo firmaret, conſentire noluit. At poſtquam ei denunciatum eſt, quod excludendus eſſet, niſi faceret, ſui potius honoris, quam veritatis, dilector inventus eſt. Quid etiam Petrus Hieroſolymitanus? nonne publica notitia refert, quoniam conveniente ad ſe multitudine monachorum, juratus pronuutiavit, quod ſiquis eidem decreto novitio conſentiret, contra Cal-
C chedonenſe concilium faceret? nec tamen ſe ab ejus conſenſione ſuſpendit. Hoc autem, velut hæreditarium, de prævaricatione primæ illius mulieris cognoſcimus eſſe contractum, quæ prius interdictum ſibi fuiſſe reſpondit, ne de ligno quod erat in medio paradiſi comederet, & poſtea quod ipſa illicitum pronunciaverat uſurpavit, ac viro ut comederet perſuaſit. Et quid dicemus ad hæc? niſi quod ipſe Dominus dixit: *Verumtamen veniens filius hominis, putas inveniet fidem in terra?* Jam vero de aliarum civitatum Epiſcopis quid loquamur, qui & cum ſcri-
D bere compellerentur, palam reclamaverunt contra magnam ſynodum fieri: & poſt ſubſcriptionem, memorato Stephano Romano diacono libellos dederunt, ſedi Apoſtolicæ tranſmittendos, confitentes in eis quod a Conſtantinopolitano Epiſcopo coacti ſubſcriberent, qui ſi a veſtra pietate quærantur, poterunt & apud vos nuſtris aſſertionibus atteſtari. Unde non ſolum ipſi qui hæc fecerunt, ſed & illi etiam qui facientibus communicando conſentiunt, de ignorantia ſemetipſos excuſare non poſſunt, & fruſtra diſſimulant, fruſtra ſe dicunt neſcire quod factum eſt, ſive lucra temporalia diligentes, ſive
E gratis ſuas animas negligentes. Cui enim non ſufficiat, ad cognoſcendum cauſæ meritum, ſola confeſſio tranſgreſſorum, & verbis publice facta, & libellis expoſita? Manifeſtos habent errores eorum, qui veriſimilibus argumentis, quaſi conſtanter ſua errata defendunt; & iſte illis incognitus eſſe poteſt, auctorum ſuorum confeſſione damnatus? His omnibus accedit & confeſſio Domitiani Galatæ, Ancyrenſis olim Epiſcopi, quem confeſſum diximus, quod ejus complices Origeniani ad Eccleſiæ conturbationem iſta moliti ſunt. Nam in libello quem ad Vigilium ſcripſit, conquerens de his, qui cuntradicebant dogmatibus Origenis, aſſerentis

* 201

Luc. 18. 8.

---

a *Cum Mennas cunctaretur*) Ad hunc locum ſpectat, quod ait in libro contra Mutianum: *Commemorare, quod alibi fecimus, quomodo ſive Mennas Conſtantinopolitanus, ſive Zoilus Alexandrinus, ſive Antiochenus Ephræmius, & Petrus Hieroſolymitanus, antequam vel conſentirent vel cederent, teſtati ſunt fieri non debere.* De his enim quatuor ordine docet, ac mox etiam de ceteris Epiſcopis. nam omnes ad trium capitum damnationem compellebat Imperator, cum muneribus ditaret aſſentientes, reluctantes exauctoraret aut plecteret exilio, ut eſt apud Liberatum in extremo Breviario.

* (201) *prædicatur, a quibus ſub fidei commiſſo de fidei cauſſa decernitur?*

animas humanas ante corpora in quadam beata vita præextitiſſe, & omnes quæ fuerint æterno ſupplicio deſtinatæ, in priſtinam beatitudinem, cum diabolo & angelis ejus reſtitui; dicit „ etiam hæc. Proſiluerunt ad anathematizandos „ ſanctiſſimos & glorioſiſſimos doctores, ſub occa„ ſione eorum, quæ de præexiſtentia & reſtitu„ tione mota ſunt, dogmatum, ſub ſpecie quidem „ Origenis, omnes autem qui ante eum, & poſt „ eum fuerunt ſanctos anathematizantes. Hi ve„ ro qui propoſuerant hujuſmodi dogma defende„ re, id implere nullo modo voluerunt: ſed ta„ lem relinquentes conflictum, converſi ſunt mo„ verent adverſus Theodorum, qui fuit Mopſue„ ſtenus Epiſcopus, & moliri cœperunt quatenus „ anathematizaretur & ille, ad abolitionem ut „ putabant eorum, quæ contra Origenem mota „ * 202 " conſtituerant. His autem conſideratis, clementiſſime Imperator, quis non intelligat, quoniam ſi Eccleſiarum primates, quorum confeſſiones memoravimus, pro veritate conſtarent, facile de vobis poſſent obtinere ne fieret, quod fruſtra ſe non voluntate feciſſe cauſantur. Quaſi vero propter hoc tantum ordinati ſumus Epiſcopi, ut ditemur principum donis, & cum eis inter * 203 maximas poteſtates conſedeamus, tanquam divini ſacerdotii privilegiis fulti: ſicubi autem fallaciis malignorum, quæ nullis temporibus defuerunt, aliquid eis inter tantas reipublicæ ſuæ curas ſubreptum fuerit, quod Eccleſiæ Dei præjudicet, vel Eccleſiæ pacem turbet: non eis debeamus pro ipſorum ſalute quæ ſunt vera ſuggerere, &, ſi neceſſe fuerit, religionis auctoritate reſiſtere, ac patienter offenſionem quoque illorum, ſi acciderit, ſuſtinere. Et ubi erit illud propheticum: *Loquebar in teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar?* Niſi forte paſtores quidem ad lac & vellera, ad avertendas vero luporum inſidias, & tuenda ovilia, deſertores. Quid enim jam paſſi fuimus, vel quid pati ab Imperatore Chriſtiano timuimus, pro ejuſdem fidei, quam tenet, defenſione certantes? Enimvero dici forſitan ab aliquo poſſet, quod ſpiritus quidem promptus, caro autem infirma, diu cruciatus ferre non potuit: ut prona ſit indulgentiam ſuccumbentibus tribuere uniuſcujuſque conſcientia ſui fragilitas. Solet enim de humanis cordibus, pro devotione ſui fidelis exordii, ſi non perſeveret uſque in finem, veniam puſillanimitas impetrare. Sed in hac cauſa quid tandem poteſt excuſationis obtendi? Præſertim cum veſtra clementia, ſui cognomenti non immemor, in ipſis quoque contradicentibus ſibi hæreticis nihil egerit inclementer. Si quid igitur ob hanc cauſam aliquis pertulerit, illorum magis eſt invidioſis ſuggeſtionibus imputandum, qui diſſimulantes ab aliis, unum ſibi ſolum contradicere querebantur. Quaſi vero non ſtatim, ut meditatio facti hujus innotuit, Chriſtianæ plebis offendit auditum, ut unus hoc * 204 voluiſſe facere diceretur, tanquam magnæ & ſingularis eſſet juſtitiæ, non condemnare tot * 205 venerabiles, qui contra Calchedonenſe concilium hoc fieri cognoverunt, palamque * 206 deteſtati ſunt. Qui tamen ſubſcripſerunt diffinitionibus libri, in quo dictum eſt, „ Si quis dicit, hæc nos ad abolendos aut excludendos ſanctos patres, qui in Cal„ chedonenſi fuere concilio, dixiſſe, anathema „ ſit; atque ita ſemetipſos anathema fecerunt, qui dicentes adverſus ſanctos patres, qui in Calchedonenſi fuere concilio, hæc eſſe conſcripta, adſenſerunt, ut ſi quis hoc dicit, fiat anathema. Quod ſi hoc etiam non fuiſſet, numquid inter canones atque ſtatuta, quibus de rebus divinis decernitur, haberi debet, ut ſi quis de conſcriptore, quicumque ſit aut dicatur, illius libri aliter crediderit, quam vult ipſe conſcriptor, anathema ſit velut hæreticus, cum ſi videbatur ita decerni ac dici debuerit, ut anathema fieret, ſi quis ad abolendos aut excludendos ſanctos patres, qui in Calchedonenſi fuere concilio, eis quæ in memorato libro dicta ſunt uteretur. Nunc autem, ne quis talibus dictis reſiſteret, omnibus interdicitur queri: uti vero eis ad excluſionem ſanctæ ſynodi, nulli negatur. Verum quia, ſicut prædixeramus, tam epiſtolam venerabilis Ibæ, & Theodoreti ſcripta, quam Theodori, ejuſque dogmata in præjudicium ſynodi Calchedonenſis probavimus eſſe damnata: illud etiam, quod ſecundo partitionis loco promiſimus, hoc volumine terminato jam debemus oſtendere. Quoniam fruſtra negatur eandem epiſtolam a ſynodo fuiſſe probatam: ſed Eutychiani, ut nobis illuderent, hoc mendacium per ſuos ſeminavere fautores.

in MS. conſtiterant.

Pſal. 118, 16.

* (202) *conſtiterant.*
* (203) *maximas vel ſupramaximas.*
* (204) *noluiſſe.*
* (205) *venerabiles Patres, cum & ipſi quemadmodum dictum eſt, ut ſint inexcuſabiles, contra Calchedonenſe &c.*
* (206) *teſtati ſunt.*

FACUNDI EPISCOPI HERMIANENSIS, PRO DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM,

LIBER QUINTUS.

CAP. I. Intende nunc, Auguſte, quam manifeſta & multiplici ratione hoc etiam demonſtretur, quod ſequenter me demonſtraturum eſſe promiſi, quoniam hæreticorum fautores aperto mendacio nos decipere voluerunt, ut dicerent epiſtolam venerabilis Ibæ [a] a concilio Calchedonenſi non fuiſſe ſuſceptam. Ubi dum recitaretur, ex præcedentibus geſtis, apud reverentiſſimos Photium, & Euſtachium, atque Uranium Epiſcopos habitis, quæ contra memoratum Epiſcopum Ibam protulerat Theophilus diaconus, qui ejus adverſarius exiſtebat conſidentibus Epiſcopis, talis eſt data ſententia: [b] „Cognovimus „ex ſententia reverentiſſimorum Epiſcoporum, „Ibam reverentiſſimum Epiſcopum innoxium de„monſtratum. Lecta enim ejus epiſtola, cogno„vimus eum eſſe orthodoxum, & ob hoc decer„nimus, & honorem ei Epiſcopatus, & Eccleſiam, „de qua injuſte & abſens expulſus eſt, inſtau„rari. Vides quomodo nobis hæretici per ſuos ſatellites voluerunt illudere, ut hanc epiſtolam jactarent ſuſceptam a Concilio non fuiſſe: cum palam ſit, quod ex ejus lectione conſcriptor ejus Ibas innoxius & orthodoxus ab ea fuerit judicatus, & ob hoc eum & honorem Epiſcopatus, & Eccleſiam recipere decreverint, de qua injuſte fuit expulſus. Scierunt igitur Eccleſiæ pietatem ferre non poſſe, ſi condemnanda diceretur epiſtola, quam ſynodus approbavit; vel potius ipſa ſynodus, propter quod eam judicavit orthodoxam. Non enim ipſam tantummodo Ibæ epiſtolam, ſicut jam diximus, quaſi Neſtorianam culpare, & abjicere præſumpſerunt; ſed approbatores quoque ejus, qui eam rectam dicunt, & anathemati non ſubjiciunt. Et qui magis intelligendi ſunt ejus approbatores, quam patres qui Calchedona convenerant & eam judicaverunt orthodoxam? Hæc igitur ſcientes, & arbitrati quod ita poſſint in ipſius epiſto- A læ damnationem catholicorum conſenſus adducere, jactaverunt quod a magno Concilio ſuſcepta non fuerit, cum in eo rurſus ita pronuntiatum noverimus: „Ex his quæ nuper lecta „ſunt, clarum eſt, quia reverentiſſimus Ibas in„nocens eſt ab omnibus quæ ei illata ſunt, & „ex relecto reſcripto epiſtolæ, quod prolatum „eſt ab ejus adverſario, orthodoxa apparuit ejus „dictatio. Numquid ergo adverſus iſtas evidentiſſimas ſuper epiſtolam memoratam ſententias, cum poſt ejus condemnationem exprobrare nobis cœperint hæretici, quod epiſtolam noſtro judicio Neſtorianam ſynodus Calchedonenſis pronuntiavit orthodoxam, poſſemus dicere B falſum eſſe, & e contrario demonſtrare, quod eam ipſa quoque reprobaverit atque damnaverit? Advertis igitur, Imperator, quod inimici juſtitiæ illudere voluerint Eccleſiæ Chriſti, & avocare nos a veraci aſſertione, qua defendi eadem epiſtola melius & fortius poteſt, atque divertere ad falſæ denegationis inane ſuffugium: ut nunc interim affirmaremus eam Neſtorianam, negantes a Concilio eſſe ſuſceptam, & poſtea convicti ab eiſdem manifeſto & impudenti mendacio, quia ſuſcepta eſt, nihil jam reſtaret, quod in ipſius Concilii defenſionem reſpondere C poſſimus. Et ideo non recipimus mendacii conſilium, neque nos ſui ſimiles hæretici valebunt efficere. Nam & ſuſceptam dicimus, & quod omnino fuerit ſuſcepta monſtramus: quia verax ſemper eſt Eccleſia pro veritate defenſio, nec unquam fuit indigna falſitatis. Ante vero nobis diſcutiendum eſt, cujuſmodi ſint ea, quæ per ſuos fautores ad noſtram deceptionem jactaverunt, ut eam denegaremus eſſe ſuſceptam. Primum itaque videamus, utrum nobis dicendum ſit, aut credendum, quod perſuadere conati ſunt, quia epiſtolam non venerabilis Ibæ, ſed neſcio quam ſcripturam poſtulationis

---

a *A Concilio Calchedonenſi*) Ibæ Epiſcopi & epiſtolæ ipſius cauſa diſcuſſa eſt actione IX. & X. Synodi Chalchedonenſis, relectiſque geſtis, quæ apud Tyrum & Berytum in eadem cauſa præceſſerant, Ibas innoxius, epiſtola, ut Facundus ait, orthodoxa pronunciata eſt. Quibus conſentanea ſunt, quæ Innocentius Maroniæ Epiſcopus ſcribit in Collatione Conſtantinopoli habita inter orthodoxos & Severianos his verbis: Contrad. *Et Ibas ergo juſte ſuſceptus eſt a Calchedonenſe Concilio?* Epiſc. *Ibæ & accuſantium eum judicium ex Imperiali auctoritate delegatum eſt Photio Epiſcopo Tyri, & Euſtachio Epiſcopo Beryti, & Uranio Imerinæ civitatis Epiſcopo. Qui reverentiſſimi viri, & nimium horrentes Neſtorii blaſphemias, cum omni diligentia diſcutientes eum, immunem & ſine culpa eum decreverunt, ſicut & acta ipſorum, & relatio manifeſtat. Quem ergo judices juſtificaverunt, quemadmodum Concilium poterat condemnare?* Epiſtolam tamen Concilio ſuſpectam fuiſſe docet. *Recenſita*, inquit, *præfata epiſtola in Calchedonenſi ſancto Concilio, non aliter prævidit ſuſcipi eum propter ſuſpiciones in ea inſertas, niſi & ipſe Neſtorium, & omnia decreta ejus anathematizaſſet. Et poſtquam anathematizavit, tunc ſuſceptus eſt in ſancto Concilio.* Unde & Synodus V. generalis, quæ eandem epiſtolam Actione VI. liquido damnat ut hæreticam, non diſſimilem Calchedonenſis Concilii de ea ſenſum vult fuiſſe, poſthabitis, ut ait, iis quæ unus aut alter pro illa dixerant, orthodoxam videlicet appellantes.

b *Cognovimus ex ſententia*) Verba ſunt Legatorum ſedis Apoſtolicæ, qui ſententiam primo loco dixerunt. Quæ deinde ſubjiciuntur, *Ex his quæ nuper*, Maximi ſunt Antiocheni. Illa denique, *Dudum quidem ex relectis*, Eunomii Epiſcopi Nicomedienſis. Quas eaſdem Epiſcoporum ſententias profert etiam, & examinat Vig[illegible] in Conſtituto

* 207 & deprecationis, quam Photio, & * Euſtachio, & Uranio Epiſcopis omnis clerus Edeſſenæ civitatis pro ipſo Iba Epiſcopo miſerat, ſynodus pronuntiavit orthodoxam. Sed quid reſpondebimus, cum poſtea vel ipſi, vel hi quibus favent hæ-
a retici, nobis dixerint, quod illa ſcriptura, [a] poſtulatio & deprecatio omnis cleri Edeſſenæ civitatis ſynodalibus geſtis appellata ſit, ſententia vero ſynodi ex relecta ejus epiſtola orthodoxum eum apparuiſſe teſtata eſt: & quia illam poſtulationem & deprecationem, ab omni clero Edeſſenæ civitatis ad Photium, & Euſtachium. atque Uranium Epiſcopos datam, Ibas Epiſcopus pro ſe recitari petivit, ſententia vero ſynodi, ſicut eadem quæ poſuimus verba declarant, de reſcripto epiſtolæ ipſius Ibæ, quod prolatum eſt ab ejus adverſario, pronunciavit, quod ortodoxa apparuit ejus dictatio? Facillime itaque probabunt, ſi tamen ulla probatione hic opus eſt, aliud eſſe quod pro ſe recitari petivit Ibas Epiſcopus, & aliud quod contra eum protulit qui ejus adverſarius exiſtebat. Sed & hoc adjicient quia nec attinebat ad rem, ut de poſtulatione & deprecatione cleri Edeſſenæ civitatis pronuntiaretur, quod ortodoxa eſſet ejus dictatio, cum potius ſuper epiſtola Ibæ ſententia ſynodi expectaretur, utrum eam hæreticam, an orthodoxam judicarent. Cum ergo & illud objicerent, quod ſimiliter in eadem ſynodo dictum eſt: Dudum quidem ex relectis innoxius demonſtratus eſt reverentiſſimus Ibas; in quibus etenim viſus eſt culpare male loquens beatiſſimum Cyrillum, in poſterioribus recte confeſſus reſpuit illa quibus culpaverat; nunquid contra mutire? nunquid reſpirare valebimus? Quid enim Ibas Epiſcopus in illa poſtulatione & deprecatione, quam pro illo clerus omnis Edeſſenæ civitatis miſerat, locutus fuerat de B. Cyrillo, quod diceretur in poſterioribus reſpuiſſe? Si quis autem legat ejus epiſtolam ad Marim Perſam datam, quam in ſequenti libro ponemus, ibi hæc omnia recognoſcit. Verum
* 208 * ecce, ſi multiplicibus documentis oſtendent, quod epiſtolam Ibæ ſynodus ortodoxam judicavit, de qua ipſe Ibas fuerat accuſatus; numquid oſtendimus & nos, ubi omnis clerus Edeſſenæ civitatis accuſatus eſt, quod non orthodoxam poſtulationem & deprecationem pro ipſo Iba Epiſcopo miſerit, ut neceſſarium ſynodo videretur de illa pronunciare, quod orthodoxa fuerit ejus dictatio? aut etiam ſi hoc poſſet oſtendi, approbatio poſtulationis & deprecationis illius, Ibam Epiſcopum, & non ipſos deprecatores abſolveret. Nam & ipſius ſententiæ recitare verba debemus, ſi forte, quemadmodum ſuper Ibæ epiſtolam factum eſt, aliquis patrum dixit in illa ſynodo; Scriptura poſtulationis & deprecationis omnis cleri Edeſſenæ civitatis ortodoxa nobis apparuit. Sed nihil tale valebimus oſtendere. & optime ſcimus, quia neceſſe non erat illam poſtulationem & deprecationem ortodoxam pronunciari, de qua nulla talis quæſtio vertebatur. ſed ut nos ad illius epiſtolæ condemnationem hæreticorum fautores inducerent, iſta finxerunt. Nam quare Iba Epiſcopo accuſato, omnis clerus Edeſſenæ civitatis pronuntiaretur orthodoxus;

A aut ortodoxo pronunciato omni clero Edeſſenæ civitatis, Ibas abſolveretur Epiſcopus? Denique fraude ſe iſta jactaſſe, etiam ipſi, extorquente veritate vel inviti, vel neſcii prodiderunt. Nam poſt multas & varias ſuas adinventiones, poſt labores magnos, & infructuoſos, quibus ad deceptionem facilium apertam lucem verbis inanibus obſcurare conati ſunt, in eodem libro ſuo dixerunt: Culpans Joannes hæ- "
reticus ſanctam ſynodum, oſtenditur, eadem "
quidem ſapere ſicut ad Marim epiſtola: confi- "
tens autem eam expulſam atque deſtructam a "
ſancta ſynodo, confitetur etiam ſimiliter expul- "
B ſum ab ea & Theodorum impium Mopſueſte- "
num. Et quoniam calumniatores non reſpiciunt "
in ultimo ordine definita, ſed ante perfectum "
judicium a quibuſdam forſitan dicta; oportet "
cognoſcere rectam habentes intentionem, quia "
in ſynodis nihil præjudicant, quæ ante perfe- "
ctum judicium a quibuſdam forſitan dicta ſunt, "
eis quæ ab omnibus ſimul in ultimo definiun- "
tur ordine, licet diſſona communi appareant "
calculo. Denique ſanctus Anatolius dixit, quia "
Dioſcorus non propter fidem damnatus eſt, & "
hoc neque præjudicium communi calculo ſy- "
nodi fecit, neque Dioſcorum ab adjudicatione "
C liberavit in Eutychis permanentem perverſitate. "
In his igitur omnibus, omitto nunc arguere, quod in hoc libro neſcio quis Joannes hæreticus non eſt probatus eadem ſapuiſſe, ſicut ad Marim epiſtola, vel quia ita ſapuerit eſſe deteſtandus. Omitto quia nec illud probatum eſt, quod jactatur idem Joannes fuiſſe confeſſus, prædictam epiſtolam deſtructam atque expulſam a ſancta ſynodo. Omitto quia nihil Theodoro præjudicat, quod cum ſimiliter a ſynodo expulſum dixiſſe fertur, quoniam ſi ab illo exigeretur, probare non poſſet. Hoc eſt unum, quod
D volo dicere, quia licet trepidis & inconſtantibus verbis, prodiderunt ſcire ſe quod a ſynodo epiſtola illa ſuſcepta ſit, ſed ut nobis illuderent illa omnia confinxerunt. Nam quomodo neſcientes de illa ſynodum protuliſſe ſententiam, dicerent quod in ſynodis nihil præjudicent, quæ ante perfectum judicium a quibuſdam forſitan dicta ſunt, eis quæ ab omnibus ſimul in ultimo definiuntur ordine? Ergo licet quibuſdam diſſonantibus, ſcire ſe tamen confeſſi ſunt de venerabilis Ibæ epiſtola ſynodum judicaſſe. Quod etiam in poſterioribus ejuſdem ſui libri ſimiliter produnt, ita dicentes: Et hæc quidem dicta ſunt, "
ut oſtenderetur omnibus, quia in his quæ factæ "
E ſunt ſynodi, vel ſi qua, ut ſæpe contingit, diſ- "
ſonantia ab judicantibus facta fuerat; attamen "
nullus ea quæ per partes dicuntur attendit, ſed "
ea quæ ab omnibus ultimo diffiniuntur in ordine. "
Verum nobis ſufficit, eorum dolos etiam ipſis confitentibus cognoviſſe. Ceterum, nec iſtis adinventionibus aſſentimus. Primum quidem, ne cum illis non ſolum mendaces, ſed etiam in ipſo mendacio deprehendamur inſtabiles, ut dicamus, non de Ibæ epiſtola, ſed de ſcriptura poſtulationis & deprecationis omnis cleri Edeſſenæ civitatis, ſynodum * pronuntiaſſe: ſed in * 209
ſynodis nihil præjudicare quæ ante perfectum judicium a quibuſdam forſitan dicta ſunt. Deinde quia inveniuntur " eadem ſuper epiſtola Ibæ "ſ. eædem

a *Poſtulatio & deprecatio*) Διδασκαλία καὶ παράκλησις παρὰ παντὸς τοῦ κλήρου τῆς Ἐδεσσηνῶν μητροπόλεως. Sic enim inſcripta eſt. In clericorum porro ſubſcriptionibus διδασκαλία ſolum appellatur, quam interpres Synodi nunc *inſtructionem* reddit, nunc *ſuggeſtionem*.

* (207) *Euſtacio*, vel Euſtathio.
* (208) *ecce ipſi multiplicibus*.
* (209) *pronuntiaſſe, quod ortodoxa fuerit, & iterum de ipſa quidem epiſtola Synodum pronuntiaſſe; ſed in Synodis &c.*

* 210 * ſententiæ, non ante perfectum judicium, ſed
in ultimo, ſicut dicunt, ordine promulgatæ;
& non aliquorum, ſed omnium eſſe, quibus nul-
lus eſt refragatus. Exigitur enim a nobis atque
dicitur, Probate Concilii diſſonantiam, quam di-
citis. oſtendite ubi quibuſdam pronunciantibus
ortodoxam eſſe Ibæ epiſtolam, alii contradixe-
runt quod impia fuerit & profana; & poſt diſ-
ſonantiam quam dicitis ante perfectum judicium
factam, concordem in ultimo ſententiam ſyno-
di demonſtrate, Neſtorianam hanc & blaſphe-
mam epiſtolam reſpuentis. alioquin Neſtoriana
etiam illa ſynodus fuit, quæ talem epiſtolam
orthodoxam judicavit. Apparet igitur, quod his
omnibus mendaciis inaniter adinventis, non ex-
cuſari, ſed inexcuſabilis potius videri tanta ſy-
nodus poſſit, tamquam nihil habeat, quo defen-
di veraciter queat.

CAP. II. UNde nec illud dicimus, quod item in ſæ-
pe dicto ſuo libro, qui prænotatus eſt falſo ti-
tulo nominis ſui, dixerunt, quia illam epiſto-
a lam apud judices Photium & Euſtachium [a] ſuam
eſſe negavit Ibas Epiſcopus. Quod & ipſum aper-
te falſum eſt, & ſi velimus contra conſcientiam
dicere, ab ipſis iterum, qui hæc mendacia ſemi-
naverunt, ſimiliter arguimur, qui poſtea dixe-
runt, Oſtendite nobis ipſa negationis ejus ver-
ba, ſi dixit, mea non eſt hæc quæ adverſum
me profertur epiſtola, non ego eam ſcripſi, non
ego dictavi. Oſtendite etiam nobis accuſatorum
ejus replicationes, quibus eum negantem de hac
re, ſicut de aliis quoque cauſis, convincere ni-
tebantur: oſtendite etiam quos teſtes, ut hoc
ei probarent, adduxerint. Oſtendite judicum
ſententiam, per quam pronunciaverunt, quod
ideo illum abſolverint, quia probari non po-
* 211 tuit * ejus fuiſſe, quam ſuam fuiſſe inficiatus
* 212 eſt. & quid horum * flagitantibus? numquid in
* 213 illis geſtis apud Photium & * Euſtachium atque
Uranium habitis tale aliquid continetur? An his
omnibus nos deficientibus, illud ineptum contra
reſpondebimus, quod in ſuo libro poſuere di-
centes, Inventa eſt autem in eiſdem actis apud
Photium & Euſtachium habitis, & ſatisfactio
Ibæ ad hæc dicentis, quia poſt unitionem orien-
talium & ſancti Cyrilli nullam injuriam adver-
ſus eum fecerit. & adjiciunt, Si ergo impiam
epiſtolam poſt unitionis tempus ſignificat, Ibas
autem dicit, quia poſt unitionem nullam in-
juriam adverſus ſanctum fecerit Cyrillum: oſten-
ditur aperte, Ibam ad Marim epiſtolam dene-
gaſſe. Porro hæc adinventio deficax omnino
& irriſione digna eſt. Nam licet ante prolatam
adverſum ſe epiſtolam in judicio venerabilium
Photii & Euſtachii atque Uranii Epiſcoporum,
hanc de nomine beati Cyrilli altercationem re-
verentiſſimus Ibas cum accuſatoribus ſuis ha-
buerit; poſt prolatam vero adverſum ſe epi-

A ſtolam ſuam, nullum negationis verbum con-
tra reſultaſſe doceatur: tamen non ſicut ab iſtis,
ad obſcurandam veritatem, vel compoſita, vel
attenuata ſunt verba, ſic in illis geſtis haben-
tur. ubi cum ei ſuus objiceret accuſator Ma-
ras presbyter, & diceret, An non dixiſti, quan-
do flagitatum eſt in ſecreto, bonæ memoriæ
Cyrillum tanquam hæreticum habuimus, & do-
nec anathematizaſſet ſua capitula non recepi-
mus eum? idem reverentiſſimus Ibas Epiſcopus
reſpondit, Vere non ſum memor: ſi autem * & * 214
B dixi, " quia vere Orientale concilium recepit *f. iterum*
eum, poſtquam ſua capitula retractavit. Et ite- dixi quia.
rum, cum prædictus Maras diceret, eum de me-
morato beato Cyrillo dixiſſe, Hæreticum eum
habuimus, donec ſua anathematizaſſet capitula;
idem reverentiſſimus Ibas Epiſcopus dixit, Ego
poſtquam ſua capitula interpretatus eſt, tantum
abſtineo ab anathemate viri: quia & literas ab
eo ſuſcepi, & literas ei direxi, & communi-
cavit mihi, & communicavi ei. Non ergo ne-
gavit Ibas, quod hæreticum eum aliquando fuiſ-
ſe putaverit: ſed hoc dixit, quia poſt unitatem
C factam abſtinuerit ab anathemate viri, quod &
illa epiſtola manifeſtat. Non eſt autem idem,
quod Ibas Epiſcopus dixit, Ego poſtquam ca-
pitula ſua interpretatus eſt, tantum abſtineo ab
anathemate viri: & quod iſti eum dixiſſe po-
ſuerunt, quia poſt unitionem Orientalium &
ſancti Cyrilli, nullam injuriam adverſus eum
fecerit, quaſi conſequens ſit, ut quia jam abſti-
nuiſſet Ibas ab anathemate beati Cyrilli, ideo
nec credere ante, nec poſtea dicere potuiſſet,
quod aliquando fuerit lapſus, quem potius con-
verſum ab errore falſe putaverat. Et propterea
D iſtud quoque commentitium melius nos ultro re-
ſpuimus, quam ab ipſis, a quibus adinventum
eſt, cum noſtra confeſſione poſtea refellatur. Si
autem quæris, Auguſte, cognoſcere, quod non
iſtis obſcuris & captitiis adinventionibus, ſed
ſua ſponte conſpicuis & evidentibus documen-
tis, quæ vere facta eſt negatio demonſtretur;
attende quæſo qualis fuerit ſuper alio capitu-
lo in eadem controverſia ipſius Ibæ negatio,
qualis etiam contra replicatio accuſatorum,
qualis interlocutio judicum. Unde neceſſarium
duxi ex eiſdem geſtis aliqua in hunc librum
exempli gratia transferre, ubi prædictus Maras,
E unus ex accuſatoribus ipſius Ibæ Epiſcopi,
* dixit: Quid habes de fide movere? [b] Maras " * 215
alloquens dixit, Non invideo Chriſto facto Deo. " b
in quantum enim ipſe factus eſt, & ego factus "
ſum. Reverentiſſimi Epiſcopi dixerunt, * Con- " * 216
fiteatur reverentiſſimus Ibas, ſi hæc ab eo pro- "
lata ſunt. Reverentiſſimus Epiſcopus dixit, Ana- "
thema ei qui dixit, & ei qui calumniatur. ego "
enim non dixi. Samuel dixit, Teſtes nobis exi- "
ſtunt hujus rei, ex quibus hic ſunt. rogamus "
hos a vobis evocatos ſuſcepi, & propria voce "
teſtari, ſi eum * audierint hæc dicentem. Reveren- " * 217

a *Suam eſſe negavit Ibas*) Non auſum eſſe ſuam dicere adſtruit etiam Juſtinianus in edicto, ἐν Χαλκηδόνι, κατηγορηθεὶς Ἴβας μετὰ τὴν αἰσχύνην τῆς ἀσεβοῦς ἐπιστολῆς οὐκ ἐτόλμησε ταύτην οἰκειώσασθαι. Ceterum nihil tale in Synodo V. confingitur. Et frivola eſt, quæ opponitur, conjectura, ſciteque a Facundo refellitur.

b *Maras alloquens dixit*) Rectius in Synodo Calchedonenſi: Μάρας εἶπε· προσομιλῶν εἶπεν. *Maras dixit, Alloquens*, id eſt pro concione, *dixit*. Ibas nimirum, ad quem pertinet quæ ſequuntur. Sunt & alia tum in hoc, tum in ſuperiore Synodi Berytenſis textu, quæ Facundum vitioſo codice uſum eſſe doceant, cum emendatiora ſint in Calchedonenſi.

* (210) *Synodi ſententia*.

* (211) *ejus fuiſſe illam epiſtolam, aut ſaltem quia ipſe Ibas ſuam fuiſſe inficiatus eſt*.

* (212) *flagitantibus oſtendimus?*

* (213) *Euſtacium*, vel Euſtathium. Sic etiam paullo infra, & alibi legendum eſt.

* (214) *& dixi, dixi quia &c.*

* (215) *dixit: de fide movemus prius. Reverentiſſimi Epiſcopi dixerunt: quid habes de fide movere? Maras alloquens dixit &c.* Conſonant acta Synodi Berytenſis recitata in Concilio Calchedonenſi act. 10.

* (216) *confiteatur prius*. Ita etiam loco citato.

* (217) *non audierint*. Vide loc. cit.

„ tiſſimus Ibas Epiſcopus dixit, Decies milies ego
„ ſecari patior, quam dicere hoc verbum. abſit
„ hoc verbum me vel cogitare. ſed ſcio ego,
„ quia unuſquiſque ex confeſſione ſalvatur. Reve-
„ rentiſſimi Epiſcopi dixerunt, In Eccleſiane dicis
„ reverentiſſimum Epiſcopum Ibam hæc dixiſſe?
„ Samuel dixit, Conſuetudo eſt in die ſancto pa-
„ ſchæ, aut ante diem, dare eum de manu cle-
„ ricis quædam pro feſtivitate. inde cum hæc da-
„ re futurus eſſet, alloquitur primitus, & ſic dat.
„ Allocutus eſt autem hoc, & coram omnibus &
„ præſentibus clericis, ut acciperent ea quæ pro
„ feſtivitate dantur: & convincetur ab aliquibus
„ ex iis clericis hic ſtantibus, qui hoc ab iſto au-
„ dierunt dictum. Reverentiſſimi Epiſcopi dixe-
„ runt, Ante quantum tempus hæc dixiſſe reve-
„ rentiſſimum Ibam Epiſcopum profiteris? Samuel
dixit, Sunt tres anni plus minus, quod dicta
ſunt. Attendis, Auguſte, quemadmodum prius a
judicibus interrogatus ſit Ibas Epiſcopus, utrum
* 218 ab eo prolata ſit illa blaſphemia: * quemadmo-
dum etiam accuſatores adverſus eum teſtes pro-
duci petiverunt, quemadmodum judices quæſie-
rint ab accuſatoribus, quo loco, quo tempore,
* 219 quibus præſentibus hanc * eam blaſphemiam di-
cerent protuliſſe: & illi pertinaces, & locum
deſignant, & tempus memorant, & teſtes pro-
nuntiant, & quotiens hæc dicta, quotiens re-
plicata ſint, ipſorum geſtorum cætera ſatis o-
ſtendunt. Quid tale potuerimus probare ſuper il-
la epiſtola factum, ut dicamus, quod eam præ-
dictus Ibas ſuam fuiſſe negaverit, quam intan-
tum & ipſi judices ejus fuiſſe jam noverant, ut
nec interrogandum eum putarent, utrum ipſius
fuerit? Fruſtra itaque, ſicut dixi, fautores hæ-
reticorum nos inducere voluerant, ut diceremus
quod illam epiſtolam Ibas in judicio Epiſcopo-
rum Photii & Euſtachii atque Uranii ſuam eſſe
negaverit. Si autem in eorum judicio non do-
cetur Ibas negaſſe, quod ipſius fuerit illa epi-
ſtola, quomodo iſtorum ſuaſionibus acquieſcen-
tes dicemus, quia eam, quod prius non fece-
rat, poſtea in ſynodo ſuam fuiſſe denegavit,
ubi potius ſuper ipſa inveniuntur prolatæ ſen-
tentiæ, & idem Ibas Epiſcopus ejus relectione
purgatur? Nam & hoc in ſuo libro ita dixerunt:
„ Sed etiam in ſancta Calchedonenſi ſynodo volens
„ Ibas liberum ſeipſum de accuſatione epiſtolæ de-
„ monſtrare, poſt relectionem ejuſdem, mox hujuſ-
„ modi ſermonibus hæc ait: Jubete relegi litteras
„ clericorum Edeſſenorum, ut cognoſcatis, quia
„ ab his quæ mihi illata ſunt alienus ſum, & vim
„ pertuli. & relecta eſt quæ data eſt ab eo epi-
„ ſtola clericorum Edeſſenorum, in qua teſtifica-
„ bantur ei cum jurejurando, quia nulli conſcii
„ ſunt adverſus eum factæ accuſationi, neque co-
„ gnoſcunt eum contrarium quiddam rectæ feciſſe
„ fidei. In quibus verbis, illud prius adverten-
dum eſt, quod ab illuſione ſolita non recedant,
ut illam ſcripturam, quam pro memorato Iba
* 220 omnis clerus Edeſſenæ * civitatis obtulit, epi-
ſtolam appellent, volentes per epiſtolæ nomen,
in aliud nobis convertere ſententiam ſynodi, quæ
ſuper epiſtola ipſius Ibæ prolata eſt: ut credentes

A quod illam poſtulationem & deprecationem cleri
Edeſſeni, potius quam memoratam epiſtolam,
pronunciavit orthodoxam, in condemnationem
ejus adduceremur. Deinde quomodo ad dene-
gationem ipſius epiſtolæ omnis cleri Edeſſeni te-
ſtimonium quæreretur, cum accuſatores non e-
piſtolæ ad Marim ſcriptæ, ſed illius inſuſpica-
bilis blaſphemiæ, clericos Edeſſenos teſtes fuiſſe
mentiti ſint? In illo itaque capitulo eorum te-
ſtimonium ſynodo relegi neceſſarium fuit, in
quo ab accuſatoribus fuerant nominati. Deni-
que nec ipſi de hac epiſtola, ſed & de illa tan-
tum blaſphemia teſtati ſunt. Nam oſtendant
B nobis in ipſa poſtulatione & deprecatione, ubi
dixerint * quod illam epiſtolam in judicio reve- * 221
rentiſſimorum Photii & Euſtachii atque Uranii
non negatam, in ſynodo poſtea Ibas Epiſcopus
ſuam fuiſſe inficiatus eſt. Alioquin omnibus ap-
parebit, quod ad illudendum nobis iſta confin-
xerint: ut ſi hoc mendacium ſectaremur, poſtea
nos convincerent, atque confunderent ex mani-
feſtis ipſius ſynodi ſententiis. quas profecto vel
ſi probare poſſimus, non ab omnibus, ſed a
quibuſdam, * ſuper eandem epiſtolam, ſi eam * 222
ſuam negaret Ibas Epiſcopus. Dictum eſt enim
illic, ſicut ſupra meminimus, Cognovimus ex
C ſententia reverentiſſimorum Epiſcoporum, Ibam
reverentiſſimum Epiſcopum innoxium demonſtra-
tum. Lecta enim ejus epiſtola cognovimus eum
eſſe orthodoxum, & hoc decernimus, & hono-
rem ei Epiſcopatus, & Eccleſiam, de qua inju-
ſte & abſens expulſus eſt, inſtaurari, & alia
quæ in ipſis geſtis ſimilia continentur. Quomo-
do ergo non velut inſanos accuſare convincimur
patres, qui Calchedona convenerant, ſi dicamus
eos illius epiſtolæ merito, quam ſuam Ibas ne-
gaverat, * & Epiſcopatui & Eccleſiæ reſtitui * 223
judicaſſe? Advertat autem ſerenitas tua, quem-
admodum ſe * ſcire verum prodant, quod illam * 224
D epiſtolam ſuam fuiſſe non negaverit Ibas Epiſco-
pus. Dixerunt enim & hoc in ſuo libro, quod „
in noſtro ſecundo meminimus: Oportet inſpice- „
re ad Marim epiſtolam, omnia quidem ſine Deo „
& impie dicentem, illud tantummodo oſtenden- „
tem bene, quia ex illo Theodorus per Orien- „
tem in Eccleſiis anathematizatus eſt. quod non
dicerent, ſi ipſam epiſtolam ab Iba crederent dene-
gatam. Sed reſpondeant nobis, cujus teſtimonio
uſi ſunt, quia ex illo Theodorus per Orientem
in Eccleſiis anathematizatus eſt? Si enim Ibas
E ſuam eſſe negavit illam epiſtolam, & confictam
adverſus eum ab accuſatoribus dicunt, ſine du-
bitatione falſis teſtibus uſi ſunt, quia ex illo
Theodorus per Orientem in Eccleſiis anathema-
tizatus eſt. Si autem, quod magis credendum
eſt, denegant quia falſis teſtibus uſi ſunt, ſci-
re ſe iterum produnt, quod illam epiſtolam
ſuam fuiſſe Ibas Epiſcopus non negavit, & ip-
ſam ſynodus pronunciavit orthodoxam. Poſtre-
mo, quid opus erat epiſtolam, non ſolum pri-
vatam, & ad ſynodum, ſicut affirmant, nulla-
tenus pertinentem, verum etiam cujus auctor eſ-
ſet incertus, univerſalis Eccleſiæ nuper condemnari
ſententia? ſi tamen ſententia fuiſſe dicenda eſt, ubi

* (218) *quemadmodum & ipſe negaverit ac fuerit execratus: quemadmodum etiam accuſatores.*

* (219) *eum.*

* (220) *civitatis miſerat, vocatem epiſtolam, quæ ibi poſtulatio & deprecatio appellata eſt, volentes.*

* (221) *quod illam epiſtolam non ipſe ſcripſerit ad Marim Perſam, ſicut evidenter atteſtati ſunt quod illam ab eo blaſphemiam non audierint; & tunc forte perſuadebunt, ut & nos dicamus, quod ſeme dictam epiſtolam in judicio Reverentiſſimorum &c.*

* (222) *ſuper eamdem epiſtolam ibi prolatas, certum eſt tamen, quod a quibuſcumque proferri non poſſint ſuper illam epiſtolam, ſi eam &c.*

* (223) *Epiſcopatum & Eccleſiam reſtitui judicaſſe.*

* (224) *ſcire iterum.*

ſubſcriptor, non quod ſentiebat aperuit, ſed exemplar potius formulæ ſibi datæ tranſcripſit. Unde vel ſi omnia quæ ſuperius dicta ſunt defuiſſent, ſatis indicarent ex ſolo facti ipſius modo ſcire ſe, quod a Concilio univerſali recepta ſit. Alioquin non quærerent, niſi in ejuſdem Concilii præjudicium, ut eam univerſalis Eccleſia condemnaret. Deſinant itaque jam fautores hæreticorum, vel deprehenſi ac proditi, ut no-
* 225 bis illudant, * ſtudioſe jactare, quia ſynodus non Ibæ epiſtolam pronunciavit orthodoxam: ne videantur non aliquid oculis noſtris, quod medio die vidimus, ſed ipſos oculos, quibus videmus, nobis velle furari.

CAP. III. SAne videamus quale ſit etiam illud, quod ſimiliter in excuſationem ipſius ſynodi nos aſſerere voluerunt, ut ideo diceremus ſententiam
* 226 * ſuper epiſtolam ad ejus decreta minime pertinere, quod quaſi poſt damnationem Eutychis atque Dioſcori, poſtque fidei definitionem, Theodoretus atque Ibas in Concilio ſederint. Sic enim eis in ſuo libro viſum eſt dicere de reverentiſſimis Theodoreto atque Iba Epiſcopis, Quia propter quod accuſati ſunt, ut Neſtorii dogma ſuſcipientes, non evocati ſunt, ut ſederent cum ſancta ſynodo. Sed poſteaquam de Eutyche & Dioſcoro factum eſt judicium, & diſpoſita ſunt a ſancta ſynodo recta patrum conſtituta, per quæ adjudicaverunt, & anathemati ſubjecerunt Neſtorium & Eutychem, & maligna eorum decreta ſequentes; tunc prædicti Theodoretus & Ibas adierunt ſanctam ſynodum. Quis ignarus eorum, quæ in illa ſynodo geſta ſunt, crederet, quod iſti de cauſa publica, & in conſpectu omnium ſita, confingere talia potuiſſent? Quid ergo? non ſedit cum ſancta ſynodo Theodoretus Epiſcopus, niſi in actione octava, poſtquam factum eſt de Eutyche & Dioſcoro judicium, & diſpoſita ſunt a ſancta ſynodo recta patrum conſtituta? Et quomodo refertur in ejuſdem ſyno-
a di geſtis, quod in ipſa [a] prima actione Theodoretus inter alios Epiſcopos ſedit, Conſulatu Martiani Auguſti, VIII. Idus Octobris? An non „ ibi continentur hæc verba? Glorioſiſſimi judices „ & ampliſſimus ſenatus dixerunt: Ingrediatur re„ verentiſſimus Epiſcopus Theodoretus, ut ſit par„ ticeps ſynodi, quia & reſtituit ei Epiſcopatum „ ſanctiſſimus Archiepiſcopus Leo, & ſacratiſſimus „ ac piiſſimus Imperator ſanxit cum adeſſe ſanctæ „ ſynodo. Theodoretus reverentiſſimus Epiſcopus
* 227 „ tranſiens in medium dixit, Preces obtuli * ſa„ cratiſſimis & Chriſtianiſſimis orbis dominis, & „ narravi quæ in me acta ſunt vulnera, & pre„ cor has perlegi. Et poſt hanc ejuſdem reverentiſſimi Theodoreti proſecutionem, interloquentibus iterum glorioſiſſimis judicibus ac ſenatu, quod & a ſanctiſſimo Epiſcopo inclytæ urbis Romæ proprium locum recepiſſet idem Theodoretus, & teſtimonium haberet Maximi Antiocheni Epiſcopi quod catholicæ fidei eſſet, ſicut ibi ſcriptum eſt, ſedit in medio, ipſoque præſente, & inter alios Epiſcopos conſidente, recitata ſunt quæ ſub Dioſcoro Epheſi fuerant geſta. Cumque damnandus idem Dioſcorus cum Juvenali Hieroſolymitano & quibuſdam aliis videretur, ad Imperatorem prius referendum eſſe duxerunt. Illud plane fatendum eſt, quod Ibas Epiſcopus in ſynodo, non niſi poſtquam ejus cauſa [b] in ſeptima & octava ſeſſione diſcuſſa eſt b atque finita, ſederit: nam antea Nonnus, qui pro eo fuerat ordinatus, in omnibus actionibus ſediſſe relegitur. In ſexto quippe conſeſſu, fidei definitione perfecta, & ab omnibus Epiſcopis rite ſubſcripta, interlocutus eſt Imperator, ut aliquot diebus expectarent omnes Epiſcopi, & privatæ quorumcumque cauſæ ibidem finirentur. Poſtquam igitur in octava ſeſſione purgatus eſt idem Ibas, his quæ jam fuerant ſuperioribus actionibus definita ſubſcripſit. quod ex ſententia ſancti Anatolii Conſtantinopolitani Epiſcopi, quam inter alios ſuper ipſius Ibæ cauſa in octava ſeſſione protulit, evidenter oſten- *Act. 10.*
ditur, cum ait: * Judicantium reverentiſſimo- „ * 228
rum ſententiæ innoxium demonſtrant Ibam re- „ verentiſſimum ab his quæ in eum accuſatores „ intulerant. unde omnem in præſenti de eo ſu- „ ſpicionem abjicio, quoniam & conſentit & ſub- „ ſcribit ei quæ nunc de fide data eſt ſententiæ „ a ſancto Concilio, & epiſtolæ ſanctiſſimi Archie- „ piſcopi Romæ Leonis, & dignum judico Epi- „ ſcopatu, & habere curam in qua pridem exi- „ ſtebat Eccleſia. De Nonno autem reverentiſſi- „ mo Epiſcopo, qui factus eſt pro eo, formam „ dabit Maximus reverentiſſimus Antiochenus E- „ piſcopus. Hinc ergo probatur, ut dictum eſt, „ quod poſt octavam, in qua purgatus eſt, ſeſſionem prioribus Concilii ſubſcripſerit judicatis: quia de illo ſanctus Anatolius in ſua ſententia, ſicut memoravimus, conſentit & ſubſcribit, dixit, non conſenſit atque ſubſcripſit. Non itaque moveat, quod cum in ſuperioribus actionibus memoratus Ibas nuſquam legatur ſediſſe, invenitur tamen in eis cum Nonno pro ſe ordinato judicatis Concilii ſubſcripſiſſe. Nam poſt octavam ſeſſionem, qua purgatus Ibas Epiſcopatum Eccleſiæ ſuæ recepit, prædictum Nonnum in aliis actionibus, quibus idem Epiſcopus Ibas interfuit, nec ſediſſe, nec ſuſcripſiſſe reperimus. In ſecunda quoque actione, quæ in codicibus quidem poſt tertiam ſcribitur, fuit autem eodem Conſulatu, VI. Idus Octobris, in qua de ſtatutis fidei tractatus incipit, centeſimus & undecimus Theodoretus ſedit. Cumque poſt recitationem Symboli trecentorum X. & VIII.

a *In prima actione Theodoretus*) Reclamantibus in actione prima multarum provinciarum Epiſcopis, Judicum auctoritate vix obtinuit Theodoretus, ut ex Synodo non exturbaretur. poſtea in actione VIII. juſſus eſt anathema dicere Neſtorio, atque ita omnium conſenſu Eccleſiæ ſuæ ſedem recepit, & locum in Synodo.

b *In ſeptima & octava ſeſſione*) Aliud eſt Synodi ſeſſio aliud actio; cum in uno interdum conſenſu plures cauſæ vel actiones explicari ſoleant. In Synodo Calchedonenſi ſex primæ ſeſſiones ſex omnino actiones continent, ſingulæ ſingulas. at ſeſſio ſeptima tres actiones amplectitur, ſeptimam, octavam, & nonam. octava autem unicam actionem, nempe decimam. Denique Synodi univerſæ ſeſſiones, ſive ut Liberatus cap. XIII. vocat, ſecretarii fuere duodecim, actiones vero ſedecim. Ibæ igitur cauſa quam nona & decima Synodi actione diſcuſſam ſupra obſervavimus, recte a Facundo partim ſeptimæ partim octavæ ſeſſioni adſcribitur; cum actio nona, ut dictum eſt, ad ſeptimam ſeſſionem pertineat, decima ad octavam. Quare quæ paulo poſt ex ſeſſione octava proferuntur, in actione decima reperiuntur.

* (225) *inſidioſe.*
* (226) *ſuper epiſtola Ibæ prolata ad ejus &c.*
* (227) *ſacratiſſimis, piiſſimis & chriſtian.*
* (228) *judicantium reverentiſſimorum Epiſcoporum fides, & lectio omnium prolatorum innoxium demonſtrant Ibam &c.* Paria leguntur act. 10. Concilii Calched.

patrum qui apud Nicæam, & ci. qui apud Conſtantinopolim fuerunt, & duarum epiſtolarum beati Cyrilli, id eſt ad Neſtorium & ad Joannem Antiochenum, etiam Papæ Leonis ad Flavianum relegeretur epiſtola, dubitantes quidam de aliquibus verbis ipſius epiſtolæ, quod & ſecundo libro jam diximus, eodem Theodoreto rationem reddente firmati ſunt. Sic enim ejuſdem actionis continent geſta: „Cum legeretur ex eadem epiſtola pars quæ ita continet, Quamvis in domino Jeſu Chriſto Dei & hominis una perſona ſit, aliud tamen eſt, unde in utroque communis eſt contumelia, aliud unde communis eſt gloria. de noſtro enim illi eſt minor patre humanitas: de patre illi eſt æqualis cum patre divinitas. dubitantibus Illyricianis & Palæſtinis
* 229 * reverentiſſimis, Theodoretus reverentiſſimus Epiſcopus Cyrri dixit, Eſt ſimul exemplum beati Cyrilli ita habens, & factum hominem, & non
* 230 * amittentem quod proprium eſt. Permanſit enim idem quod erat: intelligitur vero omnino & aliud in alio quod habitat, id eſt, divina natura in humanitate. Glorioſiſſimi judices, & ampliſſimus ſenatus dixerunt, Poſt hæc omnia adhuc quis dubitat? Reverentiſſimi Epiſcopi clamaverunt, Nemo dubitat. Hæc omnia ex ipſius ſynodi geſtis in hunc librum tranſtuli. Quomodo ergo dicitur de reverentiſſimo Theodoreto Epiſcopo, quod niſi in octava non ſederit actione? In actione vero tertia, in qua Dioſcorus eſt damnatus, quæ fuit eodem Conſulatu, III. Idus Octobris, quæ etiam abſque judicibus ac ſenatu celebrata eſt, & primæ conjuncta in codicibus invenitur: propterea, ſicut exiſtimo, quia in actione prima judicatus erat idem Dioſcorus Epiſcopatus honore privandus, ut ejus condemnatio proxima ſequeretur. ceterum non ſola dierum prænotatio, verum etiam tenor ipſarum actionum, id eſt, ſecundæ ac tertiæ cum legitur, docet quod in codicibus tertia fuerit ſecundæ præpoſita. In qua tertia actione, quinquageſimo & quinto loco, Nonno, qui pro Iba ordinatus fuerat, ſubſcribente, atque dicente, Nonnus Epiſcopus civitatis Edeſſenæ ſubſcripſi; etiam ipſe Ibas centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo loco, ſicut invenimus, damnationi ejus ita ſubſcribit, Ibas Epiſcopus Edeſſenæ civitatis ſubſcripſi. deinde quarto conſeſſu, eodem conſulatu, ſexto decimo Calendas Novembris, centeſimum duodecimum Theodoretum Epiſcopum ſediſſe, & ſuper memorata epiſtola ſancti Leonis trigeſimo & octavo loco interlocutum fuiſſe reperimus, ubi ſcriptum „eſt, Theodoretus reverentiſſimus Epiſcopus Cyr-
* 231 „ri dixit: Concinit epiſtola ſanctiſſimi * Epiſcopi domini Leonis fidei a ſanctis & beatiſſimis patribus in Nicæa expoſitæ, & ſymbolo fidei in Conſtantinopoli dictato a centum & quinquaginta, & epiſtolis beati Cyrilli. De quinta vero actione, quæ fuit eodem conſulatu, undecimo Calendas Novembris, in qua prius expoſitio fidei recitata eſt, atque ad Imperatorem relata, ut poſtea ſubſcriptionibus omnium firmaretur, nihil probare poſſumus: quia & ſubſcriptio dilata eſt, quemadmodum dixi, & in ipſa relatio-

A ne, qua narratur quibus conſidentibus eadem expoſitio fidei relecta eſt, denominatis ibi legatis Romanis, & aliis quinquaginta duobus Epiſcopis, dicitur, conſidentibus illis, & reliqua ſancta & univerſali ſynodo, tacetur autem de nominibus ceterorum. In actione vero ſexta, eodem conſulatu, VIII. Calendas novembris, in qua præſens fuit & Imperator, & omnes definitioni fidei ſubſcripſerunt, anathematizantes Neſtorium & Eutychem, & omnes contraria ſentientes, invenitur Nonnus ſediſſe vigeſimus octavus, ſubſcripſiſſe autem trigeſimus primus hoc modo, Nonnus Epiſcopus Edeſſenæ metropolis definiens
B ſubſcripſi. Ibas etiam quamvis, ut diximus, ſediſſe non relegatur, invenitur tamen ſubſcripſiſſe nonageſimus in his verbis, Ibas Epiſcopus Edeſſenus definiens ſubſcripſi. Sed & Theodoretus centeſimus vigeſimus ſeptimus ſediſſe, ſubſcripſiſſe autem centeſimus & trigeſimus tertius in eiſdem verbis, [a] Theodoretus Cyrri definiens ſubſcripſi. Quomodo igitur adverſus tantam rerum evidentiam fautores hæreticorum mentiri non puduit, ut dicerent Theodoretum Epiſcopum, niſi poſt definitionem fidei non interfuiſſe Concilio? Et tamen adhuc exiguunt in tot falſitatibus deprehenſi, ut eorum teſtimonio
C nunc condemnetur epiſtola, quam ante centum ferme annos univerſalis ſynodus approbavit. Quis dabit judicium juſtum, & non ipſi potius damnabuntur, qui talia confinxerunt? Aut quomodo admittentur, vel atteſtari, vel accuſare quemquam contra paternos canones, quos in tantis convincimus eſſe mendaces? Et ſi quis noluerit talibus aſſentiri mendaciis hæreticus appellatur, tanquam hæreticorum ſit nolle mentiri. His porro falſitatibus ſubſcribentes, & in talibus conſtituentes defenſionem ſynodi, quid pro illa poterimus Eutychianis reſpondere, cum manifeſta nos veritate convicerint? Aut quanta neceſſitate videbimur ad talia confugiſſe men-
D dacia, in quibus latendi nullus eſt locus, tanquam nihil remanſerit quod pro eadem ſancta ſynodo veraciter reſpondere poſſimus? Non ergo nobis perſuadebunt qui Eutychianorum calumnias ſimulatorie refellendo corroborant, ut dicamus, quod non ante ſynodum ingreſſus eſt Theodoretus, quam de Eutyche & Dioſcoro factum eſt judicium, & expoſitio fidei terminata. Hæc enim ſi cum illis dicamus, proculdubio convincimur, nec evitamus hæreticorum calumnias, ſed magis magiſque firmamus. Sciant ergo nos intel-
E ligere, qui nobis talia perſuadere nituntur, quod nimis familiariter inimicitias cum Eutychianis exerceant. Verum eſt, non interfuerit Theodoretus, ſicut nec Ibas, Calchedonenſis definitioni concilii: hæccine dicenda erant, ut oſtenderemus epiſtolam venerabilis Ibæ, non ad decreta ipſius Concilii pertinere, quia poſt fidei definitionem, de illa judicatum eſt? Sic igitur etiam canones Eccleſiaſticæ diſciplinæ, qui utiliter ibi ſunt poſt * definitionem conſtituti, non ad eamdem * 232
ſynodum pertinere dicentur. Et utinam docerent, cui ſynodo illos debeamus adſcribere, ſi ea quæ a Calchedonenſi concilio geſta ſunt, Calchedonen-

---

a *Theodoretus Cyrri*) In actis Synodi Θεοδώρητος ἐπίσκοπος Κύρυ ὁρίσας ὑπέγραψα. Syriæ Euphrateſiæ urbem, cui præfuit Theodoretus, alii Cyrrhum Κύῤῥον vocant, ut Plinius. Ptolomæus, Stephanus. alii Cyrum Κύρον, quomodo apud Theodoretum ipſum paſſim, Procopium de ædificiis, & Hieroclem in Synecdemo, ubi ejus provinciæ urbes recenſentur, Ἱεράπολις, Κύρος, Σαμόσατα, & reliquæ. Eodem modo cives vel κυρησταὶ, vel κυῤῥησταὶ a ſcriptoribus appellantur, & in nummis antiquis Antoninorum ac Philipporum legere eſt. Διὸς καταιβάτου κυῤῥηστῶν, κυρηστῶν ſeu κυρεστῶν, cum templo vel ſimulacro Jovis catabatæ, qui in ea urbe colebatur,

* (229) *reverentiſſimis Epiſcopis*.
* (230) *mutantem*.
* (231) *Archiepiſcopi*.
* (232) *definitionem fidei*.

ſis

A ſis concilii non ſunt. Deinde quomodo contraria, & ſemetipſa deſtruente aſſertione, illa ſynodus excuſetur? Nam qui nos in ejus purgationem voluernnt dicere, quod nemo reſpicere debeat ea quæ ante perfectum judicium a quibuſdam forſitan dicta ſunt, ſed quæ in ultimo
* 233 ordine definita; ipſi contra * nunc ſuadent, ut per hoc ſynodum defendamus, quia poſt definitionem de illa ſit epiſtola judicatum, ut nos poſtea, non tantum rei oſtenſione, verum etiam ipſius noſtræ aſſertionis contrarietate convincant. At non ita nos ratio deficit ad defendendam ſynodum ſuper Ibæ epiſtola, ut inde illam contra Eutychianorum calumnias inaniter excuſari velimus, unde contra Neſtorianos excuſari non valeat.
B Nam ſi ob hoc definitio fidei, quæ in illa ſynodo facta eſt, contra Eutychianorum calumnias defendatur, quia propter quod accuſati fuerant Theodoretus & Ibas, ut Neſtorii dogma ſuſcipientes, non evocati ſunt, ut ante ſederent cum ſancta ſynodo: ob hoc contra Neſtorianorum calumnias defendi non poterit, quod Anatolius Conſtantinopolitanus, qui ante Antiochenum priorem illic ſibi locum uſurpaverat, & ipſe Maximus Antiochenus, & Juvenalis Hieroſolymitanus ibi ſederunt, qui vel dogmate, vel communione Eutychianorum polluti ante fuerant. Nam & venerabilis Anatolius, ejecto pro vera fide ab Eutychianis beato Flaviano, & ſanctus Maxi-
C mus ſimiliter pro Domno Epiſcopo ab eis fuerat ordinatus, & Juvenalis in ipſum dogma Eutychianum lapſus, ab Eccleſia erat excluſus: quod & literæ beati Leonis, & aliorum ſcriptorum monumenta declarant. Non ergo ſic velimus fidei, quæ in illa ſynodo firmata eſt, conſtituta defendere, ut ea dicamus, quæ nos quidem nihil contra Eutychianos, ſed Neſtorianos contra Eccleſiam plurimum juvant. Numquid vero tantum valere poſſunt, ad inclinandum in ſuam ſententiam Concilium Theodoretus & Ibas, quantum Conſtantinopolitanus, &
D Antiochenus, atque Hieroſolymitanus Epiſcopi, qui primi poſt legatos apoſtolicæ ſedis ibi ſederunt, ut de aliis quamplurimis taceam, qui per impotentiam Dioſcori in adfirmationem dogmatis Eutychiani ſubacti prius fuerant. aut tantus labor eſt nobis Calchedonenſe concilium adverſus Eutychianos ſuper Ibæ epiſtola defendere, quantus nobis eſt contra Neſtorianos, non ſolum pro perſonis multorum omnino Epiſcoporum, qui fuerunt in illo Concilio, verum etiam pro interlocutione ſancti Anatolii Conſtantinopolitani Antiſtitis, " quem Dioſcorus confirmatorem Eutychiani dogmatis, & catholicæ

" ſ qui Dioſcorum.

fidei oppreſſorem in illo Concilio dixit, [a] non pro fide fuiſſe damnatum! Unde nobis Neſtoriani dicunt, Quomodo illam ſynodum recepiſtis, in qua non ſolum multi, ſed etiam potiore loco ſederunt Epiſcopi, qui & ab Eutychianis ordinati ſunt, & Eutychis atque Dioſcori dogma ſecuti probantur? Aut quomodo aſſeritis eam pro damnanda Eutychis atque Dioſcori perfidia congregatam, cum ibi Conſtantinopolitanus Anatolius perfidiam Dioſcori, quæ communis illi cum Eutyche fuerat, approbavit, pronuntians eum non pro fide damnatum? Si autem nos iſta Neſtorianorum non commovent, multo minus illa Eutychianorum poterunt commovere. Facile eſt enim, ut ipſis quoque Neſtorianis oſtendamus, quoniam tale eſt ut dicant nullius eſſe auctoritatis, quod reſipiſcentes a præſumptione Dioſcori patres, qui cum aliis Calchedona convenerant, definierunt: quale ſi dicatur, etiam Petri Apoſtoli doctrinam, quam de Chriſto cum aliis Apoſtolis prædicavit, nullius eſſe auctoritatis, quod Chriſtum aliquando negaverit, aut quod reprehenſus fuerit a Paulo, cum non recte ambulans ad veritatem Evangelii gentes judaizare compelleret. Quale eſt etiam, ſi Sabelliani dicere velint, ideo ſe non ſuſcipere Eccleſiæ de Trinitate doctrinam, quoniam [b] multo plures Epiſcopi, quam qui in ſecunda non dicenda ſynodo Epheſina convenerant, apud Ariminum in Arrianum dogma fuerant ſubacti, opprimente Conſtantio. Sicut ergo Sabellianis dicimus, quod non propterea ſugienda ſit Eccleſiæ de Trinitate confeſſio, quia in Ariminenſe concilio multi Arriano dogmati cohibentes, tres diverſas ejuſdem ſanctæ Trinitatis mentiti ſunt eſſe naturas: ita Neſtorianis quoque dicimus, quod non propterea fugienda ſit Calchedonenſis ſynodi de una Chriſti, id eſt, Dei hominiſque ſubſiſtentia ſancta confeſſio, quia prius opprimente Dioſcoro, multi cedentes Eutychiano dogmati, unam ejuſdem ſubſiſtentiæ mentiti ſunt eſſe naturam. Aut quia Græcos, quamvis non omnes, immo comparatione omnium pauciores, in Dioſcori ſententia lapſos fuiſſe cauſantur, ſequantur tantorum ſententiam Latinorum, qui cum non poſſint ab eis, de conſenſu Eutychis aut Dioſcori, vel cujuſlibet alterius accuſari, ipſam tamen habent de incarnatione Chriſti ſententiam, quam Calchedonenſe concilium ſtatuit. De interlocutione quoque ſancti Anatolii, quam ſuper Dioſcori perſona protulit, reſpondimus, quia non ad hæreſis crimen pertinere dicendum eſt, aliqua parte cum Dioſcoro bene ſenſiſſe. Non enim ipſam perfidiam Dioſcori ſanctus Anatolius approbavit,

a *Non pro fide damnatum*) Nicolaus I. epiſtola VIII. ad Michaelem Imp. Dioſcorum ait idcirco potiſſimum fuiſſe damnatum, quia excommunicationem adverſus Leonem Papam dictare præſumpſerat. *Abſque omni controverſia*, inquit, *hoc in eo ulti ſunt, quia cum eſſet inferior, potiorem quibuslibet conatus eſt inceſſere contumeliis, teſte Anatolio Conſtantinopolitano Præſule, qui dicit, Propter fidem non eſt damnatus Dioſcorus, ſed quia excommunicationem fecit domino Archiepiſcopo Leoni*. Non quod obſcurum eſſet Dioſcorum in Eutychis hæreſi fuiſſe, quam aperte defenderat: ſed quia, ut legati ſedis Apoſtolicæ ſententiam in eum Actione III. proferentes diſſerunt, ignoſci ei poterat, ſicut ceteris Epiſcopis, qui illo duce peccarant, niſi ſecundis exceſſibus, ac præſertim excommunicatione illa in Leonem, priora crimina cumulaſſet. Sed Anatolii aliud fuit, ut Facundo placet, de Dioſcori fide judicium.

b *Multo plures Epiſcopi*) Pſeudoſynodi Epheſinæ λῃςρικῆς, ut ex actis patet quæ apud Calchedonem recitata ſunt, Epiſcopi fuere non plures quam CXXX. In Ariminenſi, teſte Athanaſio libro de Synodis, ſupra quadringentos numerati ſunt. ἦσαν δ' ἐν αὐτῇ ἐπίσκοποι υ', καὶ πλεῖον. Quo loco interpres ν pro υ legens, quinquaginta reddidit pro quadringentis. Nam de numero alii etiam conſentiunt, ut Sulpitius Severus lib. II. Hiſtoriæ, *acciti aut inacti quadringenti & aliquando amplius Occidentales Epiſcopi*. Quod ſi Severo credimus, qui Arianos in his ſcribit fuiſſe non amplius quam octoginta, reliquum eſt, ut orthodoxi fuerint ſupra trecentos, duplo videlicet, quam in Epheſina II.

* (233) *iterum*.

ſed eum potius ab ipſa perfidia fieri voluit excuſatum. **A** Aliud eſt enim, ideo hæreticum excuſare, quod catolicus putetur, & aliud ipſam hæreſem approbare atque defendere: quemadmodum aliud eſt, ideo accuſare catholicum quod hæreticus putetur, & aliud ipſam improbare ac reprehendere catholicam fidem. Nam poteſt caſtitatis approbator atque dilector, non approbata fornicatione, fornicatorem, dum in perſona fallitur, approbare; & non improbata caſtitate, caſtum dum in perſona ſimiliter fallitur, improbare. Poſtremo quod promptiſſime concedunt, ſicut non ideo Eutychiani ſui dogmatis **B** crimine defenduntur, quia putantes antiquos patres id crediddiſſe, quod ipſi peſſime credunt, approbant eos, quorum fidem impugnant: ita non ideo ſancto Anatolio Eutychiani dogmatis crimen impingendum eſt, quod Dioſcorum vel putavit, vel excuſavit, quaſi a culpa Eutychiani dogmatis alienum, cum ipſum dogma Eutychianum conſutaverit, atque damnaverit.

CAP. IV. Verum quia & hoc ſatis apparuit, quoniam vel ſi, ut fictum eſt, Theodoretus atque Ibas Epiſcopi non intereſſent ante definitionem Calchedonenſi concilio, non ex eo fuerat excuſandum: **C** illud etiam diſquiramus, quale ſit, quod dicentes ad Romanam Eccleſiam definitionem tantum fidei, non etiam geſta concilii Calchedonenſis fuiſſe perlata, ex hoc volunt efficere, ut credamus quod in ipſa tantum fidei definitione beatus Leo ſynodi Calchedonenſis decreta firmaverit, & nos quoque memoratam epiſtolam venerabilis Ibæ damnemus: cum ille dicat, quemadmodum ſecundo libro jam memoravimus, „Et fraterna univerſitas, & omnium fidelium „corda cognoſcant, me non ſolum per fratres, „qui vicem meam executi ſunt, ſed etiam per **D** „approbationem geſtorum ſynodalium, propriam „vobiſcum uniſſe ſententiam. Non ergo ſolam fidei definitionem, ſed ipſa geſta ſynodalia ſe pronuntiat approbaſſe. Illud vero quod ex quibuſnam beati Leonis epiſtolis, ad deceptionem facilium, ſicut alia decerpentes, aiunt eum dixiſſe, quod ad extinguendam ſolam hæreſem, & ad confirmandam Catholicam fidem, Calchedonenſe concilium fuerit congregatum, & quæcumque talia in ejus literis invenimus, ut etiam ex hoc quos potuerint in condemnationem epiſtolæ hujus adducant, tanquam ab ipſo non fuerit **E** approbata; non propter hoc quod ab eo dictum eſt, ab iſtis aſſumitur. Et idcirco nos, cur hoc & quomodo dixerit, oſtendamus. Anatolius quippe Conſtantinopolitanus Epiſcopus, quia ſicut memoravimus, priore quam Maximus Antiochenus loco in eadem ſynodo conſedere præſumpſerat: ob hanc cauſam beatus Leo, ſcribens ad ipſum Anatolium, dixit: „Doleo etiam in hoc *Epiſt.* 53. „dilectionem tuam eſſe prolapſam, ut ſacratiſſimas „Nicænorum canonum conſtitutiones coneris confringere, tamquam opportune ſe tibi hoc tempus obtulerit, quo ſecundi honoris privilegium „ſedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Eccleſia proprietatem tertiæ dignitatis amiſerit, ut „his locis juri tuo ſubditis, omnes metropolitani „Epiſcopi proprio honore priventur. Quibus inauditis, & nunquam ante tentatis, ita præveniris exceſſibus, ut ſanctam ſynodum, ad extinguendam ſolam hæreſem, & ad confirmationem fidei catholicæ, ſtudio Chriſtianiſſimi principis congregatam, in occaſionem ambitus trahas, & ut cohibentiam ſuam tibi dedat impellas. Non ergo ex his, atque hujuſmodi, quæ vel ad ipſum Anatolium, vel ad alios contra ipſum Anatolium beatiſſimus Leo ſcripſit, putemus ab eo Concilii ſententiam reprobatam, quæ ſuper epiſtola Ibæ prolata eſt. Quoniam idcirco ait ſanctam ſynodum ad extinguendam ſolam hæreſim, & ad confirmatiouem fidei catholicæ, ſtudio chriſtianiſſimi principis congregatam, ut ea quæ pro ambitione Conſtantinopolitani Epiſcopi fuerant uſurpata diſſolveret, quod in aliis quoque ſcriptis ejus multo amplius apparebit. Alioquin evacuaſſe dicitur cetera quæ in illa ſynodo geſta ſunt: qui eidem quoque ſanctæ ſynodi apud Calchedonem habitæ cum ſimilia ſcripſiſſet, ut intentionem dictorum ſuorum omnibus aperiret, intulit atque ait: „De cuſtodiendis quoque ſanctorum patrum ſtatutis quæ in ſynodo Nicæna inviolabilibus ſunt fixa decretis, obſervantiam veſtræ ſanctitatis admoneo, ut jura Eccleſiarum, ſicut ab illis * trecentis x. & VIII. patribus divinitus inſpiratis ſunt ordinata, permaneant. Nihil alienum * improbe concupiſcat, nec per alterius imminutionem ſuum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim extortis * aſſentationibus ſe inſtruat vanitatis elatio, & appetitus ſuos Conciliorum æſtimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quicquid a prædictorum patrum canonibus diſcreparit, quorum regulis Apoſtolica ſedes quam reverentiſſime utatur. ſcriptorum meo rum, quibus Conſtantinopolitani Antiſtitis conatus repuli, poterit ſanctitas veſtra lectione cognoſcere me, auxiliante Deo noſtro, & catholicæ fidei, & paternarum conſtitutionum eſſe cuſtodem." *Epiſt.* 61. * 234 * 235 * *Iſid. Merc. aſſenſionibus.* Ecce etiam in hac epiſtola, quam beatus Leo ad ſanctam ſynodum ſcripſit, nihil aliud ſibi, in eadem ſynodo diſplicuiſſe pronuntiat, niſi quod Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus priore quam Antiochenus loco ſedere præſumpſit. Si quo minus, non ſolam ſententiam ſuper epiſtola Ibæ prolatam culpaſſe dicetur, ſed etiam quod eidem reverentiſſimo Ibæ Epiſcopatus eſt redditus, omneſque canones, quos illic ſancti patres utiliter ſtatuerunt de obſervantia Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quam ejus inimicus Leo impugnaſſe firmabitur, & cætera, quæ ſpecialiter de quibuſque perſonis ibi decreta ſunt, infregiſſe. Aut ſi hoc palam de beato Leone dicere non præſumunt, intelligant nobiſcum, quia cum de his tantum duobus in Calchedonenſi conſilio geſtis Conſtantinopolitano Epiſcopo ſcriberet, id eſt, de fidei cauſa, pro qua ipſum Concilium fuerat congregatum, & de ſuperba ejus elatione, dixit, Ut ſanctam ſynodum ad extinguendam ſolam hæreſim, & ad confirmationem fidei catholicæ, ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam, in occaſionem ambitus trahas & quæque ſimilia in ejus inveniuntur epiſtolis. Duo ſola quæ diximus in his verbis dijudicans, de quibus fecerat mentionem, non etiam cetera, quæ ibi ſunt geſta. Sicut Apoſtolus ad Philippenſes de Timotheo ſcri-

* (234) *trecentis decem & ſeptem*.
* (235) *improbe ambitus concupiſcat*, in editione Queſnellii epiſt. 87. *improbus ambitus*.

Philip. 2. 19. bens ait : *Spero autem in dominum Jeſum Timotheum cito mittere ad vos: ut & ego bono animo ſim cognitis quæ circa vos ſunt . Neminem enim habeo unanimem qui ſyncera affectione pro vobis ſollicitus ſit . Omnes enim ſua quærunt , non quæ ſunt Jeſu Chriſti* . Non in Titum & Lucam, non in Epaphroditum & Marcum, non in ceteros ſermonem intendens , de quibus in
Philip. 4. 2. eadem epiſtola dicit : *Evodiam rogo , & Syntychen deprecor , idipſum ſapere in Domino . Etiam rogo & te , germane compar , adjuva illas quæ mecum laboraverunt in evangelio , cum Clemente , & ceteris adjutoribus meis , quorum nomina ſunt in libro vitæ* . ſed in illos potius,
B
Philip. 2. 3. de quibus ibi ait : *Videte canes , videte malos operarios , videte conciſionem* . His itaque ſolis conſerens Timotheum , dixit , Neminem enim habeo unanimem, qui in ſyncera affectione pro vobis ſollicitus ſit : & eos tantum attendit, ut diceret , omnes enim ſua quærunt , non quæ ſunt Chriſti Jeſu . Denique cum de ipſo beato
* 236
Philip. 2. 22. Timotheo loquens diceret: * *Experimentum autem ejus cognoſcens , quoniam ſicut patri filius mecum ſervivit in Evangelio . Hunc igitur ſpero me mittere : mox ut videro quæ circa me ſunt . Confido autem in Domino, quoniam & ipſe*
C
Ibid. 25. *cito veniam ad vos:* ibi ſecutus adjecit , *Neceſſarium autem exiſtimavi Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum , & miniſtrum neceſſitatis meæ , mittere ad vos . quoniam quidem omnes vos deſiderabat , & mœſtus erat , propterea quod audiſtis illum infirmatum . Nam infirmatus eſt uſque ad mortem : ſed Deus miſertus eſt ejus . Non ſolum autem ejus , verum etiam mei, ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem. Feſtinantius ergo miſi illum , ut viſo eo iterum gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim. Excipite itaque illum cum gaudio in Domino , & hujuſmodi cum honore habetote . quoniam propter opus*
D
Chriſti uſque ad mortem acceſſit , tradens animam ſuam , ut impleret id quod vobis deerat erga meum obſequium . Nunquid hunc Epaphroditum Philippenſium Apoſtolum , & alios ejus ſanctos in Evangelio adjutores , ſermo Pauli attendebat Apoſtoli dicentis , Neminem enim habeo unanimem , qui ſyncera affectione pro vobis ſollicitus ſit . omnes enim ſua quærunt , non quæ ſunt Chriſti Jeſu . & non potius illos , de quibus ſupra jam diximus ? An unanimis * Epaphroditus non fuiſſe perhibetur, quo
E
* 237 ab infirmitate revocato , ſibi quoque Deum miſertum dicit , ne de illo triſtitiam ſuper triſtitiam haberet ? An pro Philippenſibus non erat ſanctus Epaphroditus ſyncera affectione ſollicitus , quos videre deſiderabat , & propter quorum de ſua infirmitate mœſtitiam mœſtus erat, eo quod audierint illum infirmatum ; & qui propter opus Chriſti uſque ad mortem acceſſerat, tradens animam ſuam ut impleret id quod ei deerat erga obſequium Pauli ? Unde etiam merito eis commendavit , ut hujuſmodi cum honore haberent. Ut igitur Paulus Apoſtolus Philippenſibus de Timotheo ſcribens , non Titum & Lucam , non Epaphroditum & Marcum non ceteros ſuos adjutores , quorum nomina ſunt in

A libro vitæ , attendit quum diceret , Neminem habeo unanimem , qui ſyncera affectione pro vobis ſollicitus ſit. omnes enim ſuam quærunt, non quæ ſunt Chriſti Jeſu . ſed illos potius , de quibus ab eo dictum eſt , videte canes , videte malos operarios , videte conciſionem: ita etiam beatiſſimus Leo ſcribens , non ſententiam ſuper epiſtolam Ibæ prolatam , neque Epiſcopatum prædicto Ibæ redditum , & cetera , quæ in ſynodo Calchedonenſi de quibuſdam perſonis decreta ſunt , neque canones Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſalubriter illic a ſanctis patribus conſtitutos attendit , cum diceret , Ut ſanctam
B ſynodum ad extinguendam ſolum hæreſim , & ad confirmationem fidei catholicæ ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam, in occaſionem ambitus trahas * & his ſimilia : ſed ſuperbam potius elationem Conſtantinopolitani Epiſcopi , ſicut ipſa verba ejus indicant. Nam nec aliud invenitur in eiſdem ſuis epiſtolis arguiſſe. * 238
Sic nobis intelligenda ſunt verba Romani Leonis , ſic Apoſtolicorum ſcriptorum exemplis aſſerenda ſunt ſedis Apoſtolicæ ſcripta ; ſi volumus omnes canones utiliter a ſanctis patribus in eadem ſynodo conſtitutos , & cetera quæ in ſpecialibus quorumcumque cauſis ibi firmata ſunt,
C in majorem, quam nunc patimur , conturbationem Eccleſiæ commovere . Quis autem de Beato Leone dicere audeat , quoniam ſi Neſtoriana eſſet epiſtola , quam ſynodus approbavit , poſthabita blaſphemia , qua Chriſtus negatur Deus eſſe quod eſt , de hoc tantummodo cauſaretur , quod in illa ſynodo unus Epiſcopus non loco ſuo conſederit ? Igitur aut hoc ſolum peccatum eſt , quod in ſynodo Calchedonenſi beatus Leo ſibi diſplicuiſſe non tacuit : aut ſi & aliud eſſe dicitur, minus profecto eſt eo peccato, quod Epiſcopus Conſtantinopolitanus admiſit . cæterum nunquam Leo poſſet , relicta hæreſis cauſa , de unius Epiſcopi ſeſſione cauſa-
D ri . Oſtendatur autem nobis ; ubicumque Beatus Leo dixit non omnia ſe quæ in illa ſynodo acta ſunt confirmare , quod ipſius ſynodi ſententiam ſuper epiſtola Ibæ deteſtetur , ac non potius Conſtantinopolitani Epiſcopi ambitionem caſtiget atque coerceat : & ipſo purgato , ſola ſynodus crimini ſubjacebit , ſi vere Neſtoriana eſt , quam approbavit epiſtola . Nam & Maximo Epiſt. 62.
Antiocheno ſcribens idem Beatus Leo, cui prædictus Conſtantinopolitanus Anatolius dignitatem tertiæ ſedis auferre tentaverat, hoc quod
E aſſerimus manifeſtum omnibus facit : qui poſt multa , quæ & acceptabili ratione , & increpatione vehementi , ſuper eadem præſumptione locutus eſt, epiſtolam ita concludit . “Quicquid enim præter ſpeciales cauſas ſynodalium Conciliorum ad examen Epiſcopale defertur , poteſt aliquam dijudicandi habere rationem , ſi nihil de eo eſt a ſanctis patribus apud Nicæam definitum . Nam quod ab illorum regulis & conſtitutione diſcordat , Apoſtolicæ ſedis nunquam poterit obtinere conſenſum . Quanta vero * diligentia cuſtodiatur a nobis , exemplaribus ejus epiſtolæ , quam ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum refrænantes ipſius cupiditatem direximus, inſtrueris : quam in omnium fratrum &

* in edit. S. Leon. hoc inſeritur.

* (236) *cognoſcetis* in editione latina . *cognoſcite* juxta fidem græci textus , γνώσετε .

* (237) *Epaphroditus non fuit , quem miniſtrum neceſſitatis ſuæ fuiſſe perhibet , quo &c.*

* (238) *& ut cohibentiam* (leg. *conniventiam*) *ſuam tibi dedat , impellas , & his ſimilia .*

„ conſacerdotum noſtrorum facies notitiam perve-
„ nire; ut noverint pacem Eccleſiaſticam per con-
„ cordiam Deo placitam debere ſervari. Illud quo-
„ que dilectionem tuam convenit præcavere, ut
„ præter eos, qui ſunt Domini ſacerdotes, nullus
„ ſibi docendi & prædicandi jus audeat vindicare,
„ ſive ille monachus, ſive ille laicus, qui alicujus
„ ſcientiæ nomine glorietur. Quia etſi optandum
„ eſt, ut omnes Eccleſiæ filii quæ recta & ſana
„ ſunt ſapiant, non tamen permittendum eſt, ut
„ quiſquam extra ſacerdotalem ordinem conſtitu-
„ tus, gradum ſibi prædicatoris aſſumat: cum in
„ Eccleſia Dei omnia ordinata eſſe conveniat, ut
„ in uno Chriſti corpore, & excellentiora membra
„ ſuum officium impleant, & inferiora ſuperioribus
„ non reſultent. Manifeſta ſunt quantum puto,
nec ullo quæ memoravimus egent interprete, ut
intelligi queat, quod ea contra Conſtantinopoli-
tani Epiſcopi ambitionem, non contra ſenten-
tiam ſuper epiſtolam Ibæ prolatam, beatus Leo
Epiſt. 74. & 75. dixerit. Nam ſimiliter ſcribens etiam Martiano
Principi, & Pulcheriæ Auguſtæ, quas epiſtolas
memorare perlongum eſt, non de alia cauſa con-
queritur. Verum quod pejus eſt, & illa pro qui-
bus dicta ſunt nullus obſervare dignatur: & in-
ſuper, quæ alia ſunt intentione conſcripta, in
præjudicium fidei ſæva interpretatione vertuntur.
Contradicit autem nobiſcum Papa Gelaſius, me-
lior & acceptabilior dictorum ſui prædeceſſoris in-
terpres, qui ſcribens univerſis Epiſcopis per Dar-
daniam conſtitutis, ea quæ memoravimus, non
ad deſtructionem ſententiæ ſuper epiſtola Ibæ pro-
latæ, ſed ad coercendam Conſtantinopolitani E-
piſcopi præſumptionem, a B. Leone ſcripta eſſe
„ confirmat. Sic enim dicit: Sicut quamvis parva
„ civitas prærogativam præſentis regni non minuit,
„ ſic imperialis præſentia menſuram diſpenſationis
„ religioſæ non mutat. Sit clara urbs illa poteſta-
** ſ. eodem.* „ te præſentis imperii, religio ſub * eadem tunc
„ firma, tunc libera, tunc provecta conſiſtit, ſi
„ potius hoc præſente propriam teneat ſine ulla
„ perturbatione menſuram. Poſtremo ſi ſibi de Im-
„ peratoris præſentia blandiuntur, & inde putant
„ Conſtantinopolitanæ civitatis Epiſcopi potiorem
„ fieri poſſe perſonam, audiant Martianum ejuſ-
„ dem principem civitatis, poſteaquam pro aug-
„ mento urbis ipſius ſacerdotis interceſſor acce-
„ dens, contra regulas obtinere nihil potuit, ſan-
„ ctæ memoriæ Papam Leonem ſummis laudibus
„ proſecutum, quod canonum regulas violari nul-
** In Concil. Rom. ſub Bonifacio ann. 530.* „ la fuerit ratione perpeſſus. Audiant * Anato-
„ lium ejuſdem ſedis Antiſtitem, clerum potius
„ Conſtantinopolitanum, quam ſe, tentaſſe talia
„ confitentem, atque in Apoſtolici præſulis totum
„ dicentem poſitum poteſtate. ipſumque beatum
„ Papam Leonem, ſedis Apoſtolicæ præſulem, cujus
„ ſynodus Calchedonenſis auctoritate firmata eſt,
„ quicquid ultra quam ab eodem pro fide & com-
„ munione catholica atque Apoſtolica illic agen-
„ dum conſtaret eſſe delegatum, per occaſionem
„ congregationis illius, præter Nicænos canones
„ nova videretur actione tentatum, competenti
„ reſutatione vacuaſſe. Numquid ſapiens Gelaſius
deceſſorem ſuum B. Leonem pro ſententia ſyno-
di ſuper epiſtola venerabilis Ibæ, ac non potius,
ut diximus, pro ambitione Conſtantinopolitani
Epiſcopi dixiſſe quæ memoravimus intellexit?
Nam quare pro Ibæ epiſtola ibi ſubjungeret di-
A cens, Per occaſionem congregationis illius, præ-
ter Nicænos canones nova videtur actione ten-
tatum. Nullus igitur * conetur ejus verba in a- * 239
liam detorquere ſententiam: quoniam hoc nec
ipſa rerum evidentia, nec Gelaſius verax per-
mittit interpres. & ideo ſinamus Apoſtolicam
ſedem interpretari ſemetipſam, & quare illa ſu-
periora per Leonem prius dixerit, ex his quæ
poſtea per Gelaſium locuta eſt, prudentius ad-
vertamus. Eſt & alia ejuſdem B. Gelaſii epiſto-
la, per quam ſimiliter devii horum ſcriptorum
Leonis interpretes reſellantur. ſed judicavimus
hanc * unam ſolam cauſæ ſufficere. Verum eſto, * 240
ſemotis his omnibus, putetur Leo Romanis, ad
deſtruendam ſynodi ſuper epiſtola Ibæ ſenten-
B tiam, illa dixiſſe. Quomodo ergo hinc ſynodus
excuſabitur, quæ & recepiſſe illam epiſtolam,
quod falſe negatum eſt, & non debuiſſe recipe-
re Leone reprehendente convincitur? Quocirca
ſi ita accipiantur hujuſmodi verba quæ profe-
runtur B. Leonis, proculdubio non repellendæ
accuſationi ſynodi, ſed confirmandæ proficient:
& ſi Neſtoriana illa dicitur epiſtola, B. quidem
Leo fortaſſis, uti jam dictum eſt, a Neſtoriano
crimine defendetur: ſed plane ſynodus Calche- * 241
donenſis ipſo teſte damnabitur; * atque vide-
buntur hæretici Eutychiani non immerito ſe a
C noſtra communione ſubtraxiſſe: ſi tamen ipſi
jam dicentur hæretici, qui etiam Leone teſte,
comprobabunt quod Neſtoriana * ſit ſynodus, * 242
quæ in confeſſione ſacrificii nominatur. Videa-
mus tamen, quomodo vel ipſe B. Leo poterit
excuſari, cum de ipſo quoque nobis fuerit di-
ctum, cur non promptis & evidentibus verbis
tantum crimen arguit? cur non aperte ac ma-
nifeſte ſententiam ſynodi Neſtorianam epiſtolam
approbantis infregit? cur quod ab ejus primum
legatis nuntiatum eſt in præjudicium fidei, non * 243
ita * ſedes Apoſtolica auctoritate ac ſeveritate
damnavit, ut hinc Eccleſia poſtmodum non poſ-
ſit ambigere, niſi quia non vera conſcientia,
ſed fallaciter & nomine tenus abdicavit Neſto-
D rium, præjudicio Cæleſtini deceſſoris ſui præven-
tus? Alioquin ejus dogma etiam in Ibæ epiſtola
reſutaret. Increpat evidenter, atque condemnat, * 244
tam vehementibus quam prolixis, * ſed & mul-
tis epiſtolis, non ſolum prædicto Anatolio ſcri-
bens, verum etiam univerſæ ſynodo, & Maxi-
mo Antiocheno, ipſiſque principibus, quod in il-
lo Concilio unus Epiſcopus non ſuo loco ſedere
præſumpſit, atque ſibi diſplicuiſſe in omnium ſa-
cerdotum notitiam præferri demandat; & de ſy-
nodi ſententia, qua Neſtoriana epiſtola approba-
ta eſt, tacet atque diſſimulat, vel ſi non tacet,
ut dicitis, nihil tamen aperte, nihil loquitur e-
E videnter. Nempe hoc eſt, quod in Scribis, & *Matth. 23. 23*
Phariſæis hypocritis Dominus arguit mentam &
anethum & cyminum decimare, & quæ ſunt gra-
viora legis, & fidem relinquere. Nempe hoc eſt,
quod in ipſis ducibus cæcis ſimiliter objurgat,
culicem colare, & camelum glutire. Et quid
contra referre, quid ad hæc vel pro Beato Leo-
ne reſpondere valebimus, cujus pro catholica
fide ſollicitudinem ac diligentiam, cujus labo-
rem & induſtriam, cujus libertatem, atque
conſtantiam, veſtra pietas optime novit, &
omnis Eccleſia prædicare non ceſſat? Sed Ne-
ſtoriana illa non eſt epiſtola. Nam proſe-

* (239) *fruſtra conetur.*
* (240) *etiam.*
* (241) *atque ita.*
* (242) *ſit illa Synodus.*
* (243) *Sedis Apoſtolica.*
* (244) deeſt τὸ *ſed.*

A ćto non eam neſcio quæ modo vulpecula emordicaret, ſed tunc Leo fortiſſimus invaſiſſet. Quomodo autem dicunt ſynodi ſuper epiſtola Ibæ ſententiam non eſſe a beato Leone firmatam,
* 245 * quam fatentur ea quæ ab illa ſunt de fide ſtatuta firmaſſe, cum in alia parte geſtorum, ex quibus eadem epiſtola recitata eſt, inveniatur quod ſcriptor ejus Ibas de Neſtoriana hæreſi fuerit accuſatus? Sic enim accuſatores ejus dixerunt: „Quia Neſtorianus eſt, & beatum Cyrillum „Epiſcopum hæreticum appellat. & rurſus ibidem „continetur, Maras dixit, De fide movemus prius, „& alia capitula poſt movemus. Reverentiſſimi „Epiſcopi dixerunt: Et ſi propoſuimus vobis, ut „horum trium capitulorum probatio ſubſequatur, B „non ex hoc inquiſitionem negavimus reliquo„rum. Maras dixit, De fide movemus prius. His ergo & hujuſmodi probatur, quod Epiſcopus Ibas de fide quam maxime fuerit accuſatus. Nam propterea contra eum memoratam epiſtolam protulerunt. Sed & ipſa epiſtola duas naturas, & unam perſonam unius filii domini Jeſu Chriſti prædicat: propter quod & ſynodus eam pronunciavit orthodoxam. quod verbum non proferret, ſi non eſſet ejus de fide ſententia. Verum non eſt quare hic amplius demoremur. Ipſi eam non dicant Neſtorianam. & non putetur ad cauſam fidei pertinere. Si autem Neſtoriana dicitur, de fide utique accuſatur: & quia C jam ſuſcepta dicitur a ſancta ſynodo, conſequenter & a beato Leone dicitur eſſe firmata, quem non negant ea quæ ibi de fide ſunt ſtatuta firmaſſe. Nam ſi & illud eis concedatur, quia præter fidei definitionem, cetera quæ in illa ſynodo geſta ſunt, nec confirmaverit, neque damnaverit: ſic quoque non potuerunt novæ diligentiæ repertores crimen temeritatis evadere, qui ſtatuere auſi ſunt, & dicere, Si quis dicit
* 246 rectam eſſe ad Marim * epiſtolam, aut eam defendit, & non anathematizat eam, anathema ſit. Nam eam Calchedonenſis ſynodus rectam dicit, Leo vel ſi non confirmat, non anathematizat eam. D Anathema igitur ab iſtis cum ſynodo Calchedonenſi factus eſt Leo.

CAP. V. SEd quia evidenti ac multiplici documentorum convictione monſtratum eſt, mendaciter negari, quod epiſtolam venerabilis Ibæ * ſynodus
* 247 pronuntiavit orthodoxam, & ſimul apparuit, quod eam nec beatus Leo Neſtorianam judicaverit, nam proculdubio etiam manifeſta ſententia vehementique damnaret: ſufficit nobis ad defenſionem ipſius epiſtolæ; quod eam tanta ſynodus, & ipſius auctor ſynodi, vir Apoſtolicus, & in doctrina veritatis toto orbe notiſſimus, E approbavit. Hæc eſt prima & immobilis ac ſecura noſtra ratio, quæ nos tuetur ac firmat adverſus omnes contradicentium quæſtiones: ut ſicut Apoſtolus dicit, non cito moveamur a noſtro ſenſu, neque terreamur, vel ſi minus hinc
1. Theſſ. 2. 2. poſſumus dare, ſive accipere rationem, cur ſynodus orthodoxam judicavit. Neque enim eſt alia Conciliorum faciendorum utilitas, quam ut quod intellectu non capimus, ex auctoritate credamus, & ſicubi ratio minus nobis occurrerit, ſides ne labamur cito ſuccurrat. Nam ſi * poſt a decretum diſceptare licuerit, ut dicatur, prius probetur epiſtola illa quod recta ſit, ut credatur fuiſſe ſuſcepta: non eſt quare jam Concilia congregentur, nec terminatæ, immo nec terminabiles dicantur quæſtiones, quarum probatio ſemper exigitur. Cur enim non dicatur ſimiliter, probetur prius, quod unius eſſentiæ ſint pater ac filius, ut credatur hoc Nicæno concilio terminatum: & quia conſubſtantialis eſt patri ac filio Spiritus ſanctus, quia non aliter credi poteſt quod hoc ſynodus Conſtantinopolitana decreverit. Atque ita quæſtionibus univerſis in antiquo ſtatu manentibus, non ſolum nihil ſynodorum conſtitutionibus abſolutum eſſe videbitur, ſed etiam ad perpetuandas lites quæſtionum in eis memoria reſervata. Et ideo non idem modus eſſe debet, atque ordo quærendi, poſt definitionem Concilii totius Eccleſiæ conſenſione firmati, qui fuit ante definitionem. Tunc enim ratio poſcebat, ut ſi orthodoxa probaretur illa epiſtola, ſuſcipienda judicaretur a ſynodo. nunc autem ratio poſcit, ut ſi ſuſcepta probetur a ſynodo, judicetur orthodoxa. Hanc obſervantiam tenentibus, nihil nobis prævalebit hæreticorum calliditas, ſi judicare non præſumamus, quod intelligere non valemus. Quanquam nonnihil * intelleximus. intelleximus enim hæreti- * 248
corum fraudes, erroreſque convincimus. Non ergo parum eſt, quod veraciter dedocemus errorem, etſi plenam docere non poſſumus veritatem. Ad Hieremiam Dominus dicit: *Ecce dedi verba mea in os tuum, & conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna, eradicare & effodere, & diſperdere, & reædificare, & replantare.* Hier. 10.
Jubetur itaque propheta prius eradicare & effodere, & diſperdere errores atque mendacia, & reædificare & plantare ſcientiam & veritatem. Hoc perfectum eſt opus, & iſte prædicatoris eſt finis: quem ſi non valemus attingere, certum eſt tamen nos aliquid incepiſſe. Nam eradicavimus, & effodimus, & diſperdidimus quod eradicandum & effodiendum & diſperdendum fuit: & ſi minus poſſumus etiam reædificare & replantare, melioribus hoc reſervemus; & ſimus interea patrum auctoritate contenti. Sed dicit aliquis, Et numquid Eutychianis auctoritatem ſynodi Calchedonenſis objecturus es, ut ex eo Neſtorianam non eſſe convincas epiſtolam venerabilis Ibæ, quod eam orthodoxam judicavit: cum inde potius illi memoratam ſynodum, velut Neſtorianam, quod eam receperit, criminentur? Ubi primum reſpondeo, quoniam Eutychianis in hoc debitor non ſum. Non enim me rationis ordo permittit, ut eis reſpondeam, cur ita patres noſtri ſuper epiſtola venerabilis Ibæ decreverint. Prius eſt enim, ut fateantur nobiſcum, quod etiam Concilio Epheſino firmatum docuimus, dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in duabus naturis eſſe credendum, de quo eſt inter nos atque illos principalis diſſenſio; & ita demum facti amici, rationem ſibi dari poſtulent paterni judicii. Si autem inimici permanent, & præcepta Dei contemnunt, ſanctis patrum definitionibus reſiſtentes, deſpiciendi ac repellendi ſunt, quoniam importune quærunt illius cauſæ per nos

a *Poſt decretum diſceptare*) Synodi cujuſque, ut eſt apud Athanaſium in Apologia II. inconcuſſa eſt auctoritas, & injuriam Synodo facit, qui rem judicatam iterum examinat. *ἀσάλευτον ἔχει τὴν ἰσχὺν ἑκάστη σύνοδος. καὶ ἀτιμάζεται κρίνας, ἐὰν παρ᾽ ἑτέρων ἡ κρίσις ἐργάζηται.* Quam in ſenteniam plura iterum Facundus lib. XII. cap. II.

* (245) *quem*, ſcilicet Leonem.
* (246) *impiam epiſtolam.*
* (247) *Calchedonenſis Synodus.*
* (248) *intellexerimus.*

adipiſci notitiam , quam ſolis amicis deberi in
Joan. 15. 14. Evangelio Dominus dicit. *Vos* , inquit , *amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis . Jam non dico vos ſervos: quia ſervus neſcit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a patre meo, nota feci vobis.* Non ergo debetur peccati ſervis & præcepta Dei ſpernentibus, paterni conſilii ratio; vel ſi a nobis eam importune atque præpoſtere ſibi flagitent
1. Pet. 3. 15. dari. Sic enim nos Petrus Apoſtolus paratos eſſe jubet, ad reſpondendum omni poſcenti nos rationem de fide & ſpe quæ in nobis eſt , ut ad
Coloſ. 4. 6. ipſum pertineat apparatum, quod Paulus coapoſtolus ejus monet, ut ſciamus quomodo oporteat nos unicuique reſpondere . Scientes igitur quomodo oporteat nos unicuique reſpondere , dicimus, ut prius illi nobiſcum de confeſſione duarum naturarum Chriſti conveniant, quæ aut ſola, aut maxima diſſenſionis eſt cauſa : & tunc reſidua, reſervato ordine, requirentur. Nam manente inter nos illa quæſtione, quis non aut ſuperfluum aut præpoſterum judicet, ſi cum illis de ſynodi ſuper epiſtola Ibæ ſententia diſputemus? Hinc beatus Leo, cum legatos expetitos Augu-
Epiſt. 78. 1 ſto Leoni directurum ſe promitteret, ait : Præ-
» noſcat igitur pietas tua, venerabilis Imperator,
» hos quos ſpondeo dirigendos, non ad confligen-
» dum cum hoſtibus fidei, nec ad certandum con-
» tra ullos a ſede Apoſtolica profecturos: quia de
» rebus & apud Nicæam , & apud Calchedo-
» nem, ſicut Deo placuit, definitis, nullum aude-
» mus inire tractatum, tanquam dubia, vel infir-
» ma ſint , quæ tanta per ſpiritum ſanctum fixit
» auctoritas. Inſtructioni autem parvulorum noſtro-
» rum, qui poſt lactis alimoniam, cibo deſiderant
» ſolidiore ſatiari, miniſterii noſtri præſidium non
» negamus : & ſicut ſimpliciores non ſpernimus ,
» ita a rebellibus hæreticis abſtinemus , memores
Matth. 7. 6. » præcepti Dominici dicentis : *Nolite ſanctum*
» *dare canibus* , *neque miſeritis margaritas veſtras*
» *ante porcos* . Nimis quippe indignum, nimiſque
» injuſtum eſt , eos ad libertatem diſceptationis
» admitti, quos ſignificat ſpiritus ſanctus per pro-
Pſal. 17. 46. » phetam dicens: *Filii alieni mentiti ſunt mihi*. Qui
» etiamſi Evangelio non reſiſterent, de illis tamen
» ſe eſſe monſtrarent , de quibus ſcriptum eſt :
Tit. 1. 16. » *Deum ſe profitentur ſcire , factis autem negant*.
Hac igitur beati Leonis auctoritate noſtra ratio confirmatur, quod diſputare nos cum Eutychianis de ſententia ſuper epiſtola Ibæ prolata nullus ordo permittat . Deinde quomodo vel ipſi nobiſcum quærunt contendere, & accuſare ſanctam ſynodum, quod ſuſceperit epiſtolam , quæ incongruam de beato Cyrillo ſuſpicionem ſui conſcriptoris continet , niſi prius falſam eſſe

A confiteantur eamdem ſuſpicionem Ibæ , qua putavit beatum Cyrillum in duabus Chriſtum negaſſe naturis ? Tunc enim poterunt de injuſta reprehenſione B. Cyrilli illam epiſtolam criminari, tunc merito de ipſius injuriis queri , ſi non & ipſi cum prædicto Iba dicant , quod unam Chriſti prædicaverit eſſe naturam. Alioquin eumdem reverentiſſimum Ibam de reprehenſione falſa culpare non poterunt : niſi forte nobis perſuadeant , & beatum Cyrillum unam Chriſti ex divinitate & humanitate compoſitam prædicaſſe naturam , & orthodoxum Ibam hoc non debuiſſe culpare, quod omnis Eccleſia confitetur eſſe culpabile . Cernis igitur , religioſe Prin-
B ceps , ad hujus epiſtolæ defenſionem ſufficere nobis in præſenti tempore , quod eam probavimus orthodoxam a ſynodo judicatam, nec a B. Leone, ſicut fingebatur , expulſam , ſed potius cum omnibus quæ ibi ſunt de fide ſtatuta firmatam. Quam ob rem ſufficit nobis , ut dictum eſt, horum ſola probatio. Siquidem neque catholicus quiſquam poteſt tantæ ſynodi auctoritati reſiſtere : neque nos ratio ſinit cum Eutychianis , nedum inter nos , principali quæſtione finita, de ſententia ſuper epiſtola Ibæ prolata confligere. maxime quia conqueri de injuria B. Cyrilli non * poterunt , quam ad invidiam magnæ *249
ſynodi dolere ſe fingunt, niſi prius eum fateantur in duabus Chriſtum prædicaſſe naturis . Ve-
C rum his quæ dicenda fuerant ſufficienter, ut arbitror, explicatis, & ab hujus epiſtolæ diſcuſſione longe repulſis hæreticis : quia per ſurreptiones eorum multa vitia ſunt eidem epiſtolæ falſe atque fallaciter imputata: hac neceſſitate compulſus, inſtructioni parvulorum noſtrorum, ne ſcandalizentur in talibus, non quaſi grandis ut Leo, ſed inter illos grandiuſculus, * miniſterii, quo- *250
niam & hoc ipſe beatus Leo conceſſit, non nego quantulumcunque præſidium. ſub hac conditione duntaxat , ut non in mea , quam redditurus ſum, ratione meritum cauſæ conſtituam , quam profecto pervides terminatam, ſed potius in auctoritate magnæ ſynodi, quam inter hæretico-
D rum fluctus, ac turbines , ſicut ancoram habemus animæ tutam & firmam . Huic ergo nos devotione atque obedientia religantes, objecta primum oblatrantibus mole paternæ ſententiæ , quam ſuper epiſtola ſæpe dicta prolatam docuimus, in quodam placidiſſimo fidei portu cauſæ rationem vel inveniendam quæramus, vel oſtendamus inventam: ut quod fide creditur , etiam intelligentia cognoſcatur, non poſſe juſte reprehendi magnam ſynodum, quoniam eam judicavit orthodoxam. quod in hujus operis diviſione, ultimo loco nos promiſimus oſtenſuros.

* (249) *poterunt*.

* (250) *miniſtri mei*.

FACUNDI EPISCOPI HERMIANENSIS, PRO DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM, LIBER SEXTUS.

CAP. I. AGe nunc illud etiam, quod ſupereſt, probare incipimus, & oſtendere quam indigne de ſententia ſuper epiſtola venerabilis Ibæ prolata Calchedonenſis ſynodus accuſetur. Namque cum eamdem magnam ſynodum prædictus Ibas Epiſcopus adiret, conquerens ac deplorans injuſtitiam ſe ab Eutyche & falſa crimina per-
a tuliſſe, atque [a] in Epheſina ſecunda ſynodo non dicenda abſentem & innoxium, ſicut idoneorum documentorum teſtificatio demonſtrabat, ſub Dioſcoro, Eutychis atque Eutychiani dogmatis defenſore, fuiſſe damnatum, & in quadraginta manſiones per diverſas diſtractum provincias, viginti & amplius carceres mutaſ-
* 251 ſe. * Hæc acclamantibus Epiſcopis, & dicentibus, Abſentem nemo condemnat: male fecerunt qui eum præter canones damnaverunt. quæ adverſus abſentem facta ſunt evacuentur. hæc omnes dicimus, nemo condemnat abſentem. Poſtea Theophilus diaconus, qui inter alios ipſius venerabilis Ibæ adverſarius exiſtebat, contra protulit geſta, quibus cum eo fuerant
* 252 apud Photium, * & Euſtachium, atque Uranium Epiſcopos, ex delegatos Theodoſii principis altercati: eorum ſe lectione promittens oſtendere, quod non injuria condemnatus fuerit. In quo Photii & Euſtachii atque Uranii judicio jactaverant accuſatores, memoratum Epiſcopum Ibam ſe probaturos Neſtorianum. idque conficere nitebantur ex epiſtola, quam aliquando ſcripſerat ad Marim aliquem Perſam: eo quod in illa videretur de beato Cyrillo, Neſtorii damnatore, aliter quam res habuit pro ſuſpicione ſua locutus, quæ illi, ſicut primo libro docuimus, communis erat cum Orientalibus aliarumque provinciarum Epiſcopis. Quemadmodum vero in ipſo Photii & Euſtachii, Uraniique judicio, pro eadem ſua epiſtola Neſtorianus judicari non potuit, quoniam hæc fieri non ſinebat fidei recta confeſſio, quæ ibidem continetur: ita nec apud magnam ſynodum condemnatus eſt, cum ibi ex eiſdem geſtis, ab ejus adverſario prolatis, ſupradicta relegeretur epiſtola, ſed ex ejus eſt magis tenore purgatus. Nam ſic duas naturas in ea confeſſus eſt, quod Eutychianos offendit, unde & condemnari eam quæſierunt: ut etiam, quod Neſtorianos impu-
* 253 gnat, unam * confiteatur eſſe perſonam, quod
A eſt unus filius dominus Jeſus Chriſtus. Porro Eutychiani, volentes ejuſdem ſanctæ ſynodi auctoritatem infringere, ſimulant injuriam ſe dolere beati Cyrilli, & hinc eam culpabilem dicunt, quod prædictam epiſtolam pronunciavit orthodoxam. Addunt & alia in reprehenſionem ipſius epiſtolæ, quæ nec ipſi accuſatores Ibæ, quamvis calumnioſi ac pertinaces, in tantis quæ ſunt experti judiciis, aliquando aut alicubi objeciſſe monſtrantur, nec erubeſcunt impudentiores toties refutatis accuſatoribus inveniri. Nam illi hoc ſolum prædicto Ibæ Epiſcopo ex memorata ejus epiſtola objecerunt, volentes eum Ne-
B ſtorianum videri, quod in ea beato Cyrillo Neſtorii condemnatori detraxerit: ceterorum vero, quæ iſti nunc adjiciunt, nec qualemcumque mentionem facere præſumpſerunt. quæ nos, omni tenore propoſito ipſius epiſtolæ, ex ordine refellemus. Sed videtur nobis, quod prius breviter quædam dicere debeamus de hoc, quo jactatur vituperationem beati Cyrilli ſynodus approbaſſe, & de quo illam maxime ac principaliter adverſarii criminantes, vel ſcandalizant, vel ſi hoc non poſſunt, exagitant minus inſtructos. quorum aliqui, licet eamdem ſanctam ſynodum pro ſuæ fidei pietate ac devotione defendant,
C tamen quia dare non poſſunt exitum quæſtioni, perſuadentibus hæreticorum fautoribus, aſſerunt non ab ea fuiſſe ſuſceptam. Nos autem evidentis mendacii & ab adverſariis miniſtrari ſuffragium pudet: quod ſi evidens non fuiſſet, indignum eſſe debuit Chriſtianæ conſcientiæ mendaciter defendere veritatem. Habet enim ſuas aſſertiones veritas, non a mendacio mutuatas, quibus teſtimonio conſcientiæ non repugnet, & invicta permanens adverſariorum calumnias frangat: quas ſiquis invenire non poteſt, tacere potius eligat, quam mentiri, & ſola ſit decretorum auctoritate contentus. Nam ſi nos hære-
D tici viderint in rebus perſpicuis ſuo uti mendacio, quales nos in aliis putabunt, quæ videntur obſcura? Et ideo jam, religioſe Imperator, attendequam fortiter calumnias hæreticorum & ſine ulla difficultate diſſolvam, exempla proferens divinæ ſcripturæ, quomodo a majore & meliore parte de multis ſoleat ferre ſententiam. cujus formam ſicuti in omnibus ſancta ſynodus Calchedonenſis ſecuta eſt, ut epiſtolam venerabilis Ibæ,

---

a *In Epheſina ſecunda*) De hæreſi Neſtoriana inſimulatus a clericis Edeſſenis Ibas primum fuit apud Proclum Conſtantinopolitanum, cujus extant literæ, quibus certiorem de re tota facit Joannem Antiochenum. Mortuo Joanne, delatus iterum eſt a clericis ad Domnum Joannis ſucceſſorem, & eum ab eo ſuſcepti non eſſent, ad Flavianum, qui Proclo in urbe regia ſucceſſerat. Datique de Flaviani conſenſu a Theodoſio Ibæ judices Epiſcopi Photius & Euſtathius, cum Uranio, duplici apud Tyrum & apud Berytum cognitione Ibam abſolverunt. Poſthæc in nefaria Synodo Epheſina II. Eutychis factione damnatus abſens atque Epiſcopatu dejectus eſt. Qua de re eum apud Synodum Calchedonenſem expoſtulaſſet, Synodus approbatis, ut ante dictum, Tyriis ac Berytenſibus geſtis, Epheſiniſque repudiatis, priſtinum ei gradum reſtituit in Actione x.

* (251) *Ad hæc*.
* (252) *& Euſtacium*, vel *Euſtathium*.
* (253) *confiteretur*.

quamvis de beato Cyrillo aliter quam res ha-
buit ſuſpicantis, tamen pro vera fidei confeſſio-
* 254 ne, quam de Chriſto * tenet, orthodoxam ju-
dicaret. Sic Regem Juda Aſa, quem ſcimus non
in parvis nec in paucis fuiſſe culpatum, eadem
ſcriptura laudavit: cujus quæ fuerint culpæ prius
memorare debemus, ac deinde quomodo ab ea
fuerit prædicatus. Primum itaque dicitur, quia
3. Reg. 15. 14. illi commune cum multis regibus fuit, quia non
deſtruxit excelſa: in quibus licet Domino ſa-
crificaretur, contra ejus tamen præceptum fie-
bat, quia in templo ſibi ſacrificari præceperat.
Ibid. 18. Deinde quia dato argento & auro, quod inven-
tum eſt in theſauris domus Domini, & in the-
ſauris domus regis, contra Baſa regem Iſrael, re-
gis Syriæ male quæſivit auxilium. unde eum &
increpavit Anania propheta, dicens quod inſi-
2. Par. 16. 7. pienter egerit confiſus in regem Syriæ, & non
in dominum Deum ſuum. Inſuper quia & ip-
ſum Ananiam prophetam, propter quod eum
arguerat, indignatus tradidit in cuſtodiam ner-
Ibid. 12. vi. Poſtremo de illo ſcriptura dicit: *Et infir-
matus eſt Aſa in anno trigeſimo & nono regni
ſui dolore pedum vehementi; verum neque in æ-
grotatione ſua quæſivit Dominum, ſed medicos*. In
quo non propterea credimus eſſe culpatum, quod
ordinatum a Deo medicorum ſolatium requiſi-
vit: ſed quia ſic in illorum arte confiſus eſt,
ut ipſorum potius, quam Dei per ipſos, expe-
ctaret auxilium. Cum igitur in his inveniatur
eſſe culpabilis, quoniam tamen a cultura Do-
mini non receſſit, neque idolis gentium deſervi-
vit, magis autem, ſicut ſcriptum eſt, abſtulit
omnes adinventiones, quas fecerant patres ejus,
* & Maacham matrem ſuam a cultura luci re-
* 255 movit, ipſumque ſuccidit lucum, atque ſuccen-
dit in torrente Cedron, ſic eum ſcriptura divi-
na laudavit, ut diceret: *Fecit Aſa quod rectum*
3. Reg. 15. 11. *eſt in conſpectu Domini, ſicut David pater ejus*. Ac
ne forte dicatur, quod ejus priora laudaverit, &
poſtea fuerit depravatus, accipe quid de illo ite-
Ibid. 14. rum eadem ſcriptura pronuntiet: *Verumtamen*,
inquit, *cor Aſa erat perfectum cum Domino om-
nibus diebus ſuis*. Et utique omnibus diebus ſuis
non diceretur, ſi ab eo in quo fuerat laudatus
aliquando recederet. Proinde cum Dei ſcriptu-
ra regem Aſa, in tantis culpabilem, ſic propter
culturam unius veri Dei laudaverit, ut eum
compararet atque conferret ſancto regi David,
ac pronuntiaret, quod eſſet cor ejus perfectum
cum Domino omnibus diebus ejus; quomodo re-
ligioſus quiſquam reprehendere audeat ſynodum
Calchedonenſem, quod conſuetudinem ſcripturæ
divinæ formamque cuſtodiens, venerabilis Ibæ E-
piſtolam, confitentem duas naturas & unam
Chriſti eſſe perſonam, quod maxime ad cultu-
ram Dei pertinet, pronuntiavit orthodoxam.
contemnens quod ejus conſcriptor de beato Cy-
rillo aliter quam res habuit fuerat ſuſpicatus,
& hæc attendere, vel cujuſcumque momenti
pendere, quum de fide Chriſtiana eſt quæſtio,
ſuperfluum ducens: ſicut ipſe quoque beatus
* 256 Cyrillus ſuperfluum duxit, quum * ſcriberet O-
rientalibus per Paulum Emeſenum Epiſcopum,
„dicens: Quoniam vero ſuperflua & importuna
„Eccleſiarum diviſio facta eſt, nunc maxime ſa-
„tisfactum eſt nobis, domino meo reverentiſſimo

Paulo chartam proferente, habentem irrepreben- “
ſibilem fidei confeſſionem. Cum igitur & ipſe B. “
Cyrillus, rectam fuiſſe cognoſcens Orientalium
fidem, pro falſa ſuſpicione, quam de illo habue-
runt, non eos judicavit hæreticos, quia nec de-
buit: quomodo ſancta Calchedonenſis ſynodus
non eidem B. Cyrillo contraria videretur, ſi pro
ipſa ſuſpicione falſa atque ſuperflua, veram &
neceſſariam de Chriſto fidem, quæ in illa epiſto-
la continetur, non pronuntiaret orthodoxam?
Putaverat autem reverentiſſimus Ibas Epiſcopus,
quod idem B. Cyrillus directa ſibi ab Orienta-
libus confeſſione, non communem fidem in ea
cognoverit, ſed proprium errorem correxit. Quod
neque nos, neque ſancta Calchedonenſis ſynodus
approbavit, ubi dictum eſt, Dudum quidem ex “
relectis innoxius demonſtratus eſt reverentiſſimus “
Ibas. In quibus etenim viſus eſt culpare male “
loquens beatiſſimum Cyrillum, in poſterioribus “
recte confeſſus reſpuit illa quibus culpaverat. “
Verum non pro iſta de B. Cyrillo ſuſpicione il-
la epiſtola quaſi Neſtoriana fuerat abdicanda;
quoniam longe alterius erroris, & ſummæ in
Chriſtum impietatis, hoc nomen eſt. Conſcrip-
tor autem ipſius epiſtolæ non catholicam fidem,
quam vere habuit Cyrillus, quæque culpanda
non eſt, ſed ipſum Cyrillum culpavit, æſtimans
eum immoderate reſiſtendo Neſtorii dogmati,
in contrarium Apollinaris dogma per ignoran-
tiam lapſum. Hæc duo ſi diſcriminemus, Ne-
ſtorianam non dicimus epiſtolam, quam ſynodus
catholicam dixit. quoniam aliud eſt cum de hu-
juſmodi perſona falſe aliquid creditur: aliud ve-
ro, quum de ipſo Chriſtianæ fidei fundamento
male ſentitur. Niſi forte quis dicat, quod pro
injuria B. Cyrilli damnare ſynodus debuit rectam
fidem ipſius Cyrilli, quam epiſtola illa confeſſa
eſt, aut eam non approbare, cum divina ſcrip-
tura, ſicut oſtendimus, Aſa Regem Juda cum
tanta laude prætulerit; quaſi amplioris ſit cri-
minis lapſum putaſſe Cyrillum Epiſcopum, quam
prophetam, ut alia omittam, de peccato ar-
guentem, in nervi cuſtodiam tradidiſſe: Accipe
autem jam & aliud exemplum, quod ſine men-
dacio defendimus ſynodi ſuper epiſtola Ibæ ſen-
tentiam. Nam Joſaphat regem quoque ſimiliter * 257
Juda, filium prædicti Aſa, * meminimus inter 2. Par. 20. 33
alios reges excelſa non ſuſtuliſſe, ſicut etiam
patrem ejus. Deinde affinitate junctum Achab 2. Par. 18. 1
regi profano Iſrael, qui etiam in auxilium ejuſ-
dem Achab, poſthabito Dei ſermone, quem an-
te per Micheam prophetam ei annuntiaverat,
contra regem Syriæ fruſtra præliatus eſt. Prop-
ter quod, interempto in eodem prælio memora-
to Achab, objurgatus eſt idem Joſaphat, Jeu
filio Anania propheta dicente, *Si peccatorem il-* 2. Par. 19. 2
*lum adjuviſti, & eorum qui oderunt Dominum
amicus es: in hoc ſuper te ira a facie Domini*.
Poſtremo pro ſocietate Regis Achab * increpa-
tus, etiam cum Ochozia ſimiliter profano rege * 258
Iſrael, quique patri Achab in regno ſimul & in
omni abominatione ſucceſſerat, idem Joſaphat
amicitiam junxit. Unde & Helıezer, filius Do-
diau prophetæ, eum redarguit dicens, *Pro eo* 2. Par. 20. 37
*quod communicaſti cum Ochozia, confregit Domi-
nus opera tua*. Et in tantis etiam iſte repre-
henſus atque culpatus, tamen quia ſolum Deum

* (254) *continet*.
* (255) *& Ana matrem ſuam &c.* Aſæ mater appellatur *Ana* in græca verſione τῶν lxx. *Maacha* autem in textu hebræo, & vulgata editione.

* (256) *reſcriberet*.
* (257) *invenimus*.
* (258) *increpatus eſt etiam*.

coluit

colnit, & reliquias ſimulacrorum, quæ reman- A
ſerant in diebus patris ejus, ſuſtulit de terra,
Ibid. 32. ſic a divina ſcriptura laudatur : *Et ingreſſus eſt Joſaphat in via Aſa patris ſui, & non declinavit ab ea, faciendo quod rectum eſt in conſpectu Domini.* Si igitur regem quoque Joſaphat,
quem in tantis erraſſe cognoſcimus, & non ſolum a prophetis increpatum, verumetiam poſt
denuntiationem ipſos contempſiſſe prophetas,
pro Dei veri cultura, quia non divertit ut adoraret Deos alienos, ſancta ſcriptura perhibuit
non declinaſſe ab eo quod rectum eſt in conſpectu
Domini : quomodo ſynodus Calchedonenſis non
profane culpatur, quod morem ſcripturæ divinæ cuſtodiens, epiſtolam venerabilis Ibæ,
B quamvis de beato Cyrillo aliter ſuſpicantis, pro
veræ fidei confeſſione, quam continet, in qua
recte colitur Deus, pronuntiavit orthodoxam ?
An forte levior culpa eſt amicitia & affinitate
profanis fuiſſe conjunctum, & prophetas miſſos a
Domino contempſiſſe, quam de Cyrillo Epiſcopo falſum aliquid æſtimaſſe ? Sed jam tertium,
quod extremum quoque erit, proferamus exemplum, quomodo, ſicut diximus, a majore & meliore parte ſcriptura divina de multis ſoleat ferre
ſententiam ; cujus formam ſancta ſynodus ſecuta eſt, ut venerabilis Ibæ epiſtolam approbaret. Nam de rege quoque Ezechia ſic eadem C
2. Par. 32. 24. ſcriptura narravit : *In diebus illis infirmatus eſt Ezechias uſque ad mortem.* & oravit ad Dominum, & exaudivit eum, & dedit illi ſignum,
& non juxta retributionem, quam tribuit illi,
repræſentavit Ezechias. ſed exaltatum eſt cor
ejus, & fuit ſuper illum ira, & ſuper Juda, &
* 259 ſuper * Iſrael. Propter quod Eſaias in eum pro-
4. Reg. 20. 17. phetavit dicens : *Ecce dies veniunt, dicit Do-*
Iſa. 39. 6. *minus, & auferentur omnia quæ ſunt in domo tua, & quæcumque recondiderunt patres tui uſque in hunc diem, & in Babylonem introibunt, & non derelinquetur ſermo quem dixit Dominus; Ecce ex filiis tuis, qui procedent ex te, quos* D
generabis, adducentur & erunt eunuchi in domo regis Babylonis, Cumque tanta eſſet cordis
ejus elatio, ut hanc ultionem graviſſimam de
juſtitia Dei reciperet, eadem ſcriptura de illo
4. Reg. 18. 3. ſic dicit : *Fecit quod rectum eſt in conſpectu*
2. Par. 29. 2. *Domini ſecundum omnia quæ fecit David pater*
4. Reg. 18. 5. *ſuus.* Et iterum : *Hic in domino Deo Iſrael ſperavit, & poſt eum non fuit ei ſimilis quiſquam in Regibus Juda, & in bis qui fuerunt ante ipſum. & adhæſit Domino, nec receſſit ab ipſo, & cuſtodivit mandata ejus, quæcumque mandavit Moyſi, & erat Dominus cum ipſo in omnibus.* Quomodo igitur illum, quem ſic commemoravit, ut filii quoque ejus in captivitatem
E adducti, in domo regis Babylonis eunuchi ſervirent, ſic divina ſcriptura laudavit ? Ut enim
non attendamus quod de illo dixit, Et fecit
quod rectum eſt in conſpectu Domini, ſecundum
omnia quæ fecit David pater ſuus: rurſumque,
Hic in domino Deo Iſael ſperavit, & poſt
eum non fuit ei ſimilis quiſquam in regibus
Juda, & in his qui fuerunt ante ipſum : quomodo de illo dictum eſt, adhæſit Domino,
nec receſſit ab ipſo, & cuſtodivit mandata ejus, quæcumque mandavit Dominus Moyſi ?
An forte dicitur elatio cordis ejus, quæ ſic Domino diſplicuit, adhæſiſſe Domino, nec receſſiſſe ab eo, & cuſtodiſſe mandata ejus, quæcumque mandavit Dominus, cum ſit omnis initium
peccati ſuperbia ? Quid ita dicemus, niſi quia
in his verbis hoc intelligi voluit Dei ſcriptura,
quod non ſicut alii reges Deos gentium adoravit Ezechias, neque ab unius Dei veri cultura diſceſſit : ſed obſervavit quæcumque de
hac mandavit Dominus Moyſi, & quemadmo-
dum ſcriptum eſt : *Deſtruxit excelſa, & com-* 4. Reg. 18. 4.
minuit omnia ſimulacra ; & abſcidit lucos, & comminuit ſerpentem illum æneum : quem fecit Moyſes, cui filii Iſrael ad illud tempus ſacrificabant. Secundum hoc ergo dictus eſt adhæſiſſe Domino nec receſſiſſe ab eo & cuſtodiſſe omnia mandata ejus, quæcumque mandavit Dominus Moyſi, non ſecundum illam cordis elationem, pro qua tam grandem meruit iram divini judicii.

UNde ſancta illa quoque ſynodus, formam CAP. II.
canonicæ ſcripturæ in ſua ſententia non excedens, ſecundum duarum naturarum in una
Chriſti perſona catholicam & generalem confeſſionem, non ſecundum privatam ſuſpicionem,
quam de B. Cyrillo cum aliis Ibas habuit, e- a
jus epiſtolam [a] pronuntiavit orthodoxam : hoc
ipſo vocabulo, quod ea orthodoxam nuncupavit, oſtendens fidei ſe confeſſionem in illa probaſſe. Non enim laus beati Cyrilli, ſed vera fidei Chriſtianæ confeſſio, mereretur hoc nomen.
Alioquin Eutychianos dicimus quod ſint orthodoxi, qui B. Cyrillum magnificant, putantes
hoc eum ſenſiſſe quod ſentiunt : quod reverentiſſimus Ibas, licet non in beato Cyrillo debuerit,
vere tamen culpabile judicavit. At ſi nihil Eutychianos adjuvat laus beati Cyrilli, ut pro illa judicentur orthodoxi, ſed potius pro denegatione duarum Chriſti naturarum pronuntian-
tur hæretici ? * nihil gravare debuit de beato * 260
Cyrillo ſuſcipio, ut pro illa judicaretur hæretica, ſed potius pro confeſſione duarum Chriſti
naturarum in unitate perſonæ pronuntianda
fuit orthodoxa. Quocirca, ſicut conſequens non
eſt, ut quia prædictos Eutychianos pronuntia-
mus hæreticos, propterea * debeamus laudem * 261
in eis beati Cyrilli culpare : ita conſequens
non eſt, ut quia ſancta ſynodus epiſtolam venerabilis Ibæ pronuntiavit orthodoxam ; propterea videatur injuriam in ea beati Cyrilli probaſſe. At enim, dicit aliquis, ſi ergo non recipit
ſynodus Calchedonenſis injuria beati Cyrilli, cur
epiſtolam male de ipſo loquentem abſolute approbavit, & eam ſine ulla exceptione pronuntiavit
orthodoxam? Debuit enim dicere ; quod in quibuſdam erraverit. Oſtenditur equidem ex ſuperius memoraris, quod ob hoc auctorem ipſius epiſtolæ de iſto errore non arguit, quoniam in quibus erat viſus culpare male loquens beatiſſimum Cyrillum, in poſterioribus recte confeſſus ipſe jam reſpuerat illa quibus culpaverat. Verumtamen etſi
hoc ſententia ſynodi minime contineret ne-

a *Pronuntiavit orthodoxam*) Hoc etiam affirmat Liberatus cap. XIII. Quo autem ſenſu dicta ſit orthodoxa, explicat Vigilius in Conſtituto. Verum ex omnibus de Iba Epiſcoporum ſententiis, quæ leguntur in Synodo Calchedonenſi, tres omnino, quas Facundus ſuperiore libro recitavit, ejus ad Marim epiſtolæ meminerunt, atque in his duæ tantum orthodoxam pronunciarunt. Ideo Synodus V. ut eo loci obſervatum, non idem aliorum de illa judicium fuiſſe ſtatuens, eos redarguit, qui epiſtolam a Concilio ſuſceptam contendebant.

* (259) *Jeruſalem*. Conſonat Sacræ Scripturæ textus lib. 2. Paralip. cap. 32. 25.

* (260) *nihil gravare debuit epiſtolam Venerabilis Ibæ falſa de beato Cyrillo ſuſpicio &c.*

* (261) *videamur*,

„ firmaverunt ; & conſenſerunt eis , tanquam ve-
„ ræ fidei conſonantibus , omnes Orientales Epi-
„ ſcopi eumdem Cyrillum damnaverunt , & adver-
„ ſus alios Epiſcopos , qui conſenſerunt ejus capi-
„ tulis , excommunicationem decreverunt . & poſt
„ hanc perturbationem unuſquiſque in ſuam civi-
„ tatem reverſus eſt . Neſtorius autem quoniam
„ ſuæ civitati odio erat , & qui erant in ea ex-
„ cellentioribus , illo reverti non potuit . Et man-
„ ſit Orientale concilium non communicans his E-
„ piſcopis qui communicaverunt Cyrillo : & prop-
„ ter hoc multa triſtitia inter eos facta eſt , & in
„ contentione erant Epiſcopi adverſus Epiſcopos ,
„ & populi adverſus populos , & completum eſt
* 263 „ opere quod ſcriptum eſt , *Quia erunt inimici* * *do-*
Matth. 10. 36. „ *meſtici ejus* . Ex hoc detractiones multæ adver-
„ ſus nos factæ ſunt * paganorum . Non enim au-
* 264 „ debat aliquis de civitate ad civitatem , aut ad
„ provinciam de provincia proficiſci : ſed unuſquiſ-
„ que proximum ſuum ſicut inimicum perſequeba-
„ tur . Multi autem , ante oculos non habentes
„ Dei timorem , occaſione Eccleſiaſtici zeli , inimi-
„ citias , quas occultas in cordibus ſuis habebant ,
„ ad effectum perducere feſtinaverunt . Ex quibus
„ unus exiſtit [a] noſtræ civitatis tyrannus , quem
a „ nec tu ipſe ignoras , qui occaſione fidei , non
„ ſolum nunc viventes inſequitur , ſed & hos qui
„ olim ad Deum præceſſerunt . Quorum unus eſt
„ beatus Theodorus , præco veritatis & doctor Ec-
„ cleſiæ , qui non ſolum in ſua vita colaphizavit
„ hæreticos per veritatem ſuæ fidei , ſed & poſt
„ mortem ſpiritalia arma in libris propriis Eccle-
„ ſiæ filiis dereliquit : ſicut & tua reverentia ei-
„ dem collocuta cognovit , & ex his quæ conſcri-
„ pſit inſtructa eſt . * Hunc præſumpſit in Eccle-
* 265 „ ſia palam anathematizare , qui propter zelum
„ Dei non ſolum propriam civitatem ab errore ad
„ veritatem convertit , ſed & longe poſitas ſua do-
„ ctrina inſtruxit Eccleſias . Et de libris quidem
„ ejus multa ubique perſcrutatio fiebat . non quia
„ vera fide exiſterent alieni , vidi enim eum ad-
„ huc illo vivo frequenter codices ejus legentem :
„ ſed propter inimicitias latentes , quas adverſus
„ eum habuit , quoniam eum manifeſte convicit
„ in ſynodo . His ergo malis intercedentibus , &
„ unoquoque , ſicut ſcriptum eſt , proue volebat
„ diſcedente , Deus noſter adorandus , qui ſua ſem-
„ per clementia curam gerit Eccleſiæ , fideliſſimi
* 266 „ atque victoris principis cor rexit , * ut dirigeret
„ venerabilem atque ſanctiſſimum Archiepiſcopum
„ Orientis , dominum Joannem , ut reconciliare-
„ tur Cyrillo . ab eo enim fuerat Epiſcopatu de-
„ poſitus . Et poſtquam literas Imperatoris acce-
„ pit , ſanctiſſimum & reverendiſſimum Paulum E-
„ meſenum direxit Epiſcopum , ſcribens per eum
„ veram fidem , & præcipiens ei , quia ſi huic fi-
„ dei Cyrillus conſenſerit , & anathematizaverit eos ,
„ qui dicunt quia deitas paſſa eſt , vel dicentes
„ quia una natura eſt deitatis & humanitatis , ut
„ communicaret ei . Voluit autem Dominus , qui
„ ſemper curam ſuæ gerit Eccleſiæ , quam ſangui-
„ ne proprio redemit , cor Ægyptii emollire , ut
„ ſine ſatigatione fidei conſentiret , & hanc ſuſci-

A peret , atque omnes qui abſque hac crederent “
anathematizaret . & communicantibus illis ſibi “
invicem , contentio de medio eſt ablata , & pax “
in Eccleſia facta eſt : & non eſt in ea ſchiſma , “
ſed pax ſicut pridem eſt . Quæ autem verba ſint , “
quæ a ſanctiſſimo & reverentiſſimo Archiepiſco- “
po Joanne ſcripta ſunt , & quæ a Cyrillo re- “
ſcripta ſuſcepit , ipſas epiſtolas huic , quam ad “
veſtram direxi reverentiam , conjungens tranſ- “
miſi tuæ ſanctitati , ut relegens ſcias , & omni- “
bus noſtris fratribus amantibus pacem denunties , “
quia contentio jam quievit , & medius inimi- “
citiarum paries ablatus eſt , & qui ſeditioſe ad- “
verſus vivos & mortuos irruerant , in confuſio- “
B ne ſunt , pro ſuis ſatisfacientes exceſſibus , & “
contraria docent modo his quæ ante docuerant . “
Non enim quiſquam audet dicere unam eſſe na- “
turam divinitatis & humanitatis , ſed confiten- “
tur in templum & inhabitantem in eo , qui eſt “
unus filius Jeſus Chriſtus . Hæc autem ſcripſi “
tuæ ſanctitati ex magno affectu , quem circa “
te habeo , ſciens quia tua ſanctitas nocte & die “
in doctrina Dei temeipſum exerces , ut multis “
ſis utilis . Hic eſt integer illius epiſtolæ tenor , “
quam apud ſe recitatam , ſicut jam docuimus ,
magna ſynodus Calchedonenſis pronuntiavit or-
thodoxam . Aggrediar igitur in adjutorio Salva-
C toris , non ab his tantum ſententiam ipſius ſy-
nodi defendere , quæ ſcripto ab hæreticorum fau-
toribus in epiſtola ſupradicta culpata ſunt , &
in reprehenſionem memoratæ ſententiæ quaſi Ne-
ſtoriana damnata : verum etiam quæcumque pe-
tulantibus irreligioſorum verbis paſſim accuſari
cognovimus . Per hujus autem diffinitionis con-
textum , illud quoque , ubi opportunum fuerit ,
oſtendemus , quoniam ſi eandem epiſtolam ſy-
nodus judicaret hæreticam , hinc potius beatum
Cyrillum hæreticum fuiſſe firmaret , & excuſa-
ret Neſtorium , atque concilium reprehenderet
Epheſinum . Unde ea nunc , quæ ſcripto re-
D prehendenda eſſe * dixerunt , pro tenore atque
contextu quo ab illis ſunt poſita , ex eorum li- * 267
bro transferamus in noſtrum , ne quis nos exi-
ſtimet aliquid eorum quæ ad cauſam pertinent
omiſiſſe . Sic ergo dixerunt . Ingreſſi ſunt ac- “
cuſatores Ibæ , petiverunt & ipſi relegi quæ in “
Tyro de Iba accuſata ſunt apud Photium & “
Euſtachium Deum amantes . Et dum relegeren- “
tur acta inventa eſt in eis epiſtola quædam po- “
ſita , tanquam ab Iba facta ad Marim Perſam , “
omni impietate cumulata . Continet enim hæc : “
E Cyrillus volens Neſtorii libros deſtruere lapſus “
eſt , & in dogma Apollinaris inventus eſt inci- “
diſſe . Conſcripſit & ipſe ſimiliter illi , quia “
Deus verbum factus eſt homo . & poſt alia : “
Quomodo enim poteſt accipi , *in principio ver-* “
bum de templo nato ex Maria ? aut illud , *Mi-* “
nuiſti eum paulo minus ab Angelis , de deitate “
unigeniti dici ? Denuo , Cyrillus aures omnium “
pigmento , quod excæcat oculos ſapientum , præoc- “
cupavit , & de Epiſcopatu Neſtorium depoſue- “
runt , judicio & inquiſitione non facta . His ad- “
jicit , quia in damnatione Neſtorii quæ facta eſt

a *Noſtræ civitatis tyrannus*) Rabulam ſic appellat deceſſorem ſuum , qui anathema dixerat Theodoro , ut refert etiam Liberatus cap. x. Breviarii . Extat in Synodo v. Cyrilli Alexandrini epiſtola ad Rabulam Epiſcopum Edeſſæ , in qua eum laudat , quod hæreſim Neſtorianam a Theodoro Cillee ortam expulerit . & Rabulæ altera ad Cyrillum , in qua Theodorum ut Neſtoriani dogmatis auctorem ſugillat .

* (263) *hominis domeſtici ejus* .

* (264) *paganorum & hæreticorum* .

* (265) *Hunc præſumpſit , qui omnia præſumit , in Eccleſia &c.* Conſonat textus epiſtolæ Ibæ ad Marin Perſam *act.* 10. *Concilii Calched. & coll.* 6. *Concilii V. Oecumenici* .

* (266) *ut dirigeret virum magnum & in ſuo Palatio notum , qui cogeret Venerabilem &c.* Ita loco cit.

* (267) *duxerunt , ipſo tenore &c.*

Domino ſimiliter narrat , non eum cum Manichæis negaret filium eſſe David ? Nam ipſo teſtimonio abutentes Manichæi ſacramentum incarnationis ejus abjurant . [Marc. 12. 35.] *Reſpondens*, inquit, *Jeſus dicebat docens in templo, Quomodo dicunt ſcribæ Chriſtum filium eſſe David? Ipſe enim David dicit in Spiritu ſancto , Dixit dominus domino meo , ſede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum . Ipſe ergo David dicit eum dominum , & unde eſt filius ejus ?* Non igitur & hic talia dicendo, filium David , id eſt hominem ſe negavit, quod videtur ignaris: ſed indicavit potius quod neceſſarium fuit, Deum ſe eſſe David. Nam ſi neque Deus eſt, dicendo, *Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi unus Deus* : neque homo , dicendo , *ipſe ergo David dicit eum dominum , & unde eſt filius ejus* ? quid illum eſſe dicimus? Et alias hujuſmodi locutiones in divinis literis prudens lector inveniet : ſecundum quas qui ſic loquitur earum quiſque tractator, ut ipſe quoque negare videatur aliquid quod negandum non eſt , ut aliud quod magis eſt neceſſarium intimetur; ſic non eſt reprehendendus velut hæreticus , ſed ex aliis dictis ſuis potius æſtimandus, ſicut nec ipſas ſcripturas divinas in talibus reprehendere quiſquam catholicus audet, ſed potius ex aliis manifeſtioribus, quomodo ea quæ obſcura ſunt intelligere debeat, recognoſcit. Unde ſi B. Cyrillus * [271] Neſtorium quandam nefandam dualitatem conantem inducere , ne quam occaſionem daret ejus errori , ſermonem ſuum magis ad ea quæ unitatis ſunt coarctabat ; ſicut e contrario priores doctores Eccleſiæ reſpondentes Apollinari , naturarum diverſitatem ſtultiſſime confundenti, earum diſtinctionem amplius incumbebant : ſic ipſe Neſtoriano repugnans , putari non debuit negaſſe differentiam naturarum, quemadmodum nec illi repugnantes Apollinari , putandi ſunt unitatem negaſſe perſonæ. quia non idem ſemper eſt ordo pugnæ, vel modus: ſed in oppugnatore cauſa eſt , quomodo contraire debeat propugnator.

CAP. IV. HÆc autem dicta ſunt , non quod de Chriſto, ſed quod de ipſo beato Cyrillo venerabilis Ibas male crediderit : nec quod prædicatoris de Chriſtiana fide confeſſio , ſed quod hominis de homine ſuſpicio diſpliceat in ejus epiſtola . Cui enim poteſt catholico diſplicere differentia naturalis inter templum & inhabitantem in eo, cum Dei Eccleſia ſic confiteatur verbum carnem factum, ut non deneget, quod ibi ſubjunctum eſt, quia & habitavit in nobis ? Nam verbum quidem caro factum eſt, quia ſempiternus filius , qui verbum eſt patris, ipſe in plenitudine temporum factus eſt homo. habitavit autem in nobis, quia nullam converſionem ſuſtinuit inconvertibilis ejus divinitas; ſed manens quod erat, naturam inhabitavit aſſumptam . Et ideo, verbum caro factum eſt, Neſtorianos expugnat : Eutychianos autem, vel Apollinariſtas eorum progenitores , & habitavit in nobis . quia verbum caro factum eſt, unam ſignificat eſſe perſonam: habitavit autem in nobis , duas manſiſſe naturas. Non enim poſſunt duæ eſſe perſonæ, quando is qui verbum eſt, ipſe etiam factus eſt caro: aut duæ non eſſe naturæ, quando aliud ſit quod inhabitat , & aliud quod inhabitatur. Si quis autem non declinans in alterutram partem, ſine contentione rem quærat, inveniet quod tam ſanctorum Orientalium patrum, quamvis de beato Cyrillo male ſentirent, quam ipſius beati Cyrilli, eadem fuerit ſemper intentio, ut dominum unum Jeſum Chriſtum docerent in duabus naturis, id eſt, divinitate atque humanitate perfectum: ne aut propterea duæ perſonæ crederentur, quia duæ naturæ ſunt; aut propterea una crederetur eſſe natura, quia una perſona. Contigit autem nonnunquam inter unius ſententiæ viros, ut cum de rebus ipſis, quæ in quæſtione ſunt, idem ſapiunt, de ſe tamen invicem aliud ſuſpicentur, cum vel a dicente minus aperitur verbis, quod corde conceptum eſt , vel ab audientibus minus inſpicitur dicentis intentio. Diſcernenda eſt autem impietas, qua de Deo male creditur , ab ignorantia , qua quiſque aliter de ſuo proximo, tanquam homo de homine ſuſpicatur. Et, ſi forte videtur hominis de homine culpanda ſuſpicio, approbanda tamen eſt intentio, qua veritas fidei , quam de Chriſto habemus, aſſeritur. Hanc intentionem volentes obſcurare novæ diligentiæ repertores, quomodo totum fideliter ac ſimpliciter agunt, cum poſuiſſent ex illa epiſtola quod ibi dictum eſt, "Conſcripſit enim & ipſe ſimiliter illi, quia ipſe Deus verbum factus eſt homo, tranſilierunt quod ſequitur, tanquam non ſit differentia inter templum & inhabitantem in eo." Cujus rei cauſa putamus ? Nunquid ideo , quia iſtæ pauciſſimæ ſyllabæ prolixitatem facerent? an ideo potius , quia manifeſte intentionem dicentis oſtenderent? O fides ! o integritas! o conſcientia recte tractantium ſermonem veritatis! Poſſunt iſti profecto cum Apoſtolo dicere, [2. Cor. 4. 2.] *Abdicamus occulta decoris , non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei , ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo*. Verum in hoc quoque deprehenſis ac proditis eorum fraudibus , attende obſecro, ſereniſſime Imperator, quomodo ex aliis quæ ſequuntur * [272] etiam manifeſtum fiat , quod non contra fidem , quam de Chriſto habemus , reverentiſſimus Ibas in ſua epiſtola ſit locutus ; ſed intentionem beati Cyrilli minus intellexerit in ejus capitulis. Nam ſequitur adhuc dicens , quemadmodum integer ipſius epiſtolæ tenor habet: "Conſcripſit enim XII. capitula, quæ puto & tuam reverentiam cognoviſſe, quia una natura eſt deitatis & humanitatis domini noſtri Jeſu Chriſti: & quia ſicut dicit, non oportet dividere voces dictas , quas vel ipſe Dominus de ſemetipſo dixit, vel Evangeliſtæ de eo." Cui non appareat, quia ſicut dictum eſt , non incarnationis Chriſti myſterium , ſed intentionem beati Cyrilli minus intellexerit reverentiſſimus Ibas, quem ſicut alii quoque Orientales patres , & ipſi qui eum venerari ſe fingunt Acephali , arbitratus eſt unam deitatis & humanitatis domini noſtri Jeſu Chriſti prædicaſſe naturam , & dixiſſe , quia non oportet ſecundum naturas dividere voces dictas , quas vel ipſe Dominus de ſe , vel Evangeliſtæ de eo dixerunt ? Denique etiam hoc ab illo per venerabilem Paulum * [273] Emeſenum experiverunt, ut in ſcriptis apertiſſime fateretur : quod & venerabilis Ibas in eadem epiſtola ſua narravit , ubi do

* (271) *videns Neſtorium.*
* (272 *etiam atque etiam.*
* (273) *Emeſenum Epiſcopum.*

„ Sancto Joanne Antiocheno dixit , Poſtquam
„ literas Imperatoris accepit , ſanctiſſimum &
„ reverentiſſimum Paulum Emeſenum direxit E-
„ piſcopum , ſcribens per eum veram fidem , &
„ præcipiens ei, quia ſi huic fidei Cyrillus con-
„ ſentiret , & anathematizaret eos qui dicunt
„ quia deitas paſſa eſt, vel dicentes quia una na-
„ tura eſt deitatis & humanitatis, ut communi-
„ caret ei . Sane quoniam beatus Cyrillus, Orientalium legatione ſuſcepta, magis quod a conſacerdotibus ſuis expetebatur feſtinavit implere, quam dictorum ſuorum, in quibus offenſi fuerant ſufficientem purgationem facere ; ideo putatus eſt, veluti priſtino errore damnato, Orientalium admonitione converſus : cum ille recuperandæ unitatis cupidus, in defenſione dictorum ſuorum noluerit immorari, ne cum probare diu contendit, quod non ut putabatur ab eo fuerint dicta, de quibus minus intelligentes aliter
* 274 ſentiebant, controverſiæ * hac diſſenſione terminus non daretur. Quod item illis verbis reverentiſſimus Ibas oſtendit, quibus ſequenter eumdem B. Cyrillum retulit ſine fatigatione Orientalium fidei conſenſiſſe, & hanc ſuſcepiſſe, atque omnes qui abſque hac crederent anathematizaſſe. Sed numquid B. Cyrillum putaſſe converſum, Neſtorianum eſt crimen ? Reſpondeant ergo nobis, qui Neſtorianam hanc dixerunt epiſtolam, utrum unum Deum atque hominem Jeſum Chriſtum, per quem omnia facta ſunt, & qui inter omnia factus eſt, in duas perſonas dividere, an Cyrilum ſervum ejus putaſſe converſum, hæreſis Neſtoriana dicenda ſit . Multum excuſamus Neſtorium, ſi in hoc ejus hæreſim conſtare dicamus, Cyrillum putaſſe converſum. Unde ſi Chalchedonenſis quoque ſynodus idcirco velut Neſtorianam hanc epiſtolam improbaret, hinc potius, quod item promiſimus demonſtrandum , excuſaſſe Neſtorium videretur. Non autem ita debuit religioſa illa ſynodus
a graviſſimum crimen levigare [a] Neſtorii, quæ bene cognoverat, quod longe alia blaſphemia ſit quæ hujus hæreſis nomen accepit . Illa myſterium divinæ incarnationis evacuat , in qua ſalus noſtra conſiſtit: illa aliam hominis, aliam Dei ſubſiſtentiam dicit, ut humanam naturam alienet a Deo quæ in ſuis primitiis verbo aſſumente ſanata eſt. Ibæ autem epiſtolam perſpexit evidentiſſime confitentem, quod iſti attingere timuerunt, quia licet duæ naturæ ſint, una tamen eſt virtus, una perſona, quod eſt unus filius dominus Jeſus Chriſtus. Quocirca ſi quis hanc Neſtorianam dicit epiſtolam, procul dubio contra Eccleſiam cum Eutychianis affirmat Neſtorianum eſſe, unam Chriſti perſonam in duabus prædicare naturis. non enim eſt aliud, unde nunc Eutychiani infamant Eccleſiam; & Neſtorianos Chriſti fideles appellant, niſi quia duas unius filii domini noſtri Jeſu Chriſti profitentur eſſe naturas. Ergo non fingant cohibentes hæreticis, quod ideo tanquam Neſtorianam damnaverint epiſtolam venerabilis Ibæ, quia beatum Cyrillum dixit eſſe converſum. Id enim ac ſi culpandum eſt, Neſtoriani tamen criminis non eſt: cum potius hæreticorum fautores probentur, ob hoc

A eam Neſtorianam pronuntiaſſe, quia conſcriptor ejus duas in illa confeſſus eſt Chriſti eſſe naturas. Neque jam dicant quod fidem B. Cyrilli culpaverit, quod penitus probare non poſſunt. Primum quidem, quia poſt unitionem inter Orientales & ipſum factam approbat ejus fidem. Deinde quoniam & ante unitionem, non Cyrilli fidem, quam vere habuit, ſed quam illum habuiſſe putavit, accuſat. Putavit autem, ſicut jam probavimus ipſius epiſtolæ verba teſtari , quia ſic B. Cyrillus prædicaverat Deum verbum hominem factum, ut nulla eſſet differentia naturarum , hoc eſt inter templum & inhabitantem in eo, ſed una eſſet natura deitatis & hu-
B manitatis domini noſtri Jeſu Chriſti . Quicumque igitur dicit , quod reverentiſſimus Ibas in epiſtola ſua fidem B. Cyrilli, quam vere habuit & non quam habuiſſe eum putabat, arguerit, ipſe profecto confirmat, quod idem beatus Cyrillus ſic prædicaverit Deum verbum hominem factum ut nulla eſſet differentia naturarum, ſed una facta eſſet divinitatis humanitatiſque natura . Hoc enim reverentiſſimus Ibas per ſuam culpavit epiſtolam. Quinam ergo B. Cyrillum affirmant hæreticum ? utrum nos , qui dicimus quia non * ejus fidem, an illi, qui di- * 275
cunt quia ejus fidem accuſavit Ibas Epiſcopus?
C Nos enim, qui eum non B. Cyrilli fidem dicimus accuſaſſe, negamus utique quod idem Cyrillus differentiam abſtulerit naturarum, & unam dixerit ex divinitate atque humanitate compoſitam eſſe naturam . Hæreticorum vero fautores , qui dicunt quod fidem Cyrilli Ibas arguerit, ipſi procul dubio aſſertiones Eutychianorum affirmant , dicentium , quod B. Cyrillus differentiam non crediderit naturarum, ſed unam ex divinitate atque humanitate docuerit factam eſſe naturam . Quamobrem ſi Calchedonenſis quoque ſynodus reverentiſſimum Ibam crederet fidem, quam B. Cyrillus habuit, & non potius errorem , in quem eum lapſum putaverat ,
D arguiſſe, proculdubio affirmaret & ipſa quod unam prædicaverit Chriſti eſſe naturam. Cognoſcis igitur , religioſe Imperator , illud quod diximus iterum doceri, quoniam ſi hanc epiſtolam magna illa ſynodus abjiceret , tamquam fidem B. Cyrilli culpantem, hinc potius ipſum beatum Cyrillum credidiſſe hæreticum videretur. Unde nobis quoque fautores hæreticorum, ut hoc affirmaremus, perſuadere conati ſunt, nequid eſſet reſiduum quod Eutychianis, quibus cohibent , reſpondere poſſimus dicentibus, Qui Neſtorianam eſſe dixiſtis epiſtolam Ibæ, cujuslibet alterius eſſe dicatur, quæ putavit hæreticum eſſe negare differentiam naturarum, & unam credere dei-
E tatis humanitatiſque naturam domini noſtri Jeſu Chriſti ? quomodo veſtro judicio Neſtoriani non eſtis, qui ſimiliter dicitis hæreticum eſſe negare differentiam naturarum, & unam credere deitatis humanitatiſque naturam domini noſtri Jeſu Chriſti ? aut quomodo jam poteſtis dicere, quod B. Cyrillus differentiam naturarum docuerit, & non potius unam dixerit deitatis humanitatiſque naturam ; cum propterea illam damnaveritis epiſtolam , quod ejus fi-

---

a *Neſtorii blaſphemia*) Neſtorius duas in Salvatore noſtro perſonas fingebat. Non enim eumdem credebat eſſe Deum , quem hominem . ſed alium filium Dei , alium filium Mariæ . Mariam non eſſe θεοτόκον , ſed χριστοτόκον, id eſt non Deum peperiſſe , ſed hominem . & Verbum filium Dei non hominem ex Maria factum ſuſcepta humana natura , ſed in hominem ex Maria natum poſtea in baptiſmo deſcendiſſe . Mariam denique templum Deo genuiſſe , non ipſum qui in templo habitat . Atque hæc nefanda eſt illa dualitas , quam Facundus conatum inducere Neſtorium dixit cap. 112.

* (274) *ac diſſenſioni.*

* (275) *ejuſdem , an illi &c.*

dem culpaverit, quæ hoc in eo culpaſſe deprehenditur, quod negaverit differentiam naturarum, & unam docuerit deitatis humanitatiſque naturam? Et idcirco, nec illam damnamus epiſtolam, nec dicimus quod fidem Cyrilli culpavit, quia non fidei Cyrilli fuerat quod culpavit. Nam veriſſime omni impietate plenum eſt, ad confuſionem naturarum accipere, quod de templo nato ex Maria dixit Evangeliſta, *In principio erat verbum*; aut de unigeniti deitate, nec augeri nec minui poteſt, credere quod ſecundum ſui naturam deminuta ſit paulo minus
* 276 ab angelis * ſicut in uno eodemque homine dicimus, quod interior homo ad imaginem Dei formatus, aut exterior ſecundum lineamenta membrorum, ſexuſque diverſitatem, ex limo terræ creatus. Sed numquam hoc beatus Cyrillus putaſſe monſtratur, quia idem natura eſt templum quod ex virgine Maria ſumpſit initium, & verbum Deus, quod in principio erat carens initio. Hoc enim Apollinariſtæ ſapuerunt: hoc ab Apollinariſtis [a] dementes Euthychiani traxerunt. hoc ſi etiam Cyrillus ſentiret, veriſſime diceretur quia lapſus eſt, & in dogma Apollinaris inventus eſt incidiſſe. Nunc autem propterea verum eſſe non credimus, quia non probatur hoc aliquando ſenſiſſe.

CAP. V. SED iterum dicit aliquis, Quomodo ergo ſynodus epiſtolam pronunciavit orthodoxam, quæ B. Cyrillum, quem dicis nihil tale prædicaſſe, culpavit? Reſpondeo, quia fidem illa B. Cyrilli probavit. Nam ſi poſt unitionem inter Orientales & ipſum factam approbat ejus fidem, nos autem credimus quod ſemper eadem fuerit Cyrilli fides: neceſſario ſequitur, quod ante unitionem quoque fidem ejus Ibas probaverit, quamvis ejus fuiſſe neſcierit. Attende porro ipſam ſynodi ſententiam, & invenies, quod in illa epiſtola, diſſimulans ab humanis ſuſpicionibus, ea quæ ad fidem Chriſti pertinent, propter quam manifeſtandam atque firmandam convenerat, approbavit. orthodoxa enim, non pro honorificentia Cyrilli, nec pro cujuslibet hæretici injuria diceretur, ſed pro vera de Chriſto fide, quam continet. Si quis autem Calchedonenſem ſynodum culpat, quod hominis de homine ſuſpicione poſt habita, epiſtolam venerabilis Ibæ pronuntiavit orthodoxam, ipſum B. Cyrillum culpet neceſſe eſt, quod ipſe quoque contemnens eamdem ſuſpicionem Orientalium conſacerdotum ſuorum, qui cum aliis diverſarum provinciarum Epiſcopis congregati ejus capitula damnaverunt, confeſſionem fidei, quam ei per venerabilem Paulum Epiſcopum miſerunt, in ſuam epiſtolam tranſtulit, & eis communicavit, ſeque profeſſus eſt eadem credere ac prædicare de incarnationis Chriſti myſterio: nec ſuſpicionem, quam de illo habuerunt, ab eis damnari quæſivit, quin * nec etiam ſatisfacere
277 pro ea neceſſarium duxit. Verum neque cum ſolo
A beato Cyrillo ſynodus Calchedonenſis culpatur, quod hanc epiſtolam pronuntiavit orthodoxam, * 278
* ſed cum toto Epheſino concilio, quod eorum communionem ſimul amplexi ſunt. Unde jam videtur magna ſynodus, non quod epiſtolam venerabilis Ibæ orthodoxam dixerit, ſed quod non & ipſa beatum Cyrillum cum Epheſino Concilio reprehenderit, accuſati. Adſignata igitur omnia quæ promiſimus. Recognoſce quoniam ſi Calchedonenſis ſynodus epiſtolam venerabilis Ibæ velut hæreticam improbaret, hinc potius beatum Cyrillum credidiſſe hæreticum, & Neſtorium excuſaſſe, atque Epheſinum reprehendiſſe
B concilium videretur. Quocirca etiam in hoc memorata ſynodus exemplum ipſius beati Cyrilli, vel potius Epheſinæ ſynodi ſecuta eſt: ut ſicut illa omnium Orientalium rectiſſimam de Chriſto fidem, quamvis de ſe non recte ſuſpicantium, prudenti ratione ſuſcepit: ita & ipſa ſimili ratione ſuſciperet epiſtolæ Ibæ congruentiſſimam de Chriſto fidem, quamvis de beato Cyrillo quaſdam ſuſpiciones incongruas contineret. Numquid ergo hæc ſancta ſynodus injurias B. Cyrilli gratanter accepiſſe credenda eſt, quem probatur imitata, quod diſſimulavit
* ab alieniſſimis ſuſpicionibus; & cujus, niſi ab * 279
C eis diſſimularet, argueretur exemplo? Aut numquid ideo reverentiſſimum Ibam non debuit abſolvere, & Epiſcopatum ei & Eccleſiam reſtituere, de qua per Eutychis factionem injuſte & abſens erat expulſus, quia falſus erat in perſona B. Cyrilli, ut eum aliquando putaret erraſſe, cujus fidem non ſolum ſciens poſt unitionem cum Orientalibus factam, verum ante unitionem neſciens approbavit? Sed non oportuit,
inquiunt, * poſt hanc unitionem de beato Cy- * 280
rillo talia loqueretur. Ego autem dico, quia nec ante unitionem oportuit, immo nec ante
D ipſam ſynodum Epheſinam. quia prius interrogari Cyrillus debuit, ac deinde culpari, ſi non ſatisfaceret. Sed nunc illud quærimus, utrum hæc venerabilis Ibæ culpa, quæ ſicut jam probavimus a ſynodo quoque notata eſt, tanti debuerit æſtimari, ut ejus epiſtola pronuntiaretur hæretica, cum fidem ipſius beati Cyrilli in confeſſione, quam ei per Paulum Epiſcopum Orientales ſubſcribendum miſerant, approbaret, licet in illis XII. capitulis intentionem ejus needum intelligeret. Cognoſcens magna ſynodus, quod ſive in illis capitulis, ſive in illa confeſſione cui
E beatus Cyrillus ſubſcripſit, eadem fides eſſet, nihil differre judicavit, quibus verbis enuntiatam Cyrilli fidem Ibas approbaſſet, cum eum quod neceſſarium fuerat approbaſſe conſtaret. Unde nec aliud credidit, nec credere debuit, niſi quia patres Orientales, inter quos fuit etiam ipſe Ibas, aliarumque provinciarum Epiſcopi, intentionem capitulorum B. Cyrilli minus animadverterant, ut ea etiam a Concilio Epheſino ſuſce-
pta culparent. * Sicut aliquando in divina Tri- * 281
nitate catholici quidam [b] tres hypoſtaſes accipe- b
te noluerunt, quamvis tres perſonas acceperint;

a *Dementes Eutychiani*) Eutychis error contrarius Neſtoriano, unam Verbi cum humanitate compoſitam naturam abſtruerat: cum fides catholica, utrique oppoſita ſic unicam in Chriſto perſonam aſſerat contra Neſtorium, ut in eodem contra Eutychem duas non confuſas, ſed diſtinctas atque perfectas naturas agnoſcat, divinam & humanam.

b *Tres hypoſtaſes*) Græci, ut docet S. Auguſtinus lib. V. de Trinitate cap. VIII. *μίαν οὐσίαν τρεῖς ὑποστάσεις* dicere ſolebant, quod eſt Latine, ut idem exponit, *unam eſſentiam, tres ſubſtantias*, Sed quia uſus obtinuerat apud Latinos, ut idem intelligeretur ſubſtantia quod eſſentia, propterea dicere non audebant tres hypoſtaſes, ne tres eſſentias dicere viderentur; ſed unam eſſentiam, vel

* (276) *ſicut nec in uno.*
* (277) deeſt τὸ *nec.*
* (278) *ſed cum toto Epheſino conſilio. Siquidem non ſolus Beatus Cyrillus, nihil impendens ipſam orientalium ſuſpicionem, eos judicavit orthodoxos: ſed & cæteri Patres, qui cum illo fuerunt in Epheſino concilio, & eorum communionem &c.*
* (279) *a leviſſimis.*
* (280) *ut poſt hanc.*
* (281.) *Sic.*

a [a] nec ideo ſunt a viris ſapientibus hæretici judicati, quoniam comperti ſunt non in re quæ illo nomine ſignificabatur, ſed potius in ipſo nomine quo ſignificabatur offendi. Unde non poteſt hæretica Ibæ epiſtola judicari, niſi dicatur, quod in capitulis quidem B. Cyrilli recta contineatur fides, Neſtoriana vero ſit illa Orientalium confeſſio cui ſubſcripſit, quam & Ibas, & Calchedonenſis ſynodus in ſua definitione ſuſcepit: atque ita, ut Ibas & prædicta ſynodus accuſetur, Cyrillus poſt Neſtorium condemnatum in hæreſim Neſtorianam declinaſſe firmabitur. Hinc autem creditus eſt idem B. Cyrillus, non rectam prius in ſuis capitulis tenuiſſe ſententiam, ſed admonitione Orientalium poſtea eſſe correptus; quoniam cum ipſa unitas Eccleſiarum fieret, non Orientales patres ejus capitulis ſubſcribere compulſi ſunt, ſed ipſe potius expetitus eſt directæ ſibi ab eis confeſſioni ſubſcribere.
b Ipſamque [b] capitulorum ſuorum retractationem, non ideo cum poſt Epheſinam ſynodum feciſſe aliqui crediderunt, ut quæ clauſa quibuſdam fuerant panderentur, & quæ videbantur obſcura clareſcerent: ſed potius ut priſtinum in eis emendaret errorem, quod putabatur, ſicut adhuc Eutychiani putant, quod unam in eis dixerit Chriſti eſſe naturam. Hinc ergo contigit, ut converſione B. Cyrilli facta unitas crederetur. Et revera cui non ſurriperet iſta ſuſpicio, (de humanis cordibus loquimur, & humana corda geſtamus) cum nihil Orientales patres, qui hæc capitula corrigenda judicaverunt, corrigere cogerentur; beatus autem Cyrillus, non ſolum fidei confeſſioni, quam ſicut neceſſarium crediderunt illi dictaverant, expetitus ante ſubſcriberet, ſed etiam ipſa ſua capitula retractaret? De hoc autem quod opponitur ac dicitur, quia non tam contra beatum Cyrillum,

A quam contra Epheſinam ſynodum locuti ſunt, quia parum intelligendo male de illis jam receptis capitulis crediderunt, ſequenti libro, quia ibi magis opportunum videtur, multa & ſicut exiſtimo non contemnenda dicemus. Si vero hæreticum eſt Cyrillum crediſſe converſum, cur obſecro non multo magis B. [c] Theophilus dicatur hæreticus, qui de ſancto Joanne Conſtantinopolitano, cujus auctoritati atque doctrinæ multo majorem venerationem Chriſti debet Eccleſia, talia & tanta conſcripſit, ut etiam nos, quod ea vel memoramus, ſola poſſit * neceſſitas excuſare? Fratres, inquit, Joannes perſequitur immundo ſpiritu, quo ſuffocabatur c * 282
B Saul: & iterum, ſanctorum miniſtros necavit. Dicit illum contaminatum, & in Eccleſia primitivorum impium, peſtilentem, veſanum, & tyrannicæ mentis inſania furibundum, atque in ſua veſania gloriantem, animam ſuam adulterandam tradidiſſe diabolo. Hæc autem omnia, ſicut habentur in ipſius * Theophili libro, ita poſuimus. Vocat illum etiam humanitatis hoſtem, & qui ſcelere ſuo latronum viciſſet audaciam, ſacrilegorum principem, & ſacerdotium agentem impium, atque oblationes ſacrilegas offerentem, procacem & frontis duriſſimæ. Hoc quoque adjiciens, quod non his Joannes laqueis * 283
C irretitus tenetur, qui poſſint aliquando diſſolvi, ſed qui audiret pro merito flagitii ſui comminantem Deum atque dicentem, Judicate inter me & Joannem. expectavi ut faceret judicium, fecit autem iniquitatem, & non juſtitiam; ſed clamorem. Dicit etiam, quia ſicut ſatanas transfiguravit ſe in angelum lucis, ita etiam Joannes non eſſet quod videbatur: nec tantum ſimilem ſatanæ, ſed immundum dæmonem eum appellat, more torrentis trahentem verborum ſpurcitiam, quem & in Chriſtum perhibet im-

ſubſtantiam, tres autem perſonas. Porro autem, qui tres hypoſtaſes dicebant, Græci & Orientales, ii non aliud quam tres perſonas intelligebant, Epiphanio teſte in hæreſi LXXIII. & Gregorio Nazianz. in orat. XXI. Diſtinguebant enim ab eſſentia ὑπόστασιν, cum Latini ob linguæ inopiam, ut Gregorio placet, diſtinguere non poſſent. Verum qui οὐσίαν ab hypoſtaſi non diſtinguerent, Latini ſoli non fuerunt, nec primi. Nam Synodus Nicæna in expoſitione fidei damnans eos qui filium Dei ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας eſſe dicunt, pro eodem ut apparet utramque vocem poſuit, tametſi aliter S. Baſilio videatur in epiſtola LXXVIII. Et S. Athanaſius patris ac filii μίαν οὐσίαν, μίαν ὑπόστασιν eſſe tradit in orat. V. contra Arianos, & in epiſtola ad Liberium. in epiſtola vero ad Africanos diſerte affirmat ὑπόστασιν οὐσίαν εἶναι. Denique in Synodo Alexandrina, ut eſt apud eundem Athanaſium in epiſtola ad Antiochenſes, cum diſſiderent Epiſcopi; atque aliis tres hypoſtaſes, aliis unam dici placeret, qui unam dicebant, exiſtimare ſe profeſſi ſunt hypoſtaſim & eſſentiam idem eſſe, ταὐτὸν εἶναι εἰπεῖν ὑπόστασιν καὶ οὐσίαν. Quanquam autem Synodus illa utroſque recte ſentire, & voce potius quam ſententia diſcrepare comperit, abſtinendum tamen a novitatis ſpecie in poſterum, nihilque ultra Nicænam formulam exquirendum cenſuit, idque ad Antiochenſes Synodica ſua perſcripſit. Sed decreto illo nihil obtinuit. Invaluit enim, ut dictum eſt, apud Græcos & Orientales, ut tres hypoſtaſes ſumma contentione aſſererent, atque alios ad eandem confeſſionem compellerent. Unde & Hieronymi adverſus Antiochenos expoſtulatio ad Damaſum epiſt. LVII. *Nunc*, inquit, *pro dolor, poſt Nicænam fidem, poſt Alexandrinum juncto pariter Occidente decretum, trium hypoſtaſeon ab Arrianorum præſule, & Campenſibus novellum a me homine Romano nomen exigitur.* Ceterum noſtri, qui tamdiu reſtiterant, quamdiu ὑπόστασιν ſubſtantiam dici intellexerunt, ubi eam vocem a ſubſtantia Græcorum exemplo diſtinguere, & perſonam ſive ſubſiſtentiam interpretari cœperunt, exinde tres hypoſtaſes cum Græcis profiteri ac profitendas eſſe non dubitarunt.

a *Nec hæretici judicati*) Nam cum hypoſtaſes alii eodem ſenſu dicerent, quo alii perſonas, neutris alios damnare fas erat, ῥημάτων, ut Nazianzenus ſcribit, εἰς τὴν αὐτὴν φερόντων διάνοιαν. Sic in Synodo Alexandrina, nec Arriani habiti ſunt qui tres hypoſtaſes aſſerebant, quia hypoſtaſim non pro ſubſtantia, ſed pro perſona ſumebant: nec Sabelliani, qui unicam dicebant, quia hypoſtaſim non perſonam, ſed ſubſtantiam intelligebant.

b *Capitulorum retractationem*) Capitula, ſive anathematiſmos duodecim contra errores Neſtorii ſcripſerat Cyrillus, qui ſubditi ſunt epiſtolæ ipſius & Synodi Alexandrinæ ad Neſtorium, lectique cum eadem epiſtola in Actione I. Synodi Epheſinæ. Hos anathematiſmos velut hæreticos infamarunt, damnaruntque in privato conventu ſuo Epiſcopi Orientales. Cyrillus vero, ut omnem anſam eriperet, capitula ſua primum Synodi hortatu retractavit & expoſuit, ſuam anathematiſmo cuique quam vocat ἐπίλυσιν ſeu declarationem ſubjiciens. Tum deinde Apologeticum pro iiſdem capitibus edidit adverſus Orientales, quorum nomine circumferebantur ἀντιῤῥήσεις ſingulis anathematiſmis oppoſitæ, quarum auctor fuiſſe creditur Andreas Epiſcopus Samoſatenus, cujus meminit Cyrillus epiſtola XXX. ad Eulogium. Poſtremo cum Theodoreti quoque librum accepiſſet adverſus eadem capita Joannis Antiocheni juſſu compoſitum, alteram rurſus illorum defenſionem aggreſſus eſt. in qua univerſas Theodoreti αἰχτροπᾶς ſua quamque apologia confutavit. Quæ omnia Græce Latineque nunc edita videre eſt poſt Synodum Epheſinam.

c *Theophilus conſcripſit*) Innormem librum poſtea vocat, ex quo ſequentia depromuntur. Infeſtus Chryſoſtomo fuerat Theophilus Alexandrinus, non ſolum viventi, adeo ut in exilium tandem extruderet, verum etiam mortuo, ne illius nomen in diptycha referretur. Sed ſingulari Dei providentia non ante animam efflare ſub mortem permiſſus eſt, quam cum Chryſoſtomo, ejus imaginem venerando, rediret in gratiam, ut ex Iſidori diaconi chronographia narrat Damaſcenus, De Imaginibus lib. III. extremo.

* (282) *cauſa neceſſitas.*
* (283) *Beati Theophili.*

pium

pium extitiſſe, & Judæ traditoris eſſe conſor-
tem. Addit etiam quod arguatur in Deum ma-
nus impias extendiſſe, & quod Jacobus Apoſto-
lus de quibuſdam rerum mundanarum cupidis di-
Jac. 4. 3. xit, *Petitis & non accipitis, eo quod male pe-
tatis*, hoc beatus Theophilus beatum Joannem aſ-
„ ſerit dixiſſe de Chriſto. Auſus eſt inquit, dicere
„ in Eccleſia, quod Chriſtus oraverit, & non fue-
„ rit exauditus, quia non bene oraverit. Quis hæ-
reticorum deterius blaſphemavit, quam beatum
Joannem refert beatus Theophilus blaſphemaſſe,
* 284 quem affirmat * conſortio Judaicæ impietatis ſe-
metipſum tradidiſſe, & offerre temeritate ſoli-
ta, quod obtulerunt Judæi, ſe ipſum ac popu-
los decipientem, & Dathan atque Abiron æmu-
* 285 „ latorem? Audiat, inquit, cum Judæis, * iniqui-
„ tas magnificata eſt nimis. Adjicit etiam hoc,
„ Arriani & Eunomiani contra Chriſtum Joannis
„ blaſphemiis delectantur: Judæi & idololatræ ju-
„ ſtificati ſunt tua comparatione gentiles. Et ite-
„ rum dicit, Non ſolum non eſt Chriſtianus Joan-
„ nes, ſed pejor eſt rege Babylonio, multo ſcele-
„ ratior quam Balthaſar, idololatris & ethnicis
„ ſceleratior eſt Joannes. Tibi, ait, præſens igno-
„ minia, æterna in futuris ſæculis pœna reddetur.
„ Hoc quoque viſum eſt & idem beato Theophi-
lo dicere, Salvator clamavit & dixit, tollite
Joannem, & mittite in tenebras exteriores. &
iterum, Largiſſimos fomites ante tribunal Dei
ſuo miniſtravit incendio. Et hæc omnia non ſuf-
* 286 fecerunt iræ atque * furori, niſi etiam hoc de
memorato ſanctiſſimo viro Joanne diceret, quod
alia ei pœna quærenda ſit, eo quod vinceret
ſceleris magnitudo multitudinem tormentorum.
Si quis autem experiri voluerit, quod non ſen-
tentias tantum, verum etiam ipſa verba poſui-
mus, & noſſe quoties hæc ab illo replicata
ſunt, legat innormem librum, non ſolum con-
tumeliis, ſed ipſa quoque ſæpe repetita maledi-
ctorum recapitulatione, nimis horribilem, ab
Hieronymo presbytero translatum. De quo idem
beatus Theophilus expectavit, ut per ejus elo-
quium, qualis Joannes fuerit, Latini cognoſce-
rent. Nos autem in illo libro, non qualis Joan-
nes, qui nihil horum merebatur, nec qualis
Theophilus, cujus virtus in multis probata, non
ex iſto accedenti morbo judicanda eſt, ſed po-
tius qualis ſit miſerabilis humana vita cognoſci-
mus, de qua ſcriptum eſt, *Quia tentatio eſt ſu-
Job. 7. 1. per terram*. Nam ſi talia talibus acciderunt,
quid nobis metuendum non ſit, noſtrique ſimi-
libus? At ego hic interrogari vellem judices mor-
tuorum, qui ad deſtructionem ſynodi Calchedo-
nenſis nos quoque volunt de mortuis judicare,
* 287 qua ratione, quave juſtitia, hæreſis * crimen de-
putetur, Cyrillum dixiſſe converſum, & Theo-
* 288 philus non * judicatur hæreticus, qui ſanctum
Joannem clariſſimum doctorem Eccleſiæ dixiſſe
criminatur, quod Chriſtus oraverit, & non fue-
rit exauditus quia non bene oraverit; & talia
prædicaſſe, ut Arriani & Eunomiani contra
Chriſtum ejus blaſphemiis delectentur, ſed Judæi
& idololatræ; & quia ſe Judaicæ impietati tra-
diderit. Si vero nihil habent quod reſpondeant,
quoniam Theophilum pro humanis injuriis judi-
cant non eſſe dicendum hæreticum: hoc etiam
ſynodum Calchedonenſem in epiſtola venerabi-

A lis Ibæ judicaſſe deſinant criminari. Hujus au-
tem venerabilis Theophili ſui deceſſoris beatus
Cyrillus ſententiam ſequens, ipſe etiam poſtea,
quemadmodum quarto libro docuimus, contra
judicium quoque ſedis Apoſtolicæ, quæ per bea-
tiſſimum Papam Innocentium prædicti Sancti Joan-
nis in exilio conſtituti damnationem ſolverat, no-
men ejus poſt mortem inter Dei ſacerdotes in ſa-
crificio recitari prohibuit: & ſicut ejus deceſſor
Theophilus dixerat quod Ariani blaſphemiis ejus
delectarentur, ita & ipſe eum Eudoxio Ariano
Epiſcopo comparavit: nec pro hac exiſtimatio-
ne vel Theophilum quiſquam vel Cyrillum judi-
cavit hæreticum, quoniam longe alia cauſa eſt,
quæ meretur hoc nomen. Quod etiam ſancta
B ſynodus in epiſtola venerabilis Ibæ conſiderans,
neglectis atque poſthabitis hominis de homine
ſuſpicionibus, pro vera Chriſtianæ fidei confeſ-
ſione quam continet, eam pronuntiavit ortho-
doxam. Quæ hoc etiam proſpexiſſe credenda
eſt, quoniam ſi eam pro leviſſima & præterita
ſuſpicione, quam de Beato Cyrillo cum O-
rientalibus diverſarumque provinciarum Epiſco-
pis conſcriptor ejus habuit, hæreticam judica-
ret: multo magis eadem ratione Theophilus ju-
dicaretur hæreticus, qui dixit Joannem in Chri-
ſtum impium extitiſſe, & auſum fuiſſe in Ec-
C cleſia dicere, quod Chriſtus oraverit, & non
fuerit exauditus, quia non bene oraverit; &
quia Ariani & Eunomiani contra Chriſtum ejus
blaſphemiis delectarentur: Judæi quoque, &
Idololatræ. Cujus nec levis & tranſitoria fuit
iſta ſuſpicio, ſed quam ſuo quoque ſucceſſori
Cyrillo tranſmiſit, ut & ipſe eum de Eccleſia-
ſticis muris * excluderet, & Judam atque Je- * 289
choniam diceret, ac profanum, & Eudoxio A-
rianorum Epiſcopo crederet conferendum. Non
ergo juſte dicitur ſancta ſynodus epiſtolam Ibæ
pro ſuſpicione, quam de Beato Cyrillo conſcri-
ptor ejus cum multis aliquando habuit, velut
hæreticam debuiſſe damnare: cum potius, ſi hoc
præſumeret, hinc ipſum Beatum Cyrillum,
D quod jam ſæpe monſtratum eſt, faceret videri
damnabilem. Quis enim vel ipſorum calumnian-
tium neget, quod graviora Cyrillus de ſancto
Joanne, quam Ibas de Cyrillo conſcripſit? Hæc
autem ſcandala, vel * quælibet merito nos of- * 290
fendunt in patribus, quos tanquam luminaria
Deus in Eccleſia ſua conſtituit, ut eorum de-
ſuper illuminemur excellenti ſcientia atque do-
ctrina, ſic habenda mihi videntur, ſicut ipſo-
rum quoque luminarium cæli defectus, quæ li-
cet nonnunquam ſplendoris ſui detrimenta ſu-
ſtineant, non tamen amittunt luminaria eſſe
E quod ſunt. Et crebro quidem accidit, ut iſta
quoque Eccleſiæ luminaria, quoniam multa a
nobis celſitudine ſeparantur, pro quodam no-
ſtræ ignorantiæ nubilo, cum in ſe ſplenden-
tia maneant, nobis videantur obſcura. Ha-
beatur itaque velut eclipſis quædam luminarium
Theophili, & Cyrilli, quod tam horribilia de
magno luminari Joanne Conſtantinopolitano lo-
cuti ſunt. Habeatur etiam altera eclipſis velut
luminarium Orientalium, ſive aliorum patrum,
qui cum eis ex diverſis provinciis convenerant,
quod intelligentiæ defectu paululum obſcura-
ti, aliter quam res habuit de luminare Cy-

* (284) *etiam conſortio.*
* (285) *iniquitas tua.*
* (286) *furori Theophili.*
* (287) *crimini.*

* (288) *dicatur.*
* (289) *excluſum.*
* (290) *qualibet aliqua.*

rillo æſtimaverunt. Nam quos Chriſtus in Ec-
cleſiæ ſuæ ſtabili pace, tamquam in cœli firma-
mento ſervavere, nos venerari atque ſuſcipere
oportet: nec de illorum controverſiis jam fini-
tis infinita movere certamina, & temere condem-
nare mortuos, magis autem cogitare nos mori-
turos, & credere potius, quod pietati convenit
Chriſtianæ, quia pro ſuis in Eccleſia Chriſti la-
boribus, & pacis merito, quam ipſi ſervaverunt
Eccleſiæ, ſi quid in aliquas privatim perſo-
nas, non livore diabolico, ſed humano errore
peccantes emendare non potuerunt, antequam
de hac vita tranſirent, indulgentia Domini re-
mittente, quem precari non deſinebant, ut de-
licta juventutis eorum & ignorantiæ non memi-
niſſet, in requie ſint apud eum, expectantes
ſecuri judicium retributionis æternæ. Unde me-
tuere debemus, ne quos hic modo, ubi nobis
omnia licent, ſed non omnia expediunt, judi-
camus, cum judicare venerit filius hominis in
majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, & con-
gregabuntur ante eum omnes gentes, ipſi ſint
judices noſtri. Adeſſe autem nobis debet & in
hoc loco illa ratio atque ſimilitudo, quam in
ſuperiori libro dedimus, cum de interlocutione ve-
nerabilis Anatolii Conſtantinopolitani Antiſtitis
ageremus, qua pronuntiavit Dioſcorum non pro
fide eſſe damnatum. quoniam ſicut enim hære-
ticum non fecit, quod ipſum Dioſcorum a per-
fidia fieri voluerit excuſatum; eo quod aliud
ſit ideo hæreticum excuſare, quod catholicus
putetur, & aliud ipſam hæreſim probare atque
defendere: ita nec epiſtola venerabilis Ibæ po-
tuit hæretica juſte videri, vel ſi non rem ge-
ſtam, prout in tempore viſum eſt, narraſſe, ſed
* 291 B. Cyrillum * accuſare firmetur. eo quod aliud
ſit, ideo accuſare catholicum, quod hæreticus
putetur, & aliud ipſam improbare ac reprehen-
dere catholicam fidem. Et ſicut venerabilis A-
natolii defenſioni profecit quod ibi diximus, quia
poteſt caſtitatis approbator atque dilector non
approbata fornicatione fornicatorem, dum in per-
ſona fallitur, approbare: ita etiam reverentiſ-
ſimi Ibæ, & ceterorum Orientalium, atque
aliarum provinciarum antiſtitum defenſioni pro-
ficiat, quod ibidem conſequenter adjecimus, quia
poteſt caſtitatis approbator atque dilector, non
improbata caſtitate, caſtum, dum in perſona ſi-
militer fallitur, improbare. Nam " ſi vener-
" ſ ſic. bilis Ibas, ſive alii, quos memoravimus, Orien-
tales, aliarumque provinciarum Epiſcopi, in
perſona potius B. Cyrilli, quam in ipſa fidei
regula fallebantur, ſicut etiam ipſe Cyrillus
cum Theophilo fallebatur in beato Joanne;
quod etiam ſancta ſynodus intellexit, ut & il-
lius epiſtolam pronuntiaret orthodoxam, & il-
los acceptaret ut patres. Nos autem, per con-
tentionem & inanem gloriam, quam paſſim et-
iam de ignominioſa præſumptione geſtimus ad-
quirere, ſapientiores nos tanta ſynodo judicantes,
leviſſimam de perſona ſuſpicionem traximus ad
regulam fidei, & non quaſi feſtucam auximus
in trabem, quæ ſi non ejuſdem quantitatis,
ejuſdem tamen eſt generis, ſed contemptibilem
ſtipulam in ingentem vertimus arietem, qui to-
tum Romani orbem imperii fruſtra quateret at-
que vexaret. Quis autem digne conſideraret,

A quis verbis explicare ſufficeret, quam ſapienter
ad inſtructionem prædeſtinatorum humana quo-
que ignorantia Deus utatur, cujus omnipotens
bonitas in magnam utilitatem, cum voluerit,
noxia quæque convertit? Illa namque de bea-
to Cyrillo conſacerdotum ejus ignorantia, quæ
paci Eccleſiarum aliquando contraria fuerat, ſi
quis bene conſideret, inſtructioni Eccleſiæ nunc
aſſertionique proficit. Evidentius enim documen-
tum eſt veræ fidei, ſi inter ſe diſſidentium, quam
ſi pacatorum, inveniatur eadem de illa fuiſſe
ſententia. Nam licet Orientales Epiſcopi cum
aliis male de beato Cyrillo ſentirent, & ob hoc
B * etiam vehementer inſectarentur; venerabili ta- * 292
men Paulo Emiſeno Epiſcopo mediante comperi-
mus, quod utraque pars pro una eademque fide
certabat. cum & Orientales nihil aliud a beato
Cyrillo confitendum expectarent, quam tenuit
ſemper & tenet Eccleſia: & beatus Cyrillus quod
expectabatur cum magna exultatione perficeret,
confeſſionem eorum de incarnationis divinæ my-
ſterio deſideranter accipiens, ſuamque eſſe pro-
teſtans, Unde qui bene de Cyrillo ſentit, qui
eum vere Apoſtolici credit affectus, cogitare de-
bet quantum exultare potuerit, videns adverſum
ſe zelum patrum, maxime Orientalium, pro fi-
C dei, quam ipſe quoque tenebat, veritate ferve-
re. Non enim tanti penderet vir ſanctiſſimus,
quod in illo fallebantur ſui collegæ, quanti pen-
debat quod pro * fidei catholicæ veritate certa- * 293
rent. magiſque volebat conſacerdotes ſuos erro-
rem, in quem illum incidiſſe putaverant, ſine per-
ſonæ acceptione damnare, quam eos pro ſua per-
ſona defendere quod * erat contrarium veritati. * 294
Audiamus Apoſtolum dicentem Galatis, *Sed licet* Gal. 1. 3.
*nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præ-
terquamquod evangelizavimus vobis, anathema
ſit, ſicut prædiximus, & nunc iterum dico, ſi
quis vobis evangelizaverit præter id quod acce-*
D *piſtis, anathema ſit*. Cum ergo Apoſtolus non
tantum ſe, verum etiam Angelum de cælo, e-
vangelizantem præterquamquod evangelizaverat,
anathema eſſe maluerit, quam ut Chriſti fideles
a firmitate prædicati ſibi evangelii moverentur:
quantum beatus Cyrillus lætari potuiſſe creden-
dus eſt, cum ſe videret ob eam fidem, quam
tenebat, & quam ab omnibus teneri volebat, a
ſuis conſacerdotibus inſectari? Quod enim in il-
lo fallebantur, nec ibi credebat ſtatum fidei Chri-
ſtianæ conſtare, nec æſtimabat diu eſſe * manſu- * 295
ros, cum in ejus eſſet poteſtate, quod poſtmo-
dum fecit, dictorum ſuorum pandere rationem,
E & ſedare aliter æſtimantium motus. Quod autem
fideliter, quod conſtanter, ea quæ veritatis fue-
rant aſſerebant, quamvis contra ipſum aſſeri ne-
ceſſe non fuerat, ibi rectæ fidei ſtatum, ibi ſuam
illorumque ſalutem, ibi Eccleſiarum omnium de
cetero firmitatem conſiſtere judicabat, ut de in-
carnationis dominicæ ſacramento nemo dubitaret
ulterius, de quo etiam inter diſſidentes, ac de ſe
aliter ſentientes, una inveniretur eademque ſen-
tentia. Cur itaque puſillanimes nos de magnani-
mi Cyrilli gaudio contriſtamur? cur inde pertur-
bamus Eccleſiam, unde ab omnibus eſt perturba-
tionibus defendenda? cur de hoc ridere da-
mus hæreticis, de quo a nobis confundi debue-
rant? Sed hoc totum agit præceps & ignara

*) 291) *accuſaſſe*.
* (292) *cum vehementer*.
* (293) *fidei chriſtianæ defenſione certarent*.
* (294) *eſt*.
* (295) *manſurum*.

temeritas, quæ neque quomodo contradicentibus reſpondeat, novit, neque paternis definitionibus acquieſcit. Hinc eſt quod facile decipitur. hinc hæreticorum circumventionibus irretitur, magis inquieta, quam fortis. Nos autem, quod eſt prius ac tutius, ſanctorum patrum conſtitutis placido atque humili corde ſubjecti, eorum auctoritate firmamur. Dehinc etiam intelligimus, quod ſancta ſynodus prudenter intentionem Eutychis atque Ibæ dijudicans, ſicut illum ſacrilegum juſte damnavit, ejuſque dogma, quamvis beatum Cyrillum laudaret, pronunciavit hæreticum, quia fidem ipſius Cyrilli, quod magis attendendum fuerat, improbat: ita juſte reverentiſſimum Ibam abſolvit, ejuſque epiſtolam, quamvis beatum Cyrillum vituperaret, pronunciavit orthodoxam; quia fidem ipſius Cyrilli, quod magis attendendum fuerat,
* 296 approbat. Vide quid ille præclarus Epiſcopus * inanis gloriæ ſtudioſiſſimus contemptor, & amator
297 ſinceriſſimus veritatis, * Auguſtinus dicat, In » exordio librorum meorum opinaturus me ſenſiſ» ſe quod non ſenſi. quorum errorem mihi tri» bui non debere quis neſciat, ſi velut me ſequentes » neque adprehendentes, deviaverint in aliquam » falſitatem, dum per quædam denſa & opaca » cogor viam carpere? quandoquidem nec ipſis » ſanctis divinorum librorum auctoritatibus ullo » modo quiſquam recte tribuerit tam multos &

A varios errores hæreticorum: cum omnes ex eiſdem ſcripturis falſas atque fallaces opiniones ſuas conentur defendere. Admonet me plane, ac mihi jubet ſuaviſſimo imperio lex Chriſti, hoc eſt caritas, ut cum aliquid falſi in libris meis me ſenſiſſe homines putant, quod ego non
ſenſi, atque idipſum falſum * alteri diſplicet; * 298
malim me reprehendi a reprehenſore falſitatis, quam ab ejus laudatore laudari. Ab illo enim quamvis ego non recte, qui hoc non ſenſerim,
error * tamen recte vituperatur: ab hoc autem * 299
nec ego recte laudor, a quo exiſtimor id ſenſiſſe, quod vituperat veritas, nec ipſa ſententia,
B quam vituperat veritas. Si quid igitur de beato Cyrillo bene ſentimus: ſi quid ei prudentiæ vel
caritatis adſcribimus, ipſum quoque cum * juſto * 300
viro ſapientia & pietate prædito Auguſtino credamus, quod cum falſe putaretur in ſuis capitulis ſenſiſſe quod non ſenſit, malebat ſe reprehendi ab Iba reprehenſore falſitatis, quam ab Eutyche ejus laudatore laudari. Et ſi nunc adviveret, ipſe quoque interrogatus a nobis reſpondere poſſet ac dicere, A meo venerabili fratre Iba, & aliis conſacerdotibus meis, quamvis ego non recte, qui hoc non ſenſerim, error ta-
men ipſe recte vituperatus eſt: neſando * viro Eu- * 301
tyche, ejuſque complicibus, nec ego recte laudor, a quibus exiſtimor id ſenſiſſe, quod vituperat veritas, nec ipſa ſententia, quam vituperat veritas.

* (296) *ejus inanis gloriæ faſtidioſiſſimus contemptor*.

* (297) *Auguſtinus dicat in exordio librorum, quos de Trinitate ſcripſit, debemus attendere*. “ Arbitror ſane, inquit, nonnullos tardiores in quibuſdam locis librorum meorum opinaturos me ſenſiſſe &c.„ Priora verba uſque ad *Arbitror*, ſunt Facundi, non Auguſtini: ſequentia habentur *lib.* 1. *de Trinitate cap.* 3. *num.* 6.

* (298) *alteri diſplicet, alteri placet, malim &c.* loco cit.

* (299) *tamen ipſe*. Ita loco cit.

* (300) *iſto*.

* (301) *vero*.

FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS,
PRO
DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM,
LIBER SEPTIMUS.

CAP. I. NOn ignoro quod imperitis rerum æſtimatoribus abſolvendarum quæſtionum lenta & minus efficax videatur oratio. Etenim quia circumſpectans omnia cauto potius & explorato, quam feſtino gradu procedit, hinc ab eis de tarditate culpatur. Deinde quoniam pro difficultate quoque conditionis ſuæ, ut calumniam inſidiantis, vel ignorantiam minus intelligentis, quæ in ſuperficie rerum verborumque verſantur, excludat, neceſſe habet ſubtiliore tractatu intimæ veritatis ſecreta quædam ac penetralia, quod non cito provenit, omnibus aperire: hoc illi, qui cum incapaces, tum etiam impatientes ſunt rationis, moleſtiſſime ferunt. Nemo enim magis de ratiocinantis mora cauſatur, quam ille, cujus per eam tarditati conſulitur. Nos autem ſapientium magis judicium veremur of-
* 302 fendere, a quibus * hinc profecto culpabimur, ſi

C quod cauſæ utilitas maxime poſtulat omittamus. Et ideo quærendum eſt, cujuſmodi ſint alia, pro quibus epiſtola venerabilis Ibæ dicitur non debuiſſe orthodoxa judicari. Nam quia idem reverentiſſimus Ibas etiam fidem ſuam confitens ait, Eccleſia enim ſic dicit, ſicut & tua ſanctitas novit, & ſicut a principio didicit, & confirmata eſt divina doctrina ex libris beatorum patrum, duæ naturæ, una virtus, una perſona, quod eſt unus filius dominus Jeſus Chriſtus. Hinc alii rurſus eum e contrario reprehendunt, quod unam domini Jeſu Chriſti dixerit eſſe virtutem. Aiunt enim: Qui fieri poteſt, ut duarum a ſe longe diſtantium naturarum, id eſt deitatis & humanitatis, una ſit virtus? ac per hoc, cum una dicitur virtus, naturarum diverſitas tollitur, ut [a] ſecundum Eutychis a
dementiam una etiam videatur eſſe natura. Porro

a *Secundum Eutychis dementiam*) At contra Juſtinianus in Edicto, & Quinta Synodus, ex his verbis Neſtoriani dogmatis ſuſpicionem ducunt. Duas enim naturas ab Iba, Neſtorii more, intelligi volunt duas perſonas, unam autem virtutem atque unam perſonam ab eo dici, *ὐ καθ' ὑπόςασιν*, ſed *κατὰ μίαν ἀξίαν, ἤγουν αὐτὴν τιμήν*.

* (302) *tunc*,

hæc dicentes, nobiſcum profecto memoratam e-
piſtolam Neſtorianam non eſſe confirmant, qui
unius filii domini Jeſu Chriſti unam dicere vir-
tutem, Eutychiano, id eſt Neſtorianis contra-
rio, putant errori congruere. Unde etiam cre-
ditur, non eſſe reprehenſum ab iſtis Eutychia-
norum fautoribus. Cur autem propter hoc ver-
bum, vel reverentiſſimus Ibas, vel ſynodus, quæ
ipſam ejus epiſtolam pronuntiavit orthodoxam,
culpetur ignoro. Non enim ille contra natu-
rarum diſcretionem, de qua ſuperius recte lo-
* 303 cutus eſt, * idem adjecit, tamquam unam, hoc
eſt parem creatricis & creatæ ſubſtantiæ pu-
taverit eſſe virtutem: ſed potius illud adtendit,
quod unius perſonæ ſit eadem virtus. Nam ſi
tantum caritas valuit in multis perſonis per
ſpiritum ipſius domini noſtri Jeſu Chriſti diffu-
ſa, ut recte in Actis Apoſtolorum diceretur,
Act. 4. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor & ani-
ma una*, quomodo recte dici non potuit, quod
una virtus ſit ejus perſonæ, cujus dono factum
eſt, ut illa multitudo unius eſſet cordis & ani-
mæ? Quod ſi reſpondetur, quia illius multitudi-
* 304 nis credentium propterea * dici potuit unum fuiſſe
cor & animam unam, quod omnes unius naturæ
fuerint, id eſt humanæ: domini autem Jeſu Chri-
ſti duæ ac diverſæ naturæ ſint: intelligant in pri-
mis, quia non idcirco illorum credentium erat cor
& anima una, quod unius naturæ fuerint, ſed
potius quod unus Chriſtus ſpiritus hanc illis præ-
ſtiterit unitatem. Non enim natura nos unani-
mes, ſed animorum ſocietas facit. Deinde con-
1. Cor. 6. 16. ſiderent quod ad Corinthios Apoſtolus dicit, *An
neſcitis quoniam qui adhæret meretrici, unum cor-
pus efficitur? Erunt enim*, inquit, *duo in car-
ne una. Qui autem adhæret Deo, unus ſpiritus
eſt.* Si autem non ſolum de naturis, verum e-
* 305 tiam de perſonis * divinis recte dictum eſt,
Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt:
quomodo recte dictum non poteſt intelligi, quod
in epiſtola venerabilis Ibæ ſancta ſynodus adpro-
bavit, quia una virtus eſt unius perſonæ domi-
ni Jeſu Chriſti? Et, ſi fidelis quiſque, per bo-
nam tantummodo voluntatem adhærens Domino
unus cum illo ſpiritus ſit, quamvis non ſit u-
na perſona; quanto magis in Chriſto recte di-
ci potuit quod una ſit virtus, ubi naturarum
conventu una facta eſt Dei hominiſque perſona.
Amplius autem eſt ac ſuperius, ſi quis diligen-
ter adtendat, quod Apoſtolus ait, *Qui autem
adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*, quam ſi di-
ceret, una virtus eſt: quoniam cauſam vir-
tutis ille ſpiritus eſſe cognoſcitur, a quo pro-
cedit, non autem virtus cauſa eſt ejus ſpiritus
a quo procedit. Quamobrem non poſſunt in
epiſtola venerabilis Ibæ, vel in ſynodi ſenten-
tia, quæ illam orthodoxam judicavit, juſte cul-
pare quod minus eſt, & de una perſona di-
ctum, quando illud quod eſt majus, & de
duabus dictum perſonis, in Apoſtolicis ſcriptis
culpare non audeant. Voluntas igitur dicen-
tis in omnibus debet attendi. quam de præ-
ſente Iba diligentius, etiam citra geſta, ſpecta-
re magna ſynodus potuit, ut ejus epiſtolam or-
thodoxam judicaret. atque hoc in omnibus,
quorum ratio minus patet, non dicam pietas,
ſed ipſa conſiderare debet humanitas.

IGitur ad illa redeamus, quæ in eadem epiſto- CAP. II.
la fautores hæreticorum ſcripto reprehenderunt,
ut eam quaſi profanam & impiam refutarent.
Hæc autem ſunt quæ ſequuntur: Cyrillus aures "
omnium pigmento, quod excæcat oculos ſapien- "
tium, præoccupavit, & cetera. & iterum, Quia "
in damnatione Neſtorii, quæ facta eſt ab eis, "
XII. capitula quæ a Cyrillo conſcripta ſunt, "
contraria exiſtentia veræ fidei poſuerunt, & "
cetera. Quæ duo ſub uno capitulo continentur
ſicut & illa duo priora: ſed ab iſtis conſuete
diſciſſa & deminuta ſunt, ne in eis appareret
intentionis integritas. Ipſius autem capituli,
male ab ipſis diſſipati, hoc eſt principium, ſi-
cut in illa epiſtola continetur. Ob hanc conten- "
tionem, victores & pii Imperatores juſſerunt "
primates Epiſcoporum in Epheſinam congregari "
civitatem, & coram omnibus libros Neſtorii & "
Cyrilli judicari. Sed antequam omnes Epiſcopi, "
qui congregari juſſi fuerant, in Epheſum "
pervenirent, anticipans idem Cyrillus aures om- "
nium pigmento quod excæcat oculos ſapientum "
præoccupavit. Invenit autem cauſam ex odio, * " * 306
quod erat adverſus Neſtorium, & antequam ſy- "
nodo adeſſet ſanctiſſimus & reverentiſſimus Ar- "
chiepiſcopus Joannes, de epiſcopatu Neſtorium "
depoſuerunt, judicio, & inquiſitione non facta. "
Poſt duos autem dies damnationis ejus venimus "
in Epheſum. & cognoſcentibus nobis, quia in "
damnatione Neſtorii, quæ facta eſt ab eiſdem, "
XII. capitula, quæ a Cyrillo conſcripta ſunt "
contraria exiſtentia veræ fidei, poſuerunt, & "
firmaverunt, & conſenſerunt eis tanquam ve- "
ræ fidei conſonantibus, omnes Orientales Epi- "
ſcopi eundem Cyrillum damnaverunt, & ad- "
verſus alios Epiſcopos, qui conſenſerunt ejus ca- "
pitulis, excommunicationem decreverunt. Vi-
detur in his acerbis & tumentibus verbis re-
verentiſſimus Ibas indigeſtam adhuc exhalare
quodammodo offenſionis præteritæ cruditatem,
quod cum ab imperatoribus ita præceptum fue-
rit, ut in cauſa Neſtorii ſanctus quoque Joan-
nes Antiochenus cum Orientalibus Epiſcopis,
& alii primates Epiſcoporum cum ſuis, judices
conſiderent, illis necdum in Epheſum perve-
nientibus condemnatus eſt. Hinc extitit totius
cauſa diſcidii: hinc omnis tumultus ſumpſit o-
riginem. hinc orientales, aliique patres offen-
ſi, adverſa jam mente crediderunt, quod B.
Cyrillus, male ſibi conſcius, judicium & in- * 307
quiſitionem dictorum * patrum effugerit, ut eo-
rum non expectaret adventum. Arbitrabantur
enim, quod ſi etiam de capitulis ejus, quæ po-
ſtea retractavit, judicium & inquiſitio facta eſ-
ſet, non ſolus poſſet Neſtorius culpabilis inveniri.
Ob hoc itaque venerabilis Ibas dixit, judicio &
inquiſitione non facta condemnatum eſſe Neſto-
rium: tanquam de B. Cyrilli dictis, quorum
intentionem minus intelligebant, non fuerit fa-
cta diſcuſſio; cum Imperatores, ſicut retulit,
propterea juſſerant primates Epiſcoporum in E-
pheſinam congregari civitatem, ut coram omni-
bus non tantum Neſtorii libri, ſed etiam Cy-
rilli, judicarentur. Non ergo neceſſe eſt de
Neſtorio dictum accipere, quod ait, judicio
& inquiſitione non facta, velut Neſtorius ſine

* (303) *id.*
* (304) *recte dici.*
* (305) *diverſis.*

* (306) *quo.*
* (307) *ſuorum.*

judicio & inquiſitione fuerit condemnatus; cum
poſſit intelligi propterea dictum, quod capitula
B. Cyrilli, de quibus jam ſatisfecimus, in illo
judicio inquiſita non fuerint. Quod ſi etiam
concedamus quia de Neſtorio dictum eſt, judi-
* 308 cio * & inquiſitione, numquid etiam hoc con-
ceſſo, neceſſe nobis eſt intelligere, quod in
his verbis Neſtorius fuerat excuſatus? Cur enim
non credamus reverentiſſimum Ibam non excu-
ſantem, ſed indignantem quod Orientales ex-
pectati non fuerint, dixiſſe in illo Concilio,
judicio & inquiſitione non facta finitum, quod
ſine ipſis ibi judicatum fuerat & quæſitum: tan-
quam judicium non eſſet legitimum, neque le-
gitima inquiſitio, ubi ipſi non aderant, qui pa-
riter inquiſitores delecti erant & judices? Verum
exiſtimo, & credere nos oportet, quod Orien-
talibus, & aliarum provinciarum patribus, ali-
quæ cauſæ inevitabiles accidere potuerunt, ut ve-
nire tardarent: ex altera parte B. Cyrillo, &
aliis qui prævenerant, ſimiliter quæcumque ne-
ceſſitas, ut eos diutius expectare non poſſent.
Ubi nos quid dicamus, niſi illud quod jam di-
ximus, cum de maledictis ipſius Cyrilli, quæ con-
Matth. 18.7. tra S. Joannem protulit, ageremus, *Væ mundo a
ſcandalis*? Siquidem non ſolum voluntariis ani-
morum motibus, verum etiam præter volunta-
tem, præterque ſcientiam, exagitandis morta-
libus oriuntur.

CAP. III. At hæc omnia quibus apparere poſſit, ex qua cauſa cum aliis, & maxime Orientalibus Epiſcopis, offenſus reverentiſſimus Ibas ita de B. Cyrillo locutus eſt, doctores iſti novitiæ veritatis in ſuo libro ponere vitaverunt, quo illa epiſtola, quam ſynodus pronuntiavit orthodoxam, excuſaſſe Neſtorium videretur. Quod quidem ſi faceret, quod reſpondebamus Neſtorianis pro B. Anatolio, a quo damnatus eſt Dioſcorus, quem excuſare volens dixit, eum non pro fide eſſe damnatum; hoc etiam Eutychianis pro reverentiſſimo Iba non immerito reſpondere poſſemus. Quoniam aliud eſt, ſi quiſque ſimpliciter in hæretico dolos ſuos occulente fallatur, ut eum putet orthodoxum: & aliud, ſi ipſammet ejus hæreſim agnitam ſectetur atque defendat. Quamquam ſi quis etiam ſic utrorumque cauſam diligenter adtenderet, gravior Epiſcopi Anatolii probaretur; quoniam ipſe, quemadmodum dictum eſt, in ea ſynodo voluit ab hæreſis crimine Eutychis atque Eutychiani dogmatis defenſorem Dioſcorum excuſare, in qua Eutyches cum ſuo dogmate, & Dioſcorus, ut ejus defenſor, inter alios ipſo decernente damnati ſunt. Ibas autem non interfuit Epheſino Concilio, in quo Neſtorius eſt damnatus. quin imo & ex eo quod Orientales patres, atque alii diverſarum provinciarum Epiſcopi, qui cum illis Epheſo convenerunt, expectati non fuerint, in Neſtorii damnatione graviter erat offenſus. Nam etſi

legere alia dignentur, qui legenda conſcribunt,
invenient etiam Timotheum, Apollinaris diſci-
pulum, a B. Athanaſio per ignorantiam tempo-
ribus * B. Damaſi ſedi Apoſtolicæ velut orthodo- * 309
xum commendatum, atque ab ipſo Papa Damaſo
ſine cohibentia hæreſis ſimpliciter eſſe ſuſceptum.
Invenient etiam Pelagium hæreſiarcham, a quo
Pelagiani dicuntur, in judicio Palæſtinorum E-
piſcoporum, quæ contra Chriſti gratiam ſen-
tiebat operientem, pravaſque ſententias ſuas
verſutia interpretantem, per eandem ignoran-
tiam abſolutum. Invenient poſtremo B. quo-
que [a] Zoſimum, Apoſtolicæ ſedis antiſtitem,
contra S. Innocentii deceſſoris ſui ſententiam,
qui primus Pelagianam hæreſim condemnavit,
fidem ipſius Pelagii, ejuſque complicis Cæleſtii,
quem in Eccleſia Carthaginenſi convictum, at-
que appellantem Apoſtolicam ſedem, & ipſe ge-
ſtis diſcuſſerat, tamquam veram & catholicam
laudantem, inſuper etiam Africanos culpan-
tem Epiſcopos, quod ab illis hæretici crederen-
tur: cum necdum * ipſi Africanis Epiſcopis do- * 310
los eorum multo manifeſtius detegentibus, me-
moratos Pelagium & Cæleſtium putaret ortho-
doxos. Et tamen nec Athanaſium, nec Dama-
ſum, nec illos Palæſtinos Epiſcopos, & Zoſi-
mum hæreticos credit Eccleſia, quia de hæ-
reticis bene ſenſerunt, ſed potius pro merito ſuæ
fidei catholicos judicat & honorat: quoniam non
debet crimini deputari ſimplicium, non intel-
lecta verſutia malignorum. Quocirca ſi etiam
venerabilis Ibæ epiſtola excuſaſſe Neſtorium pro-
baretur, non propter hoc hæretica, ſed merito ſuæ
fidei, orthodoxa debuit a ſynodo judicari. Por-
ro neceſſe non eſt hæc Eutychianis in defenſionem
ſanctæ ſynodi reſpondere, quoniam ſatis in ip-
ſius epiſtolæ verbis apparet, & adhuc ex his
quæ circa ipſum venerabilem Ibam geſta ſunt
multo evidentius apparebit, quod non ad excu-
ſationem Neſtorii, ſicut quidam videri voluerunt
idem Ibas dixerit, De epiſcopatu Neſtorium de-
poſuerunt judicio & inquiſitione non facta. Nam
ſi etiam nolint, quod prius adſtruximus, de
capitulis B. Cyrilli dictum intelligi; nihil ob-
ſiſtit ut credatur, quod idem dictum eſt, quia
venerabilis Ibas ob Orientalium aliorumque pa-
trum injuriam, qui expectati non ſunt ut ju-
dicio & inquiſitioni adeſſent, dedignatus eſt di-
cere Neſtorium, ab ipſis quoque deponendum,
judicio & inquiſitione * facta depoſitum. tantum * 311
auctoritatis tribuens S. Joanni Antiocheno, & cæ-
teris comprovincialibus ſuis, ſive aliarum pro-
vinciarum Epiſcopis, ut quod abſque ipſis actum
fuerat, nec judicatum, nec inquiſitum dicere
dignaretur. Non enim parvus numerus, aut
parva fuit auctoritas illorum etiam primatum,
qui cum ſuæ diœceſeos Epiſcopis, ſicut erant
admoniti, venientes Epheſum cum memorato S.
Joanne Antiocheno, & cæteris. Orientalibus
ſenſerant. Novem quippe provinciarum eis ad-
juncti erant Epiſcopi; id eſt Bithyniæ, Piſidiæ;

a *Zozimum Pelagii fidem*) Ex hoc loco, & ex iis quæ S. Auguſtinus ſcribit lib. II. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. III. falli eos patet, qui Zoſimi literas pro Cæleſtio ſubdititias putarunt. Nec tamen, ut genuinas fateamur, habuerunt Pelagiani, quod de his magnopere triumpharent, in quibus a Zoſimo, ut ait Auguſtinus, voluntas emendationis, non falſitas dogmatis approbata eſt. Nam cum inſtrui ſe paratum libello ſuo profeſſus eſſet Cæleſtius, atque Innocentii Papæ literis conſentire ſe reſponderet, redire ad meliorem mentem videbatur. Ceterum reſcribentibus Afris, quibus perſpecta Cæleſtii calliditas erat, non ſufficere quod de Innocentii literis jactabat, niſi apperte ea reſpueret quæ in ſuo libro prava poſuerat, eum examini ſe ſubtraxiſſet; a Zoſimo iterum cum Pelagio damnatus eſt.

* (308) *& inquiſitione non facta*. Lectionem confirmant quæ ſupra & infra dicuntur.
* (309) *Papæ Damaſi*.
* (310) *ipſis*.
* (311) *non facta*.

Cappadociæ ſecundæ, [b] Pelagoniæ, Europæ, My-
* 312 ſiæ ſecundæ, Rhodopæ, * Thraciæ, atque Theſſaliæ. Quid autem attinebat ad ſynodum Calchedonenſem, quod idem arroganter, vel injuriarum dolore, vel ex alia quacumque cauſa, venerabilis Ibas dixerit, cum de Chriſtiana fide, pro qua convenerant, nihil profanum fuerit in epiſtola ſua locutus?

CAP. IV. Intende nunc, Auguſte, nobiſcum, ut deprehendere queas conſueta furta latronum. quomodo hanc ſententiam, ex qua poſuerunt, Cyrillus aures omnium pigmento, quod excæcat oculos ſapientum, præoccupavit, & de epiſcopatu Neſtorium depoſuerunt judicio & inquiſitione non facta, non ſolum capite truncaverunt, neque contenti fuerunt ſolum cum capite finem ejus auferre: ſed ut apertius proderentur, quod non cauſa brevitatis potius, quam obſcurandæ veritatis hoc fecerint, etiam de medio ejus furati ſunt alia, quæ legentibus facile demonſtrarent reverentiſſimum Ibam, non pro Neſtorii excuſatione, ſed Epiſcoporum Orientis, aliorumque injuria ſic locutum. Nam conferte quæ illi male decerpta poſuerunt, & quæ nos ſecundum ipſius epiſtolæ tenorem poſuimus; & non ſolum quæ furati ſunt, verum etiam furtorum cauſas videbitis. Cur enim in primis narrationis ipſius epiſtolæ fugerent initium, quos inde oportebat incipere, niſi quia neſcientibus quid epiſtola ipſa contineat, vel minus intelligentibus, ſubripere voluerunt? Facio autem, inquit, initium narrationis de verbis quæ & ipſe noſti. Contentio facta eſt, dum reverentia tua hic, eſſet his duobus hominibus Neſtorio & Cyrillo: & conſcripſerunt adverſus ſe noxios libros, qui ſcandalum fuerunt audientibus. Neſtorius enim docuit in ſuis libris, ſicut & reverentia tua novit, quia B. Maria Dei genitrix non eſt, ita ut multi putarent de hæreſe Pauli Samoſateni hunc eſſe, qui dixit hominem purum eſſe Chriſtum. & poſtea ſequitur, unde iſti cœperunt: Cyrillus autem volens Neſtorii libros deſtruere, lapſus eſt, & in dogma Apollinaris inventus eſt incidiſſe. Conſcripſit etiam & ipſe ſimiliter illi, quia ipſe Deus verbum factus eſt homo. & deinde ſequitur illud, quod iterum ſubtraxerunt, tanquam non ſit differentia inter templum & inhabitantem in eo. Cur itaque, ſicut dixi, narrationis ipſius principia contingere vitaverunt, unde potius ratio docendæ veritatis ſuadebat incipere, niſi quia falſitati contrarium eſt, quod eſt conveniens veritati? Nam calumniari volentes huic epiſtolæ, quod quaſi Neſtorium excuſaverit, occultare voluerunt quod ibi dictum eſt de ipſo Neſtorio, vel B. Cyrillo, conſcripſerunt adverſum ſe noxios libros qui ſcandalo fuerunt audientibus. Quomodo enim videretur reverentiſſimus Ibas excuſaſſe Neſtorium, ſi ſciretur dixiſſe, quod noxios libros, qui ſcandalo eſſent audientibus, ipſe quoque conſcripſerit? Non igitur excuſando Neſtorium, ſed accuſando ſimul B. Cyrillum, videretur erraſſe: quod ſicut in

A illo noxium judicavit, quia B. Mariam Dei genitricem negabat, ita & in S. Cyrillo noxium credidit, quod eum putaverat ſimiliter ut Apollinarem conſcripſiſſe, quia ipſe Deus verbum ſic factus eſt homo, ut non eſſet differentia inter templum, & inhabitantem in eo. Et idcirco nec illud credendum eſt ad excuſationem dictum eſſe Neſtorii, quod iſti quidem, neſcio utrum conſcientia renuente, an quia præteriit illos in alias fraudes intentos, non poſuerunt in eodem calumniarum atque mendaciorum ſuorum libro: tamen quod videmus ab eorum ſociis vel ſatellitibus objectari, non omittimus
B ſimili ratione refellere. Nam cum memoratus venerabilis Ibas narraret ac diceret, omnes Orientales Epiſcopi eundem Cyrillum damnaverunt, & adverſus alios Epiſcopos, qui conſenſerunt ejus capitulis, excommunicationem decreverunt, ibi ſecutus adjecit, Et poſt hanc turbationem unuſquiſque in ſuam civitatem reverſus eſt. Neſtorius autem, quoniam ſuæ civitati odio erat, & qui erant in ea excellentioribus, illo reverti non potuit. Objiciunt ergo nobis & dicunt, Ecce ubi eſt rurſus ab Iba Neſtorius excuſatus: quia non eum dixit ut hæreticum in ſuam civitatem reverti non potuiſſe, ſed quoniam ei
C odio erat, & qui erant in ea excellentioribus. Quaſi probare poſſint, quod reverentiſſimus Ibas Neſtorium dixerit, non propter hæreſem, ſed propter alias quaſcumque cauſas, odio fuiſſe civitati ſuæ, & qui erant in ea excellentioribus, ut in eam reverti non poſſet, qui ſuperius jam dixerat, quod noxios conſcripſerit libros, qui ſcandalo fuerint audientibus, quia B. Mariam matrem Dei negabant. Reſpondemus igitur eis hoc modo, ut omittamus alia quibus refragantibus hæc calumnia multipliciter ac facillime confutatur, Numquid alicubi reverentiſſimus Ibas ait, quod Neſtorius quidem odio erat ſuæ
D civitati, & qui erant in ea excellentioribus, ſed non tamquam hæreticus, ut in eam reverti non poſſet? Non, inquiunt. Numquid hoc ſaltem dixit, odio erat ſuæ civitati, & qui in ea erant excellentioribus, ob alias privatas cauſas, ut in eam reverti non poſſet? Neque hoc, inquiunt. Si igitur nec hoc reverentiſſimus Ibas dixit, quod quidem ſi diceret, non erat conſequens, ut qui pro aliis privatis cauſis odibilis diceretur, etiam pro ſua hæreſi negari videretur odibilis: tamen cum neque hoc dixerit,
E unde poteſtis oſtendere, quod his verbis venerabilis Ibæ fuerit Neſtorius excuſatus? An forte videretur vobis ad ſacerdotis orthodoxi teſtimonium pertinere, ſi dicatur odio eſſe civitati ſuæ, & qui in ea ſunt excellentioribus? Non videretur, inquiunt. verumtamen in verbis hujus epiſtolæ ſubauditur hoc, quia Neſtorius non hæreticus, ſed ut ob alias privatas cauſas odibilis, in ſuam civitatem reverti non potuit. At ego in illis verbis hoc potius ſignificatum ſubaudio, quia Neſtorius tamquam hæreticus odio erat ſuæ civitati, ut in eam reverti non poſſet. Quænam ſubauditio acceptabilis eſſe videbitur? Arbitror quod ea potius, quæ verbis ſuperioribus

---

a *Pelagoniæ*) Sic habent vetera exemplaria. Et videri poterat Pelagonia dici Macedonia II. in qua civitas fuit Pelagonia, ut docet Hierocles in Synecdemo. quo modo & in Synodo v. ſubſcribit *Benignus Epiſcopus Heracleæ Pelagoniæ*, ad diſcrimen aliarum urbium ejuſdem nominis. Ceterum in actis Synodi Epheſinæ, unde hunc numerum provinciarum hauſit Facundus, non *Pelagoniæ* ſcriptum eſt, ſed *Paphlagoniæ*, titulo Περὶ τῆς ἀποσχίσεω. & in epiſtola Orientalium ad Ruſum Epiſcopum, οἱ τῆς ἀνατολικῆς οἰκουμένης· ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ Βιθυνοί, καὶ Παφλαγόνες, καὶ ἡ δευτέρα Καππαδοκία, καὶ Πισιδία, καὶ Θετταλία, καὶ Μυσία, καὶ Ῥοδόπη, καὶ ἄλλαι πλεῖσται ἀπὸ διαφόρων ἐπαρχιῶν: Quare ita & hoc loco legendum. at contra in Vigilii Conſtituto, *Heraclea Paphlagoniæ* perperam ſcriptum eſt pro *Pelagoniæ*.

* (312) *Daciæ*.

congruit, quibus dictum eſt quod idem Neſto-
rius noxios ſcripſerit libros, qui ſcandalo fue-
rint audientibus, quia B. Mariam matrem Dei
negabat: quam illa, quæ videtur his omnibus
* 313 repugnare, * quia Neſtorius pro ſuis noxiis li-
bris, quibus negans matrem Dei Mariam ſcan-
dalizaverat audientes, odibilis erat ſuæ civi-
tati, ut in eam reverti non poſſet. Tamen ex
abundanti conſtituamus reverentiſſimum Ibam
non ſubaudiendum ſignificaſſe, ſed aperte dixiſ-
ſe, quod Neſtorius odio erat quidem civitati ſuæ
& qui erant in ea excellentioribus, ſed non
tanquam hæreticus, magis autem propter alias
cauſas, ut in eam reverti non poſſet; & defuiſ-
ſe nobis alia, quæ jam diximus, & quæ multo
plura dicemus, quibus convincentibus ſatis o-
ſtenderetur, quod etiam hæc non ad excuſan-
dum Neſtorium dicta eſſent: numquid neceſſe
erat eadem per ſe conſiderata quæ finximus
verba ſic intelligere, ut excuſatus in eis Neſto-
rius videretur? Poſſent enim & aliter intelligi,
id eſt, quia licet hæreticus Neſtorius eſſet, ſua
tamen civitas hoc de illo non credidit: nec
tamquam hæreticus, ſed propter quod ei ob a-
lias cauſas odio erat, in eam reverti non po-
tuit. Poſſent etiam ſic intelligi, quia licet hære-
ticus Neſtorius eſſet, & hoc etiam ſuæ civitati vi-
deretur; non tamen propterea in eam reverti
non potuit, cum ab Orientalibus, & aliarum
provinciarum Epiſcopis, non eſſet condemnatus,
quos Imperatores ejus cauſam judicare præcepe-
rant; ſed quod ei ob alias cauſas odio fuerit.
Tamquam ſi venerabilis Ibas, multum tribuens
auctoritatis ſuo Metropolitano, & ceteris orien-
talibus aliarumque provinciarum Epiſcopis, qui
non fuerant expectati, diceret quia Neſtorius,
licet hæreticus, non tamen ab eis condemna-
tus, poſſet reverti in civitatem, & eorum ex-
pectare judicium, niſi ei propter alias cauſas
odio eſſet. Nam cum iidem orientales, & qui
cum eis erant, tantum prævaluerint adverſus
Epheſinum Concilium pro receptione capitulo-
rum B. Cyrilli, ut eumdem B. Cyrillum, &
Memnonem Epheſinum Epiſcopum condemna-
rent, & Imperatore jubente [a] Comes quoque
ſacrarum largitionum eos in cuſtodia traderet:
quid eſſet præjudicii, ſi & hoc diceret Ibas,
quia in Neſtorio, quamquam hæretico, tamen
ab orientalibus non excluſo, non illorum eſt
conſiderata ſententia, qui condemnati velut hæ-
retici potuerunt in cuſtodiam mitti: ſed quia
propter alias cauſas civitati ſuæ fuit odibilis, ideo
in eam reverti non potuit? Verum nihil horum
in ejus epiſtola continetur, in qua hoc tantum-
modo dictum eſt, Neſtorius autem, quoniam
ſuæ civitati odio erat, & qui erant in ea ex-
cellentioribus, illo reverti non potuit. De quo
jam calumnioſis reſpondimus amplius forte quam
neceſſarium fuit.

CAP. V.

In tantum vero vel reverentiſſimus Ibas, vel
ejus epiſtola longe aberant ab hac ſuſpicione,
quod Neſtorium dicitur excuſaſſe, ut nec ipſi
judices Photius, & Euſtachius, atque Uranius,
objecta atque relecta eadem epiſtola, prædi-
ctum Ibam Epiſcopum compellerent anathema
Neſtorio dicere. [b] Non enim verum eſt, quod
in ſuo libro poſuerunt iſti, quibus tantum men-
tiri libet, quantum impune licet, dicentes, De- "
nique & Photius, & Euſtachius Dei amatores, "
conſpicientes denegationem Ibæ de epiſtola fa- "
ctam, judicatum dederunt ad deſtructionem & "
excluſionem impietatis epiſtolæ ad Marim. quod "
judicatum, ſicut ſuperius diximus, adiens Ibas
ſanctam ſynodum petiit legi. Habet autem ju-
dicatum ita, ut Ibas in ſua Eccleſia anathe-
matizaret palam malignæ impietatis principem
Neſtorium, & eos qui aut libris aut codicibus
ejus utuntur. Non itaque verum eſt quod di-
xerunt, quia nec oſtenditur, ſicut jam docui-
mus, Ibas denegaſſe quod ſua fuerit ad Marim
epiſtola: neque venerabiles Photius & Euſta-
chius Epiſcopi judicaverunt, ut Ibas in ſua Ec-
cleſia anathematizaret palam malignæ impieta-
tis principem Neſtorium, & eos qui aut libris
aut codicibus ejus utuntur. Sed ipſe prædictus
Ibas Epiſcopus ultro & ex abundanti, hoc ne-
mine vi compellente vel quærente promiſit, ſi-
cut prædictorum Photii & Euſtachii Epiſcopo-
rum definitione monſtratur. Namque cum ab-
ſente jam venerabili Uranio Epiſcopo, qui cum
illis judex in hac cauſa jubente Imperatore con-
ſederat, ex judicibus mediatores pacis ſemetip-
ſos partibus præberent, poſt aliquanta dixerunt,
cum multa mota fuiſſent, quæ in actis inſerta "
ſunt, Nos cognitorum ordinem paululum relin- "
quentes, & ad ſanctarum Eccleſiarum commu- "
nem utilitatem reſpicientes, pro judicibus me- "
diatores noſmetipſos partibus fecimus, & mul- "
tis uſi conciliis, pietatem ubique proponentes, " * 314
præparavimus * Epiſcopum Ibam, quod ipſe ad "
ſatisfactionem eorum quæ dicta fuerant ſapuit, "
ſcripto dare quid ſentiret vel ſaperet de pia "
noſtra fide: quod etiam fecit. Ex abundanti au- "
tem prædictus reverentiſſimus vir promiſit, * ut in " * 315
ſuæ civitatis Eccleſia palam anathematizaret ma- "
lignæ impietatis * principem, & eos qui ſicut " * 316
ille ſapiunt, & qui aut libris aut codicibus e- "
jus utuntur. Confeſſus eſt autem ſeſe credere ſi- "
cut continent literæ, quæ intervenerunt inter "
reverentiſſimæ & ſanctiſſimæ memoriæ Joannem "
magnæ Antiochenæ civitatis, & Cyrillum * Ale- " * 317
xandrinum Epiſcopos, quorum miniſter fuit bea- "
tæ memoriæ Paulus Emeſenorum civitatis Epi- "
ſcopus, ex quibus & univerſalis conſenſus ef- "
fectus eſt. Ecce venerabiles Photius & Euſta-
chius, ex judicibus mediatores pacis effecti, di-
cunt quod non ipſi judicaverint, ſicut fingitur
ad deſtructionem & excluſionem impietatis epiſto-

a *Comes ſacrarum largitionum*) Joannes. Extat in actis Orientalium poſt Synodum Epheſinam Theodoſii Imp. epiſtola ad Synodum miſſa per Joannem Comitem ſacrarum, *ἴση σάκρας ἀποςαλείσης διὰ Ιωάννου τῦ Κόμητος σακρῶν*. cui deinde ſubdita eſt epiſtola Joannis ejuſdem Comitis Sacrenſis ad Imperatorem, in qua narrat ſe Neſtorium cuſtodiendum tradidiſſe Candidiano Comiti domeſticorum, Cyrillum & Memnonem Jacobo item Comiti & præpoſito quartæ ſcholæ.

b *Non enim verum eſt*) Quod ipſum tamen in Edicto ſuo adfirmat Juſtinianus. Ὅθεν, inquit, *οἱ μνημονευθέντες Φώτιος, καὶ Εὐςάθιος διὰ τῆς τῆς ἐγκαλουμένης πληροφορίας ἐγγράφως διατυπώσαι τὸν εἰρημένον Ἴβαν πράττειν τὰ ἐναντία τῇ ἐπιςολῇ πρᾶξαι, καθὼς ἡ περὶ τούτου δοθεῖσα παρ' αὐτῶν ἐπίκρισις δείκνυσιν.* Synodus item v. actione vi. *Photius vero & Euſtathius non ejuſdem abnegatione contenti, perſpexerunt per ſuam definitionem, Ibam ad Edeſſam pervenire, & manifeſte in Eccleſia anathematizare Neſtorium, & impia ejus dogmata quæ impia epiſtola vindicabat.*

* (313) *repugnare. Quamvis itaque convenientius ſubaudiatur, quia Neſtorius &c.*
* (314) *reverentiſſimum Epiſcopum &c.*
* (315) *& in ſua Civitatis Eccleſia palam anathematizare.*
* (316) *principem Neſtorium.*
* (317) *magna Alexandrinorum Civitatis Epiſcopum.*

* 318 læ ad Marim, ut * reverſus Ibas in ſuæ civitatis
Eccleſia palam anathematizaret Neſtorium, qui
non pro excuſatione Neſtorii, ſed pro injuria O-
rientalium & cæterorum, qui cum eis expectati
non fuerant, dixiſſe eum judicaverunt quæ
quidam in illa epiſtola male interpretantur.
* 319 Alioqui non dicerent, ex abundanti promiſiſſe *
reverſum Ibam, ut anathematizaret in Eccle-
ſia civitatis ſuæ Neſtorium, ſed ſemetipſos po-
tius neceſſarie hoc ab illo dicerent flagitaſſe.
Illud quoque procul dubio ſimul apparet, quo-
* 320 niam * ſolita fraude ſubtraxerunt quod nos ex
eiſdem geſtis poſuimus, quia confeſſus eſt ita ſe
credere Ibas Epiſcopus, ſicut continent literæ,
quæ intervenerunt, mediante Paulo Emeſenæ
civitatis Epiſcopo, inter beatæ memoriæ Joan-
nem Antiochenum, & Cyrillum Alexandrinum
Epiſcopos: ne ex hac teſtificatione Photii & Eu-
ſtachii Epiſcoporum, quam ad deſtructionem &
excluſionem epiſtolæ venerabilis Ibæ factam eſſe
mentiti ſunt, ejus potius veritas oſtenderetur.
* 321 quoniam & * hæc ipſa non tacuit. Quod ſi
cui quæ dicimus adhuc videntur obſcura, &
plenius cauſam ſcire deſiderat, admonendus
eſt ut legat tantum eadem geſta, non ut in-
telligat adjuvandus. Quod enim hic videtur ob-
ſcurum, ibi luce clarius invenitur. Sed & illud
falſum omnino eſt, quod in eodem mendaciorum
a » ſuorum libro ita dixerunt: [a] Sancta ſynodus
» non contenta neque facta ab Iba denegatione
» propter ad Marim epiſtolam, neque etiam pro
» eo facta teſtificatione clericorum Edeſſenorum,
» ſed confirmans judicatum Photii & Euſtachii,
» petivit Ibam, ad deſtructionem & excluſionem
» ad Marim impiæ epiſtolæ, anathematizare Ne-
» ſtorium, & ejus dogmata, quæ eadem epiſtola
» laudibus afficiebat. Ubi enim vel reverentiſſi-
» mus Ibas ſuam eſſe negavit illam epiſtolam, vel
illa epiſtola Neſtorium & ejus dogmata laudibus
ſicut loquuntur affecit, de quo dixit quod no-
xios conſcripſerit libros, qui ſcandalo fuerint
audientibus, quia B. Mariam matrem Dei ne-
gabat? Sed recitent ex ea laudes ipſas quas di-
cunt Neſtorii, & dogmatum ejus. Si autem non
eſt quod recitent, erubeſcere debuerunt toties,
aperteque mentiri. Piget enim me, fateor, ac
pudet omnino tot arguere mendacia, & multa
præteriens ad aliquorum redargutionem neceſ-
ſitate compellor. Quamvis autem ipſis probare
immineat quod dixerunt, nos tamen illis, præ-
ter ipſius epiſtolæ documentum, quod nihil ta-
le continet, etiam ex memorati Concilii Cal-
chedonenſis ſententia, de qua ipſi teſtimonium
confinxerant, probemus quod reverentiſſimus
Ibas non ſolum Neſtorium & ejus dogmata in
ſua epiſtola non laudarit; verum etiam, quod
jam dudum propoſuimus demonſtrare, nullam
Neſtorii fecerit excuſationem. Namque cum
apud ſynodum Calchedonenſem, ex geſtis
Photii & Euſtachii atque Uranii Epiſcoporum
eadem relegeretur epiſtola, hoc tantum in il-
la notavit, quod B. Cyrillum minus intellecta
capitulorum ejus intentione culpaverit, non quod
Neſtorium fecerit excuſatum. Talem enim de-

A dit ſententiam, ſicut quinto libro docuimus: "
Dudum quidem ex relectis innoxius demonſtra- "
tus eſt reverentiſſimus Ibas. in quibus etenim "
viſus eſt culpare male loquens beatiſſimum Cy- "
rillum, in poſterioribus recte confeſſus reſpuit "
illa quibus culpaverat. quia vero Neſtorium ex- "
cuſavit, non invenitur a ſynodo reprehenſum. "
quod proculdubio reprehenderet, ſi ille Neſto- "
rium, quem ipſa damnaverat, excuſaret: mul-
to magis, ſi etiam laudibus, ſicut loquuntur,
afficeret. Sententia igitur ejudem ſynodi, ſi
quid ei creditur, probat nec laudatum, nec
excuſatum fuiſſe in epiſtola Ibæ Neſtorium. * * 322
B quæ non ſolum Neſtorium fecit ut anathemati-
zaret, verum etiam & Eutychem, quod iſti di-
cere noluerunt: cum Ibas Epiſcopus de Euty-
chiano dogmate non fuerit accuſatus, quin po-
tius querebatur injuſtitiam ſe ab ipſo Eutyche &
crimina falſa perpeſsum. Sed quia ſancta illa ſy-
nodus, quæ non tantum Eutychem damnare,
verum etiam Neſtorii damnationem firmare con-
venerat, epiſtolam ipſius Ibæ orthodoxam eſſe
cognovit, & Neſtorio maxime, Eutychique con-
trariam, dignum judicavit ſocium ſibi eum in
condemnationem hæreticorum quos refutabat ad-
ſciſcere. Quod ſi Eutychiani putant fieri de-
C buiſſe, ut ejus epiſtolam confitentem duas Chri-
ſti naturas in unitate perſonæ, quaſi Neſtoria-
nam vellet ſynodus aſpernari, Neſtorium profecto
quantum ad ſe excuſaret, atque ab hæreſis cri-
mine faceret alienum. Quod etiam ſuperiore li-
bro, ſicut promiſeramus, oſtendimus. Unde vi-
deant, qui hanc epiſtolam Neſtorianam eſſe di-
xerunt, ne ipſi potius videantur excuſare Ne-
ſtorium, affirmantes quod ſecundum ejus do-
ctrinam confiteatur quod duarum naturarum u-
na perſona ſit, quod eſt unus filius dominus
noſter Jeſus Chriſtus. Nam hæc epiſtola recte
D dici non poteſt Neſtorium defendiſſe, cujus con-
feſſio videtur dogmati Neſtoriano contraria.
quod ſancta ſynodus videns, orthodoxam eam
non immerito judicavit. Verum mihi minus
videtur apparere, quam ſint impudentes qui ca-
lumniantur in epiſtola venerabilis Ibæ excuſa-
tum fuiſſe Neſtorium, ſi teſtimonio tantum E-
piſcoporum Photii & Euſtachii atque Uranii,
vel etiam Calchedonenſis ſynodi, de ſuo menda-
cio refellantur, niſi ipſorum quoque accuſato-
rum Ibæ confundantur exemplo, quibus eos ca-
lumnioſiores & impudentiores oſtendimus. Nam
E & illi ad hoc tantum ipſam protulerunt epiſto-
lam, ſicut ea in quibus continetur geſta de-
monſtrant, ut ex illa probarent, quod B. Cy-
rillo detraxerit, non quod Neſtorium voluerit
excuſare. Cumque Neſtorianum vellent eundem
Ibam videri magis hoc ex B. Cyrilli detractio-
ne, quam ex Neſtorii excuſatione, vel laude,
ſicut amplius fingitur, probare conati ſunt. Di-
xerunt enim de illo, quia Neſtorianus eſt, &
beatum Cyrillum Epiſcopum hæreticum appel-
lat. Et quid opus erat iſto circuitu, ut qui B.
Cyrillo Neſtorii damnatori detraxerat, hinc eum
Neſtorianum vellent oſtendere; cum hoc com-
pendioſe poſſet ex ipſius Neſtorii excuſatione, vel

a *Sancta Synodus*) Et hoc etiam objiciunt tum Juſtinianus in Edicto, tum Synodus v. quæ hoc ipſo damnatam a Concilio Calchedonenſi epiſtolam Ibæ docet, quod Photii & Euſtathii, qui eam velut impiam condemnarunt, judicium comprobarit.

* (318) *reverentiſſimus*.

* (319) *reverentiſſimum*.

* (320) *ideo ſolita*.

* (321) *hoc*.

* (322) *Neſtorium: & ideo non putetur, neque fingatur, quod Synodus ad deſtructionem & excluſionem ad Marin epiſtolæ, Ibam fecerit anathematizare Neſtorium; quæ non ſolum &c.*

A dogmatum ejus laude monſtrari, ſi quemadmodum iſti dixerunt, * 323 * illa epiſtola excuſaſſet? Quod ſi nec ab ipſis calumniatoribus ex eadem epiſtola tale aliquid invenitur objectum, quantum videntur hi malitiam eorum & impudentiam ſupergreſſi, ut quod illi nec in querelis apud Imperatores depoſitis, nec in judiciis Epiſcopalibus ante Calchedonenſe concilium non ſemel expertis, nec in ipſo magno & univerſali Concilio tentaverunt objicere, ipſi poſt ejuſdem Concilii ſententiam criminentur? Illi, quamvis obſtinatiſſimi, & ipſa obſtinatione ſua cæcati, viderunt & ſibi turpe fore, & aliis incredibile, ſi B dicerent in illa epiſtola Neſtorium fuiſſe defenſum: & ſapientes noſtri non ſolum dicibile ſibi hoc eſſe, verum etiam nobis credibile putaverunt. Viderint autem utrum illos ita mentiri deceat, nobis tamen quod mentiuntur incredibile eſſe cognoſcant. Advertis itaque, clementiſſime Imperator, quod epiſtola venerabilis Ibæ a falſo crimine excuſati Neſtorii etiam accuſatorum ſuorum teſtificatione purgetur, nec alicujus in hoc aſſertionis indigeat, in quo eam ſui quoque accuſatores ſufficienter excuſant. Sed quid dicemus de calumniis tempornm noſtrorum, ut quod tunc puduit impudentiſſimos accuſatores, C modo non pudeat judices, & quales judices? non humanæ ſed divinæ auctoritatis, ſicut exiſtimant. Nam judices ſunt judicum, & judices mortuorum. Et ex his quidem quæ circa venerabilem Ibam geſta ſunt, ſatis ſuperque probavimus malivola interpretatione jactari, qnod Neſtorins in ejus epiſtola fuerit excuſatus. Si quis autem & hoc conſideret, quod idem venerabilis Ibas venire non poſſet contra judicium S. Joannis Antiocheni, cui tantam tribuit auctoritatem, & ceterorum Orientalium, atque aliorum cum eis in Epheſum ex diverſis provinciis convenientinm ſacerdotnm, qui Neſtorium, licet ſine judicio ſuo cui deputatus fuerat, condemnatum, abſolvendum tamen non jndicaverunt, D multo manifeſtius cognoſcit quoniam enm nullatenus excuſavit. Quod conſideraſſe etiam ejus accuſatores exiſtimo, ut cum diuturna excogitatione adverſus memoratum reverentiſſimum Ibam tot calumnias præſtruerent inauditas, tamen impudentiſſimum judicarent contra omnium conſcientiam dicere, quod Iba apud plures excuſaverit aliquando Neſtorium. Nam cum poſt damnationem ipſius Neſtorii, orientales Epiſcopi, atqne ipſe reverentiſſimus Ibas, cnm S. Joanne Antiocheno Epheſum pervenirent, de capitulis tantnm B. Cyrilli, qund ibi fuerint ap- E probata conqueſti ſunt, ſicut eorum ſcripta declarant: nihil autem ſunt de Neſtorii damnatione cauſati. quod etiam venerabilis Ibas in
» hac epiſtola ſic narravit: Poſt duns autem dies
» depoſitionis ejus venimus in Epheſum. & co-
» gnoſcentibus nobis qnia in damnatione Neſtorii,
» quæ facta eſt ab eis, XII. capitula, quæ a
» Cyrillo conſcripta ſunt, contraria exiſtentia ve-
» ræ fidei, poſuerunt, & firmaverunt, & con-
» ſenſerunt eis, tamquam veræ fidei conſonan-
» tibus, omnes orientales Epiſcopi eumdem Cy-
» rillum damnaverunt, & adverſus alios Epiſco-
» pos, qui conſenſerunt ejus capitulis, excommunicationem decreverunt. Pro capitulis ergo tantum B. Cyrilli, quorum ignorabant intentionem, non etiam pro condemnatione Neſtorii reverentiſſimus Ibas Orientales Epiſcopos dixit offenſos. Quomodo ergo vel ipſe contra B. Joannis Antiocheni, qui in eo primatum habuit, totiuſque Concilii orientalis, ac ſuum judicium, Neſtorium conſcribentem libros noxios excuſaret, vel ipſi ejus accuſatores crediturum ſibi quemquam ſperarent, ſi hinc eum contra publicam notitiam criminarentur? Et ideo, ſive illa epiſtola Ibæ eſſe dicatur, ſive ab ejus accuſatoribus perhibeatur eſſe conficta, non eſt arbitrandum quod omitterent hinc eum accuſare, ſi viderent hoc eſſe credibile. Amplins tamen abſurdum eſt opinari, quod accuſatores illam epiſtolam ex nomine venerabilis Ibæ fingentes, ut Neſtorianus videretur, nihil ei vel in tantis Epiſcopalibus judiciis ante Calchedonenſe Concilium, vel in ipſo Concilio, de Neſtorii defenſione tentarent objicere. Nam ſi illa verba quibns dictum eſt, De Epiſcopatu Neſtorium depoſuerunt judicio & inquiſitione non facta: & iterum, Neſtorius autem, quoniam ſuæ civitati odio erat, & qui erant in ea excellentioribus, illo reverti non potuit: Neſtorium ſignificant excuſatum; cur ea finxiſſe credantur adverſus Epiſcopum, quando eum non accuſaverunt pro excuſatione Neſtorii? Unde ſatis inſinuatur, quod & Ibæ ſit illa epiſtola, & falſo dicatur excuſaſſe Neſtorium. Sed nec poſt condemnationem tantummodo, verum etiam priuſquam condemnaretnr, idem Neſtorius invenitur ab orientalibus Epiſcopis per memoratum Sanctum [a] Joannem Antiochenum eſſe culpatus. Nam ſcribens ei quod vane recuſaret B. Mariam matrem Dei nominare, ſic dicit: Ego vero non «
veluti accuſabilem tnam ſanctitatem ad corrigen- «
dum verbum exhortor, neque veluti ad contra- «
rietatem, ut ita dicam, puerilem. Sed quia a «
te & ſæpius & ad multos dictum eſt, ſicut a- «
gnovimus, quod non erubeſcens de hac pia con- «
feſſione ſolum nomen recuſas: ſi autem a vobis «
aliqui in Eccleſia magnorum & hoc exquirant, «
numqnam recuſabis & Dei genetricem dicere ſan- «
ctam virginem. Proinde ad tuum te exhortor, «
in quo vos non errare cognovi. nomen & ver- «
bum illi rei jam a multis patribus conſtitutum, «
& ſcriptum, & dictum eſt. Non itaque opor- «
tet negare verbum, cujus rem in animo habere «
pro intellectu probaris. Hoc itaque nomen nul- «
lus Eccleſiaſticorum doctorum recuſat. Qui e- «
nim eo uſi ſunt, & plurimi ſunt, & inſignes: «
qni autem uſi non ſunt, non culpaverunt uten- «
tes, Et vane nos, ſicut apparet, tamquam du- «
plicis examinationis gratia, in hæreticorum pra- «
vas opiniones incurrimus, & conſcientias fratrum «
nulla utilitate extante percuſſas deſpicimus. recu- «
ſantes nomen, cujus intellectum bene, optimeque «
recipimus, multum erramus, magis autem pericli- «
tamur circa inenarrabilem diſpenſationem uni- «
geniti filii Dei. Sequitur enim ablatione nomi- «
nis hujus, vel ſignificationis ejus, neque Deum «
eſſe eum, qui inenarrabilem corporis diſpenſa- «
tionem pro nobis ſuſcepit, neque Deum ver- «
bum evacuans ſeipſum, & formam ſervi acci- «

---

a *Joannem Antiochenum*) Habetur integra Joannis Antiocheni epiſtola ad Neſtorium, ex qua hæc decerpta ſunt, Parte 1. Synodi Epheſinæ num. XXV.

* (323) *illa epiſtola dogmata Neſtorii laudibus affecit? Nam proferant ubi vel ipſi mendaces Ibæ accuſatores ita mentiri auſi ſunt, ut illum dicerent in illa epiſtola excuſaſſe Neſtorium, vel ejus dogmata laudibus affeciſſe? Quod ſi.*

Hinc ad paginam 449. deſunt collationes, quod folia duo ſint de codice ablata.

„ piens , inaſtimabilem circa nos miſericordiæ ſuæ
„ magnitudinem demonſtrans , ſicut divina hac
„ diſpenſatione ſactum . Cum igitur ab orientali-
bus & ante damnationem correptus Neſtorins o-
ſtendatur , & poſt damnationem , licet ab in-
dignantibus & injuriam ſuam graviter dolenti-
bus , non tamen ſuerit abſolutus , ſed venera-
bilibus Cyrillo & Epheſino Memnone Epiſcopis
ſola ſuſpicione damnatis, Neſtorium in ea quam
meruerat condemnatione dimiſerint ; quomodo
non erubeſcerent vel pertinaciſſimi accuſatores
venerabilis Ibæ , multis recenti rerum memo-
ria refragaturis , dicere quod Neſtorium in ſua
epiſtola fecerit excuſatum ? Viderunt itaque pro
tantis quæ memoravimus nemini credibile fore,
quod in excuſationem Neſtorii dictum eſſet , De
Epiſcopatu Neſtorium depoſuerunt judicio & in-
quiſitinne non facta : ſed vel pro capitulis Bea-
ti Cyrilli , quæ poſtea interpretatus eſt , tam-
quam de illis judicio & inquiſitione non facta
Neſtorius fuerit condemnatus ; vel quia dedi-
gnaretur Ibas, ut ſupra jam diximus, judicium
& inquiſitionem vocare , ubi non interſuerint
Orientales , atque aliarum provinciarum Epi-
ſcopi , qui ſimul dati ſuerant inquiſitores &
judices . Viderunt etiam, quia nec illud , quod
æque multifariam repulimus , in ejus excuſa-
tionem dictum intelligeretur , in qno ait, Ne-
ſtorius autem , quoniam ſuæ civitati odio e-
rat , & qui in ea erant excellentioribus , il-
lo reverti non potuit . Et hinc calumniari , li-
cet impudentiſſimi , turpe ſibi duxerunt ; fa-
cilinſque putaverunt a judicibus poſſe credi ,
quod memorare magni horroris eſt , Epiſcopnm
Ibam dixiſſe , Non invideo Chriſto facto Deo ,
in qnantum enim ipſe factus eſt, & ego factus
ſum : quam ſi contra tantorum conſcientiam
diceretur in illa epiſtola defendiſſe Neſtorium,

CAP. VI. SOlum ergo eſt , qnod cum malitioſis & ob-
ſtinatis accuſatoribus venerabilis Ibæ in ejus e-
piſtola criminari poſſint hæretici , vel fautores
eorum , quia de Beato Cyrillo , ſicut alii quo-
que plurimi , aliter quam res habuit æſtimave-
rit . Quamvis & in hoc malitioſiores & obſtina-
tiores iſti probentur , qui hominis de homine
ignorantiam ad hæreſis crimen trahunt . quia
hoc poſt Concilii ſententiam faciunt , quod illi
ante fecerunt : nec patiuntur antiquitus refu-
tatas antiquari calumnias; ſed olim ſuis aucto-
ribus ſepultas rediviva contentione reſuſcitant .
Verum de hac ignorantia , per quam memora-
tus reverentiſſimus Ibas cum tot provinciarum
Epiſcopis fallebatur in perſona Beati Cyrilli ,
multa jam dicta ſunt , & pluſquam ſufficiebat
oſtenſum eſt , quod hæreticum res iſta non fa-
ciat . Sed quia nonnullos videmus in ſuis remiſ-
ſiores , in alienis vehementiores eſſe peccatis ,
ſuamque ſanctitatem in exaggerandis proximo-
rum offenſionibus oſtentare : illam quoque re-
moveamus invidiam , qua graviter conquerun-
tur , dicentes in his capitulis non tam B. Cy-
rillum , quam ſynodum Epheſinam , quæ illa
jam receperat , ſuiſſe culpatam : nec poſſe ap-
probari hanc epiſtolam, niſi eadem ſynodus im-
probetur . Hinc vnlentes efficere , ut magnum
Calchedonenſe Concilium, quod illam judicavit
orthodoxam , ipſius Epheſinæ ſynodi videatur
impugnare decreta . At ego dico , quia prop-
terea magis ſæpe dictam epiſtolam pronuntiavit
orthodoxam , quoniam vidit eam ſecundum ip-
ſius Epheſinæ ſynodi decreta confeſſam unum fi-

A lium dominum Jeſum Chriſtum in duabus eſſe
naturis . Unde prudenter cognovit , quod hoc
ſolum conſcriptor ejus, cum orientalibus & alia-
rum provinciarum Epiſcopis , in omnibns quæ
illic acta ſunt non intellexerat, quomodo capi-
tula B. Cyrilli juſte receperit, in quibus ab eis
putabatur quia ſic dixerat Deum verbum homi-
nem ſactum , ut auferret differentiam naturarum,
& unam perhiberet eſſe naturam deitatis & hu-
manitatis domini noſtri Jeſu Chriſti , quod om-
nis catholicus execratur . Cognoſcens autem ma-
gna ſynodus Calchedonenſis , illorum capitulo-
rum intentionem , quam diligenter a præſente
B. Cyrillo ſynodus Epheſina didicerat , Ibam at-
que alios, tamquam abſentes , ſicut exitus cau-
B ſæ docuit , ignoraſſe , nihil differre judicavit ,
quod in iiſdem capitulis, ſicut B. Cyrilli dicen-
tis , ita etiam ſanctæ ſynodi Epheſinæ proban-
tis, intentinnem minus intellexerant : cum utro-
rumque fides eadem ſuiſſet , qua ſimul omnes
ita credebant Deum verbum hominem ſactum ,
ut in una Chriſti perſona maneret duarum dif-
ferentia naturarum. In hoc quippe nulla partis
alterutræ fuit ignorantia , nulla diſſenſio . Et
ſi altera pars de altera, vel invicem de ſe ali-
ter crediderunt , quod ad hæreſim non perti-
net ; de Chriſtiana tamen fide eadem fuit par-
C tis utriuſque ſententia . Si quis autem dicit ,
quod Ibas , atque Orientales , & aliarum pro-
vinciarum Epiſcopi , (una quippe horum om-
nium cauſa eſt) etiam in his quæ non intelli-
gebant , auctoritatem Epheſini Concilii ſequi de-
buerint : ipſe quoque primum conſiderare debet ,
quod etiam ſynodus Calchedonenſis conſideraſſe
credenda eſt , quoniam tantis diſſentientibus ,
qui moniti fuerant ſimul in ipſum Concilium
convenire , non tanta illo tempore , quanta nunc
eſt , ejus eſſe poſſet auctoritas , cum nec dum et-
iam judicio magnæ Calchedonenſis ſynodi firma-
retur . Nam & ipſa multum roboris ad auctori-
tatem addit antiquitas . Deinde quia cujuſcum-
que temeritatis ac profanationis eſſe dicetur , quod
ea B. Cyrillus non jam propria , ſed totius Ephe-
ſinæ ſynodi , cujus fuerant auctoritate firmata ,
pro ipſorum orientalium voluntate auſus eſt re-
D tractare . & ſi Neſtorianæ hæreſi deputetur , quod
orientales , cum aliarum provinciarum Epiſcopis,
capitulorum ejus intentionem minime intelligen-
tes, crediderunt quod ea non debuiſſet ſynodus
Epheſina ſuſcipere ; eidem Neſtorianæ hæreſi B.
Cyrillus communicaſſe dicetur , cum ipſis orien-
talibus , ita de ſuis capitulis, quorum retracta-
tionem exegerunt, & Epheſina ſynodo æſtiman-
tibus communicavit , & eorum confeſſioni ſub-
ſcripſit . Nam ſi hæc exiſtimatio tanti penditur,
ut hæreſis judicetur , in nullo inclinari eiſdem
orientalibus , ſed potius ipſos cogere Cyrillus
debuit , ut etiam in his quæ minus intellige-
bant , ſynodi ſe auctoritati ſubjicerent , ſuam-
E que præſumptionem , per quam promulgato de-
creto capitula memorata damnaverant , ſimili-
ter publice , & in monumentum poſteritatis ,
ſcriptis allegata confeſſione damnarent : & ne-
que vel ſic orientalium definitioni ſubſcribere ,
ſed potius ab illis exigere, ut ſubſcriberent eiſ-
dem capitulis , non pro illorum voluntate in-
terpretatis, ſed ſicut ab Epheſina ſynodo fuerant
ante ſuſcepta ; ipſamque ſuſpicionem , per quam
ea damnaverant tanquam hæreſim anathematiza-
rent , & ita demum eos in communione recipe-
re . Unde nec alii patres , qui cum illo E-
pheſum convenerant, & ſimul prædictis orienta-
libus, ita de ipſo concilio Epheſino credentibus

* 324 communicaverunt, * potuerunt excuſari. Quia vero illam eorum ignorantiam non de ipſa Chriſtiana fide, ſed de intentione dictorum ſuorum fuiſſe, & B. Cyrillus, & alii, qui apud Epheſum ea probaverant, cognoverunt, turpe illis & indignum viſum eſt, pro hac cauſa contendere, & hinc in longum protrahere diſſenſionem Eccleſiarum, quam nos ſanctorum patrum
* 325 * modeſtia ſopitam poſt centum annos inquieta imperitia ſuſcitamus. Et utinam * nonnullas tan-
* 326 tum conturbaremus Eccleſias, quæ fuerant in prima diſſenſione commotæ, ac non etiam longe poſitas cogeremus cauſas olim oblivioni datas, quas ſcientes quoque reminiſci piget, inquirere, & inventas neceſſitate reſpondendi non ſine offenſione audientium ventilare. De illo vero quod item dicunt, propterea ſynodum debuiſſe hanc epiſtolam hæreticam judicare, quia poſt unitatem factam talia conſcriptor ejus Ibas dicere vel ſentire non debuit, jam ſuperiore libro reſpondimus. Quomodo autem ſancta ſynodus eandem epiſtolam pro recta fidei confeſſione quam continet approbando, Epheſini Concilii perhibetur impugnaſſe decreta, cum potius, ſi eam pro hac ſuſpicione judicaret hæreticam, ſimul & B. Cyrillum, & ipſum Epheſinum reprehendiſſe concilium videretur, quod ita ſuſpicantibus orientalibus communicaverunt, orthodoxos eos proculdubio judicantes. Cernis igitur, Imperator, illa quæ ſuperiore libro, ſicut promiſeramus, oſtendimus, hic quoque iterum ac ſæpe monſtrari. Quamobrem ſi Calchedonenſis ſynodus Neſtoriana dicatur, quod hanc epiſtolam judicavit orthodoxam, etiam B. Cyrillus & Epheſina ſynodus conſequenter in Neſtorianam hæreſim poſtea divertiſſe dicentur, quod orien-
* 327 tales hoc ipſum credentes * orthodoxos, nec ſolos orientales, ſed aliarum quoque novem, quas ſupra memoravimus, provinciarum Epiſcopos, qui ſimul eumdem B. Cyrillum & Memnonem Epheſinum, atque capitula prædicta damnaverunt; in ceteros quoque Epiſcopos, quod ea recepiſſent, excommunicationis ſententiam proferentes. Hæc autem orientalium, aliorumque patrum, de ſynodo Epheſina ſuſpicio, qua exiſtimantes eam traditiones paternas eſſe tranſgreſſam, pro ipſa fide, quam communiter tenebant, adverſus eam certabant, mihi ſimilis vi-
Joſue 22. detur ei ſuſpicioni, quæ Jeſu Nave temporibus orta fuerat in populo Iſrael, cum laudabiliter ejuſdem populi pars pro Dei cultura ſollicita,
* 328 adverſus alteram partem * æque ſollicitam concitaretur, intentionem ejus ignorans. Nam cum pergeret idem populus Iſrael ad capiendam omnem terram, quam Deus Abrahæ promiſerat, filii Ruben & Gad, & dimidia tribus Manaſſe,
Num. 32. antequam fuiſſent Jordanem ingreſſi, regionem Jaſer & regionem Galaaditim habitare delegerant, eo quod eſſet locus aptus jumentis, quorum eis multa erat copia: nec voluerunt ultra Jordanem poſſeſſionem capere cum tribubus Iſrael. qui tamen perrexerunt cum fratribus ſuis in terram Chanaan ad debellandas gentes, quas expulit Dominus ante faciem eorum. Porro autem, cum dediſſet Dominus Iſrael univerſam terram, quam juraverat dare patribus eorum, & hæreditate recepiſſent eam, revertentes iidem filii Ruben & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, in terram Galaad, id eſt in terram poſſeſſionis ſuæ, quam acceperant in hæreditatem, venerunt, ſicut ſcriptum eſt, ᵃ in Galioth Jorda- *Joſue* 22. 10.
nis, quæ eſt in Chanaan, * & ædificaverunt * 329
ibi aram ſupra Jordanem. In terra Chanaan poſſeſſionem aliæ tribus acceperant, in qua fuit tabernaculum, & altare Dei. ipſi vero citra Jordanem, ne poſteri eorum alieni fierent a Dei cultura, quaſi ab ejus populo Jordanis limite ſeparati, religioſa utique intentione, & zelo Dei ferventes, illam exexerant aram, ut teſtimonio eſſet ac monumento poſteris eorum, quod ipſi quoque ad Dei culturam & ejus populum pertinerent. Cum vero alias tribus, quæ in terra Chanaan ultra Jordanem hæreditatem fuerant conſecutæ, iſta eorum lateret intentio, & putarent eoſdem filios Ruben & Gad, & dimidiam tribum Manaſſe, propterea illam ædificaſſe aram, ut ſemetipſos ſegregantes a ſynagoga totius Iſrael, contra obſervantiam divinæ culturæ offerrent ſuper eam ſacrificium Domino, quod fieri non licebat præter unum altare, quod erat ante tabernaculum ejus, eodem quo & illi zelo Dei ferventes, & pro eadem cultura Dei certantes, convenerunt omnes in Silo, ut aſcenderent expugnare eos. Quibus cum filii Ruben & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, facti rationem redderent, quo propoſito atque intentione aram erexerint, illi dixerunt: *Hodie cognovimus quia* *Ibid.* 31.
nobiſcum eſt Dominus, quia non deliquiſtis in conſpectu Domini delictum, & quia liberaſtis filios Iſrael de manu Domini. Vides igitur, Auguſte, quod pro eadem religione, qua recte colitur Deus, non ſolum diſſentire a ſe invicem, verum etiam laudabiliter pugnare adverſum ſe religioſi ac rectiſſimi poſſint, dum eos non ratio divini cultus, ſed alterius alterum latet intentio. Quapropter qui nobis dicunt, ſi Epheſinam ſynodum recepiſtis, condemnate provinciæ orientis & aliarum novem provinciarum Epiſcopos; merito audient, ut ſi & ipſi filios Ruben & Gad, & dimidiam tribum Manaſſe recipiunt; condemnent tribum Levi, & alias novem tribus, quas cum fratrum ſuorum lateret intentio, eos debellare convenerant. Et certe in illo populo erant etiam prophetæ, nec eis imputat quiſquam, quod animorum fratrum ſuorum prudens conſilium non viderint, cum facile poſſet orantibus ex accepta prophetiæ gratia revelari: omnes autem orientales, atque aliarum provinciarum antiſtites, quos capitulorum B. Cyrilli latuit intentio, ut Epheſinam ſynodum pro eorum ſuſceptione culparent, Epiſcopos dicimus, non prophetas. Qui ergo prophetis non imputamus, quod religioſam intentionem fratrum ſuorum neſcierint, ſed laudamus eos potius, quod eadem religioſa intentione adverſus eos fuerint concitati: quomodo poſſumus non prophetis patribus orientalibus atque aliis imputare, * quod * 330
religioſa intentione adverſus eorum adproba-

a *In Galioth Jordanis*) Vocem Hebraicam retinent etiam Græca quædam exemplaria, quæ Γαλιλὼθ, & Γαλιὼθ legunt. pro quo Symmachus interpres θεια vertit, limites ſeu confinia. ſanctus Hieronymus *tumulos* reddidit, & in nominibus Hebraicis Galioth expoſuit *colles*.

* (324) *poterunt*.

* (325) *modeſtia & ratione*.

* (326) *illas*.

* (327) *judicaverunt orthodoxos*.

* (328) *pro Dei cultura æque ſollicitam*.

* (329) *et ædificaverunt ibi aram ſupra Jordanem, aram ingentem viſu, illa intentione ſcilicet ne quia ultra Jordanem in terra chanaan &c.*

* (330) *quod religioſam intentionem capitulorum Cyrilli neſcierint, vel ſi dicatur, non eſſe laudabile quod eadem religioſa intentione adverſus eorum adprobatores fuerint concitati, quare &c.*

tores fuerint concitati? Quære intentionem filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe, atque ex altera parte tribus Levi, & aliarum novem tribuum Iſrael, & invenies utramque partem pro divino cultu fuiſſe ſollicitam. Quære ignorantiam, & neutram invenies quæ ad divinum cultum pertinent, ſed alteram partem intentionem alterius ignoraſſe. Quære intentionem ſynodi Epheſinæ, atque ex altera parte antiſtitum provinciæ orientis, & aliarum novem provinciarum, & invenies utramque partem pro divino cultu fuiſſe ſollicitam. Quære ignorantiam, & neutram partem invenies quæ ad divinum cultum pertinent, ſed alteram partem intentionem alterius ignoraſſe. Quod ex eo ſatis apparet, quoniam per venerabilem Paulum Emeſenum Epiſcopum, nec orientales patres aliquid improbum a Beato Cyrillo confitendum expetiverunt; nec ipſe Beatus Cyrillus aliquid eorum
* 331 quæ * expetita fuerant denegavit. Si autem patres orientales, & alios qui cum eis erant, ob alienæ intentionis ignorantiam, ſicut & illas plures tribus Iſrael, condemnare non poſſumus, quomodo venerabilis Ibæ epiſtolam Calchedonenſis ſynodus condemnaret, quæ ſecundum eorum ſuſpicionem de Capitulorum B. Cyrilli receptione conqueſta eſt? Numquid enim vel Ibas Epiſcopus, vel alii multarum provinciarum antiſtites, Epheſinam ſynodum culpaſſe aliquando monſtrantur, quod contra Neſtorium, licet in duabus naturis, unum tamen Dei atque hominis filium Jeſum Chriſtum confitendum eſſe firmaverit; ut credi poſſit fidei, quam de Incarnatione Chriſti habuit, & reſtitiſſe, & aliud prædicaſſe? Nihil eſt igitur, quod in hac epiſtola etiam de capitulorum B. Cyrilli, & Ephe-
* 332 ſinæ ſynodi * intentione, Eutychiani querantur.

CAP. VII. Video autem nobis, ex omnibus quæ ſcripta in illa epiſtola reprehenderunt, ultimum remanſiſſe capitulum, de laude quam continet Theodori Mopſueſteni Epiſcopi. De quo quia multa dixerunt, & in eo ſuas maxime exercuiſſe calumnias gloriantur, unde nos quoque ſuper hoc capitulo multa reſpondere compellimur, eo
* 333 pauliſper dilato, eligo nunc * potius defendere,
* 334 quamquam poſterius ordine videatur, * quod idnon ſcripto, ſed verbis tantum procaciter culpent, quod in finem ipſius epiſtolæ dictum eſt. „Non enim quiſquam audet dicere unam eſſe naturam divinitatis & humanitatis: ſed confitentur in templum & inhabitantem in eo, qui eſt unus filius dominus Jeſus Chriſtus." Quod tale quidem eſt, quale illud quod ſupra defendimus, ubi ait, tamquam non ſit differentia inter templum, & inhabitantem in eo. Verum ne * putemus ali-
335 quid omiſiſſe, in hoc quoque loco eandem calumniam refellamus. Nam dicunt ad diviſionem unius filii Jeſu Chriſti pertinere, quod ait, „Sed confitetur in templum, & inhabitantem in eo:" tanquam aliam voluerit intelligi templi ſubſiſtentiam ſive perſonam, & aliam inhabitantis in eo. Sic autem poſſunt & de verbis Domini ipſius dicere, ubi Judæis de templo ſui corporis
Joan. 2, 19. dixit, *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. tanquam aliam voluerit intelligi perſonam excitandi corporis ſui templi, & aliam excitaturi illud. Quid autem nobis in epiſtola ſua venerabilis Ibas dubium dereliquit, cum prius intentionem ſuæ mentis aperiens, & docens non ſe ad perſonæ diviſionem, ſed ad naturarum diſtinctionem, talia conſcripſiſſe, præmiſerit ac dixerit: „Non enim quiſquam audet dicere unam eſſe naturam divinitatis & humanitatis." & deinde ſubjecerit, „Sed confitentur in templum & inhabitantem in eo." atque ita ſuam clauſerit ſententiam dicens „qui eſt unus filius Jeſus Chriſtus." Quid expreſſius, vel quid amplius dici potuit? Sed ut video duos filios credere judicatur, quiſquis ſic unum dixerit filium, ut non etiam duas ejus negando naturas, cum Eutychianis incarnationis myſterium ejus evacuet. Hoc etiam dicunt, Non debuit prius templum nominare, & deinde habitantem in eo. Quaſi vel ipſe ordo loquendi permitteret, ut prius diceret inhabitantem in eo, & poſtea templum. Quamquam ſit etiam doctrinæ conveniens, ut quia per humanitatem Chriſti ad divinitatis ejus cognitionem pervenimus, prius in templo ejus humanitas, & poſtea commemoretur habitans in templo divinitas. Ob hoc etiam venerabilis Paulus Emeſenus Epiſcopus in ſermone ſuo, quem coram ipſo beato in Alexandrina Eccleſia fecit, & quem ipſe B. Cyrillus tanta laude, ſicut primo libro docuimus, prædicavit, ita locutus eſt: „Vide Joannem duas naturas prædicantem, & unum filium: aliud tabernaculum, & aliud quod in tabernaculo: aliud templum, & aliud qui inhabitat, Deus." Quocirca ſi culpatur venerabilis Ibas, quod prius templum ac deinde inhabitantem in eo in epiſtola ſua poſuerit, culpetur neceſſe eſt etiam B. Cyrillus, quod ſermonem prædicti Pauli Epiſcopi laudaverit, in quo prius tabernaculum & templum, & poſtea quod in tabernaculo, & Deum qui templum inhabitat nominavit. Cognoſcis igitur, Imperator, quod epiſtolam venerabilis Ibæ dicentem, „Sed confitentur in templum, & inhabitantem in eo, qui eſt unus filius Jeſus Chriſtus;" ſecundum judicium beati Cyrilli magna Calchedonenſis ſynodus adprobavit, & quia vel ſi propter hoc eam velut hæreticam improbaret, hinc potius beatum Cyrillum, idipſum in ſermone coepiſcopi ſui Pauli adprobantem, firmaſſe hæreticum videretur. Nunc ad illud capitulum, quod intermiſſum fuerat, revertamur, cujus ita meminerunt dicentes, „Et poſt modica Epiſcopo Edeſſæ derogans dicit: Hic noſtræ civitatis tyrannus beatiſſimum Theodorum præconem veritatis & doctorem Eccleſiæ præſumpſit, qui omnia præſumit, in Eccleſia palam anathematizare." quod ideo ex illa epiſtola poſuerunt, quia prædictum Theodorum, ſicut ſæpe dictum eſt, accuſant quaſi ea quæ ſunt Neſtorii prædicantem. ut quaſi per hoc Neſtorianam hanc epiſtolam demonſtrarent, quæ laudaverit * eumdem: * 336
atque ita ſynodum quoque Calchedonenſem Neſtorianam probarent, quod ipſam epiſtolam, laudantem eum qui Neſtoriani dicitur auctor erroris, pronuntiavit orthodoxam. Quia vero non ſolum in epiſtola Ibæ laudatus eſt ipſe Theodorus, ſed a multis quoque ſanctis patribus, jam pridem & in ſecundo libro docuimus ex epiſtolis beati Joannis Antiocheni, totiuſque orientalis Concilii apud Antiochiam congrega-

* (331) *ab eo expetita.*
* (332) *reprehenſione.*
* (333) *illud potius.*
* (334) *idque non ſcripto.*
* (335) *putemur.*
* (336) *eumdem Theodorum.*

ti, & adhuc ex aliorum, ſicut promiſimus, patrum literis infra docebimus. Neceſſarium tamen exiſtimo & ex hac epiſtola docere, quod de Mopſueſteno Theodoro non ſolius Ibæ fuerit iſta ſententia. Nam & ipſum Marim Perſam, ad quem ſcribit, eorum quæ de ipſo Theodoro dixit conſcium eſſe perhibet, & confidenter publicam quoque ſibi dicit atteſtari notitiam. Verum iſti commemorationem eorum quibus hoc oſtenditur conſueta fraude fugerunt. Nam quis in illis verbis non videat venerabilis Ibæ de veritate fiduciam? quia niſi certa & manifeſta eſſent, nequaquam ei ad quem ſcripſit diceret de » illo qui Theodorum anathematizavit, Quem nec » tu ipſe ignoras, qui occaſione fidei non ſolum

* 337 » nunc viventes inſequitur, ſed * & omnes qui o» lim ad Dominum præceſſerunt: quorum unus » eſt beatus Theodorus, præco veritatis, & doctor » Eccleſiæ, qui non ſolum in ſua vita colaphiza» vit hæreticos per veritatem ſuæ fidei, ſed & » poſt mortem ſpiritalia arma in libris propriis » Eccleſiæ filiis dereliquit. Deinde ipſius etiam, ad quem ſcribit, atteſtari ſibi notitiam docet, » cum ait, Sicut & tua reverentia eidem collocuta » cognovit, & ex his quæ conſcripſit inſtructa eſt. » Et infra quidem de eodem Theodoro, Qui pro» pter zelum Dei non ſolum propriam civitatem » ab errore ad veritatem convertit, ſed & longe » poſitas ſua doctrina inſtruxit Eccleſias. Poſtremo quia idem Theodorus in ſua ſynodo palam redarguit eum quem ſuæ civitatis tyrannum vocavit. Quæ niſi vera forent, quomodo ea poſſet reverentiſſimus Ibas dicere omnium Epiſcoporum orientalium teſtimonio refragante? Quinimmo & ſui ſtatus periculum ſuſtineret, ſi Theodorus ut hæreticus haberetur, a quo dixit in Concilio redargutum eſſe neſcio quem ſuæ civitatis tyrannum. Omnes quippe orientales Epiſcopos criminatus eſt, ſi in eorum ſynodo hære-

* 338 ticum dixit redarguendi habuiſſe fiduciam * ad excommunicandos fautores hæreticorum. In hoc capitulo ne proderentur, conſulto contingere noluerunt. Quæ vera eſſe recognoſcentes venerabiles Photius & Euſtachius atque Uranius, cum in eorum judicio memorata epiſtola relegeretur, non ab illo exegerunt anathematizare Theodorum. Et ut eos qualicumque teſtimonio tamen ſuo convincam, ipſi certe in illo mendaciorum libro dixerunt, ſicut ante meminimus: " Denique & Photius & Euſtachius, conſpicientes " denegationem Ibæ de epiſtola factam, judicatum " dederunt ad deſtructionem & excluſionem im" pietatis epiſtolæ ad Marim, quod judicatum " habere affirmant, ut Ibas in ſua Eccleſia ana" thematizaret palam malignæ impietatis princi" pem Neſtorium, & eos qui aut libris aut codi" cibus ejus utuntur. Ubi non dico, quod immemores ſui, qui Theodorum dixerunt Neſtoriani erroris auctorem, magiſtrumque Neſtorii, rurſus ipſi Neſtorium malignæ impietatis principem dicunt, & per hoc negant, quod Theodorus fuerit communis auctor erroris, tanquam niſi per oblivionem verum loqui non poſſint. Sed illud magis nobiſcum pietas tua conſideret, quoniam qui voluerunt ex hoc oſtendere Neſtorianam eſſe epiſtolam venerabilis Ibæ, quod Photius & Euſtachius Epiſcopi, conſpicientes negationem ejus de ſua epiſtola factam, ad deſtructionem & excluſionem ipſius epiſtolæ tale judicatum dederunt, ut Neſtorium & ejus dogmata Ibas anathematizaret, quod eos falſo jactaſſe probavimus: proculdubio hæreticum non fuiſſe Theodorum ipſorum Photii & Euſtachii judicato confirmant: quoniam cum præcipuas laudes doctrinæ ejus audirent, non exegerunt a prædicto reverentiſſimo Iba ſimul eum cum Neſtorio, quem non laudaverat, abdicare. Quia vero eum, ſicut jam docuimus, non ſolum Theodoro anathema dicere, ſed etiam Neſtorio minime compulerunt; ſi quid eorum teſtimonio Eutychiani vel eorum ſatellites credunt, neque Neſtorium excuſatum in hac epiſtola mentiantur, neque Theodorum dicant Neſtorianæ impietatis auctorem, quem in eorum judicio, & ante Calchedonenſe Concilium laudatum inveniunt nec inveniunt denotatum. Verum promiſſi memores, ad illa jam præclara Eccleſiæ lumina veniamus, quorum magis teſtimonio ſynodus Calchedonenſis credidit, ut epiſtolam venerabilis Ibæ pro laude Theodori non judicaret hæreticam. Et primum teſtem citemus clariſſimum doctorem Eccleſiæ, & confeſſorem fortiſſimum veritatis, Joannem Conſtantinopolitanum, qui prædicto * Mopſueſteno Epiſcopo de exilio ſcribens dicit. * 339 Epiſt. 112.

" Si eſſet quidem venire poſſibile, tuamque reverentiam, caritatemque complecti, & in ipſa jocundari, cum multa hoc velocitate & ſtudio faceremus: quoniam autem hoc nobis non adjacet, nunc & literis hoc implemus. Et ſi enim ad ipſos fines mundi ducamur, tuæ dilectionis integritatem & * favorem, & ſine dolo ſinceritatem oblíviſci non poſſumus, quæ eſt antiqua & a principio, quamque nunc monſtraſti. * 340 Neque enim nos latuit, quanta pro nobis & dicere, & facere feſtinaſti, domine meus honoratiſſime, atque ſanctiſſime. Sed etſi nihil amplius factum eſt, Deum tamen habes pro tuo ſtudio & alacritate debitorem, integramque mercedem. Et nos autem non quieſcimus ſcientes tuæ gratiam ſanctitatis, & tuam reverentiam omnibus prædicantes, atque poſcentes eandem dilectionem florentem per omnia conſervari. Non enim in deſerto ſedentes fortuitæ interceſſionis fructus habemus, quando talem [a] in Cilicia theſaurum & reconditas divitias poſſidemus. Hæc enim eſt fortis & vigilantis animæ tuæ dilectio. " Animadvertit mecum ex tenore præſentis epiſtolæ ſerenitas tua, quod ſicut teſtatus eſt Joannes Antiochenus, & ſynodus orientis, Theodorus, qui condemnatus eſt quaſi Neſtoriani auctor erroris, condiſcipulus fuerit hujus B. Joannis. Hoc enim ſatis indicant ejus verba, cum dicit quod antiqua & a principio fuerit ejuſdem Theodori circa ſe dilectionis integritas. quod etiam * literis Domni Epiſcopi Antiocheni probabitur. * 341 Cur autem magna Calchedonenſis ſynodus arguatur, quæ ſciens ſanctum Joannem Theodoro ſcribentem dixiſſe, Neque enim nos latuit, quanta pro nobis & dicere & facere feſtinaſti, domine meus honoratiſſime, atque ſanctiſſime, credi-

---

a *In Cilicia Theſaurum*) Hodie apud Joannem Chryſoſtomum, pro ἐν Κιλικίᾳ legitur ἐν καρδίᾳ, epiſtola cxii. quæ inſcribitur Θεοδώρῳ ἐπισκόπῳ, non expreſſo nomine loci. Οὐ γάρ, inquit, τὴν τυχοῦσαν καὶ ἐν ἐρημίᾳ καθήμενοι καρπούμεθα τὴν παράκλησιν, ὅταν τοσοῦτον ἐν καρδίᾳ θησαυρὸν καὶ πλοῦτον ἀποκείμενον ἔχομεν, τῆς ἐγρηγορυίας καὶ γενναίας σου ψυχῆς τὴν ἀγάπην. Quæ varietas unde orta ſit non facile eſt divinare. Mopſueſtia porro, ſedes Theodori Epiſcopi, oppidum fuit Ciliciæ II. Hierocles, ἐπαρχία Κιλικίας β΄. ὑπὸ ἡγεμόνα. πόλεις θ΄. Ἀνάζαρβα μητρόπολις, Μοψουεστία &c.

* (337) *& hos qui.*
* (338) *ad hæc omnia fautoribus hæreticorum.*
* (339) *Theodoro.*
* (340) *fervorem.*
* (341) *ſequenter litteris.*

dit quod ille non eſſet hæreticus, qui tanta pro
Joanne in exilium aſportato, & dicere & face-
re feſtinavit, ſtudio atque alacritate, qua Deum
haberet mercedis integræ debitorem incredibile ju-
dicans, quod magiſter Neſtorianæ perfidiæ reli-
gionis veræ magiſtrum, ſibi profecto contrarium,
quæreret ab exilio reduci, & pro ſui loci au-
ctoritate, adverſum prava ſua dogmata libere in
Eccleſia diſputare. Niſi forte ob hoc illa ſyno-
dus impia denotetur, quod pie de Joanne Con-
* 342 ſtantinopolitano ſentiens, * cum talem arbitra-
ta eſt, quem vel ſic amaret, ut velut adjuto-
rem ſuum in Eccleſia propria revocari vellet
hæreticus; vel ſic ipſe quoque diligeret, & ma-
gna laude prædicaret hæreticum. Cum vero &
hoc inter alia dixit, Talem in Cilicia theſau- B
rum, & reconditas divitias poſſidemus, quid
hinc ſynodus culpetur, ſi reverita eſt anathe-
matizare theſaurum Joannis, & reconditas ejus
divitias? An & ipſa ſtatuere debuit, & dicere,
ſi quis Theodorum non anathematizat, ana-
thema ſit? Sed nonne melius eſt, ut de ceteris
patribus taceam, anathema cum Joanne audire,
quam Joanni anathema dicere? Si enim anathe-
ma eſt qui Theodorum Mopſueſtiæ non dicit
anathema, etiam Joannes Conſtantinopolitanæ
clariſſimus antiſtes Eccleſiæ, & confeſſor fortiſ-
ſimus veritatis, anathema eſt, qui tali the-
ſauro, & reconditis divitiis, quas Mopſueſtiæ
in Cilicia poſſidebat, non dicit anathema. Ve- C
rum neque vir ille magni ponderis, & expecta-
tæ ſemper auctoritatis, nobis deerit in defenſio-
nem magnæ ſynodi, quæ ab Iba Epiſcopo non
exegit, ut Theodorum Mopſueſtenum conde-
mnaret, cum ejus epiſtola recitari laudes ejus
audiret. Adſit igitur etiam B. Gregorius Na-
zianzenus, temeratiorum & ipſe crimen aucturus,
qui Theodoro adhuc juveni ac novello ita ſcri-
a bit, ejus perfectioni congratulans. [a] Dilectionis
„ indiciis delectamur, præcipue in tali tempore,
„ & a tali novello ſimul atque perfecto, &, ut
„ te ex his quæ ſanctæ ſcripturæ ſuntample-
„ ctar, conſtituto ſuper juventutem. Sic enim
„ vocat illa eos, qui intellectu ætatem excedunt.
„ Et veteres quidem patres rorem cœli, & uber- D
„ tatem terræ, cum cæteris aliis concedi filiis de-
„ precantur, niſi cui amabile eſt hæc ipſa altius
„ intelligere, nos autem ſpiritaliter omnia tibi re-
„ pendimus. Impleat Dominus omnes petitiones
„ tuas, & ſias talium filiorum pater, (quoniam
„ quidem oportet compendio, & familiariter ora-
343 „ re prote) qualem te* demonſtraris patribus tuis,
„ ut in cæteris nos etiam de te gloriemur. Quo-
„ modo itaque ſynodus ſancta culpatur, quia
„ Theodorum non damnavit, cognoſcens quantus
„ adhuc a quanto viro de perfectione laudatus eſt,
id eſt novellus a Gregorio Nazianzeno, ita ut in-
tellectu exceſſiſſe diceretur ætatem, ſupra juven-
tutem ſuam ſublimitate ſapientiæ conſtitutus?
Quodque magis gratum eſt ac jocundum, cum
A ſcientia eſſet excelſus, tantam humilitatem ac
reverentiam exhibuit patribus, ut hæc ei be-
nedictio pro talibus meritis a Gregorio reddere-
tur, per quam tales haberet filios, qualem ſe
patribus exhibebat. Quam benedictionem ſi re-
ligioſe ac pie illa ſynodus non credidit eſſe fru-
ſtratam, idcirco velut impia & profana fruſtra-
tur. Sed ad [b] * aliam tranſeamus epiſtolam. b
Namque cum ætate confectus idem beatus Gre- * 344
gorius longa quoque ægritudine laboraret, &
ob hoc ſe cauſaretur onus Eccleſiæ ſuæ ferre non
poſſe, neque Apolinarianis gregem Dei vaſtanti-
bus, pro eadem gemina debilitate reſiſtere, E-
piſcopatus curam depoſiturus, & relicta ſua ci-
vitate cum monachis in rure victurus, ubi etiam
defunctus eſt, Theodorum de toto oriente in
defenſionem & viſitationem ejuſdem Eccleſiæ
ſuæ delegit; non aliud caput illam provinciam
habere teſtificans, cujus flagitaret auxilium. Sic
enim ei iterum ſcribit: Tempus mihi eſt illud „
ſcripturæ dicere, ad quem vociferabor vim pa- „
tiens? quis mihi porrigat manum oppreſſo? ad „
quem pondus Eccleſiæ tranſeat tam male ja- „
centis ac diſſolutæ! Teſtificor coram Deo, & „
electis Angelis, quoniam non juſta patitur Dei „
grex ſine paſtore degens, & ſine viſitatore pro- „
pter torporem noſtrum. Me enim ægritudo „
detinet, & citius abduxit ab Eccleſia, nunc „
omnino extrema * ſperantem, & amplius rebus „
ipſis afflictum. Si quidem aliud caput haberet „ * 345
provincia, ad illud oporteret clamare & conte- „
ſtari. Tua vero reverentia ſuperpoſita, ad te ad- „
tendere neceſſe eſt. Curam habeas tuæ Eccleſiæ „
quovis modo, & non eam deſpicias indigne „
agentem. Ut enim alia prætermittam, qualia „
nunc inſurgentes Apolinariani aliqua quidem „
fecerunt, alia vero minantur, a dominis meis & „
compresbyteris diſces, Eulalio Choepiſcopo & „
Eleuſio, quos impendio ad tuam reverentiam miſi- „
mus. Et hæc comprimere non eſt noſtræ æta- „
tis, ſed tuæ prudentiæ tuæque virtutis: quoniam „
tibi cum aliis facultatem donavit Deus ad commu- „
nem defenſionem Eccleſiæ. Si autem hæc dicens & „
ſcribens non audiar, quod reſtat ſolum hoc fiet, „
publice prædicare omnibus & notum facere, quia „
Epiſcopo indiget Eccleſia, ne propter meam infirmi- „
tatem * tundatur. De cetero vos videritis. O „ * 346
quam fortia ſunt & invicta juſtorum merita, cle- „
mentiſſime Imperator, quæ tanto certius & evi- „
dentius oſtenduntur ſuperari non poſſe, quanto „
ſtudioſius & vehementius fuerint impetita. Nam „
quotuſquiſque ſcire poſſet aut quærere tot inex- „
pugnabilia pro ſententia patrum, qui Calche- „
dona convenerant, teſtimonia, niſi provocaret
adverſitas? Et ideo non ſolum patienter, ve-
rum etiam gratanter ſuſcipienda mihi videtur.
Nam clariorem ſemper efficit ſanctorum juſti-
tiam, dum obſcurare contendit. An non am-
plius illorum patrum juſtitia declaratur, cum
oſtenduntur Joannis Conſtantinopolitani & Gre-

a *Dilectionis indiciis delectamur*) Ἀγάπης συμβόλοις ἠδόμεθα. Sic enim legendum videtur, non συμβούλοις. Apud Gregorium epiſtola ccxix. & quæ hoc deſcribitur ccxx. cum duabus ſequentibus, ſimplicem titulum habent Θεοδώρῳ. at epiſtola ccxxv. pleniorem, Θεοδώρῳ ἐπισκόπῳ Τυανέων, *Theodoro Epiſcopo Tyanorum*. ad quem pertinere omnes conjectura eſt, de qua mox dicam.

b *Aliam epiſtolam*) Ea eſt apud Gregorium numero xxcviii. quæ in Græcis exemplaribus Ἀνωνύμῳ, ſed in Latinis recte inſcripta eſt, *Theodoro Epiſcopo Tyanenſi*. Quare fallitur Facundus qui ad Mopſueſtenum ſcriptam putavit. Scripta eſt enim ad Metropolitanum ejus provinciæ in qua erat Nazianzus, ut epiſtolæ verba declarant. Εἰ μὲν οὖν, inquit, ἄλλην τινὰ κεφαλὴν εἶχεν ἡ ἐπαρχία, πρὸς ἐκείνην ἔδει βοᾶν καὶ διαμαρτύρασθαι. τῆς δὲ σῆς εὐλαβείας ὑπερκειμένης, πρὸς σὲ βλέπειν ἀνάγκαιον. At Nazianzus oppidum fuit Cappadociæ II. cujus metropolis Tyana. Hierocles in Synecdemo, Ἐπαρχία Καππαδοκίας β΄. ὑπὸ ἡγεμόνα· πόλεις ε΄ Τύανα, φαυστινόπολις, κύβιστρα, ναζιανζὸς, σάσιμα, &c. Ad Theodorum ergo Tyanenſem pertinet epiſtola, ut Juſtinianus quoque in Edicto, & Synodus v. obſervant, contra eos qui ad Mopſueſtenum referebant.

* (342) *non eum.*
* (343) *demonſtras.*
* (344) *aliam ejus.*
* (345) *ſpirantem.*
* (346) *lædatur.*

gorii Nazianzeni teſtimonio credidiſſe magis, quam eorum qui volebant quædam Theodori capitula condemnari, occaſionem facientes, ſicut B. Cyrillus ait, contrario dogmati quo tenebantur? Non ergo damnabile judicetur non
* 347 damnaſſe Theodorum, quem ſingulare * totius caput Gregorius judicavit, & cui gregem Dei ſuo regimini creditum dereliquit. Gregorius manum ſibi ejus porrigi adverſus hæreticos Apolinarianos flagitavit, teſtificans coram Deo & electis Angelis, quod ſe ægritudinis torpore detento, Chriſti grex viſitationis ejus indigeret
* 348 auxilio, * & talis quæ culpa eſt? Synodus enim non condemnat, & hinc putatur hæretica. Ille Theodoro prudentiam deputavit atque virtutem, & nec levis inde querimonia commo-
* 349 vetur: & Calchedonenſi Concilio, * papæ! quod ei non adſcripſit imprudentiam, tanta invidia ſuſcitatur. Sed numquid & Gregorius Nazianzenus, & Joannes Conſtantinopolitanus, & alii, quos memoravimus ac memoraturi ſumus, patres Neſtoriano morbo dicentur obſeſſi, quia non ſolum Theodorum non abdicant, verum etiam prohibent abdicari? aut & ipſos novo nomine & hactenus inaudito Theodorianos quiſquam vocare præſumet? Quod ſi nullus hoc audet, cur alios, qui tenentes eorum catholi-

A cam fidem, ſententiamque ſervantes, non audent in præjudicium ſynodi Calchedonenſis damnare Theodorum, Theodorianos vocant, ut hac contumelia memoratam ſynodum, ibi cum laudes ejus recitarentur damnatus non eſt, ſimul injurient? Si de religione ac fide illorum eſt dubitatio, requirantur: ſi de cauſa condemnandi Theodori, manifeſta eſt patrum ſententia quam ſequuntur. Numquid enim, qui conſentire noluerit novis præſumptionibus, novum debet nomen accipere? Non autem turpe eſt, quod cum tantis patribus ſuſtinemus. nam ſicut laudari contra illorum ſententiam criminoſum eſt; ita cum eis criminari laudabile. Co-
B gnoſcentes autem, quod magna ſynodus in cauſa Mopſueſteni Theodori non ſine iſtis Eccleſiæ luminibus accuſetur, nullis Eutychianorum calumniis turbari debemus, ſed potius ipſorum eos auctoritate confundere. Et ideo commemoratis horum venerabilium patrum teſtimoniis, qui eidem Theodoro ſunt adteſtati dum viveret, ad amborum quoque teſtimonia tranſeamus, qui ſimiliter ejus memoriam, poſtquam exceſſit e vita, magnis & multis ſunt laudibus proſecuti. Igitur præſenti libro terminum damus, ut intentio legentis ab alio innovetur exordio.

* (347) *totius Provinciæ caput.*
* (348) *& abſque culpa eſt.*
* (349) *propter quod ei &c.*

FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS,
PRO
DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM,
LIBER OCTAVUS.

Accipe, sereniſſime Imperator, quantis adhuc teſtimoniis ſanctorum & venerabilium patrum ſynodus Calchedonenſis nec contradixiſſe culpatur, a quibus Mopſueſtenus Theodorus, etiam defunctus, multo amplius quam in epiſtola venerabilis Ibæ laudatus eſt. Unde prius ad illas epiſtolas S. Joannis Antiocheni & orientalis Concilii, ſicut libro ſecundo promiſimus, revertamur. Beatus enim Proculus ſynodicas in orientem literas miſerat, conſcripto ad Armenios tomo, quem ſicut jam docuimus orientalis ſynodus adprobavit. In cujus legationis occaſionem tentaverunt quidam ſubrepere, ut aliqua ex dictis antiquorum Eccleſiæ doctorum excerpta, præpoſitis etiam eorum nominibus, anathemati ſubderentur. Tali ergo auſu commota ſynodus orientis, quoniam putaverat hoc ab eodem B. Proclo mandatum, poſtquam directum ſibi tomum ſe adprobaſſe reſpondit, illa etiam quæ ſecundo libro memoravimus, & alia multa quæ tunc intermiſſa memorare diſponimus, „ ei pro Theodoro ſcribens ait. Nimis noſtræ

C animæ vulneratæ ſunt, quia non ſolum non vi- «
ventes tales calumnias ab his qui conturbare «
volunt Eccleſias continue ſuſtinemus; ſed & «
qui bene de vita profectus eſt B. Theodorus, «
& qui quinque & quadraginta annis clare in «
doctrina præfulſit, & omnem hæreſem expugna- «
vit, & nullam alicubi detrectationem ab ortho- «
doxis in vita ſuſcipiens, poſt longi temporis hinc «
diſceſſum, & poſt multa certamina, & poſt de- «
cem millia libros adverſus errores conſcriptos, «
& poſteaquam in conſpectu ſacerdotum & Im- «
D peratorum & populorum probatus eſt, pericli- « * 350
tatur quæ hæreticorum ſuſtinere, & illis * pri- «
mus prædicari. Et adjiciunt quæ intermiſſa fue- «
rant, dicentes, * Hæc nos confuſione & turbis «
compleverunt, non autem nos ſolum, ſed & « * 351
Chriſtianos populos, qui hæc cognoſcentes nul- «
latenus ſine turba Eccleſiaſticas celebrationes «
impleri permittunt, ſed adverſum nos ſeditio- «
nes faciunt, nec uſque ad auditum paſſi ſuſci- «
pere quod adverſus dormientes patres medita- «
bantur anathema, & decem millia adverſus nos «

a *Anathemati ſubderentur*) Miſerant ad Proclum per legatos Epiſcopi Armeniæ ac Perſidis capitula quædam excerpta ex ſcriptis Theodori, ut ejus auctoritate damnarentur, cum iis qui in Syria & Cilicia eadem ſentire dicebantur. Quæ Proclus Tomo ſuo ad Armenios ſubdita cum miſiſſet ad Orientales, illi Theodorum damnari non ferentes, his ad Proclum, & aliis ad Cyrillum alioſque literis obſtiterunt. Qua de re, totaque de Theodori anathemate controverſia, multa fuſe in Actione v. Synodi v. & apud Liberatum cap. x. Breviarii.

* (350) *proximus.*
* (351) *Hæc.*

„ mala minantur, ſi quid ab aliquo fuerit tale
„ præſumptum. Sciat autem & hoc tua ſanctitas,
„ quia ſcripturas antiquorum doctorum Eccleſiæ
„ requirentes, decem millia talia & his ſimilia in-
„ venimus, qualia quidam malo more ex libris B.
„ Theodori colligentes, & corpus reliquum abſci-
„ dentes, tuæ obtulerunt ſanctitati. Etenim apud
magnum martyrem Ignatium, qui ſecundus poſt
" Petrum Apoſtolorum primum Antiochenæ ſedis
" ordinavit Eccleſiam, & apud beatiſſimum Eu-
" ſtachium, qui ſanctorum patrum, qui apud
" Nicæam congregati ſunt, primus exiſtens fidem
" orthodoxam confirmavit, & apud ſanctiſſimum
" & beatiſſimum Athanaſium, qui millia millium
" certaminum pro Evangelicis dogmatibus paſſus
» eſt; ad hæc autem, & apud Baſilium, & utrum-
» que Gregorium, qui ejuſdem ſententiæ fuerunt,
» & apud beatiſſimum Flavianum, Diodorum, &
» Joannem, qui clara luminaria Orientis fuerunt
» totius: rurſum autem & apud beatiſſimum Am-
» broſium, qui omnes partes Heſperias illuſtravit,
» & apud beatiſſimum Amphilochium probatiſſi-
» mum doctorem: necnon & apud B. Atticum
» tuum patrem, & apud alios decem millia, ut
» non ſingulos percurramus, conſona decerptis
» his capitulis invenimus. quibus anathematizatis,
» neceſſe eſt & ea quæ a prædictis patribus ſunt
» dicta complecti. & quis de cætero noſtris ad-
» ſit doctrinis, in ſic admirabilibus & famoſiſſi-
» mis viris poſt mortem damnatis? Non noſtrum
» eſt ergo, glorioſis eorum qui præceſſerunt opi-
» nionibus inſultare, neque judicare eos qui ho-
» norate defuncti ſunt, ſed ſolius judicis vivo-
» rum & mortuorum. Hic doceri ab Eutychia-
nis vellem, quid ſancta ſynodus Calchedonen-
ſis debuerit obſervare, cum * apud eum in epi-
* 352 ſtola venerabilis Ibæ recitarentur laudes Theo-
dori, ab orientalibus patribus, ut de Joanne
Conſtantinopolitano, & de Gregorio Nazianze-
no taceam, præconio multo majore laudati.
Numquid eam juſte pro laude Theodori conde-
mnaret, hac epiſtola Orientalium non damna-
ta, in qua confirmatum eſt unum ex Trinitate
pro nobis crucifixum? aut numquid juſte poſſit
ſolum condemnare Theodorum, abſque martyre
Ignatio, & Euſtachio, & Athanaſio, & Baſilio,
& utroque Gregorio, & Flaviano, & Diodoro,
& Joanne, & Ambroſio, & Amphilochio, &
Attico, & aliis decem milibus, ſi, ut Joannes
Antiochenus & omnes orientales Epiſcopi dicunt,
* 353 E in eorum dictis conſona * certis quibuſdam
Theodori capitulis inveniuntur? Quod ſi non
inveniuntur, & iſti cohibentes Theodoro nos fal-
lere voluerunt, numquid etiam ſic juſte poſſet
Calchedonenſis ſynodus ſolum condemnare Theo-
dorum abſque Joanne Antiocheno, & omnibus
Orientalibus Epiſcopis, qui erroribus ejuſdem
Theodori cohibentes, Ignatium martyrem, qui
ſecundus poſt Petrum Apoſtolum Antiochenæ
ſedis ordinavit Eccleſiam, & cætetos glorioſiſ-
ſimos patres, quos commemoraverunt, conſo-
na Theodoro ſapuiſſe criminati ſunt? Nam ſi

A epiſtola Ibæ impia judicatur, quod ejus leves
ſuſpiciones de B. Cyrillo contineat, nedum
Joannes Antiochenus, & omnes Orientales Epiſ-
copi, majoris incomparabiliter impietatis ar-
guendi fuerant, qui ſedulo tractatu in Conci-
lium congregati, tantos ac tales patres nomi-
natim criminantes, & alios ut * dixit decem
millia, conſona Theodoro, quem iſti * dicunt * 354
hæreticum, ſcripſiſſe finxerunt. * Qui Theodo- * 355
rus Mopſueſtenus aliter a ſynodo Calchedonenſi * 356
juſte damnari non poſſet, niſi aut cum Ignatio
martyre, & cæteris cum eo commemoratis glo-
rioſiſſimis patribus, ſi conſona * decretis quibuſ- * 357
B dam ejus capitulis conſcripſerunt: aut cum Joan-
ne Antiocheno, & omnibus orientalibus Epi-
ſcopis, ſi eos conſona Theodoro ſcripſiſſe menti-
ti ſunt. Verum nec illud omittendum, quod
ipſos quoque orientales patres abſque Proclo
Conſtantinopolitano juſte damnare non poſſet.
Si enim illi ſcribentes ei mentiti ſunt Ignatium
martyrem, & alios cum eo commemoratos pa-
tres, ſimilia ſcripſiſſe Theodoro, qui nunc ut
hæreticus accuſatur; tacere ſubdole pernicioſa
ſimulatione non debuit, magis autem cum ma-
gna deteſtatione continuo refragari, quoniam
quæ dicerent, vera non eſſent: maxime quia
C non levi & tranſitorio verbo, ſed ſententia ſy-
nodica, omnium * orientalium ſubſcriptione fir- * 358
mata, tantis beatis patribus advertebat in Eccle-
ſiæ præjudicium horribile crimen affigi. Quæ cum
ita ſint, deſinant magnam ſynodum criminari,
quod Theodorum non damnavit: quem vel ſine
martyre Ignatio, & Euſtachio, & Athanaſio, &
Baſilio, & utroque Gregorio, & cæteris ſimiliter
numeratis, vel ſine Joanne Antiocheno & orien-
tali Concilio, & Proclo Conſtantinopolitano, ju-
ſte damnare non potuit. Sed prius dicant cum
quibus horum * prius Theodorus condemnari de- * 359
D buerit, & ita demum negligentiam vel cohiben-
tiam ſynodi Calchedonenſis accuſent.

CAP. II.

Sane videamus quid etiam B. Proclus, ſcri-
bente ſibi Joanne Antiocheno, & ſynodo orien-
tali reſcripſerit, ut appareat quam ſit impu-
dens hæreticorum falſitas, quorum fautoribus
catholicos credere non oportuit, ſingentibus, a
* quod idem S. Proclus, prædicto Joanni An-
tiocheno ſcribens, Theodorum male nominave-
verit, & dixerit ſubdidiſſe tomo, quem miſit
E Armeniis, Judaicæ impietatis plena ejuſdem
Theodori capitula, ut ſub anathemate damna-
rentur. Qui Proclus conquerenti & contradicen- "
ti memorato Joanni Antiocheno & ejus ſyno- "
do ita reſpondit: Quando enim ego ſcripſi tuæ "
ſanctitati, oportere aut Theodorum, aut alios "
quoſdam qui pridem defuncti ſunt, anathemati "
ſubdi, aut nominatim alicujus * fieri mentio- " * 360
nem? Sed puto, ſicut & ipſæ literæ ad tuam "
ſanctitatem directæ clamant, nihil difficile vel "
pravum epiſtola continet: ſed quia oportet om- "
ni ſuſpicione liberari, & detrahentium ora con- "

a *Quid Proclus Joanni Antiocheno*) Procli epiſtolæ ad Joannem cum Tomo miſſæ fragmentum vidimus lib. II. Hæc alterius ſunt epiſtolæ, quam Joanni reſcripſit, cum ejus ad ſuperiores literas reſponſum, expoſtulationemque de Theodori capitulis accepiſſet. Ex his ergo liquet, Procli conſilium fuiſſe, quod & Cyrillus ſatagebat, ut Theodori nomini, propter Orientalium offenſionem, parceretur, unde & in capitulis Theodori nomen ſuppreſſerat, prava tamen ejus dogmata damnarentur. Sed Orientalibus ne hoc quidem perſuaderi potuit.

* (352) *apud eam*.
* (353) *decerptis*.
* (354) *dixerunt*.
* (355) *nunc dicunt*.
* (356) *igitur* loco *qui*.
* (357) *decerptis*.
* (358) *ipſorum Orientalium*.
* (359) deeſt τὸ *prius*.
* (360) *fieri*.

fuere

„ſuere, ex hoc quod in tomo directo ſubſcripſi,
„ & illa capitula quæ ſubjecta ſunt repnli , ut
„ pote ſubtilitatem non habentia pietatis. Neque
„ autem de Theodoro, neque de alio quoquam ,
„ qui jam defuncti ſunt, ſcripſi tibi , Deo aman-
„ tiſſime, aut ut anathematizetur, aut abdicetur.
„ Sed neque cariſſimus Theodorus , qui a nobis
„ directus eſt, diaconus talia mandata percepit .
Et ea evidentiſſima negatione B. Procli nec dum
conſunduntur hæretici, vel ſautores eorum: ſed
audent adhuc dicere, quod Theodorum Mopſue-
ſtenum poſt mortem male nominaverit, eumque
velut hæreticum impietatis arguerit, cum ille re-
clamet , quod non ſolum Theodorum , verum
nec alium quemquam ex his qui jam defuncti
fuerant, anathematizari aut abdicari quæſierit,
aut nominatim alicujus fecerit mentionem? Ab-
ſit hoc a conſcientia Procli , ut ex mala dif-
famatione venerabilium nominum , & divulgata
vituperatione defunctorum in pace Eccleſiæ ſa-
cerdotum, puerilem gloriam captaret, atque in-
de videri doctus aut religioſus appeteret . Ne-
gat ergo ſe nominatim alicujus feciſſe mentio-
nem: & non ſolnm teſtari , verum & contra
ſurditatem contentioſorum clamare dicit literas
ſuas, quod nihil pravum contineant . pravum
utique eſſe definiens, quod quæſiiſſe ſalſo pu-
tabatur, ut contra Eccleſiæ morem poſt mor-
tem damnarentur Epiſcopi nunquam in vita ſua
361 culpati. Scribit autem etiam Maximo, uni ex
duobus per quos , ut dictum eſt , ſynodicam
epiſtolam miſerat Orientalibus Epiſcopis, dicens,
» Memor eſt tua reverentia, quando ad ſanctiſſi-
» mum Antiochenum * Epiſcopum tibi literas in-
*362 » jungebam, quia omnia cum ejus admonui vo-
» luntate fieri oportere, & nihil ad conſnſionem
» vel tumultum Eccleſiarum pacem habentium agi,
» ſed tomum quidem ſubſcribi , capitula autem
» ſubdita ſine nomine, hæc tamquam non haben-
» tia ſubtilitatem pietatis averti & abdicari .
» Quomodo igitur per literas didici nunc , quia
» Theodori Mopſueſteni & aliorum quorumdam
» nomina præpoſita ſunt capitulis ad anathemati-
» zandum, cum illi ad Deum jam migraverint ,
» & eos qui jam vitam reliquerunt ſupervacuum
» eſt injuriari poſt mortem, quos nec vivos ali-
» quando culpavimus? Rogo ergo , feſtina * ſicut
*363 » filius exquirere, ſed omnia permittere auctorita-
» ti ejuſdem reverentiſſimi conſacerdotis Joannis .
» poſt ſubſcriptionem autem tomi , & poſt abje-
» ctionem capitulorum, quæ cujus ſint ignoramus,
» continuo præpara diaconum Theodorum venire
» ad regiam civitatem , quatenus tempeſtate &
» tumultu non impleantnr Eccleſiæ urbis ſanctiſ-
» ſimæ, & donetis aliquid deſiderio impii Neſto-
» rii, qui ſe putat multos habere ſimilia ſapien-
» tes. Hic quemadmodum perſpicis , Imperator ,
» non ex ductu ratiocinationis noſtræ colligitur ,
» ſed ipſis B. Procli verbis evidentiſſime demon-
» ſtratur, quoniam ſi Calchedonenſis quoque ſy-
» nodus, ut quidam fecerunt , epiſtolam venera-
» bilis Ibæ pro laude Theodori tanquam Neſto-
» rio ſimilia ſapientis abjiceret , hinc potius , ſi-
» cut diximus atque probavimus, excuſaſſe Neſto-
» rium videretur, & donaſſe aliquid deſiderio Ne-
» ſtorianorum, qui ſe putant multos habere ſimi-
» lia ſapientes. Intellexit itaque vir * ſapientiſſi-
*364 » mus Proclus, quod domini ſapientes intelligere

A noluerunt , quoniam Mopſueſteno Theodoro ,
cum aliis quibuſdam , quorum nomina capitulis
neſcio quibus anathematizanda præpoſita fue-
rant, condemnato, expoſtulare Neſtorius poſſet,
& dicere, quomodo velut inventor novæ do-
ctrinæ ab Eccleſia ſum depulſus, cum Theodo-
rus vir doctiſſimus, & a doctiſſimis patribus præ-
dicatus, atque alii, qui ſicut ille ſine querela
in Eccleſiæ pace defuncti ſunt , eadem ſapuiſſe
dicantur? Vos ergo potius dicendi eſtis novi
dogmatis inventores, qui ab eorum doctrina de-
ſciſcitis, quos Eccleſia ſemper habuit honora-
tos. Nam ego etiam veſtro teſtimonio catholi-
B cus probor. ſi enim ea doceo , quæ Mopſueſte-
nus Theodorus, & alii in Eccleſia docuerunt ,
ipſorum vero doctrina vel a ſanctis patribus lau-
data eſt, vel quod interim certum eſt, per om-
ne quo vixerunt tempus a nullo invenitur eſſe
culpata, inculpabilis eſt etiam mea doctrina .
Quod ſi hæc ratio non mea , ſed viri pruden-
tiſſimi atque ſanctiſſimi Procli , modo conte-
mnitur, quam hactenus Eccleſia cuſtodiens in
pace degebat, cur quæſo de aliorum nominibus
tacetur, quæ illo tempore ſimul præpoſita fue-
rant capitulis ad anathematizandum? cur, pu-
tamus , illis pariter accuſatis nunc parcitur ,
C & ſolus in hac condemnatione Mopſueſtenus
Theodorus nominatur ? Eſtne aliud , quod hic
intelligere vel ſuſpicari poſſimus, niſi quia ſolus
in epiſtola venerabilis Ibæ laudatus eſt , quam
ſynodus Calchedonenſis orthodoxam judicavit ?
Porro vir ſapiens Procius hunc Theodorum non
eſt auſus injuriari poſt mortem , quoniam hoc
nec Chriſtiana pietas admittebat ; nec habuit
quod reſpondere poſſet, ſi ei diceretur, cur Ju-
daicæ impietatis accuſas, & condemnare quæris
mortuum, quem cum viveret palam in Eccle-
ſia docentem nunquam arguere præſumpſiſti ?
Nam ſi condemnandus videretur velut hæreti-
D cus, viventem admoneri a te prius oportuit ,
cum aut interpretari ſemetipſum poſſet in his
in quibus offenderis , & meliorem accipere vel
reddere rationem, aut merito ſuo pro ſua obſti-
natione damnari. Nunc autem nihil aliud agis,
niſi ut interminabile ſcandalum poſteris dere-
linquas, aut aliis ſequentibus antiquorum pa-
trum ſententiam qui eum laudaverunt, aliis ve-
ro tuam, qui eum præſumis accuſare poſt mor-
tem, magnis litibus ſemper Eccleſia quatiatur .
Hac ita perſpicua cunctis ratione ducebatur
E vir bonus & ſapiens Proclus, ut neque de Theo-
doro, ſicut hæretici fingunt, neque de alio quo-
quam in Eccleſiæ pace defuncto , mali aliquid
ſcriberet. Propter-quod increpans ſuum diaco-
num dicit, quod nihil ad confuſionem & tu-
multum Eccleſiarum pacem habentium ei agen-
dum injunxerit. Unde non ſolum Theodori Mop-
ſueſteni, & aliorum quornndam nomina capitu-
lis neſcio quibus præpoſita ſniſſe culpavit , ve-
rum etiam confitetur ignorare cujus eſſent .
Quomodo autem ſancta ſynodus ex epiſtola Ibæ,
Theodori laudem advertens, eundem Ibam com-
pelleret ipſum anathematizare Theodorum, cum
ſciret non ſolum pro illo, ſed pro omnibus qui
jam vitam inculpati reliquerant, S. Procli ſen-
tentia, cujus doctrinam tenuit, definitum quod
ſupervacuum eſſet eos injuriari poſt mortem?

* (361) *Maximo Diacono*. Maximum eumdem vocat Diaconum Facundus etiam infra *col.* 476.
* (362) *Archiepiſcopum*.
* (363 *Sicut filius patri obediens nihil amplius exquirere*.
* (364) *prudentiſſimus Proclus*.

CAP. III.

A Sed nunc ad aliam partem illius epiſtolæ revertamur, a prædicta ſynodo orientis Imperatori [a] ſcriptæ Theodoſio, quam in ſecundo libro memorare opportunum minime judicantes, diſtuleramus in ſubſequentibus explicandam. Cum igitur eadem orientalis ſynodus Imperatori Theodoſio adverſus illos, qui volebant quædam Theodori capitula condemnari, poſt multa de ipſo Theodoro diceret, quod non a ſacerdotibus tantummodo, ſed a ſacratiſſimo ejus avo, ter beato & a Deo imperii ſceptra ſumente Theodoſio, ſingularis eſt habitus, tanquam Flaviani magni Antiochenſium ſanctæ Dei Ecclesiæ Pontificis amantiſſimus diſcipulus, & B. Joannis Conſtantinopolitani condiſcipulus, hoc etiam addidit atque ait: Si autem quicquam, Imperator ſancte, obſcurum aliquis inveniri dicat in ejus vel aliorum literis, hoc retractari neceſſarium non eſt. Quorum enim vita in ſacerdotio & miniſterio optimum habuit finem, his præclaram gloriam dedicamus; & non ex illis eos judicamus, de quibus aliqui atrociter eos accuſant. Impoſſibile enim eſt, cum homines ſint qui in Eccleſia docent, ut calumniantium vituperationes effugiant? Et quid de Eccleſiæ doctoribus dicimus? quoniam & ipſa ſancta Evangelia multi hæreticorum ad ſuam recipiunt voluntatem, divina dicta vertentes, & in multas partes corpus Eccleſiæ diſcindentes. Hæc in brevi pietatem veſtram nos omnes Epiſcopi qui in Antiochiam Dei ſumus gratia congregati docuimus. Et poſt hæc, cum multos & antiquos doctores Eccleſiæ nominatim commemorarent, ſicut etiam Proclo ſcribentes Epiſcopo fecerant, perhibentes eos ſimilia docuiſſe Theodoro, ad ultimum dicunt: Arbitramur autem etiam ipſi pio imperio eſſe inutile, dum homines huc atque illuc jactari coguntur; nec quieſcere permittuntur ab hac importuna hominum inquietudine. Stent ergo cauſæ depoſcimus tempeſtatis, & tranquillitatem Dei Eccleſiis diſponi præcipite. Nihil quantum æſtimo, religioſe princeps, agendum nobis apud veſtram manſuetudinem reliquerat ſancta hæc orientalium ſynodus ſacerdotum. Quod enim non ſolum Eccleſiarum paci, verum & ipſi imperio veſtro inutile ſit, ut videlicet homines huc atque illuc jactari cogantur; nec quieſcere permittantur, illi * caute dixerunt. ſed actum eſt, ut hæc vobis ſerius innoteſcerent, dum qui potuerunt hoc facere noluerunt, & qui voluerunt, ne facerent, ab eis oppreſſi ſunt! Nam quis Chriſtianus horum magnæ auctoritati, quis prudens horum conſultæ rationi non cederet? Denique ſcriptis eorum inſtructus etiam Theodoſius Imperator, ſancti avi ſui Theodoſii ſecutus eſt in Theodoro Mopſueſteno judicium, & ſalubria eorum decreta & monita non ſprevit, aut diſtulit in effectum ducere, ſicut inferius oſtendemus. Et non eadem tunc fuerat cauſa Mopſueſteni Theodori. nec in præjudicium magnæ ſynodi, ſicut nunc, damnari quærebatur cum ſuis dogmatibus, nec cogebatur quiſquam anathematizare eos qui anathema ei non dicerent. Quid autem, quaſi novum, vel hæreticum, ſynodus Calchedonenſis in epiſtola venerabilis Ibæ damnaret, quod Theodorus, a tantis patribus prædicatus, & ab Imperatore Theodoſio majore, a Deo imperii ſceptra ſumente, ſingularis habitus, etiam ab ipſo Iba laudatus eſt? Neque enim parvi pendere ſancta ſynodus debuit beati quoque Imperatoris illius judicium, cui tantum ab Eccleſia tribuenda fuit auctoritas, quantum ſibi ille nihil auctoritatis unquam contra Eccleſiam vindicavit. Proinde quæſo te, clementiſſime Imperator, & obſecro pro reverentia quam Chriſto Deo & ejus ſacerdotibus debes, ut exhortationem ſanctorum patrum tuorum obedienter accipias. Tibi enim B modo loquuntur, tibi ſuadent iſti omnes antiqui orientales Epiſcopi. Tibi nunc dicunt, quod Theodoſio minori aliquando dixerunt. Si autem quicquam, Imperator ſancte, obſcurum aliquis inveniri dicat in Theodori Epiſcopi vel aliorum literis, hoc retractari neceſſarium non eſt. Quorum enim vita in ſacerdotio & miniſterio optimum habuit finem, his prælatam gloriam dedicamus, & non ex illis eos judicamus, de quibus aliqui atrociter eos accuſant. Impoſſibile enim eſt, cum homines ſint qui in Eccleſia docent, ut calumniantium vituperationes effugiant. Et quid de Eccleſiæ doctoribus dicimus, quando & ipſa ſancta Evangelia multi hæreticorum ad ſuam recipiunt voluntatem, divina dicta vertentes, & in multas partes corpus Eccleſiæ C diſcindentes? Exaudi itaque, religioſe Princeps, exaudi, precamur hortantes te ſalubriter, patres tuos, ſi cupis ut eos pro te orantes Chriſtus exaudiat. Grave eſt enim, ut quos olim præſentes in corpore, & peregrinantes a Domino, Theodoſius minor accepit, modo peregrinantes a corpore, & præſentes ad Deum Juſtinianus abjiciat in zelo fidei prædicatus. Et Theodoſius nullius obedientis in hac cauſa, Imperatoris invitabatur exemplo: tu autem quod ſequaris habes. Et Theodoſius utilitatem ipſius obedientiæ nondum erat expertus: tu autem rerum exitu cognoviſti quomodo ejus interdictione ſedata fuerit illa tempeſtas. Incomparabiliter itaque utilius tu reſpondes, clementiſſime D Imperator, expectationi totius Eccleſiæ, quam ille reſpondit: quoniam incomparabiliter major eſt nunc cauſa non condemnandi Theodorum, quam illis temporibus fuit. Si enim Joannes Antiochenus, & omnes orientales Epiſcopi, quos memoravimus, ſive Domnus æque Antiochenus, ex cujus epiſtola quædam memoraturi * ſumus, poſſunt aliquibus videri pro ſolo Theodoro certaſſe: nos autem, qui timemus anathematizare Theodorum, & omnes qui ei non dicunt anathema, non pro ſolo Theodoro, nec pro ſolo E Calchedonenſi concilio, ubi cum poſtea laudes ejus recitarentur damnatus non eſt, verum etiam pro ipſorum Joannis & Domni Antiochenorum, & omnium orientalium ſacerdotum, & beati Procli damnatione certamus, qui non tantum ei anathema non dixerunt, ſed nos quoque dicere vetuerunt: quid ergo Theodoſius minor adeunte ſe etiam prædicto beato Proclo reſponderit, quo utilius vos reſpondere poſſitis, inſinuare debemus. Imperatores Cæſares, Theodoſius & Valentinianus, victores triumphatores piiſſimi ſemper Augg. Deo amatori Joanni Archiepiſco-

Margin: * 365 (left, beside "que illuc jactari cogantur"); * 366 (right, beside "ſumus, poſſunt aliquibus").

a *Scripta Theodoſio*) De hac Joannis, Synodique Orientis epiſtola ad Theodoſium dictum eſt lib. 11. Ea enim eſt, quam in Allocutione ad Martianum laudat Synodus Calchedonenſis. Ὁ σοφὸς, inquit, τῆς Ἀντιοχέων Ἰωάννης, τῆς ἑῴας ἐκ μιᾶς γλώττης τῷ τῆς οἰκουμένης σκῆπτρα διέποντι τὴν ὁμολογίαν ἐξέπεμψε.

* (365) *ante*.

* (366) *quædam nihilominus*.

»po, & ſynodo cum eo in Antiochia congregatæ. a [a] Turbam atque tumultum, qui evenit in Oriente, noſtrum cognovit imperium per religioſiſſimum & ſanctiſſimum patrem noſtrum & Epiſcopum Proclum. Quoniam ergo pro quiete & pace omnium providemus, præcipue autem pro fide catholica, quæ noſtrum quoque cuſtodit imperium, veſtræ ſcribimus ſanctitati, quatenus pacem obtineatis, & nullum verbum intendatis eorum, qui volunt contra ſalutem propriam religionem ſanctiſſimam conturbare. Intentio etenim noſtræ divinitatis illa eſt, ut omnes homines cum quiete degant: præcipue autem ſanctæ Dei Eccleſiæ, per quos & nos ſalvamur, & noſtrum pollet imperium. Hac itaque voce quieti Eccleſiæ providentes nos aliquid
* 367 de vobis * utilius, niſi ut hoc quoque cum omni ſtatuatis Eccleſia, ne quis adverſus eos, qui in ejus pace defuncti ſunt, quicquam de cætero tale præſumat.»

CAP. IV.

b ADjiciam vero & aliam ſæpe dicti ſancti [b] Joannis Antiocheni, & ſynodi ejus epiſtolam, ad beatum etiam Cyrillum pro non condemnandis dictis Theodori ſcriptam. »Deo amabili, & ſanctiſſimo Epiſcopo Cyrillo, Joannes Antiochiæ, & qui cum eo Deo amabiles Epiſcopi convenientes ex unaquaque provincia, quæ in oriente eſt Dei gratia in civitatem amabilem Chriſto Antiochiam, propter literas ſanctiſſimi Epiſcopi domni Procli.» & infra, loquentes de ipſis qui, ut dictum eſt, volebant importune quædam de Theodori libris excerpta capitula condemnari, ſic inquiunt: »Nunc autem iidem ipſi, velut ex ſomno exſurgentes, pertexerunt ad regiam civitatem, & eam perturbantes, Eccleſiaſticam pacem, quantum in ipſis eſt, turbaverunt. Sanctiſſimo enim Epiſcopo Proclo tomum recte revera & pie habentem, quem ad Armenios ſcripſit, nobis deſtinante, & noſtrum quærente conſenſum, omnia facta ſunt a nobis, & in nullo minus fecimus. Erat autem & hoc in præſenti tempore ſupervacuum, propterea quod jam Dei gratia omnes ubique unum & eundem cuſtodiunt pium intellectum. Solent enim aliquoties res, quæ quaſi neceſſariæ videntur, niſi opportune fiant, augmentum perturbationis accipere. Aliud etiam malum eſt in iſtorum feſtinatione manibus extenſis", & alter tomus excerpta quædam habens B. Theodori, qui fuit Mopſueſtiæ Epiſcopus, & ea quæ ille in diverſis libris dixiſſe videtur, volentes eis anathema inferre. Propter hoc petimus, ut mentem tuam nobis applices ſtudioſius quam in aliis rebus, & dignare conſiderare malum opus hoc eſſe, niſi ex communi ſententia illud extinguere labores. Dedit enim tibi Deus ſuper velle etiam poſſe, ut in commune omnes juves. Sunt

" videtur hic aliquid deeſſe.

in illo tomo quædam incerta, & aliter quam dicta ſunt intelligi valentia, confitemur hoc etiam nos. plurima vero eorum aperta videmus, & ſine aliqua ambiguitate recta. Sed illis quæ putantur obſcura, ſimilia multa & a plurimis anterioribus ejus, & glorioſis patribus dicta invenimus: & periculum hinc pendet non leve, ne in iſtis etiam illorum ſolvamus, ejus viri reprobantes dicta, qui in Epiſcopatu quidem defunctus, agonibus autem adverſus * Arianos, & * 368
alios hæreticos, decem millibus per omnem ſuam vitam ubique decoratus eſt. Quod ſi fiat, multa etiam ab aliis ſanctis patribus, aperte dicta retractaturi ſumus, & reprobaturi. Excerptis enim iſtis ſimilia quædam invenimus apud ter beatum & nobilem Athanaſium, quædam etiam apud beatum Baſilium, quædam apud Gregorium utrumque: multa vero & apud Amphilochium ſæpius dicta, non parva vero & apud communem patrem B. Theophilum. Sunt enim quæ etiam tua ſanctitas ita confitetur, & eumdem de illis habes intellectum. Quædam etiam ab ipſo amabili Deo Proclo in eodem ipſo tomo, quem ad Armenios miſit, quo multis ſenſibus iſtis decerptis concurrit. Et dies nos deficiet percurrentes beatum Euſtachium Antiochiæ civitatis Epiſcopum, qui fuir pro recta fide in Ni- * 369
cæno Concilio, & magnæ famæ * Alexandriæ veſtræ. ſed etiam poſt illos ſanctiſſimos Epiſcopos, Meletium, Flavianum, a quibus plura iſtis concordantia dicta ſunt. Quid jam dicam de * 370
his qui in Occidente ſecundum * doctrinam, & eandem confeſſionem decorati ſunt, quos etiam tua ſanctitas melius novit? Intende itaque, rogo, ad quod præcipitium nos impellant, qui ad nullam utilitatem verbis contendunt. Quid non hinc læſionis vel corruptionis & confuſionis ple- * 371
num generetur, ſi aperiamus januam his qui * dicta tranſeunrium patrum" evertere? qnale damnum non apertum erit dicta non ſolum refutare, ſed etiam anathematizare? Ut enim aliud alicui placeat, aliud non, in aliquorum dictis, ſive antiquorum, ſive poſteriorum, ſive non noſtro-
rum, alia ratio eſt. Ut autem & anathema eis * 372
imponatur, arbitramur audax & aſperum apparere, & ſi perſonæ cum dictis non anathematizentur. Quis enim noſtrum * ſperet quod
alium poſſit movere, aut quid horum non præ- * 373
beat occaſionem ſemper ut populi perturbentur? Et hoc quidem, & viventibus & tranſeuntibus contingere ſolet. quod non ſcienti tantum hæc
dicimus, ſed etiam plus * omnibus conſiderare * 374
valenti magnitudinem hujus abſurditatis. Quid autem non præbeamus ex hoc deſiderabile Neſtorii defenſoribus? Quis enim eum non honorabit, ſi cum iſto, & aliis, qui in Epiſcopatu vitam depoſuerunt, ſimul * anathematizetur? aut
ubi ejus opinio per hoc non accipiat incrementum? * 375
Quis autem deceptorum hominum, de iſtis occa-

" f. volunt evertere.

a *Turbam atque tumultum*) Tempeſtas proxime dicta eſt in Synodica Orientalium: ſed Theodoſius a Proclo de illa ſibi ſuggeſtum ait. Turbabat autem Orientales, ut eſt in epiſtola Cyrilli ad Proclum, quod vir nobilis & defunctus in communione Eccleſiarum anathematizaretur. Hoc itaque eſt quod reſeripto ſuo nunc vetat Theodoſius, ne quis eos laceſſat, qui in Eccleſiæ pace defuncti ſunt. Quo fit, ut ſuſpectum ſit Theodori nomen, quod in Theodoſii edicto de damnatione Neſtorii adjectum legitur Act. v. Synodi v. eum in Epheſina, & in Codicibus non legatur.

b *Joannis ad Cyrillum*) De hac Cyrillus ipſe in eadem ad Proclum epiſtola, quæ Latine tantum extat in Quinta Synodo. *Nunc vero*, inquit, *ſicut ſcripſit ad me dominus meus ſanctiſſimus Epiſcopus Antiochiæ Joannes, initium apud ipſos alterius tempeſtatis ſurrexit, & plurimus eſt timor, ne forſitan quidam inſtabiles ad priora revertantur*. Hæc vero tertia eſt earum, quas propter capirula Procli Tomo ſubdita, pro Theodoro ſcripſiſſe Joannem lib. 11. adnotatum eſt ex Breviario Liberati.

* (367) *utilius expectamus. Eſt autem hac utilius niſi &c.*
* (368) *Arianos, & Eunomianos, & alios.*
* (369) *Alexandrum veſtrum.*
* (370) *eandem doctrinam.*
* (371) *volunt dicta.*
* (372) *nunc noſtrorum.*
* (373) *ſperet non defungi, aut a quo non dictum eſt aliquid, quod alium.*
* (374) *omnibus nobis.*
* (375) *anathematizaretur.*

„ ſionem aſſumens, non confeſſorem vocaverit,
„ veluti propter illum paſſum * quæ paſſus eſt,
* 376 „ quæ etiam illi qui in Eccleſia fulſerunt paſſi
„ ſunt? Quis autem mentem habentium neſcit, quia
„ ea quæ dure a B. Theodoro dicta ſunt, neceſ-
„ ſitate compulſus dixit? Proponebat enim eum to-
„ tus in commune oriens inter eos qui ante nos
„ fuerunt, ſicut virtutem multam doctrinæ haben-
„ tem adverſus hæreſes, contra quas pugnans &
„ dimicans multa quadam diviſione uſus eſt, non
„ ex pravo intellectu veniens, ſed efficacius ad-
„ verſus hæreticos illo modo uti judicans: neque
„ unitatem ſummam ignorans vel negans, abſit,
„ (pleni enim hujuſmodi ſunt omnes ejus libri)
„ ſed naturarum proprietates amplius dividens,
„ ſicut ei pugna, quam adverſus hæreticos ha-
„ buit, faciendum dictabat. Hoc & tua religioſitas
„ diſpenſavit aperte in anterioribus literis veſtris,
„ ad ſatisfactionem quorumdam venerabilium coe-
„ piſcoporum noſtrorum quod & ipſum tuæ vir-
„ tutis tuæque ſapientiæ proprium eſt. Verum
ego, religioſe princeps, quantum ex his dictis
afficior, quibus venerabiles patres per donatam
ſibi a Deo ſapientiam prævenerunt quicquid in
cauſa Theodori pro magna ſynodo reſpondere
poſſemus; tantum doleo, & illis quod factum
* 377 eſt imputo, qui * non hæc ante vobis oſtende-
re conſueverunt. Quis enim credit, quod vel
tantæ auctoritati religio tua, vel prudentia tali
rationi reſiſteret? Hæc enim verba ſynodi O-
rientis, non dicam timorati & ſapientis princi-
pis animum, ſed cujuslibet hominis, quem non
penitus deſeruit humanitas, commoverent. Nam
ſi tunc potuerunt ardentem flammam reſtinguere,
quanto magis nunc a vobis obtinere poſſent, ne
quis reſuſcitaret extinctam? Si autem veluti ex
ſomno exſurgentes dicti ſunt illi, qui cum ni-
hil contradixiſſent viventi Theodoro, poſt ejus
obitum illo tempore perrexerunt huc ad regiam
civitatem, Eccleſiaſticam pacem, quantum in
ipſis eſt, conturbantes: quid de iſtis fautoribus
hæreticorum dicendum eſt, qui poſt centum an-
* 378 nos * ſomnum illorum, qui rem malo ſuo ſur-
rexerant, pejus evigilare cœperunt! Proinde ſy-
nodus Calchedonenſis quomodo juſta ratione cul-
petur, quia credidit orientalibus patribus in con-
cilium congregatis, quos noverat, & non negaſ-
ſe quod quædam in Theodori ſcriptis aliter
quam dicta ſunt poſſent intelligi, & adfirmaſſe
quod recto ſenſu prolata ſunt, ſicut ex aliis
plurimi ejus dictis intelligebant, quæ aperta &
ſine aliqua ambiguitate recta ſe videre dixe-
runt? Sciens etiam eoſdem orientales perhibuiſ-
ſe, quod illis dictis Theodori, quæ putantur ob-
ſcura, multa ſimilia & a plurimis anterioribus
ejus & glorioſis patribus dicta * ſunt. Sed no-
* 379 luit ejus viri dicta reprobare, qui in Epiſcopa-
tu quidem defunctus eſt, agonibus autem ad-
verſus Arianos & Eunomianos, & alios hære-
ticos, decem milibus per omnem ſuam vitam
ubique decoratus eſt. Nunquid debet pro hac
modeſtia & ratione culpari? præſertim quia non
leve periculum impendebat, ne dictis ejus con-
demnatis, etiam illorum patrum omnia ſolve-
rentur. Conſultiſſima igitur, & provida potius,
quam Neſtoriana, dicenda eſt illa ſynodus,

A quæ prudenter & occaſiones abſtulit quibus poſ-
ſunt populi perturbari, & excuſationem vel
etiam auctoritatem Neſtoriano errori non præ-
buit; quod profecto faceret, ſi Neſtoriani dog-
matis auctorem judicaret eſſe Theodorum a tan- «
tis patribus prædicatum. Propter quod & ipſi «
dicebant: Aut quid horum non præbeat occa- «
ſiones, ut ſemper populi perturbentur! quid au- «
tem non præbeamus ex hoc deſiderabile Neſto- «
rii defenſoribus! quis enim eum non honorabit, «
ſi cum iſto, & aliis qui in Epiſcopatu vitam «
depoſuerunt, ſimul anathematizetur? & cætera, «
quæ ab eis commemorata, nos quoque videmus
Neſtorii potius excuſationi proficere. Sed & B.
B Cyrillum, & alios, qui cum illo Epheſum con-
venerant, patres ſancta illa ſynodus tacite re-
prehendiſſe videretur, quod prædictos orienta-
les, eundem Theodorum defendentes, & multo
amplius laudantes, injuſtum duxerunt hæreticos
judicare. Neque enim ſolus B. Cyrillus, an non
etiam memorati ſacerdotes ejus, qui cum illo
fuerunt Epheſi, maxime vero Ægyptii, hanc
orientalium de Theodoro ſententiam cognoviſſe
credendi ſunt, qui tamen omnes in ipſorum
communione manſerunt? Unde cognoſcis, Im-
perator, illa tria quæ hujus operis partitioni ſub-
junximus, hic iterum atque iterum ſimul oſten-
di. Quoniam ſi Calchedonenſis ſynodus vel pro
laude Theodori * epiſtolam venerabilis Ibæ dam- * 380
C naſſet, excuſaſſe Neſtorium, & culpaſſe B. Cy-
rillum atque Epheſinum concilium probaretur.
Quas ob res omnino pie atque prudenter egit,
ut diſcerneret a Neſtorii cauſa cauſam Theodo-
ri. Neſtorius enim perfidiam ſuam noxiæ dili-
gentiæ celabat obtentu, negans ſanctam virgi-
nem Dei matrem, & admonitus atque increpi- * 381
tus offenſionem totius * concepiſſe Eccleſiæ. * 382
Theodorus autem, non Eccleſiæ contradicens, *
ſed hæreticis, quædam ſic locutus eſt, ut niſi ad
intentionem dicentis lector adſpiciat, offenda-
tur in verbis. Nec unum eſſe Chriſtum in dua-
bus naturis abnegabat, ſicut oſtendimus, ſed ne-
ceſſitate hæreticorum oppugnantium cogebatur
multum proprietates diſcernere naturarum. Un- «
D de dictum eſt: Proponebat enim eum totus in «
commune oriens, ſicut virtutem multam do- «
ctrinæ habentem adverſus hæreſes, contra quas «
pugnans & dimicans, multa quadam diviſione «
uſus eſt, non ex pravo intellectu veniens, ſed «
efficacius adverſus hæreticos ſe illo modo uti ju- «
dicans. neque unitatem ſummam ignorans, vel «
negans, abſit, (pleni enim ſunt hujuſmodi om- «
nes libri) ſed naturarum proprietates amplius di- «
videns, ſicut ei pugna, quam adverſus hæreti- «
cos habuit, faciendum dictabat. Si vero licebit «
E poſteris antiquorum prædicatorum dicta ſimpli- «
cia, velut hæreticorum fraudulenta diſcutere,
nec conſiderare quod in præſentes, non in fu-
turas, quas neſciebant, hæreſes intendebant,
plurimos cum Theodoro ſine dubitatione dam-
nabimus. Nam ſicut hi patres orientales perhi-
bent, multa in eis inveniuntur, quæ non ſeve-
rum judicem, ſed pium quærant interpretem. Quo-
rum orientalium teſtimonio quia non creditur, id-
circo nos ex dictis antiquorum doctorum Eccle-
ſiæ pauca de multis proferimus, ut Eutychiani,

* (376) *qui paſſus*. Hactenus menda plura epiſtolæ Joannis Antiocheni ad Cyrillum correcta ſunt ope codicis noſtri: unde purior impoſterum edi poterit eadem in collectionibus Conciliorum.
* (377) *nos hæc ante vobis oſtendere non fecerunt*.
* (378) *ſomnii illorum, qui tunc malo ſuo &c.*
* (379) *ſunt; ſi noluit ejus viri &c.*
* (380) *epiſtolam Venerabilis Ibæ velut hæreticam refutaret; hinc potius excuſaſſe &c.*
* (381) *contempſiſſe*.
* 382) *magis autem pro Eccleſia reſpondens hæreticis &c.*

vel fautores eorum, diſſimulare non poſſint, A
quod in condemnatione dogmatum Theodori,
quam in deſtructione Calchedonenſis Concilii quæſierunt, illorum quoque patrum, quos venerari ſe dicunt, doctrina damnetur. Verum & his
omiſſis, vel paululum intermiſſis, reprehendi
non poteſt ſancta ſynodus, quod venerabilis Ibæ
epiſtolam pro ejus laude non judicavit hæreticam. Primum quidem, quoniam tantorum patrum ſententiam ſecuta eſt, quod ſolum ejus defenſioni ſufficit. deinde quia nec illud improbandum eſt, ſi aut eos, qui de quibuſdam ſcriptis Theodori cauſarentur, credidit occaſionem ſacere contrario dogmati quo tenebantur, vel ea
minus intelligendo culpare, aut ipſum Theodorum minus commodis explicaſſe verbis quæ ſentiebat, quod multis poteſt catholicis doctoribus
evenire. Nam ſæpe etiam intentione adverſariis
reſiſtendi in dicendo modus exceditur: nec facile eſt homini futuras evitare quæſtiones, cum
adverſus præſentes toto niſu mentis inſurgit.
Agebat enim Theodorus frequenter tam libris,
quam ſermonibus, in populum [a] contra Synuſiaſtas, ſive, ut ab auctoris ſui nomine ſunt vocati, Apollinariſtas, progenitores Eutychianæ dementiæ, qui temporibus ejus exorti unam Chriſti dicebant eſſe naturam. quibus repugnans ſi
forte per humanam fragilitatem lapſus invenitur
in verbo, quid impium ſynodus fecit, quod eum
tantis atteſtantibus credidit in ſenſu manſiſſe catholico? maxime quia necdum perfidia Neſtoriana ſurrexerat, quæ ſollicitum ſemper ex altera parte faceret diſputantem; ſed hoc ſolum
quod vincere propoſuerat attendebat. Quod ſi
aliquo inexcuſabili præoccupatus errore Theodorus oſtendatur, non impie ſancta ſynodus fecit,
quod pie de Chriſti Eccleſia ſentiens, credidit
eum in tempore admonitum corrigere potuiſſe,
ut in ea permaneret Epiſcopus, & ob hoc pro
cæteris quamplurimis, quæ recte ſapuit, non
immerito ejus doctrinam eſſe laudatam. Hæc
ſane Orientalium patrum verba, quibus de Theo-
„ doro dixerunt, Proponebat enim eum totus in
„ commune oriens inter eos qui ante nos fuerunt,
„ ſicut virtutem multam doctrinæ habentem ad-
„ verſus hæreſes; convenire ſerenitas tua cogno-
ſcit epiſtolæ Beati Gregorii Nazianzeni, per quam
„ eidem Theodoro ſcribens ait: Si quidem aliud
„ caput haberet provincia, ad illud oporteret cla-
„ mare & conteſtari. tua vero reverentia ſuper-
„ poſita, ad te attendere neceſſe eſt. Et iterum:
„ Hæc comprimere non eſt noſtræ ætatis & infir-
„ mitatis, ſed tuæ prudentiæ atque virtutis. quo-
„ niam tibi cum aliis facultatem donavit omnipo-
„ tens ad communem defenſionem Eccleſiæ. Quid

vero etiam B. Cyrillus reſcripſerit orientali ſynodo, prohibens non tantum perſonam, verum
etiam dicta Theodori condemnari, tertio memoravimus libro.

CAP. V.

NUnc igitur [b] Domni Antiocheni ſynodicam
memoremus epiſtolam, qui ſicut ejus deceſſor
Joannes, & ipſe Imperatori Theodoſio ſcribens, «
Veſtram, inquit, docere cogitur pietatem, quo- «
niam Apollinaris hæreſiarchæ impietatem Euty- «
ches presbyter renovare pertentat, & Apoſtoli- «
cas labefactare doctrinas, myſterii incarnationis «
dogma corrumpens, & divinitatem unigeniti, «
& humanitatem unam naturam vocans, com- «
mixtionemque, & confuſionem aſſerens factam, «
& ſalutarem paſſionem ipſi incontaminabili dei- «
tati adnectens, & hos qui columnæ veritatis & «
propugnatores pietatis fuerunt, & adverſus om- «
nem hæreſem clare virtutem exercuerunt, Dio- «
dorum & Theodorum anathematizare præſumit, «
& in hoc Apollinaris ſimilis vanitati. Ille et- «
enim linguam adverſus magnum Diodorum mo- «
vit, quoniam eum agentem impie objurgavit. «
Clarum autem & hoc affinitatis dogmatum ſi- «
gnum eſt. qui enim magnum pietatis certato- «
rem Diodorum cum Apolinario verbis blaſphe- «
mis impetit, e contrario ſemetipſum oſtendit ſi- «
militudinem vanitatis illius amplectentem. Iſte «
autem magnus Diodorus teſtem quidem pietatis «
habet, clarorumque certaminum, magnum il- «
lum Baſilium. In illo enim claruit tempore, «
quo Arii impietatis patroni, tunc Imperatorum «
animas irretientes, adverſus veritatem illorum «
movere potentiam. Habuit autem iſte in Antio- «
chia certaminum curſus adverſus hæreticorum au- «
ſteritatem decertans. Dei autem homo S. Mele- «
tius, a quo appellationem habent apud nos A- «
poſtolicorum cuſtodes dogmatum, (Meletianos «
enim nos vocant Arii ſectatores) ſacratiſſimum «
Diodorum gubernatorem [c] Ciliciæ univerſæ præ- «
poſuit, & Tarſeorum ei regimen commiſit. Iſte «
in regia civitate cum Gregorio, & reliquis «
qui ejus erant ſtudii, ter beatum Nectarium «
Archiepiſcopum ordinavit. Iſte Joannis magni «
doctor qui ſedem regiæ civitatis ornavit, & «
univerſum mundum doctrina complevit. Iſte «
divulgatiſſimum illum Theodorum piis dogmatibus enutrivit, & clare atque fortiter edocens «
laborare, hæreticorum catervis eum immiſit. «
Et ſacratiſſimus quidem Diodorus cum Athana- «
ſio magno, & Petro, & Timotheo conſloruit, «
Theodorus autem cum Theophilo, viris vice lu- «
minarium orbem illuſtrantibus, & qui ſedem A- «
lexandriæ ornaverunt. ſed laudatores quidem «

a *Contra Synuſiaſtas*) Synuſiaſtæ συνουσιασταὶ dicti ſunt Apollinariſtæ, quod Dei & hominis Chriſti unam docerent eſſe naturam σύγκρατον, id eſt commixtam & compoſitam, humanam & divinam. quod ipſum quia docuerunt poſtea Eutychiani, inde illos horum progenitores vocat. Qui adverſus Apollinariſtas olim ſcribebant, plerique libris ſuis titulum dabant κατὰ συνουσιαστῶν. Ita enim citatur in Synodo v. liber Theodori Mopſueſteni contra Synuſiaſtas vel Apollinariſtas. Item Diodori Tarſenſis κατὰ συνουσιαστῶν a Leontio Byzantio lib. III. eodemque titulo liber Cyrilli Alexandrini apud Anaſtaſium in Ecloge χρήσεων, cap. v. & Theodoti Antiochiæ, apud eundem, Θεοδότου Ἀντιοχείας ἐκ τοῦ πρὸς Ἱεράκλειδον, κατὰ συνουσιαστῶν. Εἰ δὲ, inquit, ἐφ᾽ ἑνὶ εἶναι καὶ μία αὐτὴ, αἱ ἰδιότητες τῆς ὑποστάσεων ἀκέραιοι μένουσι· πολλῷ δικαιότερον ὅτ᾽ αἱ δύο διάφοροι φύσεις ἐφ᾽ ἑνὶ προσώπῳ γνωρίζονται, ἀκέραιά τε τῆς ὑπάρξεως τά τε τῆς φύσεων ἰδιώματα σώζεσθαι.

b *Domni Antiocheni*) Hujus Synodicæ Domni, qui Eutychi, ut lib. XII. extremo dicet, primus omnium reſtitit, mirum eſt tantum eſſe apud alios ſcriptores ſilentium. Succeſſerat is Joanni avunculo, hæres non ſolum honoris, ſed etiam ſtudii, ut in Neſtorianas partes propenſior. Inde eſt quod clericos Edeſſenos Ibam Epiſcopum accuſantes rejecit, & damnavit, ut eſt apud Liberatum cap. x. In Synodo autem Epheſina II. circumventus Epiſcopatu dejectus eſt, prolatis epiſtolis quas ad Dioſcorum ſcripſerat contra duodecim capita Cyrilli, ut Liberatus idem auctor eſt cap. XII.

c *Ciliciæ univerſæ*) Theodoretus lib. v. Hiſtoriæ cap. IV. ὁ δὲ θεῖος Μελέτιος Διόδωρον Ταρσίων κατέστησε ποιμένα, καὶ τὸ Κιλίκων αὐτῷ ἐνεχείρισεν ἔθνος. Cilicia nondum in duas partes diviſa, Tarſus caput erat univerſæ provinciæ: poſt diviſionem, Tarſus eadem, quod ex Hierocle conſtat, Metropolis fuit primæ Ciliciæ, Anazarbus ut dictum eſt ſecundæ.

A horum illi in omni vita fuerunt; accuſare au-
tem eos nullus alicubi præſumpſit evidenter. Ap-
paret etiam ex his quæ nunc protulimus, condi-
ſcipulum fuiſſe magni Joannis divulgatiſſimum
Theodorum, cum quo, ut Domnus atteſtatur,
a S. quoque Diodoro, ſicut a Flaviano Antio-
cheni, piis dogmatibus enutritus eſt. Hoc etiam
* 383 ſimul eſt proditum, quod odium * contra Theo-
dorum Eutychiani ab ipſo Eutyche patre ſuo
contraxerint, qui divinitatem unigeniti & hu-
manitatem unam naturam vocabat, commixtio-
nem & confuſionem aſſerens factam, & ſaluta-
rem paſſionem ipſi Incontaminabili deitati adne-
B ctens. Non ergo mirum, ſi rami infelices ama-
riſſimæ radici ſuæ conveniant. At ego hic judi-
cium veſtræ pietatis expecto; cui ſententiæ nos
in cauſa Mopſueſteni Theodori adjungi oporte-
re cenſetis: utrumnam veſaniæ Eutychis, hære-
dumque ejus, qui pro ſua pecuali ſtultitia,
qua tenentur, in ejus condemnationem fruſtra
ſemper armati ſunt, an Joannis Conſtantinopo-
litani ejus condiſcipuli, & Gregorii Nazianze-
ni, Joannis deinde Antiocheni, atque Orienta-
lis concilii univerſi, Cyrilli ac Procli eidem re-
ſcribentium, & hujus Domni Antiocheni? Puto
clementiſſime Imperator, quod magni ſceleris ma-
gnæque profanationis eſſe judices, iſtorum lumi-
narium mundi pro Theodoro Mopſueſtiæ calcare
C ſententiam, & ad tenebras cæcitatis Eutychianæ
tranſire, ut in Eccleſia catholica hæreticorum
exerceamus inimicitias, & alieno contra noſtros
odio militemus. Si autem profanum nobis eſt,
in ſolius condemnatione Theodori patrum calca-
re ſententiam, ut Eutychianorum deſiderio ſa-
tisfiat, nedum ipſos condemnare venerabiles pa-
tres, decernendo, vel decernentibus aſſentiendo,
ut anathema ſit qui Theodoro Mopſueſtiæ non
dicit anathema. Quod ergo vos religio veſtra
profanum judicare compellit, hoc etiam venera-
bilis ſynodus Calchedonenſis profanum judicavit,
ſicut judicare debuerat, Eutychis judicium in
D cauſa Theodori ſequi, contra quem fuerat con-
gregata, potius quam iſtorum patrum, quorum
eum teſtimoniis refellebat. & ideo, Domno An-
tiocheno cum multis patribus atteſtante, quod
divulgatiſſimus Theodorus, cum magno Joanne,
qui ſedem regiæ civitatis ornavit, a Diodoro
piis dogmatibus fuerit enutritus, epiſtolam ve-
nerabilis Ibæ, ſive Theodorum condemnare non
debuit, cum ex ea recitari laudes ejus adverte-
ret. Quippe cum & hoc ſciret, quia communem
ab Apollinariſtis & Eutyche accuſationem cum
ſuo magiſtro Diodoro ſuſtinebat: Diodorum ve-
ro ſimiliter ſciret teſtem pietatis, clarorumque
E certaminum, habuiſſe magnum Baſilium, & S.
Meletium, a cujus nomine Ariani nos Mele-
tianos appellant, & Gregorium, & alterum Gre-
gorium, cum quibus B. Nectarium in regiam ci-
vitatem Epiſcopum ordinavit, cumque Alexan-
drinis Epiſcopis, id eſt Athanaſio magno, & Pe-
tro, & Timotheo confloruiſſe, quod etiam ex eo-
rum epiſtolis quarto libro docuimus; ſicut ipſum
quoque Theodorum cum Theophilo, viris vice
luminarium orbem illuſtrantibus. Et utique non
poſſet magna Calchedonenſis ſynodus crimen in-
tolerabilis præſumptionis evadere, ſi Apollinari-
ſtas & Eutychem ſequeretur, qui Diodorum &
Theodorum cum Baſilio, & Meletio, & utro-
que Gregorio, & Joanne, & Nectario, & Atha-
naſio, & Petro, & Timotheo, atque Theophi-
lo, in prædicatione verbi converſatos ſine quere-
la, falſis criminationibus impetebant. Nonne hoc
erat ſapientiores, & diligentiores Apollinariſtas,
& Eutychem oſtentare, & condemnare tot ve-
nerabiles patres, qui convenientes Diodoro atque
Theodoro, * nihil inde iſtos unquam reprehen-
diſſe monſtrantur? Horum itaque patrum aucto- * 384
ritate calcanda & conterenda fuerat Eutychia-
norum ſtulta præſumptio, & non mendaciter
excuſanda ſynodus, quæ ſanius & fortius poteſt
acceptabili, * quod diximus, ratione & eviden- * 385
ti veritate defendi. Tantis autem ac talibus Ec-
cleſiæ Chriſti magiſtris divulgatiſſimi Theodori
vitam doctrinamque laudantibus, & teſtantibus
quod clare & fortiter laborans hæreticorum ca-
tervas everteret, nuſquam accuſatus a quopiam,
cum quidam eum & ejus dogmata condemnarent,
quid arroganter egi, religioſe Imperator, quo-
niam hoc de me viſum cuidam eſt vel ſentire
vel dicere, quod inter utroſque medius nec præ-
dicare illum volui, nec damnare: præſertim
quia, ſicut ſuperius diximus, non ſaltem ſolum
Theodorum, ſed omnes qui ei anathema non di-
cunt, anathemati ſubdiderunt. Quomodo autem
facillime probaretur non eſſe dicendum anathe-
ma Theodoro, niſi & omnes anathema illi non
dicentes ejus damnationi conjungerent, quod
quam crudele eſſet, & nimis iniquum, etſi hoc
nulla patrum ſententia fieri vetaretur, videre
perfacile eſt. Numquid enim anathema eſſe de-
berent, qui Theodoro Mopſueſtiæ, vel quia in-
cognitos & incertos haberent, ſi fuiſſent aliqui
ejus erroris, vel quia in Eccleſiæ pace defun-
ctus eſt, metuerent anathema dicere? Nam ſi
cavillari quiſquam volens objectet eis, ac dicat,
Quid commeruit innocentia infantium, vel ne-
ceſſitas mutorum, ut a vobis anathema fierent,
qui nec Theodoro Mopſueſtiæ, nec cuiquam di-
cere poſſunt anathema? multum pro ſua peritia,
ſicut arbitror, æſtuabunt. Quantum porro & ip-
ſorum hæreticorum mentes, cum in omnibus,
tum maxime in hoc facto, furoris ſui zelo fue-
rint obſcuratæ, ſatis clarum eſt: qui dum lon-
gis ſuæ factionis ambagibus ad evacuationem
Calchedonenſis ſynodi pervenire contendunt, il-
los etiam patres, quos venerari ſe dicunt, ſimul
etiam condemnari cum Theodoro neſcierunt.
Nam doceant nos vel ipſi, vel fautores eorum,
ſi vere aliquid poſſunt, quomodo ſimul & Theo-
dorus talis pronuntietur hæreticus, ut ab ejus
nomine jam Theodoriani vocentur, qui Neſto-
riani hactenus vocabantur, & laudatores fidei,
& doctrinæ ejus non videantur hæretici, ut de
omni Eccleſia taceam, quæ illum, donec advixit,
habuit honoratum. Hic itaque probent ſubtili-
tatem ſuæ doctrinæ. Hic exerceant illud inge-
nium petulans, procacemque ſcientiam, qui pe-
rite philoſophari ſe putant, qui calumniari aliis
mortuis poſſunt, cum defendere ſua dicta non
poſſunt. Ideoque vel nunc admoniti debent * no- * 386
bis improbare quod factum eſt. Quod ſi nolue-
rint, catholici ſaltem deſinant, vel injuſte, vel

* (383) *contra Theodorum, ſicut etiam contra Magiſtrum ejus Dioſcorum* (Diodorum) *Eutychiani ab ipſo &c.*

* (384) *nihil in eis unquam.*

* (385) *quam diximus.*

* (386) *nobiſcum.*

nimis ſevere de mortuis judicare, & ſynodi Cal-
* 387 chedonenſis auctoritatem tali hæreticorum * ar-
gumentorum deſtruere. Nam cui rei neceſſaria
eſt iſta multa juſtitia, quæ cum male argumen-
tantibus hæreticis favet, dure atque crudeliter
in ſanctorum patrum contumeliam redundavit?
Nonne proprie videtur in Eccleſiaſte talibus in-
Eccl. 7. 17. terdictum ubi ſcriptum eſt: *Noli effici juſtus mul-
tum, & noli argumentari abundanter, ne forte
obſtupeſcas. ne impie agas multum, & noli eſſe
durus, ne moriaris in tempore non tuo.* Et quia
ibi ſequitur dicens: *Bonum eſt parcere te in hoc
equidem. ab hoc noli contaminare manum tuam,
quia is qui timet Deum, evadit omnia.* Malui-
mus nos, pro Dei timore, ut evaderemus hanc
culpam, parcere venerandis patribus, quam il-
lis admiſceri, qui manus ſuas contaminaverunt
inconſulta eos ſubſcriptione damnantes. Pertinet
igitur ad pietatis veſtræ juſtitiam, ut qui non
* 388 judicatis paternæ * ſententiæ contemptores, qui
ſe tantis patribus prudentius intellexiſſe, & uti-
lius fidei conſuluiſſe gloriantur, multo minus me
vel de cetero judicetis, qui non meum ſed tan-
torum patrum videor in Theodoro ſequi judicium.
quod etiam ſancta ſynodus Calchedonenſis ſecu-
ta eſt, ſciens eum & a Joanne Conſtantinopo-
litano, atque Gregorio Nazianzeno, ſuperſtitem
prædicatum, & poſt obitum ab Joanne & Dom-
no Antiochenis, ac tota ſynodo Orientis, atque
Cyrillo Alexandrino, & Proclo Conſtantinopo-
litano, contra hæreticorum calumnias multipli-
ci ratione defenſum. Unde magis probatur,
quod ſtulte propter hoc putetur hæretica, quod
in cauſa Theodori illorum patrum teſtimonio fi-
dem habuit, quorum fidem in ſuis definitioni-
bus tenens hæreticos improbavit. Animadverten-
dum ſane videtur, & fidelium cordibus incul-
candum, non tam pro cauſa Mopſueſteni Theo-
dori, quam pro cunctorum qui vitam in pace
Eccleſiæ finierunt, atque finierint; quod omnes
hi patres, quorum ſententias memoravimus, di-
verſis quidem verbis, ſed eodem ſenſu, pronun-
tient quoniam unuſquiſque in vita ſua correp-
tioni Eccleſiæ pertinaciter non reſiſtens, poſt
mortem cum ſuis dictis non debeat abdicari.
Sanctus namque Joannes Anthiochenus, & tota
ſynodus Orientis, B. Proclo ſcribentes, inter alia
„ ſic queruntur. Et quid de cetero nominis ad-
„ ſit doctrinis, ſic admirabilibus & famoſiſſimis vi-
f noſtrum. „ ris poſt mortem damnatis? Non " meum ergo eſt
„ glorioſis eorum qui præceſſerunt opinionibus in-
„ ſultare, neque judicare eos qui honorate deſun-
„ cti ſunt, ſed ſolius judicis vivorum & mortuo-
rum. Scribentes etiam Theodoſio Imperatori di-
„ cunt: Si autem quicquam, ſancte Imperator,
„ obſcurum aliquis inveniri dicat in ejus vel alio-
* 389 „ rum literis, * retractati neceſſarium non eſt.
„ Quorum enim vita in ſacerdotio & miniſterio
„ optimum habuit finem, his prælatam gloriam
„ dedicamus; & non ex illis eos judicamus, de
* 390 „ quibus aliqui atrociter * nos accuſant. Proclus
etiam ſic deploranti & conquerenti prædicto Joan-
„ ni, & ſynodo orientali reſpondit: Quando enim
„ ego ſcripſi tuæ ſanctitati oportere aut Theodo-
„ rum, aut alios quoſdam, qui prius defuncti ſunt,
„ anathemati ſubdi? & infra; Neque autem de
„ Theodoro, neque de alio quoquam, qui jam de-
„ functi ſunt, ſcripſi tibi, Deo amantiſſime, aut

ut anathematizetur, aut abdicetur. Item ſcri- "
bens Maximo diacono dicit, Quomodo ergo per "
literas didici nunc, quia Theodori Mopſueſteni "
& aliorum quorumdam nomina præpoſita ſunt "
capitulis ad anathematizandum, cum jam illi ad "
Deum migraverint, & eos qui jam vitam reli- "
querunt, ſupervacuum eſt injuriari poſt mortem, "
quos nec vivos aliquando culpavimus. Cyrillo "
etiam ſcribens memoratus Joannes Antiochenus
cum orientali Concilio dicit: Quid non hic læ- «
ſionis vel corruptionis & confuſionis plenum ge- «
neretur; ſi aperiamus januam bis qui volunt di- «
cta tranſeuntium patrum evertere? quale dam- «
num non apertum erit dicta non ſolum refuta- «
re, ſed etiam anathematizare? Cyrillus quoque «
reſcribens eidem Joanni & ejus ſynodo, ſic ait: «
Niſi forte in mentem adſumendum eſt quod con- «
tinuare volunt, cum maxime neque in prom- «
ptu eſt perſona quam culpæ ſupponunt, & ca- «
pitulorum redargutio incerta, & qui hæc agunt «
in incertum currentes & aerem verberantes in- «
veniuntur. Et infra. Sed juſte audient, tamen- «
etſi nolunt, qui hujuſmodi cauſas præbent, obli- «
viſcimini vos ipſos, quoniam adverſus pulveres «
arcus extenditis. non enim ſupereſt qui apud «
vos inſcriptus eſt. Et me nullus culpet in hæc «
verba progreſſum, ſed cedat famoſo nimium pro- «
greſſori. Grave eſt enim inſultare defunctis, «
vel ſi laici fuerint, nedum illis qui in Epiſco- «
patu hanc vitam depoſuerunt. Juſtiſſimum enim «
apparet prudentibus viris, cedere praſcienti u- «
niuſcujuſque voluntatem, & cognoſcenti qualis «
unuſquiſque noſtrum futurus ſit. Hæc animo no-
bis tenenda, hæc non ſolum præſentibus, ſed et-
iam futuris, ſi qui forte rurſus emerſerint, præ-
ſumptoribus opponenda; ne quis condemnare au-
deat, niſi correptioni pertinaciter reſiſtentem.
Quod ſi etiam quiſquam ex his patribus, qui
conſona * & una voce pro Theodoro reſponde- * 391
runt, quod abſit a conſcientia & veritate ſan-
ctorum, prævaricatus ab omnium communi ſen-
tentia, contrarium ſibi tantiſque patribus ha-
buiſſe poſtea judicium probaretur, ipſius potius
qui diſcordaret ab omnibus, non omnium com-
munis pro Theodoro fuit evacuanda ſententia.
Propterea ſi qui ſunt, qui vituperantes B. Cy-
rillum, dicunt quod aliter poſtea de Theodoro
Mopſueſteno locutus eſt, quam in hoc judicio,
quod commune cum Joanne Antiocheno, atque
orientali ſynodo, & Proclo Conſtantinopolitano
habuerit, in quo probatur etiam ejus condiſci-
pulo Joanni Conſtantinopolitano, Gregorio Na-
zianzeno, & Domno Antiocheno congruere, re-
cipiendi non ſunt adverſus eumdem Theodorum,
vel potius adverſus ipſum B. Cyrillum, quem
talia dicendo, quantum in illis eſt, inconſtantem
videri faciunt atque mutabilem. Nam defenſio-
ni ſynodi Calchedonenſis, quæ Theodorum non
judicavit eſſe damnandum, tametſi nullam pro
eo Cyrilli Epiſcopi ſententiam teneremus, ſuffi-
cerent proculdubio tot aliorum patrum teſtimo-
nia. ſufficeret poſtremo, ſi hæc etiam defuiſſent,
Eccleſiæ catholicæ communicatio, in cujus pace
non ſolum ſine ulla querela, ſed etiam cum
gloria magna defunctus eſt.

* (387) *argumento.*
* (388) *arrogantes paterna ſententia.*
* (389) *hoc retractari.*
* (390) *eos accuſant.*
* (391) *& velut una voce.*

CAP. VI. REpellendi ergo ſunt, ac merito coercendi, qui volentes in præjudicium ſanctæ ſynodi condemnari Theodorum, tantis venerandis patribus, & Eccleſiæ, ſibique ipſi B. Cyrillum poſthac dicunt exſtitiſſe contrarium. Ut autem non ſuſpectum lectorem vel dubium relinquamus, ſive ſcripſerit aliquid adverſus Theodorum Cyrillus,
* 392 ſive non ſcripſerit, defenſio * ſynodi debet nobis ex omni parte conſtare. Et ideo certum aliquid de hoc incerto conficiendum eſt, quod recte ſecuta videatur, ut Theodorum vel ejus dogmata non damnaret, cum apud ſe recitari B laudes ejus animadverteret. Inveniuntur itaque ex nomine B. Cyrilli quædam contra Theodorum, quædam pro Theodoro ſcripta. Unde neceſſe eſt aut utraque eſſe B. Cyrilli, aut neutra, aut eorum alterutra. Si igitur utraque B. Cyrilli dicentur, cum eum in utriſque ſibi contrarium, vel ſi vellet, ſancta ſynodus ſequi non poſſet, in his eum ſequi debuit, in quibus non impugnat aliorum ſententias patrum, Eccleſiæque judicium. Si vero neutra B. Cyrilli eſſe dicentur, nihil eſt cur ſancta ſynodus putetur impugnare debuiſſe tantorum ſententias patrum, Eccleſiæque judicium. Sin autem alterutra eorum B. Cyrilli eſſe dicentur, laudanda eſt ſancta ſynodus, quod illa ejus eſſe credidit, C quæ non impugnant aliorum ſententias patrum, Eccleſiæque judicium. Quod ſi etiam aliquo certo & manifeſto indicio probaretur, quod illa contra Theodorum potius, quam pro Theodoro, ſcripta B. Cyrilli ſint, idque oſtenderetur quod eandem ſynodum minime latere potuerit: quis eam ſic quoque culparet, quod Theodorum non & ipſa culpavit? Nam credis Cyrilli eſſe illa contra Theodorum ſcripta, in » quibus tamen dictum eſt, Scripti ſunt a magno » Theodoro adverſus Arianorum & Ennomianorum » hæreſes xx. forte & adhuc amplius libri; & a» lia præter hæc Evangelica & Apoſtolica ſcripta D » interpretatus eſt. Et hos quidem labores nullus » auſus eſt increpare, ſed dextro decreto honora» re ſtudium rectorum dogmatum quod in eis eſt. Quomodo Theodorum culparet, velut Neſtorianæ vel cujuslibet hæreſis inventorem, cum neque xx. & amplius libros irreprehenſibiliter ſcribere contra hæreticos poſſet, neque Evangelica & Apoſtolica ſcripta recte interpretari, ſi male quicquam de Chriſtiana fide ſentiret? Siquidem omnes hæreticos non aliunde magis, quam de ſcripturis Evangelicis atque Apoſtolicis refutamus. Et eſt omnino ſibi contrarium, ut ſimul E dicatur quiſquam & Evangelica & Apoſtolica ſcripta recte interpretatus fuiſſe, & non recte de Chriſtiana fide ſenſiſſe. Quod ſi & hæc contra Theodorum ſcripta, quæ ſola putarentur eſſe B. Cyrilli, non ſemetipſa deſtruerent, nemo niſi abſurdiſſimus judicaret, quod non eorum patrum in Theodoro debuerit ſequi ſententiam, qui cum illo in eadem provincia degentes, & fre-
* 393 quenti * ac familiari moderatione fidei conferentes, optime noverant qua intentione diceret, quæ aliquos hanc ignorantes videntur offendere. Nimis enim grave fuerat, ſonos ſequi verborum immo ſigna ſonorum atramento in cartulis figurata, & contemnere ſanctarum conſcientiarum teſtimonia ſcripta non atramento, ſed ſpiritu

A Dei vivi, non in chartulis, ſed in tabulis * carnalibus, quæ doctrinæ Theodori teſtimonium præferebant. * 394 Illud vero quis niſi inconſideratus credat, niſi impudens dicat, niſi obſtinatus affirmet, quod a ſancta ſynodo Cyrillus vel ſoli Joanni Conſtantinopolitano, non dicam præferri, ſed conferri debuerit, non tantum pro majore meritorum Joannis auctoritate, verum etiam quod de Theodoro ipſi magis, ſicut antiquo amico & a principio condiſcipulo, credere debuit, quam Cyrillo, quem noverat etiam de ipſo Joanne ſimiliter jam defuncto contra judicium ſedis Apoſtolicæ ſcripſiſſe, ut ex catalogo Epiſcoporum nomen ejus Atticus Epiſcopus juberet auferri, quaſi profani & ab Eccleſiaſticis muris excluſi, eo quod non oporteret traditorem Judam adſcribi cum Apoſtolis, neque Jechoniam expulſum connumerari cum David & Samuele, & prophetis? quem noverat etiam prædicto Theodoro communicaſſe, donec ſupereſſet, nec unquam corripuiſſe viventem, quando & ipſe interpretari ſemetipſum poſſet, & certum facere ſi quid in illo dubium videretur? Religioſe itaque ſynodus ageret, ſi fidem Cyrilli approbans, in qua non diſſenſit a patribus, ſuſpicionem ejus, quam de Theodoro contra tantorum patrum ſententias habuit, non probaret: ſicut etiam fidem Joannis Antiocheni, & ceterorum orientalium, atque aliorum qui cum eis Epheſum ex diverſis provinciis convenerant ſacerdotum approbans, in qua non diſſenſerunt a patribus, ſuſpicionem eorum quam de ipſo beato Cyrillo habuerant improbavit. præſertim quia ſi crediſſe dicatur illa ſynodus Mopſueſtenum Theodorum a B. Cyrillo culpatum, negari non poſſit, quod etiam S. Diodorum ſimul ab eo reprehenſum eſſe crediderit. Nam ſicut quarto libro memoravimus, unus eſt quicumque credatur reprehenſor amborum, in eodem opere, & in eadem fidei cauſa utriuſque pariter culpatis. & idcirco ſi nullæ fuiſſent pro Theodoro patrum ſententiæ, quas proculdubio ſynodus impugnaret, ſi eum condemnare præſumeret, perſpicuum eſt quod juſte non poſſet abſque magiſtro ſuo Diodoro Theodorus diſcipulus ex Cyrilli auctoritate damnari. Diodorum vero damnare non poſſet a magnis Eccleſiæ luminibus, ſicut oſtendimus, prædicatum, id eſt ab Athanaſio, Petro, & Timotheo Alexandrinis Epiſcopis, a Baſilio Cæſareæ Cappadociæ, a Joanne Conſtantinopolitano, ab Epiphanio Cyprio, ab Epiſcopis Ægyptiis confeſſoribus ſub Valente Imperatore in exilium miſſis: habentem etiam magnum teſtimonium Conſtantinopolitani adverſus Macedonium congregati Concilii, cui eum interfuiſſe manifeſtum eſt; & religioſorum principum Gratiani, Valentiniani, & majoris Theodoſii: Juliani denique Imperatoris apoſtatæ, reprehendentis quod Deum natum de virgine fateretur, & quod Jeſum Galilæum & Deum æternum prædicaret & mortuum. Proinde cum ſancta ſynodus contra horum teſtimonia Diodorum condemnare nullatenus poſſet, quomodo Theodorum ejus diſcipulum, vel ſi, ut dictum eſt, nullis fulciretur patrum teſtimoniis, condemnaret, quem ſine magiſtro hæc eadem ſentiente juſte condemnare non poſſet? Itaque nihil eſt, cur ex his quæ dicitur B. Cyrillus ſcripſiſſe contra Theodorum ſynodus reprehendatur, quod Ibæ epiſtolam lau-

* (392) *magnæ Synodi.*
* (393) *ac familiari ſermone de ratione fidei conferentes.*

* (394) *cordis carnalibus.*

des

des ejus continentem pronuntiavit orthodoxam:
quando ſi etiam contra Theodorum ſcribens Cy-
rillus nihil pro Theodoro ſcriberet , laudanda
eſſet ſana ratio libertaſque Concilii Calchedo-
nenſis, quod non in toto Cyrillum approbaret;
cum laudetur etiam Pauli minimi Apoſtolorum
ſana ratio atque libertas, quod Petrum Apo-
ſtolorum primum adductum in hypocriſim &
non recta via incedentem ad veritatem Evan-
gelii fidenter improbans, in faciem illi reſtitit,
eumque coram omnibus coram objurgavit . Non
ergo novum videretur, nec religioni Chriſtianæ
contrarium, ut contra tantorum patrum ſen-
tentias Cyrillum ſancta & magna illa ſynodus
non acciperet in cauſa Theodori , ſicut neque
in cauſa Conſtantinopolitani Joannis accipien-
dum eſſe quis dicit.

CAP.VII. QUod ſi nobis in defenſionem ipſius ma-
gnæ ſynodi etiam illorum patrum in ſcripto te-
ſtimonia deeſſent, quibus commendatur fides at-
que doctrina Diodori, ſine quo Theodorum do-
cuimus juſte non poſſe damnari , numquid cul-
pabilis judicari debet , quod Eccleſiæ teſtimo-
nium non contempſit , in cujus perpetua pace
excellenti honore Diodorus, Theodoruſque man-
ſerunt? aut illius temporis Eccleſiam, cum ne-
que adhuc Eutyches, neque Neſtorius eſſet exor-
tus, Eutychiani audebunt de Neſtoriano dog-
mate criminari? Non arbitror quod hoc aperte
palamque præſumant. Sicut ergo lex naturalis
una & tota in hominis mente defixa , cujus
Matth.7.12. meminit Dominus in Evangelio dicens : *Omnia
quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos
facite eis. hæc eſt enim lex & prophetæ* , multo
fortior invenitur, quam ea quæ foris habetur in
literis. ab illa quippe interiore regula deſcende-
runt, & illius partes ſunt ſingula quæque nobis
forinſecus in ſcripto data pro lege , nec omnia
collecta ſimul, vel etiam multiplicata , poſſunt
menſuram illius interioris excedere. Ita fortius
eſt unum illud generale teſtimonium Eccleſiæ ,
quæ neminem unquam expulit , aut judicavit
hæreticum, niſi correptioni pertinaciter reſiſten-
tem; quam multa quæ ſemote ac privatim cer-
tarum perſonarum pro Diodoro Theodoroque
protulimus. partes enim ſunt & ipſa unius te-
ſtimonii generalis Eccleſiæ , & quantumlibet
multiplicentur, ejus auctoritatem ac terminum
non excedent. Sed quemadmodum , cum illam
* 395 *naturam & interiorem legem, quæ tota ſimul
eſt, homo deſereret in exteriora delapſus, opus
erat intimorum contemptorem * particulatim
* 396 privata ſcriptorum teſtificatione convincere:non
quod partes toto, & membra univerſo ſuo cor-
pori præferamus ; ſed quia convenientius hoc
modo calumniatores magnæ ſynodi judicavimus
* 397 refellendos. * ſic nec generali ſymbolo fidei
* 398 Chriſtianæ, * qua initiamur, quicquam eſt for-
tius, quamvis ſcripto non tradatur : verumta-
men adverſus corruptores intelligentiæ & virtu-
tis ejus, utimur etiam privatis teſtimoniis pa-
trum quæ continentur in ſcripto , cum & om-
nia illa uni generali ſymbolo ſerviant, nec præ-
fixos terminos ejus excedant . Et ideo ſicut di-

A ctum eſt, vel ſi nobis deeſſent hæc teſtimonia
patrum literis commendata, quæ in * propugna- * 399
tionem ſynodi Calchedonenſis pro Diodoro Theo-
doroque protulimus, nemo ſapiens diceret, quod
aut religioſiorem ſe aut ſapientiorem eiſdem
ſanctis patribus & multis aliis credere debuiſſet,
qui temporibus Diodori atque Theodori Eccle-
ſiæ Dei luminarium vice fulſerunt , ut quos il-
li viventes non excluſerunt, quando magis poſ-
ſent alios corrumpere ſi fuiſſent hæretici , pia
Synodus ac religioſa mortuos crederet exclu-
dendos: cum ſi aliquid in eorum verbis quoſ-
dam videretur offendere, alia potius eos crede-
re debuerit intentione dixiſſe , aut familiariter
admonitos in ipſo tempore correxiſſe ; quam
B * ſemetipſum religione vel ſapientia tam multis * 400
venerandis patribus anteferre. Nunquam enim,
ſicut didicimus , tantos ac tales ſimul habuit
doctores Eccleſia , quantos & quales Diodori
Theodorique temporibus. Ut enim propter lin-
guæ diverſitatem ſcientiſſimos viros Eccleſiæ oc-
cidentalis omittam , quamquam multi ex illis
etiam in Græco eruditi eſſent eloquio, ut Dio-
dori atque Theodori ſcripta legentes intentionem
eorum cognoſcere potuiſſent : ut prætercam &
illos Græciæ doctiſſimos, qui Epiſcopi non fue-
runt, cum eis Athanaſius interea, Petrus, Ti-
C motheus , ac Theophilus Alexandrini in verbi
prædicatione degerunt. deinde Meletius & Fla-
vianus Antiocheni. Nectarius quoque, & Joan-
nes , & Atticus Conſtantinopolitani. Amphilo-
chius etiam Iconienſis , Epiphanius Cyprius ,
Baſilius Cæſarienſis Cappadociæ , & ejus frater
Gregorius Nyſſenus , Gregorius Nazianzenus ,
Gelaſius Cæſarienſis Paleſtinæ , Theotimus To-
mitianus Scythiæ . quorum nemo * Diodorum * 401
" aliquando hæreticum judicaſſe monſtratur :" *Addendum videtur* nemo Theodorum.
quin potius una cum eis ab hæreticis Apollina-
riſtis ſuſtinuerunt invidiam, tamquam duos præ-
dicarent filios, duas Chriſti perfectas adſerendo
D naturas. Quapropter vel ſi minus attente le-
gere poſſent ſcripta Diodori atque Theodori ,
admoniti ſaltem hæreticorum calumniis atten-
tiores proculdubio redderentur . Quid igitur
opus erat, in tantorum patrum contumeliam ,
ſacrilegum & impium ac pejorem dæmonibus
pronuntiare Theodorum, cum ſi etiam in ali-
quibus probetur erraſſe, pejor dæmonibus judi-
cari non debuit in Eccleſiæ pace atque honore
defunctus ? De cujus laude nec reverentiſſimi
Photius & Euſtachius atque Uranius judices
Ibam Epiſcopum reprehenderunt , apud quos
ei ſua epiſtola prius objecta eſt atque diſcuſſa .
E Sed nec ipſi ejus accuſatores , vel cum Impe-
ratorem adverſus eum adirent , vel cum elici-
ta * accuſatione judices memoratos adducerent, * 402
& in eorum examine multis & magnis & inau-
ditis eum criminationibus impetentes , ſæpe ac
diu confligerent , aliquid ei de laude Theodo-
ri opponere tentaverunt . quod proculdubio fa-
cerent , ſi ab Eccleſia Chriſti Theodorus ali-
quando judicaretur hæreticus . Unde Eutychia-
nis dicimus , ut quia diſſentiunt a ſynodo,
quæ memoratam epiſtolam, duas Chriſti natu-
ras & unam confitentem eſſe perſonam, pronun-
tiavit orthodoxam, refutatis ab ea ſaltem accu-

* (395) *naturalem.*
* (396) *particulatim forinſecus admoneri: ita nos quoque neceſſarium duximus contemptores generalis & publicæ auctoritatis Eccleſiæ particulatim privata &c.*
* (397) *ſicut nec.*
* (398) *quo* (ſymbolo.)
* (399) *purgationem.*
* (400) *ſemetipſam.*
* (401) *Diodorum vel Theodorum aliquando &c.*
* (402) *excuſatione.*

ſatoribus venerabilis Ibæ conſentiant, nec in ea,
quicquam amplius, quam illi calumnioſiſſimi .
impudentiſſimi, atque obſtinatiſſimi criminentur.
Quomodo vero Theodorum ſynodus prædicta condemnans,
vel ſi ut dictum eſt, tam multorum
patrum teſtimoniis in ſcripto manentibus mini-
* 403 me repugnaret, ac non * ſuperius memoratos
* 404 aut hæreticos * diceret, quod intelligentes con-
ſentiebant pravis, ut aiunt, dogmatibus Dio-
dori Theodorique communibus, aut nimis indo-
ctos, ſi hoc putaret, quod illorum dogmata
intelligere non valebant? Non enim de perſo-
nis ignobilibus diſputamus, quarum dici poſſit
latuiſſe doctrina, cum de Theodoro ſcriptum
* 405 ſit, quod * & XL. annis clare in doctrina præful-
ſerit, & omnem hæreſem expugnaverit, & de-
cem millia conſcripſerit libros adverſus errores,
contra quos eum totus in commune Oriens pro-
ponebat, tanquam virtutem multam doctrinæ
habentem: & quod in expoſitionibus, quas in
omnibus Eccleſiis orientalibus, & in hac regia
civitate faciebat, probatus fuerit in conſpectu
ſacerdotum, & Imperatorum, & populorum.
* 406 * Quomodo ſi tales ſancta ſynodus abdicaret, non
ſicut diximus, omnes venerabiles illius tempo-
ris patres aut hæreticos diceret, aut ignaros?
Quid itaque horum dicere mallet, ignoro: quod
autem neceſſe eſt horum alterum dicere, non
ignoro. Multo igitur magis nunc, quia non
deſunt eorum teſtimonia pro Diodoro atque
Theodoro, literis etiam commendata, ſi Theo-
dorum id quod Diodorus ſentientem damnare
præſumeret, aut hæreticos fuiſſe omnes hos pa-
tres, aut ignaros & inſcios dicere cogeretur.
Sed numquid ita mundo Chriſtus iraſcitur, ut
aures Chriſtianorum ferant, ſi dicatur quod il-
la ſynodus Athanaſium, Baſilium, & utrum-
que Gregorium, & Joannem, hæreticos judica-
re debuerit, ut temerarii condemnatores Theo-
dori orthodoxi judicentur? an quod eſt ſatius,
indoctos eos judicare debuiſſe dicetur, ut iſto-
rum mirabilis peritia, quod maxime appetunt,
efferatur? Sed ut hoc iterum vel amplius ali-
quid dicam, numquid ita mundo Chriſtus ira-
ſcitur, ut aures non dicam Chriſtianorum, ſed
quorumque hominum, ferant doctiores iſtos no-
ſtros dici talibus doctoribus? An forte putabi-
tur, quod nec hæretici dicendi eſſent a ſynodo illi
patres, quoniam non conſentiebant dogmatibus
Diodori atque Theodori; nec indocti, quoniam
ſciebant ea recta non eſſe: ſed tantummodo
negligentes, quod eos corrigere, aut ab Ec-
cleſia pellere minus curaverint! At hoc ipſum
quod tacuerunt in tempore, cum eis & ad in-

A telligendum magna ſcientia, & ad reſponden-
dum ſermo non defuiſſet idoneus, pro conſenſu
teneri merito poteſt. Igitur etiam ſic non a-
liud efficeretur, niſi ut illi ſancti patres hære-
tici affirmarentur * a ſynodo. Quamvis itaque 407 *
in tali cauſa negligens tolerabilior forſitan in-
dicetur hæretico, proculdubio tamen indocto
deterior. Venerabiles autem patres, quos indo-
ctos illa ſynodus dicere non audebat, multo
minus negligentes, quod eſt deterius, judicare
præſumeret. Diligentes igitur judicavit, quos
& ſciebat temporibus eorum exortos hæreticos
expuliſſe. Ut enim omittamus eos, quorum no-
mina abolita ſunt cum hæreſibus ſuis, id eſt
[a] Baſianos, quos & antropomorphitas dicimus, a
B Semiarianos, Aetianos, [b] Antidicomaritas, [c] Maſ- b c
ſalianos, quos & Euchitas, Euphemitas, Mar-
tyrianos, Sacianos, temporibus eorum & exorti
& expulſi ſunt etiam Marriani, * Photiani, 408 *
Macedoniani qui & pneumatomachi, Aetiani qui
& Eunomiani, ſed & Apollinariſtæ. Et quo-
modo in his tantis æmulatores fidei comproba-
ti, in ſolis Diodoro atque Theodoro negligen-
tes a ſancta ſynodo crederentur? Igitur ut Dio-
dorum ac Theodorum non expellerent, aut me-
lius eorum dicta intellexerunt, ſicut ab aliis
ſua volebant intelligi, quod nos facere nolu-
mus, ſive non poſſumus; aut rationem a præ-
ſentibus cur ita locuti ſint exegerunt, aut in-
venerunt eos jam mutaſſe ſententiam, aut quod
C extremum eſt admonitos mutare fecerunt. Nam
aliter eos in Eccleſia catholica manere potuiſ-
ſe quis ſapiens catholicus credat? Cum ve-
ro tanta quæ dicta ſunt, ego indoctus & Lati-
næ linguæ, de cauſa apud Græcos habita, poſt
centum annos pro meo captu & facultate, vel
intelligere vel explicare potuerim, quanta cre-
dendum eſt illam ſanctorum patrum congregatio-
nem in cauſa penes ſe & recenti memoria cogno-
ſcere potuiſſe, illo etiam revelante, qui dixit,
*Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi
in medio eorum ſum*? Nam fideliter invocatus non
ſolum a ſacerdotibus, ſed ab omni quoque populo
ſuo, cujus fides & expectatio ex illorum aucto-
D ritate dependet, primum dat omnibus congre-
gatis unum cor & animam unam, ut nullus eo-
rum ſuam velit eſſe ſententiam, niſi quæ fuerit
veritatis. Quoties ibi doctiores indoctioribus, &
plures paucioribus, illo eorum medio cedunt?
quotiens etiam per neſcientes ſcienter operatur
ipſe qui poteſt omnia facere ſupra quam peti-
mus, aut intelligimus. * aut qui promiſit 409 *
quod nobiſcum ſit omnibus diebus uſque ad
conſummationem ſæculi? Utinam ſibi nunquam

a *Baſianos antropomorphitas*) Antropomorphitarum ſtultiſſimæ, ut Hieronymus epiſtola LXI. vocat, hæreſis auctor fuit Audius, ſive ut eſt apud Theodoretum Audæus Αὐδαῖος, qui ἀνθρωπόμορφον ἔφασε τὸν Θεόν, Deo humanam figuram attribuit. A dogmate igitur antropomorphitæ appellati ſunt, a magiſtro Audiani. pro quo apud S. Auguſtinum hæreſi L. ſcriptum eſt *Vadiani* & pro Vadianis, ut apparet, hoc loco *Baſiani*.

b *Antidicomaritas*) Epiphanio ἀντιδικομαριανῖται. Hi Mariam poſt Chriſtum natum viro ſuo commixtam affirmabant. Contra quos Epiphanius idem prolixam epiſtolam ad Arabas ſcripſit, ubi orta hæreſis. contra eoſdem fertur etiam egiſſe Theodotus Epiſcopus Cyprius.

c *Maſſalianos, Euchitas*) Vocis utriuſque eadem eſt notio. Nam Maſſaliani Syrorum lingua ſunt Εὐχόμενοι. orabant enim pene aſſidue. Quin & Maſſalianorum genus aliud, ſed ex gentilibus ortum commemorat Epiphanius, qui ſeſe Euphemitas, & Martyrianos, & Satanianos appellarent, & horum nominum cauſas explicat hæreſi LXX. Saciani ergo vitioſe hoc loco poſiti videntur pro Satanianis. ac mox etiam pro *Marrianis & Photianis* reſtituendi Marcelliani & Photiniani, quos ſimul etiam conjungit Epiphanius hæreſi LXXI. & LXXII. & Marcelliani itidem cum Photinianis copulat lex LXV. Cod. Theod. De hæreticis.

* (403) *omnes ſuperius*.

* (404) *diceret, ſi putaret, quod*.

* (405) *quinque & quadraginta annis*. Tot numerat epiſtola Synodi Antiochenæ ſub Joanne anno 435. celebratæ ad Proclum Conſtantinopolitanum, ut patet ex fragmento ſuperius *cap.* I. recitato.

* (406) *Quomodo ergo ſi*.

* (407) *a Synodo, qui neque ipſos, neque illorum dogmata quæ impia noverant, cum poſſent voluerunt abdicare. Verum eſto contra veritatem præſumptoribus hoc etiam ſicut multa cedamus, non hæretici affirmantur a Synodo. Quamvis &c.*

* (408) *Photiniani* (a Photino)

* (409) *& qui*.

ſecularis poteſtas, quod ei creditum non eſt in
his negotiis uſurparet, quæ nunquam feliciter
uſurpavit. Ceterum congregatis in ſuo nomine
ſacerdotibus ſuis Chriſtus deeſſe non poteſt:
quia cum ſit omnipotens veritas, mentiri nul-
latenus poteſt. ſicut nec illi ſynodo defuit,
quæ in cauſa quidem fidei omnium communi-
ter patrum doctrinam ſecuta eſt: in Theodori
* 410 vero, non unius Cyrilli, vel ſi * credamus quod
dicitur, quia nec poſſet, cujus contraria ſibi eſ-
ſe videbatur vel incerta ſententia; ſed aliorum
patrum ſecuta eſt, quos & auctoritate & nume-
ro & ratione præferre debuerat. Quis enim Jo-
annem Conſtantinopolitanum Cyrillo, quis plu-
res probatiſſimos viros uni, quis excuſationem
certiſſimam & conſtantiſſimam incertæ & incon-
* 411 ſtanti accuſationi * non præferat? Nihil igitur
vel hinc calumnientur hæretici, vel catholici
offendantur. Quæ fuerat Joannis ac Procli Con-
ſtantinopolitanorum, Gregorii Nazianzeni, Jo-
annis ac Domni Antiochenorum & orientalis
Concilii fides, nec non Eccleſiæ, a qua non eſt
expulſus Theodorus, eadem fuerat & Cyrilli.
De Theodoro tantum, ſicut & de Diodoro, cui
* 412 * ſimul Athanaſius atque Conſtantinopolitana
ſynodus atteſtatur, in ſolo Cyrillo dicitur in-
veniri diverſa ſententia; & quod eſt indicium
certiſſimæ veritatis, in ipſa diſſenſione conſen-
ſus unius ejuſdemque fidei comprobatur. De
quo enim Cyrillus Theodorum culpaſſe dicitur,
* 413 * manifeſtiſſime pravum defenſores Theodori non
denegabant; ſed hoc Theodorus non ſenſiſſe di-
* 414 cebatur. Inde igitur & ille putabat * exequen-
dum eſſe Theodorum, quod velut eadem ſenſe-
* 415 rit, quæ male Neſtorius * ſenſit. ac per hoc
utrique, diverſa de Theodoro ſentientes, Neſto-
rii condemnationem ſine ulla diverſitate firma-
bant. Quid ergo Neſtorianos adjuvet, qui The-
odori dictis, ſicut & aliorum qui in Eccleſia
claruerunt, male uti dicuntur, ſi qua de illo
fuit diverſa patrum ſententia: cum & ideo
fuerit accuſatus, quia ſimilia putabatur ſapuiſ-
ſe Neſtorio, & aliter non potuerit excuſari,
niſi probaretur alienus ab errore Neſtorii? Hoc
quoque meminiſſe iidem Neſtoriani debent, quo-
niam in eis literis orientalium patrum B. Pro-
clo reſcribentium Theodorus excuſatur, in qui-
bus firmatur, ſicut oſtendimus, unum de Tri-
nitate pro nobis crucifixum; in quibus dicitur,
Quod autem omne orientale Concilium Neſto-
"rii novitates abdicavit, novit & tua ſanctitas,
"quæ noſtras ſuper hoc literas ſecundo jam ter-
"tioque ſuſcepit. Sed nec Eutychiani vel Semieu-
"tychiani diſſimulent, quod interim nihil adver-
ſus Theodorum ex nomine B. Cyrilli, quem ſe-
qui ſe dicunt, proferre potuerit, in quo culpe-
tur in duabus Chriſtum prædicaſſe naturis. Sive
enim vere, ſive falſe perhibeatur Theodorus ab
eo culpatus, quod duos crediderit filios, hacte-
nus fictum non eſt hoc eum reprehendiſſe in
dictis Theodori, quoniam duas prædicavit Chri-
ſti eſſe naturas; quod enim Eutychiani prædi-
caſſe non negant, quem etiam duas mentiun-
tur putaſſe perſonas. Cur igitur eum B. Cy-
A rillus non ſimul de duarum quoque naturarum
prædicationis culpavit, ſi hæreſi Neſtorianæ de-
putandum eſt duas Chriſti credere ac docere
naturas? Quin potius hinc ſapientiſſimus Joan-
nes & Orientale Concilium, ſcribentes eidem
B. Cyrillo, Theodorum purgant, quod adverſus
hæreticos naturarum proprietates amplius divi-
dens, putaretur etiam duas Chriſti aſſeruiſſe per-
ſonas. Quomodo igitur vel orientales patres ex
eo magis excuſandum Theodorum a Neſtoriano
crimine judicarent, quod naturarum proprieta-
tes amplius divideret, ſi Neſtoriani eſt criminis
duas Chriſti naturas aſſerere? vel quomodo ipſe
quoque B. Cyrillus non eoſdem * orientales hæ- * 146
reticos & nimium ſtultos, qui Theodorum in-
certum crimen ſuſtinentem certo crimine defen-
B dere nitebantur. Præſertim quoniam & ipſum
B. Cyrillum affirmabant non aliter docuiſſe,
dicentes ei ſicut ſupra memoravimus, Sunt e-
nim etiam quæ & tua ſanctitas ita confitetur,
& eundem de illis habet intellectum. Qua de re
ſi hæreſi Neſtorianæ debet adſcribi duas Chriſti
prædicare naturas, B. Cyrillus, qui nihil con-
tra retulit, magnum in ſe crimen ſua tacitur-
nitate firmavit: a quo purgari non poterit, ni-
ſi catholicum judicetur duas Chriſti naturas ad-
ſerere. Intelligis igitur, Imperator, quod ſi qua
patrum diſceptatio de Theodoro fuiſſe dicatur,
Neſtorianos pariter & Eutychianos confundat.
Sancta vero ſynodus unam & communem accu-
ſantis, ſi tamen vere dicitur, ac defendentium
C * Diodorum fidem tenens, illos ſequendos in * 417
perſona Theodori judicavit, quorum & major
fuit auctoritas, & qui cum illo degentes,
diuturna familiaritate bene cognoverant, qua
intentione ſcripſerit in quibus putabatur ab
ignorantibus arguendus. Hoc juſtitiæ congrue-
bat, hoc etiam pietati; quæ quantum ratio
patitur debet excuſationi magis, quam accuſa-
tioni favere perſonæ. Hoc etiam conveniens fuit
aſſertioni veræ fidei, quam contra Neſtorium
& Eutychem ſynodus illa ſuſceperat, ne aut
diceretur Neſtorius ſimilia ſapuiſſe Theodoro a
tantis patribus prædicato, aut per hoc ejus er-
rori daretur auctoritas, aut Apollinariſtarum
progenitorum Eutychianæ dementiæ, vel ipſius
D Eutychis in Theodoro videretur ſecuta judi-
cium, ut de ipſa quoque ſecundum ſententiam
B. Cyrilli merito diceretur, quod propterea ſe
circa Theodorum, virum admirabilem, & maxi-
mam gloriam merentem, infenſe haberet, ut
occaſionem faceret contrario dogmati, quo te-
nebatur, quærens capitula quædam ejus non ex
melioribus intellecta damnari. Quibus ita con-
ſtitutis atque firmatis, quod nuper a quibuſ-
dam condemnatus eſt, cohibentiæ quam præ-
bent Eutychianis, & abominandæ præſumptioni
debet adſcribi. & ideo ſicut hos temerarios
contra ſanctorum patrum Eccleſiæque teſti-
monium nullatenus adprobare quiſquam ſa-
piens poteſt, ita magnam ſynodum Cachedo-
nenſem, cum iiſdem patribus & Eccleſia, in
qua Theodorus manſit, non poteſt impro-
bare.

* (410) *concedamus.*
* (411) *juſta ratione non præferat.*
* (412) *ſimiliter Athanaſius, & ceteri, atque.*
* (413) *manifeſtiſſime pravum eſt & religioni contrarium, neque id eſſe pravum defenſores Theodori negabant; ſed.*
* (414) *arguendum.*
* (415) *ſenſit: inde illum Orientales ſancti defendebant, aſſerentes quod eadem ſenſerit quæ male Neſtorius ſenſit: ac per hoc &c.*
* (416) *judicares orientales.*
* (417) *Diodorum & Theodorum fidem.*

FACUNDI EPISCOPI HERMIANENSIS PRO DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM,

LIBER NONUS.

CAP. I. PRomiſſionis memores, competenti loco jam * proponamus de Theodori ſcriptis non pauca, ſicut tertio libro ex occaſione convincendæ falſitatis adverſariorum fecimus, ſed multo plura, quibus abunde monſtretur, quantum ab iis quæ in præjudicium magnæ ſynodi Calchedonenſis de illo confiɑta ſunt, fuerit alienus: ut jam non patrum teſtimonio, ſed ipſis rebus oſtendatur, quod conturbatores Eccleſiæ, qui epiſtolam venerabilis Ibæ de laudibus ejus Theodori culpant, non quaſi latentem invenire non potuerint, ſed manifeſtam videre diſſimulaverint veritatem. Igitur tria ſunt, in quibus ejus dicta calumniantur, ſicut jam diximus. Unum eſt, quod eum criminantur unicam, juxta Sabellii dementiam, divinæ Trinitatis crediſiſſe perſonam. Alterum, quod ſemetipſos deſtruentes e contrario rurſus affirmant quod quaternitatem introduxerit, [a] duos filios prædicando, id eſt aliam Dei verbi, & aliam Chriſti aſſerendo perſonam, qui homo tantum fuerit, non etiam Deus, ſicut putavere Judæi. Tertium vero eſt, quod eum dicunt evacuaſſe omnes in Chriſtum factas prophetias, quod Manichæorum erroris eſt, quos novimus Judaicæ infidelitati male contrarios. Nam illi novum deteſtantes, vetus ſe dicunt accipere: iſti vetus deteſtantes, novum ſe dicunt accipere teſtamentum. Quæ quidem, ut oſtenſum eſt, ſic abſurda ſunt, ſibique contraria, ut nullus ea refellere vel attendere dignaretur. Deſpicienda enim magis hæc erant & ſilentio contemnenda, niſi tantorum Epiſcoporum coacta ſubſcriptio nugis talibus nos reſpondere compelleret. Nam quid hinc metueremus? an forte credendum eſt, quod his
* 419 ridiculis, mutuo ſe deſtruentibus * nemine refellente, quiſquam vel parum cordatus præberet aſſenſum? Quomodo autem poſſet evidentius omnibus apparere, quales ſint reprehenſores ſynodi Calchedonenſis, qui ſe Joanni Conſtantinopolitano, Gregorio Nazianzeno, Joanni & Domno Antiochenis, atque orientali Concilio, nec non & Proclo item Conſtantinopolitano, & Cyrillo Alexandrino religione atque ſcientia præferunt, niſi probarentur & nimis irreligio-

A ſe amare mendacium, & neque hoc ſaltem ſcire quomodo mentiantur? Accipe vero jam, sereniſſime Imperator, quid idem Theodorus de quadrageſimo & quarto pſalmo diſputans dicat:
Quid itaque invenietur majus his quæ a Chriſto „
facta ſunt in tanta mundi commutatione om- „
nibus agnoſcentibus, Deus univerſorum & pie- „
tatis atque virtutis diligentiam habere feſtinan- „
tium, & glorificantium quidem Dei unigenitum, „
exhibentium vero ſancto ſpiritui condignam a- „
dorationem. pro quibus B. David ait: *Eructa-* „ Pſ. 44. 1.
vit cor meum verbum bonum? Cernit hic tua „
pietas omnes ſimul hæreticorum calumnias eſſe deſtructas. Nam quis unam patris & filii & ſpiritus ſancti credens eſſe perſonam, diceret
B quod pietatis atque virtutis diligentiam feſtinantes habere ſic glorificent unigenitum Dei, ut ſimul etiam condignam adorationem exhibeant ſpiritui ſancto? Si enim ipſum eſſe crederet Dei unigenitum, quem ſpiritum ſanctum, ſuffecerat dixiſſe glorificantium quidem Dei unigenitum, nec erat opus dicere, exhibentium vero ſancto ſpiritui condignam adorationem. Quocirca tres Theodorus credidit, & docuit eſſe perſonas, alium dicens patrem, cujus ſit filius quem vocavit unigenitum * & alium ſpiritum ſanctum, cui condignam, id eſt talem qua- * 420
lem etiam filio, adorationem exhibeant qui pietatis atque virtutis diligentiam habere feſtinant. Sed neque Chriſtum hominem tantum-
C modo prædicavit, cujus operibus nihil majus eſſe perhibet, confitens eum Deum univerſorum, a quo tanta mundi commutatio facta ſit. Quod autem nec evacuet omnes in Chriſtum factas prophetias, palam eſt, quia rurſus in ejuſdem pſalmi expoſitione dicit: Quoniam quidem prius „
ait regna, poſtea autem memoratus eſt inimico- „
rum perditionem, & reliquorum ſubjectionem, „
ne aliquis exiſtimet nuper ei acceſſiſſe regnum, „
vel certe poſſe eum denuo privari eadem pote- „ Pſ. 44. 7.
ſtate, poſt hæc infert: *Sedes tua Deus in ſæcu-* „
lum ſæculi; hoc eſt conſequenter quidem interi- „
mentur inimici, reliqui vero omnes ſubjicien- „
tur. Quoniam quidem non ſubintromiſſum ha- „
bes regnum, ſed ex ſempiterno omnium re- „

---

a *Duos filios prædicando*) Hoc præcipuum fuit caput Theodorianæ accuſationis. quod his verbis deſignat, & anathemate damnat Juſtinianus in Edicto. Εἴ τις ἀντιποιεῖται Θεοδώρου τοῦ Μοψουεστίας, τοῦ εἰπόντος ἄλλον εἶναι τὸν Θεὸν λόγον, καὶ ἄλλον τὸν Χριστὸν, ἀνάθεμα ἔστω. Theodorus ſane presbyter Raithenſis, Mopſueſtenum docet in hac hæreſi fuiſſe, ut Chriſtum diceret hominem unum de multis, qui inhabitante in eo κατ' εὐδοκίαν Dei verbo θεϊκῆς ἀξίας particeps factus ſit. Duas proinde in eo naturas fuiſſe diſcretas, atque habitudine ſola inter ſe conjunctas. Δύο φύσεις, inquit, ἰδιοπεριορίστως φησὶν εἶναι ἐν Χριστῷ, σχέσει τινὶ καὶ μόνῃ ἀλλήλαις ᾠκειωμένας. Quod erat duas in Chriſto naturas verbo, re duas perſonas profiteri. Et quia hoc ipſum poſtea fuit dogma Neſtorii, ideo Theodorum vocat πρόγονον Νεστορίου. Hæc porro, atque alia his affinia placita fuiſſe Theodori, confirmat Synodus v. Actione IV. tum ex variis librorum ipſius locis, tum ex Cyrilli, aliorumque teſtimonio. At Facundus Theodorum ſic defendit, ut rectam contra fidem in multis ejus libris oſtendere ſtudeat, & ſi quid ſecus interdum excidit, benignius interpretandum contendat.

* (418) *proferamus*.
* (419) *etiam nemine*.
* (420) *& alium Filium ipſum Unigenitum, & alium Spiritum ſanctum*.

„gnas , & in æternum regnas , & regnum tuum
„ manet in æternum . Hæc Judæi ut ſabulas ina-
„ nes intelligunt , exiſtimantes de homine rege di-
„ cta . Cui enim hominum tantum hoc inſigne
„ virtutum, aut talium magnitudo dictorum? cui
„ vero conveniet, *& deducet te mirabiliter dextera*
„ *tua*? divina ſcriptura de omnibus juſtis ſemper ita
Pſ.44.5. „ loquente , quia ex divino adjutorio virtutem
„ poſſideant . Manifeſtum autem hic & illud eſt ,
„ quia non de aliquo impio loquatur in propria
„ virtute fidente . Ad quem itaque hominum lo-
„ quens infert , *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi*:
„ Si autem de rege Deo dicit , manifeſtum quo-
„ niam & de regina non muliere , ſed Eccleſia ,
„ quam Chriſtus ſibi per fidem deſponſavit, per
„ affectum animæ ſcilicet ſibi jungendam. Etenim
„ moris eſt ſcripturæ divinæ , eos qui per ſcien-
„ tiam adjunguntur Deo , conjugem ejus vocare ,
„ ad oſtendendam eorum cum Deo pleniſſimam
„ copulationem & unitatem . Et paulo poſt, Si-
„ cut & Joannes Baptiſta dicit, *Qui habet ſponſam*
„ *ſponſus eſt*. Quoniam igitur ſemper Dei conjunx
Jo: 3. 29. „ dicitur congregatio hominum, qui ei per ſcien-
„ tiam copulantur, regem autem Chriſtum con-
„ venienter appellavit: neceſſario ergo eſt regina,
„ quæ regis uxor eſt , non alia promotione cir-
„ ca illam procedente , quam ea , quam de vi-
„ ri dignitate communicat . Conſequenter ergo
„ reginam vocat Eccleſiam , oſtendens quantam
„ ſortita ſit ex Chriſti adunatione dignitatem ,
„ quæ ei acceſſit ex fide. Quoniam autem de Deo
„ & patre hæc dici non * poſſunt , quæ ſequun-
„ tur adſtruunt manifeſte. Quid etiam in præſen-
ti capitulo nempe videntur hæretici nequicquam
* 421 de Theodori perſona reprehendere Calchedonen-
ſe concilium? Nam omnes eorum calumnias æ-
que in illo videmus excluſas. Non enim eun-
dem credidit patrem quem filium, qui ait quo-
niam hoc quod de filio dictum eſt, de Deo &
patre dici non poſſit. Neque Deum verbum al-
terius credidit eſſe perſonæ, & alterius Chri-
ſtum, cui dictum a propheta confitetur: *ſedes*
tua Deus in ſæculum ſæculi; & quem negat ſub-
intromiſſum regnum habere, & docet ex ſempi-
Pſal. 44. 7. terno regnare. Non ergo Theodorus Judaicæ
impietatis arguendus eſt, tanquam hominem tan-
tummodo putaverit Chriſtum , cum potius Ju-
dæos irrideat dicens, Hæc Judæi ut fabulas ina-
nes intelligunt , exiſtimantes de homine rege
dicta: & quid ipſe credat inſinuans dicit, quod
nulli hominum conveniat tantum hoc inſigne
virtutum, & talium magnitudo dictorum , qui-
bus dicitur Chriſto, *Deduxit te mirabiliter dex-*
tera tua. quandoquidem divina ſcriptura omnes
Pſal. 44. 5. homines juſtos ex divino adjutorio dicat poſſi-
dere virtutem : Chriſtum vero, tanquam Deum
adſeverat divino adjutorio non egere . Itemque
inferius ait, Si autem de rege Deo dicit , ma-
nifeſtum quoniam & de regina non muliere, ſed
Eccleſia, quam ſibi Chriſtus per fidem deſpon-
ſavit, per affectum animæ ſcilicet ſibi jungen-
dam . Utque monſtraret iterum quod Chriſtum
Deum crederet , Etenim, inquit, moris eſt ſcri-
pturæ divinæ, eos qui per ſcientiam adjungun-
guntur Deo , conjugem ejus vocare , ad oſten-
dendam eorum cum Deo pleniſſimam copulatio-
nem: Deum pronuntians, quem ſuperius Chri-
ſtum dixit . Ideo ait & inferius , quod ſemper
Dei conjunx dicatur congregatio hominum, qui

A ei in ſcientia copulantur. Quia vero non eva-
cuat omnes in Chriſtum factas prophetias, ex
eo manifeſtum eſt , quod hanc ipſam prophe-
tiam in Chriſtum eſſe dictam & in conjugem
* ejus confitetur. Denuo quoque ſequentia ejuſ-
dem pſalmi interpretans dicit: *Propterea unxit*
te Deus Deus tuus . De Deo vero hæc denuo * 422
dici manifeſtum eſt . Sed quia hæc Deo patri " Pſ. 44. 2.
non conveniant, *propterea unxit te Deus Deus* "
tuus , claret de reliquo quod hæc de Chriſto "
dicantur. In quo mirabiliter & naturas diviſit, "
& perſonæ unitatem demonſtravit . & naturas "
quidem diviſit in eo, quod diverſarum intelli- "
gentiarum declarativas voces emiſit . multum "
enim differt ab invicem, *Sedes tua Deus in ſæ-* "
B *culum ſæculi*, & *Propterea unxit te Deus Deus* "
tuus . Unitatem vero oſtendit perſonæ ea quæ " Pſ.44. 18.
diverſa ſunt colligens in unitatem perſonæ. Hic "
autem non jam neceſſe eſt immorari, & oſten- "
dere quia ſimiliter omnium calumniarum a ſe
removit invidiam. Unum eſt quod aliqua ege-
re interpretatione pro iſtorum calumniis forſi-
tan videretur , quia dixit , & naturas diviſit
& perſonæ unitatem demonſtravit, niſi ipſe in-
terpretans ſemetipſum doceret quatenus dixerit
eſſe diviſas , cum ſubſecutus adjecit , Et natu-
ras quidem diviſit in eo, quod diverſarum in- „
telligentiarum declarativas voces emiſit . Mul- „
tum enim differt ab invicem, *Sedes tua Deus* „
C *in ſæculum ſeculi*. &, *Propterea unxit te Deus* „
Deus tuus. Eatenus igitur aſſeruit eſſe diviſas , „
quatenus intelligentia Dei vivi dividuntur . Et „
claret , quod ab invicem differant , non quod
duas perſonas efficiant, ſicut etiam paulo infe-
rius oſtendimus etiam in homine uno dixiſſe a-
nimam a ſuo corpore naturaliter eſſe diviſam .
Unde ſimul hæc quoque ſubjunxit, & ait , U-
nitatem vero oſtendit perſonæ ea quæ diverſa „
ſunt colligens in unitatem perſonæ. Cognoſcis „
ergo, Imperator, quoniam veraciter ſapientiſſi-
mus Joannes cum orientali Concilio , ad bea-
tum Cyrillum de beato Theodoro ſcribens , di-
xerit, Proponebat enim eum totus in commu-
ne oriens, ſicut virtutem multam doctrinæ ha- „
D bentem adverſus hæreſes , contra quas pugnans „
& dimicans , multa quadam diviſione uſus eſt , „
non ex pravo intellectu veniens, ſed efficacius „
adverſus hæreticos illo modo uti ſe judicans . „
Neque unitatem ſummam ignorans vel negans , „
abſit . pleni enim hujuſmodi ſunt omnes ejus „
libri . ſed naturarum proprietatem amplius di- „
videns, ſicut ei pugna, quam adverſus hæreti- „
cos habuit , faciendum dictabat . Quis enim ex „
his quæ memoravimus non cognoſcat, quod om- „
nes libri Theodori hujuſmodi ſententiis pleni ſint ,
cum ex uno ſcriptorum ejus loco , hoc eſt ex
prima parte interpretationis xl. & lv. pſalmi
omnia ſimul tria , quæ improbe de illo jacta-
ta ſunt , falſa eſſe tertio probavimus ? * Sic
E ergo ſapiens lector intelligat quanta poſſint in * 423
omnibus ejus libris ſimilia binatim ac ſingillatim
poſita reperiri.

VErum nobis videtur, quod ea plus ex dictis
ejus proferre debeamus , in quibus fatetur Chri-
ſtum non hominem tantum , ſed etiam ſecun-
dum naturam Deum & eſſentialiter extantem
verum filium Dei, omniumque factorem ; quod
eum negaſſe maxime criminantur. Nam diſpu-

* (421) *poſſint* .
* (422) *ejus Eccleſiam* .
* (423) *Hinc ergo*.

tans de eo quod ſcriptum eſt in Evangelio ſecundum Matthæum : Matth. 16. 13. *Veniens autem Jeſus in partes Cæſareæ Philippi, & interrogabat diſcipulos ſuos dicens, Quem me dicunt homines eſſe filium hominis?* ita locutus eſt : Dominus enim Chriſtus erat quidem & Deus & homo, utrumque ſecundum naturam ſimiliter ; ex altero quidem apparens, ex altero vero , nt pote ſecundum naturam divinam, inviſibilis extans . Erat autem unum quidem omnibus manifeſtum, ut pote quod apparebat . hominem enim eum omnes tunc temporis æſtimabant eſſe , & amplius nihil. Quod enim in illo latebat, omnibus erat incredibile priore tempore. ſed ex magnitudine eorum quæ circa illum agebantur, & novitate miraculorum, quæcumque ad doctrinam videntium efficiebat, & ex gratia ſancti ſpiritus , qui ſuper Apoſtolos venit , intellectus eſt poſtea, & creditus verus Deus eſſentialiter extans filius verus Dei æterni. Quoniam vero in priore tempore ignorabatur hoc ſecundum eſſentiam extare, ex eo autem quod apparebat videntibus homo purus putabatur, ſecundum hominem pleraque, & ſecundum eam quæ apparebat naturam loquebatur. Et hæc ex his quæ in Evangelio ſcripta ſunt quivis inveniet animadvertens attentius. Putaſne jam, clementiſſime Imperator, ſubreptum * 424 ſibi cognoſcunt, qui doloſis impugnatoribus Calchedonenſis ſynodi crediderunt, ut ad ejus deſtructionem Theodorum , velut Neſtoriani erroris auctorem, putarent eſſe damnandum? Quid enim examinatius, vel quid ſubtilius contra Neſtorianos inveniri a catholicis poteſt, quam ut dicatur Chriſtus quod Deus erat & homo, & utrumque ſecundum naturam ſimiliter ? Non quaſi homo tantum ſecundum naturam, Deus vero Dei ſimilis, id eſt ſecundum relationem dignitatis, vel auctoritatem perſonæ, vel gratiæ nuncupationem, quod ſolum dicere iidem Neſtoriani ſolent : ſed utrumque ſecundum naturam & ſimiliter eſt unus Chriſtus in utroque: ex altero quidem apparens , ex altero vero, ut pote ſecundum divinam naturam, inviſibilis extans. Eumdem ergo, qui utrumque eſt, & viſibilem & inviſibilem Theodorus confitetur. hoc quoque adjiciens: Erat autem nnum omnibus manifeſtum , ut pote quod apparebat. hominem enim eum omnes tunc temporis æſtimabant eſſe, & amplius nihil. Quod enim in illo latebat, omnibus erat incredibile priore tempore. Quomodo itaque dicitur iſte qnod hominem tantummodo putaverit Chriſtum, & amplius nihil, cum ipſe hoc ignorantiæ deputet, quod hoc illius temporis homines æſtimarent, & eis eſſet incredibile quod in eo latebat? qui etiam ex magnitudine miraculorum , & ex gratia ſancti ſpiritus ſuper Apoſtolos deſcendentis, intellectum eum eſſe poſtea & creditum verum Deum eſſentialiter extantem filium verum Dei æterni fatetur . Quid ergo dicimus? numquid videtur intelligentibus credibile, ut quod intellectum poſtea & creditum eſſe docuit, ipſe nec intellexerit, nec crediderit? Et amplius hoc ipſum quaſi contra calumniatores, quos patitur, repetens & inculcans : Quoniam vero , inquit, in priore tempore ignorabatur hoc ſecundum eſſentiam extare ; ex eo antem quod apparebat videntibus, homo purus putabatur : ſecundum hominem pleraque, & ſecundum eam qua apparebat natuiam loquebatur? Ignorantiæ fniſſe iterum dicens , quod non intelligebatur Chriſtus ſecundum eſſentiam Deus, ſed homo tantummodo purus, qui non etiam eſſet Deus, & hoc ipſe fingitur ignoraſſe? Qui poſt aliquanta ſic iterum dicit, Proximus etiam paſſioni ad diſcipulos Dominus dixit, *Si me ſciretis, utique & patrem meum ſciretis*; Joan. 8. 19 & ad Philippum, *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem meum.* Joan. 14. 9 oſtendens quoniam neque divinam naturam ſciebant unigeniti , neque Deum ſciebant verum patrem. Unde neque dicentem de proprio patre veluti de Deo dicentem aliquatenus advertebant: ſed diviſa intelligentia eadem ipſa putabant etiam illa. Hinc etiam adductus eſt Philippus ad dicendum , *Oſtende nobis patrem , & ſufficit nobis* . Joan. 14. 8 Si enim ſciret integre, quia patrem * 425 ſuum dicebat eum, qui revera ejus eſſet pater, ex quo erat vere ſicut Deus ex Deo, numquam dixiſſet oſtende nobis patrem tuum , bene ſciens quia inviſibilis eſt hominibus divina natura. Conſequenter itaque & Dominus dixit ad illum, *Tanto tempore vobiſcum ſum * 426 Philippe, & non cognoviſtis me Philippe.* Velle enim patrem videre, indicium erat eo quod neque ipſum ſciret quis eſſet ſecundum naturam, neque quem diceret patrem eſſe, filius ex eo extans. Et aperiens hoc ipſum addidit , *Qui videt me , videt & patrem* . Si enim cognoveris, inquit , quis ſim, cognoſces & illum, ſecundum quod poſſibile eſt, per me contemplans patris naturam, cujus ſum filius ex ipſo extans ſecundnm eſſentiam, & ejuſdem cum illo extans eſſentiæ. Quoniam vero neſcis me, neque patrem meum ſcis quem dico: cognoſcens autem me cognoſces & patrem quem dixi . me videns contemplatione intelligentiæ, per me videbis omnino etiam illum. Addidit etiam: *Uſque nunc nihil petiſtis in nomine meo*. Joan. 16. 24. Et aperiens quoniam necdum divinam naturam ejus intelligentes , neque orationes ei offerebant ut Deo, neque petitiones aliquas in ejus nomine faciebant , ſicut oportebat facere in nomine Dei extantis & filii Dei omnium. & quia propter hanc eorum infirmitatem in ſimilitudinibus de patre loqnebatur , eo quod neque illi potuerunt integre ſcire ea quæ dicerentur , vel de quo diceret patre, vel qualiter extante, adhuc apertius indicatur . Dixit enim, *Hæc in parabolis locutus ſum vobis . venit hora , quando non jam in parabolis loquar vobis, ſed manifeſte de patre annuntiabo vobis*. Joan. 16. 25. Quid autem erat qnod de patre non manifeſte dixerat, niſi qnia revera divinam naturam unigeniti neſciebant , ex quo poſſent diſcere Deum patrem , qui ex certo ejus eſſet pater, ut Deus Dei ex eo nati ſecundum eſſentiam? Cujus rei gratia per ſimilitudines eis de patre loquebatur. nunc quidem nomine tantum apud eos utens, ejus autem veram intelligentiam in poſterum illis reſervans edicere, quando eos gratia ſpiritus ſancti, quæ ſuper eos venit, inſtituens perceptibiles tantæ doctrinæ perficeret . Propter hoc etiam ipſe Dominus in eodem ipſo ſermone, proximus paſſioni, ut infirmitatem eorum oſtenderet, nnde poſſent doctrinam perfectiorem adſumere, dicebat, *Multa habeo vobis dicere*. Joan. 16. 12. Cujus ergo rei gratia modo non dicis? quia non poteſtis modo portare. non invidens , ſed quia non

* (424) *ſibi fuiſſe cognoſcunt.*
* (425) *ſuum Deum.*
* (426) deeſt *Philippe* deeſt etiam in textu Joannis cap. 14. v. 9.

„ ſufficitis ad majorem rerum perceptionem, in„ firmius adhuc affecti, quam ut horum dogma-
Jo. 16. 13. „ tum integritatem poſſitis edoceri. Quando ergo „ poterunt, vel unde? *Quando venerit ille ſpiritus* „ *veritatis inducet vos in omnem veritatem*. Su„ perveniet enim ſuper vos ſpiritus ſancti gratia, „ ex qua cunctam dogmatum ſubtilitatem cogno„ ſcitis. Proinde ſi divinitatem unigeniti doce„ rentur, & patrem Deum utique docerentur, ut „ pote Dei filii patrem; & quid perfectius ad dogmatum ſcientiam eis remaneret? Sed his commemoratis, non tantum pro ſusceptæ cauſæ merito, quam longe diſtemus ab accuſatoribus Theodori, quin potius Calchedonenſis Concilii, debetis adtendere: verum etiam quam ſimpliciter nos ac fideliter rem geramus. Hæ-
a retici enim, velut fures & canes, [a] non integras ſicut habentur ipſius Theodori ſententias ſincere depromunt atque ſimpliciter. ſed quemadmodum de ipſis quoque ſcripturis canonicis facere ſolent, pauca ex ejus dictis obſcura verba ſubripiunt, & hæc ipſa maledico dente concidunt. Nos autem, ſicut videtis, magis eligimus faſtidium de longitudine, quam de brevitate atque obſcuritate ſuſpicionem fraudis incurrere. Non eſt quare in his quæ nos proferimus lector quærat, vel quid ſuperius a Theo-
* 427 doro fuerit dictum, * vel inferius ſubſequatur,
* 428 vel qua ratione fuerit ſic locutus, totam * ſi cauſam ante oculos judicantium inſpiciendam conſtituimus: non ex multis atque apertis pau-
* 429 ca, quemadmodum illi, & obſcura * verbis non ex integris & perfectis particulas demordemus. Sicut autem poteſt ex his quæ memorata ſunt unuſquiſque cognoſcere, non hominem purum, id eſt, qui non ſit etiam Deus, ſed unigenitum Dei filium conſubſtantialem patri, pro nobis aſſerit paſſum. quem dicit proximum paſſio-
Joan. 8. 19. ni ſuæ dixiſſe diſcipulis: *Si me ſciretis, utique*
Joan. 14. 9. *& patrem meum ſciretis*. & ad Philippum. *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem*. oſtendentem quoniam neque divinam naturam ſciebat unigeniti. quod Theodorus non diceret, niſi crederet unigenitum divinæ naturæ pro nobis paſſum. Verum nec illud ibi poneret quod ait, Hinc etiam adductus eſt Philippus ad dicendum, *Oſtende nobis patrem, &*
* 430 *ſufficit* * *nobis*. Si enim integre ſciret, quia pa-
* 431 trem * ſuum dicebat eum, qui revera ejus eſſet pater, ex quo erat vere ſicut Deus ex Deo, nunquam dixiſſet, *Oſtende nobis patrem tuum*, bene ſciens, quia inviſibilis eſt hominibus divina natura.

CAP. III. ERgone iſte, qui vere Deum ex Deo, & inviſibilis ac divinæ naturæ filium pro nobis aſſerit paſſum, duos filios volebat intelligi, tanquam alterius ſubſiſtentiæ ſit qui pro nobis paſſus eſt, & alterius unigenitus, qui vere ſicut Deus ex Deo

A inviſibilis divinæque naturæ ſit? aut poſſet de eo quem purum credebat hominem dicere, Si „ enim cognoveris, inquit, quis ſim, cognoſces „ & illum ſecundum quod poſſibile eſt, per me „ contemplans patris naturam, cujus ſum fi„ lius, ex ipſo extans ſecundum eſſentiam, & „ ejuſdem cum illo extans eſſentiæ? Et ut non „ alium, ſed ipſum patri conſubſtantialem pro nobis paſſionem ſuſcepiſſe monſtraret, hoc ipſum repetens iterum dicit: Propter hoc etiam ipſe „ Dominus in eodem ipſo ſermone proximus paſ„ ſioni, ut infirmitatem eorum oſtenderet, unde „ poſſent doctrinam perfectiorem adſumere, dice„ bat, *Multa habeo vobis dicere*. Ipſe ergo Do-
B minus, qui conſubſtantialis eſt patri, & non alius, a Theodoro pro nobis dicitur paſſus. Verum neque ipſe ab eo pronuntiatur pater eſſe qui filius. alioquin loquens de Philippo non diceret, Velle enim patrem videre, indicium erat „ eo quod neque ipſum ſciret, id eſt Chriſtum, „ vel quod ibi ſubſecutus ait ex perſona Domini, „ Si enim cognoveris, inquit, quis ſim, cognoſces „ & illum ſecundum quod poſſibile eſt, per me „ contemplans patris naturam. & quæque ſimilia „ ibi continentur, quæ de patre ac filio; quorum „ una natura eſt, non niſi pro diſcretione perſonarum dicta queunt intelligi. In fine vero ipſius ſententiæ omnes tres perſonas patris & filii & ſpiritus ſancti ſimul inſinuat, cum ex
C perſona Domini dicit, Quando venerit ille ſpi„ ritus veritatis, inducet vos in omnem verita„ tem. Superveniet enim ſuper vos ſpiritus ſancti „ gratia, ex qua cunctam dogmatum ſubtilita„ tem cognoſcetis. Proinde ſi divinitatem unige„ niti docerentur, & patrem Deum utique docerentur. Quid igitur hæreticorum complices in præjudicium ſanctæ ſynodi tantam rerum evidentiam obſcurare conati ſunt, quaſi omnibus ſic poſſent oculos claudere, ſicut ſibi clauſerunt. Nam ſecundum Joannem Evangelium interpre- „ Joan. 1. 10.
tans dicit: *In mundo erat, & mundus per eum* „ *factus eſt, & mundus eum non cognovit*, dicens „ venientem in hunc mundum de domino Chriſto „ bene intulit, in mundo erat, ut oſtenderet quia „
D venientem ad manifeſtationem retulit. Subſtan„ tia enim & natura erat in mundo, inquit, & „ antea. Et veluti hoc parum eſſet, intulit, „ *mundus per eum factus eſt*, hoc eſt, quid mirum „ ſi erat in mundo, qui non eſſet, niſi ille vo„ luiſſet? Sed tamen erat quidem in mundo & an„ tea, & fecit etiam mundum ipſe, & mundus „ eum non cognovit. Bene hic & non cognovit „ dixit, velut ſi diceret non cognoverunt proprium dominum. Confirmatur omnino quod ſa- * 432
pientiſſimus Joannes cum orientali Concilio * de Theodoro dicit. Re enim vera, ſicut apparet, b
non ignorabat vel negabat [b] ſummam unitatem, qui & illa tam multa, quæ ſuperius memoravimus dixit, & quod de Chriſto in carnis manifeſtatione veniente dicebat, quia ſubſtantia &

a *Non integras ſententias*) Sic Dionyſius Alexandrinus teſte Athanaſio, quærebatur non integras, ſed conciſas ab adverſariis ſententias ſuas proferri, Ἔπειτα αἰτιᾶται τοὺς κατηγοροῦντας αὐτοῦ, ὡς μὴ ὁλοκλήρους λέγοντας, ἀλλὰ περικόπτοντας αὐτοῦ τὰς λέξεις. Et de Apolinario Apoſtoli verba truncante Gregorius Nazianzenus oratione xlvi. ad Nectarium. λέγει γὰρ πάλιν ἀποστολικήν τινα ῥῆσιν τοῦ ὅλου σώματος τῆς συμφράσεως ἀποκνίσας.

b *Summam unitatem*.) Sed κατ' εὐδοκίαν benevolo affectu, & σχέσει τινὶ tantum, ut dictum eſt. Nam unionem κατ' οὐσίαν Theodorus recte quidem contra Synuſiaſtas refellebat; ſed hypoſtaticam non agnoſcebat. Quod illa in primis declarant, quæ ex ejus ad Domnum epiſtola recitat Anaſtaſius presbyter in Ecloge χρήσεων δογματικῶν, his verbis. Θεοδώρου Μοψουεστίας, ἐκ τῆς πρὸς Δόμνον ἐπιστολῆς. Ἡ κατ' εὐδοκίαν δὲ φύσεων ἕνωσις μίαν ἀμφοτέρων τῷ τῆς ὁμωνυμίας λόγῳ ἐργάζεται τὴν προσηγορίαν, τὴν θέλησιν, τὴν ἐνέργειαν, τὴν αὐθεντίαν, τὴν δυναστείαν, τὴν διαταγήν,

* (427) *vel quid inferius*.
* (428) *totam ſicut eſt cauſam*.
* (429) *verba elegimus; non ex integris*.
* (430) *nobis; hoc etiam adjiciens: ſi enim*.
* (431) *ſuum Deum*.
* (432) *De Theodoro dicit, neque unitatem ſummam ignorans vel negans, abſit. Re enim vera*.

natura erat in mundo & ante ipſum, dicens ante fuiſſe in mundo qui eſt poſtea manifeſtatus in carne. Nec mirum eſſe pronuntians, quod dicatur & antea Chriſtum in mundo fuiſſe, qui non eſſet niſi ille voluiſſet: eundem rurſus adfirmans in principio feciſſe mundum, quem perhibet noviſſimis temporibus venientem a mundo non eſſe cognitum proprium dominum. Quocirca noverat iſte Chriſtum in carnis manifeſtatione venientem factorem eſſe mundi & proprium dominum, nec dicendo duas eſſe naturas Chriſti, duos dicebat filios, aut duos dominos, aut duos Chriſtos, ſicut mentiuntur hæretici. Nam ſic aperte [a] in libro* ad baptizatos locutus eſt. Neque enim, ſi duas naturas dicamus, neceſſi-
* 433 tas nos ulla conſtringit aut duos dicere filios, aut duos* homines, aut duos Chriſtos: quoniam
* 434 hoc putare extremæ eſt amentiæ. Sed quid etiam quinto de Incarnatione libro, capitulo LII. dicat adverſus Apollinariſtas & Arianos interrogantes utrum alter & alter, an idem ipſe, attentius quæſo conſiderare dignemini. Nam in eo non ſolum recta de incarnatione Chriſti fides ejus apparet, verum etiam ſecundum quam rationem, vel ſecundum quem dicendi morem locutus eſt alia, pro quibus eum calumniantur hæretici. Ait enim: „Quando naturas quiſque diſcernit, alterum & alterum neceſſario invenit, & huic rei neque ipſos puto repugnare, quia alterum Deus verbum natura, alterum autem quod adſumptum eſt, quicquid illud ſit, concedatur. hoc interim item perſona idem ipſe invenitur, nequaquam confuſis naturis, ſed propter adunationem quæ facta eſt, adſumpti ad adſumentem. Si enim integre conceditur hoc alterum eſſe ab illo natura, & manifeſtum quia æquale non eſt quod adſumptum eſt adſumenti, neque ſimile hoc illi, neque idem quod adſumptum eſt adſumenti: manifeſtum quia idem ipſe invenietur adunatione perſonæ. Sic ergo oportuit dividere quæ circa Chriſtum ſunt. iſtis enim diviſionibus contrarium nihil eſt. hæc enim multam etiam cum divinis literis conſonantiam habent. Sic neque naturarum confuſio fiet, neque perſonæ quædam prava diviſio. Maneat enim & naturarum ratio inconfuſa, & indiviſa cognoſcatur eſſe perſona. Illud quidem proprietate naturæ, diviſo quod adſumptum eſt ab adſumente: illud autem adunatione perſonæ in una appellatione totius conſiderata ſive adſumentis, ſive etiam adſumpti natura, & veluti ſic dicam in filii appellatione ſimul & Deum verbum appellamus, & adſumptam naturam, quæcumque illa ſit, conſignificamus propter adu-

A nationem quam ad illum habet. Eſtne quiſquam, clementiſſime Imperator, tam obſcurati cordis & ab humano intellectu penitus alieni, qui hæc audiens & relegens, putet Theodorum duos filios prædicaſſe? Magis enim accuſatores ejus, quæ egerunt ad evacuationem ſynodi Calchedonenſis, exiſtimo contra conſcientiam fallaciter agere, quam per ignorantiam in manifeſtis rebus errare. Illud autem eſt quod petivi ut attentius* advertatis, vel quo modo dicendi lo- * 435
quatur, ubi imperitos & ignaros ſuæ intentio-
B nis videtur offendere. quia dum naturas in Chriſto diſcernens alterum & alterum dicit, non quaſi duos filios introducit: ſed quia* alterum * 436
Deus verbum natura, ſicut hic evidentiſſime docet; alterum autem quod adſumptum eſt, qui tamen perſona idem ipſe invenitur. Nec mea, ſed ejus hæc verba ſunt, exponentis ſemetipſum, & dolentis quomodo intelligi debeat in ceteris, ubi ſic loquitur. qui hoc ipſum repetens, ut decebat, ſicubi tale aliquid* dicitur, * 437
non aliter nobis accipiendum eſſe commendat. „Si enim integre conceditur, inquit, hoc alte-
C rum eſſe ab illo natura, & manifeſtum, quia æquale non eſt quod adſumptum eſt adſumenti, neque ſimile hoc illi, neque idem quod adſumptum eſt adſumenti, manifeſtum quia idem ipſe invenietur adunatione perſonæ. Perſpicis, Auguſte, quod non perſona, ſed natura potius, adſumentem ab adſumpto alterum dicat, & de naturis hoc velit intelligi, quarum eſt multa diverſitas, & de quarum ratione convenit dice-
D re, quia non eſt idem quod adſumptum eſt adſumenti: de perſona vero dicat quod idem ſit adſumens atque adſumptus. Pluſne aliquis dicere potuit, quam idem ipſe? quod in hac ſententia non tantum ſemel, ſed iterum dicit: ideoque ſequitur dicens ſic: Neque naturarum fiet confuſio, neque perſonæ quædam prava diviſio. Quid evidentius quærere, vel quid amplius de illo expectare poſſemus? & tamen ille adhuc addit & dicit: Maneat enim & naturarum ratio
E inconfuſa, & indiviſa cognoſcatur eſſe perſona. & iterum cumulata, ſi dicendum eſt, ſuper accumulans ait: Illud quidem proprietate naturæ, diviſo quod adſumptum eſt ab adſumente. Illud autem adunatione perſonæ, in una appellatione totius conſiderata ſive adſumentis ſive etiam adſumpti natura, & veluti ſic dicam in filii appellatione ſimul & Deum verbum appellamus, & adſumptam naturam, quæcumque illa ſit, conſignificamus. Ideo vero dicit, quæcunque illa ſit, quoniam hæretici, contra quos agit, etiam a ſe diverſo errore de

---

φοτέρων κατ' αὐτὴν προσώπου καὶ γινομένου, καὶ λεγομένου. τὴν ἀξίαν, τὴν ἐξουσίαν, μηδενὶ τρόπῳ διαιρουμένην ἑνὸς ἀμ- *Naturarum quæ juxta* 'εὐδοκίαν *ſit adunatio, unam utriuſque communi nomine appellationem præſtat, voluntatem, operationem, auctoritatem, potentiam, dominatum, dignitatem, imperium nullo modo diviſum, cum una utriuſque ſecundum illam ſit dicaturque perſona.* Et poſt alia. Καὶ τί δεῖ πολλὰ λέγειν· ὁ τῆς κατ' οὐσίαν ἑνώσεως ἐπὶ μόνων τῶν ὁμοουσίων ἀληθεύεται λόγος. ἐπὶ δὲ τῶν ἑτερουσίων διέψευσται· συγχύσεως εἶναι καθαρὸς οὐ δυνάμενος. ὁ δὲ τῆς κατ' εὐδοκίαν ἑνώσεως τρόπος, ἀσυγχύτους φυλάττων τὰς φύσεις καὶ ἀδιαιρέτους, ἓν ἀμφοτέρων τὸ πρόσωπον δείκνυσι· καὶ μίαν τὴν θέλησιν, καὶ μίαν τὴν ἐνέργειαν μετὰ τῆς ἑπομένης τούτοις μιᾶς αὐθεντίας καὶ δεσποτείας. *Et quid multis opus eſt? Unitionis ſecundum ſubſtantiam ratio in ſolis conſubſtantialibus vera eſt: in iis quæ alterius ſunt ſubſtantiæ, falſa, cum ſine confuſione eſſe nequeat. Unitionis vero juxta* 'εὐδοκίαν *modus, inconfuſas ſervans naturas & indiviſas, unam utriuſque perſonam oſtendit, unamque voluntatem, & operationem unam, cum una quæ iſta conſequitur auctoritate ac dominatu.* Et poſt alia rurſum. Κατὰ γὰρ τὸν τῆς εὐδοκίας τρόπον τῷ θεῷ λόγῳ συναφθεὶς, ὡς ἔφαμεν, ἐξ αὐτῆς τῆς μήτρας ὁ τεχθεὶς ἐκ τῆς παρθένου ναὸς, μεμένηκεν ἀδιαίρετος, τὴν ἐν πᾶσιν αὐτῷ ταυτοβουλίαν καὶ ταυτουργίαν ἐσχηκώς· ὧν οὐδέν ἐστι συναφέστερον. *Juxta modum enim* εὐδοκίας *Deo verbo conjunctum, ut diximus, ab ipſo utero quod ex Virgine natum eſt templum, manſit indiviſum, eandem in omnibus cum ipſo habens voluntatem, eandemque operationem. quibus nihil eſſe poteſt conjunctius.*

a *In libro ad baptizatos*) Idem videtur, qui in Actione IV. Synodi V. perpetuo inſcribitur *Ad baptizandos.*

* (433) *ad baptizatos ſcripto.*
* (434) *Dominos, aut.*
* (435) *advertatis hoc propoſito, vel.*
* (436) *alterum eſt Deus.*
* (437) *dicit.*

incar-

incarnatione diſſentiunt . Nam Apollinariſtæ
a quidem ª carnis & animæ naturam ſine mente adſnmpſiſſe Dominum credunt : Arriani vero carnis tantummodo . Idcirco etiam ſuperius ait : alterum Deus verbum natura , alterum autem quod adſumptum eſt , quiequid illud ſit . Sed numquid poſt hanc manifeſtam nobis ab eo regulam conſtitutam , & non ſemel aut iterum , ſed ſæpius eonculeatam , ubicumque dictorum ſuorum invenitur de Chriſto loquens alterum ab altero ſecernere , & adſumentem ita diſtinguere ab adſumpto, ut & hoc & illud idem non eſſe confirmet , pro diviſione unius perſonæ dictum, & non potins pro diverſitate duarum naturarum debemus accipere, cum dicat quia perſona idem ipſe eſt adſumens atque adſumptus , & hoc ipſum repetat , & vario dicendi modo commendet ? Prodeſſe itaque nobis hæc ejus ratio debet ad illa quæ videntur obſcura , ut ex his certiſſimis alia quæ forte ſunt dubia judicemus. Non adſpiciamus in ſurtivas ſententiarum ejus particulas , quas ideo præcidunt hæretici , ut in eis non appareat dicentis intentio . Quod ergo nobis dicunt , diſputantem de Chriſti incarnatione ſcripſiſſe Theodorum non idem eſſe adſumptum adſumenti , ſed alterum eſſe & alterum , hoc & nos eum dixiſſe teſtimonio præſenti monſtravimus , ſed pro duarum diverſitate naturarum , non pro unius diviſione perſonæ : ſicut dicimus , alterum eſſe interiorem hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei factum , & alterum exteriorem ſimiliorem magis pecoribns ſactum : non quod duæ perſonæ, ſed quod duæ naturæ ſint . Quod etiam hujus manifeſta verba declarant, & inconcuſſe tenendum multiplici nobis repetitione commendant . Illud ergo nobis potius probent ſi poſſunt, ubi ſecundum perſonam non eumdem eſſe , vel alterum eſſe dixerit , ut eum nos quoque fateamnr erraſſe . Probari autem hoc expetimus , non pro neſcio cujus ſuſpicione aut voluntate jactari , ut non ex aliorum conjectura ſive calumnia , ſed ex ſuis verbis merito judicetur. Si vero nihil in eum tale probari poteſt , quomodo eum dicunt a ſynodo Calehedonenſi tanquam Neſtoriani dogmatis inventorem debuiſſe damnari ? Qui rurſus ſexto ejnſdem operis libro , capitnlo LIV. adverſus eoſdem Apollinariſtas , qui nos
b » videri volnnt ᵇ hominicolas , ſic reſpondit . Si
» ergo hominem dieentes Chriſtum hominicolæ vo-
» cari juſte eis videmur , hoc antequam nos di-
» ceremus ſcriptura docuit omnes homines per ea
» quibus hominem vocare non recnſat , ſicut ſu-
» perius in pleriſque locis vocari hoc nomine Chri-
» ſtum oſtendimus . Sed hominem , inquiunt, pu-
» rum dicentes eſſe Chriſtum hominicolas oportet
» vocari . hoc jam apertum mendacium eſt . ſi-
» quidem hoc dicere voluerunt . Nullus enim a-
» liquando hæc nos dicere audivit . & puto ne-
» que iſtos ſuſcipere poſſe mentiri mendacium tam
» apertum : non qnia non * cognite ſe habeant
* 438 » ad mendacium , ſed quia redargui ſe poſſe fa-

A cillime vident . quanquam ſi minus * ejus cu- "
ret , & hoc forſitan contingat . Nos enim hæc "
dicere , id eſt unigeniti negare divinitatem , " * 439
ſummæ furiæ eſſe arbitramur , aut quid jam "
reſtat cur ab hæreticis ſeparemur ? cujus rei "
gratia & tales & tantas perſecutiones * ſuſti- " * 440
nemus ? aut quis ignorat ſemper adverſum nos "
ab hæretieis bellum agi ? omne metallnm , & "
omne locum deſertum repletum eſt ex noſtris "
hominibus propter doctrinam pietatis . & poſt "
aliquanta . Hæc autem , inquit , omnia quan- "
do Beatus Meletius ſuſtinuit primus , & cum "
B illo deinde multi per provincias & eivitates & "
loca ab hæreticis, cujus rei gratia? nonne quia "
dominum Chriſtum verum confitebantur ? non- "
ne quia verum prædicabant filium Dei , de eſ- "
ſentia paterna genitum , ſemper ſimul extan- "
tem cum generante patre , addentes etiam de "
ſpiritu ſancto piam confeſſionem ? Qualiter ita- "
que , qui tanta propter hanc confeſſionem paſſi "
ſumus , calumniam pati ab ipſis poſſumus, ve- "
luti hominem purum dicentes , rebus ipſis hanc "
calumuiam manifeſtam redarguentibus ? Quomodo iſte imprudenter ſolum , ac non etiam
C impudenter accuſetur, qnod quaſi Chriſtum hominem pnrum dicat , ignoro: quia jam pridem Apollinariſtis , Eutychianorum auctoribus, duas naturas Chriſti negantibus , & propterea velut hominicolas orthodoxos ealumniantibus , qui Chriſtum & hominem confiterentnr & Deum , falſum eſſe reſpondit quod Chriſtum purum hominem dieere putabantur , affirmans quod hoc ab eis nullus audierit, & hoc dieere ſummæ furiæ eſſe conteſtans . S. Meletium Antiochenum antiſtitem , & alios catholicos confeſſores cum illo , propterea dicit metalla & omne locum
D deſertum repleviſſe , quia Deum verum Chriſtum confitebantur , ex paterna eſſentia genitum , & cum generante patre ſemper extantem , addentes etiam piam de ſpiritn ſancto confeſſionem . Proinde cum Dominns in Evangelio dieat , *ex verbis tuis juſtificaberis , & ex verbis tuis condemnaberis* , quomodo ſancta ſynodus poſſet hunc hominem , ex verbis ſuis juſtificatum , ex verbis Apollinariſtarum Eutychiſque damnare? Ecce clamat & ſæpius iterat , non ſe dieere Chriſtum hominem purum , ſed verum Deum & verum Dei filinm , de paterna
E ſubſtantia genitum , & ſemper cum generante patre ſimul extantem ; & neſcio qui dicunt , quod eum poſt mortem ſynodus anathematizare debnerit , tanquam Chriſtum hominem purum , & non ipſum eſſe dicentem , qui ſecundum eſſentiam filius Dei ſit . Ubi ſimul advertant , nec videre diſſimulent , quia etiam cum dicit filium Dei Chriſtum de eſſentia paterna genitum , & ſemper cum generante patre ſimul extantem , & adhuc referens ſequitur , Addentes etiam de ſpiritu ſancto piam confeſſionem, Trinitatem quoque prædicat, qnam negaſſe ſimiliter fingitnr. Recognoſcant itaque facilitatem ſuam, & circumventos ſe tandem intel-

Matth. 12. 37

a *Carnis & anima*) Hoc quoque diſerimen Arrianorum & Apollinariſtarum obſervat Theodoretus Dialogo II. At S. Auguſtinus hæreſi lv. ſignificat Apollinariſtas principio eum Arrianis ſenſiſſe Chriſtum carnem ſine anima ſuſcepiſſe : poſtea Evangelicis teſtimoniis victos dixiſſe mentem non fuiſſe in anima Chriſti , ſed pro hac ipſum verbum in ea fuiſſe . Quam ob cauſam a nonnullis , quia non totum hominem a Verbo ſuſceptum dicebant, Διμοιρῖται appellati ſunt .

b *Hominicolas*) Ἀνθρωπολάτρας . Athanaſius ſub finem libri De incarnatione Domini , Καὶ ἡμᾶς συκοφαντοῦντες λέγετε ἡμᾶς δύο λέγειν υἱούς, καὶ ἀνθρωπολάτρας ὀνομάζετε. *Calumniam in nos ſtruentes , duos filios dicere nos dicitis , & hominicolas appellatis* .

* (438) *cognate* .
* (439) *eis* .
* (440) *ſuſtinuimus* .

ligant, qui magis hæreticis vel hæreticorum fau- A
toribus, quam ſanctis patribus Eccleſiæ catholi-
cæ, de Theodoro crediderunt. Decimo etiam
» libro ejuſdem operis capitulo LXX. ſic ait: Si-
» cut enim per tales voces ex ſcriptura divina
» naturarum * differentias edocemur, ſic & adu-
* 441 » nationem diſcimus, quoties ambarum naturarum
» proprietates in unum conducit, & ſicut de uno
» quodam eloquitur. Hoc enim eſt ſimul oſtende-
» re & naturas differentes, & perſonæ adunatio-
» nem. ex differentia quidem eorum quæ dicun-
» tur, differentia intelligitur naturarum: cum au-
» tem in unum rediguntur, manifeſtam ſuſpici-
» mus adunationem. Beatus itaque Joannes Evan-
» geliſta dicit: *Altera die vidit Jeſum venientem*
Joan. 1. 29. » *ad ſe & dicit, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit* B
» *peccata mundi. Iſte eſt de quo ego dixi, quia*
» *poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia*
» *prior me erat, & ego neſciebam eum.* Hic enim
» dicendo, Vidit Jeſum venientem ad ſe, & di-
» cit, Ecce agnus Dei, manifeſte humanitatem ſi-
» gnificare mihi videtur. Hoc enim videbat bap-
» tiſta Joannes, hoc erat quod ſuſceperat mortem:
» corpus videlicet, quod pro omni oblatum eſt
» mundo. Quod vero ſequitur, qui tollit peccata
» mundi, nequaquam jam convenit carni. Non
» enim illius erat totius mundi peccatum auferre,
» ſed erat hoc pro certo divinitatis opus. Quis C
talia non exiſtimaret poſt exortas Neſtoriano-
rum & Eutychianorum hæreſes dicta, niſi aucto-
rem dictorum titulus indicaret? Sic inter utroſ-
que medius & rectus incedit, ſic utroſque ſcri-
pturæ divinæ teſtificatione confutat iſte, qui di-
citur confutari debuiſſe a Concilio Calchedonen-
ſi, tamquam Neſtoriani auctor erroris, ut nihil
aliud eſſe definitum vel Epheſino vel ipſo Cal-
chedonenſi Concilio lector inveniat. Sed utinam
hæc Neſtoriani & Eutychiani nobiſcum ſeque-
rentur, quia non eſſent hæretici. Utinam hæc
nobiſcum tandem Neſtoriani & Eutychiani ſe-
quantur, ut non ſint hæretici. in quibus ſic in D
Chriſto duarum naturarum differentia prædica-
tur, ut ſimul etiam prædicetur utriuſque natu-
ræ unam eſſe perſonam. Non ergo ſimulent Eu-
tychiani, propterea ſe odiſſe Theodorum, quaſi
duas perſonas filii Dei ac filii hominis prædican-
tem: cum ex his quæ memorata ſunt oſtendan-
tur ob hoc illum potius odiſſe, quod duas unius
prædicaverit eſſe naturas. Non ad hæc ingenio-
ſum intellectorem, ſed potius lectorem non fa-
ſtidioſum requirimus. Aperta res ac manifeſta
interpretatione ulla non indiget. tantum eſt ut
videre jam velint, qui clauſis oculis veritati re-
ſiſtunt. Nam & in XII. prædicti operis libro, E
» Si vero aliquis, ait, interrogare voluerit, quid
» tandem eſſe dicam Jeſum Chriſtum, dico Deum
» & filium Dei. Ecce qualis erat ejus confeſſio,
qui purum hominem Chriſtum dixiſſe confingi-
tur. cui metuendum eſt, ne cum eum Judaicæ
impietatis ab iſtis calumniatoribus argui recuſa-
mus, e contrario Manichæorum ei crimen & in
myſterio incarnationis impingant, quoniam in
oc loco Jeſum Chriſtum Deum confitens & fi-
lium Dei, nihil de ejus humanitate locutus eſt.
* 442 Quid enim mirum, ſi illi qui eum * dudum &
ſolitarium Deum prædicaſſe ſine filio & ſpiritu
ſancto, & duos e contrario docuiſſe filios, hoc

quoque ſimili contrarietate confingant, ut cum
eum dixerint, ſicut Judæi, purum hominem Je-
ſum Chriſtum crediſſe, tanquam non ſit etiam
Deus, rurſus illum, ſicut Manichæus, dicant
quod dominum Chriſtum Deum tantum & filium
Dei credens, hominem fuiſſe negaverit. ſiquidem
eum jam, ſicut ſupra docuimus, & Judæorum
& Manichæorum duxerint errore maculandum,
quaſi evacuantem omnes in Chriſto factas pro-
phetias. Omnia enim eorum ſapientiæ licent,
& nihil eſt quod libeat, & ſibi non expedire
credant. Sicut autem non propterea hominem
denegat Jeſum Chriſtum, quia de humanitate
ejus tacens Deum illum tantummodo hic fate-
tur & filium Dei: ita etiam non Deum dene-
gat Jeſum Chriſtum, ubi de divinitate ejus ta-
cens, aut naturarum diſcretionem faciens, reti-
cet quod idem ſit etiam Deus & filius Dei.
Non enim & Petrus Apoſtolus Deum denegabat
Chriſtum, cum Judæis loquens de divinitate ejus
diſpenſative taceret, quam vel levi auditu illi
ferre non poſſent: & diceret, *Viri Iſraelitæ, audi-*
te verba hæc. Jeſum Nazarenum, virum adpro- Act. 2. 22.
batum a Deo in vobis virtutibus & prodigiis & ſi-
gnis, quæ fecit per illum Deus in medio veſtri, ſi-
cut vos ſcitis, hunc definito conſilio & præſcientia
Dei traditum per manus iniquorum affigentes inte-
remiſtis, quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus
inferni, & talia cætera, quæ ſequuntur. Ne-
que Paulus ejus * Apoſtolus Deum negabat Chri- * 443
ſtum, cum diceret: *Unus Deus, unus & media-* 1. Tim. 2. 5.
tor Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui de-
dit ſemetipſum redemptionem pro omnibus, teſti-
monium temporibus ſuis. quaſi Chriſtus Deus non
eſſet, ſed tantum mediator Dei & hominum;
aut conditor non eſſet & rector omnium tempo-
rum, ut quædam quaſi ejus tempora dicerentur,
ſicut de uno quolibet ſimile noſtri homine loqui
ſolemus, & dicere, temporibus ſuis hoc vel il-
lud dicit, aut facit. Sed pro diverſitate cauſa-
rum diverſa ſemper eſt dicentis intentio. Nam
& ipſe Dominus in Evangelio Judæis dicit, *Nunc* Joan. 8. 40.
autem quæritis me interficere, hominem qui verita-
tem vobis locutus ſum, quam audivi a Deo. Num-
quid hæc dicens Deum ſe eſſe negavit & * Chri- * 444
ſtum? Proinde ſecundum hanc formam & Apo-
ſtolos ejus, & doctores Eccleſiæ quædam locu-
tos eſſe credamus, tanquam divini ſacramenti di-
ſpenſatores, non omnibus eadem, nec eodem
modo tradentes. Quos in Eccleſiæ pace defun-
ctos pie ac religioſe facimus ſi melius interpre-
tari velimus, ſic excuſantes homines, ut accu-
ſemus errores. Nec non & XV. libro, quo ip-
ſum totum opus de Incarnatione concluſit, u-
tramque naturam in unius filii perſonam con-
veniſſe teſtificans, ait: Propter quod utrumque
juſte filius vocatur, una extante perſona, quam
adunatio naturarum effecit. Verum ego in hoc
ejus opere de Incarnatione diutius moratus ſum,
quam fidei & rationi, ac ſi non diutius, quam
contra calumnias, ac pertinaciam neceſſarium
videbatur. Nam cui bene * ſcienti non ſuffice- * 445
ret ad cognoſcendam Theodori fidem ipſe ſolus
ejuſdem operis titulus? Quis enim eum audiens
condidiſſe libros de Incarnatione, aut ut pro-
prie hoc exprimam, minus quidem Latino,
ſed neceſſario verbo, ſicut a Græcis dicitur,

* (441) *differentiam.*
* (442) *dixerunt, & ſolitarium.*
* (443) *coapoſtolus.*
* (444) *Chriſtus?*
* (445) *ſentienti.*

a * de Inhumanatione filii Dei, duos eum puter filios prædicaſſe? Nam qualiter filium Dei, id eſt Deum verbum, non hominem quoque diceret, quem diceret inhumanatum? Non enim reſugio verbum, quod a me fidei ratio atque utilitas flagitat, adverſus eos qui non hominem totum, id eſt carnem & animam rationalem, ſed ſolam carnem, aut carnem tantum & animam ſine ratione, ſuſcepiſſe dicunt filium Dei. Qualiter itaque Deum verbum, quem docebat inhumanatum, non ipſum & hominem diceret? aut quomodo duos filios docens, tanquam alterius perſonæ ſit verbum Dei, alterius vero homo ſuſceptus, & non idem in perſona Deus verbum qui homo, ipſum Dei verbum diceret inhumanatum? Contrarium ſibi utrumque eſt, & pudere debuit hinc accuſaſſe doctiſſimum virum, aut ſi hoc nolunt dicere, doctiſſimorum certe virorum teſtimonio prædicatum. cujus impudentiæ non fuiſſe particeps ſynodus Calchedonenſis arguitur, quam intelligere oportuit, quia ubi Theodorus, neceſſario contra hæreticos naturarum proprietates amplius dividens, adſumentem ab adſumpto alterum eſſe adſereret, natura eum, ſicut ſupra docuimus, non perſona diceret alterum. Porro ab hoc opere de Incarnatione ad aliud quod contra Eunomium „edidit tranſeamus, ubi decimo libro ait: Om„nes enim Judæi venturum Chriſtum ex propheti„cis vocibus expectabant, magnum quemdam & „multorum bonorum eis auctorem futurum. Qua„propter interrogante Herode poſt Magorum præ„ſentiam Scribas & Phariſæos, ubi Chriſtus na„ſceretur, reſponderunt illi, & locum dixerunt, „quia in Bethleem Judæ. Sed non propterea Chri„ſtum filium Dei Deum ſciebant; hominem an„tem purum arbitrati ſunt Chriſtum ſecundum „probatiſſimos prophetarum futurum, licet parum „aliquid his meliorem. quod etiam nunc putan„tes Judæos quilibet videbit. Juſtumne videtur adbuc, ut ſancta & magna ſynodus arguatur, quod non & ipſa Theodorum ſimul & Judaicæ infidelitatis & Manichææ peſtis argueret, ut eum & cum Judæis condemnaret, quaſi hominem tantum crediderit Chriſtum, & cum Manichæis, quaſi non acceperit prophetas de Chriſto locutos? cum & illos arguat, quod licet probatiſſimis prophetarum parum aliquid meliorem eum fuerint arbitrati, Deum tamen eſſe neſcierunt; & contra iſtos dicat, quod eum Judæi venturum ex propheticis vocibus expectarent, ſecundum quas etiam Herodi interroganti reſponderunt, quod in Bethleem Judæ naſceretur?

CAP. IV. Unde quia & Eutychiani nec erga magnam ſynodum, nec erga Theodorum placari poſſunt, quantacumque de libris ejus ſimilia proferantur, tale potius aliquid eum dixiſſe monſtremus, quod ſuo putent errori congruere. Nam his quæ memorata ſunt, & aliis hujuſmodi ſedari A non poterunt: quia non ut ſimulant vel ipſum, vel Calchedonenſe Concilium, ob hoc oderunt, quia duos prædicaverit filios, hoc enim aperte falſum eſt: ſed potius quod evidentiſſime duas unius filii dixerit eſſe naturas. Et propterea quoniam, ſicut primo libro memoravimus, dicere ſolent iidem Eutychiani vel Semieutychiani, ſic unam Chriſti eſſe naturam ex divinitate & humanitate compoſitam, quomodo una eſt etiam humana natura ex anima corporeque compoſita; oſtendamus illis, ubi etiam Theodorus dicit, quia ſicut anima adunata corpori, homo ex ambobus efficitur, ita ex adu- B nata forma Dei & forma ſervi, id eſt divinitate atque humanitate, unus eſt Chriſtus. Sic enim fortaſſe, qui ut catholico non pepercerunt, vel tanquam ſuo, id eſt Eutychiano ſive Semieutychiano, parcent, & magnum Concilium, quod eum non damnaverit, deſinent criminari. Et ille quidem non pro naturæ, ſed pro perſonæ unitate hoc poſuit, ſicut & alii patres, quorum iſti male utuntur exemplis. Nam Dei verbi natura, quæ ſimplex eſt & inconraminabiliter ſimplex, componi non potuit. Dicit ergo in quarto adverſus Apollinarem libro: Quoniam autem & juxta nos homo dicitur ex « anima & corpore conſtare, & duas quidem has « dicimus naturas, animam & corpus, unum ve- « C ro hominem ex ambobus compoſitum; ut con- « ſervemus unum eſſe utrumque, oportet confun- « dere naturas, & reconvertentes dicere, quoniam « anima caro eſt, & caro anima. Et quoniam il- « la quidem immortalis eſt & rationalis, caro ve- « ro mortalis & * rationalis, reconvertentes * di- « * 446 ceremus, quia immortalis eſt mortalis, & mor- « * 447 talis immortalis: & rationalis irrationalis, & « irrationalis rationalis. Sed neque ex divina ſcri- « ptura hoc edocti ſumus, o ſapientiſſime omnium, « neque alius quiſquam hoc dicit uſque in hodier- « num diem, eorum qui ſanam humanam habent « mentem, præter vos, qui per omnia eſtis demen- « D tes. qui diſpenſationem, quæ propter nos * fa- « * 448 cta eſt, ab oratione adſumptionis mentis in ip- « ſam mentem judicium recepiſtis totius inſipien- « tiæ plena loquentes, & cum multa inreverentia « leges conſtituentes. Quæcumque enim ſecundum « aliquid diſcreta, ſecundum aliquid acceperunt « unitatem, ſervant ſuam, qua diſcreta ſunt, in- « columem rationem, & unitatem integram ha- « bent. Unum eſt aliquid natura, ſicuti filius « & pater: manet autem perſonarum diſcretio. « eſſentia quidem inſeparabiliter exiſtente una, « perſonæ propriam habent diſcretionem; ut ne- « E que pater dicatur filius, neque filius pater. « Similiter etſi natura quædam diverſa ſunt, « ſecundum aliud vero adunari contigerit ea, « neque naturalem perdunt diviſionem, & unitatem propriam habent, ſicut anima adunata eſt « corpori, & unus ex ambobus effectus eſt ho- « mo. Manet naturarum diviſio. alia quidem «

a *De inhumanatione*) Περὶ ἐνανθρωπήσεως. Edictum Juſtiniani, Θεοδώρῳ λέγοντι ἐν τοῖς περὶ ἐνανθρωπήσεως αὐτοῦ διαφόροις λόγοις ἀσεβῶς ἐκτεθεῖσι. Sic enim Græci de hoc myſterio libros ſuos inſcribere ſolebant, quos Latini de Incarnatione appellabant. ut Athanaſius, cujus oratio. II. titulum habet, περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ θεοῦ λόγου. eodemque modo Cyrillus, & alii orthodoxi. Nam Arriani & Apollinariſtæ, quia totum hominem a Verbo ſuſceptum negabant, ἐνανθρωπήσεως titulum refugientes, altero περὶ σαρκώσεως utebantur, ut Eudoxius Conſtantinopolitanus in Ecloge Anaſtaſii, & Apolinarius ipſe, cujus περὶ σαρκώσεως λογίδιον commemorat Theodoretus Dialogo III. Uſi tamen hoc etiam interdum catholici, ut Athanaſius idem in aliis libris. quin & contra Apolinarium ſcribens utramque vocem una conjunxit. Μακάριος, inquit, ὁ πιστεύσας τῇ σαρκώσει καὶ ἐνανθρωπήσει τοῦ κυρίου, ἀσεβὴς κατὰ πάντα γίγονε.

* (446) *irrationalis*.
* (447) *dicamus*.
* (448) *facta eſt auferentes, ablatione adſumptionis*.

„ anima eſt, alia vero caro. & illud quidem im-„ mortale eſt, illud autem mortale; & illud qui-„ dem rationale eſt, illud autem irrationale. U-„ nus autem homo utrumque. alterutrum vero in „ ſeipſo homo nunquam dicitur abſolute & pro-„ prie; niſi forte cum aliquo additamento, ſicut „ interior homo & exterior homo, non abſolute „ homo, ſed interior & exterior. ut appareat aliud „ quidem interius hominis, aliud vero exterius. „ Ita & in domino Chriſto dicimus, o mirabilis, „ quoniam in forma Dei extans forma ſervi, ne-„ que adſumens quod adſumptum eſt, neque quod „ adſumptum eſt adſumens. Unitas autem adſum-„ pti circa adſumentem inſeparabilis eſt, ſecun-„ dum nullum modum incidi valens. Jam ergo, ſicut diximus, vel tamquam Semieutychiano Theodoro parcant, & ſynodum non accuſent, quæ nec antea, nec apud ſe accuſatum adjudicare non poſſet: maxime cum dicat, quia ſicut interior homo & exterior homo, id eſt anima & corpus, * quanquam non unius naturæ ſint, unam
* 449 tamen faciant perſonam. Quæ porro ſubtilior unitatis confeſſio vel expreſſior eſſe poteſt, quam ea quæ putatur non ſolum quod unus ſit Chriſtus, verum etiam quod una ſit natura ejus, oſtendere? hanc autem iſte pro exprimenda perſonæ unitate non refugit. Sed ſicut hoc dicendo non eſt credendus Acephalorum caput, quoniam hoc non pro denegatione duarum naturarum dicit, ſed potius pro unius aſſertione perſonæ: ita non eſt credendus etiam Neſtoriani
* 450 auctor erroris, ubi naturarum confuſionem * repellens, amplius earum proprietates neceſſitate reſpondendi hæreticis dividit; quoniam hoc non contra perſonæ unitatem facit. Hinc autem cognoſcant Semieutychiani, qua intentione dicatur ab aliis patribus, quos putant in
a duabus Chriſtum negaſſe naturis, quia [a] ſicut anima & corpus unum hominem faciunt, ita ex divinitate & humanitate unus eſt Chriſtus. quod hoc ab eis non ad naturæ, ſed ad perſonæ potius unitatem dicatur: quando etiam Theodorus, quem Neſtorianum criminantes, negare non poſſunt in duabus Chriſtum prædicaſſe naturis, hac utatur ſimilitudine, quam ſuæ putant dementiæ convenire. Apparet ergo ſapientibus, quemadmodum veritas undique fugacibus ſuis occurrat, & quaqua verſum declinaverint, in faciem ſibi eam inveniant reſiſtentem. Unde enim eis non obvia veniat, quos ex ſua quoque accuſatione confundit? Nam refugientes ejus doctrinam, quam per Calchedonenſem Concilium docuit, duas unius Dei Chriſti eſſe naturas: ſive ipſum, ſive Theodorum, cujus ibi laudes recitatæ ſunt, de Neſtoriana hæreſi criminantur, putantes quod una ſit Chriſti confitenda natura. Hoc autem ex eo nituntur adſtruere, quoniam ſancti patres dixerunt, ſicut ex anima & carne unus eſt homo, ita in divinitate & humanitate unus eſt Chriſtus. Suſpicantes ergo, quod hoc pro unius naturæ, & non potius, ſicut veritas habet, pro unius perſonæ adſertione ab eis fuerit dictum; non negant errori Neſtoriano omnino eſſe contrarium. & ideo ſuis, ſi-

A cut diximus, refutantur. Nam in tantum a ſanctis patribus illa ſimilitudo de animæ carniſque adunatione, non ad unius naturæ Chriſti documentum relata eſt, ut hac etiam Theodorus uteretur, quem non ſolum duas naturas, quod verum ac manifeſtum eſt, ſed etiam, quod falſum eſt, duas Chriſti dicunt crediſſe perſonas: ut hac ſimilitudine uteretur, qua ſanctos patres exiſtimant non ſolum unam perſonam, verum etiam unam Chriſti docuiſſe naturam. Sicut autem de anima & carne unius hominis * dicitur, quod nos promiſeramus oſtendere, manet naturarum diviſio, & alia quidem * 451
B anima eſt, alia vero caro, natura utique, non perſona, quoniam illud quidem rationale, illud autem irrationale eſt, nam unus homo utrumque: ita etiam ubicumque, præſertim ante errorem Neſtorii divulgatum, ab aliquibus Eccleſiæ catholicæ doctoribus invenimus alium dici adſumentem, alio vero adſumptum, non perſona vel ſubſiſtentia * alia, ſed natura debemus accipere, ſicut in uno homine alius inte- * 452 rior, alius exterior dicitur homo. ſi neque nos errare volumus, neque ipſis calumniari, neque Eccleſiæ Chriſti detrahere, in cujus pace atque honore defuncti ſunt: neque auctoritatem erro-
C ri Neſtoriano tribuere, ut his qui maximam laudem de judicio Eccleſiæ meruerunt, ſimilia Neſtorius prædicaſſe dicatur. Quod quidem a fidelibus credi veritas nullatenus ſinit, quæ maledictorum calumnias ex aliis eorum dictis, quibus evidenter de unitate perſonæ Chriſti locuti ſunt, ſine dubitatione confutat. Non enim, ſicut ignari putant, vel adverſarii ſimulant, ſolus Theodorus ita locutus eſt, ſed multi alii patres, quorum ſequentia, ut promiſimus, proferimus exempla. in quibus Eutychianorum, vel ſatellitum eorum libertatem volumus experiri, & zelum fidei, quem oſtentant in Theodoro
D contra Calchedonenſe Concilium, ſi & ipſos, ut non amplius dicam, ita loquentes pronuntiare audebunt hæreticos. Sic autem loquebantur in Eccleſia Chriſti, tamquam nulla Neſtorii quæſtione ſollicitante ſecuri, non ut unitatem perſonæ Chriſti dividerent, quam & Theodorus inſeparabilem profitetur, & ſecundum nullum modum incidi valentem. Admodum vero gratum eſt, quod vanas & invicem ſe deſtruentes horum calumnias, qui eum dicunt & unam Trinitatis crediſſe perſonam, & quaternitatem prædicaſſe duos filios adſerendo, reciproce
E ſimul & ipſe ex alterius repulſione alteram quoque repellit, cum ex his quæ memoravimus docet, quoniam ſicut pater & filius unius quidem naturæ ſunt, ſed unius perſonæ non ſunt: ita in homine una anima & corpus, vel in Chriſto Deus & homo, unius quidem perſonæ ſunt, ſed unius eſſentiæ non ſunt. quia neque forma Dei forma ſervi eſt, neque forma ſervi forma Dei eſt: quamvis unitas perſonæ maneat inſeparabilis ſecundum nullum modum incidi valens.

---

a *Sicut anima & corpus*) Hujus comparationis diſcrepantia undecim ex capitibus a Theodoro Hagiopolitano demonſtrata eſt, quibus hunc titulum præfigit: *Ἕνδεκα κεφάλαια, ἐν οἷς δείκνυται τὸ ἀπεοικὸς τοῦ παραδείγματος τοῦ τινὸς ἀνθρώπου τῇ κατὰ Χριστὸν ἑνώσει. Undecim capita, quibus oſtenditur in quo diſcrepet exemplum hominis cujuſque a Chriſto incarnato.*

* (449) *quamquam non unius naturæ ſint, unum tamen hominem faciunt, ita & in Domino Chriſto forma Dei, & forma ſervi, quamquam non unius naturæ ſint, unam tamen fecere perſonam. Quæ &c.*
* (450) *refellens.*
* (451) *dicit.*
* (452) *alium.*

CAP. V. EX his ergo certis & evidentibus Theodori ſententiis, intelligenda nobis ſunt alia, quæ in ejus dictis videntur quibuſdam dubia, vel obſcura, ſi cum eis notari nolumus, de quibus ait beatus Cyrillus, quod ſe inſenſe haberent circa eundem virum admirabilem, & maximam gloriam merentem Theodorum, occaſionem facientes contrario dogmati quo tenebantur, ut quærerent quædam ejus capitula non ex melioribus intellecta damnari. Hæc vox Cyrillo digna. ſic integrum Eccleſiæ doctorem loqui decebat. Nam quemadmodum calumniantium hæreticorum eſt, ex dubiis & obſcuris quæ certa & manifeſta ſunt male interpretari: ita ſolitum eſt prudentiæ ac pietatis catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus, & firmare ambigua, & latentia declarare. Ideoque melius facimus, ſi virorum doctiſſimorum in pace Eccleſiæ mortem obeuntium ſcripta melius interpretemur, vel ſi minus in eis hæreſum futurarum calumnias vitare potuerunt. Si qui vero orthodoxi etiam aliud faciendum putaverint, non ſunt in hoc a prudentibus imitandi. Qui ſi utriuſque partis momenta perpendant, facile dignoſcent quorum magis propoſitum debeant approbare; utrum accuſantium, an excuſantium in Eccleſiæ pace & patrum laudatione defunctos. Primum itaque conſiderare debeant, quid ſit nobis utriſque commune, in quo ſimiles eis de orthodoxis accuſatoribus ſumus, & quale ſit cujuſque proprium, in quo ab invicem diſſonamus. Fides itaque nobis in Deum communis eſt: proprium vero eſt cuique parti, in quo diſſonamus ab invicem, quod illi crudeliter & audacter condemnant in Eccleſiæ unitate gloriaque defunctos, quos Dei ſolius eſt judicare: nos vero, quia nec pietati, nec modeſtiæ convenit, conſiderantes nos homines eſſe, nihil quod divinum eſt præſumimus uſurpare. Illi alta ſapientes reſpuunt, & nihil pendunt ſanctorum patrum ſententias, a quibus adprobati atque laudati ſunt: nos humilibus conſentientes, obedienter eas & cum debita veneratione ſuſcipimus. Illi auctoritatem inconſulte tribuunt hæreticorum erroribus, aſſerentes eos honoratorum virorum prædicationi ſimilia docuiſſe. nos autem, nullam donantes hæreticis occaſionem, provide reſpondemus, quod tales blaſphemias nunquam Eccleſia Chriſti ſuſceperit, ſed omnem novitatem, mox ut exorta eſt, refutarit. Illi denique ipſam, quæ nos genuit, criminantur & infamant Eccleſiam, velut adulterinis dogmatibus aliquando corruptam: nos autem virginitatem noſtræ matris excidiſſe unquam a caritate quæ in Chriſto eſt denegamus; aſſerentes non fuiſſe hæreticos, quos habuit honoratos. Quas ob res, ſi volumus & Deo eſſe ſubjecti, & ſanctis patribus obſequentes; ſi volumus etiam, quod ad præſentem attinet cauſam, Neſtorianorum ora conſuere, & Eccleſiam quæ nos genuit ab impio-

A rum calumniis excuſare; non ſolum non condemnemus in Eccleſiæ communione laudeque defunctos: ſed nec dicamus eos ante Neſtorium talia docuiſſe; magiſque ex aliis eorum ſententiis, evidenter Neſtoriano errori contrariis, interpretemur alia quæ in eorum ſcriptis videntur obſcura. ne jure meritoque reprehendamur, quod & cautela & ſtudio ipſis Neſtorianis impares ſimus, & amplius illi videantur contra veritatem, quam nos pro veritate ſatagere. Nam ſi illi clariſſimos Eccleſiæ doctores ſuæ parti volentes applicare, ſententias eorum, Neſtoriano dogmati manifeſte contrarias, ex aliis B minus apertis obſcurare conantur, & in ſuam detorquere ſententiam; multo magis nos ea, quæ dubia videntur in eorum dictis, melius interpretamur ex his quæ certa ſunt, ex quo Neſtorius oſtendatur, ut novi dogmatis inventor, non immerito fuiſſe damnatus. * Conſtat ergo aliquos [a] ex antiquis Eccleſiæ doctoribus dixiſſe, quoniam Deus Verbum adſumptum hominem tradidit morti. Numquid ſi hoc Neſtoriani male intelligentes dixerint quod duas voluerint ſignificare perſonas, quaſi altera ſit Dei verbi tradentis, & * altera quem dicitur tradidiſſe; * nos quoque calumnias eorum adverſus Eccleſiam firmare debemus, & teſtari quod tales aliquando doctores habuerit, qui non unam Dei atque hominis prædicaverint eſſe perſonam, C cum multa ſimilia habeamus exempla? Unde illud eſt Apoſtoli quod dicit, *Lividum facio corpus meum, & redigo ſervituti*, non aliam volens intelligi perſonam lividum facientis corpus ſuum, & redigentis in ſervitutem, ſuam & aliam ipſius. Illud autem amplius videtur eſſe, quod ait Tobith, *Ego & anima mea regi cælorum lætitiam dicimus*. & multa ſimilia, non divinis tantum literis, ſed etiam in aliis, & in ipſo noſtro quotidiano ſermone, ſi quis attendat, inveniet. Si autem hoc de homine, cujus recte poteſt una, id eſt humana, dici natura, nulla quæſtione cogente, ab Apoſtolo & Tobith dicitur: quanto magis de Chriſto, quem in duabus credimus eſſe naturis, contra Apollinariſtas D recte dici potuit, quod Deus verbum adſumptum hominem pro nobis morti tradiderit; cum dicamus quod eum tradiderit pater, & inſeparabilia credamus opera Trinitatis? * Ita cum propheta dicat, *Cor meum dereliquit me*, nec ſe in duas perſonas vel ſubſiſtentias partiatur, cur ſi quiſquam ex patribus inveniatur dixiſſe, quod Deus verbum inerat, vel aderat Chriſto, duas Chriſti putetur induxiſſe perſonas? Nam ſi derelinquere dicitur hominem cor ſuum, & nulla intelligitur unius perſonæ E facta diviſio, cum derelinquere ſeparationem quandam ſignificet, * quia neceſſe eſt, cum ineſſe vel adeſſe dicitur, duas putare ſignificatas eſſe perſonas, cum & anima carni ſuæ ineſſe dicatur & adeſſe, cum eam nutrit ac fovet, & a morbis paſſionibuſque defendit. Verum & hoc conſtituamus, quod antiqui doctores Eccleſiæ dixerunt, quoniam Deus

Margin: * 453; a; * 454; * 455; 1. Cor. 9. 27.; Tob. 13. 9.; * 456; Pſal. 39. 13.; * 457

a *Ex antiquis Eccleſiæ doctoribus*) Quæ ſubjiciuntur, pronuntiata Theodori fuiſſe ſatis conſtat ex Synodo v. & ex Leontio Byzantino. Sed conſultius Facundo viſum eſt, ea ſub aliorum, qui eodem modo locuti eſſent, quam ſub unius Theodori nomine defendi.

* (453) *Conſtituamus igitur, aliquos.*
* (454) *altera hominis quem.*
* (455) *ideo nos.*
* (456) *Item cum.*
* (457) *quid.*

verbum ſit [a] principaliter & ſecundum eſſentiam unigenitus filius Dei : homo vero adſumptus ex unitate perſonæ ejus accepit ut unigenitus filius ſemper eſſet ac diceretur, & in unius filii appellatione cointelligeretur . Numquid hoc quoque non poſſumus pro diſtinctione potius naturarum , quam diviſione perſonæ dictum accipere ; ſicut dicimus , interior homo principaliter homo dicitur , cujus eſſentia facta eſt ad imaginem Dei : homo vero exterior de limo plaſmatus ex unitate perſonæ ejus accepit ut ipſe quoque homo diceretur , & in unius hominis appellatione cointelligeretur , quamquam ipſe non ſit ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, ſed pecoribus ſimilior eſſe videatur? Dicimus etiam , ſine unius diviſione perſonæ , quod homo interior merito ſuæ fidei juſtificatus tranſit in adoptionem filiorum
2.Cor.4.16. Dei; exterior autem per interioris adhæſionem, communem cum illo ſuſcipit dignitatem , Apoſtolo quoque dicente : *Etſi exterior homo noſter corrumpitur, ſed interior renovatur de die in diem*. Si dicamus, non interior homo, ſed exterior homo corrumpitur, aut non exterior homo, ſed interior renovatur de die in diem ; numquid in duas ſubſiſtentias a ſemetipſo hominem ſeparamus? Ergo ſi tales inveniantur de Chriſto quædam locutiones patrum, ad duarum potius naturarum diſcretionem, quam ad unius perſonæ diviſionem eas referre debemus . Deinde cum hæretici ſynuſiaſtæ putarent Chriſtum
* 458 * unius eſſentiæ natum, nec ex utero Virginis habuiſſe carnem, ſed potius in ejus utero Deum verbum partem ſuæ ſubſtantiæ , id eſt deitatis, in carnem ſibi vertiſſe ; & in illa quidem, ſed non ex illa incarnatum eſſe credentes, non ſolum in divinitate, verum etiam in carne, conſubſtantialem dicerent patri ſed contra catholici quique doctores aſſererent , quod Chriſtus ex ſubſtantia Virginis natus eſſet . Apollinariſtæ rurſus, hanc doctrinam veritatis infamantes, jactabant quod Eccleſia ſic doceret Chriſtum natum ex Virgine, quaſi etiam ſecundum deitatem ex illa ſumpſiſſet initium , prædicaret Deum verbum non ante ſæcula ex patre ſine initio, ſed ex ejus utero natum eſſe , id eſt velut qui ante non eſſet extitiſſe diceret. Cujus removendæ criminationis neceſſitate, ſi aliqui adverſus eos ex antiquis Eccleſiæ doctoribus, necdum ex altera parte ſollicitante Neſtorii quæſtione, dixerunt , non Deus verbum ex muliere natus eſt : tanquam ſi dicerent , non ut calumniamini hoc docet Eccleſia , quod divina
* 459 Dei verbi natura * ex utero Virginis extitit , ſed humana, quæ ex ſemine David ſumpſit initium : ideone cauſas, cur ita locuti ſunt, non inveſtigare ac demonſtrare debemus, ſed condemnando

A eos, velut Neſtoriani erroris auctores , Chriſti Eccleſiam, in cujus honore defuncti ſunt , criminari? Aut ſi adverſus eorumdem Apollinariſtarum intentionem, male interpretantium verba Joannis Evangeliſtæ, quibus ait , *Verbum caro factum eſt*, & dicentium , quod convertibiliter Verbum caro ſit factum , reſponderunt aliqui dicentes, Deus verbum [b] non factus eſt caro, id eſt convertibiliter ; ſed adſumpſit carnem manens quod erat, Evangelio debent contrarii judicari? Quod ſi ita eſt , Apollinariſtæ videbuntur Evangelicæ prædicationi congruere . Joan. 1. 14. b

B Si autem Apollinariſtæ pro ſuæ mentis intentione , quamvis dicerent Verbum caro factum eſt, inimici tamen prædicationi Evangelicæ judicantur , etiam illi , qui talibus in Eccleſia manentes contradixerunt , pro ſuæ mentis intentione convenientes prædicationi Evangelicæ judicentur. Idcirco Theodorus quoque nono de Incarnatione libro adverſus eoſdem Apollinariſtas dicit. Si utique quod dictum eſt *Verbum* « *caro factum eſt*, ſecundum aliquam converſio- « nem dictum eſt, quomodo inhabitavit ſuſcipien- « dum eſt? Palam eſt enim omnibus , quia quod « inhabitat aliud eſt quam quod inhabitatur . «

C Sed idem interpres eſt proprii verbi , & præveniens omnem calumniam tibi claudet . Inhabitavit enim in nobis noſtram naturam ſumens « & habitans, & in ea omnia ſalutis noſtræ diſ- « penſans. Quomodo ergo inhabitans caro * factum « * 460
eſt Dei verbum? Palam eſt quia non converſus, « neque tranſlatus. non enim inhabitare diceretur. Manifeſtum eſt ergo ex his Theodori ver- « bis, quod antiqui doctores Eccleſiæ Deum ver- « bum contra Evangelium non negaverint carnem factum. quomodo enim poſſent Evangelio aperte reſiſtere , & in illa honorati manere ? Sed ſicut hic docet, * converſionem carnem fa- * 461

D ctum adverſus Apollinariſtarum inſaniam denegabant : ſicut in Evangelio dicente Domino, *Pater major me eſt*. quoniam Arriani hoc teſtimonio abutuntur, etiam nos illorum intentioni Joan. 14. 28.
non Evangelio reſiſtentes , negamus patrem filio eſſe majorem. Et ſi quis etiam hic verborum ſonos, & non propoſitum mentis attendat, Arrianos potius quam nos putabit Evangelii ſententiæ convenire. Quomodo autem dicerent Apollinariſtæ, *Verbum caro factum eſt*, & quomodo catholici reſponderent, ſi tamen ita reſpondiſſe monſtrantur , *Verbum caro non factum eſt* ,

E Eccleſia judicabit , quæ & illos expulit, & * il- * 462
los habuit honoratos. Unde conſequitur, ut ſi * 463
quis ab Eccleſia iſtos * noluerit expellere , ſtultiſſimam eorum progeniem Eutychianos cum ſuo errore faciat introire . [c] Adoptionem quoque filiorum ſuſcepiſſe Chriſtum , ſi antiqui doctores Eccleſiæ dixiſſe monſtrarentur , nec ipſi , nec c

a *Principaliter filius Dei* (Πρωτοτύπως. Hac enim voce uſus Theodorus lib. XII. de Incarnatione , cum ex placitis ſuis doceret Deum Verbum verum eſſe filium Dei : hominem vero aſſumptum κοινωνεῖν ἔχεσθαι, & participare filii dignitatem unione cum Verbo facta .

b *Non factus eſt caro*) Theodori verba ex lib. IV. contra Apollinarem profert Leontius lib. III. *Quis mente præditus dicat , ut vos dicitis , Verbum factum eſſe hominem ? Nos enim aſſumpſiſſe quidem hominem aſſeveranter dicimus , factum vero eſſe hominem nunquam dicere poſſumus* . Ex quibus patet non ſolum κατὰ τροπὴν factum negaſſe contra Apollinaris dogma , ut videri vult Facundus : ſed abſolute , ut qui unionem Verbi non aliam agnoſceret, quam τῆς διαθέσεως καὶ ἀδεξίας .

c *Adoptionem filiorum*) Theodoro inter cetera objicit in Edicto Juſtinianus , quod diceret Chriſtum per baptiſmum υἱοθεσίας ἀξιωθῆναι , filiorum adoptionem adeptum eſſe. Leontius ex ejus lib. III. de Incarnat. *Et ego gloriam , quam dediſti mihi , dedi eis . Quamnam ? Nempe participare adoptionem . Hanc enim accepit ipſe ſecundum humanitatem baptizatus in Jordane* . Quam hæreſim aliquot poſt ſæculis ab Elipanto Epiſcopo renovatam damnavit , & copioſe refutavit Synodus Francofordienſis, Chriſtum ſtatuens verum & proprium dicendum eſſe filium Dei , non adoptivum .

* (458) *unius eſſe naturæ , nec* .
* (459) *de natura Virginis* .
* (460) *factus eſt Deus Verbum ?*
* (461) *converſione & tranſlatione carnem* .
* (462) *iſtos* , nempe Catholicos .
* (463) *voluerit* .

omnis Eccleſia, quæ tales doctores habuit, judicari deberet hæretica. Nam ſacramentum adoptionis ſuſcipere dignatus eſt Chriſtus, & quando circumciſus eſt, & quando baptizatus eſt; & poteſt ſacramentum adoptionis adoptio nuncupari. ſicut ſacramentum corporis & ſanguinis ejus, quod eſt in pane & poculo conſecrato,
a corpus ejus & ſanguinem dicimus. a non quod proprie corpus ejus ſit panis, & poculum ſanguis: ſed quod in ſe myſterium corporis ejus, ſanguiniſque contineant. Hinc & ipſe Dominus benedictum panem & calicem, quem diſcipulis tradidit, corpus & ſanguinem ſuum vocavit. Quocirca ſicut Chriſti fideles ſacramentum corporis & ſanguinis ejus accipientes, corpus & ſanguinem Chriſti recte dicuntur accipere: ſic & ipſe Chriſtus, ſacramentum adoptionis filiorum cum ſuſcepiſſet, potuit recte dici adoptionem filiorum ſuſcepiſſe. alioquin neque de nobis dicendum eſt, quoniam adoptionem ſuſcepimus filiorum, aut quia redempti ſumus atque
Rom. 8. 23. ſalvati, quoniam Apoſtolus dicit: *Nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri. ſpe enim ſalvi facti ſumus: ſpes autem quæ videtur, non eſt ſpes*. Sicut ergo, quamvis adhuc ſecundum Apoſtolum expectemus adoptionem, & redemptionem, & ſalutem; tamen quia jam ſacramentum adoptionis, & redemptionis, & ſalutis accipimus, & filii Dei, & redempti, & ſalvati recte vocamur. ita Chriſtus quoque ſacramentum adoptionis, non ad utilitatem ſuam, ſed ad ipſius ſacramenti confirmationem, in circumciſione & baptiſmo ſuſcipiens, ſicut Apoſtolus ait, *Dico enim Chri-*
Rom. 15. 8. *ſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum*, potuit ab antiquis Eccleſiæ doctoribus recte dici quod adoptionem ſuſceperit filiorum. Quod ſi & hoc dixiſſe inveniantur, quia poſt paſſionem, ſive reſurgens, ſive etiam in cœlum aſcendens, glorificatus eſt Dominus, aut poteſtatem accepit; ſic ab eis dictum intelligi debet, ſicut a
1. Pet. 1. 10. Petro Apoſtolo dictum eſt, *Exquiſierunt atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura in vos gratia Dei prophetaverunt, ſcrutantes in quibus vel quale tempus ſignificaret qui in eis erat ſpiritus Chriſti, qui prænuntiabat in Chriſto paſſiones, & poſt hæc glorias*. Et ſicut ab ipſo Domino poſt reſurrectionem dictum eſt: *Nonne hæc oportuit pati Chri-*
Luc. 24. 26. *ſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Et iterum, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in*
Matt. 28. 18. *terra*. Item de clarificatione poſt aſcenſionem ſuam facienda ſic ait: *Cum autem venerit ille ſpiri-*
Joan. 16. 13. *tus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a ſemetipſos: ſed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt* annuntiabit*
* 464 *vobis*. Itemque de illo dictum eſt: *Nondum enim erat ſpiritus datus, quia Jeſus nondum fuerat*
Joan. 7. 39. *glorificatus*. Proinde melius facimus, ſi que-

A madmodum divinam ſcripturam, ſic etiam ejuſdem ſcripturæ tractatores locutos contra hæreticos fuiſſe credamus. Sive quoniam reſurgenti Chriſto aliquid in natura carnis acceſſit, quæ in contumelia ſeminata, jam ſurrexerat in gloria: ſive quia fidelibus eadem gloria & poteſtas poſt reſurrectionem magis innotuit. tunc glorificatus & poteſtatem accepiſſe narratur, quando hæc in cognitione credentium facta ſunt: ſicut & in oratione dicimus, *ſanctificetur nomen tuum*, ſcilicet, ut in cognitione fidelium Luc. 11. 2.
fiat ſanctum. Sive quia ſi quid poteſtatis, & gloriæ poſt ejus reſurrectionem Eccleſiæ dona-
B tum eſt, ipſe dicitur accepiſſe, tanquam caput in membris, id eſt, in hominibus fidelibus. Unde dictum eſt a propheta, *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, accepiſti dona* Pſal. 67. 19.
in hominibus. His & aliis compluribus modis dicta præcedentium patrum pius atque exercitati ſenſus lector & intelligere, & adverſus hæreticorum calumnias defendere poteſt: imperitus autem & arrogans, qui omne quod non intellexerit non diſcere ſed condemnare feſtinat, neceſſe eſt ut conturbetur in talibus, & ſi potuerit, alios quoque conturbet, dum rationem quam pro ſua imperitia non potuit inve-
C nire, etiam pro arrogantia dedignatur accipere. Illud autem quis ferat, quod aliqui dicentes credere ſe nobiſcum duas Chriſti eſſe naturas, & Deum illum atque hominem non negantes, ſi audierint quod gratia ſit filius Dei, ſic deteſtantur hoc verbum, tanquam ſi de illo dicatur, qui Deus tantum non etiam homo ſit. Sicut autem & natura filius eſt hominis propter veram humanitatem, & dignatione filius eſt hominis propter veram deitatem; ita etiam & natura filius Dei eſt propter veram deitatem, & gratia filius Dei eſt propter veram humanitatem. Si vero & ſecundum humanitatem natura
D filius Dei dicatur, in illud Apollinaris inciditur, quod credidit Deum verbum ex parte
* ſuæ ſubſtantiæ, quæ tota ubique eſt, & partiri non poteſt, carnem ſibi feciſſe. Quod ſi veraciter duas dicunt ejus naturas, & ambæ divinæ eſſe non poſſunt, quia humanitatis una natura eſt; procul dubio, non quemadmodum ſecundum divinitatem natura filius Dei eſt, ita etiam ſecundum humanitatem natura filius Dei eſt. Si autem ſecundum humanitatem non eſt natura filius Dei, neceſſario ſequitur, ut aut meritis, * aut gratia ſit filius Dei, qui ex quo * 466
E eſſe cœpit, non fuit aliud quam filius Dei. Reſtat ergo, ut ſecundum humanitatem gratia ſit filius Dei. Ob hoc quoque beatus Auguſtinus, præcipuus catholicæ fidei prædicator, ſcribens ad Proſperum & Hilarium de prædeſtinatione ſanctorum, & docens quod gratia Dei non ſecundum noſtra merita detur, inter alia dicit: Eſt " Lib. 1.
etiam præclariſſimum lumen prædeſtinationis & " cap. 13.
gratiæ ipſe ſalvator, ipſe mediator Dei & homi- "

* 465

a *Non quod proprie corpus*) Panis conſecratus, natura mutatus, panis non eſt: panis tamen appellatur, quia panis fuit, & panis ſpeciem retinet idemque judicium eſt vini. Panem rurſus vinumque corpus Chriſti & ſanguinem dicimus, ut Auguſtinus quoque affirmat lib. III. de Trinitate cap. IV. non proprie, ſed figurate: quia ſub panis & vini ſpecie corpus Chriſti & ſanguis in ſacramento continentur. Nec alia, opinor, in his verbis ſententia eſt Facundi. Nam de veritate carnis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia dubitare non potuit, quia poſt ipſius Domini profeſſionem, ut docet Hilarius lib. VIII. de Trinitate, non eſt relictus ambigendi locus. Irenæus lib. V. adverſus hæreſes. Τὸ ἀπὸ τῆς κτίσεως ποτήριον αἷμα ἴδιον ὡμολόγησε· καὶ τὸν ἀπὸ τῆς κτίσεως ἄρτον, ἴδιον σῶμα διεβεβαιώσατο. Quod ſi durius hic fortaſſe, vel obſcurius quippiam elocutus videatur, dignus eſt venia, & qui a benigno interprete vicem officii recipiat, quod ipſe aliis ſtudioſe, quorum dicta notabantur, non ſemel exhibuit.

* (464) *annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Itemque.*

* (465) *divinæ ſuæ ſubſtantiæ.*

* (466) *aut gratia ſit filius Dei: nulla vero ejus merita præceſſerunt, pro quibus ſecundum humanitatem fieret filius Dei, qui ex quo.*

„ num, homo Chriſtus Jeſus: qui ut hoc eſſet, „ quibus tandem ſuis, vel operum, vel fidei præ- „ cedentibus meritis natura humana quæ in illo eſt „ comparavit? reſpondeatut quæſo. Ille homo, ut „ a verbo patri coæterno in unitatem perſonæ ad- „ ſumptus filius Dei unigenitus eſſet, unde hoc „ meruit? quod ejus bonum qualecumque præceſ- „ ſit? quid egit ante? quid credidit? quid pe- „ tivit, ut ad haoc ineffabilem excellentiam per- „ veniret? Nonne faciente ac ſuſcipiente verbo ip- „ ſe homo, ex quo eſſe cœpit, filius Dei unicus „ eſſe cœpit? Nonne filium Dei unicum ſemina „ illa gratia plena concepit? Nonoe de ſpiritu „ ſaocto, & virgine Maria Dei filius unicus na- „ tus eſt, non carnis cupidine, ſed ſolo Dei mu- „ nere? Numquid metuendum fuit, ne acceden- „ te ætate homo ille libero peccaret arbitrio? „ aut ideo in illo non libera voluotas erat, ac „ non tanto magis erat, quanto magis peccato „ ſervire non poterat? Nempe iſta omnia ſingu- „ lariter admiranda, & alia ſi qua ejus propria „ veriſſime dici poſſint, in illo ſingulariter acce- „ pit humana, id eſt oostra natura, nullis ſuis „ præcedentibus meritis. Reſpoodeat hic homo „ Deo, ſi audet, & dicat, cur non & ego? & ſi „ audierit, *o homo, tu quis es qui reſpondeas Deo*? „ nec ſic cohibeat, ſed augeat imprudentiam, & „ dicat, quomodo audio, *Tu quis es, o homo?* cum „ ſim quod audio, id eſt homo, quod eſt & ille „ de quo ago, cur non ſim quod & ille? At „ enim gratia ille talis ac tantus eſt. Cur diver- „ ſa eſt gratia, ubi natura communis eſt? certe „ oon eſt acceptio perſooarum apud Deum. Quis „ non dico Chriſtianus, ſed inſanus hæc dicat? Ap- „ pareat itaque nobis in noſtro capite ipſe fons gra-

A tiæ, unde ſecundum uniuſcujuſque menſuram ſe „ per cuncta ejus membra diffundit. Ea gratia fit „ ab initio fidei ſuæ homo quicumque Chriſtianus, „ qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Deus „ Chriſtus. De ipſo ſpiritu & hic renatus, de quo „ eſt ille natos: eodem ſpiritu fit in nobis remiſſio „ peccatorum, quo ſpiritu factum eſt ut nullum ha- „ beret homo ille peccatum. Hæc ſe Deus eſſe fa- „ cturum profecto præſcivit. Ipſa eſt igitur præde- „ ſtinatio ſanctorum, quæ in ſancto ſanctorum ma- „ xime claruit: quam negare quis poteſt recte iotel- „ ligentium eloquia veritatis? Hunc itaque Apo- „ B ſtolicum virum, docentem quod Chriſtus ſecun- dum humanitatem, nullis præcedeotibus meritis, ex quo cœpit eſſe per gratiam filius Dei, uoicus eſſe cœpit, per quam etiam omnia ſingulariter ad- miranda ſingulariter in illo accepit humana, hoc eſt noſtra oatura; & cujus gratiæ diverſi- tate factum eſt, ut talis eſſet ac tantus, & oon ſimilis noſtri, cum ſit nobis natura commu- nis: atque adſerentem quod ea gratia fiat ab ini- tio fidei ſuæ homo quicumque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus. audeaot iſti, ſi poſſunt, hæreticum dicere, au- deant ſolita præſumptione damnare. Et tunc vere diſcent, quæ ſit pietas & conſtantia Eccleſiæ C Latinorum, quam Deus magiſterio ejus inſti- tuit atque firmavit; cum ab omnibus conſe- ſtim anathematizati fuerint, & tanquam putri- da, & morbida membra præciſi. Si igitur libet eos in pace quieſcentium buſta reſodere, & oſſa conrodere mortuorum, in hoc adamantioo vito ſuos experiantur dentes, & cognoſcent quod ita eis in ore frangentur, ut ultra oemioem ſub hac ſpecie pietatis mordeaot.

FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS,
PRO
DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM,
LIBER DECIMUS.

CAP. I.

SIquid mihi creditur, Imperator, multum doleo præſentis mei operis ſortem, de quo non tantum expecto fructum, quantum ſuſcepi laborem. Quid enim amplius tam multiplici- bus documentis & rationibus perſuadere morta- libus conor, quam ne præſumant eſſe judices mortuorum? Hoc quippe nullius ſuaſioois eſt indigens, nec in tali cauſa vellem tempus ex- peodere, cujus nemo poteſt recoperare jactu- ram. Sed enim cum viderem quoſdam ſub falſo propugoatorum nomioe impugnare latenter Ec- cleſiam, & tamquam in ejus purgationem, ut hæreticos damoare, quos illa ſemper habuit ho- noratos: tacendum mihi eſſe noo credidi, ne il- lud inciderem quod Eſaias dicit, *Videte quia omnes excæcati ſunt, neſcierunt ſapere omnes: muti canes, qui non potuerunt latrare, ſomnian- tes cubile, amantes dormitare. Et canes* * *im-*
467 *probi omnino, neſcientes ſaturitatem, & ſunt ma- ligni neſcientes intellectum: omnes ſuas vias exe-* D *cuti ſunt unuſquiſque ſecundum ſe. Videte quomo- do perit juſtus, & nemo animadvertit. & viri ju- ſti tolluntur, & nemo conſiderat*. Putes hoc de præſeoti cauſa proprie dictum. Quoniam vero non eſt eadem quæſtionis reſponſionisque conditio, nec quod breviter accuſatur, contiouo etiam ex- cuſari breviter poteſt: ſicut oec tanta maculandi & vulnerandi eſt difficultas, quaota nos in ablueo- do medendoque conſequitur: oeceſſe eſt oobis aliquanto impenſius agere, maxime ſcientes quam difficile rejiciantur obſtinati, quod temere ſe- E mel adſumpſerunt. Sed opto, clementiſſime Im- perator, tam veſtræ modeſtiæ quam viris quibuſ- que graviſſimis, in quorum maous hæc ſorte per- veoerint, nimius videri, quam oe pertinacia re- ſiſtentium longitudinem mei ſermoois excuſet. Si enim nec tantis apud eos quod volumus egerimus, providus magis inveniar quam prolixus. Quamvis itaque in ſuperioribus oſteoſum fuerit, quædam ex dictis Theodori, pro quibus putatur a ſynodo

* (467) *improbi animo*. Legit vulgata, *impudentiſſimi*; Textus hebræus, עזי נפש, Græca verſio, ἀναιδεῖς τῇ ψυχῇ.

Cal-

Calchedonenſi debuiſſe damnari, ab Eutychianorum fautoribus eſſe corrupta; quædam vero ſanctorum patrum, quos & ipſi venerari ſe dicunt, doctrinæ ſimilia: quamvis & hoc fuerit demonſtratum, quod idem Theodorus a prædictis ſanctis patribus & ſuperſtes, & poſt mortem, magna fuerit prædicatione laudatus: quamvis poſtremo etiam dictorum ejus evidentibus documentis manifeſte claruerit, quod calumnioſe adverſariorum criminationibus impetatur. Tamen quoniam religioſi lectoris intentio non tam purgationem Theodori, in quo ſtatus Eccleſiæ non conſiſtit, quam abſolutam defenſionem ſynodi Calchedonenſis expectat: oſtendere debemus, quomodo vel ſi culpabilia quædam in libris Theodori judicentur, reprehendenda ſynodus non ſit, quod eum non damnaverit, cum ex epiſtola Ibæ relegi laudes ejus audiret. ut cognoſcant Eutychiani, quam inaniter dies noctesque in malignis conſiliis ducant, & tantis ſumptibus, quos in ſuos complices atque fautores expendunt, nihil efficiant. Et nos ergo ponamus, ut dictum eſt, quod in libris Mopſueſteni Theodori quædam reprehenſibilia videantur. In primis unde probari poteſt, quod hoc ſynodus Calchedonenſis cognoverit? Potuit enim fieri, ut eam lateret, ſicut & ipſos accuſatores Ibæ, quamvis calumnioſos, & pertinaces atque exercitatæ malitiæ, latuit. Nam cum ſæpenumero eumdem Ibam ante Calchedonenſe Concilium in judiciis Epiſcopalibus accuſarent, nihil ei de laude Theodori objicere temptaverunt. At enim aliud eſt ſi accuſatorum, aliud ſi Concilii notitiam fugiſſe dicatur. Sit aliud, concedamus. ſed num ideo neceſſe eſt, ut Concilium non latuiſſe firmetur? Quicquid dicant, quæcumque verba multiplicent, etiam illud proculdubio concedetur, quoniam aliud eſt ſuſpicari, aliud certa ratione monſtrare quod hoc ſynodum non latuerit. Nam puto quod iſti pro ſuſpicione ſua nec ipſos Ibæ accuſatores dicerent latere potuiſſe, niſi rerum exitu vincerentur. Non ergo, vel ſi judicanda fuiſſet illa ſynodus, ex ſuſpicione, præſertim inimicorum, ſed ex certis poſſet probationibus judicari. Nam ſi ſuſpiciones judiciorum ſententiam dicent, nihil omnino eſt, quod non aliter atque aliter judicetur. Admodum vero bene proviſum eſt, ut judices non conjectores, ſed cognitores potius vocaremus. At iſti volunt judicari tantam ſynodum per tantos annos tanta univerſalis Eccle-
* 468 ſiæ* pace firmatam, & nihil quod cognoſcamus, ſed hoc ſolum afferunt, quod pro ſuo nos velint arbitrio ſuſpicari. Ergo ſi cupiunt, ut cum illis hanc ſynodum ego quoque reprehendam, tale aliquid ad eam deſtruendam idoneum requirant ac proferant, quod tam certum mihi ſit, quam certum mihi eſt eſſe me. Videamus tamen quid hanc eorum ſuſpicionem ſequatur, & ſi vel ipſis Eutychianis convenit, arguant quod non cum illis pariter ſuſpicemur. Si enim credatur quod ſynodum Calchedonenſem latere non potuerunt quædam ex nomine Theodori ſcripta, quæ Neſtoriana dicuntur: quomodo credatur Eccleſiam latuiſſe, in cujus pace atque honore defunctus idem Theodorus? Et ſi propterea ſynodus Calchedonenſis judicatur ſimilia ſapuiſſe Neſtorio, quia Theodorum mortuum non condemnavit, quem interrogare vel corripere ante non potuit: quomodo prioris temporis Eccleſia

A non eadem quæ Neſtorius ſapuiſſe firmabitur, quæ illum, donec viveret, inter clariſſimos Epiſcopos honoravit? Cum vero dicitur Eccleſia Chriſti eadem quæ Neſtorius priore tempore ſapuiſſe, proculdubio excuſatur Neſtoriana hæreſis, ſi tamen jam dicatur hæreſis, quando quiſquis aliter ſapit, ipſe potius adverſus antiquam doctrinam novi dogmatis invenitur aſſertor. Hoc eſt totum, quod Eutychiani magno ſumptu per ſuos potuerunt ſatellites obtinere. Sed o Neſtorianorum miſeranda felicitas, quibus Eutychianorum ſtipendiis militatur! Porro cum Eutychiani Eccleſiam catholicam ante Calchedonenſe atque Epheſinum Concilium de Neſtorii dogmate
B accuſare non poſſint, in cujus communione Theodorus Epiſcopus eſt defunctus; nec ſanctam ſynodum Calchedonenſem niſi imprudenter poterunt accuſare, quæ contra ipſius Eccleſiæ judicium venire non debuit, etiam accuſatores Ibæ Epiſcopi aliquas de laude Theodori quæſtiones moverent. Itaque ſi propterea dicunt prioris temporis Eccleſiam non eſſe culpandam, quæ nec Theodorum, nec ea quæ in libris ejus reprehendenda ſunt ſcripta damnavit, quoniam ea neſcivit, credant hæc etiam ſynodum Calchedonenſem potuiſſe neſcire. Si vero dicant, quod eadem ſcripta, quibus nunc abuti
C Neſtorianos fecerunt, diverſo & meliori intellectu accipiebat Eccleſia, in cujus communione defunctus eſt: Calchedonenſem quoque ſynodum credant quod ea ſimiliter meliore acceperit intellectu. Et hæc quidem magnæ ſynodi purgationi ſufficiant, quibus in cauſa Theodori non minus quam anterior Eccleſia defendi poteſt, quæ nequaquam ab Eutychianis de Neſtoriano dogmate accuſari ante Neſtorium poteſt. Sed quia contenti non ſumus proſternere tantum ſtultiſſimam ipſorum Eutychianorum ſuperbiam, quæ ſæpe dejecta contra tantorum ſacerdotum Chriſti ſententiam adhuc erigitur, verum etiam conculcare atque conterere; quid
D nobis amplius poſt hanc plenam defenſionem abunde & ad cumulum proferamus? Nam credibilius affirmatur quod doctrina Theodori, cum haberetur in ſcripto, latere potuit Calchedonenſe concilium, quam temporis prioris Eccleſiam, in qua ſicut oſtenditur ſemper etiam voce propria diſputabat. Beatus quippe Joannes Antiochenus, & orientale Concilium dicunt, quod in expoſitionibus quas in omnibus Eccleſiis orientalibus faciebat, & quibus in regia civitate valde eſſe comprobatus apparet, in conſpectu ſacerdotum, & Imperatorum, & populorum rectus inventus eſt. Facilius quoque videtur, & promptius, ut Eccleſiæ præcedente ju-
E dicio, a qua doctiſſimus ſemper eſt habitus, etiam ſynodus Calchedonenſis de illo bene ſentiret, quam ut ipſa temporis prioris Eccleſia nullius judicio præcedente, ſpontaneo motu ejus dicta melius interpretata ſuſciperet. Ad ultimum, temere nimis & impie, nulloque ad hoc exemplo ducente, ſynodus damnaret in Eccleſiæ communione ſine querela defunctum: prudenter autem ac religioſe, multiſque præcedentibus exemplis, Eccleſia viventem, quando & corrigere poſſet, ſi neceſſarium videretur, in examen adduceret. Certum eſt igitur quod amentes Eutychiani, vel Acephali, cum neſciunt quid loquantur, calumniis quibus impetunt Calchedonenſe Concilium, fidem magis Eccleſiæ quæ fuit ante Ne-

* (468) *auctoritate.*

ſtorium criminentur, in cujus ſe mentiuntur communione manſiſſe. Unde nos quoque non ſine antiqui temporis Eccleſia ipſum Calchedonenſe Concilium contra calumnias eorum defendimus. Et ideo, vel ſi concedatur quod eadem prioris temporis Eccleſia, ſive poſtea ſynodus Calchedonenſis, cognoverunt quæ in libris Theodori reprehenſibilia judicantur, nec * melius interpre- * 469 tari potuerunt; cur etiam ſic arguantur quod Theodorum non condemnaverunt, cum potuerint credere quod hæc ab hæreticis in libros ejus fuerint immiſſa, quemadmodum Theodorus ipſe conqueſtus eſt? Sic enim dicit in principio cujuſdam ſui operis, cui titulum dedit, De Apolinario & ejus hæreſi: » Ante XXX. enim jam hos annos de Incarnatione Domini codicem conſcripſimus uſque ad XV. millia verſuum pertingentem. in quo Arii & Eunomii de hac re delicta, nec non etiam Apolinarii vanam præſumptionem, per totum illud opus examinavimus: ut nihil, ſicut mea fert opinio, præterirem ex his quæ & ad firmitatem Eccleſiaſticæ orthodoxiæ pertinerent, & ad convincendam eorum impietatem. Sed hi qui omnia facillime præſumunt, & præterea rurſum ab Apolinario, qui princeps hujus hæreſis fuerat, inſtituti, omnibus quidem ſimiliter ſentientibus opus noſtrum manifeſtum fecerunt, ſi quomodo aliqua invenirent valentia ad convincendum ea quæ in eo ſunt ſcripta. Quoniam vero nullus contra certamen ſcriptis ſuſcipere præſumebat, imitati ſunt infirmos athletas & callidos, qui dum non poſſunt contra fortiores certare, inſidiis eos & machinamentis quibus poſſunt conantur evertere. Scripſerunt enim ipſi inter ſe procul dubio quædam inepta, quæ a nobis unquam minime dicerentur. Denique hæc ipſa in medio noſtrorum ſcriptorum in quadam parte interpoſuerunt, & ſuis familiaribus demonſtraverunt, aliquando autem & noſtris, qui per facilitatem ſuam omnia pronis animis audiebant. & hoc quaſi documentum, ſicut putabant, noſtræ impietatis videntibus præbebant. Unum autem ex his ſcriptis erat, [a] duos filios dicere. Sic enim nos fecerunt in hoc opere dicentes, quod oporteat putare & dicere duos filios, & vehementer nos iſtum ſermonem defendere, dum nos in illa ſcriptura ubique manifeſte diceremus, quod non oporteat duos filios dicere. Neceſſe erat ergo, non ſolum inepta, ſed etiam infirma illa ſcripta audientibus apparere: quoniam neque firma ratione, neque convenienti hoc poſſibile erat oſtendi; & ab illis idcirco * 470 * infirmis erat conſcriptum, quatenus ille qui ſcripſerat facilius inde convinci potuiſſet. Unus ergo ex noſtris propter multam facilitatem hæc noſtra eſſe credidit ſcripta, & hujus rei gratia dignus fide ab illis creditus eſt qui iſta perlegeret, & renuntiavit nobis ea quæ fuerant ſcripta. Cum ergo audiſſemus, culpavimus quidem illum, quod contra nos dictis ſermonibus crediſſet de his rebus, quas ſæpius & in Eccleſia & privatim dicentes nos audivit, cum fideliorem ſcriptis noſtram vocem judicare debuerit, ad

A documentum noſtræ ſententiæ, quam in dogmatibus votum noſtrum eſt conſervare. Accepiſti, clementiſſime Imperator, quo livore ſemper, & qua fallacia inſtitutores Eutychianorum Synuſiaſtæ inſidiati fuerint dictis Theodori, & quo modo temptaverint leviſſimorum catholicorum mentes a doctrina ejus avertere. ut non ſolum prave interpretarentur ea, quæ ille recto ſenſu docebat obvius eorum ſtultitiæ, verum etiam libros ejus interpoſita falſitate corrumperent: At ille hinc vel eorum malitiam, vel facilitatem catholicorum fiducialiter arguebat, quod palam prædicaret in Eccleſia Chriſti quæ ſanæ doctrinæ congruerent, & vox ejus fidelior ſcriptis eſſet ad
B documentum ſuæ ſententiæ.« Abſentis enim ſcripta, quæ corrumpi ab inimicis Eccleſiæ poſſent, vocis ejus teſtimonio præferri non debuerunt. Quid ergo, ſi vel Eccleſia illius temporis, vel poſtmodum ſynodus Calchedonenſis, cognoſcens ea pro quibus culpatur Theodorus quaſi magiſter Neſtorii, nec melius interpretari valens, ut eum non condemnaret, credidit ab hæreticis in libris ejus immiſſa: numquid debet hæc pia credulitas hæreſis crimini deputari cum hinc & ipſe Theodorus conqueratur, & alia ejus multa & evidentia ſcripta demonſtrent, quantum longe fuerint ab errore Neſtorii? Quod ſi dicunt aliqui credi non debuiſſe Theodoro, quoniam men-
C titus eſt Apollinariſtas quædam hæretica in ejus libris immiſiſſe; nam ipſe male rapuit, quod illis voluit imputari: non ego pertinaciter contra contendam, ſed adhuc concedam eis ſuſpicari quod volunt. Illud interea manifeſte verum eſt, illud negari non poterit, quod ea Theodorus ſua non eſſe teſtatus eſt. Arguendus itaque fuiſſe dicatur, ſi mentitus oſtenditur, quod poſtea quam reſipuit, licet prudenter acquieverit veritati, errores tamen aliquando ſuos erubuit humiliter confiteri. Ceterum & mentitus non juſte diceretur hæreticus, qui quocumque modo ſuis renuntia-
D vit erroribus. Scribens etiam ad Cerdonem ſuper expoſitione Pſalmorum, ſicut tertio libro memoravimus, idem Theodorus dicit: » Non quantam oportuerat habuimus circa iſtam rem diligentiam. Paſſi enim ſumus quæcumque incipientes, ut evenit, in imperitia ſcribendi conſtituti. Siquidem & multas immutationes illo tempore quæ noſtra ſuſceperunt, quas non eſt præſentis temporis enarrare. ex qua cauſſa magis negligenter a nobis compoſita ſunt plurima, & maxime illa quæ prima ſunt.« Si ergo vel anterior Eccleſia,
E vel poſterior ſynodus Calchedonenſis, ex his plurimis, quæ per imperitiam negligenter a ſe compoſita fatetur, credidit eſſe quæ in ejus libris meliori ſenſu interpretari non potuit, errori cohibuiſſe dicenda eſt, quod eum pro his, in quibus ignorantiam & negligentiam ſuam ſponte culpavit, non judicavit hæreticum, & pro ceteris inculpabilibus credidit eſſe laudatum?

CAP. II.

Eſt & aliud nimirum multo fortius, quod nobis ad defenſionem ſuſceptæ cauſæ proficiat.

---

[a] *Duos filios dicere*) De hoc capite objectionis dictum eſt initio libri IX. Refugiebat Theodorus ne duos filios dicere videretur, cum duos reipſa imprudens ſtatueret, unum naturalem, Dei verbum, alterum adoptivum, ex Maria natum, qui Verbo conjunctus κατ' εὐδοκίαν, ut docebat, particeps factus ſit appellationis filii & honoris. Sic enim loquitur in Expoſitione Symboli, quæ recitata eſt in Actione VI. Synodi Epheſinæ. *Καὶ οὔτε δύο φαμὲν υἱοὺς, οὔτε δύο κυρίους· ἐπειδὴ εἷς υἱὸς κατ' οὐσίαν ὁ θεὸς λόγος, ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ πατρός. ᾧ περ οὗτος συνημμένος τε καὶ μετέχων θεότητος, κοινωνεῖ τῆς υἱοῦ προσηγορίας καὶ τιμῆς.* Et paulo poſt. *ἀναιρεῖ πᾶσαν ἔννοιαν δυάδος υἱῶν τε καὶ κυρίων. omnem dualitatis filiorum atque dominorum cogitationem excludit.*

* (469) *amplius.*

* (470) *infirmius.*

a Nam S. Joannes Antiochenus * arguens literis ſuis Neſtorium, quod B. Mariam matrem Domini negaret, & ut hoc confiteretur exhortans,
„ poſt aliqua dicit: Si videtur autem, etiam boni
„ exempli opportune vos commemorabo, cujus me-
„ miniſſe volo, ſanctiſſime frater. Neque enim
„ tempus multum eſt ex quo apud nos contigit,
„ ut oblivioni forſitan mandaretur. Recordaris
„ enim certe B. Theodori Epiſcopi in expoſitione
„ dicentis aliquid, quod recte dici non putare-
„ tur, tibi ipſi primo, qui fiduciam in illo tem-
„ pore habebas, deinde etiam omnibus audienti-
„ bus. Et qualiter ille, ſentiens læſionem &
„ perturbationem, quam non minima divulgatio
„ illius dicti excitaverat, & intelligens, quia per-
„ turbatio faciat diſcordiam, magis autem &
„ contradictionem & contentionem hominum aman-
„ tium ex quibuſcumque rebus occaſiones inquire-
„ re huc atque illuc dividi, & contentionibus
„ augere ſcintillam ſcandali, quæ parvula vide-
„ batur, quod etiam nunc apud vos contigit:
„ quemadmodum fortiſſimus ille exurgens non poſt
„ multos dies, illud quod ab eo dictum erat, ad
„ utilitatem Eccleſiæ ſine confuſione correxit, &
„ corrigens ſtatim contrivit murmur vel accuſa-
„ tionem, quæ adverſus eum fuerat facta: nequa-
„ quam judicans turpe aliquid eſſe corrigere. & hoc
„ ſcientibus quidem omnibus, quia negligenter &
„ minus caute ab eo fuerat dictum, excipientibus
„ autem continuo correctionem. Porro totum hoc arrogantiam confundit illorum, qui ſe diligentiores & ſapientiores antiquiſſimis patribus jactant, dicentes quod illius temporis Eccleſia negligenter & inſipienter audiebat Theodorum diſputantem, ut eum non argueret in quibus ab ipſis arguitur. Quod abſit a pietate ſynodi Calchedonenſis, ut hoc diceret, aut crederet. abſit, inquam, ut hoc crederet, Eccleſiam Chriſti, ſi Theodorus, ut dicitur, Neſtoriani auctor erroris eſſet, blaſphemias ab eo dictas in Chriſtum vel non intelligere, vel negligere potuiſſe: cum illud, quod non plaſphemum & hæreticum fuit, ſed quod recte dici non putaretur, ſicut Joannes Antiochenus teſtatur, non minimam perturbationem excitaverit, nec ante ſedata ſit, quam fortiſſimus ille exurgens non poſt multos dies, illud quod ab eo dictum erat ad utilitatem, Eccleſiæ ſine confuſione corrigeret. Et revera magnæ fortitudinis fuit, ut ſeipſum interpretaretur, calcare gloriam magiſterio longi temporis adquiſitam, & ad emendationem dicti ſine confuſione deſcendere. maxime cum fretus conſcientia, quia non ſicut putabatur hoc dixerat, facile poſſet audientium parvipendere læſionem, quam tamen diu non paſſus eſt tradi: quia cito pudoris victor non poſt multos dies offenſionem properavit auferre ſolo ſermonem contractam. Non enim ait Joannes a Theodoro prave aliquid intellectum, aut ſaltim negligenter, & * minus caute
* 471 ab eo dictum: tanquam de illo loquens, qui non rerum intelligentia fuerit pravus, ſed ſermone in hoc minus adcommodus. Huic itaque

A S. Joannis teſtimonio, quo Neſtorium redarguit, quomodo ſynodus religioſa non crederet? non ſolum quod tantus fuerit idem Joannes, verum etiam quod Neſtorio ſcribens, quem ad correctionem invitabat exemplo fortiſſimi viri & humanæ gloriæ contemptoris Theodori, non eum poſſet ita confidenter ſuæ conſcientiæ teſtimonio commonere de recenti facto, quod non ſolus ipſe Neſtorius, verum & Antiocheno omnis Eccleſia recordari facillime poterat, niſi de maniſeſta rei veritate præſumptus. Nam neque ſine tractatu aliorum ad ſuum Concilium pertinentium ſacerdotum, Antiochenus autiſtes de
B novi dogmatis aſſertione corripere palam Conſtantinopolitanum Epiſcopum poſſet. Tanto vero teſtimonio ſancta ſynodus credens, quomodo Theodori memoriam veluti hæretici rejiciendam ab Eccleſia judicaret, in cujus pace ille defunctus eſt, & cujus pacem ſic dilexit, ut gloriam ſuæ auctoritatis non erubeſceret ejus offenſioni poſtponere? Cur autem hanc offenſionem incurrerit, prædictus S. Joannes docuit dicens, Quoniam dixit aliquid, quod recte dici non putaretur. offenſionis cauſſam magis in exi- * 472
ſtimatione conſtituens: quod ejus * & continuo ſubſecuta correctio demonſtravit. Ex ipſa vero
C correctione, qua melius ſemetipſum interpretatus eſt, ſive Eccleſia, quæ illum diſputantem audiebat, ſive poſtea ſancta Calchedonenſis ſynodus, non illa ſolum dicta, quæ tunc audientes offenderant, ſed quæ ſimilia ejuſdem Theodori debuit æſtimare. Quod ſi etiam contra teſtimonium S. Joannis, non per incautelam & negligentiam verbi, ſed per intelligentiæ pravitatem, dicatur audientes offendiſſe Theodorus; nec ita poſſet correctus, vel ab illius ætatis Eccleſia, vel a ſancta ſynodus hæreticus judicari. Ja- Jac. 3. 1
cobus Apoſtolus dicit, *Nolite plures magiſtri* * 473
D *fieri, fratres mei, ſcientes quoniam majus judicium * ſumunt. In multis enim offendimus omnes.* Cum ergo omnes offendamus in multis, cur non omnes ſumus hæretici, niſi quia non offenſio, ſed pertinax offenſionis defenſio, facit hæreticum? Similiter autem confiteor amplius me, & multum amplius in hoc S. Joannis Antiocheni teſtimonio, quam in ceteris vel ipſius, vel aliorum patrum teſtimoniis, delectari atque congratulari Theodoro. Nam in illis jam dudum memoratis, quibus oſtenditur quanta doctrinæ ejus fuerit celſitudo, gaudeo quidem,
E ſed novi hoc eſſe illi commune cum multis. In hoc autem, quo manifeſta cordis ejus humilitas intimatur, & acquiſitæ gloriæ pro fraterna offenſione contemptus, paucos admodum ſocios ei reperio. Multos enim didicimus eminuiſſe ſcientia, & maximam pro hac gloriam conſecutos. at ubi humanitus lapſi ſunt, homines ſe cognoſcere noluerunt, & ſimpliciter admoniti contemp- 1. Cor. 8. 1.
ſerunt credere veritati: atque ita illis ipſa gloria ſcientiæ multum obfuit ad ſalutem, quoniam ſcientia inflat, caritas autem ædificat. Minus itaque mihi cognitus eſſet Theodorus, quamvis tantorum patrum laudibus prædicatus, niſi qua-

a *Arguens literis ſuis Neſtorium*) Extat integra Joannis ad Neſtorium epiſtola in prima parte Synodi Epheſinæ. verum ubi Theodori in ea eſt mentio, irrepſerat Pauli nomen pro Theodoro. Sic igitur ex Facundi verbis reſtituendum eſt: *Μέμνησαί πυ πάντως τοῦ μακαρίου Θεοδώρου ἐπισκόπου, ἐν ἐξηγήσει εἰπόντος τι ὃ μὴ ἐδόκει καλῶς εἰρῆσθαι πρώτῳ τε σοὶ, τῷ καὶ παῤῥησιασαμένῳ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν, ἔπειτα καὶ πᾶσι τοῖς ἀκούσασι.* Antiochenæ Eccleſiæ presbyteri ante Epiſcopatum fuerant tum Theodorus, tum Neſtorius. Sed Theodorum Mopſueſtenum jam Epiſcopum Antiochiæ concionantem audiebat hoc tempore Neſtorius adhuc presbyter, inſignis & ipſe in docendo, ut Gennadius cap. lxxx. teſtatur, & ex tempore declamator.

* (471) *minus caute animadverſum, ſed potius negligenter & minus caute ab eo dictum.*

* (472) *facilis &.*

* (473) *ſumitis.*

A lis eſſet etiam cum reprehenderetur, Joanne teſtificante cognoſcerem. Verum nec omnibus eſt imitabile, unde & parum utile foret ſcientiæ ejus exemplum; correctionem vero gratanter accipere, & cito ac placide quod offenderit emendare, & imitabile omnibus, & multo utilius invenitur. Proinde in Theodoro diſcere obſtinati dignentur, etiam de facili lapſu ſermonis admoniti, Apoſtolicam modeſtiam pietatemque
Gal. 2. 14. ſervare. Nam ſic aliquando Petrus Apoſtolorum primus, ſicut jam diximus, cum non recte ambularet ad veritatem Evangelii, reprehenſus a Paulo minimo Apoſtolorum non indigne tulit, nec pro ſui primatus gloria reſiſtentem ſibi deſpexit: B quoniam caritas, quæ Paulum ad arguendam prioris culpam fidenter erexerat, eadem Petrum ad ſuſcipiendam animi correctionem dociliter inclinabat. Hunc itaque virum, non in ſola ſcientia, ſed in humilitate quoque cordis ac modeſtiæ comprobatum, quomodo temporis illius Eccleſia, quomodo ſynodus Calchedonenſis rejicere poſſet, cum ex epiſtola Ibæ recitari laudes ejus adverteret, cujus etiam reprehenſio virtutis exemplum eſt, & qui lapſus in verbo Chriſtianæ humilitatis formam & magnæ ſpecimen pietatis oſtendit? Eant nunc Eutychiani, C & calumniis ſuis ſi quid adhuc poſſunt adjiciant. fingant de Theodoro quæcumque libuerit: accuſent etiam Calchedonenſe concilium de cohibentia & conſenſu malorum. Expaveſcent ad iſta proculdubio leves & faciles corde: ceterum prudentes & graves intelligent, quod nihil ex hoc applicent Theodoro, cujus purgationi ſufficit quod paratus ſemper fuit ad corrigendum. Quicquid igitur contra Theodorum dicant, noverint quoniam ſi recipiatur, non magis ipſi atque Calchedonenſi concilio, quam omni adſcribetur Eccleſiæ, quæ manſuetum & docilem virum neglexit arguere. Verum opto, clementiſſime imperator, ut humilitatem rationemque Theodori illi qui eum culpant imitari D aliquatenus velint: & ſicut ille gratanter caſtigationem ſuſcipiens, quod negligenter & minus caute dixerat corrigere properavit, ita & iſti nos vel patienter ferant, & quod crudeliter & diſcordioſe fecerunt, emendare tandem aliquando dignentur. Ceterum Theodorus adeo non fuit a ſancta ſynodo, quemadmodum putant, velut magiſter Neſtorii condemnandus, ut ejus argueretur exemplo Neſtorius, & idcirco damnaretur, quod eum non fuerit imitatus. Quid autem nos hinc volunt æſtimare non ſolum Eutychiani, qui de Theodoro calumniantur Calchedonenſe concilium, verum etiam Neſtoriani, E qui ejuſdem Theodori dictis abuti dicuntur? Quod ipſius exemplo Neſtorius increpatus, non ſtatim ex ejus dictis, quaſi eadem ſentientis, defendere maledicta ſua tentavit, & reſpondere ſancto Joanni, ac dicere, Theodorus, cujus exemplo me arguis, quem beatum & fortiſſimum dicis, eadem ſemper ſine ullius offenſione docuit. Quod quidem ſi Neſtorius reſponderet, ita Theodoro præjudicare non poſſet, ſicut nec Prophetis, & Apoſtolis, atque Evangeliſtis, quoniam eis vel ipſe abuſus eſt, vel ejus nunc ſectatores abutuntur, atque alii omnes hæretici. Veruntamen cum ille homo, ad reſpondendum male paratus, & in perniciem ſuam ſufficienter inſtructus, nihil in erroris ſui defenſionem ex dictis Theodori, cujus admonebatur exemplo, tentavit adſumere; ſatis oſtendit, ejus ſanæ doctrinæ non ſequacem, ſed obvium ſe fuiſſe.

CAP. III.

HÆc igitur defenſioni magnæ ſynodi Calchedonenſis * abundarent. Nunc autem non ipſa cum laudavit, ſed laudantis epiſtolam, pro fide recta quam continet, pronuntiavit orthodoxam: quod diverſum eſſe quis prudens, ſi cauſſam diligenter attendat, ignoret? Potuit enim fieri, ut etiamſi quædam Theodori dicta culpabilia viderentur, & ea ſynodus nec ignoraret, nec interpretari melius poſſet, * veruntamen Ibam latere potuiſſe crederet, ſicut etiam ſanctos patres Joannem Conſtantinopolitanum, & Gregorium Nazianzenum, univerſamque Eccleſiam, quæ ipſum Theodorum docentem advertebat, latere potuiſſe credunt Eutychiani, ut non ſuperſtes condemnaretur idem Theodorus. Igitur quemadmodum ſancta ſynodus antiquam Eccleſiam, cujus pars fuerant memorati patres, non ex communione & laude Theodori, vel ſi eum in quibuſdam ſciret eraſſe, ſed ex propria ipſius Eccleſiæ fide judicare debuit, quod nobiſcum Eutychiani fatentur; ſic oportuit ut & illam epiſtolam, non ex laude Theodori, ſed ex propria conſcriptoris ejus fide, quæ ibidem legitur, judicaret. Quomodo autem ſynodus non crederet Ibam reverentiſſimum latere potuiſſe dicta Theodori, quæ ante Neſtorium * ſcripta dicuntur, cum ipſius Ibæ fidem Neſtoriano dogmati videret adverſam? Verum & hoc demus Eutychianis, quod reverentiſſimum Ibam ſynodus Calchedonenſis crediderit non ignoraſſe Theodori dicta, quæ videntur eſſe culpanda; numquid ideo ejus epiſtolam merito rectæ fidei, quam continet, orthodoxam pronuntiare non debuit? præſertim cum potuerit idem venerabilis Ibas idcirco Theodorum ejuſque laudare doctrinam, quoniam ea quæ in libris ejus reprehenſibilia judicabat, vel ab hæreticis immiſſa, vel ab ipſo Theodoro reprehenſa, ſicut docuimus, ſive correcta eſſe credebat: & non ex eo quod ſcribendi capiens initium, aliquid aliquando reprehenſibile ſcripſit, aut ex lapſu ſermonis incurrit, ejus doctrina judicanda fuerat; ſed eo potius, quod ſi quid in ea culpabile videbatur, ipſe reprehendit, atque correxit. Nam ſi nemo ſapiens Eccleſiam credit hæreticam, quia doctrinam B. Cypriani Carthaginenſis Epiſcopi & martyris laudat, cum ille non ſolum privatim, ut ei viſum eſt, verum etiam congregato Concilio, definierit ut omnis hæreticus ad Eccleſiam rediens baptizetur, & propter hoc culpatus ab Stephano Antiſtite Romano reſtiterit, (Cyprian. ep. 74) ſuamque ſententiam ſcribens ad Pompeium quanta potuit humana argumentatione defenderit, injurioſe tractans eumdem B. Stephanum, a quo fuerat jure culpatus: quomodo epiſtola venerabilis Ibæ juſte diceretur hæretica, quod Theodori doctrinam laudavit; qui licet in Concilio nihil definierit veritati contrarium, tamen etiam quæ privatim ab eo male fuerant compoſita ſponte reprehendit, & ubi de ſermonis lapſu ab aliis reprehenſus eſt, non injuriam referre, ſed offenſionem corrigere properavit? Igitur ſicut Eccleſia, non approbans B.

* (474) *abundarent profecto, etiamſi Theodorum ipſa laudaret. Nunc autem.*

* (475) *Reverentiſſimum tamen Ibam.*

* (476) *ſcripta Neſtoriana dicuntur.*

a Cypriani, ejuſque a præceſſoris Agrippini, qui A
hoc ante ſtatuerat, de baptizandis omnibus hæ-
reticis definitionem, non ſolum ipſos, ſed & om-
nes, qui cum illis hoc definierunt Epiſcopos pa-
tres adſcribit, eorumque fidem atque doctrinam,
& maxime Cypriani toto orbe radiantem judi-
cat eſſe laudabilem: ſic potuit etiam venerabi-
lis Ibas doctrinam Theodori, etiam in aliquibus
culpabilem non ignorans, abſque illorum cul-
pabilium approbatione laudare. Sive autem B.
Cyprianus & Agrippinus, aliique cum eis ea-
dem ſtatuentes Epiſcopi, ſive Theodorus, vel
ſi & ipſe errata non emendaſſe credatur, ſive
ceteri doctores Eccleſiæ, ex quorum ſententiis
hæretici ſuos errores conantur adſtruere, inten- B
tione mentis atque propoſito, ſicut arbitramur,
ab hæreſis crimine defenduntur: quoniam ante
definitionem Eccleſiæ, in ejus communione per-
manentes, nimio * vel immoderato zelo adverſus
* 477 hæreticos, vel decreverunt talia, vel dixerunt;
non poſt Eccleſiæ in eadem quæſtione ſenten-
tiam, cum hæreticis ſegregati, adſtruendo ta-
lia ipſam impugnaverunt Eccleſiam. Forſitan
aliquis dicat, Debuit ergo ſynodus, ſi non
Theodorum, quia in Eccleſiæ pace defunctus eſt,
neque totam ejus doctrinam, quoniam multa re-
cte locutus eſt, ipſa certe quæ offendunt ejus
dicta damnare. Primum cujus ſynodi, ut hoc
faceret, ſequeretur exemplum? Sed oſtendatur C
quælibet ſynodus alicujus doctiſſimi viri, & in
Eccleſia perſeverantis, dicta ex multis decerpta
damnaſſe, & ita ſaltem de Concilio Calchedonen-
ſi querantur. Deinde quando evolverentur tot li-
bri Theodori, ut in eis diligentiſſime atque ſcru-
puloſiſſime quæreretur quod legentes poſſet offen-
dere? Nam ſi faciendum eſſet, omnia ſcripta
ejus debuit ſynodus illa diſcutere, ne ſi eum ex
parte reprehenderet, approbaſſe cetera videre-
tur. & quod tempus ad hæc ſufficeret? vel quan-
do per ſingula tantorum ſacerdotum numerus in
unam ſententiam conveniret; cum diverſo mo- D
do moveatur animus auditorum, & quod alium
offendit, meliore intellectu alius ſine offenſione
ſuſcipiat? Verum ſi non Eutychianorum arbitrio
ſerviatur, cur aliquis dicat quod in illa ſynodo
ſolius Theodori dicta, & non omnium antiquo-
rum in Eccleſia vita excedentium, revolvi ac
ventilari debuerint? Nam ſi Theodori tantum
quædam ſcripta culparet, omnia omnium adpro-
baſſe videretur; cum veritas non omnia doceat
adprobanda. Et quis omnium vel nomina ſciat
qui de Chriſtiana religione ſcripſerunt? Cum ergo
omnium omnia ſynodus examinare non poſſet, E
non oportuit ut Theodori dicta damnaret: quo-
niam ſufficit nobis in hoc Apoſtoli ſententia, qua
1.Theſſ.5.21 dictum eſt: *Omnia probate, quod bonum eſt tene-
te*. Quod ſi non fuiſſet hæc ratio, quis judex mo-
deſtus & prudens, niſi de propoſitis cauſis & quæ-
ſtionibus judicet? At cum nihil Epiſcopo Ibæ ac-
cuſatores objicerent de laude Theodori in Eccle-
ſiæ communione defuncti; numquid oportuit ſan-
ctam ſynodum, pro fide ac pace generalis Eccle-
ſiæ congregatam, novam in privata cauſa inter li-
tigantes immittere quæſtionem, & in ea tempus
expendere? Quaſi non ſufficeret tam gravi ac diu-
turna colliſione in tantis eos judiciis litigaſſe:
ut aliquid pejus & ipſa, vel accuſatorum per-
tinaciæ, vel calamitati Epiſcopi, qui accuſaba-
tur adjiceret. præſertim cum ille deploraret de
pietate ſanctæ ſynodi auxilium quærens, quod
jam XX. & amplius carceres mutaſſet, & ad
eam de XL. manſionibus adveniſſet. Quis hoc
hominum præter Eutychianos dicat, quos ratio
ſimul pietaſque deſeruit, & in quibus nomen ſo-
lum remanſit humanum? Meminerit autem le-
ctor, quod hæc in defenſionem magnæ ſynodi,
nulla neceſſitate compulſi, ad conculcandam &
penitus conterendam vecordium Eutychianorum
ſuperbiam dixerimus. Libuit enim nobis illude-
re illis, & ita cauſam conſtituere, tanquam
Theodorus aliqua culpabilia ſcribens non emen-
daverit, & non ſolum prædicta ſynodus Calche-
donenſis ea cognoverit, nec melius interpreta-
ri potuerit, verum etiam venerabilis Ibas hæc
eadem non ignorans ejus doctrinam laudaverit:
quorum nihil probatum eſt, ſed nos hæc ultro
conceſſimus, ut per hoc amplius appareret,
quam ſtulte iidem Eutychiani de ſententia ſy-
nodi ſuper epiſtola Ibæ prolata querantur, * quo- * 478
niam ne his quidem omnibus conceſſis reprehenſi-
bilis probaretur.

CAP. IV.

Aliquid tamen & iſtis adjicimus, ut quod
penitus factum non eſt, vel Theodorum, vel
ipſum venerabilem Ibam, de Theodori laude po-
namus in ſynodo accuſatum. Si ergo propter
hoc hæretica dicenda eſt illa ſynodus, quod ejus
epiſtolam Theodorum laudantem pronuntiavit
orthodoxam, quomodo * beatus Cyrillus & Pro- * 479
clus, quos honorare ſe fingunt, ab hæreſis cri-
mine defendentur, qui orientales accuſatum a-
pud ſe Theodorum defendentes, & multo am-
plius prædicantes, non ut hæreticos damnave-
runt, ſed potius communicando eis firmaverunt
orthodoxos? ut omittam, quod etiam ipſorum,
id eſt Cyrilli & Procli, adverſus eandem Theo-
dori accuſationem ſententiæ teneantur, quod
nec ipſe, nec ejus dicta damnanda ſint. Quo-
circa vel ſi Theodorus, vel Epiſcopus Ibas ac-
cuſaretur in ſynodo pro laude Theodori, non
poſſet ab Eutychianis eadem ſynodus accuſari,
quod illam epiſtolam pronuntiavit orthodoxam,
niſi etiam Cyrillus & Proclus conſequenter ac-
cuſarentur, quod judicaverint orientales ortho-
doxos, qui accuſatum apud ſe Theodorum de-
fendentes etiam præcipuis laudibus extulerant.
Si quis autem adhuc paulo attentius partis u-
triuſque momenta perpenderet, leviorem inveniret
cauſam illius ſanctæ ſynodi, quam beatorum
Cyrilli & Procli. Nam vel ſi, ut dedimus,
accuſaretur apud illam Theodorus, levius eſſet
ut abſolveret Ibam Epiſcopum, qui eum nec-
dum apud ſe depoſita accuſatione laudaſſet, quam
quod * beatus Cyrillus & Proclus fecerunt, qui * 480
orientales, a quibus idem Theodorus poſt accu-
ſationem laudatus eſt, judicaverunt orthodo-
xos. Ubi autem probari poteſt quiſquam, et-

a *Prædeceſſoris Agrippini*) Qui primus omnium morta-
lium, ut Vincentius Lirinenſis in Commonitorio I. ſcri-
bit, rebaptizandum eſſe cenſuit. Prædeceſſorem Cy-
priani appellat, ſicut Auguſtinus lib. II. de baptiſmo
contra Donatiſtas cap. VII. Quotus autem ab Agrip-
pino Cyprianus ſucceſſerit, non liquet. Longo inter-
vallo ſucceſſiſſe Cyprianus ipſe eſt auctor epiſtola LXXIII.
ad Jubaianum. *Multi jam anni ſunt, & longa ætas, ex quo
ſub Agrippino bonæ memoriæ convenientes in unum Epiſcopi plu-
rimi hoc ſtatuerunt.*

*) 477) *et.*
* (478) *quando ne his*
* (479) *beati.*
* (480) *beati.*

jamſi vere fuerit hæreticus, ab univerſali ſyno-
* 481 do * non prolata accuſatione damnatus ? Nam
patres noſtri cunctos quos expulerunt hæreticos
prius admonuerunt ſapere meliora; deinde con-
demnationem, ſi non reſipiſcerent, comminati
ſunt: dantes eis etiam tractandi ſecum indu-
cias, ſicut neceſſarium videbatur. Non hæc abſ-
que documento jactamus. Atteſtantur nobis e-
xempla majorum, * quorum forma beatus Cy-
* 482 rillus & Neſtorium prius correctum, non quia
lapſus erat, ſed quia noluit reſipiſcere, conde-
* 483 mnavit: & Theodorum, qui accuſatus ante * fue-
rat, condemnari prohibuit. Quam ſanitatis &
modeſtiæ regulam quidam male tranſgreſſi, ne
vel ſero confiteantur errorem, dicunt probare
ſe poſſe neſcio quos hæreticos poſt mortem fuiſ-
ſe damnatos. quaſi vero per hoc probent quod
non etiam viventes damnati ſint, vel ſi noſtram
memoriam ac notitiam fugit. Non enim quiſ-
quam ſcire aut reminiſci omnia poteſt, quia
nec omnia quæ ſcripto mandata ſunt hactenus
perſeverant. Ut autem hoc omittam, illud cer-
te negare non poſſunt, quoniam prius correpti
ſunt, & in judicium adducti, atque convicti:
& ſi ut reſipiſcerent non cito ſpoliati ſunt ho-
noribus, quibus in Eccleſia fungebantur, a fra-
terna tamen communione remoti ſunt. Quid ho-
rum jam præceſſerat in Theodoro, ut eum ſy-
nodus etiam apud ſe accuſatum adjudicaret? Si
quis autem adfirmat aliquos ante correctionem
ab Eccleſia fuiſſe damnatos, non tam ipſos
quam condemnatores eorum patres noſtros con-
Tit. 3. 10. trarios Apoſtolo conatur opponere, qui non
niſi poſt unam & ſecundam correptionem vitari
* 484 jubet hæreticum. Verum longe abſit * a nobis
quod catholica & Apoſtolica Eccleſia Apoſtolo
fuerit aliquando contraria. Si quid ergo apud
eos valet modeſtiæ & ordinis ejus auctoritas,
quem ſalubriter ab Apoſtolo conſtitutum in hæ-
reticis evitandis, id eſt excludendis, ſemper te-
nuit, deſinant cum ſuis contentionibus impugna-
re. Non enim ſanctam ſynodum, quæ nihil con-
tra conſuetudinem Eccleſiæ faceret, etiamſi ac-
cuſatum apud ſe Theodorum non damnaret; ſed
potius univerſam, cujus formam ſequeretur, im-
pugnant Eccleſiam. At iſti argumentantur, &
dicunt in hoc Theodorum ab Eccleſia fuiſſe de-
pulſum, quoniam ſancti Patres in ſuis libris, quos
privatim ſcripſerunt, culpaverunt eos qui talia
ſaperent, qualia ſapuiſſe dicitur idem Theodo-
rus. Equidem ſuperius jam, non ſolum teſtimo-
nio magnorum virorum, ſed etiam dictorum ejus
prolatione monſtratum eſt, quomodo ſapuerit:
tamen quoniam aliqua ex innumeris ejus libris,
velut his quæ protulimus contraria, calumnioſe
decerpunt, & pro illis eum exiſtimant eſſe dam-
nandum, affirmantes quod patres noſtri in ſuis
libris ante notaverunt quoſque talia ſentientes:
idcirco ipſorum patrum ſimilia his quæ culpant
ſequenti volumine proferimus, ut ſuas calumnias
adverſus magnum Concilium excogitatas undi-
que repulſas adſpiciant. Sed his quoque ſubla-

A tis, vel paululum dilatis, ſi quemadmodum di-
cunt jam tunc expulſus erat Theodorus, etiam
beatus Cyrillus, necnon Joannes & Domnus An-
tiocheni, atque alii orientales Epiſcopi, cum eo
ſimul expulſi ſunt, cum expulſum condemnare
non ſinerent. mendaciter quoque Neſtorium,
vel idem beatus Cyrillus, vel ſanctus Cæleſtinus
Romanus Epiſcopus expuliſſe dicuntur. Nam ſi
propterea jam depulſus erat Theodorus, quoniam
ſancti patres in ſuis libris culpaverunt eos qui
talia ſaperent; multo magis Neſtorius jam de-
pulſus erat, qui & manifeſte prava ſapuiſſe de-
B monſtratur, & offenſionem auditorum, quam pro-
fanis vocum novitatibus incurrerat, auferre con-
tempſit. Verum ego hinc ipſorum Eutychianorum
qualemcumque conſcientiam quæram. Ponamus
accuſatum apud nos aliquem, qui diceretur ex-
pellendus quod contraria doceret quibuſdam ſen-
tentiis patrum; conſilium peto, quid agere de-
beremus. Numquid hoc nobis occurrit, ut non
admonitus, neque correptus, ex eo tantum ab
Eccleſia pelleretur, quoniam patres in ſuis li-
bris, quos privatim ſcripſerunt, refutaſſe inve-
nirentur eos qui talia ſentirent; & non potius
C quia interrogandus prius, & admonendus eſſet,
demonſtratis ei ſententiis * ſanctorum patrum, * 485
quibus diceretur eſſe contrarius; & ſi non cor-
rigeret, devocandus in Concilium, * ejus au-
ctoritati ſi non crederet, expellendus? Hoc uti- * 486
que videtur fuiſſe faciendum, hic nobis ordo ſer-
vandus, hæc habenda humanitatis ratio, vel ſi
hoc non præcepiſſet Apoſtolus. Si autem ſuper-
ſtitem, non ante admonitum, atque correptum
damnare non deberemus abſentem: quomodo ſan-
cta ſynodus, vel ſi apud eam Theodorus accu-
ſaretur, * juſte damnare mortuum poſſet? Nam a
D primum quis ejus accuſator ſic certus eſſet quod
ipſius ſint omnia illa capitula quæ culpantur,
ut ſi ei tanquam accuſatori ex more diceretur,
Jura per nomen Domini quod Theodorus, quem
poſt mortem condemnari quæris, iſta ſcripſerit,
jurare auderet? non enim licebat magnæ illi ſy-
nodo leviter credere, quod graviter dicitur de-
buiſſe damnare. Alia enim cauſa eſt, cum ad
inſtructionem tantummodo aliquid legimus, ut
credamus ſimpliciter ejus auctoris eſſe, cujus no-
men titulus præfert, nihil ei de hac noſtra cre-
dulitate præjudicantes: alia vero, cum damna-
E tio ejus qui creditur auctor, in judicio flagita-
tur. Unde vel ſi juraret iſte accuſator Theodo-
dori eſſe omnia illa capitula, nec ita ſynodus
ad condemnandum in Eccleſiæ pace defunctum
juramento ejus deberet adduci. Quid igitur ille
accuſator amplius agere poſſet, quam teſtes ci-
tare meriti & numeri competentis, qui jurati
hoc ipſum teſtificari vellent? Porro neque hoc
* quod amplius agi poſſet ejus condemnationi * 487
ſufficeret. Nam ſi dum viveret idem Theodorus,
adverſus eum teſtes adducerentur, non oportuit
in judicium non devocatum pro * ſola teſtifica- * 488
tione damnare. Si vero convenrus, vel reatus
conſcientia, vel contumacia, indictum præſtola-

a *Juſte damnare mortuum*) Qui pro Theodoro pugnabant, hac potiſſimum exceptione utebantur, quam multis locis ingerit Facundus, & quam habet Vigilius ipſe in Conſtituto, quod poſt mortem damnandi non ſint, qui in pace Eccleſiæ vitam finierint. Impugnatores contra capitulorum, & jure damnari, damnatoſque in Eccleſia hæreticos fuiſſe poſt mortem contendebant: & Theodorum falſo dici mortuum in pace Eccleſiæ, qui ad mortem uſque contraria Eccleſiæ dogmata ſecutus ſit. Sic enim differit Juſtin. in Edicto, & Synodus v. in Act. v.

* (481) deeſt *non*.
* (482) *quorum formam cuſtodiens beatus Cyrillus &c.*
* (483) *non fuerat*.
* (484) *a nobis, ut credamus quod*.
* (485) *ipſis Patrum*.
* (486) *cujus auctoritati*.
* (487) *quo nihil amplius agi*.
* (488) *ſola illorum teſtificatione*.

ri nollet examen, jam non teſtibus de abſente,
ſed ipſi de ſe judicanti potius crederetur. Nul-
la vero correctione, ſive conventione præceden-
te damnatus, de iniquitate judicum jure que-
reretur, & acceptabiliter diceret, quod mali-
gne vel temere adverſus abſentem falſis teſtibus
credidiſſent. Propter quod in eadem ſancta ſy-
nodo pro reverentiſſimo Iba clamaverunt Epiſ-
„ copi ſæpe dicentes, Male fecerunt qui cum præ-
„ ter canones damnaverunt: quæ adverſus abſen-
„ tem facta ſunt evacuentur. Hæc omnes dici-
„ mus. nemo condemnat abſentem. At ſi contra
viventem acceptari teſtes non oportuit ut dam-
naretur non interrogatus, neque conventus;
quomodo eos ſancta ſynodus, etiam ſi contra
Theodorum in ejus teſtificarentur examine, ju-
ſte reciperet? An facilius eſſet mentiri de vivo,
& difficilius mentiri de mortuo? Si autem in-
terrogarentur iidem teſtes, unde certiſſime ſci-
rent illa, quæ reprehenderentur, a Theodoro
eſſe conſcripta, quid poſſent credibilius reſpon-
dere, niſi quod aut in libris, qui ejuſdem Theo-
dori dicerentur, ea reperirent, aut ab ipſo dum
viveret ejus fuiſſe didicerint? Sed librorum ti-
tulum, ad faciendam condemnationem illius vi-
ri, qui in Eccleſiæ pace & maxima patrum lau-
de vita exceſſit, non ſufficere ſupra docuimus.
præſertim quia conqueſtus eſt quoſdam ſuos li-
bros ab hæreticis fuiſſe corruptos: & beatus
Cyrillus de illo dixit, quia cum non eſſet in
promptu perſona quæ culpæ ſupponeretur, in-
certa capitulorum redargutio fieret, & qui hæc
agerent, in incertum currentes & aerem verbe-
rantes invenirentur. Quomodo igitur aliquibus,
vel ſi adducerentur, teſtibus ſynodus crederet
certum fuiſſe, quod Cyrillus recentiore adhuc
rerum memoria incertum fuiſſe teſtatus eſt? Si
autem hoc potius dicerent, quod ab ipſo Theo-
* 489 doro * ejus fuiſſe cognoverunt, quid reſponde-
re poſſent ſi eis diceretur, Quid igitur cauſæ
fuit, ut hæc quæ arguitis, non tunc adverſus
ſuperſtitem ad Eccleſiarum præpoſitos deferretis,
quando & in judicio poſſet adduci, & aut ne-
garet quod ſua fuerint, aut melius ea inter-
pretari poſſet, aut quod extremum eſt, abjice-
re ſi non poſſet? Nihil eſt igitur, quod ſancta
ſyodus de non condemnato Theodoro culparetur,
etiamſi apud illam accuſatus eſſet, & te-
ſtes meriti & numeri competentis ad ejus intro-
ducerentur examen. Verum & hoc Eutychianis
demus, & conſtituamus quod probatum ſynodo
fuerit illa Theodori eſſe capitula. unde certum
haberet qua fuerint intentione prolata? Nam
& multa non ſicut ſentimus eloquimur, & mul-
ta non ſicut a nobis proferuntur, ita ſuſcipiun-
tur ab aliis. ſed & hoc ponamus, quod illa ca-
pitula Theodorum errantem ſcripſiſſe cognove-
rint. unde ſcire ſynodus poſſet, utrum ex il-
lis, quemadmodum dictum eſt, vel eorum ſimi-
libus eſſent, quæ in ſuis dictis vel reprehendit,
vel emendavit idem Theodorus? Nam & hoc ju-
ſte dicitur, quod illorum reprehenſio, ſive cor-
rectio, aliorum quoque ſimilium debuit excuſa-
tioni proficere. Quod ſi etiam non oſtenderetur
quædam in ſuis dictis culpaſſe, ſive correxiſſe
Theodorus, & ea quæ in illo reprehendunt Ec-
cleſiam latuiſſe credantur; unde ſynodus cer-
* 490 tum * habet, quod poſtquam illa ſcripſit non
cognoverit veritatem, inſpirante Deo, qui oc-

culte ac mirabiliter ſolet in ſuorum cordibus o-
perari, ut eum ſic judicaret tanquam in ipſo
errore defunctum? Nam vel ſi probaretur, quo-
duſque in die mortis ſuæ aliquid de incarnatio-
ne Chriſti neſcierit, tamen cum non eſſet ab
ejus Eccleſia ſeparatus, unde, ſicut dixi, cer-
tum ſynodus haberet quod in ipſa hora qua ef-
flatorus erat extremum, magna & ininveſtiga-
bilis miſericordia Dei, quæ latroni non ignora-
ta ſcelera dimiſit in cruce, non etiam ipſi de-
dit pro tantis ejus in Eccleſia laboribus & cer-
taminibus adverſus hæreticos, ut ab ignoran-
tia ſua reſipiſceret, & errore damnato latronem
ſequeretur, in paradiſo ſtatim & ipſe cum Chri-
ſto futurus, qui nunc dicitur de Neſtoriano dog-
mate ante Neſtorium fuiſſe damnandus? Quan-
tos enim hæreticos, quantos Judæos, atque gen-
tiles idonea teſtificatione didicimus in ipſo limi-
ne mortis fuiſſe converſos? Sed quia publicus
fuit error illorum, non potuit publica non eſ-
ſe converſio, dum reconciliari, dum baptizari
ab Eccleſia ſupplicarent, dum poſtremo reconci-
liarentur, ſeu baptizarentur: occultam vero
ſuam ignorantiam, & a nullo culpatam, quam
Theodorus dicitur habuiſſe, cui & orientale Con-
cilium atteſtatur, quod nullam detractionem ab
orthodoxis in vita ſuſceperit, & de quo & aliis
Proclus Epiſcopus dicit, quos nec vivos aliquan-
do culpavimus, poſſet occulte reſpuere. Quod
ſi & non occulte, ſed aliquibus conſciis, hanc
abjecit, tamen hoc ſanctæ ſynodo eſſe poſſet oc-
cultum, & de occulto judicare non poſſet, quia
hoc Dei eſt proprium, dicente Moyſe, *quæ oc-
culta ſunt vobis & filiis veſtris*. Unde & bea-
tus Cyrillus ait: Juſtiſſimum apparet prudenti-
bus viris cedere præſcienti uniuſcujuſque volun-
tatem. Cur ergo culparetur hæc ſynodus, quæ
Deo cederet omnia præſcienti, nec auderet, ut
quidam, occultorum judex eſſe, quod ſolus eſt
Deus? Verum neque illud modeſtus quiſquam,
ſicut arbitror, definire præſumit, quod hære-
tici habendi ſint omnes, qui non pertinaces,
ſed ut imperfecti, & ad diſcendum parati, mi-
nus aliquid in Chriſtiana fide cognoverint; ſi-
cut etiam * ipſe Thomas & Philippus Apoſtoli. * 491
Nam & Thomæ dicitur, *Si cognoviſſetis me, &* *Joan 14. 7.*
patrem meum utique cognoviſſetis. & Philippo, *Ibid. 9. & 10.*
*Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis
me, Philippe?* &, *Non credis quia ego in patre,
& pater in me eſt?* Quis ergo tales hæreticos di-
cat, ſi præſentem vitam, quamvis adhuc igno-
rantes, in Eccleſia tamen finierint, quam fal-
li poſſe non credunt; cum memoratos Apoſto-
los, nec in ipſo tempore quo hæc ignorabant,
hæreticos fuiſſe audeat ſuſpicari? Verum hinc
quoque poſtea multa dicemus. Cum vero incer-
tum ſynodus haberet, & Theodori eſſe omnia
illa capitula, pro quibus ab Eccleſia diceretur
excludendus; quod etiamſi certum haberet, qua-
li tamen fuerint intentione prolata, adhuc ei
eſſet incertum: quod ſi & erraſſe illum ſine du-
bitatione cognoſceret, non & continuo etiam
quod errorem poſtea non emendaverit appareret:
neque ſi hoc quoque aliqua certa ratione con-
ſtaret, quiſquam pius & gravis definire præſu-
mit, quod hæretici ſint omnes, qui ſine perti-
nacia in Chriſtiana fide falluntur, ſi necdum
inſtructi in Eccleſiæ pace vitam finierint: quis
niſi temerarius dicat, quod illa ſynodus inter

* (489) *Dum viveret, ejus fuiſſe.*
* (490) *haberet.*
* (491) *ipſi.*

tot incerta debuerit Theodorum ſub anathemate condemnare? Sine dubio autem conſideras, Imperator, quanta Eutychianis eorumque fautoribus nulla ratione cogente ſponte dedimus, ſive conceſſimus; & tamen eis veritas non concedit, ut ſententia magnæ ſynodi, quæ epiſtolam laudes Theodori continentem pronuntiavit orthodoxam, culpabilis judicetur. Quod ſi tantæ nobis convictiones, quas pro experta obſtinatione adverſariorum protulimus, defuiſſent; quis religioſus reprehendere poſſet hanc ſynodum, quæ quod ſibi datum non eſt uſurpare non auſa eſt? Nam Eccleſiæ ſuæ nullam Dominus in mortuis ligandi & ſolvendi tribuit poteſtatem, cum diſcipulis ſuis diceret: *Quæcumque*
Matth. 18. 18 *alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*. Eos igitur ſolum, qui ſunt in terris, ligare accepit & ſolvere. & Idcirco reprehendi non debet, quod Theodorum, vel ſi culpabilem noſſet, tamen quia non erat in terris, alligare non auſa eſt. Aliorum quibus hoc placuit, non ejus fuerit iſta præſumptio. Nam ſicut non oportuit ut auderet ſolvere poſt mortem eos qui alligati erant in terris, quod quidem habere videtur nonnullam pietatis imaginem: ita non oportuit ut auderet eum qui alligatus non erat in terris, alligare poſt mortem; quod & aperte impietatis eſt, & ejus poteſtati non creditum. Quapropter etiam beati patres definierunt, quia non noſtrum eſt judicare eos qui honorate defuncti ſunt, ſed ſolius judicis vivorum & mortuorum.

CAP. V. QUomodo autem dicunt Neſtorianam eſſe ſynodum non defendentem, nec aliquatenus excuſantem ſcripta Theodori, quem velut magiſtrum Neſtorii criminantur: cum Athanaſium ſcripta deceſſoris ſui Dionyſii defendentem dicere non audeant Arianum? Nam neque cum Ariani vellent quædam ex dictis venerabilis [a] Dionyſii Alexandrini Epiſcopi in teſtimonium & adſertionem ſui erroris adſciſcere, ut ex hoc oſtenderent Arium non eſſe novi dogmatis inventorem, quippe cum Dionyſius olim docuiſſet facturam eſſe filium Dei, neque natura proprium, ſed extraneum ab eſſentia patris, & quia idem filius non erat antequam fieret, aliaque ſimilia, quæ in eodem opere continentur, Athanaſius, germanum ſpecimen & probabile catholicæ doctrinæ atque virtutis exemplum, ea conſtanter excepit, & quamvis noſtris auribus dura, & ad excuſandum * difficilia, defendere non refugit,
* 492 & prius eorum auctorem Dionyſium per hoc voluit eſſe purgatum, atque ab Arianorum crimine alienum, quod ipſe non ſicut Arius, cum viveret, de impietate fuerit accuſatus, aut de Epiſcopatu dejectus; neque velut hæreſim defendens, de Eccleſia ſicut ille diſceſſerit, ſed in ejus permanſerit unitate. deinde melius hæc ipſa

A ſa interpretari conatus eſt. Unde convenientius puto, ut ſi non omnia, quia prolixum eſt, aliqua tamen in propriis * verbis oſtendam. " Ete- * 493
nim, ait, & Judæos in quibus contra legem agebant redarguebat Dominus dicens, *Hoc Abraham non fecit*, & iſtos impios & mendaces eadem ipſa veritas " redarguit, quoniam Arii aliquid Dionyſius Epiſcopus neque ſenſit, neque veritatem ignoravit. Sed & tunc temporis Judæi, & nunc iſti novi, a patre ſuo diabolo hanc furiam adverſus Chriſtum rebellem hæreditati ſunt. quod magno indicio eſt, quia ca-
B lumniari tantum volunt illi viro, & non adtendere quod neque ab aliis Epiſcopis de impietate accuſatus eſt, aut de Epiſcopatu dejectus, ſicut iſti, de clericatu, neque ille velut hæreſem defendens de Eccleſia diſceſſit, ſed in eadem bene defunctus eſt, & memoria ejus nunc uſque cum patribus celebratur, & nomen ejus ſcriptum eſt. Si enim aliquid iſtorum ſentiret, vel de his quæ ſcripſit excuſationem non faceret, ſine ambiguitate etiam ipſe ſimilia pateretur. Et ſuffeciſſent quidem iſta ad redargutionem novorum Judæorum, eorum qui Chriſtum negaverunt, & patres accuſaverunt, & omnes Chri-
C ſtianos * fallere noſcuntur. Quoniam vero " ac- * 494
cuſationes ſe habere putant ad accuſandum Epiſcopum, partes aliquas epiſtolæ ejus age & ipſas videamus: ut etiam ex hoc eorum vanitas demonſtretur, & quieſcant vel ſero blaſphemare Dominum apud ſeipſos, confiteantur autem vel cum militibus, videntes teſtificantem creaturam, quia vere iſte filius Dei eſt, & non eſt ex creaturis. Dicunt itaque in illa epiſtola B. Dionyſium dixiſſe, facturam & factum eſſe fi-
D lium Dei; neque natura proprium, ſed extraneum ab eſſentia patris eum eſſe, ſicuti eſt agricola ad vitem, & navis opifex ad navem. & quia tanquam factura non erat antequam fieret. Ita eſt, ſcripſit. confitemur & nos eſſe talem epiſtolam ejus. Sed ſicut iſtam ſcripſit, ita & alias plurimas ſcripſit. & oportebat eos & illas legere, ut ex omnibus, & non ex iſta ſola, fides illius viri agnoſcatur. Et deinde ſequitur eorum quæ memoravimus excuſatio: quam non in iſto, quia prolixum fuit, ſed in ejus opere lector inquirat. Adſpicis vero, Auguſte, quæ B. Athanaſius in Dionyſio excuſanda ſuſci-
E peret, non ob aliud, niſi quia non ex levi ſono verborum, ſed ex intentione dicentis æſtimanda ſunt quæ dicuntur. Dicentis autem intentio, cum jam perſona defuncta eſt, ex * communione religioſius æſtimatur. Hoc eſt enim quod ait, Si enim aliquid iſtorum ſentiret, vel de iis quæ ſcripſit excuſationem non faceret, ſine ambiguitate etiam ipſe ſimilia pateretur. tanquam dicens, Non quod in verbis ſonat debemus attendere, ſed credere potius de Eccleſia Chriſti, quam regit ipſe qui ſanguine ſuo redemit, quoniam niſi hæc bona intentione proferret, aut aliis ejus dictis auferretur offenſio, ſine dubio Dionyſius in ea * 495

"In Græco διελέγχει coarguet.

'In Græco προφάσεις excuſationes vel occaſiones

a *Dionyſii Alexandrini*) Tota Dionyſii accuſatio, ut Athanaſius ἐν τῇ ἀπολογίᾳ ὑπὲρ Διονυσίου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας docet, ab epiſtola quam contra Sabellium ſcripſerat ad Euphranorem & Ammonium, de qua Romæ purgare ſe coactus eſt apud Dionyſium Papam. In ea continebantur hæc omnia, quæ Facundus ab eo perperam dicta commemorat. Ceterum Athanaſius Dionyſium vult non errore aut ignorantia, ſed κατ' οἰκονομίαν hæc ſcripſiſſe contra Sabellianos. Baſilius vero epiſt. xli. dum in contrarium tendit, κακὸν κακῷ διαμεῖψαι, & incaute lapſum putat. Ἀντιβαίνων γὰρ σφοδρῶς, inquit, τῇ ἀσεβείᾳ τοῦ Λίβυος, ἔλαθεν ἑαυτὸν εἰς τὸ ἐναντίον κακὸν ὑπὸ τῆς ἄγαν φιλοτιμίας ὑπενεχθείς. De eventu etiam diſcrepant inter ſe. Nam Baſilius hæreſis anomœanæ ſemina jeciſſe affirmat Dionyſium. Athanaſius contra, immerito Arrianos ὁμόδοξον καὶ ὁμόφρονα ſententiæ ſuæ adſtipulatorem jactare ait Dionyſium, cum ex aliis ejus ſcriptis deberent, non ex hac una epiſtola, de illius fide doctrinaque facere judicium.

* (492) *nimis difficilia*.
* (493) *verbis ejus oſtendam*.
* (494) *fallere moliuntur*. Græca vox eſt ἐπιχειροῦντων apud Athanaſium in epiſtola *de ſententia Dionyſii*.
* (495) *communione Eccleſiæ religioſius*.

non

non maneret Epiſcopus. Igitur Athanaſius, qui
non tantum verbi doctrina, quantum paſſionibus,
trinæ unitatis erat aſſertor, & cujus tota vita
martyrium fuit, auctoritati ſe ſubdit Eccleſiæ,
& quod Dionyſio communicavit uſque in finem,
hoc ſolum judicat ejus purgationi ſufficere, ita
ut illum pro talibus dictis non condemnare di-
* 496 co, verum nec leviter * culpare præſumat; ſciens
quoniam ſi hoc faceret, totam quæ illi commu-
nicavit culparet Eccleſiam. Et neſcio qui, quos
utinam vere neſciremus, prædicatum a tantis
patribus Theodorum in reprehenſionem Eccleſiæ
condemnare præſumunt, & inſuper ſanctam ſy-
nodum, quod hoc non præſumpſerit criminari?
Quid eſt autem quod in illo inexcuſabile jam in-
venerant, ſi in Dionyſio potuit excuſari, quod
factum eſſe dicit filium Dei, & extraneum ab
eſſentia patris, & quia non erat antequam fie-
ret, cum patres apud Nicæam anathematizave-
rint eos qui dicunt, erat quando non erat, &
antequam naſceretur non erat, & qui dicunt
factum vel ex alia eſſentia eſſe filium Dei? Sed
Athanaſius, vir magna ratione & gravitate fun-
datus, & cui tanquam experientiſſimo duci
ſumma prælia adverſus hoſtes Eccleſiæ merito
crederentur, noverat ipſis exercitatus periculis
hæreticorum fallacias prudenter excipere. Nam
& illi non minore, imo calidiore aſtutia, in-
cautis frequenter illudunt, ut quos in Eccleſia
catholica, velut in caſtris cujuſdam magnæ rei-
publicæ ſapientes & fortes viderint, ne illorum vel
conſilio credamus, vel confirmemur exemplo,
quia ſuos facere non poſſunt, vel nobis faciant
eſſe ſuſpectos. Et ob hoc ille, non velut qui-
dam levis, atque * ad omnia eorum factionibus
* 497 movebatur: ut quemadmodum malitioſi ac ti-
midi, & tam malitioſi quam timidi duces exer-
citus ſolent, quia Dionyſium Ariani videri ſibi
conſcium volebant & amicum, eum crudeliter
& temere condemnaret, & quem ſecum propu-
gnatorem adverſus hoſtes habebat, a cæleſtibus
caſtris excluderet. Hunc itaque doctiſſimum at-
que ſanctiſſimum virum imitari, clementiſſime
Imperator, hujus rationem & circa pacem Eccle-
ſiæ obſervantiam ſequi debemus. Nam illorum
deridemus crudelitatem, qui ad defendendum
ſuos ignavi, ad condemnandum vero feſtini, de
reprehenſione majorum ignominioſam & hæreti-
cis communem gloriam captant. Nam credo quod
magiſtros militiæ tuæ hanc in caſtris a te ſibi
creditis erga hoſtium dolos & ſuorum defenſio-
nem cautelam præcipias obſervare, quam magi-
ſter militiæ Chriſti Athanaſius obſervavit. &
ideo non dignos exiſtimes Eccleſiarum Dei præ-
poſitos, quales ſi caſtrorum tuorum haberes,
judicares indignos. Nunc ergo, ſi mihi Neſto-
riani dixerint, Theodorus Mopſueſtenus, qui
& in Epiſcopatu defunctus eſt, & non ſolum in
epiſtola, quam * noſtra ſynodus pronuntiavit or-
* 498 thodoxam, verum etiam in illis epiſtolis qua-
rum auctoritate Romani Leonis dogmaticam de-
fendit epiſtolam, magna prædicatione laudatus,
ita de Chriſto quemadmodum Neſtorius ſenſit,
& in defenſionem ſui dogmatis, ſicut de Diony-
ſio Ariani fecerunt, quædam de libris ejus capi-
tula ad aliud intendentia, & adverſus alios con-
ſcripta protulerunt, quæ indigeant excuſari,
confeſtim formam, quam nobis B. Athanaſius de

A Dionyſio præbuit, ſequar, & iiſdem verbis, qui-
bus Arianis ille reſpondit, ego quoque iſtis pro
Theodoro Mopſueſteno reſpondeam, dicens, Ne-
quicquam illi viro calumniamini, qui neque ab
aliis Epiſcopis de impietate accuſatus eſt, aut de
Epiſcopatu dejectus, ſicut Neſtorius, neque ille
velut hæreſem defendens ab Eccleſia diſceſſit,
ſed in eadem bene defunctus eſt. Si enim ali-
quid iſtorum ſentiret, vel de his quæ ſcripſit
excuſationem non faceret, ſine ambiguitate et-
iam ipſe ſimilia pateretur. In aliis quoque re-
ſponſionis ejus ordinem tenens, iterum dicam,
quia ſicut iſta ſcripſit Theodorus, ita etiam a-
lia plurima ſcripſit, & oportet vos & illa le-
gere, ut ex omnibus, & non ex iſtis, fides vi-
B ri illius agnoſcatur. Et proferam ejus multa Ne-
ſtoriano errori contraria, de quibus pauca * li-
bris alligavi. Demonſtrem vero illis & cauſam * 499
cur talia ſcripſerit, & doceam quod contra Sy-
nuſiaſtas, qui temporibus ejus maxime fervebant,
ubicumque inventa occaſione ſecurius talia lo-
quebatur, necdum ex diverſo Neſtorii ſollicitan-
te perfidia. Et mihi quidem, vel quibuſque ca-
tholicis, hæc ſola contra Neſtorianos ſufficient,
quæ magno Athanaſio contra Arianos illo tem-
pore ſuffecerunt. Quæ autem nos amplius habea-
mus pro Theodoro, quam Athanaſius pro Diony-
ſio habuit, oſtendere, quin potius oſtenſa com-
C memorare non differam. Providit enim miſeri-
cordia Domini, vel pro noſtra inſcitia, qui mi-
nus habiles ad defendendum ſumus, vel proper-
tinacia contrariorum, qui manifeſtæ nolunt ac-
quieſcere veritati, ut multo pluribus modis Theo-
dorus excuſari quam Dionyſius poſſet. Quod e-
nim nos aſſerimus, adeo diverſum fuiſſe a Theo-
dori ſenſu Neſtorium, ut a reverentiſſimo Joan-
ne Antiocheno * admonitus, non auſus fuerit
dictorum illius teſtimoniis ſua male dicta defen- * 500
dere: quod utique non omitteret, niſi catholi-
ci viri doctrinam contrariam ſibi videret. B. A-
D thanaſius nihil tale in defenſionem venerabilis
Dionyſii quod diceret habuit: quia non ſicut
Theodori Neſtorius, ita Dionyſii Arius exemplo
fuerat admonitus & convictus. Deinde quod Theo-
dorus ultro ſemetipſum reprehendens in expoſi-
tione pſalmorum, confeſſus eſt quod negligenter
a ſe compoſita fuerint plurima, & maxime illa,
quæ prima ſunt, & quod perhibuit aliqua in ſuos
libros ab Apollinariſtis immiſſa. Poſſumus ergo
Neſtorianis dicere, quod ex illis plurimis negli-
genter ab eo compoſitis credenda ſint illa ipſa,
quæ putant ſuo dogmati convenire, aut ex eis
quæ Apollinariſtas in ſuos libros immiſiſſe con-
E queſtus eſt. Poſſumus etiam proferre quod in quin-
to de Incarnatione libro idem Theodorus ait, &
nos in noſtro ſuperiore poſuimus, quod ubicum-
que de Chriſto diſputans alterum & alterum di-
cit, non perſona, ſed natura alterum dicat.
Hæc omnia quæ nobis ſuperabundant, B. Atha-
naſio ad excuſandam Dioniſii epiſtolam defue-
runt. Quem cum Eutychiani vel Semieutychia-
ni Acephali culpare non audeant, quomodo Cal-
chedonenſem ſynodum culpent, quæ Theodori
dicta non excuſare voluit, ſed noluit non * ex- * 501
cuſatum damnare?

---

* (496) *ſaltem culpare.*
* (497) *ad omnia mobilis eorum.*
* (498) *veſtra.*

* (499) *libris ſuperioribus allegavi.*
* (500) *exemplo ejus admonitus.*
* (501) *accuſatum.*

CAP. VI. **S**Anctus autem [a] Baſilius magnum Gregorium, qui miraculorum operatoris cognomen accepit, ut θαυματουργὸς vocaretur & vocetur a Græcis, non ab Arianorum tantum, qui creaturam & facturam filium dicunt, verum etiam a contrario Sabellianorum errore defendit, qui unam patris & filii ſubſiſtentiam dicunt; quamvis hæc & prædictus Gregorius dixiſſe videatur. Unde idem S. Baſilius, loquens de quibuſdam, qui auctoritate ipſius Gregorii excuſare ſuam perfidiam nitebantur, » Immiſerunt, ait, quoddam experimentum per epiſtolam ad unanimem noſtrum Anthimum Tyanorum Epiſcopum, quod magnus Gregorius dixerit in expoſitione fidei, patris & filii perſonas intellectu quidem eſſe duas, ſubſiſtentiam autem eſſe unam. hoc autem quia non dogmatice dictum eſt ſed certative in ſermone ad Gelianum, non potuerunt conſpicere qui in ſubtilitate ſenſuum ſemetipſos beatificant. in qua multæ ſunt falſitates eorum quæ ſcribuntur, ſicut in ipſis ſermonibus oſtendemus, ſi Deus voluerit. Rurſus vero pagano ſatiſfaciens, non arbitrabatur opus eſſe ſubtilitatis ratiocinatione circa verba. Eſt etiam ubi & conſentiendum ſit conſuetudini contradicentis, ut non ad neceſſaria reluctetur. Quapropter & multas invenies ibi voces, quæ nunc hæreticis maximam virtutem præbeant, ſicut creaturam, & facturam, & ſi quid tale eſt. Multa autem dicta & de conjunctione quæ ad hominem facta eſt, ad divinitatis referunt rationem qui inerudite audiunt ſcripturas: quale eſt & hoc quod ab his circumfertur. « Proinde quomodo ſynodus juſte anathematizaret Theodorum in Eccleſiæ pace defunctum, cum propterea Athanaſius & Baſilius Dionyſium atque Gregorium a criminibus talibus tantiſque defendant, quod in Eccleſiæ pace defuncti ſunt? aut quomodo epiſtolam venerabilis Ibæ pro laude Theodori pronuntiaret hæreticam, cum hæc Athanaſii & Baſilii ſcripta hæretica dicere non auderet? aut quomodo Eutychiani eandem ſynodum culpant, quod apud ſe non accuſatum Theodorum anathematizare non præſumpſerit, cum iſtos patres, a quibus Dionyſius atque Gregorius etiam excuſantur, culpare non poſſint?

b Sed aliud quod majus eſt proferamus. Nam [b] B. Hilarius, Arianorum potentiſſimus atque acerrimus expugnator, & conſtantiſſimus fidei Chriſtianæ confeſſor, in epiſtola, quam de exilio

A ſcripſit Epiſcopis provinciæ Germaniæ primæ, & Germaniæ ſecundæ, & primæ Belgicæ, & Belgicæ ſecundæ, & Lugdunenſis primæ, & Lugdunenſis ſecundæ, & provinciæ Aquitanicæ, & provinciæ Novempopulanæ, & ex Narbonenſi plebibus & clericis Toloſanis, & provinciarum Brittaniarum Epiſcopis, non unius hominis verba privatim dicta, ſed publica decreta concilia approbat, quibus octuaginta noſtri patres pro Paulo Samoſateno repudiaverunt ut homouſios, id eſt uniuseſſentiæ, cum patre filius vocaretur, & rationem cur

B hanc vocem repudiaverint talem reddit, quoniam memoratus Paulus hæreticus ſolum patrem Deum eſſe confitebatur, filium vero a Mariæ matris generatione cœpiſſe, & hominem tantum eſſe dicebat, & docebat propterea maluiſſe illos patres remoto homouſio homœouſion ſtatuere, id eſt ſimilis eſſentiæ, quoniam ſimilitudo unionem non permittit intelligi. At cum Arius poſtea homœouſion male intelligeret ac doceret, & negans filium cum patre unius eſſe ſubſtantiæ, ſic diceret ſimilem patri, ſicut Joannes Apoſtolus de ſe atque aliis adoptionis

C filiis dicit, *Nunc filii Dei ſumus, & nec dum manifeſtatum eſt, quod * ſumus. ſcimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. Cum ergo * prave homœouſion Arius prædicaret, alii * patres homouſion reſumpſerunt. Proinde Hilarius, ut in neutris patribus accuſaret Eccleſiam, quæ utroſque habuit honoratos, hanc abſolutionem quæſtioni dedit, quoniam & illi octuaginta contra hæreticum improbaverunt homouſion, & trecenti decem & octo

D idipſum contra hæreticum probaverunt. Hoc quoque adjiciens: » Cogitemus tot ſacerdotes ſanctos & quieſcentes jam. quid de nobis erit qui rem eo deducimus, ut quia Epiſcopi non fuerunt, nos quoque nec cœperimus. ordinati enim ab his ſumus, & eorum ſumus ſucceſſio. renuntiemus Epiſcopatui, quia officium ejus ab anathemate ſumpſerimus. Verum hæc omnia, « quæ vel privatim a ſanctis Dionyſio atque Gregorio

E dicta, vel publice in Concilio a memoratis octuaginta * patribus, non tantam excuſandi habere difficultatem videntur, quoniam ante definitionem Nicænæ ſynodi prolata reperiuntur. Illud eſt multo amplius, quod idem S. Hilarius in eadem ſua epiſtola prolata æque defendit [c] Sirmienſe concilium poſt Nicænum congregatum, in cujus decretis dictum eſt: Si quis

[Marginalia: 1. Joan. 3.2. — * 502 — * 503 — * 504 — sub finem. — * 505 — c]

a *Baſilius magnum Gregorium*) Ea eſt Baſilii epiſtola lxiv. ad Neocæſarienſes, p. 849. Ὡς ἄρα Γρηγόριν εἰπόντος ἐν ἐκθέσει πίστεως, πατέρα καὶ υἱὸν ἐπινοίᾳ μὲν εἶναι δύο, ὑποστάσει δὲ ἕν. Quæ verba non extant in Ecthesi revelata Gregorii, neque in altera, quæ ἡ κατὰ μέρος πίστις inſcribitur. In alia igitur erant, quam ſcripſerat ad Gelianum, ſive Ælianum, ut legitur apud Baſilium. Poſterioris κατὰ μέρος fidei locum inſignem recitat Anaſtaſius in Ecloge, quem operæ pretium fuerit exſcribere, quia Latina verſio depravata non injuria torſit Scholiaſtem. Ἐκ τῆς κατὰ μέρος πίστεως Γρηγορίου τοῦ μεγάλου, καὶ θαυματουργοῦ. Καὶ ἔστι θεὸς ἀληθινὸς ὁ ἄσαρκος ἐν σαρκὶ φανερωθείς. τέλειος τῇ ἀληθινῇ καὶ θείᾳ τελειότητι. οὐ δύο πρόσωπα, ἀλλὰ δύο φύσεις. οὐδὲ τέσσαρας προσκυνοῦν λέγομεν θεὸν, καὶ υἱὸν θεοῦ, καὶ ἄνθρωπον, καὶ πνεῦμα ἅγιον. διὸ καὶ ἀναθεματίζομεν τοὺς οὕτως ἀσεβοῦντας. τοὺς ἄνθρωπον ἐν τῇ θείᾳ δοξολογίᾳ τιθέντας. ἡμεῖς φαμὲν ἄνθρωπον ἀναλαμβανόμενον ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς συντελεῖν ἡμῶν· ἵνα τὴν ὁμοίωσιν τοῦ ἐνυπάρχου λάβωμεν καὶ θεοποιηθῶμεν πρὸς ἑνότητα τῆς φύσει ἀληθινοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. κατὰ σάρκα δὲ ἀνθρώπου, κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Interpres corruptum nactus exemplar, pro ἀλλὰ δύο φύσεις, contrario ſenſu legerat, οὐδὲ δύο φύσεις.

b *B. Hilarius*) In epiſtola de Synodis. *Male*, inquit, *ὁμοούσιον Samoſatenus confeſſus eſt, ſed numquid melius Arriani negaverunt? octoginta patres Epiſcopi olim reſpuerunt, ſed trecenti decem & octo nuper receperunt*. Et probando autem, & improbando, ut mox addit, unum utrique ſtatuerunt. Eodemque modo Athanaſius idem argumentum tractans de Synodis Arimini & Seleuciæ, utroſque laudat, tum eos qui Antiochiæ contra Samoſatenum repudiarant, tum eos qui apud Nicæam adverſus Arrianos approbarunt. Ἀλλ' οὔτε, inquit, τούτους, οὔτε ἐκείνους ὅσιον αἰτιάσασθαι· πάντες γὰρ ἐπρέσβευσαν τὰ Χριστοῦ καὶ πάντες σπουδὴν ἐσχήκασι κατὰ τῶν αἱρετικῶν, καὶ οἱ μὲν τὸν Σαμοσατέα, οἱ δὲ τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν κατέκριναν. ὀρθῶς δὲ καὶ οὗτοι κἀκεῖνοι, καὶ καλῶς πρὸς τὴν ὑποκειμένην ὑπόθεσιν γεγράφασι.

c *Sirmienſe Concilium*) In quo epiſcopatu dejectus eſt Photinus anno Chriſti eccl. Hilarius in eadem epiſtola: *Eam nunc fidem retractemus, quæ non olim, tunc cum Photinus epiſcopatu dejectus eſt, conſcripta eſt:* Exemplum fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conſcriptæ

De anno Synodi Sirmienſis diatribas Sirmondi duas ab ipſo non editas ex ipſius autographo dabimus inter ejus opuſcula.

* (502) *futuri ſumus*. Habet Vulgata: *quid erimus*.
* (503) *poſtea prave*.
* (504) *patres e contrario homouſion*.
* (505) *patribus decreta ſunt, non tantum*.

„ unum dicens Deum, Chriſtum autem Deum ante ſæcula filium Dei obſecutum patri in creatione omnium non confitetur, anathema ſit. & iterum, ſi quis * Deum non dominum patrem, „ & filium quaſi dominum a domino, duos dicat „ Deos, anathema ſit. Non enim exæquamus vel „ comparamus filium patri, ſed ſubjectum intelligimus. Neque enim deſcendit in Sodoma ſine „ patris voluntate, neque pluit ex ſe, ſed a Domini auctoritate, ſcilicet patris. nec ſedet ad „ dexteram a ſemetipſo, ſed audit dicentem patrem, *Sede ad dexteram meam*. Rurſumque, Si „ quis innaſcibilem & ſine initio dicat filium, tamquam duo ſine principio & duo innaſcibilia & „ duo innata dicens, duos dicat Deos, anathema ſit. Caput enim quod eſt principium omnium Chriſtus: caput autem quod eſt principium Chriſti Deus. Ita enim ad unum, qui „ eſt ſine principio omnium principium, per filium „ univerſa referimus. Et iterum, Confirmantes „ Chriſtianiſmi intellectum, dicimus quoniam ſi quis „ Chriſtum Deum filium Dei ante ſæcula ſubſiſtentem „ & miniſtrantem patri ad omnium perfectionem non „ dicat, ſed ex quo de Maria natus eſt, ex eo & „ Chriſtum & filium nominatum eſſe, & initium „ accepiſſe ut ſit Deus, dicat, anathema ſit.

* 506 · Pſal. 109.1. · cap. 26. · cap. 27.

Quæ omnia * memoratum Sirmienſe Concilium Sanctus Hilarius neceſſarie contra Photinum * & Orientales aſſerit decreviſſe. Quorum ſufficientem excuſationem faciens quomodo ſint accipienda demonſtrat. Hæc ergo Athanaſio, hæc Baſilio, hæc Hilario, & omnibus viris ſanctis, ſollicitudo fuit, ne culpatis velut hæreticis eis qui in Eccleſiæ pace atque honore defuncti ſunt, ipſa quæ illos magno honore dignata eſt Eccleſia culparetur. Et ideo vel ſi forte inveniantur aliqui in plurimis approbati, qui eumdem Theodorum damnent velut hæreticum, hoc probabiliter profecto non faciunt; nec in eo ſequendi ſunt, in quo conſuetudinem Eccleſiæ non ſequuntur. Unde ſi Calchedonenſis ſynodus, Eccleſiæ morem in defenſionem ipſius Eccleſiæ ſequens, dicta Theodori ſimiliter excuſaret, quis eam de hac pietate atque cautela niſi profanus argueret? nec tamen & hoc ſine * Athanaſio & Hilario poſſet. Porro aliquid tale non fecit, quæ hinc invidiam ſuſtinet, quod alterius ad ſe delatam epiſtolam, nec de laude Theodori accuſatam, pro veræ fidei confeſſione quam continet, pronuntiavit orthodoxam.

* 507 · * 508 · 509

CAP. VII. INſpiciamus autem ipſos Eutychianorum ſantores, qui dicta in Eccleſiæ pace quieſcentium, quoniam obſcurum aliquid in eis invenitur, damnari magis quam excuſari volunt, utrum ita vigilanter cauti ſint, ut in ſuis dictis atque conſcriptis reprehendi nullatenus queant. Si enim tam circumſpecti ſunt, ut in nullo de-

A prehendantur offendere, tolerabile fortaſſe dicatur, quod ſua ſapientia freti, ad nos noſtrique ſimiles, qui in multis offendimus, condeſcendere non dignantur. Verum quid agemus, quod nullos ab eis in alia cauſa conditos libros audivimus, quorum diſcuſſione irreprehenſibilem eorum peritiam & pervigilem poſſimus probare cautelam? Placet ergo eis, ut in hoc libro, quem communi ac diuturno tractatu in præjudicium ſanctæ ſynodi ſcripſerunt, ſive ſcribi fecerunt, perfectam eorum nuſquam culpabilem ſcientiam
B requiramus? Sed jam etſi non omnes, quos continet, quoniam aliud in hoc opere demonſtrare ſuſcepimus, multos tamen ex occaſione prodidimus * errores, multa quoque mendacia, ſibique contraria. Ubi & hoc docuimus, quia cum mendacio ſtudeant, neſciunt vel quomodo mentiantur; & quomodo per eandem ſcientiam etiam verum contra ſe aliquando loquantur. Si autem in hoc libro, in quo ſubſcripſerunt, alienos errores, ſive falſos, ſive veros arguere intenti in tantis reprehenſi ſunt, qua fronte non dicam Theodori, ſed cujuslibet hominis dicta culpare præſumunt? * At erubeſcent iſti judices mortuo-
C rum, ſi per totum ipſum librum eorum conſideremus inſcitiam: & idcirco in ipſa tantum ſententia, qua Theodorum cum ſuis dogmatibus damnaverunt, inſpicere eam ac demonſtrare propoſui. Dixerunt enim ſicut narravimus, a Si quis " non anathematizat Theodorum Mopſueſtiæ, & " ejus dogmata, eoſque qui aut ei ſimilia ſapue- " runt, aut ſapiunt, anathema ſit. In qua ſenten- " tia intende quæſo quot & quam magna vitia reprehendam. Primum eſt, quod eum contra ſententiam patrum, & totius Eccleſiæ judicium, in
D cujus pace defunctus eſt, anathemati ſubdiderunt. Secundum autem, quod condemnando omnes qui ei non dicunt anathema, memoratos quoque venerabiles patres, & ipſam quæ Theodoro communicavit Eccleſiam, atque omnes præſentes in corpore Chriſti fideles, qui ſive quod in Eccleſiæ pace vitam finierit, ſive quod nec errores ejus, nec nomen audierint, eum non anathematizant, decreverunt ut anathema fierent: quod aperte contra juſtitiam, & contra morem Eccleſiæ factum eſſe jam diximus, nec ullum tale invenimus exemplum, ubi anathema
E facti ſint, qui alicui hæretico, quem ignorare poſſunt, non dicunt anathema. quod nec iſti decernerent, niſi ad ſynodi Calchedonenſis injuriam, quæ cum apud ſe recitarentur ejus laudes, non ei dixerit anathema. Tertium vero eſt, quod ſine ulla exceptione generaliter ejus dogmata, & univerſos qui eis non dicunt anathema condemnantes, in quibus nec ipſi negant plurima recta eſſe, non ſolum quos ſupra memoravimus patres, & alios præteriti vel præſentis temporis innocentes, verum & ipſam catholicam fidem, cujus aſſertionibus omnem hæreſem, teſtan-

* 510 · * 511 · a

Credimus in unum Deum, &c. Integram enim deſcribit, cum ſubditis capitibus vel anathematiſmis XXVII. Orientales autem intelligit, quos Athanaſius de eadem Fide agens Euſebianos vocat. Semiarianos videlicet. Quamquam ergo ſuſpectæ fidei erant auctores, & auctores ſuos decreta ipſa redolebant, non dubitavit tamen Hilarius eadem, tanquam contra Photinum neceſſario condita, explicare ac defendere.

a *Si quis non Anathematizat*) Ut ſupra initio lib. III. Iiſdem quoque verbis & Juſtinianus in Edicto. *Εἴ τις τοίνυν ἀντιποιεῖται Θεοδώρου, ἀλλὰ μὴ ἀναθεματίζει αὐτὸν, καὶ τὰ αὐτοῦ συγγράμματα, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια αὐτῷ φρονοῦντας ἢ φρονήσαντας, ἀνάθεμα ἔστω.*

* (506) *Dominum & Dominum, Patrem & Filium &c.* favent huic lectioni Codices alii MS. plures, ut videre eſt in nova editione S. Hilarii in *lib. de Synodis, ſeu de fide orientalium.*
* (507) *memorato Sirmienſi concilio.*
* (508) deeſt &. Unde ſenſus eſt: prædicta omnia Orientales in Sirmienſi concilio decreviſſe.
* (509) *Athanaſio, Baſilio, & Hilario.*
* (510) *ejus errores.*
* (511) *At ego minus arbitror apparere, quam neſcii ſint atque ignari iſti judices &c.*

te Joanne & Domno Antiochenis, atque Orientali Concilio, Theodorus expugnavit, & quam ſecundum Cyrillum, ut interim perhibent, magnifice adverſus Arianos & Eunomianos aſſeruit, anathematizare proculdubio convincuntur. Quartum eſt, quod contenti non fuerint illos tantum anathematizare qui ſimilia ſapiunt: ſed iterum contra juſtitiam Eccleſiæque regulam addi-
* 512 derunt, & illos qui * ſimilia ſapuerunt: Et quamquam Theodorum nihil male ſapuiſſe probaverint; quantum tamen ad eos attinet, condemnaverunt omnes ab ipſo, in quem illum incidiſſe putant, errore converſos: nihilque illis præſtitit ſua converſio, quod jam talia non ſapiunt, quando & propter hoc damnantur, quod aliquando talia ſapuerunt. Ubi quid agent de Martha & Maria ſororibus Lazari, quæ familiari devotione ipſi Domino, dum hic in carne degeret, adhæſerunt? Et tamen utraque, id eſt prius Martha ac deinde Maria legitur ei dixiſſe, *Do-*
Joan. 11. 21. & 32. *mine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus*. Quæ licet crederent quod ipſe eſſet * fi-
* 513 lius Dei qui in mundum veniſſet; tamen non dicerent, ſi fuiſſes hic, ſi eum cognoſcerent ſicut Deum ubique eſſe præſentem. Eadem ergo ſapuerunt quæ dicitur ſapuiſſe Theodorus, & cum Theodoro ſimul anathematizatæ ſunt. Et quantos vel eo tempore in Evangeliis & Apoſtolicis ſcriptis tales fuiſſe cognovimus? quantos etiam nunc tales in grege fidelium, ſola ſanctorum myſteriorum participatione, & ſimplici præceptorum obedientia placentes Deo vidimus? cum & ipſi primi paſtores ejus Apoſtoli ſic aliquando ſapuerint, quos omnes cum Theodoro vidimus in hoc anathemate condemnatos? Nam etſi dicantur Thomas & Philippus, qui aiunt, *Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis*, non hominem tan-
Joan. 14. 8. tummodo credidiſſe Chriſtum, ſed Deum, quamvis patre minorem, aut ſeparatum a patre, propter quod etiam dictum eſt, *Non creditis quia*
Ibid. 10. *ego in patre, & pater in me eſt*? ſimilia proculdubio ſapuerunt eis quæ putatur ſapuiſſe Theodorus. Non enim diſſimilis aut minoris ignorantiæ fuit, vel minorem credidiſſe Deum, vel a patre filium ſeparatum. Niſi forte ſic nobis error Neſtorianus diſplicet, ut placeat Arianus: Quomodolibet ergo ſapuiſſe dicantur, aut eadem proculdubio, aut ſimilia ſapuerunt. Pro hac ergo præcipiti & inconſiderata ſententia ſua reſpondeant qui tantummodo alienis calumniari ſciunt, ſua vero defendere neſciunt, & ſi quid poſſunt, ab iſtis * vinculis manifeſtæ veritatis
* 514 abſolvant: & forte credimus quod acceperint poteſtatem ligandi eos qui ſuper terram non ſunt, quam nec Apoſtoli acceperunt. Ecce quatuor magna vitia, non obſcura, nec de aliquibus ſecretis educta, ſed clara & manifeſta, eos docuimus incurriſſe. Quomodo igitur ille ſubtilis eorum intellectus in nocte obſcurarum quæſtionum elucubratis excogitationibus adverſus aliena dicta pervigil, in ſuis obtuſus inventus eſt & medio die lethargicus? In quantis autem librorum voluminibus iſti cenſorii mortuorum judices tantos & numero & magnitudine feciſſe deprehenduntur errores? Nonne una breviſque ſententia eſt, quæ ſemel tincto calamo ſcribi poteſt, „ Si quis non

A B C D E

" anathematizat Theodorum Mopſueſtiæ, & ejus " dogmata, eoſque qui aut ſimilia ei ſapuerunt, " aut ſapiunt, anathema ſit? & in his pauciſſimis ſyllabis longo tempore meditatis, tam multi ſapientes, & quod eſt amplius, alienorum dictorum ſcrupuloſiſſimi & calumnioſiſſimi diſcuſſores, in ea ipſa calumniæ ſuæ ſententia ſic erraverunt, ut etiamſi vera forent, quæ in denotationem ſanctæ ſynodi de Theodoro jactant, non poſſent eorum erroribus comparari. Et audent iſti diſcutere ac reprehendere inluſtris doctrinæ viros, quorum ſunt innumeri libri, qui non ſine magnis & multis erroribus ſemel intinctum calamum ſcribendo fundere potuerunt? Illud etiam conſiderandum eſt, quod Theodorus, necdum Neſtorianis apparentibus, in alios intendens, & oppugnantibus Synuſiaſtis obvius, ** ** in MS. obli-
* aliquam offenſionem ad aliud pergentis tran- quam.
ſitu ſermonis incurrit. Iſti vero, quod non im- * 515
merito venia caret, longo pacis otio ſeduli & quieti, ſi tamen quieti, non ſolum multipliciter & graviter erraverunt; ſed inter ſe ac tantos patres, & univerſam quæ Theodoro communicavit Eccleſiam, ipſos quoque Apoſtolos, interpoſuerunt anathema. Quod ille in quibus ab eis reprehenditur non fecit, qui nunc pro ſolo præjudicio ſynodi ſub anathemate condemnatur. Unde ſi ante centum annos audax & aſperum ſan-
ctis patribus apparebat, ut anathema * impone- * 516
rent dictis in pace Eccleſiæ mortuorum, quanto nunc audacius eſt atque aſperius, ut non ſolum eorum dicta, quod conſtat olim prohibi-
tum, ſed perſonæ quoque damnentur? * Et pa- * 517
tres illi, qui condemnare prohibebant Theodori & aliorum dicta, conſultiſſime dicebant, Quis enim noſtrum ſperet non defungi? aut a quo non dictum eſt aliquid, quod alium poſſit movere? caventes utique, ne tali exemplo ipſorum quoque dictis poſt mortem imponeretur anathema. quantum nos metuere debemus exemplum poſteris dare, quo non ſolum dicta poſt mortem dicentium, ſed perſonas quoque condemnent? Nam ſi Theodorus poſt tantos ſuæ defunctionis annos deteſtandus creditur, qui non probatur correctioni reſtitiſſe dum viveret: ſi Theodorus condemnatur, qui neminem condemnavit in Eccleſiæ pace defunctum: ſi Theodorus excluditur, qui non invenitur in Eccleſiæ præjudicium ſcripſiſſe aliquid, de quo ipſa conturbaretur Eccleſia. quid de nobis agitur, ſi multis tumultuoſæ noſtræ præſumptioni contradicentibus, non exemplum tantummodo, verum etiam cauſam poſteris demus adverſus nos talia præſumendi? ſi tamen dicenda videatur illa præſumptio, & non magis præſumptionis digna reprehenſio. An forte cuipiam videbitur indignum, ut qui in Theodori condemnatione, tot ſanctos patres, tot innocentes, tot placitas & familiares Chriſto perſonas, atque ipſos anathematizaverunt Apoſtolos, ne tantum facinus maneat, ipſum potius cum ſuis condemnetur auctoribus? Corrigant ergo nimis profanam temeritatem ſuam, aut ſi nihil ſe putant corrigendum feciſſe, facti rationem reddant, & non in alienorum reprehenſione dictorum, ſed potius in ſuorum defenſione, ſubtilitatem in-

* (512) *ei ſimilia*.
* (513) *Chriſtus filius Dei*.
* (514) *ſe vinculis*.

* (515) *obliquam offenſionem*
* (516) *imponeretur*.
* (517) *Et ſi Patres*.

genii, de qua multum gloriantur, oſtendant. Hoc de veſtra juſtitia petimus, ut ſi reſpondere tentaverint, ultra eis non liceat ſub titulo veſtri nominis * ſua & profana conſcribere. quia licet docentibus Apoſtolis didicerimus, quod A Deo magis quam hominibus oporteat obedire: quantum tamen in nobis eſt, * optamus & Deo obedire & hominibus, dum ea volunt & imperant homines, quæ contraria non ſint obedientiæ quam Deo debemus.

* 518 * 519

FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS,
PRO
DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM,
LIBER UNDECIMUS.

CAP. I.

MUlta ſunt equidem dicta, quibus calumnias Eutychianorum magnam ſynodum Calchedonenſem etiam de Theodori cauſa criminantium ex omni diſcidimus parte. Quid enim jam ſupereſt unde cauſari poſſint, quando non ſolum ea * concidentes quæ finxiſſe illos monſtratum eſt, verum etiam plurima quæ nec conficta ſunt, noſtra ſponte ut eis illuderemus dantes, ſic quoque docuimus eandem ſynodum invicta & evidenti ratione defendi? At tamen quia voluimus eis amplius quam in ſuperioribus fecimus comprobare, quomodo multorum patrum doctrinam, quos & ipſi nobiſcum honorare ſe dicunt, in condemnatione dogmatum Theodori criminentur; & quia non tam pro memorata ſynodo, quæ jam ſatis abundeque purgata eſt, quam pro eiſdem patribus decertamus; ſtatuimus in hoc volumine magnorum virorum dicta proferre ſimilia, ad excuſandum difficiliora his pro quibus eum putaverunt, tanquam magiſtrum Neſtorii, anathemate percellendum: ut in plurimis exemplis videant, quod ſapientiſſimus Joannes Antiochenus cum orientali Concilio ſcribens beato Cyrillo de qui„buſdam capitulis ſupradicti Theodori dixit. Sed „illis quæ putantur obſcura, ſimilia multa & a „plurimis anterioribus ejus, & glorioſis patribus „dicta invenimus; & periculum impendet non le„ve, ne iſtis etiam illos" ſolvamus, ejus viri re„probantes dicta, qui in Epiſcopatu * defunctus, „agonibus autem adverſus Arianos & Eunomianos „& alios hæreticos decem millibus per omnem „ſuam vitam ubique decoratus eſt. quod ſi fiat, „multa etiam ab aliis ſanctis patribus apte di„cta * retractaturi ſumus. & poſt aliqua. Quis „enim, inquit, noſtrum ſperet non deſungi? aut „a quo non dictum eſt aliquid, quod alium poſ„ſit movere? Et ſuffecerat quidem hæc proteſta„tio tanti Concilii ad compeſcendam temerariorum audaciam, quod multa ſimilia capitulis, quæ in Theodoro culpant qui occaſionem faciebant contrario dogmati quo tenebantur, etiam

* 520

"Tomo V. operum Cy. rilli, parte 2. pag. 193.

* 521

* 522

B a plurimis anterioribus & glorioſis patribus dicta invenient. Sed quoniam modo ei non creditur, cui hactenus bene creditum fuit, & ratio ejus ſana contemnitur, qua rurſus ait, aut a quo non dictum eſt aliquid, quod alium poſſit movere, neceſſitate compellimur ex eiſdem multis ſimilibus patrum dictis aliqua proferre, & in quo movere poſſint oſtendere, ut Eutychiani, eorumque ſatellites, diſſimulare non poſſint, quod in condemnatione dogmatum Theodori neceſſario etiam ipſorum patrum doctrina, in qua inC veniuntur ſimilia, condemnetur. Nam B. ^a Euſtachius Antiochenus Epiſcopus, qui primus in Nicæno Concilio fuit, ſexto adverſus Arianos libro, de eo quod ait Dominus, *Nemo ſcit diem illum*, Dicamus, inquit, cujus rei gratia filius hominis diem proprii adventus ignorat." Neque enim dubium eſt, quia & hoc cauſa" utilitatis hominum providens adinvenit omnium" creator & generis opifex Deus. Sicut enim ho" minem cauſa ſalutis hominum verbo coaptavit" & Deo: ſic & inſignem judicii diem cauſa di" D vini beneficii homini competenter abſcondit;" ne forte ineffabilia myſteria ſimilis generis ho" minibus homo indicans, & diem ſecundi adven" tus oſtenderet. Quid tale quæſo in dictis Theo" dori contra ſynodum Calchedonenſem Eutychia" ni hactenus invenerunt, aut ſe invenire finxerunt? Ut enim omittam quod hic ait, Filius hominis diem proprii adventus ignorat, nec ſaltem dixit, ignoravit, ut ante reſurrectionem tantum, non etiam poſt reſurrectionem, igno E rantem eum dixiſſe videretur, quando neque in ejus fidelibus ulla ignoratio remanebit. Ut ergo hoc, ſicut dixi, prætcream, quoniam facile dici poteſt ſecundum illud tempus, quod ante reſurrectionem Chriſtus hic egit, locutus beatus Euſtachius. Ut illud quoque relinquam, quod ait, Hominem cauſa ſalutis hominum verbo coaptavit & Deo, quod Eutychiani proculdubio in Theodoro, ſi ipſe hoc diceret, accuſarent, tanquam prius extiterit homo, qui verbo coapta-

a

"Matth. 24. 36.

a *Euſtachius Antiochenus*) Scribendum Euſtathius, Εὐστάθιος. Sic enim omnes vocant. Euſtachius etiam ſimili errore alibi dictus, qui Ibæ judex fuit cum Photio, cum alii Euſtathium nominent. Hujus τοῦ ἁγίου Εὐσταθίου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας, καὶ ὁμολογητοῦ, varia citantur a Theodoreto in Dialogis. Ἑρμηνεία in Pſalmos. λόγος εἰς τὸ Κύριος ἔκτισέ με. λόγος περὶ ψυχῆς. item εἰς τὰς ἐπιγραφὰς τῆς ςηλογραφίας, καὶ τῶν ἀναβαθμῶν. Viſuntur præterea in bibliothecis antiquis ejuſdem ὁμιλία in Hexameron, εἰς τὸ τῆς ἐγγαστριμύθου θεώρημα. cujus libri meminit S. Hieronymus in viris illuſtribus. Ex hoc autem opere adverſus Arrianos, alium etiam locum profert Anaſtaſius in Ecloge his verbis. Εὐσταθίου Ἀντιοχείας ἐκ τοῦ κατὰ Ἀρριανῶν λόγου. Εἰ γὰρ κτιστὸς, οὐκ ἄρα γεννητός. εἰ δὲ γεννητὸς, οὐκ ἄρα κτιστός. ἐπεὶ μηδὲ οἷόν τε περὶ τὴν αὐτὴν φύσιν ἑκατέρων στριφεσθαι τὸ γένος· σημαίνεται, ὅτι ἀδύνατον εἰπεῖν περὶ τὴν αὐτὴν φύσιν τὸ κτιστὸν ὑπάρχειν, καὶ τὸ ἄκτιστον. καθολικὸν γὰρ παράλογον τῷ διδασκάλῳ.

* (518) *vana & profana.*
* (519) *magis optamus.*
* (520) *concedentes.*
* (521) *quidem defunctus.*
* (522) *retractaturi ſumus & reprobaturi. Et poſt.*

retur & Deo. illud certe quod ait, propterea Chriſto diem judicii competenter abſconditum, ne ſimilis generis hominibus homo diem ſecundi adventus oſtenderet; neſcimus hactenus Eutychianos in Theodoro criminatos, ſed nec aliquid tale, quod huic ſententiæ comparetur. Nam cum Apoſtolus raptus in paradiſum audiret arcana verba, quæ non licet homini loqui, nec cuiquam prodiderit, ſed divini ſecreti cuſtos fidelis inventus eſt: quomodo dicitur quod Deus Chriſto, non dicam ut Deo quod eſt, ſed tantum ut homini, qui tamen inferior Paulo non eſſet, propterea diem judicii abſconderit, ne ſimilis generis hominibus proderet: tanquam non poſſet, quod Apoſtolus ejus ſervavit, commiſſum ſibi ſervare ſecretum. Quamquam nec illud quod ait Euſtathius, homines Chriſto ſimiles eſſe genere, Eutychiani leviter in Theodoro præterirent: ſed profecto calumniarentur, quod hominem tantum, non etiam Deum crediderit Chriſtum, cui genere ſimiles omnes homines prædicaſſet. Itemque in eodem libro: Dum ſederit, ait, filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, alia quidem videtur loqui perſona, de altera autem facit manifeſte ſermonem. Ergo divinus ſpiritus de homine clare dicens apparet, Dum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſine contradictione denuntians, quia ſupervenientes glorias homo ſuſcipit juſtitia & virtute ornatus, & excelſum regni ſolium rite percipiens. Quid etiam hic dicimus? numquid Theodorus alicubi verba Chriſti de ſemetipſo loquentis ſic tractavit, ut diceret aliam de alia loqui perſonam, quemadmodum B. Euſtachius, cum tractaret ejus verba dicentis, *Dum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ*? Nonne de omnibus, pro quibus Theodorum culpant, id conantur ſuſpicioſe vel calumnioſe colligere, quod in Chriſto alteram Dei, alteram hominis intelligi perſonam voluerit? quod ille quidem graviter execratur. at Euſtachius aperte dicit, in verbis unius Chriſti de ſemetipſo loquentis, quod alia perſona de altera manifeſte ſermonem faciat, & non de Deo, ſed de homine clare dicens appareat, *Dum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ*. Verum nec illud quod ait, ſupervenientes glorias homo ſuſcepit juſtitia & virtute ornatus, Eutychiani in Theodoro ferre poſſent; ſed accuſarent eum ſine dubio, quaſi dicentem quod Chriſtus homo tantum fuerit, non etiam Deus, cui gloria acceſſerit, quam ante non habuerit, & juſtitiæ virtutiſque profectu eam fuerit conſecutus, * in tanto merito etiam regni ſolium rite perceperit. Rurſus autem eodem libro de verbis Chriſti diſputans dicit. *Omnia mihi tradita ſunt a patre meo*, manifeſte ex perſona hominis prophetare cognoſcitur, ſicut & ante probavimus. Iſte enim maximas & accidentes virtutes percipit ad meliora dignitate procedens. Ecce & hic cum loquentem Chriſtum perhibet ex perſona hominis prophetare, ſubauditur quod alteram dicat eſſe Dei perſonam. Nam cum & de homine loquens diceret, Iſte enim maximas, & accidentes virtutes percipit, tantumdem valet ac ſi diceret, Ille vero non percipit tanquam Deus. Dicendo etiam, quod Chriſtus accidentium virtutum perceptione ad meliora proceſſerit, & accepiſſe eum quod aliquando non habuit, & profeciſſe teſtatur. Qui octavo quoque libro ſic

[Margin: Matt. 19. 28.] [Margin: * 523] [Margin: Matt. 11. 27.]

A ait: Contemplandum autem, quomodo loquens Deo & dicens, *Et civitates deſtruxiſti*, rurſus alterum introducit Dominus inſerens, *Et Dominus in æternum manet. Paravit in judicio ſedem ſuam*. Maniſeſtiſſime etenim alii de alio loquens apparet. ſignificavit quia judex eſt, qui præparavit ei ſedem tanquam prius non habenti hunc honorem. ſic videbatur loqui. quaſi per figuras enim indicabat propheticas, quoniam homo ex membris juſtitiæ templum decenter factus, & ſacratiſſimo habitans verbo, * virtutis adeptus eſt perpetuum ſolium. Loquens, inquit, Deo rurſus alterum introducit Dominum. Hoc ſi Eutychiani in Theodoro invenirent, profecto in reprehenſionem ſynodi Cal- B chedonenſis, quæ laudes ejus continentem epiſtolam judicavit orthodoxam, bicipiti nos argumentatione conſtringerent, ita dicentes, Si hæc de patre & filio dixit, quomodo filius alter eſt Dominus, cum ſcriptum ſit, *Quoniam Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt*. Neque enim ſic dicitur pater Dominus, & filius Dominus, & ſpiritus ſanctus Dominus, ut tres Domini, & non potius unus dicatur Dominus: ſicut neque ita dicitur pater Deus, & filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus, ut tres Dii, & non potius unus dicatur Deus. Si autem de Deo verbo & adſumpto homine loquens, eidem adſumptum homi- C nem alterum Dominum dixit, arguitur unum Chriſtum in duos dominos diviſiſſe; atque hoc verbis etiam ſubſequentibus adfirmarent, quibus dictum eſt, Alii de alio loquens apparet. & iterum, Quia Deus judex præparavit adſumpto homini ſedem, tanquam prius non habenti hunc honorem. Cum vero tanta invidia criminentur in epiſtola venerabilis Ibæ, quod ait templum & inhabitantem in eo, quæ illis ad exaggerandum verba ſufficerent, ſi hoc dixiſſet quod Euſtachius ait, Quoniam homo ex membris juſtitiæ templum decenter factus eſt, ut ſacratiſſimo cohabitans Verbo? Nam ſi inhabitare, quod Ibas ait, duas dicant ſignificare per- D ſonas, cum anima ſuum corpus inhabitans una cum eo perſona ſit; quanto magis cohabitare, & ipſius cohabitationis virtute adeptum eſſe hominem perpetuum ſolium? Item in eodem libro. Non enim ait, qui regni ſedem habet, alteram ſibi apparat ſortem: ſed cui non adeſt ſedis potentia. Ergo hæc ad hominem Chriſti manifeſte reſpiciunt. Neque autem omnipotenti hæc reponenda ſunt proprium habenti ſceptrum; neque Verbo ipſum regnum habenti, quod etiam pater habet; ſed in Chriſto dicendum, *Dominus in cælo præparavit ſedem ſuam*. Nam omnium ſimul creaturarum dominator propter divini verbi commixtionem. Attendant E ergo quale ſit etiam hoc quod ait, Non Deo verbo regnum habenti alteram ſortem apparatam, ſed potius, cui non adeſt ſedis potentia, id eſt homini Chriſti. Nec ſaltem dixit, homini Dei verbi, ipſumque Chriſtum, cujus homini præparatam perhibet ſedem, ſimul cum Deo patre & ejus verbo omnium creaturarum dominari aſſerit. Nec tamen pro his quoque, quæ needum exorto Neſtorio ſecura ſimplicitas loquebatur, ejus eſt anathematizanda doctrina. quod tunc nobis conſtare poterit, ſi nullius antiquorum Eccleſiæ prædicatorum pro talibus dicta damnentur. Alioquin cujuslibet eorum ſcriptis anathematizatis, ſicut Joannes ſapientiſſimus & orien-

[Margin: Pſal. 9. 7.] [Margin: Ibid. 8. & 9.] [Margin: * 524] [Margin: Deut. 6. 4.]

* (523) *ut tanto*.

* (524) *virtute*.

tale Concilium dixit, neceſſe eſt & ea quæ ab
aliis patribus ſunt dicta complecti. Sufficiat er-
go poſteris, quod temporum ſuorum hæreticis
repugnantes inlæſam cuſtodierunt Eccleſiam.
Sufficiat quod nobis quoque adverſus eos arma
quamplurima labore ſuo atque induſtria præpa-
rantes, cum magna laude de hoc ſæculo tran-
ſierunt. Non injuriam ſucceſſores labori dece-
dentium debent, non convitia referenda ſunt.
Poſt certamen bene defunctis victoribus trium-
phi gloriam negaſſe aliquis inveniatur ingratus:
neſcio ſi quiſquam præter nos contumeliam re-
tulit. Quidam prædicator Eccleſiæ ſic præſentes
expugnavit hæreticos, ut in nullo, aut certe in
parvo, futuris occaſionem daret: hic dignus lau-
de præcipua judicetur. Quidam vero in hoſtes
obvios intentus, aliis non quaſi latitantibus in
inſidiis, qui nondum fuerant, ſed exorturis
quandoque* provide ac vigilanter occurrit: hic
* 525 minima, aut etiam nulla, ſi videtur, dignus
laude ducatur, non tamen vel incautus patriæ
propugnator inter hoſtes habendus eſt. Unde
beatus Euſtathius, quanquam multos poſſit tali-
bus dictis offendere, non tamen condemnatur,
velut Neſtoriani auctor erroris: ſed honoratur
cum multis, & præ multis patribus, tanquam
Nicæni Concilii primus exiſtens. & Eutychianis
nullam hinc invidiam commoventibus, ſolenni-
ter inter ſuos deceſſores ac ſucceſſores ad ſacri-
ficia nominatur. Et fortaſſe propterea nihil in-
de accuſant, quia in hoc, quod ultimum poſui-
mus, teſtimonio dixit, Propter divini verbi com-
mixtionem. Ubi enim memorati Eutychiani ab
aliquo prædicatorum Eccleſiæ dictum invenerint
Deum verbum homini eſſe commixtum, ſecun-
dum ſuum dogma dictum exiſtimant.

CAP. II.

MUlta vero ſuperioribus ſimilia ex dictis
ejuſdem beati Euſtathii proferre poſſemus, quæ
* 526 poſſent* in uno tractari volumine: ſed iſta le-
genti ſufficiant, quoniam volumus ad aliorum
ſcripta tranſire, de quibus æque non omnia quæ
his ſimilia dixerunt, ſed aliqua tantummodo
proferimus. Quid ergo etiam ſanctus Athanaſius
dicat a in epiſtola ad Antiochenos, debemus
a inſpicere. Ex veteribus enim* eruditus & legis
"doctor exiſtens, Proverbia Salomonis legens,
* 527 "& duas perſonas de Domino inveniens, unam
"quidem circa hominem, quem ex Maria pro no-
"bis futurus erat adſumere, alteram autem circa
"Verbum, quod ante omnia ſæcula æterne ex pa-
"tre natum eſt: & de Jeſu quidem ex Maria
2.Tim.2.8. "ſcribit Timotheo, *Memor eſto Chriſtum Jeſum re-*
"*ſurrexiſſe a mortuis ex ſemine David, ſecundum E-*
"*vangelium meum*. de Deo verbo autem, quod
* 528 "cum patre ſemper eſt, dixit, quoniam eſt* om-
"nia. Hanc autem ſancti Athanaſii ad Antioche-
"nos epiſtolam, in qua ſcriptum eſt, duas eſſe
"perſonas, hominis adſumpti, & Dei verbi ad-
ſumentis, & alia ſcripturæ verba Domino Jeſu
qui ex Maria, alia vero Deo verbo conguere,
in tanta auctoritate adverſus Apolinariſtas ſuſce-
pit Eccleſia, ut ex illa hæreſi converſi ſua ſub-

A ſcriptione ita ſe ſapere faterentur. Unde ſucceſ-
ſor ejuſdem Athanaſii Petrus, ſcribens ad Epiſ-
copos, presbyteros, atque diaconos, qui ſub Va-
lente Imperatore Diocæſaream fuerant exules miſ-
ſi, Sine Deo quippe eſt, inquit, & in omnibus"
reprobus, qui non confitetur integrum hominem"
ſalvaſſe adventu ſuo ſalvatorem: & ſi totum ſal-"
vat, totum adſumpſit, non in adjutorium ſal-"
vationis, ſed ad totius ſalvationem. Nullus er-"
go pie ſe ſapere exiſtimans infidelis magis exi-"
ſtat. Si vero quærere ſtudet, diſcat ex epiſtola"
quam ad Antiochenos beatæ memoriæ Epiſcopus"
Athanaſius ſcribit, ubi omnia diligenter exponit."
B quam legere incipientes orthodoxi, & ita ſape-"
re & ſubſcripſiſſe confirmant. In eadem ergo ad"
Antiochenos epiſtola, in qua beatæ memoriæ E-"
piſcopum Athanaſium ſucceſſor ejus Petrus om-"
nia diligenter expoſuiſſe perhibuit, hoc quoque
continetur, *Jeſus Chriſtus heri & hodie, ipſe* Hebr.13.8.
& in ſæcula. Heri quidem ante ſæcula ſempi-"
ternitatem ſignificat: hodie autem terrenum ſæ-"
culum: in ſæcula vero, poſt tranſitum hujus"
vitæ. Jeſus Chriſtus autem, qui juxta hominem"
ſalvatoris intelligitur, non eſt ipſe. qui enim"
provectum ætatis ſuſcepit, aliquando infans exi-"
ſtens, & aliquando vir incipiens quaſi annorum"
C xxx. ſicut ait Lucas, non poteſt ipſe eſſe. Quo-"
modo itaque Theodoro condemnato non etiam"
Athanaſius accuſetur, quaſi duos Jeſus, & duos"
Chriſtos docuerit; quia primum loquens de Jeſu"
Chriſto, qui eſt heri & hodie in ſæcula, poſtea
dixit quia Jeſus Chriſtus, qui juxta hominem
ſalvatoris intelligitur, non eſt ipſe, & rationem
ſubjicit cur ipſe eſſe non poſſit? Quanquam ſi
Theodorus hoc diceret, non duos tantum, ve-
rum etiam tres Jeſus Chriſtos Eutychiani, ſe-
cundum ſuas calumnias, in his verbis ſignifica-
tos vellent intelligi. Non enim hoc ſaltem di-
ctum eſt, Jeſus Chriſtus autem, qui juxta ſal-
D vatorem intelligitur, ſed juxta hominem ſalva-
toris: ut alium ſignificatum eſſe dicerent Jeſum
Chriſtum, alium vero hominem juxta quem eſ-
ſet ipſe Jeſus Chriſtus, & rurſus alium ſalvato-
rem, cujus eſſe diceretur idem homo. Denuo in„
eadem epiſtola: Eſt, inquit, ſpiritus vitæ ſan-„
ctus cum patre & filio in ſingulis prophetarum„
per generationes tranſiens, qui indicat quæ erunt„
& quæ fuerunt, habens oculos ante & poſt,„
hoc eſt, ſicut diximus, ſcientiam futurorum at-„
que præteritorum, quæ in Salomone narrat ex„
perſona filii hominis ex Maria, & filii Dei ver-„
bi, quod ab initio erat apud patrem: & duas„
E perſonas ſignificans, de homine quidem ex Ma-„
ria creato & plaſmato, de illo vero, qui ante„
ſæcula eſt ſine principio, & æternæ nativitatis.„
Quoniam ergo verborum ſeductores, & non eru-„
diti ſpiritu obſervantes errare faciant indoctos,„
dicentes, a quadringentis annis eſt operatio cor-„
poris Domini, & quomodo in eum quidam re-„
ferunt quod dictum eſt, *Dominus creavit me prin-*„ Prov.8.22.
cipium viarum ſuarum in opera ejus, cum dicat„
ſcriptura, ante montes & colles, ante fontes,„
& ante ſæculum generatum & creatum? Hæc„
dicentes a quibuſdam laudari putantur, non divi-„

a *In epiſtola ad Antiochenos*) Synodicæ Athanaſii ad Antiochenos mentio facta eſt lib. VI. cum de hypoſtaſi ageremus. Sed aliam conſtat epiſtolam fuiſſe, de qua hic ſermo. Apparet autem, quicquid ad refellendos Apolinariſtas in ea ſcripſerit, nunquam Athanaſium in Chriſto duas perſonas diſtinxiſſe, ſed in una eademque perſonas duas naturas perfectas, ἓν ἐξ ἢ τὰ ἑκάτερα, τέλειος κατὰ πάντα, Θεὸς καὶ ἄνθρωπος ὁ αὐτός. quæ ipſius Athanaſii verba ſunt lib. 1. adverſus Apolinarium περὶ σαρκώσεως Χριστοῦ.

* (525) *minus provide.*
* (526) *non uno.*
* (527) *eruditus Apoſtolus, & legis.*
* (528) *ante omnia.*

dentes quæ perſona prophetico ſpiritu de corpore Domini clamat, & quæ de æterna ejus a patre generatiooe docet. Sunt multa ſimilia in hac epiſtola, quæ adverſus Apolioariſtas dicta Neſtoriani quoque io aſſertiooem ſui erroris aſſumant. Sed non ideo Athanaſius, aut ejus doctrina damnanda eſt. Igitur nec Theodorus, aut ejus doctrina, ideo dicatur a ſynodo debuiſſe damoari. Sed ad alia ejus opuſcula tranſire delegimus. Dicit itaque idem beatus Athanaſius [a] in expoſitione ſymboli. Qui in fine ſæculorum deſcen-
„ deos ex ſiou patris, ex immaculata virgine Ma-
„ ria noſtrum adſumpſit hominem Jeſum Chriſtum,
„ quem pro nobis paſſioni tradidit. & poſt pau-
„ ca, Principium viarum conditus nobis eſt in ter-
„ ra, quas nobis oſtendit de tenebris lumeo, ſa-
„ lutem ex errore, vitam ex mortuis, iotroitum
„ ad paradiſum, de quo excluſus eſt Adam, in
„ quem iterum intravit per latronem, ſicut dixit
Luc. 23. 43. „ Dominus, *Hodie mecum eris in paradiſo*, quo
„ & Paulus intravit, aſcenſum in cœlum, quo
„ præcurſor pro nobis ingreſſus eſt [b] dominicus ho-
„ mo, in quo judicaturus eſt vivos & mortuos.
„ & poſt aliquanta. Ea vero ſalus, quæ nobis con-
„ dita eſt ad plantationem noſtram, nova eſt &
* 529 „ oon vetus, nobis & noo eis qui ante nos, * Je-
„ ſus qui juxta ſalvatorem factus eſt homo, qui
„ interpretatur " paſtor, ſalus, interdum etiam ſal-
„ vator. Calumoieotur igitur & huic, tanquam ſecundum Neſtorium alterum dicenti filium Dei, alterum vero noſtrum homioem Jeſum Chriſtum: quia oon ait filium Dei ſemetipſum tradidiſſe pro oobis, ſicut Apoſtolus dixit, ſed potius quia filius deſcendens ex ſinu patris adſumpſit noſtrum hominem * Jeſum Chriſtum. quem ? hoc quod ait dominicus homo, in quo judicaturus eſt vivos & mortuos. quaſi devio ſenſum alterum putaverit Dominum filium, qui judicaturus eſt vivos & mortuos: alterum vero dominicum hominem, in quo judicaturus eſt. Calumnientur etiam quod ſimiliter ait, Jeſus eſt; qui juxta ſalvatorem factus eſt homo, dicentes quod ex eo Jeſum a ſalvatore diviſerit, quoniam eum juxta ſalvatorem potius quam ſalvatorem dixit.

" *In Græco* τῇ μὲν σωτηρία, τῇ δὲ σωτὴρ, *interdum ſalus, interdum ſalvator. quare hic perperam* paſtor. :

* 530

c Scripſit etiam [c] librum contra Manichæos, cu-
„ jus principium eſt, Diſſolvit errorem veritas, in
„ quo ſic ait. Quando enim hominem Jeſum vi-
„ deo, intelligo qualis eſt: quando autem mo-
„ dum contemplor, admiror neque agnoſco. mu-
„ tatio quippe admirationem præſtat. Et eſſentiæ
„ quidem mutatæ non ſunt. manet eoim corpus
„ oon alterum effectum. neque enim corpus in incorporeum verſum eſt, neque anima altera per "
eſſentiam extitit. Sed maoentibus eſſeotiis ſtu- "
dia non manſerunt. Nequaquam eoim eſſentia- "
lia ſuot ſtudia. nam manereot cum eſſentiis, & ooo auferrentur. Si omnia, quæ pro ſua ſtoliditate noſtri præſumptores nec defeodere oec intelligere bene potuerint, pro ipſorum voluntate damnanda ſunt: quomodo oon etiam iſta * damnanda ſunt? aut ſi hæc bene iotelligere * 531
poſſunt atque defendere, cur non etiam illa Theodori, quæ in ſynodi Calchedonenſis præjudicium * culpaotur, bene intelligunt atque defeodunt? * 532
Ecce Athaoaſius hoc etiam dicit, quia cum modum contemplatur in homine Jeſu, admiratur, neque agnoſcit, eo quod ei mutatio admirationem præſtat. Dicant ergo nobis, qua ratiooe ſub anathemate condemnato Theodoro ejuſque dogmatibus, Athanaſii poſſit doctrina defeodi, ſi ſecundum verborum ſonos, & non ſecundum mentis intentiooem judicanda ſunt dicta majorum? & doceant quæ mutatio in homine Jeſu facta eſt, non mutatis eſſentiis; vel quæ in illo ſtudia ipſis maneotibus eſſentiis non manſerunt. Hæc eoim ſi Theodorus inveoiretur dixiſſe, ſic eum deteſtarentur, quaſi Chriſtum a pravitate vitæ, & a malis ſtudiis ad meliora ſtudia prædicaſſet eſſe converſum. quod Athaoaſius profecto noo ſenſit, & abſit a nobis, ut hoc illum ſenſiſſe credamus, quod non ſolum perſonali diviſione, ſicut Neſtorius, homioem Jeſum a Deo verbo, verum etiam ſtudiis non bonis aliquando putaret fuiſſe diviſum. Porro & hoc ultimum, & * alia ejus ſuperiora quæ memoravimus, intellectorem quærunt. Nam cum Dei * 533
adjutorio defenduntur multo facilius, quam ipſe B. Athanaſius Dionyſii ſui deceſſoris dicta defendit. Et poſſemus quidem hæc ipſa, pro facultate quam Dominus præſtat, quomodo recte intelligantur oſtendere, & beoigoo ac pio patri hanc in ſuis dictis officii vicem redhibere, quod ipſe prius in dictis Dionyſii ſui deceſſoris exhibuit; niſi quia longum eſt, & in hoc opere noo ſcripta venerabilium patrum interpretari, ſed Eutychianorum calumnias pro magna ſynodo confutare ſuſcepimus; quarum repulſioni ſufficit, ſi talia vel difficiliora bis, pro quibus ab ea dicunt Theodorum & ejus laudatricem epiſtolam debuiſſe damnari, oſtendantur illi patres dixiſſe, quos culpare non audent.

CAP. III.

Igitur & ex dictis B. [d] Amphilochii Iconienſis Epiſcopi aliqua proferamus, quem & ſapieo- d

a *In Expoſitione Symboli*) Ἔκθεσις πίστεως inſcribitur apud Athanaſium. In hac, ut in aliis ſæpe, vitioſo uſus eſt interprete Facundus, qui ὢν pro ὧν legerat in illis verbis ἀρχὴ ὁδῶν κτισθεὶς ἡμῖν, ἐν τῇ γῇ ὢν, ἔδειξεν ἡμῖν ἐκ σκότους φῶς. *Principium viarum nobis factus, cum in terris verſaretur, lucem nobis de tenebris exhibuit.*

b *Dominicus homo*) Κυριακὸς ἄνθρωπος. Hominem dominicum dici aliqua ratione Chriſtum poſſe non inficiatur Auguſtinus, ipſe tameo aliquando a ſe dictum retractat lib. 1. cap. xix. eum ſit utique dominus. Quam etiam ob cauſam Apollinariſtas, quod ita loqui ſolerent, caſtigat Gregorius Nazianzenus epiſt. 1. ad Cledonium. Μὴ ἀπατάτωσαν, inquit, οἱ ἄνθρωποι, μηδὲ ἀπατάσθωσαν, ἄνθρωπον ἄνουν δεχόμενοι τὸν κυριακὸν ὡς αὐτοὶ λέγουσι· μᾶλλον δὲ τὸν κύριον ἡμῶν καὶ θεόν. *Ne alios decipiant homines iſti, nec ipſi decipiantur, hominem dominicum, ut ipſi loquuntur, vel Deum, potius dominum noſtrum & mentis expertem profitentes.*

c *Librum contra Manichæos*) Tituli hujus, vel exordii, nullus hodie liber extat Athanaſii. Congruit autem & titulus, & exordium libro Serapionis Thmuœos Epiſcopi adverſus Manichæos, in eoque ſunt verba, quæ recitat Facundus, & tribuit Athanaſio. Sed levior in auctoris nomine fraus fuerit, quam in nomine Jeſu, quod hic perperam verbis illis intextum eſt, nec legitur apud Serapionem. qui de iis hominibus tantum agit, qui a pravis moribus ad meliora ſtudia convertuntur: quod de Chriſto domino cogitare impium eſt. Quare Facundo impoſuit, qui hunc ei locum ſuggeſſit.

d *Amphilochii Iconienſis*) Quod ſuperius de Athanaſio dictum eſt, idem de Amphilochio in his ejus ſententiis intelligendum, duas in Chriſto naturas diſtinguere, non perſonas. Hoc enim diſerte profeſſus eſt in epiſtola ad Seleucum, quam citat Leontius, τὴν τοῦ θεοῦ μορφὴν, καὶ τὴν τοῦ δούλου μορφὴν, συντελοῦν εἰς ἓν πρόσωπον· καὶ ἕνα υἱὸν δύο φύσεων. Quo etiam ſpectat, † quod in altera epiſtola ſcribens ad Pancharium diaconum Sidenſem ait his verbis,

* (529) *Jeſus eſt, qui*. Textus græcus habet, Ἰησοῦς ἐστι.
* (530) *Jeſum Chriſtum, quem pro nobis tradidit paſſioni. Calumnientur & hoc quod ait, Dominicus homo &c.*

* (531) *damnentur?*
* (532) *culpant.*
* (533) *illa.*

tiſſi-

tiſſimus Joannes Antiochenus cum Orientali
Concilio probatiſſimum doctorem pronuntiavit ,
* 534 & Imperatores Gratianus * & major Theodoſius
talem judicaverunt, ut præciperent, ſicut quar-
to libro memoravimus, illos ſolos Eccleſias ha-
bere, qui ex prædicti S. Amphilochii, & Diodo-
ri, atque aliorum ſimilium communione catho-
lici probarentur. Hic itaque de eo quod dictum
eſt , *Qui miſit me pater* , *major me eſt* , cum
ſermonem faceret , cujus eſt principium , Labo-
rare nos fecit certamen hæreticorum , ſic ait ,
Vides quod major eſt pater dicente *eamus* , non
Mat.26.46. „ dicente, *Inhabitabo in eis & inambulabo*. Vides
2.Cor.6.16. „ quod major eſt pater dicente , *Ego ſum vitis* ,
Joan. 15.1. „ non dicente, *Ego plantavi vitem veram* . [a] Et
Hier. 2.21. „ ut non longum extendam ſermonem, breviter,
a „ hæretice , te requiro . Qui natus eſt ex Deo
„ ante ſæcula paſſus eſt, an qui ex David in ul-
„ timis temporibus generatus eſt Jeſus ? Si qui-
„ dem divinitas paſſa eſt, dixiſti blaſphemiam: ſi
„ autem homo , ſicut veritas habet , quare non
„ applicas homini paſſionem , aut humilia non
„ confuis verba ? Proinde accuſari etiam iſte do-
ctor probatiſſimus poteſt , tanquam alterum ſi-
gnificans qui dixit , *eamus* , & *ego ſum vitis* ,
alterum vero qui dixit, *Inhabitabo in eis* , & ,
Ego plantavi vitem veram. & aperte prædicans
quia non ipſe qui natus eſt ex Deo ante ſæcu-
la paſſus eſt, ſed ille potius qui ex David in
* 535 ultimis temporibus generatus * eſt. Qui etiam
Joan. 5.24. „ diſputans de eo quod dictum eſt , *Amen amen*
„ *dico vobis*, *qui verbum meum audit*, *& credit*
„ *ei qui me miſit*, *habet vitam æternam*, Si das ,
„ inquit, carni paſſiones, da ei & humilia verba:
„ & cui adſcribis miracula , ſupernos apta ſermo-
„ nes. Qui enim miracula facit Deus , juſte ex-
„ celſa loquitur operum digna: qui autem patitur
„ homo, bene humilia loquitur digna paſſionum .
„ Hic quoque culpetur ſimiliter dicens, quod non
ille qui miracula facit Deus, ipſe ſit etiam qui
paſſus eſt homo. Item in quodam ſermone, cu-
b jus principium eſt, [b] Adſer hodie certativos at-
tingamus ſermones, loquens de eo quod dictum
Joan. 20.17. eſt, *Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum*,
„ *& Deum meum & Deum veſtrum* , Communis eſt,
„ inquit , pater pater ; ipſius quidem propter na-
„ turam, noſter autem, propter gratiam. commu-
* 536 „ niter autem & * Deus dicitur , ſed noſter qui-
„ dem Deus eſt , quia ex non extantibus nos ut
„ eſſemus fecit : ejus autem Deus eſt ſecundum carnem.
„ Ipſe enim eam formavit in virgine, ipſe eam unxit in
„ Jordane, ipſe eam prædicavit, ipſe eam glorificavit in
„ paſſione, ipſe eam ſuſcitavit a mortuis, in nu-
„ be vacua evexit , dextera ſede dignam faciens.
„ Hæc enim omnia qui aſcendit ad patrem ſu-
„ mens habet , non qui eſt in patre . Et in hoc
„ loco accuſetur , quod non eum qui eſt in pa-

A tre dicit eſſe qui aſcendit ad patrem . Rurſus
de eo quod dictum eſt , *Pater* , *ſi fieri poteſt*
tranſeat a me calix iſte, cujus initium eſt , Tunc
ſicut miles legitimus, ita dicit : Si enim opor- „
tet filium hominis tradi, quomodo dicis, ſi fie- „
ri poteſt, tranſeat calix iſte? omnino autem ſi „
pati nolebas, quid dicebas, tranſeat calix iſte ? „
Non ego qui cælum feci, qui fundavi terram , „
ſed ſecundum te homo dicit declinans mortem. „
Item inde . Quoniam ego , ait , Deus & homo „
ſum, dic quis eſt qui paſſus eſt. Si Deus paſſus „
eſt, dixiſti blaſphemiam: ſi autem caro paſſa eſt, „
quare paſſionem non applicas ei cui timorem in- „
jicis? alio enim patiente alius non formidat : & „
homine crucifixo Deus non turbatur . Puto „
quod in hoc quoque capitulo non poſſit non
B monere lectorem, quod alium dicat eſſe homi-
nem qui paſſus eſt , & alium Deum qui nihil
crucifixo homine formidabat . Quamobrem ſi quis
Theodorum vel ejus dicta damnaverit , conſe-
quenter etiam Euſtachium, Athanaſium , atque
Amphilochium probatiſſimos doctores, vel eorum
dicta, damnare cogitur . Quid ergo , ſi aliquis
Theodori , vel cujuſquam in Eccleſiæ pace de-
functi, nobis error appareat, adprobandus atque
ſequendus eſt? abſit. Sed quærendum eſt prius,
& cum inſtructioribus conferendum , ne quod
culpabile nobis apparet ab auctore ſuo alia in-
tentione prolatum ſit . nec ex eo quod nobis
videtur , non interrogatus judicandus eſt ille
qui dixit. maxime ſi alia dixiſſe inveniatur con-
traria illi errori , in quem creditur incidiſſe .
C Nam ſæpe ſcrupuloſa & ſubtilis interrogatio ,
ſicut hæreticorum dolos inveſtigatos exhorruit ,
ita ſimplicitatem catholicorum ſe inveniſſe ga-
viſa eſt . Quod ſi tam certus error eſt aliquorum
in pace Eccleſiæ defunctorum , ut his quæ di-
ximus nequeat excuſari , ſine illorum infamia ,
ſine offenſione & conturbatione Eccleſiæ , taci-
tis eorum nominibus, ipſis erroribus occurratur:
ut & debita reverentia exhibeatur prædicatori-
bus in Eccleſiæ pace defunctis, & nulli catho-
lico ſit offenſa defenſio veritatis . Sic viros ſan-
ctos & graves, nec ſe de aliorum reprehenſione
jactantes , feciſſe novimus , quos convenientius
atque utilius imitamur. Sicut autem illorum do-
ctrina, qui extra Eccleſiam conſtituti multa ve-
D ra & neceſſaria conſcripſerunt , non poteſt pro
hiſdem rectis & neceſſariis catholica judicari ;
ita domeſticorum Eccleſiæ doctrina , vel ſi in
aliquibus oſtendantur erraſſe, non pro eis con-
demnanda eſt velut hæretica.

VErum quid etiam S. [c] Gregorius dicat in c
libro adverſus Eunomium tertio proferamus .
Neque vivificat , inquit , Lazarum huma-

Ἀσεβὴς ὄντως ἐστὶ , καὶ τῆς ἀληθείας ἀλλότριος , ὁ μὴ λέγων τὸν Χριστὸν τὸν σωτῆρα τῶν ὅλων καὶ ποιητὴν , κατ᾽ ἄμφω τὰ ἐξ ὧν ἐστὶ κατὰ φύσιν , ἀσυγχύτων καὶ ἐνεργῆ , καὶ πάσης ἀνάγκης ἐλεύθερον . Denique Theodoretus , qui has ipſas Amphilochii ſententias pene omnes profere in Dialogis, eo profert , ut duarum in una perſona Chriſti naturarum proprietates oſtendat .

a *Et ut non longum*) Theodoretus Dialogo III. hoc membrum citat , *ἐκ τοῦ κατὰ Ἀρειανῶν λόγου* . & Leontius viciſſim verba illa . *Διάκρινε λοιπὸν τὰς φύσεις* , quæ Theodoretus Dialogo I. & II. citarat *ἐκ τοῦ λόγου εἰς τὸ , ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστί* . citat ipſe *ἐκ τοῦ πρὸς Ἀρειανοὺς λόγου* . Ex quibus liquet duplicem huic Amphilochii libro titulum fuiſſe .

b *Adſer hodie*) *Φέρε , σήμερον* , &c. Vertendum fuerat *Age* , non *adſer* . ſed cujuſmodi Græcorum verſionibus uti ſoleat Facundus , jam monui . Hujus porro Amphilochianæ orationis mentionem apud alios extare non memini . reliquas, ut dixi commemorat Theodoretus .

c *Gregorius adverſus Eunomium*) Gregorii Nyſſeni adverſus Eunomium libri ſunt XIII. ſed non uno modo citari omnes ſolent . Quæ hic enim primo loco proferuntur ex tertio ejus operis libro , eadem tertio quoque libro adſignat Ecloge Anaſtaſii , at Leontius ſecundo libro attribuit: re ipſa autem extant in quarto editionis Græcolatinæ . eodemque modo in quinto extant reliqua omnia, quæ Facundus citat ex quarto . cujus varietatis cauſas inveſtigare ſupervacaneum eſt .

* (534) *& Valentinianus & major* .
* (535) *eſt Jeſus* . *Qui* .
* (536) *Deus Deus ; ſed* .

na natura, neque jacentem lacrymat impaſſibilis poteſtas: ſed proprium eſt hominis quidem lacrymare, vivificatio autem ejus quæ revera vita eſt. Non paſcit millia hominum egeſtas humana: non currit ad ficum poteſtas omnipotens. Quis eſt fatigatus ex itinere? & quis ſine labore omnem mundum verbo conſtituit? quis eſt iſte ſplendor gloriæ? & quid eſt quod clavis confixum eſt? quæ forma in paſſione alapis percutitur? & quæ ex æternitate glorificatur? Manifeſta enim ſunt iſta, etſi nulla interpretentur oratione. Quoniam plagæ quidem ſervi ſunt, in quo Dominus exiſtat: honores autem Domini, circa quem ſervus agnoſcitur. Attendis quemadmodum S. Gregorius non arbitrans [a] duos Chriſtos aut filios, doceat hominis quidem fuiſſe proprium lacrymare, vivificare autem ejus quæ revera vita eſt. & interrogans hæreticum orthodoxus dicat, quis eſt fatigatus ex itinere? & quis ſine labore omnem mundum verbo conſtituit? & cetera. ac deinde in hoc ſententiam claudat, affirmans quoniam plagæ quidem ſervi ſunt, in quo Dominus exiſtat: honores autem Domini, circa quem ſervus agnoſcitur. Numquid ergo hæc ſecundum errorem Neſtorii talia dixiſſe credimus, quaſi alterius ſubſiſtentiæ ſit Dominus qui extabat in ſervo, & alterius ſervus in quo extabat? vel alterius perſonæ ſit Dominus, cui adſcribendus eſt honor, & alterius ſervus, qui circa Dominum agnoſcitur, & cui plagæ ſint deputandæ? Qui rurſus eodem opere libro quarto, Sicut enim, ait, qui non cognovit peccatum, peccatum efficitur, ut auferat peccatum mundi; ſic item caro ſuſcipiens Dominum, Chriſtus & Dominus efficitur. Immutatur enim propter adunationem in hoc quod non erat per naturam. Et poſt pauca. Notum ſit omni domui Iſrael, quoniam Dominum eum & Chriſtum Deus fecit hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis. Hac demonſtratione oſtendere ſe putant creaturam eſſe unigeniti Dei eſſentiam, Quid ergo, dic mihi, num ante mundum fuit crux? num ante omnem creaturam extitit Pilatus? num primum Jeſus, & poſtea verbum? num antiquior caro quam divinitas? num ante mundi conſtitutionem Gabriel ad Mariam evangelizavit? Nonne ille homo qui juxta Chriſtum eſt, ſub Cæſare Auguſto principium generationis accepit? Verbum autem in principio erat Deus & rex noſter ante ſæcula, ſecundum quod & prophetia teſtificatur? Non vides qualem confuſionem ſurſum atque deorſum, juxta proverbium, commoves verbo Dei. Quinquageſima poſt paſſionem dies fuit, quando hæc ad Judæos concionabatur Petrus dicens, *Quoniam hunc, quem vos crucifixiſtis, Chriſtum & Dominum Deus fecit*? Non adtendis ordinem verborum, quid primum & quid ſecundum in eis quæ dicuntur poſitum ſit? Non enim dixit, quem Deus fecit Dominum, vos crucifixiſtis. Sed quem vos, inquit, crucifixiſtis, hunc Deus Chriſtum & Dominum fecit. Hic etiam de incarnationis Chriſti myſterio loquens dicit, quod caro ſuſcipiens Dominum Chriſtus & Dominus efficitur. Nec tamen arbitrandum eſt, quod Gregorius hominem tantum, qui non etiam Deus eſſet, prius extitiſſe crediderit, qui Dominum ſuſciperet. Quid autem reſpondere potuerunt Semieutychiani, vel fautores eorum, ſi eis dicatur, Qui Theodorum putatis a ſynodo Calchedonenſi fuiſſe damnandum, cur Gregorium non damnatis? Namque cum Chriſtum, id eſt unctum, non niſi Deum credamus incarnatum, ipſaque unctio humanæ magis naturæ conveniat, unde & ipſe ait quo caro ſuſcipiens Dominum Chriſtus efficitur; ipſe iterum dicit, Nonne ille homo, qui juxta Chriſtum eſt, ſub Cæſare Auguſto principium generationis accepit? Verbum autem in principium generationis accepit? Verbum autem in principio erat Deus. Si igitur caro, id eſt homo, ſuſcipiens dominum factus eſt Chriſtus, quis eſt item ille homo, qui juxta Chriſtum eſt ſub Cæſare Auguſto principium generationis accipiens? aut quare confuſionem ſurſum atque deorſum, juxta proverbium, verbo Dei aſſerit commoveri de eo quod dictum eſt, quoniam hunc quem vos crucifixiſtis Chriſtum & dominum Deus fecit? & admonet ut ordinem verborum Eunomius, contra quem agit, intendat, & quid primum ſit, vel ſecundum in eis quæ dicuntur intelligat, atque infert, Non enim dixit, quem Deus fecit dominum, vos crucifixiſtis, ſed quem vos, inquit, crucifixiſtis, hunc Deus Chriſtum & hominem fecit. Quid ergo? non & ante paſſionem Chriſtus & dominus fuit, qui poſtea crucifixus eſt, ſed poſt crucifixionem Chriſtus & dominus factus eſt merito paſſionis: Et quomodo ſupra dictum eſt, caro ſuſcipiens dominum Chriſtus & dominus efficitur? numquid poſt crucifixionem dominum caro ſuſcepit? Proinde ſi hæc, ut dixi, Eutychianis objiciantur? Gregorium quoque damnabunt? an ea melius intelligere & exponere conabuntur? Nam & S. Athanaſius in libro quem de Trinitate conſcripſit, ſicut tertio noſtro memoravimus, ad naturarum diſtinctionem ſimiliter dixit, Verbum enim & filius Dei ſemper erat dominus Deus, & non poſt crucifixionem factus eſt dominus Chriſtus: ſed ut prædixi humanitatem ejus effecit divinitas dominum & Deum. Sed ad propoſitum revertamur. Dicit itaque rurſus idem S. Gregorius eodem libro: Divinam ſcripturam in manibus ad exponendum habentes vetat magnus Apoſtolus aniles novitates ſuſcipere. crucem enim advertens, crucem intelligo, & humanum nomen edoctus, conſpicio eam quæ ſignificatur ex nomine ipſo naturam. Iſtum itaque doceor a Petro factum eſſe dominum & Chriſtum; iſtum qui in oculis noſtris factus eſt ab eo dici non dubito: quoniam & concinunt ſibi invicem ſancti, & in aliis omnibus rebus, & in hac parte. Sicut enim iſte eum qui crucifixus eſt dominum factum eſſe dicit, ſic & Paulus inquit ſuperexaltatum poſt paſſionem & poſt reſurrectionem. Animadvertat, & in hac ſententia lector, quia cum dicit, Iſtum itaque doceor a Petro factum eſſe dominum & Chriſtum; & iterum repetit dicens, Iſtum qui in oculis noſtris factus eſt ab eo dici non dubito, tantumdem valet ac ſi diceret, iſtum, non illum qui ante ſæcula dominus erat. nec tamen duos filios in iſto & in illo docet intelligi. Et ſuperiorem ſuam ſententiam firmans, rurſus eum poſt crucifixionem aſſeverat dominum factum, cum ait, quia ſicut Petrus eum qui

a *Duos Chriſtos aut Filios*) Eunomius Baſilio inter cetera objecerat, duos ab eo Chriſtos & dominos prædicari. Gregorius, cui propoſita in his libris erat Baſilii defenſio, calumniam lib. IV. refellit. Δύο Χριστοὺς, inquit, καὶ δύο κυρίους λέγειν ἡμᾶς, ᾐτιάσατο· οὐκ ἐκ τῆς ἡμετέρας ἐλέγχων τὴν αἰτίαν ἔχων· ἀλλὰ πρὸς τὸ δοκοῦν κατ' ἐξουσίαν τῷ ψεύδει χρώμενος. Nedum ut in hac ipſe ſententia fuiſſe videri queat.

crucifixus eſt dominum factum eſſe dicit : ſic &
Paulus inquit ſuperexaltatum poſt paſſionem &
poſt reſurrectionem . Quocirca ſicut eum poſt
paſſionem & reſurrectionem aſſerit exaltatum te-
ſtimonio Pauli dicentis, *Humiliavit ſemetipſum*
factus obediens uſque ad mortem, mortem autem
crucis. propter quod & Deus illum exaltavit ,
& donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen:
ita cum poſt paſſionem quoque & reſurrectionem
adfirmat dominum factum. * quod de illo etiam
* 537 Petrus Apoſtolus ait: *Notum ſit omni domui Iſ-*
" *rael , quoniam dominum eum & Chriſtum Deus*
" *fecit , hunc Jeſum quem vos crucifixiſtis* . Item
" dicit eodem libro: Ut circa utrumque quod pie-
" tatis eſt reſervetur , ea quæ humana ſunt per
" adſumptionem glorificata demonſtrat, & ea quæ
" divinitatis per deſcenſionem nullomodo polluit .
" Sed dans quidem paſſionibus humanitatem, ope-
" rationem autem reſurrectionis illius qui paſſus
" eſt divinæ virtuti. & ſic mortis experientia ad
" illum qui communicavit paſſibili naturæ refer-
" tur, propter eam quæ ad eum eſt hominis adu-
" nationem. & altiora item & divina nomina ad
" hominem ſimili modo deſcendunt . Numquid ſi
" Theodorus diceret, dans quidem paſſionibus hu-
manitatem, operationem autem reſurrectionis il-
lius qui paſſus eſt divinæ virtuti , non ad præ-
judicandum Calchedonenſi concilio ſapientes * vi-
* 538 ri jactarent, quod ideo dicit illius qui paſſus
eſt, tanquam alterius perſonæ ſit Deus verbum
qui paſſus non fuerit ? aut quod ibi ſubſecutus
adjecit , & ſic mortis experientia ad illum qui
communicavit paſſibili naturæ refertur , non ac-
cuſarent in Theodoro , ſicut ſolent , dicentes
quia non ejuſdem perſonæ credidit Deum quem
hominem , ut diceret , illius qui paſſus eſt ,
id eſt hominis , ad illum * refertur , id eſt ad
* 539 Deum verbum : & hominis paſſionem per rela-
tionem ipſi Deo verbo adſcribi , ſicut ad homi-
" nem altiora , quæ ſunt Dei verbi , & divina
" nomina ſimili modo deſcendunt . Rurſus eodem
" libro de hoc ipſo loquens : Si enim deceret ,
" inquit , in illa excellenti natura dicere aliquid
" ſecundum profectum contigiſſe ; verbi gratia ,
" ut ex privato rex fieret , ex humili excelſus ,
" ex ſervo dominus , deceret fortaſſe & Petri vo-
* 540 " cem divinæ unigeniti coaptare * perſonæ. Quo-
" niam autem divinitas , quicquid illud eſt quod
" a nobis eſſe creditur , ſemper eodem modo ſe
" habet , & omni additamento ſuperior extat, di-
" minutionem nequaquam percipiens , neceſſe eſt
" omnibus modis ad humanitatem referre ſermo-
" nem . Deus enim verbum , quod erat in prin-
" cipio , hoc etiam nunc eſt , & ſemper perma-
" net , ſemper rex , ſemper dominus , ſemper al-
" tiſſimus , ſemper Deus . nihil horum per profe-
" ctum ſumpſit , ſed omnia quæcumque dicitur
" virtute ſuæ naturæ conſiſtit . Ille autem ex
" homine per adſumptionem ad Deum exaltatus ,
" aliud conſiſtens , & aliud effectus , proprie &
" vere Chriſtus & dominus factus eſſe dicitur. Ex
" ſervo enim & ex ſubjecto regem , & Chriſtum
" eum ex obediente fecit , & quod humile erat
" ſuperexaltavit, & humanum habenti nomen do-
" navit nomen quod eſt ſuper omne nomen . His
" quoque conſideratis , videant qui Theodorum
" cum ſuis dogmatibus judicaverunt eſſe damnan-
" dum , tanquam dicentem per profectum aliquid

A acceſſiſſe Chriſto ſecundum humanitatem , quo-
niam ſive hoc Theodorus * dixit , ſive non di-
xerit , Gregorius interim dicit, quia ſecundum * 541
profectum ex privato rex , ex humili excelſus ,
ex ſervo dominus in ſuſcepta humanitate fa-
ctus eſt Chriſtus. Nam Deus verbum, quod erat
in principio , hoc etiam nunc & ſemper eſt ,
nec aliquid horum per profectum ſumpſit . Ille
autem ex homine per adſumptionem ad Deum
exaltatus , cum aliud per naturam conſiſteret ,
aliud effectus eſt , proprie & vere Chriſtus &
dominus factus eſt. quem Dei verbi adſumptio
ex ſervo & ex ſubjecto regem fecerit , & Chri-
ſtum ex obediente . Accuſent igitur & Grego-
rium tanquam duos inducentem filios , quia di-
xit, Deus verbum nihil per profectum ſumpſit :
B ille autem ex homine per adſumptionem ad
Deum exaltatus eſt . Et quaſi dicentem , quod
aliquando dominus Jeſus ſic fuerit ſervus ac
ſubjectus , ut non etiam rex eſſet & dominus ,
aut prius obediens tantum fuerit , & poſtea ip-
ſius obedientiæ merito Chriſtus effectus : aut ſic
fuerit unquam humilis, ut excelſus quoque non
eſſet: aut ſic aliquando humanum nomen ha-
buerit , ut non haberet etiam nomen quod eſt
ſuper omne nomen. quia & hoc Gregorius di-
xit, Quod humile erat ſuperexaltavit , & hu-
manum habenti nomen donavit nomen quod eſt
ſuper omne nomen. Accuſent etiam quod ait ,
Ille autem ex homine ad Deum exaltatus, pro-
prie & vere Chriſtus & dominus factus eſſe di-
citur, quaſi Chriſtus & dominus factus homo
C eſſe deſierit, ut diceretur ex homine Chriſtus
& dominus factus. Quanta vero talia in libris
hujus ſancti Gregorii poſſint inveniri , ex hoc
lector conjiciat, quia nos non ſolum ex eodem
ejus opere, verum etiam ex eodem libro tanta
protulimus , quanta neceſſaria cauſſæ judicavi-
mus. Nec tamen pro talibus dignum eſt ejus
doctrinam ſub anathemate condemnari . Primum
quidem, quia non infamia digni ſunt, qui præ-
ſentem vitam cum gloria finierunt . * Deinde „ * 542
patres quoque Orientales dicebant , Si autem „
quicquam, Imperator ſancte , obſcurum aliquis „
inveniri dicat in Theodori vel aliorum literis , „
hoc retractari neceſſarium non eſt. Quorum enim „
vita in ſacerdotio & miniſterio optimum habuit „
D finem, his prælatam gloriam dedicamus , & „
non ex illis eos judicamus , de quibus aliqui „
atrociter eos accuſant . Impoſſibile enim eſt , „
cum homines ſint qui in Eccleſia docent , ut „
calumniantium vituperationes effugiant. Deinde „
quia multa hinc etiam læſio atque confuſio ge- „
neratur Eccleſiæ . Unde iterum patres memora-
ti dicebant , Quid non hinc læſionis vel cor-
ruptionis & confuſionis plenum generetur , ſi „
aperiamus januam his qui volunt dicta tranſeun- „
tium patrum evertere? quale damnum non aper- „
E tum erit, dicta non ſolum refutare , ſed etiam „
anathematizare? Ut enim aliud alicui placeat , „
aliud non in aliquorum dictis, ſive antiquorum „
ſive poſterorum, ſive nunc noſtrorum, alia ratio „
eſt: ut autem & anathema eis imponatur , ar-
bitramur audax & aſperum apparere , etſi per-
ſonæ cum dictis non anathematizentur.

* (537) *ſecundum quod* .
* (538) *noſtri jactarent*
* (539) *referri* .
* (540) *naturæ* .
* (541) *dixerit* .
* (542) *Unde* .

CAP. V. Sed jam ad ſancti Joannis Conſtantinopolitani dicta pergamus: ut aut ipſe quoque cum Theodoro antiquo amico, & a principio condiſcipulo, communem ab Eutychianis ferat invidiam; aut & ab illo, atque a ſynodo Calchedonenſi repellat. Qui in ſermone quodam, cujus eſt principium, Iterum equorum curſus, ſic ait: Quando ergo dicit, *Si poſſibile eſt transeat calix iſte*, &, *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, nihil aliud oſtendit, niſi quia carnem vere circumamictus eſt timentem mortem. Timere enim mortem, & ſubtrahi, & agoniam habere, illius eſt. Nunc quidem eam deſertam & nudam reliquit ab operatione propria, ut oſtendens ejus infirmitatem, manifeſtaret ejus naturam. Jam quidem etiam libro tertio, quomodo idem beatus Joannes Chriſtum ſecundum humanitatem mortem docuerit timuiſſe, probavimus. Sed illud modo volumus adtendi, quod ait, Nunc quidem eam deſertam & nudam reliquit ab operatione propria, cum ſic eam ſibi Deum verbum in unam ſubſiſtentiam adunaſſe credamus, ut ab ea divelli nequeat in æternum. quam tamen recto ſenſu, quem Eutychianorum ſtultitia non poſſet indagare, nec impietas placide & reverenter accipere, Joannes ab illo perhibet eſſe deſertam. Qui rurſus in commento epiſtolæ ad Epheſios libro tertio dicit: Conſidera quantum eſt inter hominis & Dei naturam medium, & ab hac vilitate in illum eum honorem devexit. non uno gradu tranſcendit, & ſecundo, & tertio" babe: non ſimpliciter dixit ſurſum, ſed ſuper ſurſum. nam virtutibus ſupernis ſuperior eſt. Ergo illuc evexit eum qui ex nobis eſt. ab ultima meta ad ſupremum evexit principatum, poſt quem nun eſt alter honor. ſuper omnem, inquit, principatum. non hoc quidem, hoc autem non: ſed & ſuper omnem poteſtatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur in cœlo & in terra, ſuperior factus eſt. Hoc de eo qui a mortuis ſuſcitatus eſt dignum mirari: de Dei autem verbo nequaquam. Neque hic dicendo, quod natura divina * adſumptum evexit eum qui ex nobis eſt, duos voluit intelligi filios. Unde nec ita illud debemus accipere, quod in fine hujus ſententiæ dixit, Hoc de eo qui a mortuis ſuſcitatus eſt dignum mirari: de Dei autem verbo nequaquam. Item eodem libro. Duo enim, inquit, maxima fecit. ipſe in noviſſimam humilitatem venit, hominem in excellentiam magnam evexit, in ſanguine ejus ſalvavit. Dixit illud prius, qui ſemetipſum tantum humiliavit. dicit hoc poſtea magnum & ſupremum. Et licet nullo digni efficeremur, ſufficiebat: & ſi præter hoc digni efficeremur abſque occiſione, ſufficiebat. quando autem duo ſunt, cujus ſermonis magnitudinem non evincat atque tranſcendat? Non grande eſt aliquid reſurrectio, quando iſta conſidero. de iſto dicit, Deus domini noſtri Jeſu Chriſti, non de Deo verbo. Quis autem vel hic Joannem dicat Neſtoriani dogmatis inventorem, quia dixit, Ipſe in noviſſimam humilitatem venit. Item, Deus verbum hominem in excellentiam magnam evexit. * Item, ille in cujus ſanguine nos ſalvavit. vel quia inferius ait, de iſto dicit Deus domini noſtri Jeſu Chriſti, non de Deo verbo, tanquam dominus noſter Jeſus Chriſtus non ſecundum ſubſiſtentiæ unitatem ipſe ſit etiam Deus verbum. In interpretatione quoque epiſtolæ ad Hebræos, ſermone XIV. de eo quod ſcriptum eſt, Sicut conſummatio per Leviticum ſacerdotium erat, ita locutus eſt. Dicit alter propheta, *Dolus non eſt inventus in ore ejus*. hoc eſt nulla calliditas. Hoc forſitan quiſquam de Deo dicat, & non erubeſcit dicens, quia Deus non eſt callidus, neque doloſus. De eo vero qui ſecundum carnem eſt, habebit forſitan rationem. Hic etiam, quamvis dicat non de Deo verbo ſcriptum quod ait propheta, dolus non eſt inventus in ore ejus, ſed de eo qui ſecundum carnem eſt, non tamen duos voluit accipi Chriſtos aut filios. In ſermone quoque a de aſcenſione Domini cujus eſt initium, Feſtivitatem hodie celebramus mirabilem. Utique oportebat, inquit, differentiam ſic dicere. Ad angelos ſuos quidem dicit, *Qui facit angelos ſuos ſpiritus*. ad filium autem, *Dominus creavit me*. aut quia dominum eum & Chriſtum Deus fecit. Sed neque illud de filio dictum eſt, neque hoc de Deo verbo, ſed de eo qui ſecundum carnem eſt. Vides quomodo Joannes in iſta quoque ſententia dicat quia non de filio dictum eſt, creavit me, ſed de eo qui ſecundum carnem eſt: nec tamen a veris & piis fidelibus eum qui ſecundum carnem eſt filium negaſſe credatur.

* In Græco βαβαὶ papæ! non ſimpliter, &c.

* 543

* 544

Hebr. 1. 7.

CAP. VI. Cur autem hæc, vel ipſius S. Joannis, vel ceterorum, ſi qua memoravimus patrum, aliaque multa, quæ prolixitatis vitandæ gratia memorare nolumus, non creduntur hæretica, niſi quia dictorum offenſionem dicentium excuſat intentio, ſecundum quam de verbis melius judicatur? Ipſa eſt intentio mentis, quæ velut quidam oculus, corpori, ita non ſolum dictis noſtris, ſed operibus quoque præſidet. de qua Dominus ait, *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si fuerit oculus tuus ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit: totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ quantæ erunt?* Itaque ſimplex horum patrum oculus, id eſt intentio, qua pro Chriſti Eccleſia, necdum ſollicitante Neſtorii quæſtione, hæreticis talia reſpondebant, totum corpus doctrinæ illorum lucidum fecit. Si quis autem nunc oculo nequam, id eſt * intentione contra Eccleſiam, his patrum verbis, vel etiam ipſius divinæ ſcripturæ, abutatur in aſſertionem Neſtoriani dogmatis, totum corpus ejus tenebroſum erit. Non eſt autem nobis in hac vita conceſſum, ut propoſitum noſtræ mentis opus æquiparet, & talis tantaque ſit actio, qualis & quanta eſt nobis intentio: ſed quod perfecte lucet in bona intentione, aliquantum veſperaſcit in ſermone vel opere. Quod ſi ipſa intentio tenebreſcat, multo magis dicta vel facta, quæ ab illa proceſſerint, tenebroſa erunt. Hinc ergo Dominus etiam hoc adjecit,

Matth. 6.22.

* 545

---

a *De Aſcenſione Domini*) Chryſoſtomi εἰς ἀνάληψιν diverſas ſententias proferunt Theodoretus Dial. II. & Leontius Byzantius lib. 1. uterque ex oratione, Καὶ ὅτι σταυρῷ μνήμην ἐπιτελοῦμεν. Profert & Joannes Cypariſſiota ex altera, cujus initium eſt φαιδρὰ μὲν πᾶσα ἑορτή. Quæ utraque excuſa eſt Tomo v. editionis Anglicanæ. Hæc autem, cujus teſtimonio utitur Facundus, hactenus edita non eſt.

* (543) *ad ſupremum*. Sic paullo ſuperius ait Joannes Chryſoſtomus: *ab ultima meta ad ſupremum evexit principatum*.

* (544) *ideſt, ille*.

* (545) *prava intentione*.

A *Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ quantæ erunt?* Proinde ſic horum, vel quorumcumque talium patrum ſcripta legenda ſunt, ut ſicubi nos aliquid in eis offenderit, aut melius hoc interpretemur, aut interpretandum melioribus relinquamus. Si vero tam certus eſt error, ut excuſari nequeat, credamus quod poſtea emendare potuerint, vel ſi non legatur ubi emendaverint; ne non tam ipſos de ſubrepente lapſu, quam Chriſti Eccleſiam de ſedula ejus adprobatione culpemus. Quod ſi & aliqui, pro ambiguitate novæ quæſtionis, de qua necdum una generaliter ſententia tenebatur, ſicut aliquando fuit, cum beatus * Cyprianus

B

* 503 omnes hæreticos crederet baptizandos, aut pro ſecuritate illius temporis, quia necdum ſicut nos ex altera parte contrariis quæſtionibus pulſabantur, aut quia Eccleſiam forte latuit, ut non admonerentur, in ipſo dicantur errore manſiſſe, infirmitatem labentium religioſa excuſet intentio. & quoniam in Eccleſiæ caritate manſerunt, credamus quod eorum culpas ipſa caritas texerit, ſicut ſcriptum eſt, *Caritas cooperit multitudinem*

1. Petr. 4. 8. *peccatorum*. Nam quis in Eccleſia Chriſti ſic inhumanus atque immitis eſt, ut virum Dei Auguſtinum, tanta pietate præditum, etiamſi in his quorum fide immoramur erraſſe, & non admonitum in errore permanſiſſe cognoſceret, hæreticum

C

diceret aut putaret? qui in exordio ſuorum de „Trinitate librorum, Nec pigebit autem me, in„quit, ſicubi hæſito, quærere; nec pudebit, ſicu„bi erro, diſcere. Proinde quiſquis hæc legit, u-

"*Deeſt hic* ubi pariter hæſitat, quærat meum. „bi pariter certus eſt, pergat mecum: " ubi erro„rem ſuum cognoſcit, redeat ad me; ubi meum, „revocet me. Ita ingrediamur ſimul caritatis viam, „tendentes ad eum de quo dictum eſt, *Quærite fa-*

Pſal. 104. 4. „*ciem ejus ſemper*. Et hoc placitum pium atque „tutum coram Domino Deo noſtro cum omnibus „inierim, qui ea quæ ſcribo legunt, & in omni„bus ſcriptis meis, maximeque in his, ubi quæ„ritur unitas Trinitatis, patris & filii & ſpiritus

D

„ſancti; quia nec periculoſius alicubi erratur, „nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuo„ſius aliquid invenitur. Quis itaque Auguſtinum ſic ingredientem viam caritatis, & ad Deum tendentem, ut profiteretur quod ſicubi erraret, eum diſcere non puderet, & hortantem ut ab ipſo revocaretur errore, hæreticum diceret, vel ſi in his, ſicut jam diximus, probaret erraſſe, & nemine admonente etiam in errore manſiſſe, cum ipſa præparatio mentis ad corrigendum, & exhortatio ejus ut a ſuo revocaretur errore,

"*In MS.* corrigimur. plusquam correctio debeat æſtimari? Nam ſæpe verecundia preſſi, aut etiam neceſſitate conſtri-

E

* 502 cti * corriguntur: iſte autem ſine ulla verecundia ut revocaretur omnes qui ſua legerent divi„na teſtificatione conſtringit, Et hoc inquit, pla„citum, pium atque tutum coram domino Deo „noſtro cum omnibus inierim, qui ea quæ ſcribo „legunt. Ergone huic tutum, ſicut credidit, non eſſet hoc placitum pium coram domino Deo noſtro cum omnibus qui ſua legerent initum, etiam ſi non admonitus in aliquo permanſiſſet errore? quis niſi crudelis aut dicat, aut credat? Tales igitur æſtimemus & alios doctores Eccleſiæ, qualem ſe nobis Auguſtinus oſtendit; & nullum dicemus hæreticum in Eccleſiæ pace

atque honore defunctum. Quid enim me lædit, ſi de omnibus taliter ſentiam, vel ſi non omnes fuerint tales? Hic forſitan aliquis dicat, Sed de Auguſtino recte ſic * audis, cujus animum profeſſio ſua declarat. de aliis autem qua * 505 ratione ſic credas? Quaſi vel ipſe qui contradicit certum habeat quod hoc alii quoque non dixerint: tanquam omnia omnium legerit, omniumque meminerit. aut vel ipſe animus Auguſtini ideo talis fuit, quoniam taliter eſt locutus, & non potius quoniam talis fuit, ideo taliter eſt locutus: ac per hoc, etiamſi nihil tale dixiſſet, idem tamen eſſet habitus animi ad corrigendum quod juſte offenderet præparati. De quo ſi etiam ſic bene ſentiremus, & pium proculdubio eſſet, & verum, quanquam videretur incertum. Hoc igitur & de aliorum animis ſentiamus, quia interim pium eſt, vel ſi videatur incertum. quod ſi & male de illis ſentiamus, hoc quoque certum non erit, ſed certa impietas erit, Melius ergo eſt, ut de duobus illud eligamus incertum, in quo certa pietas adprobetur, quam hoc incertum, in quo impietas certa damnetur. Arbitror autem, quoniam & ipſi, qui nolunt de ceteris doctoribus Eccleſiæ ſimiliter ut de Auguſtino ſentire, quia non inveniunt ubi ſimiliter & illi dictorum ſuorum lectores exhortati fuerint, ut eos de errore * cor- * 507 ripiant, impium judicent credere quod nemo ceterorum fuerit ad corrigendum paratus, ſi quid merito legentem in ejus dictis offenderet. Si ergo impium eſt credere, quod nullus alius fuerit ejuſdem propoſiti, unde ſcit ne ille fuerit talis, quem * æſtimat damnandum? Omnifarie ergo colligitur, quod nemo pro tali ignorantia, in Ec- * 506 cleſiæ duntaxat pace defunctus, niſi ex magna impietate ac temeritate damnetur. Unde ſi aliquis apud ſanctam ſynodum Calchedonenſem Theodorum accuſaret, & aliquos oſtendere poſſet atque oſtenderet ejus errores, modeſte ac pie proculdubio prædicta ſynodus faceret, ſi etiam de incerto ejus animo bene ſentiret. Nunc autem * accuſatus eſt apud illam; nec animus * 504 ejus erat incertus, quem libro ſuperiore docuimus negligentiam ſuam etiam in opere in quo ab amico Cerdone laudatus eſt, ſponte provideque confeſſum, ne quis auctoritate * nominis in- * 526 ductus ſequeretur errantem, & offenſionem auditorum non contempſiſſe, cum diceret aliquid quod recte dictum non putaretur: ſed perničioſi pudoris victorem eandem offenſionem, quam per incuriam verbi contraxerat, abſtuliſſe. Quæ correctio illum non ab his tantum, in quibus evidenter apparuit, ſed a ſimilibus quibuſque purgavit. Cur * ita non laudetur in ceteris * 525 ejus ſana doctrina, cum & in ipſo errore laudanda ſit, per quam nos exemplo potius quam verbis docuit & errata ſponte fateri, & reprehenſam offenſionem ſine pudore corrigere? Nihil igitur eſt, quod de cauſa Theodori ſynodus ſancta culpetur. Neque enim cuiquam auctoritate dictorum ejus impoſuit, ut ſine ullo examine legeretur, & quicquid ſcripſit inconcuſſum atque diſcuſſum teneretur ab omnibus. In his igitur habeatur, de quibus Apoſtolus ait, *Omnia pro-* 1. Theſſ. 5. 21. *bate, quod bonum eſt tenete*. Aliter itaque ſcripturas divinas legimus, quæ canonicæ vocantur:

---

* (546) *Martyr Cyprianus.*
* (547) *corrigimur.*
* (548) *credis.*
* (549) *corriperent.*

* (550) *exiſtimat eſſe damnandum.*
* (551) *nec accuſatus apud illam Theodorus, nec.*
* (552) *nominis ejus.*
* (553) *itaque.*

A aliter autem eorum, qui legendi atque ſcribendi ſtudio proficientes, per acquiſitam quotidiano labore facultatem, ſicut potuerunt de his locuti ſunt. ex quibus erat & ille vir ſapientiſſimus ac modeſtiſſimus Auguſtinus, qui tertio quoque de Trinitate libro ſic ait: Sane cum in omnibus literis meis, non ſolum pium lectorem, ſed etiam liberum correctorem deſiderem, multo maxime in his, ubi ipſa magnitudo quæſtionis utinam tam multos inventores habere poſſet, quam multos contradictores habet. Verumtamen ſicut lectorem meum nolo eſſe mihi deditum, ita correctorem nolo ſibi. Ille me non amet amplius quam catholicam veritatem"; ſicut illi dico, noli meis literis, quaſi ſcripturis canonicis inſervire, ſed in illis & quod non credebas cum inveneris, incunctanter crede: in iſtis autem quod certum non habebas, niſi certum intellexeris, noli firmiter retinere. Ita illi dico, noli in meis literis" ex tua opinione vel contentione, ſed ex divina lectione, vel inconcuſſa ratione corrigere. Si quid in eis veri comprehenderis exiſtendo non eſt meum, at intelligendo & amando & tuum ſit & meum. ſi quid autem falſi conviceris, errando fuerit meum, ſed jam cavendo, nec tuum ſit, nec meum. Aliter itaque, ſicut iſte vir prudentiſſimus docet, canonicas literas legimus, in quibus neceſſe eſt etiam quod non credimus, cum invenerimus, incunctanter credere: aliter autem, vel ipſius Auguſtini, vel talium ceterorum; in quibus quod habemus incertum, niſi certum intellexerimus, non firme retinere debemus. Qui etiam Hieronymo ſcribens dicit, Ego enim fateor caritati tuæ, ſolis eis ſcripturarum libris, quæ jam canonicæ appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo erraſſe aliquid firmiſſime credam. ac ſi aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Nec te, mi frater, ſentire aliud exiſtimo. prorſus, inquam, non te arbitror ſic legi tuos libros velle, tanquam prophetarum, vel Apoſtolorum, de quorum ſcriptis quod omni errore careant dubitare nefarium eſt. Abſit hoc a pia humilitate, & veraci de temetipſo cogitatione. qua niſi eſſes præditus, non utique diceres, utinam mereremur complexus tuos, & collatione mutua, vel doceremus aliqua, vel diſceremus. Tenentes ergo hujus ſapientiſſimi viri ſententiam, & divinam auctoritatem libris non canonicis non adſcribamus, nec humanam compaſſionem; ſicubi ſcriptores eorum quaſi homines lapſi ſunt, denegemus. Quid enim faciat, cujus animam cum caro corruptibilis aggravet, & deprimat terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem, ſuſcepti officii neceſſitate docere compellitur; niſi ut quæ ſcribit aut dicit, ipſius Eccleſiæ, pro qua & a qua ſuſcepit docendi periculum, diſcuſſioni ſententiæque permittat? Sed ſi officio alieno incubuit, ſi quod ei non eſt creditum uſurpavit, merito venia caret, nec poſtet aliquatenus excuſari, qui ſe ultro ac temere alienis ingeſſit periculis. Doctorem vero Eccleſiæ excuſat loci neceſſitas, ſi ea in quibus offenderit corrigere ſit paratus.

" *Apud Auguſt.* fidem, iſte ſe non amet amplius quam catholicam veritatem.

" *Edit. Bened.* in meas literas.

Epiſt. 19.

CAP. VII.

B SEd jam ex dictis quoque beati Cyrilli aliqua proferamus, ut & hinc lector intelligat, utrum recipiendum ſit, quod in præjudicium ſynodi Calchedonenſis eum perhibent quædam Theodori ſcripta, poſt ejus mortem, quaſi Neſtoriana culpaſſe. Atque ut appareat, quia ſuperius memoratorum patrum teſtimonia ex multis pauca protulimus, hujus, qui & Neſtorii condemnator fuit, & quem fecerunt Diodori ſcripta Theodotique culpaſſe, dupla, id eſt decem proferemus, & ipſa pauca de pluribus. Nam in libro quem [a] Scholia nuncupavit, titulo ſeptimo, C Quam eſſe dicimus adunationem. Anima, inquit, omnia quæ ſunt corporis eſſe reputat ſua, licet per naturam propriam expers ſit paſſionum corporis, & naturalium, & quæ extrinſecus accidunt. Movetur enim corpus in concupiſcentias naturales, & " conſentit anima, nullo quidem modo particeps facta concupiſcentiæ, tamen exitu " delectationem propriam ducit. Et [b] ſi forte a ſuo corpore deprimatur, aut torqueatur, condolet quidem quod ſuum corpus patitur; ipſa vero in ſua natura nullum patitur omnino tormentum. tamen ſuper hæc quoque dicimus eſſe adunationem, quæ eſt in Emmanuel facta. Erat enim neceſſe cum ſuo corpore adunatam ei animam dolere, ut timendo paſſiones ſubditam cervicem Deo ſubmitteret. D Hæc ſi Theodorum invenirent Eutychiani dixiſſe, quemadmodum putamus ſingillatim omnia ventilarent, dicentes inprimis, quomodo anima expers eſt paſſionum corporis, ſi conſentit cum movetur corpus in concupiſcentias naturales? aut quomodo rurſus conſentiens concupiſcentiis naturalibus, nullo modo ſit particeps concupiſcentiæ, * exitu tamen delectationem propriam ducit? * 554 aut quomodo corpori potius concupiſcentia tribuitur, cum anima etiam ſine corpore concupiſcere poſſit, corpus vero non poſſit? Namque cum dicitur, caro concupiſcit adverſus ſpiritum; ſpiritus autem adverſus carnem, non E aliud intelligitur, niſi quia carnalis * terrena affectio animæ adverſus bonam ejus affectionem, quam habet de divino ſpiritu, concupiſcat; * 555 ſicut illa etiam, quæ dono ſpiritus datur, affectio concupiſcit adverſus carnalem. Deinde qua ratione * dicitur, quia cum a corpore ſuo deprimitur aut torquetur, condolet quidem quod * 556 ſuum corpus patitur; ipſa vero in ſua natura

" *In Græco* συναισθάνεται, ſimul ſenſit.

" τὸ τῆς ἐρέξεως ἀποτέλεσμα.

a *Scholia nuncupavit*) Id rectius, quam ſingulari numero Scholium, ut in vulgatis exemplaribus Cyrilli Theodoretus Dial. II. Κυρίλλου ἀπὸ τῶν σχολίων. Anaſtaſius presbyter in Eloge τῶν χρήσεων cap. 111. ubi Scholiorum exordium, quod Latine tantum editum eſt, recitat his verbis: Κυρίλλου ἐν ἀρχῇ τῶν σχολίων. Τὸ Χριστὸς ὄνομα ἔτε ὅρου δύναμιν ἔχει, ἔτι μὴν τὴν τινος οὐσίαν ὅ τί ποτέ ἐστι σημαίνει· καθάπερ ἀμέλει καὶ τὸ ἄνθρωπος, ἢ ἵππος, ἢ βοῦς. * πράγματι δὲ μᾶλλον ἐνεργούμενα περὶ τινα ποιόταν δήλωσιν. Singula ergo capita ſuum quodque Scholium continebant. inde libro nomen Scholia.

* *In M. S. Regio* πράγματος ἐνεργουμένου.

b *Si forte a ſuo corpore*) Græca longe aliud ſonant: καὶ εἰ κατεξαίνοιτο τυχὸν τὸ σῶμα, ἢ σιδήρῳ κατεξαίνοιτο, συναλγεῖ μὲν, ὡς ἰδίου πάσχοντος σώματος. *Et ſi forte corpus percutiatur, ac ferro laceretur, condolet, quidem quippe cum ſuum corpus patiatur.* Vitioſa interpretatio Facundum ejus veſtigiis hærentem tranſverſum mox aget.

* (554) *vel nullo modo particeps facta concupiſcentia, exitu.*

* (555) *ideſt terrena.*

* (556) *anima dicitur.*

nullum patitur omnioo tormeotum ?. Si enim
nullum patitur omnino tormeotum, quomodo a
corpore ſuo torquetur? aut quomodo ſioe ſuo
tormento condolet, cum nemo condoleat , niſi
qui doleat? ao torquetur quidem & dolet, ſed
non ſua natura ? Et quid invenitur in rebus ,
quod extra ſuam oaturam torqueatur , ut do-
leat? Io taotum vero aoimæ natura oon eſt
paſſiooibus aliena , ut multa etiam ſæpe tor-
meota, vel ſi pro ſuo corpore , ooo tamen a
ſuo corpore patiatur, id eſt, ſollicitudinis , me-
tus, triſtitiæ, tædii, zeli, & ceterorum. Super
hæc autem & ille dives, qui ooo eſt miſertus
Eleazaro, in inferno ſioe corpore ſuo torquetur.
Sed his omiſſis illud magis conſiderare volo,quan-
tam invidiam ſynodo Calchedonenſi Acephali
commoverent,ſi Theodorus dixiſſet , Super hæc
* 557 quoque dicimus* aduoationem, quæ eſt in Em-
maouel facta: erat enim oeceſſe cum ſuo cor
pore aduoatam ei aoimam dolere , ut timendo
paſſiones ſubditam cervicem Deo ſubmitteret ?
Hæc ergo ſi Theodorus dixiſſet, quomodo ex-
clamarent cum maxima iovidia, & deteſtatione
dicentes, Eo cujus laudes continentem epiſto-
lam ſynodus Calchedooenſis pronuotiavit ortho-
doxam. qui in tantum oon Deum , & Dei fi-
lium credidit Chriſtum, ut exiſtimaret non pro
noſtris doloribus auſereodis, cujus vulnere ſana-
ti ſumus, ſed ipſi potius neceſſarium fuiſſe quod
doluit, ut timore paſſionum non ſuperbiret,ſed
ſubditam cervicem Deo ſubmitteret . Hoc quo-
que dicerent, quia oec perfectæ ſaltem virtutis
hominem credidit Chriſtum , quem putavit ab
elatiooe temporalium paſſionum timore compe-
ſci , quibus virtus exerceri ſolet . Nam ſi im-
perfecti ſunt qui metu coercentur æterni ſup-
plicii, Apoſtolo Joanne de talibus quoque di-
1.Joan.4.18. cente, *Timor non eſt in caritate: ſed * caritas*
* 558 *foras mittit timorem. quoniam timor pœnam ha-
bet. qui autem timet, non eſt perfectus in cari-
tate*. nedum illi, quos præſeotium moleſtiarum
timor retrahet a peccatis. Quod ſi quiſquam ,
adverſus tales Eutychianorum querelas, alia ejuſ-
dem Theodori , de quibus pauciſſima ſuperius
memoravimus , ſcripta proferret , in quibus
Chriſtum conſeſſus eſt ante ſæcula naturaliter
eſſe Deum, & gignenti patri ſemper æqualem ;
illi protinus contra referrent ac dicereot , To-
lerabilius fuerat, ut Chriſtum natura Deum ,
& patri ſemper æqualem non crederet , quod
aliquaodo nec ipſi Apoſtoli crediderot , quam
ut illum , quem ſempiternum credidit Deum ,
timore paſſionum crederet ab elatione compreſ-
ſum. Rurſus autem eodem libro , titulo deci-
mo, quid dixerit, vel quid prima fronte ſolus
ipſe titulus præferat , advertamus . Nam hoc
in illo ſe oſtenſurum eſſe promiſit dicens, Quod
& adunato Deo verbo veræ humanitati, incon-
fuſæ tamen ſubſiſteotiæ permanſerunt . utque
hoc probaret ſubjecit iſta : Erectum eſt ſecun-
dum Dei voluntatem ſaoctum taberoaculum per

A deſertum , & in eo multis modis formabatur
Emmanuel. & poſt alia. ª Quod autem natu-
ræ, ſive ſubſiſtentiæ, inconfuſæ manſeriot, hinc a
ſcimus . Aurum eoim ſuperpoſitum ligno manſit
id quod erat. & oroabatur quidem lignum auri
decore, tamen lignum eſſe oon deſiit. Quod ve-
ro arca io Chriſti accipiatur imagine, pluribus
poſſit probationibus declarari . Conſideret ergo
lector , quomodo aſſeratur quod io Chriſto na-
turis inconfuſe manentibus ſubſiſteotiæ quoque
permanſerunt, quæ nunquam fuerunt. quoniam
ſemper ad Dei verbi ſubſiſtentiam humaoitas
illa pertiouit, nunquamque ſibi velut in pro-
pria perſona ſubſiſtit * aſſumentis ſubſiſtentiam * 559
nacta , & io illam naſcendo tranſiens , vel
B tranſeuodo naſcens, cui cauſa oriendi , totum-
que quod orta eſt, ipſa fuit adſumptio . Item-
que ᵇ ad Acacium Melitineoſem. Quo autem b
modo, inquit, incarnatus & homo factus eſt ſi
quis perſcrutetur, contemplabitur ex Deo Deum
verbum, & ſervi formam ſumpſiſſe, & in ſimi-
litudinem hominum factum , ſecuodum quod
ſcriptum eſt: & ſecuodum hoc ſolum conſide-
rabitur oaturarum ſeu ſubſiſtentiarum differeo-
tia. Hic quoque ſicut duarum oaturarum , ſic
etiam ſubſiſtentiarum conſiderandam eſſe diffe-
rentiam docet. Rurſus interpretans epiſtolam ad * 560
Hebræos dicit * lib. 11. Cum dixerimus quia Ver-
C bum caro factum eſt , carni communicavit ſecun-
dum ſubſiſtentiam ineffabiliter, & quomodo nec
intelligi poteſt. Tunc etenim, tuoc & uniuſcu-
juſque ſubſiſtentiæ perſona intellectu ſuſcepta ſi-
mul concurrit naturis ad unitatem . Quis ſciens
Cyrillum prædicaſſe,quod ita Deus verbum car-
ni communicavit, ut io eo myſterio oon ſolum
duæ naturæ ad unitatem coocurrerent , ſed et-
iam duæ ſubſiſtentiæ atque perſonæ ; non mire-
tur cum auditu quod Diodori ac Theodori ſcri-
pta quaſi Neſtoriana culpaverit , & non potius
imitator ſui deceſſoris Athanaſii, ſcripta omoium
in pace Eccleſiæ quieſceotium ſtuduerit excuſa-
D re? Qui poſtea io eodem opere libro quarto ,
Ergo , inquit , reſloruit & velut renatus eſt ,
quaſi ex radice ſecunda, omnium noſtrum ſal-
vatoris Chriſti homo, ad incorruptionem & anti-
quarum cauſarum virtutem per ſæcula ſe vicit.
Si calumniari libet, objiciatur & iſti : tanquam
alium ſalvatorem Chriſtum , & alium credide-
rit hominem ipſius ſalvatoris Chriſti ; quia non
ait, & velut renatus eſt , quaſi ex radice ſe- * 561
cunda, omoium ooſtrum * ſalvator , ſed , om-
nium ooſtrum ſalvatoris Chriſti homo. & addaot
inſuper diceotes, Si Chriſtus, id eſt unctus, eſt
homo, quooiam non niſi oatura humana io il-
E lo uncta eſt, qui rurſus eſt ille homo qui di-
citur Chriſti? oeque enim Dei verbi dictum eſt
homo, ſed Chriſti, qui ſic Deus creditur, ut &
homo eſſe credatur. In expoſitione quoque He-
ſaiæ Prophetæ libro quarto ſic ait. Ergo quan-
tum ad iocredulorum acerbitatem , & inepte illis
meditatam cootradictionem , ioaoiter laboravit ſal-

---

a *Quod autem natura ſive ſubſiſtentia*) Græca ſunt apud Leontium lib.1. ὅτι δὲ ἀσύγχυτοι μεμενήκασιν αἱ φύσεις, ἤγουν ὑποστάσεις, ἐντεῦθεν εἰσόμεθα. τὸ γάρ τοι χρυσίον ἐπαλληλισμένον τῷ ξύλῳ μεμένηκεν ὅπερ ἦν· καὶ κατεπλούτει μὲν τὸ ξύλον ἴσως τῇ χρυσίου δόξῃ· πλὴν οὐκ ἀπέστη τὸ εἶναι ξύλον. Duas hypoſtaſes in Chriſto duas ſubſiſtentias dicere ſi voluit Cyrillus,merito reprehenditur.Sed quid alienius a dogmate Cyrilli ? Hypoſtaſes ergo poſuit hoc loco pro ſubſtantiis,Athanaſii exemplo ,& Alexandrinorum more, de quo dictum eſt lib.vi.Quare *ſubſtantias* reddere debuit interpres, non *ſubſiſtentias*. Ligni vero & auri comparatio, qua utitur, diſpar ac diſſimilis hac in parte.

b *Ad Acacium Melitinenſem*) Edita eſt Græce ac Latine Cyrilli ad Acacium epiſtola poſt Synodum Epheſinam oum.xxxv.ubi τῶν φύσεων, ἤγουν ὑποστάσεων διαφορὰ rectius, quemadmodum dicebamus, exponitur *naturarum ſeu ſubſtantiarum*, quam ut hoc loco *ſubſiſtentiarum*.

* (557) *eſſe adunationem*.

* (558) *perfecta caritas*. Ita etiam in vulgata.

* (559) *aſſumentis ſubſiſtentia nata*.

* (560) *libro tertio*.

* (561) *ſalvator Chriſtus , ſed*.

„ vator, & in vanum & in nihilum dedit forti-
„ tudinem ſuam. Nec enim ſuſtinuit, ſicut dixi
„ nuper, ſacras ejus prædicationes ſtolidus Iſrael,
„ non honoravit ejus laborem. Labor enim erat
„ Verbo, ut fieret ſecundum nos, & humanam
„ ſuſtineret parvitatem. Sed judicium meum, in-
„ quit, apud Dominum, & labor meus coram
„ Deo meo. Agnovit enim, inquit, pater quos
„ conſumpſi labores pro eorum ſalute. propter
„ hoc & judicium ab eo prolatum eſt. Ecce De-
um verbum, de quo Gregorius, ſicut ſupra me-
moravimus, dicit quia ſine labore omnem mun-
dum conſtituit, Cyrillus dicit quoniam labora-
vit ut fieret ſecundum nos, & humanam ſuſti-
neret parvitatem. quaſi anguſtiam in humano
corpore pateretur impaſſibilis ejus divinitas,
quam nec anima noſtra patitur ex corporis par-
vitate; ſed potius ex lege peccati, quæ in no-
ſtris membris eſt mentis legi repugnans. nam in
futura vita nullam in incorruptibili corpore pa-
tietur anguſtiam. Nec non in commento Evan-
„ gelii ſecundum Matthæum, libro ſecundo. Quan-
„ do; inquit, baptizatus eſt Chriſtus, tunc a ſpi-
„ ritu duci dicitur, hoc eſt habitare ſpiritaliter,
„ vel etiam agere ſpiritalem. & poſt pauca. Ad-
„ ſuefaciens ad vitam ſpiritalem proprium tem-
„ plum, in quo jam Deus verbum, & in quendam
„ inconſuetum & incompoſitum vitæ modum trans-
„ formans ea quæ noſtra ſunt, & in novitate vi-
„ tæ, quæ nondum fuerat prius agnita, refor-
„ mans, jejunium agit ita longum. Nunquid an-
tequam baptizaretur Chriſtus non ſpiritalem vi-
tam egit, aut baptiſmo Joannis indiguit, ut il-
lo ſacratus inſtitueretur etiam ſpiritaliter vive-
re, cum neque illi, qui ab Apoſtolis baptiza-
bantur in nomine ipſius Domini noſtri Jeſu
Chriſti, eguerint Joannis baptiſmo ſacrari? Quo-
modo ergo dicitur, quia cum baptizatus eſſet
Chriſtus, ſpiritaliter vixit; & quod ſcriptum
Matth. 4. 1. eſt, *Tunc Jeſus ductus eſt a ſpiritu ut temptaretur a
diabolo*, hoc ſignificatum eſſe creditur, ut habi-
taret ſpiritaliter, & vitam ageret ſpiritalem?
Itemque dicitur adſuefaciens ad vitam ſpiritalem
proprium jam templum, in quo Deus verbum:
quaſi prius eidem templo conſuetudo fuerit vi-
tæ carnalis, quod de Spiritu ſancto conceptum
aliud quam vitæ ſpiritalis eſſe non potuit. Quo-
modo igitur adſuefieri dicitur ad ſpiritalem vi-
tam, cum ad eam non ſtudio ſed natura fuerit
ordinatum? cui nihil unquam defuit ad perfe-
ctionem largitatemque virtutis. quoniam de eo
Joan. 3. 34. ſcriptum eſt, *Non enim ad menſuram dat Deus ſpi-
Joan. 1. 16. ritum*. & item, *De plenitudine ejus nos omnes acce-
pimus, & gratiam pro gratia*. Exponens etiam E-
vangelium ſecundum Joannem, libro primo ſic
„ ait. Dii & Dei filii per fidem oſtendimur. In-
„ habitavit enim in nobis, qui ſecundum naturam
„ filius eſt & Deus. Propterea & in ſpiritu ejus
„ clamamus Abba pater. Inhabitat autem Verbum
„ ſicut in omnibus, & in uno, quod propter nos
„ & ex nobis ſuſceptum eſt templum, ut omnes
„ habens in ſemetipſo, reconciliet & omnes in uno
„ corpore apud patrem. Si ex verborum ſonis, &
non ex intentione, doctores Eccleſiæ judicentur,
quid de iſto putabimus qui dixit: Inhabitat au-
tem Verbum Dei ſicut in omnibus, & in uno,
quod propter nos & ex nobis ſuſceptum eſt tem-
plum? Quid ergo Cyrillum Neſtorii damnatorem
hoc ſenſiſſe credimus, quia Deus Verbum ſic
inhabitat in uno templo, quod propter nos &
ex nobis ſuſceptum eſt, quemadmodum commu-
niter in omnibus habitat, & non potius ut una
eſſet ipſius habitantis Dei Verbi templique per-
ſona? cum Theodorus, qui condemnatur quaſi
Neſtoriani auctor erroris, ſicut in tertio libro «
memoravimus, dicat. Inhabitato quidem a Deo «
verbo ab ipſa in utero matris plaſmatione: in- «
habitato vero non ſecundum communem inha- «
bitationem, neque juxta eam quæ in multis in- «
telligitur gratiam, ſed juxta quandam excellen-
tem, ſecundum quam etiam adunari dicimus «
utraſque naturas, & unam juxta adunationem «
effectam eſſe perſonam. Diſcant ergo Eutychia-
ni, eorumque fautores, antiquorum Eccleſiæ
prædicatorum ſcripta aut melius interpretari,
aut melioribus interpretanda relinquere, ne
Theodoro, qui ab eis dicitur multo deterior
fuiſſe Neſtorio, deteriorem B. Cyrillum dicere
compellantur. qui non propterea dixiſſe creden-
dus eſt, Inhabitat autem Verbum ſicut in om-
nibus, & in uno quod propter nos & ex no-
bis ſuſceptum eſt templum, quaſi una perſona
Dei verbi templique non fuerit: ſed potius quia
divinitas* ejus in proprio templo inconvertibi- * 562
lis manſit. Namque in iſto incarnationis my-
ſterio duo quædam intelligenda & confitenda
ſunt: ſcilicet & unam eſſe perſonam Dei ho-
miniſque, & duas inconfuſas manſiſſe natu-
ras. Quantum ad unitatem perſonæ attinet,
Deus verbum non ſicut in omnibus, ita in
uno quod propter nos & ex nobis ſuſceptum
eſt * templum: quanto vero ad id quod duæ
naturæ ſine confuſione manſerunt, Deus ver-
bum ſicut in omnibus, & in uno, quod propter
nos & ex nobis ſuſceptum eſt * templum inhabi- * 563
tat. quia ſicut in omnibus habitans inconverti-
bilis ejus divinitas manet, ita & in uno, quod
propter nos & ex nobis ſuſceptum eſt templum,
inconvertibilis ejus divinitas manſit. Hac igi-
tur intentione dictum credamus, ut nec im-
probemus dicentem, nec adprobemus errorem.
Poſſemus & aliorum ex his quæ memorata ſunt
dictorum ejus non contemnendam reddere ratio-
nem, & ſine dubio doctiores plurium poſſent.
Ob hoc igitur non eſt temere de mortuis ju-
dicandum. Dicit autem & hoc ex perſona Do- «
mini eodem opere libro quarto, *Pater ſi poſſibile* «
eſt. Non poſſum morte obtinere vitam his qui «
in eam ceciderant, ſi moritur mors me non mo- «
riente. Certum eſt autem, quia ſecundum car- «
nem dicit, tranſeat calix. Verumtamen quia «
non poteſt, inquit, aliter fieri, non ſicut ego «
volo, ſed ſicut tu. Reſpice quomodo deficiens «
quidem rurſus hominis natura, quantum ad eam «
attinet, ſublevatur autem per unitum ad eam «
Verbum ad divinam audaciam, & ad ſapientiam «
juvenilem edocetur, ut non propriis voluntati- «
bus quod videbatur faceret, ſed intentionem di- «
vinam potius ſequeretur. Propterea Theodorum
pejus dæmonibus blaſphemaſſe dixerunt, quia di-
xit quod Dominus timuerit paſſionem. Quod ſi
recipimus, Cyrillum quoque cogemur dicere pe-
jus dæmonibus blaſphemaſſe, qui nos admonet,
ut reſpiciamus quomodo deficiens homini natu-
ra, quantum ad eam attinet, ſublevatur per
unitum ad eam Verbum ad divinam audaciam.
Hoc autem quod adjecit, & ad ſapientiam ju-
venilem edocetur, ut non propriis voluntatibus

* (562) *ejus etiam*.

* (563) *templum inhabitat*.

quod

ret , doctiores cum quibuſdam quæ ſuperius me-
morata ſunt interpretentur, ſi tamen Eutychia-
ni eorumque complices velint admittere . Nam
cum Athanaſius, qui deceſſoris ſui Dionyſii ſcri-
pta purgavit , aliquid invenitur tale dixiſſe
quod legentem poſſet offendere , vel cum Baſi-
lius , qui magni Gregorii dicta , ſive Hilarius ,
qui Concilii contra Paulum Samoſatenum con-
gregati , atque Sirmienſis conſtituta defendit ;
fas non eſt omnino de tantæ pietatis viris ma-
le ſentire, qui ex ſemetipſis alios æſtimantes ,
excuſare ſtuduerunt dicta majorum , & qualiter
a ſe dici poſſent, taliter ab illis prolata, & ab
Eccleſia ſuſcepta crediderunt , ut in ea perma-
nerent Epiſcopi . Sed & quicumque alii venera-
biles patres, quos dicta præcedentium non legi-
mus excuſaſſe, aliquid tale dixerunt , denotandi
proculdubio non ſunt, quando & ipſi ejuſdem
pietatis fuiſſe credantur. Cum vero de B. Cyril-
lo in deſtructionem ſynodi Calchedonenſis Eu-
tychiani cum ſuis ſatellitibus dicunt , quia non
forte interveniente aliqua occaſione, ſed ſedulo
& ad hoc inſtituto opere, Theodori a tantis
patribus prædicati dicta notaverit ; * quid aliud
* 564 niſi ut ipſe in his quæ memoravimus ceteriſque
ſimilibus inexcuſabilis judicetur ? Veritas enim
dicit , Nolite judicare, ut non judicemini . in
quo autem judicaveritis, judicabimini . in qua
menſura menſi fueritis, metietur vobis . Si er-
go vel ipſi B. Cyrillo parcunt , ſi eum volunt
in talibus excuſari , non ulterius contra Cal-
chedonenſe Concilium dicant , quod non par-
cens mortuis accuſaverit inſignis teſtimonii vi-
ros, & plenos dierum in maxima Eccleſiæ di-
gnitate defunctos. Attendere ſane debent in hac
ſententia, qui cum dicit humanam naturam per
unitum ad eam verbum ſublevari, ut non pro-
priis voluntatibus quod videbatur faceret, ſed in-
tentionem divinam potius ſequeretur, duas do-
ceat voluntates , ſi tamen duas tantum , cum
ſolius humanæ naturæ non propriam , ſed pro-
prias eſſe dixerit voluntates, quas, ut ipſe lo-
cutus eſt, docebatur Chriſtus non facere , & a-
liam divinæ intentionis, quam ſequi docebatur.
Quid autem rurſus in eodem opere , atque in
eodem libro dicat de duabus Chriſti voluntati-
bus, de quibus etiam B. Athanaſium tractare
tertio noſtro libro docuimus, lector advertat .
Quid erat, inquit, voluntarium & non volun-
„ tarium Chriſto? a Judæis exhonoratio, detractio-
„ nes, injuriæ, * plagæ, ſuper hæc quoque calum-
„ niæ, & quod eſt in omnibus ultimum, mors cor-
* 565 „ poris. Sed ſi fuiſſet poſſibile, ut non paſſus ob-
„ tineret in nobis quod ſtudebat , non voluiſſet
„ pati. Quoniam autem omnino & inexcuſabiliter
„ futuri erant Judæi præſumere quæ in eo facta
„ ſunt, ſuſcepit ut pateretur , & fecit volunta-
„ rium quod non erat voluntarium, propter utili-
„ tatem ex paſſione. Attendant ergo, quemadmo-
„ dum B.Cyrillus , etſi non iiſdem verbis quibus
„ S. Athanaſius, duas tamen voluntates doceat in
Chriſto fuiſſe, cum dicit & voluntarium & non
voluntarium * fuiſſe quod paſſus eſt, & quia quæ
propter nos volens paſſus eſt non voluiſſet pati,
* 566 & quia fecit voluntarium quod non erat volun-
tarium: * nec per hoc duos Chriſtos aut filios
* 567 prædicaſſe credatur. Quod ſi dicitur iſtud volun-
A tarium , hæc quidem propter nos volens paſſus
eſt Chriſtus , & non voluntarium Chriſto , vel
quod volens paſſus eſt quod non voluiſſet pati,
non duas divinæ humanæque naturæ voluntates
oſtendere ; ſed humanæ tantum , propter aliud
& aliud, aliam atque aliam voluntatem ; * quod * 568
in natura divina non congruit , ut eandem rem
velit ſimul & nolit. ſupereſt ut exceptis his vo-
luntatibus, alia fuerit in Chriſto, eademque in
patre & Spiritu ſancto, naturæ divinæ voluntas,
cui aliud & aliud convenire non poſſit. Proin-
de hoc ab Eutychianorum vel Semieutychiano-
rum fautoribus expectamus, ne in condemnatio-
ne doctrinæ Theodori doctrinam quoque B. Cy-
rilli pro his atque hujuſcemodi ceteris damnent.
B Quod ſi B. Cyrillum condemnare nefas exiſti-
ment , nec Theodorum in præjudicium ſancti
Concilii culpent, quaſi Neſtoriani erroris aucto-
rem. Jam vero ſi & poſt exortam ac diffama-
tam Neſtorii quæſtionem beatus Cyrillus talia
vel taliter eſt locutus , quid mirum ſi Theo-
dorus . necdum contradicente Neſtorio , calum-
niam ſive ſuſpicionem inopinati erroris incur-
rit ? Cognoſcis autem ex his quæ memoravi-
mus , clementiſſime Imperator , quod veraci-
ter ſapientiſſimus Joannes Antiochenus cum
Orientali Concilio ſcribens beato Cyrillo , ne
quædam excerpta ex dictis Theodori ſub a-
C nathemate damnarentur , addit , atque ait . „
Excerptis enim iſtis ſimilia quædam invenimus „ * 569
apud * beatum & nobilem Athanaſium , quæ- „
dam etiam apud B. Baſilium , quædam apud „
Gregorium utrumque, multa vero & apud Am „
philochium ſæpius dicta: non parva vero & a- „
pud communem patrem B. Theophilum . Sunt „ * 570
enim * quæ tua ſanctitas ita confitetur, ut eum- „
dem de illis habeas intellectum. His ergo com- „
moniti , non ex hæreticorum , vel quorumque „
minus intelligentium arbitrio, dicta omnium in „
pace Eccleſiæ quieſcentium judicemus: ſed po- „
tius ex intentione dicentium. quoniam hæc quæ „
quocumque modo videntur lectorem offendere , „
D non ſegregantes ſemetipſos adverſus Eccleſiam . „
ſed pro Eccleſia ſcripſerunt adverſus hæreticos. „
Numquid enim probare quiſquam poteſt , quod „
contra eos talia dixerunt , qui ſacramento do- „
minicæ incarnationis unam Dei verbi atque ho- „
minis factam credebant eſſe perſonam ; & non „
potius adverſus illos , qui duas in una Chriſti „
perſona denegabant manſiſſe naturas? Si quis igi-
tur dicat, illo tempore, cum non hiſdem qui-
bus nos hæreticorum quæſtionibus Eccleſia pul-
ſaretur, & neceſſaria hæc adverſus alios hæreti-
cos, & catholicis innoxia fuiſſe : nunc autem ,
Neſtorianis occaſionem ſimplicem decipiendi quæ-
rentibus , abſtinendos eſſe fideles , maximeque
E parvulos , ab ſcriptorum talium lectione . cui
ſano ac prudenti diſpliceat hoc ſanum prudenſ-
que conſilium ? ut quoniam hoſtes, quos modo
nos patimur , aliter armantur adverſus Eccle-
ſiam, ejus quoque fideles ac propugnatores in
aliis ſeſe armis exerceant . atque ita ſine anti-
quorum Eccleſiæ prædicatorum infamia, ab hæ-
reticorum inſidiis * calumnietur . nec videbi- * 571
tur inſultare defunctis , aut religioſiores nos aut
ſapientiores in aliorum reprehenſionibus oſten-
tare , & gloriam de ignominia defunctorum

* (564) *quid aliud faciunt , niſi .*
* (565) *plagæ , flagella , & ſputa .*
* (566) *ei fuiſſe .*
* (567) *nec tamen .*
* (568) *quod naturæ divinæ non congruit .*
* (569) *ter beatum .*
* (570) *quæ etiam tua .*
* (571) *Eccleſia munietur . Nec &c.*

appetere. quod ita beatus Gregorius in Apologetico ſuo notat: Omnes, inquit, ex hoc docti & catholici volumus videri, ſi alios reprehendamus, & impios judicemus. Cum igitur Eutychiani, eorumque complices, doctos & catholicos ſe, non de unius Theodori, ſed de magnæ ſynodi Calchedonenſis reprehenſione jactarent, illorum patrum ſimilibus dictis eos duxi convenientius coercendos, quos non audent culpare velut hæreticos. non quod eoſdem patres videri notabiles velim, ſicut illi Theodorum ad evacuandam auctoritatem magnæ ſynodi volunt videri notabilem: ſed ut eis oſtenderem, quod ſine his patribus, quos culpare non audent, Theodorum pro ſimilibus, vel eamdem ſynodum, quod eum non damnaverit, culpare non poſſint. Sic Dominus, cum ſabbato per ſata tranſiret, & diſcipuli ejus eſurientes cœpiſſent vellere ſpicas & manducare, culpantibus eos Phariſæis, & Matt. 12. 2. dicentibus, *Ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet eis facere ſabbatis*, reſpondit, *Non legiſtis quid fecerit David, quando eſuriit, & qui cum eo erant. quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum illo erant, niſi ſolis ſacerdotibus? aut non legiſtis in lege, quia* A *ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt!* Sicut ergo Dominus Phariſæis Apoſtolos culpantibus hæc reſpondens, non prophetam David, & qui cum illo erant, neque ſacerdotes voluit videri notabiles: ſed potius ut ipſi Phariſæi ſanctarum & indubitatæ auctoritatis perſonarum exemplo coerciti, innocentes diſcipulos non culparent: ita nos non venerabiles patres offendere delectavit, ſed Eutychianorum ſatellitumque eorum præſumptionem talium exemplorum objectione compeſcere. quibus hoc dicimus, ut ſi hæc Euſtathi, Athanaſii, Amphilochii, Gregorii, Joannis, & Cyrilli B dicta, quæ memoravimus, melius interpretari poſſunt, etiam Theodori melius interpretari dignentur. * ſi non, & doctioribus ea relinquunt, * 572 etiam Theodori ſic relinquant. Quod ſi putantes memoratorum patrum dicta melius interpretari non poſſe, non tamen ex his quæ necdum ſollicitante Neſtorii quæſtione minus examinate prolata ſunt, laudabilem eorum doctrinam exiſtimant judicandam: hoc etiam de Theodori doctrina ſanctam ſynodum judicaſſe non arguant. Nam quia non ignorantia, ſed obſtinatio facit hæreticum, & in ſuperioribus multa jam diximus, & ſequenti libro aliquanta dicemus.

FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS,
PRO
DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM,
LIBER DUODECIMUS.

CAP. I.

Defenſio magnæ ſynodi Calchedonenſis, quam criminantur Acephali, quod epiſtolam venerabilis Ibæ doctrinam Theodori laudantem judicavit orthodoxam, compulit nos, orientalium maxime admonente Concilio, quædam ex dictis antiquorum patrum proferre, quæ legentes non minus quam illa quæ in ipſo Theodoro culpant, offendere videantur. Et quoniam contemnenda non eſt talis offenſio, nec omnia quæ ex dictis eorum protulimus poſſumus excuſare, neque ſi poſſemus tempus ſufficeret ad excuſanda etiam cetera, quæ in ipſorum atque aliorum patrum ſcriptis poſſunt offendere: hac compendioſa & ſecura omnes in Eccleſiæ pace defunctos ratione defendimus, ut doceamus quod nullum eorum hæreticum digne judicare poſſimus, vel ſi quidam inveniuntur aliquid de hujuſmodi quæſtionibus ignoraſſe. Non autem me quiſquam illud in præſenti libro putet aggreſſum, ut definiam quid ſit quod hæreticum faciat: quia hoc tantum monſtrare propoſui, quod quidem jam in ſuperioribus acceptabili, ſicut æſtimo, ratione monſtravi, neminem pro talium quæſtionum ignorantia, in Eccleſia viventem, ſive defunctum, qui ſe docilem Chriſtianæ doctrinæ præbet, aut præbuit, hæreticum debe- C re judicari. Nam ſi nunc Eccleſia quædam Chriſti ſchola eſt, omneſque fideles ejus Chriſti dicuntur eſſe diſcipuli, nec quiſquam poteſt veraciter dici diſcipulus, qui non aliquid diſcit, neque diſcitur niſi quod ignoratur, proculdubio aut docilis ignorantia non facit hæreticum, aut omnis Chriſti diſcipulus erit hæreticus. Et quis jam catholicus eſſe dicetur, ſi omnis qui de Chriſtiana religione aliquid diſcit hæreticus eſt dicendus? Quod ſi etiam credantur aliqui ſic omnia didiciſſe, ut nihil jam poſſint habere quod diſcant: quia tamen aliquid ignorabant antequam diſcerent, ex hæreticis videbuntur D facti catholici. atque ita colligitur, ut nullus inveniatur in Eccleſia Chriſti, qui non aut eſſe aut fuiſſe perhibeatur hæreticus. at hoc dicere vel putare cum impiiſſimum, tum etiam nimis abſurdum eſt. Scire igitur debemus, quod hæreticum non faciat ignorantia, quæ doctrinæ veritatis contumax non eſt, ſed potius obſtinata defenſio falſitatis. Ad hanc obſtinationem pertinere dicimus, immo principatum in ea tenere firmamus, illas etiam doctrinas, quas quidam non quaſi minus intelligendo ſcripturas divinas, ſed eis aperte reſiſtendo, ſola præſumptione ſpiritus condiderunt, ſicut

* (572) *ſi vero doctioribus.*

a [a] Manichæus atque Origenes, & ceteri, qui non ut alii ſequentes earum intentionem, in abſtruſis quæſtionibus erraverunt, ſed ſuper illas elati melius ſe crediderunt vel ſapere, vel * dicere.
* 573
Nam ſi obſtinatus ille dicendus eſt, qui non cedit Eccleſiæ conſtitutis earumdem ſcripturarum auctoritate firmatis, quanto deterioris obſtinationis dicendus eſt, qui ipſis divinis ſcripturis dedignans acquieſcere, inviolabili earum plenitudini aut abrogat veritatem, aut aliquid deeſſe putat quod propria debeat adinventione ſupplere? Quibus autem in rebus hæc obſtinatio hæreſis habenda ſit, majoris eſt quæſtionis,
* 574
& * intentione hujus operis alienæ. nunc quod propoſuimus exequamur. Dicimus ergo, quod alienus a Chriſto ſit omnis hæreticus. Corinthiis autem dicit Apoſtolus, *Non potui loqui vobis*
1.Cor.3.1.
* 575
** tanquam ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis. ſed nec nunc quidem poteſtis: adhuc enim eſtis carnales.* Si igitur Corinthii, qui adhuc perfectam ſcientiam in * miniſterio abſconditam neſciebant, hæretici non erant, quia, ſicut ait Apoſtolus, in Chriſti parvuli erant: quomodo quiſquam, ſive adhuc vivens, ſive defunctus in Eccleſia Chriſti propter ſolam ex parte ignorantiam judicetur hæreticus, de qua nemo redarguit ut correctionem recipere noluiſſe dicatur? Philippenſibus etiam ſcribens, *Ego meipſum*, inquit, *non arbitror comprehendiſſe. unum autem, quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea vero quæ ante ſunt extendens me, ad deſtinatum ſequor, ad palmam ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu. Quicumque ergo perfecti hoc ſentiamus. & ſi quid aliter ſentitis, & hoc vobis Deus revelavit. " Verumtamen ad quod pervenimus, in hoc ambulemus.* Quæ cum ita ſint, quid de hiſdem Philippenſibus credimus, quibus dicebat Apoſtolus, quod aliter ſentirent, & quos monebat, ut in eo interim ad quod pervenerant ambularent, id eſt proficerent? Hæreticos ergo tales pronuntiabimus, an indoctos catholicos? Sed hæreticos dicere non audebimus, quibus cum tota Eccleſia communicabat Apoſtolus. Reſtat igitur ut eos, licet indoctos, & aliter quam docet veritas ſentientes, catholicos tamen fuiſſe dicamus. Nec non & Coloſſenſibus ita ſcribit: *Etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum: gaudens & videns ordinem veſtrum, & id quod deeſt utilitatis fidei veſtræ.* Numquid ergo debuimus iſtos hæreticos dicere, quoniam videbat Apoſtolus quod illis ad utilitatem fidei deerat? abſit. Nam quomodo ſpiritu cum talibus idem eſſet Apoſtolus, & eorum ordini congauderet? De illa quoque muliere, quæ erat in fluxu ſanguinis ab annis XII. & in medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari, quid ſentiendum eſt? Non enim Deum crediderat Chriſtum, cum fimbriam veſtimenti ejus attingeret. Nam dicente Domino, quis eſt qui me tetigit, & reſpondente Petro, & qui cum illo erant, *Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis quis me tetigit?* rurſumque Domino dicente, *Tetigit me aliquis. nam ego novi virtutem de me exiſſe*, nec prodente quid factum fuerit, ut illa potius quæ ſanata erat teſtis divinæ virtutis exiſteret, ſicut ibi ſecutus Evangeliſta dicit, *Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes illius.* & ob quam cauſam illum tetigerat, indicavit coram omni populo, & quemadmodum confeſtim ſanata ſit. Igitur ex verbis Lucæ dicentis: *Videns autem mulier quia non latuit*, intelligimus quia ſic tetigerat ut lateret. latere autem poſſe non crederet Deum. Chriſtum ergo non Deum crediderat, quem latere poſſe crediderat, adeo ut quod in ſe factum ſciret, indicandum ei putaret. Sic enim & alius refert Evangeliſta. *Mulier autem timens & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe, venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.* ut quod prius ægrotæ pudor abſconderat, ſanæ devotio fateretur. Et fortaſſis ideo retro tetigit Chriſtum, ut ipſo quoque actu ſignaret, quod non ejus anterius, quod præcedit omnia, ſecundum quod dictum eſt, *In principio erat verbum*, ſed humanitatem, quæ poſtea *Verbum caro factum eſt*, fide contigerit. Sicut enim nobis ad rerum ſignificationem verba ſunt data. ſic omnipotens Deus, cujus poteſtati ſubjecta ſunt omnia, & cujus ſapientia ſingulariter novit in uſum doctrinæ etiam voluntarios neſcientium motus convenienter aptare, quaſcumque res voluerit actu creaturæ ſuæ ſignificat. Unde non incongrue puto, quod ideo & ad fimbriam tantum veſtimenti ejus acceſſit, quæ pro menſura fidei ſuæ non potuit ad excellentiam majeſtatis ejus accedere, ſed ad id quod piæ incarnationis fuit, per quam inclinatus in terras humilitati noſtræ propinquior factus eſt. Nec mirum, ſi fides hujus mulieris fuerit imperfecta, vel quod in ipſa imperfectione de Chriſti miſericordia receperit ſanitatem; cum in ipſis quoque videatur Apoſtolis tales aliquos fuiſſe, ſicut jam de Thoma & Philippo docuimus. per quam tamen virtutes perficiebant in populo. Nec incredibile ſit, quod licet Deum non crederet Chriſtum, dicebat tamen quia vel ſi veſtimentum ejus tetigero, ſalva ero: cum ſcriptum ſit in actis Apoſtolorum, quod tantum fideles Chriſti de ipſorum quoque diſcipulorum ejus virtute crediderint, ut non ſolum ſuper languidos deferrentur a corpore Pauli ſudaria vel ſemicinctia: & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur: verum etiam quod credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum in plateis ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis & grabatis, ut veniente Petro ſaltem umbra illius obumbraret quemquam eorum. dum concurreret multitudo vicinarum civitatum Hieruſalem, afferentes ægrotos & vexatos a ſpiritibus immundis, qui curabantur omnes. Placet igitur, ut iſtam quoque mulierem condemnemus inter hæreticos pro ea fide qua ſanari meruit, & de qua ei Dominus dixit, *Filia, fides tua te ſalvam fecit, vade in pace?* Si enim damnanda eſt parvulorum fides ab eis qui magnæ & perfectæ fidei ſibi viden-

Margin notes (left column): Philip. 3. 13. — " ἀποκαλύψει revelabit. — Coloſſ. 2. 5. — Luc. 8.45.
Margin notes (right column): Ibid. 46. — Ibid. 47. — Marc. 5. 33. — Joan. 1.1. & 14. — Act. 19.12. — Act. 5.15.
Column letters: A, B, C, D.

a *Manichæus atque Origenes*) Utriuſque cognati multis in rebus errores ac deliria fuerunt, par proinde adverſus ſacras literas audacia. Quod ergo de Manichæis ad ſolitarios ſcripſerat Athanaſius, fictis illos diſſertationibus ſuis divinas ſcripturas adulterantes, fabulas narrare. Μανιχαῖοι γὰρ, inquit, καπηλεύοντες τὰς θείας γραφὰς τοῖς ἑαυτῶν ἐπιπλάσεσι λόγους μυθολογοῦσι. hoc de Origene ad Menam ſcribens innuit Juſtinianus, illum ſacras literas in ſpeciem interpretandas ſuſcepiſſe, ἵνα τῆς Ἑλληνικῆς μυθολογίας, καὶ τὴν Μανιχαϊκὴν αὐτοῦ πλάνην εἰσαγάγῃ. *ut gentilium fabulas, & Manichaicos, quibus laborabat, errores induceret.*

* (573) *docere.*
* (574) *ab intentione.*
* (575) *quaſi.*
* (576) *myſterio.*

tur, cur non & iſta damnetur? cur non etiam Maria & Martha ſorores Lazari, quoniam utraque Domino dixit, *Si fuiſſes hic, non fuiſſet*
Joan. 11. 21. *mortuus frater meus?* Quod ſicut jam diximus, profecto non dicerent, ſi Deum crederent Chriſtum. Quis enim Deum alicubi putet abſentem? Martha vero, etiam cum veniret ad monumentum Dominus, & lapidem qui ſuperpoſitus erat tolli præciperet, quaſi neſcienti, ſicut & illa mulier quæ ſanguinis fluxu curata eſt, indican-
Ibid. 39. dum putavit dicens: *Dominus, jam fœtet, quatriduanus enim eſt*. Cur ergo non & iſtas familiares Chriſto perſonas hæreticas fuiſſe dicamus, ſi & ignorantia ſimplex hæreticum facit? immo cur non omnes Dei cultores ab initio mundi, qui vel ſicut Corinthii & Philippenſes, atque Coloſſenſes, vel ſicut iſtæ mulieres, minus aliquid credentes de his quorum fide mundamur, ſanctam & ſimplicem vitam in præceptorum Dei obedientia finierunt? Hoc eſt autem mirum, quod & illius mulieris quæ fuit in fluxu ſanguinis imperfecta & parvula fides, perfectam & magnam exigit de Chriſti juſtitia ſanitatem: harum vero ſororum, ſtupendam promeruit quatriduani fratris reſurrectionem. At noſtra, quæ nobis tantum magna videtur atque perfecta, ut non parcamus mortuis, vel ſi verum eſſet quod dicitur imperfectis, nec parvum valet aliquid impetrare. Diſputamus inceſſanter atque incondite de fidei Chriſtianæ dogmatibus, volentes in reprehenſione aliorum docti & religioſi videri: & quæ reverenter, parceque tractanda ſunt, cœleſtia paſſim myſteria ventilamus. Inane jam nomen eis relictum eſt, quo ſunt nuncupata myſteria. Nam inter otioſas fabulas & vulgares habentur neceſſariæ & paucis committendæ fidei quæſtiones. Et in his omnibus videmur nobis cauſam pietatis agere, conturbantes Eccleſiam, in cujus pace defunctos pro parvula, ſicut putamus, fide velut hæreticos abdicamus. cum ipſi Apoſtoli aliquando fuerint in fide imperfecti, nunquam tamen hæretici. cumque adhuc parum de Chriſto crederent, magnam poteſtatem acceperunt ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem, mittente eos Domino,
* 577 Matth. 10. 7. atque * mandante, *Euntes prædicate, dicentes: quia adpropinquavit regnum cœlorum. infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eicite, gratis accepiſtis, gratis date*. Si vero Apoſtoli nec in ipſo ignorantiæ ſuæ tempore fuerunt hæretici, qua ratione quiſquam eos qui tales de hac vita tranſierunt, affirmare poſſit hæreticos? & ſi illi, qui præſentem habebant ipſam in corpore veritatem, potuerunt abſque crimine ſecus aliquid de illo minuſve ſentire, cur hæreſis crimini deputetur, ſi quiſquam in Eccleſia pietate præditus, obedientiæ devotus, ſubjectus & habilis ad diſcendum, aliter de illa ſenſerit, quod reprehenſum corrigere ſit paratus? Quocirca omnes, qui in diſcipulatu ſunt veritatis, & ſemetipſos rationi dociles, & ſubjectos auctoritati præbent Eccleſiæ, ſi aliter ſapiant de his, quorum fide mundantur, vel propter incapacem ſuam intelligentiam, vel minus rem animadvertendo quam opus eſt, im-
* 578 pie proculdubio tanquam hæreticos * execrantur.

A Qui enim ſtatuit in corde ſuo firmus hoc credere, quod in talibus doctrina & fides habet Eccleſiæ, quamvis non perfecte omnia de hiſdem ſapiat vel loquatur; quia tamen ſcientiæ ſuæ non confidit, & multa in quibus errat aut dubitat, ab Eccleſia recte teneri non dubitat, ubi poſitus velut in ſchola veritatis pium habet diſcendi propoſitum; non eſt dicendus inimicus ipſius veritatis, quod eſt hæreticus, ſed perficiendus potius diſcipulus. Imperfectus iſte profecto nihil ſui cordis adinventione confictum propria quadam auctoritate docere præſumit, ſicut quidam hæretici, neque talia docentes ſequitur: ſed auctoritati divinarum * literarum in- * 579
nititur. atque ubi * earum intelligentiam non * 580
B fuerit aſſecutus, (in multis ſiquidem, pro illarum magna profunditate, humanus calligat aſpectus) cognoſcens quid inde ſtatuerit univerſalis Eccleſia, errori ſuo pia cordis humilitate renuntiat, quia nunquam ſibi ne aliter ſaperet interdixit. Sicut ergo ſunt perfectiores quidam, qui magno ſapientiæ dono prævalent mente contemplari, quæ tantummodo creduntur ab aliis * in * 581
vita perfectis: ita multi ſunt imperfecti in Eccleſia Chriſti, & tamen in ſervanda ejus unitate perfecti: qui cum per ignorantiam ſuam in pluribus errent, in nullo tamen errare credunt Eccleſiam, cujus ſe confidunt unitate ſalvari. Qua-
C mobrem vel ſi nobis ſapientiores videmur, quanquam ſcriptum ſit quod pietas eſt ſapientia: non debemus iſtos Dei cultores ab Eccleſia ejus expellere, nec a muris Sion ſpiritalis ejectos inter ejus adverſarios deputare. *Circumdate*, inquit Pſal. 47. 13.
propheta, *Sion, & complectimini eam. narrate in turribus ejus. ponite corda veſtra in virtute ejus, & diſtribuite domos ejus*. vel ſicut alii codices habent, *Diſtribuite* * *domus* " *gradus ejus*. " abundat vox illa domus nam in græco καταδιέλεσθε τὰς αὐτῆς
Circumdate igitur omnes defenſionibus noſtris, & amplecti potius in caritate debemus, qui pertinent ad Sion, nec in quolibet ejus gradu conſtitutos excludere: ſed ita ſuperioribus in ea honorem magnum reddere qui debetur, ut et- * 582
D iam inferioribus ejus quibuſque dilectio non negetur. Hoc enim eſt quod ait, *Diſtribuite gra-* Cant. 2. 4.
dus ejus, quod alibi dicitur, *ordinate in me caritatem*. Sicut ergo non ideo quorumdam perfectorum in fide ſpernendus eſt inferior gradus, * quod non poſſunt intellectu capere veritatem, * 583
quia hoc ſublimioris gradus alii poſſunt: ita nec * ipſi ſpernendi ſunt, vel ab Eccleſia poſt mor- * 584
tem, quod eſt crudelius, ſub anathemate condemnandi, qui licet imperfectæ fidei fuiſſe videantur, quia non in omnia, quæ tam multa & magna continet Chriſtiana religio, ſicut dignum eſt animum potuerunt intendere; omnia
E tamen vera & recta eſſe in Eccleſiæ fide non dubitaverunt, ut in ea perficiendi manerent. ac per hoc ita credentes, juxta quendam gradum, & ipſi videntur in fide perfecti, qui ſe perficiendos ex unitate Eccleſiæ crediderunt. Illi ergo excellentiore gradu intelligentiæ præditi, ipſam rem, cujus in futurum revelatio plena ſervatur, quantum in hac vita conceſſum eſt, evaluerunt attingere. Illi etiam fide tantummodo perfecti * ad eum pro- * 585
pius acceſſerunt. Iſti vero inferiores, quos tertio gradu poſuimus, quanquam per aliquod longius intervallum, ad idem tamen adſpiciunt, & illuc

* (577) *ita mandante*.
* (578) *execramur*.
* (579) *ſcripturarum*.
* (580) *veram intelligentiam*.
* (581) *in fide*.
* (582) *deeſt* domus.
* (583) *qui*.
* (584) *iſti*.
* (585) *ad eam*.

habent veniendi propoſitum. Qui ſi hæretici judicentur, quota pars nobis, non dicam de omni plebe, ſed de ipſis Eccleſiarum præpoſitis relinquetur, quæ catholica debeat judicari; cum & illos excellentioris intelligentiæ, neceſſitate ſuſcepti officii per ardua gradientes, nonnunquam lapſos ſinus pietatis excipiat, qua ſe auctoritati ſubdunt Eccleſiæ cujus magiſtri ſunt, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus? Non igitur hæreſis dicenda eſt, niſi contradictio ſuperborum pervicax, quæ ſibi ne aliud ſapiat interdicit, & admonita contemnit adquieſcere veritati. Illa magis contumaciter ab Eccleſia ſeparari deligit, vel in ea doloſe latere, quam pravam mutare ſententiam. Sed ignorantes in eo diſcernimus a doloſis, quia nec probantur ſufficienter aliquando correpti pro his quæ minus intelligunt, nec ſuis rationibus occultis corrumpunt facilium mentes, ſed libere ſolent, & ſimpliciter aperire quid ſentiunt. Si quis autem & in ipſis Chriſti diſcipulis, quos habuit cum hic converſaretur in carne mortali, quærat cognoſcere, quantum differat inter rationis patientem, vel auctoritati contumacem ſpiritum, quo aguntur hæretici, qui ſcandalizari & ſeparare ſemetipſos magis ſunt prompti, quam diſcere; & inter minus capacem intellectum piorum, manſuete opportunitatem præſtolantium diſciplinæ, & ſervantium unitatem ſpiritus in vinculo pacis; in uno capitulo Joannis Evangeliſtæ ſimiliter inveniet, ubi Dominus dixit:
Joan. 6. 52. *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi. ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* &,
Ibid. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut miſit*
Ibid. 58. *me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Et litigantibus Judæis, & dicentibus ad invicem, *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare*
Ibid. 53. *ad manducandum?* multi etiam ex diſcipulis ejus audientes dixerunt: *Durus eſt hic ſermo. quis po-*
Ibid. 61. *teſt eum audire?* propter quod, ſicut in conſequentibus narrat, *multi diſcipulorum ejus abierunt re-*
Ibid. 67. *tro, & jam non cum illo ambulabant.* Ecce eſt ille ſpiritus rationis impatiens, & auctoritati contumax, quo aguntur hæretici, qui ſcandalizari & ſeparare ſemetipſos magis ſunt prompti, quam diſcere. Ignorantia vero piorum manſuete opportunitatem præſtolantium diſciplinæ, ſervantium unitatem ſpiritus in vinculo pacis, ita in conſequentibus aperitur. Adjungit enim illic Evan-
Ibid. 68. geliſta ſic referens: *Dixit ergo Jeſus duodecim. numquid & vos vultis abire?* quod niſi æque myſterium non intelligentibus, ſed non æque immitibus & auctoritati contumacibus, minime diceretur. Cur interrogarentur utrum & ipſi abire vellent, ſi quod myſtice dictum fuerat cognoviſſent? nam myſterium cognoſcentes ſcandalizari & abire non poſſent. Sed interrogati ſunt ut reſponderent, utrum eos, quamvis non intelligentes quod dictum eſt, boni tamen magiſtri teneret auctoritas; & nobis pietatis & manſuetudinis hujus ſalubre in eis præberetur exemplum, ut ſicubi non intelligimus, auctoritati cedamus. Denique ſic ibi interroganti Domino reſpondit & Petrus, ut non ideo ſe diceret nolle abire, quod myſterium intellexe-

A rit, ſed * quia illud ipſum quod a tali magiſtro diceretur, ad vitam æternam proculdubio * 586
pertineret. Ait enim: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. & nos credidimus, & cognovimus quia tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Ibid. 69.
Quod ſi myſterium intellexiſſet, hæc potius dixiſſet, Domine cur abeamus non eſt, cum credamus nos corporis & ſanguinis tui fide ſalvandos. Multum itaque differt inter hæreticorum proterviam immitem corpus Eccleſiæ diſcindentem, vel in Eccleſia corde ficto latentem, & minus capacem catholicorum intelligentiam, doctrinæ Chriſti ſubjectam, & ſervantem unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Quem ſpiritum illi profecto non habent, qui ſe ab Eccleſia ſegregant, Apoſtolo Juda dicente: *Hi ſunt, qui ſe-* Jud. 19.
B *gregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes.* Sed nec illi hunc habent, qui ficto corde in Eccleſia latent. ſanctus enim ſpiritus diſciplinæ fugiet fictum. Non ergo debemus hæc multum diſcreta confundere, nec idem putare quod longe diverſum eſt. Ob hoc igitur ſancti patres, quorum Apoſtolicam regulam videntur quidam male tranſgreſſi, non his Eccleſiæ doctoribus condemnationem ſtatuerunt, qui pacem ejus ad finem uſque ſervantes, in quibuſdam fidei Chriſtianæ forſitan erraverunt; ſed illis, qui poſt unam & ſecundam correptionem, manifeſtata etiam regula veritatis per ſynodum paterna conſtituta ſervantem, aliud credere ac docere præſumerent. quia nec poſſent ſolos ipſos * condemnare abſque omni Eccleſia, quæ cum
C eos adverteret, non arguit talia prædicantes. * 587
Omnium quippe fuerant, a quibus non ſunt improbata, cum eis non eſſent incognita. Pervides igitur, clementiſſime Imperator, quantorum damnatio conſequatur, ſi quiſquam ex talibus poſterorum præſumptione damnetur. Tanti vero penditur in unitate corporis Chriſti manere. & non contentioſum ſe objicere, ſed docilem ſubjicere animum veritati, ut pro pacis ipſius & caritatis fructu, * quod forſitan aliter ſapitur * 588
quam vera fides exigit, purgetur a Domino, ut plus in pace fructificet. *Fructus enim juſtitiæ,* ſecundum * Paulum Apoſtolum, *in pace ſeminatur. facientibus pacem.* * ideo quod Dominus in Jac. 3. 18. * 589
D Evangelio dicit, *Ego ſum vitis vera, & pater* * 590
meus agricola eſt. omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut plus fructum afferat. Nec Joan. 15. 1.
mirum videatur, ſi permanentes in compage corporis Chriſti, & ſervantes unitatem ſpiritus in vinculo pacis, per ipſam caritatem a ſuis purgentur erroribus, cum ſcriptum ſit, quod univerſa delicta operiat caritas. Quemadmodum vero multorum vitam pro ſcripturæ Dei teſtimonio, a qua laudati ſunt, impiam dicere non
E audemus, licet aliquibus eorum factis graviter offendamur; ſic etiam multorum doctrinam pro Eccleſiæ Dei teſtimonio, a qua honorati ſunt, hæreticam dicere non debemus, licet in aliquibus eorum dictis graviter offendamur. atque ut illos, quamvis a divina ſcriptura laudatos, non arbitramur in omnibus imitandos, ita nec iſtos, quamvis ab Eccleſia honoratos, arbitremur in omnibus adprobandos. Hanc autem reverentiam ipſi divinæ ſcripturæ deferimus, ut non creda-

* (586) *quidquid illud eſſet, quod.*
* (587) *condemnare Doctores.*
* (588) *ſi quid forſitan.*
* (589) *Jacobum.*
* (590) *ideoque.*

A mus quod * aliquid indigne * laudavit. Et ideo cum audiamus Apoſtolum inter alios juſtos Samſon quoque laudantem, atque dicentem, *Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Jephte, David, Samuel, & prophetis. qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*, & cetera. intelligimus quod ut ſe idem Samſon cum allophylis ruinæ ingentis necaret oppreſſu, non ſuæ calamitatis impatientia, ſed nutu divino inſpiratus hoc fecerit. Alioquin nec ſufficiens ei virtus daretur, ut tantæ magnitudinis fabricam, in quo gens allophylorum convivia celebrabat, ſuis manibus quateret atque dejiceret: neque ſi nutu proprio ſibi necem ingereret, inter juſtos ab Apoſtolo laudaretur. & ideo factum ejus ex divinæ ſcripturæ teſtimonio, non ex noſtra conſuetudine judicamus. Item cum ab eadem ſcriptura videamus laudari David, qui perpetrato adulterio homicidium quoque conjunxit: quoniam in ea ſimul legimus, quod horum ſcelerum pœnitentiam egerit, idcirco ab ea credimus eſſe laudatum. Cum vero laudet etiam Pontificem Aaron, qui vitulum fecit in Coreb, ut adoraretur a populo, nec refert ubi eum tanti ſacrilegii pœnituerit, exigit a nobis reverentia, quam eidem ſanctæ Scripturæ debemus, ut quamquam hoc tacuerit, non tamen credamus quod eum laudare poſſit, niſi de tanto ſacrilegio pœnitentem. Hanc igitur obſervantiam tenere nos oportet & in his quorum doctrina in Eccleſia Dei recepta eſt; ut ſi qnid nos in eorum verbis offenderit, prius quæramus, ne forte non ipſi veritatem, ſed nos eorum intentionem minus potuimus invenire. Et quemadmodum illud opus Samſon ex divinæ ſcripturæ teſtimonio, & non ex noſtra conſuetudine judicamus: ita & horum dicta ex Eccleſiæ teſtimonio, & non ex noſtra intelligentia judicemus. Si vero certus illorum eſt error, ſicut David atque Aaron, non niſi pro ejus correptione credamus fuiſſe laudatos, ſive hoc oſtendatur, quemadmodum Theodorum quæ minus caute protulerat oſtendimus emendaſſe, ſive hoc forte non poſſit evidenter oſtendi. nam aliter illos Eccleſia Dei approbare non poſſit. Sicut autem nimis indecorum eſt & offenſum, ut eorum peccata, quibus teſtimonium juſtitiæ ſcriptura Dei perhibuit, curioſiſſime requirentes enumerata denotemus, hinc volentes ſancti atque incontaminati videri: ita nimis indecorum eſt atque offenſum, ut ignorantiam eorum, quibus teſtimonium ſanæ doctrinæ Eccleſia Dei perhibuit, ſcrupuloſiſſime perquiramus, & ſi qnos eorum deprehenderimus vel putaverimus errores, in unum congeſtos ventilemus, hinc volentes videri docti atque catholici. Sed quemadmodum illorum peccata, ita & horum ſi qua invenitur ignorantia, ſufficit ut cum legimus improbemus, Apoſtolo dicente, *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*. Atque ut illorum vitam, non ex quibuſdam culpabilibus factis impiam, ſed ex aliis multo pluribus rectis juſtam, ſecundum ſcripturæ Dei teſtimonium judicamus: ita & horum doctrinam, non ex quibuſdam culpabilibus dictis hæreticam, ſed ex aliis multo pluribus rectis catholicam ſecundum Eccleſiæ Dei teſtimonium judicemus. Unde ſancta ſynodus orientis Theodoſio ſcribens dicebat: Si autem quicquam, Imperator ſancte, " obſcurum aliquis inveniri dicat in Theodori, " vel aliorum literis, hoc retractari neceſſarium " non eſt. Quorum enim vita in ſacerdotio, & " miniſterio optimum habuit finem, his prælatam " gloriam dedicamus, & non ex illis eos judicamus, " de quibus aliqni atrociter eos accuſant. "

Margin notes (left): * 591; * 592; Hebr. 11. 32.; Exod. 32.; 1. Theſſ. 5. 21

CAP. II.

SEd ecce, quod ultimum nobis ad demonſtrandam rationem totius cauſæ remanſerat, etiam de laude Theodori Mopſueſteni ſatis ſuperque docuimus, hanc epiſtolam velut hæreticam juſte non poſſe culpari; nos tamen, ſicut prædictum eſt, non in noſtra ratione, quamquam videatur invicta, ſed in auctoritate ſancti Concilii, * quo ſuſcepta eſt, * conſtituimus firmitatem. Sufficiat igitur inſtructioni parvulorum noſtrorum, ne ſcandalizentur in his, quæ de illa conficta ſunt, quod omnia diverſo atque multiplici, & in obſequium veritatis undique concurrente genere defenſionis excluſimus. Nec apud ſe reputent dicentes, cur non magis illud Concilium, quod ipſam epiſtolam merito rectæ fidei quam continet, orthodoxam judicavit, cunctorum, quæ in illa calumniantur hæretici, rationem actis inſeruit? cum intelligere debeant, * quod accuſatoribus Ibæ epiſtolæ nihil in eam opponentibus, neceſſe non habuerit in talibus immorari. Quod ſi propterea ſuccenſendum magnæ ſynodo putetur, quia futuras hæreticorum calumnias non prævertit, ipſis quoque prophetis atque Apoſtolis ſuccenſeatur neceſſe eſt, cum multa ſint in eorum literis, quorum cum ipſi poſſent ſine ulla difficultate pandere rationem, maximo nunc ſtudio atque labore ab ingenioſiſſimis atque doctiſſimis exponuntur. Cognoſcant igitur, quod his difficultatibus fidem ac pietatem Eccleſiæ ſuæ Chriſtus exerceat. Nam utique magis prophetæ, magis atque Apoſtoli, futuras quas prævidebant calumniantium, vel non intelligentium, aut vitarent, aut ſolverent quæſtiones. Attendant quod Petrus Apoſtolus dicat, *Dilectiſſimus frater noſter Paulus, ſecundum eam quæ data eſt illi ſapientiam ſcripſit vobis, ut in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti atque inſtabiles pervertunt, ſicut & ceteras ſcripturas, ad proprium ſuum interitum. Vos igitur amantiſſimi, præſcientes cavete, ne infauſtorum errore ſeducti decidatis a corroboratione veſtra*. Ecce non ſolum cum prævidérent non vitaverunt futuras, ſed etiam cum præſentes viderent, non nobis abſolverunt indoctorum atque inſtabilium, quas ex eorum literis opponunt Eccleſiæ, quæſtiones. Nec quiſquam illis imputare Chriſtianus audet, quod talia locuti ſunt, quæ iidem indocti atque inſtabiles pro intellectus difficultate perverterent: ſed Dei potius in hoc judicium contremiſcit, quod hujuſmodi tentationibus illud impletur, ut qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc, juſtus autem juſtiora faciat, & ſanctus ſanctiora. Unde ſi quam reverentiam deferimus etiam ſynodalibus conſtitutis ab Eccleſia univerſali receptis, in omnibus quæ obſcura in eis & ad intelligendum

Margin notes (right): * 593; * 594; * 595; 2. Petr. 3. 15.

Margin letters: A, B, C, D, E

* (591) *aliquem.*
* (592) *laudaverit.*
* (593) *a quo.*
* (594) *ejus conſtituimus.*
* (595) *quod accuſatoribus Ibæ Epiſcopi nihil hinc opponentibus, neceſſe non habuerit.*

difficilia reperimus, divinam voluntatem cognoſcere atque adprobare debemus. Cognoſcis autem, ſereniſſime Imperator, quod non immerito beatiſſimus Leo temerarios a retractatione prædictæ ſynodi coercebat, cum Leoni principi ſcriberet dicens, Nihil prorſus de bene compoſitis retractetur. Qui rurſus, cum ab eo ſuis literis flagitaret memoratus Auguſtus, ut in regiam civitatem veniens aliquid in ejuſdem ſynodi ſtatutis vel corrigeret, vel ſuppleret, quod fieri ſine deteſtabili prævaricatione non poſſet; ſic ei reſcribit: Literas clementiæ tuæ, plenas virtute fidei & lumine veritatis, veneranter accepi. quibus cuperem " in eo quod præſentiam meam pietas veſtra neceſſariam exiſtimat obedire, ut " majore fructu conſpectum veſtri ſplendoris adſequerer: ſed magis " vobis arbitror placiturum, quod eligendum ratio demonſtravit. Nam cum ſancto " ſpiritali ſtudio " univerſæ pacem Eccleſiæ muniatis, nihilque ſit convenientius fidei defendendæ, qnam his quæ per omnia inſtruente ſpiritu ſancto inreprehenſibiliter definita ſunt inhærere: ipſi videbimur bene ſtatuta convellere, & auctoritates, quas Eccleſia univerſalis amplexa eſt, ad arbitrium hæreticæ petitionis infringere; atque ita nullum collidendis Eccleſiis modum ponere, ſed data licentia rebellandi, dilatare magis quam ſopire certamina. Unde quia poſt illas Epheſinæ ſynodi impietates, quibus Dioſcori ſcelere fides catholica refutata, & perverſitas Eutychiana ſuſcepta eſt, nihil ad conſervationem fidei Chriſtianæ utilius potuit ordinari, quam ut prædicti facinus ſancta ſynodus Calchedonenſis aboleret, & tanta illic haberetur cæleſtis cura doctrinæ, ut nihil in cujuſquam opinione reſideret, quod a prædicationibus, vel propheticis, vel Apoſtolicis diſſonaret: ea ſcilicet moderatione ſervata, ut rebellibus tantum ac pertinacibus ab Eccleſiæ unitate relectis, nulli correcto venia negaretur. quid probabilius? quid religioſius poterit pietas veſtra decernere, quam ut quæ non tam humanis quam divinis ſunt ſtatuta decretis, nullus ultra ſinatur impetere; ne vere digni ſint tantum Dei munus amittere, qui de veritate ipſius auſi fuerint dubitare? Perſpicis, qnemadmodum Leonem principem moneat, his quæ per omnia inſtruente ſpiritu ſancto in memorata ſynodo inreprehenſibiliter definita ſunt inhærere, atque decernere, ut quæ non tam humanis, quam divinis ſunt ſtatuta decretis, nullus ultra ſinatur impetere. Quomodo ergo non profane retractantur, ut non dicam reprehendantur, divina decreta? Sed quis hujus Romani Antiſtis gravitatem non prædicet? quis tantam conſtantiam non honoret? Movere hunc poſſet ullo modo ſæcularis poteſtas a ſententia non retractandi quæ divinitus fuerant conſtituta, quem corporaliter loco movere non potuit? Splenderet equidem proculdubio ubicumque ſol eſſet: ſed in cælo ſol longe honoratius longeque decentius, ubi locus ejus eſt ſummus & congruus univerſis pariter illuſtrandis, ne multos deſerat, cum declinat ad aliquos. Denique tanta libertatis atque rationis ejus auctoritate permotus etiam religioſiſſimus princeps, ſupervacuam, quin potius multis nocituram, cupiditatem deponit, & tanquam pacis filius, hoc & ipſe ſequitur, quod eligendum ratio demonſtravit. Ille tamen, velut æterna lege præfixus in quodam ſuæ dignitatis & fidei firmamento, ſic luce veritatis irradiat, & quaſi clariſſima tuba ſuæ auctoritatis intonat inquietorum auſibus inhibendis, & dicit: Quæ pateſacta ſunt quærere, quæ perfecta ſunt retractare, & quæ ſunt definita convellere, quid aliud eſt quam de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibnm improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? Verum autem his atque aliis multis hujuſmodi, quæ Leoni principi ſæpiſſime ſcripſit ille vir Dei, minus quam volo, & quam meæ affectioni debeo demonſtravi, quanta fuerit ejus ſollicitudo atque cautela pro cuſtodienda reverentia ſynodalium ſtatutorum. Nam in illis omnibus ſuperius memoratis, neque ulterius retractare, neque diſcutere ſe poſſe profeſſus eſt ea, quæ ſemel fuerant Calchedonenſi definita Concilio, velut quæ noſſet non tam humano quam divino ſpiritu conſtituta. In eis autem, quæ adhuc commemorare diſpoſui, alios etiam qualemcumque* diſputationem de memorata ſynodo cum hæreticis inire prohibuit. Namque cum ſcriberet non ſolum [a] Epiſcopis, ſed etiam clericis catholicis & confeſſoribus ex Ægypto apud Conſtantinopolim conſtitutis, ſic eos admonuit. Omnes itaque dilectioni veſtræ ſtudio ac labore nitendum eſt, ne ulla inſidiantium diſceptatio poſſit admitti; neve hoc ab hæreticis valeat obtineri, quo Evangelicam fidem manifeſtum eſt impugnari. Nam definitarum rerum, quas tantæ ſynodi vel Chriſtianiſſimi principis ſanxit auctoritas, & Apoſtolicæ ſedis confirmavit aſſenſus, nihil oportet diſcuti, ne contra fas aliquid videatur infringi. multumque fidei & ſacerdotali conſtantiæ derogatur, ſi cum his, qui homicidiis & furore repleti ſunt, ac volunt convertere Evangelium Chriſti, & facinore ſuo Deo probantnr exoſi, ſuperfluæ & plurimum nocituræ altercationis conflictus habeatur. Leo tam fortis ac præpotens nec ſuæ virtuti fidit, nec aliis permittit, de rebus apud Calchedonam ſicut Deo placuit definitis altercari ſaltim atque confligere: & neſcio qui præſumunt etiam decernere congregati, & impiam vocare epiſtolam, quam catholicam ſancta illa & magna ſynodus judicavit. Scribens etiam presbyteris, diaconibus, & clericis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ dicit: Habemus propitio Deo magnum, & divinitus præparatum, Chriſtianiſſimi Imperatoris auxilium. quem ſcriptis meis quantum cauſa expetit obſecravi, ne improbis parricidarum petitionibus in aliquo clementiæ ſuæ præberet aſſenſum, neque ullo modo ſineret ſanctæ Calchedonenſis ſynodi definitiones, quæ vere de cæleſtibus prodiere decretis, tanquam neceſſaria retractatione violari: cum * inſidiatores piorum ad hoc ſubrepere velle manifeſtum ſit, ut ſtatuta Evangelicis prædicationibus & patrum traditionibus conſonantia novo faciant infirma judicio, * ut dum diſceptatio admittitur, aucto-

Epiſt. 81.

" edit. Leon. etiam in eo.

" majorem fructum conſpectu.

" id vobis.

" & ſpiritali.

" in univerſum.

Epiſt. 78

* 596

* 597

* 598

a *Epiſcopis ex Ægypto*) Exciderunt epiſtolæ duæ Leonis, quarum fragmenta ſubjiciuntur. Prior hæc ad Epiſcopos & clericos Ægyptios ſcripta, qui a Timotheo Æluro pulſi Conſtantinopolim confugerant, eamque ob cauſam confeſſores appellantur. Poſterior ad clericos Conſtinopolitanos. Utriuſque idem erat argumentum, contra Timotheum parricidam, qui Alexandrinæ ſedis pervaſionem Proterii cæde cumularat, & pro Synodo

* (596) *diſceptationem*.

* (597) *inſidias impiorum*. Alia lectio *inſidiatores piorum*, quam ex Facundo in margine epiſtolæ S. Leonis 131. annotavit Queſnellius, inter falſas emandari poſſe videtur; non enim eam juxta noſtri codicis fidem Facundus expreſſit.

* (598) *&*.

ritas auferatur. Quid ergo ſe dicunt novitiæ diligen-
* 599 tiæ repertores * novitii ſuo decreto Calchedonen-
ſem ſynodum confirmaſſe, cujus ſtatuta Evangelicis
prædicationibus & patrum traditionibus conſonan-
tia, magnus hic Chriſti ſacerdos novo potius
ſenſit infirmanda judicio? Quæ quidem ſicut fir-
mari non indigent, ita infirmari non poſſunt.
Verumtamen, quantum in iſtis eſt præſumptori-
bus, novo ea fecerunt infirma judicio, etiamſi
nihil contrarium judicaſſent. Unde Marcianus
quoque Imperator poſt ſacerdotum ſententiam
aliquid tractare impium duxit atque ſacriſe-
gum, nec cuiquam ſemel judicata recteque diſ-
poſita revolvere, & de his publice diſputare
permiſit, qui ſuo edicto omnibus diſcuſſionem
eorum, quæ Calchedone judicata ſunt negans,
» Vere, ait, impius & ſacrilegus eſt, qui poſt tot
» ſacerdotum ſententiam opinioni ſuæ aliquid tra-
» ctandum relliquit. Extremæ quippe dementiæ eſt,
» in medio & perſpicuo die commentitium lumen
» inquirere. quiſquis poſt veritatem repertam ali-
» quid ulterius diſcutit, mendacium quærit. Ne-
» mo itaque vel clericus, vel militans, & alte-
» rius cujuslibet conditionis, de fide Chriſtiana,
» publice congregatis populis & audientibus, tra-
» ctare præſumat in poſterum. & hoc tumultus
» & perfidiæ occaſionem requirens. Nam injuriam
» facit judicio religioſiſſimæ ſynodi, ſi quis ſemel
» judicata ac recte diſpoſita revolvere & publice
» diſputare contendit. Et infra, poſtquam diver-
» ſas pro tranſgreſſorum conditione ſtatuit pœ-
» nas: Univerſa ergo, inquit, quæ a ſancta ſy-
» nodo Calchedone ſtatuta ſunt cuſtodiri debeant,
» nihil poſtea dubitari. Hoc itaque noſtræ com-
» moniti tranquillitatis edicto, abſtinete profanis
» vocibus, & ulterius definite de divinis diſputa-
» re, quod nefas eſt. quia non ſolum divino ju-
» dicio peccatum hoc prout credimus punietur,
» verum etiam legum & judicum auctoritate coer-
cebitur. Ecce Marcianus princeps, verus reipu-
blicæ pater, & verus Eccleſiæ filius, ſacerdota-
lium non prævius, ſed pediſſequus decretorum,
edicto ſuo pronuntiat, quod quiſquis poſt veri-
tatem repertam aliquid ulterius diſcutit, men-
dacium quærit. & poſt hanc ejus ſententiam,
ab Eccleſia Dei receptam, neſcio qui ſe jactant
inſolenti diſcuſſione inveniſſe alteram veritatem.
Ille dicit, injuriam facit judicio reliogiſiſſimæ ſy-
nodi, ſi quis ſemel judicata ac recte diſpoſita
revolvere, & publice diſputare contendit: & iſti
dicunt honoraſſe ſynodum, de cujus judicio ju-
dicaverunt. immo cujus judicium diſſolventes,
impiam vocaverunt epiſtolam, quam pronuntia-
vit illa catholicam, & ſanctorum patrum ſen-
tentiam labefactare nituntur Epiſcopi, de qua
Marcianus princeps nemini vel diſputare permi-
ſit. Sit ejus memoria in benedictionibus, & iſta
vox ei pro talibus meritis ſemper a toto redda-
tur: per quem non ſolum deſperatæ reipublicæ
ſalus, verum etiam Eccleſiæ diu concuſſæ re-
quies data eſt.

CAP. III.

Cognovit ille, quibus in cauſis uteretur
principis poteſtate, & in quibus exhiberet obe-
dientiam Chriſtiani. Et ideo, ne impius atque
ſacrilegus videretur, poſt tot ſacerdotum ſenten-
tiam opinioni ſuæ * nihil reliquit. Sicut qui * 600
meminerat exitus* Oziæ, qui poſtquam præva- * 601
luit multis gentibus, & factus eſt glorioſus,
exaltatum eſt cor ejus, ut incenſum poneret ſu-
per altare, quod non licebat niſi ſolis ſacerdo-
tibus filiis Aaron. propter quod ejus obſtinatiſſi-
mam frontem, quam reverentia deſeruerat, le-
pra confudit. Sciens igitur ille modeſtiſſimus
princeps, Oziæ regi non impune ceſſiſſe, quia
ſacrificare præſumpſit, quod licitum eſt ſingu-
lo cuique etiam a ſecundi ordinis ſacerdoti: mul- a
to magis impune ſibi cedere non poſſe cogno-
vit, vel quæ jam de fide Criſtiana rite fuerant
conſtituta diſcutere, quod nullatenus licet, vel
novos conſtituere canones, quod non niſi mul-
tis & in unum congregatis primi ordinis ſacer-
dotibus licet. Ob hoc itaque vir temperans, &
ſuo contentus officio, Eccleſiaſticorum canonum
executor eſſe voluit, non conditor, non exa-
ctor. qui nec remoto præjudicio, quod violen-
tia Dioſcori apud Epheſum religioni inferre ten-
taverat, novam fidei regulam contra ejus erro-
rem ipſe conſtituit, neque Calchedone a patri-
bus conſtitutam retractari coegit. Verum non
ſolius Oziæ regis exitu, quamquam nimium
metuendo, Marcianus Imperator potuit * tum * 602
moveri: ſed Chore quoque Dathan & Abiron.
quorum Chore licet de filiis eſſet Levi, qui ex
omni populo Iſrael electi, & ſacro templi mi-
niſterio fuerant deputati; tamen quoniam ſi-
mul omnes uſurparunt officium ſacerdotum, ut
immolare Deo auderent, quod multo minus eſt,
quam de fide Chriſtiana decernere, terræ de-
hiſcentis abſorpti voratu, novo & ſingulari ſuo
exitio ſtupendum cunctis exemplum præſumpto-
ribus reliquerunt. Quomodo ergo ſibi laico re-
ligioſus & ſapiens Imperator crederet impune
ceſſurum, vel ſanctorum patrum quæ de fide
jam decreta fuerant retractare, vel nova ipſe
decernere, cum filiis Levi, id eſt Chore, & his
qui cum de ſua tribu ſecuti ſunt, quamvis in
templi ſervitium de populo * ſegregati, ſed & * 603
Dathan, & Abiron, id quod incomparabiliter
minus eſſe probavimus, impune non ceſſit? Præ-
ceſſerant equidem multa populi illius & magna
peccata, & quod omnium peccatorum maximum
crederetur, idololatriæ quoque profanatione con-
taminatus cum ſuo ſacerdote jam fuerat. Nam
poſtquam liberationis ſuæ cauſa mirabilibus pla-
gis vaſtatam vidit Ægyptum, & per medium
mare ſicco pede tranſivit, fecit ei extorquenti
Aaron vitulum in Choreb, & adoraverunt ſcul-
ptile, & mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitu-
dinem vituli comedentis fœnum, dicentes: *Hi
ſunt Dii tui, Iſrael, qui te eduxerunt de Ægy-
pto*. & Aaron ædificavit altare ante eum, & ad-

Calchedonenſi, quam oppugnabat, ut eſt apud Libera-
tum cap. xv. Tum ergo ſcriptas liquet, cum a Leone
Auguſto de eadem re miſſa eſt Encyclica ad omnes pro-
vincias, quæ poſt Synodum edita legitur cum reſcriptis
provinciarum, de quibus dictum eſt lib. 11. & hoc ipſo
capite iterum dicetur.

a *Secundi ordinis ſacerdoti*) Perſpicue ſecundi ordinis ſa-
cerdotem vocat presbyterum, & paulo poſt primi ordi-
nis ſacerdotes, Epiſcopos. Sic enim diſtingui olim ſoli-
tos obſervatum eſt ad Sidonium lib. iv. epiſt. xxv. Inde
& ſecundi ordinis homo dictus presbyter in Synodo II.
Symmachi Papæ cap. vi. *Nefas dictu eſt obligatione qua ſe
connectit ſummus Pontifex ea hominem ſecundi in Eccleſia ordi-
nis non teneri.* & apud Hincmarum epiſt. vii. cap. xx. *Et
ſi de Epiſcopis ita admiſſa ſunt, de presbyteris videlicet ſecundi
ordinis viris non dimittenda ſunt.*

* (599) *novitio.*
* (600) *nihil tractandum reliquit.*
* (601) *Regis Oziæ.*
* (602) *tam moveri.*
* (603) *ſegregatis.*

duxit

duxit holocauſtomata, & obtulit hoſtiam ſalutis,
& conſedit populus manducare & bibere ; & ſurrexit ludere. Nec tamen, cum in eis vindicaretur hoc malum, tale aliquid factum eſt, quale in vindicta præſumptionis illorum legimus factum: ut pœna ſingularis atque mirabilis ſingulare præſumptorum ſcelus oſtenderet. Propter
Num. 16.28. quod etiam Moyſes ibi dicit: *In hoc ſcietis quoniam Dominus miſit me facere omnia opera iſta, & quoniam non a me facio. ſi ſecundum mortem omnium hominum morientur iſti, & ſi ſecundum viſitationem omnium hominum viſitatio erit illorum, non Dominus miſit me.* Illic Aaron ſummus ſacerdos & formavit vitulum, & ædificavit altare, & attulit holocauſtomata, & obtulit hoſtiam: unde ſcriptum eſt, *Vidit Moyſes populum, qui diſ-*
Exod. 32.25. *ſipatus eſt. Diſſipavit enim eos Aaron, ut eſſent in gaudium adverſariis ſuis.* & veniam facti conſequitur. Illic autem Chore, Dathan, & Abiron, quamvis Deo vero ſacrificarent, quia tamen ad eorum non pertinebat officium, novo & incredibili ſupplicio puniuntur: tantumque penditur apud divinam juſtitiam, ſi in ejus obſequiis ordo quem conſtituit conſervetur, ut deterius hoc judicet, quam ſi falſis Diis quod ſoli ipſi debetur obſequium deferatur. Videbantur illi quidem divini ordinis contemptores, cum inſurgerent in Moyſen & Aaron, pro ſynagoga loqui, & in Dei
Num. 16. 3. laude verba jactare, cum dicerent: *Certi eſtote, quod in omni ſynagoga omnes ſancti ſunt, & eſt Dominus in illis. & vos quare premitis ſynagogam Domini?* Sed non idcirco potuit juſtificari ſuperbia, quæ in operimentum ſui contemptus talia ſolet obtendere. Nullus enim melius Deum laudat, quam is qui ejus in ſe judicium probans, quod aliis eſt creditum non uſurpat. Jam vero ſi
604 & illius præcepti * memor fuiſſe credendus eſt,
Num. 18. 3. quod de ipſis Levitis filiis Caath dicitur, *Non tangent ſancta, ne moriantur*, quomodo ſe crederet condemnationem æternæ mortis effugere, ſi de Chriſtiana fide vel nova decerneret, vel jam decreta diſcuteret? Sed parum eſt, non tangere ſancta, quibus indicitur etiam non videre, ſi-
Ibid. 4. 17. cut ſcriptum eſt: *Et locutus eſt Dominus ad Moyſen & Aaron dicens, Nolite diſperdere a tribu ſua plebem Caath de medio Levitarum. hoc facite eis, & vivent, & non morientur accedentibus illis ad ſancta ſanctorum. Aaron & filii ejus ingrediantur, & ordinent eos, unumquemque prout portandi locum habet, & non intrent de ſubito videre * ſanctum.* * neve potuit
* 605 exitio ſuo terrere principem Chriſtianum. Qui cum de domo patris ejus adduceretur arca ſuper plauſtrum novum impoſita, quoniam cum calcitrarent boves extendit manum, & tenuit eam ne caderet, iratus eſt indignatione Dominus contra eum, ſicut ſcriptura dicit: *Et percuſſit eum*
2. Reg. 6. 7. *ſuper temeritate. qui mortuus eſt ibi juxta arcam Domini.* & ut formidinis æternæ memoria poſteris quoque relinqueretur, vocatum eſt nomen loci
* 606 illius * Oza. " Propter quod etiam David,
Vulg. " Percuſſio Ozæ. qui eam lætabundus adducens præcedebat cum omni Iſrael, extimuit Dominum in illa die di-

A cens: *Quomodo ingredietur arca Domini ad me?* Ibid. 9.
& noluit divertere ad ſe arcam Domini. Si exiſtimationem cordis male præſumpti ſequimur, nonne magis illud plectendum videbitur, arcam Domini, quam putabat eſſe caſuram, non con-
tinere cum poſſet? Sed pro divini * timore præce- * 607
pti, non pro temerariorum ſuſpicione, judicare debemus. Nam is qui Levitis nuntiatum eſſe dixerat, *Non tangent ſancta, ne moriantur*, quomodo legitime poſſet interdicta contingere, qui licet in diſtricto temporis articulo, non repenti-
no pavore nutantis arcæ moveri, ſed * obſer- * 608
B vantia divini præcepti retineri debuit? Cum igitur Oza, non ex propoſito conſilioque tranſgreſſus, ſed inopino & fortuito caſu præventus, pro ſolo inconſulto tactu extremum ſuæ temeritatis ſupplicium luit: qua probabili ratione Marcianus Auguſtus, quæ apud Calchedonem * conſtituta ſunt in diſceptationem revocare
præſumeret? Sed enim prædicatoribus veritatis, * 609
quaſi bobus, de quibus dicitur, *Bovi trituranti* 1. Cor. 9. 9.
os non infrænabis, nonnunquam contra ſtimulum calcitrantibus videtur Eccleſia, cujus illi vecto-
res * doctoreſque, velut arca illa nutare; ſed * 610
C non eſt Ozæ officii continere. Præcedit illam ſuus David, qui deducit exultans. ipſe manu fortis inviſibiliter eam regit, per quos eam regi conſtituit. Et ideo nutare quidem poteſt, cadere nunquam poteſt. Nihil igitur habes Oza, quod ſimulatione piæ ſollicitudinis excuſeris, quia divino judicio pro temeritate percuteris. His autem atque hujuſmodi rationibus & exemplis auguſtæ memoriæ Marcianum communitum & edoctum fuiſſe credibile eſt, ne imperii ſibi commiſſi decorem alieni officii uſurpatione fœdaret. Quod
D ſi etiam minus ejus animo quæ memoravimus * oc- * 611
currerent, modeſtum virum ſua proculdubio ratio temperavit, qua cogitare & noſſe facillime potuit, Chriſti ſolius eſſe regnum cum ſacerdotio ſimul habere. quoniam etſi quidam reges in ejus venturi figuram ſacerdotio functi ſunt, tamen cum manifeſta lux veniret in mundum, umbras removens futurorum, nulli alteri dedit quod ſibi ſingulare ſervavit: ſed in diverſos do-
na ſua diſtribuens, * ſic quæ propria ſunt ſa- * 612
cerdotii, regibus interdixit. Quocirca quemad-
E modum vir ſapiens non profanum judicaret hoc velle videri quod ſolus eſt Chriſtus? Sed cum vel decreto ſancti & magni Concilii, vel auctoritate ipſius principis Marciani, ab hæreticorum colliſionibus requieſcens Eccleſia, poſtea Leone in imperium ſuccedente, rurſus eorum factionibus pulſaretur, volens eos non ſua tantum, ſed communi Eccleſiæ reſponſione confundere, hoc & ipſe fecit quod Imperatorem decuit Chriſtianum, ut per Metropolitanos Epiſcopos literas generales mitteret, conſulens de Timotheo Alexandrino Epiſcopo patricida, vel de Calchedonenſi concilio, ut convenientibus ſecum coepiſcopis ſuis & clericis ſua reſponſione ſignarent quid eis videretur. Quibus literis hoc quoque adjiciendum judicavit, ut diceret, Reſpondete ſine aliquo timore, & ſine gratia alicujus

* (604) *memor fuit Marcinus Auguſtus, imo quia memor fuiſſe credendus eſt, quod.*
* (605) *ſanctum, & non morientur. Quid Ozia filius Aminadab parumneve potuit.* Legendum eſt *Oza*; hebraice עזה; græce Ὀζά. Filius dicitur *Abinadab* in textu hebraico & vulgata editione, in græca autem *Aminadab*, lib. 2. Reg. cap. 6.
* (606) *percuſſio Ozia.* Legendum *Oza*.
* (607) *tenore.*
* (608) *ſedula obſervantia.*
* (609) *conſtituta ſunt in concilio rectorum & congregatione magna opera domini exquiſita in omnes voluntates ejus, in diſceptationem.*
* (610) *doctoreſque ſunt, velut.*
* (611) *occurrerunt.*
* (612) *ſicut quæ propria ſunt regni Sacerdotibus, ita quæ propria ſunt Sacerdotii regibus interdixit.*

A & odio , ante oculos tamen timorem Dei omnipotentis ponentes, ſciturі quod divinæ majeſtati de cauſa hujuſmodi dabitis rationem. His ergo acceptis , iidem Metropolitani cum ſuis collegis, ſicut erant commoniti, de ſua quiſque provincia reſponderunt tam concordi atque conſtanti ſententia , quam ſolet multos unire ſpiritus veritatis. Nam licet e diverſis longeque diſtantibus locis data, nihil tamen habuerunt omnium reſponſa diverſum, quibus decreverunt inretractabiliter eſſe cuſtodienda Calchedonenſis decreta concilii : proteſtantes , ſicut libro ſecundo jam memoravimus , atque dicentes , Neque
* 613 „ * jota vel unum apicem poſſumus, aut commovere , aut commutare eorum quæ apud illam definita ſunt . & iterum . Quoniam ſicut ſoli nihil minus eſt ad demonſtrandum quia ſol eſt ;
B ſic & magna & ſancta & univerſali ſynodo Calchedonenſi minus quidem bonorum nihil omnino eſt , neque additamento aliquo eget, neque detractione, ab ſpiritu ſancto veluti divino quo-
* 614 dam * ſole condita . Etenim qui in ea ſecundum tempus damnati ſunt , indigni ſacerdotalis ordinis judicati , decreto ac judicio magni Dei velut impii condemnati ſunt. Qui vero in ea ſuſcepti ſunt , injuſtam & tyrannicam ante ſuſtinentes inſcriptionem, confeſtim decreto ſancti ſpiritus juſte ſuſcepti ſunt . in quibus eſt & noſtrorum temporum ſecundus Abel, beatus Flavianus . Ad hæc omnia contempſerunt adtendere , qui de ſententia tantæ ſynodi auſi ſunt
C judicare , exiſtimantes quia vel deeſſe illi potuit aliquid quod ſupplere , vel ineſſe quod emendare deberent . Conſiderandum vero eſt , quæ fuerint illo tempore Chriſtianæ libertatis , in quam ſumus vocati , reſponſa, cum Leo religioſiſſimus Imperator , non de temporali poteſtate , quam acceperat, ſacerdotes Dei terreret; ſed potius contra timorem humanum timorem eis Dei omnipotentis incuteret. Ait enim: „Reſpondete ſine aliquo timore humano, & ſine gratia alicujus & odio, ante oculos tantum timorem Dei omnipotentis ponentes". Nec ſibi eos rationem ipſius ſuæ reſponſionis daturos eſſe præmonuit, ut dici forſitan poſſit , hoc eos reſpondiſſe , quod
D ejus animo placiturum crederent , qui eis dixit : „Sciturі quod divinæ majeſtati de cauſa hujuſmodi dabitis rationem". Quod ille princeps non pro ſola Chriſtianæ religionis diſciplina & obſervantia dixiſſe credendus eſt : verum etiam quod nulla coactorum decretorum eſſe poſſit auctoritas , & extremæ ſit vanitatis vel proferre adverſus aliquem , vel recipere ſententiam poteſtati conceſſam : cum & ipſum nomen ſententiæ pereat , quando non illud dicitur quod ſentitur . Unde nec aliquid præſtatur cauſæ , de qua ſic fuerit judicatum , &
E contradicentibus multum ex hoc firmitatis accedit. Convincitur enim non recte quiſque judicaſſe , quod compellente alio judicavit . Hinc aliquando jam conturbata fuit Eccleſia , cum in ea ſibi ſæcularis poteſtas per Imperatorem Conſtantium quod ei non datum eſt uſurparet . Pro quo B. Hilarius in epiſtola , cujus partem in decimo libro protulimus , dicebat : „Poſt multum & gravem omnium noſtrum ob eas res quæ inreligioſe ab impiis gerebantur dolorem , ex eo intra nos tantum communio dominica continetur , ex quo his perturbationibus vexari Eccleſia cœpta eſt , ut exulent Epiſcopi ,

demutentur ſacerdotes, plebes terreantur , fides periclitetur , humano arbitrio ac poteſtate doctrinæ dominicæ decreta ſtatuantur". Idcirco igitur piæ memoriæ Leo quietem non conturbavit Eccleſiæ , quia non ſuo arbitrio ac poteſtate præſumpſit doctrinæ dominicæ decreta ſtatuere, nec quicquam ſolis creditum ſacerdotibus uſurpavit . Hinc etiam quæ temporibus ejus definita ſunt, ſine ullius violentiæ cauſatione fidenter hæreticis opponuntur. quoniam ſciens, quod poſt adventum Domini gentiles tantum principes imperium ſimul ſacerdotiumque tenuerunt , judicavit non decere principem Chriſtianum quod fuit aliquando gentilium. Quod ſi dominari appeteret fidei Chriſtianæ, quod nec Apoſtolus appetivit , qui dixit : *Non enim dominamur fidei veſtræ , ſed adjutores ſumus gaudii veſtri* , prius 2. Cor. 1. 23.
ipſe quod ei videbatur pro libito ſuo decernens, poſtea ſupervacue ad ſubſcribendum Chriſti ſacerdotes adduceret, & cogeret his quæ ipſe adinvenerat , manus aſſentorias dare . Qui ſi ea tanquam Concilii decreta ſuſciperent, quæ unius laici eſſent compoſita voluntate , ſtatueret omnia cui de talibus cauſis judicare non competit , illi vero nihil decernerent quibus competit judicare . Memor etiam prædictus Auguſtus, quod * 615
nuſquam coactum Concilium niſi falſitati * ſubſcripſit, ſicut in Arimino factum eſt Conſtantio compellente, & apud Epheſum opprimente Dioſcoro, confirmationem fidei ſacerdotum dimiſit examini, quorum & commiſſa eſt poteſtati : quæ tunc vere facta creditur , ſi non ſæcularis poteſtatis ſententiæ ſubſcribatur. Aliud eſt enim, cum in Concilio locum judicis inter alios Epiſcopos quiſque tenens , quod ſentit ſubſcriptione deſignat : aliud autem, cum ſicut teſtis adducitur , & quod eſt deterius , nolens placito alieno ſubſcribit . Unde licet falſum nomen ſynodalium decretorum hujuſmodi ſcripturæ præferant ; ad hoc tamen proficiunt , ut oſtendant quales cauſæ ſint , quibus niſi compulſus nemo ſubſcripſit , quales illi qui ſubſcribere compulerunt, & quales qui humanæ præſumptioni ceſſerunt. Hoc quoque non neſciens idem religioſiſſimus Imperator, quod pauci admodum ratione , multi vero auctoritate ducantur; non ſolum non extorquere , ſed nec præire temptavit ſententiam ſacerdotum . ut dum in cauſa , licet jam decreta & manifeſta , eorum magis eligit expectare judicium , omni populo , quantam reverentiam ſacerdotali auctoritati deferre debeat , ipſa ſua expectatione monſtret . Quod ſi prior hoc quod æquum erat conſtituere vellet , & poſtea quærere Epiſcoporum ſententia quod conſtituerat roborari , quamvis juſtum religioſumque decretum , multis tamen faceret tali præſumptione ſuſpectum . Promptius enim crederetur ab eis qui minus capaces ſunt rationis , quod non veritati obediſſent , Si qui * enim decreto * 616
ſubſcripſiſſent Epiſcopi , ſed potius temporali timuiſſent reſiſtere poteſtati . atque ita veris rebus quæ multis eſt utilis abrogaretur auctoritas. Et quis explicare poteſt , quæ mala conſequantur eos qui divinæ diſpoſitionis ordinem non ſequuntur ? Porro cum in his quæ tam Marciani principis , quam Leonis temporibus conſtituta ſunt , nihil habeant Semieutychiani quod querantur , cur fautores eorum nova retractatione in irritum ea deducere voluerunt? Numquid enim Marcianus ac Leo ad confirmandam

* (613) *unum jota* .
* (614) *ſale* .
* (615) *ſubſcripſerit* .
* (616) *ejus* .

præcipitem ſententiam ſuam Concilia congrega-
bant, rurſumque mutati, pro ſui animi diſcur-
ſatione, cogebant Dei ſacerdotes priſtina mu-
tare decreta, ut in ludibrium gravitas, & in
ſatietatem veniret expectanda reverenter ſyno-
dalis auctoritas? Illi nunquam diſpenſationem
divinorum ſacramentorum Eccleſiæ prædicatori-
bus abſtulerunt. Quoniam ſciebant, quod ſicut
in admonitione regum per Salomonem Dominus
Eccl. 32. 1. dixit, *Rectorem te inſtituerunt? ne extollaris. E-
ſto in illis, quaſi unus ex ipſis; curam illorum*
* 617 *adbibe, & ſic * conſidera*": ſic proprie de præ-
"κάθισον, conſide. dicatore divini verbi rurſus idem Dominus in
Evangelio dixit: *Quis putas eſt fidelis diſpenſa-*
Luc. 12. 42. *tor & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper fa-
miliam ſuam, ut det illis in tempore tritici men-
ſuram? Beatus ille ſervus, quem cum venerit Do-
minus, invenerit ita facientem*. Quæ verba Evan-
gelii quomodo religioſos & ſapientes principes
non moverent, ne ſe tanti negotii periculis in-
ſolenter ingererent? Primum quod iſte ſervus
non erogator, ſed diſpenſator dicitur a Domi-
no conſtitutus. cui vigilantiſſima diſcretione o-
* 618 pus eſt, ut * unicum ſibi officium probabiliter
poſſit implere. Ideo non tantum fidelis, verum
etiam prudens a Domino quæritur: qui non æ-
qualiter familiæ ſibi creditæ, nec eodem modo
eroget; ſed omnibus, pro cujuſque captu & habi-
tu mentis dominicam moderate atque conve-
nienter diſpenſet annonam. Deinde quod in
tempore admonetur tritici dare menſuram. Sæ-
pe enim, quæ opportune prolata ſalubria forent,
incongruo tempore nocuerunt. Ergo & oppor-
tunitas obſervanda eſt, ut in tempore tritici
menſura familiæ diſpenſetur. Si quis igitur ho-
rum periculorum neſcius, cum videri doctus ap-
petit, importune ac nulla utilitate ſuadente,
ſpontaneis quæſtionibus Eccleſiam turbat, hic
non diſpenſator familiæ dominicæ, ſed diſſipator
eſt, & myſteriorum Dei diſperſor. Quod illi
principes eſſe timuerunt: & idcirco, non tan-
tum quia vires eorum ſuperabat tanti negotii
magnitudo, verum etiam quia non acceperant,
non ſibi adſumpſerunt hujus diſpenſationis offi-
cium. Unde nihil eſt quare dicantur infirma, vel
minus idonea, quæ contra hæreticos eorum ſunt
temporibus conſtituta, quoniam extra judicium
atque auctoritatem ſacerdotum geſta ſunt: quo-
rum ſententiam & ipſi principes ſequebantur, non
immemores, quod quemadmodum Petrus Apoſto-
1. Petr. 2. 17. lus dicens, *Deum timete, regem honorificate*,
non laicis tantum, ſed ipſis quoque ſacerdotibus
commendet principes honorare: ſic etiam, cum
Paulus ejus coapoſtolus Chriſtianis omnibus le-
gitur dicens, *Obedite præpoſitis veſtris, & ſub-*
Hebr. 13. 17. *jacete eis. Ipſi enim pervigilant quaſi rationem
reddituri pro animabus veſtris, ut cum gaudio
hoc faciant, non gementes. hoc enim non expe-
dit vobis*, non tantum plebeiæ multitudini,
neque ſolis proceribus, ſed ipſis quoque regibus

A demandatur, ut obediant & ſubjaceant præpo-
ſitis Eccleſiæ Chriſti, ſuaſque animas ſacerdo-
tum rationi commiſſas intelligant, ſi non ina-
niter funguntur nomine Chriſtiano. Ideoque ne-
minem ſacerdotum premebant, ut cum gaudio
facerent omnia, & non gementes, quoniam
hoc ſibi non expedire Apoſtolo admonente cre-
debant. Inde eſt quod eorumdem ſacerdotum
decretis modo premuntur hæretici, quia ipſi, a
quibus conſtituta ſunt, non * offenduntur op-
preſſi. * 619

B EA vero quæ poſtea [a] Zeno Imperator, cal- CAP. IV. a
cata reverentia ordinis Dei, pro ſuo arbitrio ac
poteſtate decrevit, quis accipiat? quis atten-
dat? in quibus poteſtas inconſiderata non quod
expediret, ſed ſibi liceret, attendit: nec in-
tellexit quod non confuſio faciat unitatem. Nam
ſi unitas non hæreticorum converſione, ſed con-
tagio & commixtione facienda eſt, cur Acepha-
li tantum, & non omnes hæretici, admitte-
rentur in Eccleſiam ſuis * erroribus non ante * 620
damnatis, neque receptis definitionibus quæ ad-
C verſus errores eorum conſtitutæ ſunt? Exhortans
quippe memoratos Acephalos ad Eccleſiam re-
verti priore loco ſic dicit: Flavius Zeno pius, «
victor, triumphator, maximus ſemper Augu- «
ſtus orthodoxis Epiſcopis, Archimandritis, & «
populis, per Alexandriam, & per Ægyptum, «
& Pentapolim, & Libyam conſtitutis. & poſt- «
quam eos vocavit orthodoxos, commonet ut ſo- «
cientur Eccleſiæ; dicens: Conjungimini igitur «
matri ſpiritali Eccleſiæ, ut una divina com- «
municatione fruamini. O virum prudentem,
D & undique circumſpectum, qui incubare præ-
ſumpſit officio ſacerdotum! Orthodoxos vocat
Acephalos, ſi nihil aliud, ab Eccleſia ſepara-
tos. Cur igitur eos hortatur, ut conjungan-
tur matri ſpiritali, ſi ex ea disjuncti perman-
ſerunt orthodoxi? Ut una, inquit, divina
communicatione fruamini. Numquid ſine divina
communicatione * iidem alieni a Deo, iſti fue- * 621
runt orthodoxi? an habebant quidem divinam
communicationem, ſed unam cum Eccleſia non
habebant? Ergone poſſunt duæ divinæ communi-
E cationes eſſe diſſentientes ad invicem ſibique con-
trariæ? Sed ſi unus eſt Deus * Zenonis, una * 622
eſt & divina communicatio. Quod ſi duæ & a
ſe diſſentientes divinæ communicationes dicun-
tur, conſequitur ut non ſolum duo eſſe Dii,
ſed ab invicem quoque diſſentire credantur. Et
quid mali non " Auguſtus prima poteſtas ſæ- " f. agis.
culi, cum te non cogitans divinæ ſubditam po-
teſtati, terminos tibi præfixos exceſſeris? Ortho-
doxos appellas ab Eccleſia Dei diſſentientes, &
alterius divinæ communicationis dicis eſſe par-
ticipes. Quæ ſi hoc ipſum, quod tibi o-
mnia licent, caminum eſſe tuæ probationis
intelligeres, etiam ipſius purpuræ qua veſtiris

a *Zeno Imperator*) Zenonis Henoticon, ſive Unitivum ut Liberatus interpretatur, edictum ad Alexandrinos, cujus hic capita quædam excutiuntur, Græce integrum habet Evagrius lib. III. Hiſtoriæ cap. XIV. Latinam verſionem aliam Liberatus cap. XVIII. Idem ejus ſcribendi auctorem Zenoni Acacium fuiſſe tradit cap. XVII. ab Acacio ipſo dictatum quoſdam aſſirmaſſe narrat Theophanes in Chronico. Τότε, inquit. καὶ ἑνωτικὸν ἐκτίθησι Ζήνων, καὶ πανταχοῦ ἐξέπεμψεν, ἀπὸ Ἀκακίου τοῦ Κωνσταντινουπόλεως ὑπαγορευθέν, ὥς φασί τινες. Henotico recepto confuſi primum Alexandriæ cum hæreticis orthodoxi; tum exinde Conſtantinopoli & Antiochiæ, ac toto demum Oriente labes eadem ſecuta. Victor Tononenſis: *P. C. Theodorici V. C. Orientales Epiſcopi, præter paucos, per henoticum Zenonis communione atque conſenſu polluti Petri Alexandrini, Petri Antiocheni, & Acacii Conſtantinopolitani Epiſcoporum, Synodo Chalcedonenſi renuntiant*. De hoc item Facundus contra Mucianum: *Zeno Imp. ipſum Concilium promulgato ſprevit edicto.*

* (617) *conſide*.
* (618) *injunctum*.
* (619) *oſtenduntur*.
* (620) *hæreſibus*.
* (621) *ideſt alieni*.
* (622) deeſt *Zenonis*.

ſpecie, id eſt colore ſemper admonita, velut in medio flammæ te crederes conſtitutam. Iterum „vero dicit: Sancta enim mater noſtra Eccleſia „ſicut proprios filios vos ſuſcipit, amplectimini „eam. Deſiderat enim poſt longum tempus dul„cem veſtram vocem audire. Adjicite vos ergo „illi. Quo fructu rogo amplectantur Eccleſiam? quo fructu ſe illi adjiciant, cum & ab ea ſegregatos vocet orthodoxos, & divinæ communicationis participes eſſe credat? Sed quid adhuc poteſtas mundana ſibi & non rationi confidens agat accipite. Nam volens eiſdem Semieutychianis ſatisfacere, in hoc edicto fidem ſuam expoſuit, profitens quod Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum concilium ſuſciperet; tacens autem de Calchedonenſi, & duarum Chriſti naturarum profeſſionem refugiens: quaſi non antidoto ſanandi ſint morbidi, ſed ad aliorum contagium colligendi. Cumque ſcriptum ſit:
Pſal. 118.46. *Loquebar in teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar*. rex confundebatur in conſpectu ſubjectorum loqui quod verum eſt. Hoc merebatur de juſtitia divina Dei contemptor, ut qui ejus ordini ſubditus eſſe noluit, ſubdi„tos vereretur. Qui etiam aliud deterius addens „ait, quod ſanctæ, quæ ubique eſſent, catho„licæ Eccleſiæ, & qui eis præeſſent Deo amabi„les ſacerdotes, non aliter crederent. Quaſi omnium fides Eccleſiarum ex ejus voluntate penderet, & nemini liceret aliter credere, quam præciperet Imperator. Videbat, ut arbitror, quoſdam timidos, vel rerum temporalium cupidos, ſibi favere, & ex illis ceteros æſtimabat. quibus etſi vocem contradictionis abſtulerat, animum certe mutare non potuit. Nec enim amplius aliquid mundi poteſtas valet in his quos a libera fidei aſſertione terra erit, niſi ut in illud incidant, quod Dominus ait,
Luc. 9. 26. *Qui me erubuerit & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet cum venerit in majeſtate ſua, & patris, & ſanctorum Angelorum*. Aliquos
* 623 igitur * jus mundanæ poteſtatis Eccleſiæ valet auferre, nullum tamen ſibi acquirere. Melius ergo eſt, ut ſemet intra limitem ſuum contineat, quem cum tranſgreditur, perdere multos poteſt, lucrari neminem. Nam & ſuas habent officinas vel artifices, omnia quæ ex propoſito docere videmus. Numquam enim de textrino perſonare incudes audivimus, & ignem illic in fornacibus anhelare. Numquam comperimus a ſutore quæſitum, quæ cujuſque fabricæ longitudini proportio latitudinis conveniret, & quanta utriuſque congrueret altitudo. Quoniam illi
* 624 * integre ſcire poſſunt, qui ab ipſius artis ſunt præceptoribus inſtituti. Solæ in contemptu ſunt divinæ literæ, quæ nec ſuam ſcholam nec magiſtros habeant, & de quibus peritiſſime diſputare ſe credat qui numquam didicit. Deinde cum

A palatii cauſæ * transferantur ad Eccleſiam, quomodo Eccleſiæ cauſam ad palatium transferebat? * 625
Poſtremo numquid jam domuerat vel pacaverat omnes inſenſas reipublicas barbaras nationes? jam per diverſas imperii ſui provincias ſeditiones ac ſeditionum cauſas abſtulerat? jam cunctis criminalium ſive civilium cauſarum querelis convenientem dederat finem? Cum igitur his non ſufficeret, quibus nemo ſufficere poteſt, quomodo, ſi cogitaret tanta loci ſui pericula, & de omnibus ſe rationem Deo crederet redditurum, etiam periculis ſe alienis immergeret, vel ſi talem præſumptionem divina juſtitia non dam-
B naret? His autem non contentus, hoc quoque ad injuriam ſanctæ ſynodi Calchedonenſis adje-“ cit dicens: Adunate ergo vos in nullo dubi-“ tantes. Hæc enim ſcripſimus vobis, non in-“ novantes fidem, ſed ut vobis ſatisfaceremus.“ Omnem vero aliter ſapientem, ſive nunc, ſive“ quandoque, ſive Calchedone, ſive in quacum-“ que ſynodo, anathematizamus. Ad hoc autem deteſtandum facinus adulantium laudibus eum credimus excitarum: cum ei dicerent, quemadmodum ſolent, quod omnes ſuos deceſſores ſa-
C pientia & religione præcelleret. quod nullus ei poſſet in univerſis, qui eſſent vel fuiſſent, Dei ſacerdotibus comparari. quod in ipſo tantum, & uſque ad ipſum, fides catholica ſtaret. Quibus ille credulus, exiſtimavit per ſingularem ſapientiam, quam ei præter aſſentatores nemo tribuerat, invenire ſe poſſe rationem faciendæ unitatis, quam nullus ante per tot tempora potuerit invenire. Denique ſic in memorato dixit edicto: Coaptentur membra membris, quæ“ inimicus boni ex multo tempore ſeparare feſti-“
D navit: ſcit enim quoniam ſi integrum Eccle-“ ſiæ corpus impugnet, facile ſuperatur. Ex hac“ ergo diviſione contigit per tantas generationes“ tantorum annorum, ut alii quidem lavacro re-“ generationis fraudati de hac vita diſcederent,“ & cetera. Quod conſentiamus prædicationi potentiæ ſæcularis, quæ poſt tantas generationes, fallendo vel tacendo quod verum eſt, facere ſe poſſe credidit unitatem; dicemus etiam nos, quod niſi aggregati ſimus Eutychianis, integrum non ſit corpus Eccleſiæ. Sed væ nobis
E eſt, ſi abſque Acephalis truncos nos credimus remanſiſſe. Cumque beatiſſimus Leo diceret, Nam nullomodo fieri poteſt, ut qui divinis audent contradicere ſacramentis, aliqua nobis communione ſocientur; ille contradictores in Eccleſiam miſit, dans ſanctum canibus, & conculcandas ante porcos projiciens margaritas. Denique in ipſos temeratores converſi diſruperunt eos, & ab Eccleſia diviſerunt. Propter quod etiam grande ac ᵃ diuturnum ſchiſma factum eſt, donec miſericors Deus per veſtræ pietatis miniſterium eos redderet unitati. a

---

a *Diuturnum ſchiſma*) Annorum, ut contra Mucianum ſcribit, prope xl. a Felicis III. pontificatu ad Hormiſdam uſque, cujus temporibus in communionem recepti Orientales, & pax Eccleſiæ reddita eſt anno Chriſti dxix. adnitente in primis apud Juſtinum Imp. Juſtiniano tum adhuc Comite. Vigilius in Encyclica. *Et ideo ſi cauſa Eccleſia ordinatur, ut pacem ei, quam avunculus ſui piiſſimus princeps fecit temporibus, & modo reſtituat, ego ſacramentis epus non habeo, ſed ſtatim egredior*. Extant Juſtiniani gratulatoriæ de pace conſtituta literæ ad Hormiſ-
“ Vol. hujus pag. 27. dam. “ Extat & Aviti Viennenſis ad Joannem Conſtantinopolitanum ejuſdem argumenti & gratulationis epiſtola nondum edita, qua publicam ex ea pace lætitiam
“ Laurentius. declarat. *Adiecit*, inquit, *vir illuſtris* “ *omne nubilum, quod quietem Orientalium populorum ambiguo caligante fuſcaverat, redintegratæ pacis ſerenitate detersum: & eam cum Romano Antiſtite vos habere concordiam, quam velut geminos Apoſtolorum principes mundo aſſignare conveniat. Quis enim, qui vel catholicus dici poteſt, a tantarum ac talium Eccleſiarum pace non gaudeat, quas velut in cælo poſitum religionis ſignum pro gemino ſidere mundus aſpectat? Quis non merito delectetur infirmantium reditu, incolumique ſtatu, cum aliis ovibus intra clauſtra ſalvatis, illa quæ vitio errantis arbitrii fuerat evagata, cæleſtibus caulis lætitia plaudente revocatur.*

* (623) *vis.*
* (624) *hoc integre.*
* (625) *non transferantur.*

Unde & maximam gloriam conſecuti eſtis, quam ut in finem cuſtodiatis optamus, nihil agentes huic prædicabili facto veſtro contrarium. Sed memineritis quæ tunc fuerit lætitia populi Chriſtiani: cum totus catholicus orbis vos paternorum decretorum cuſtodes, vos recuperatores pacis Eccleſiaſticæ, vos violati ordinis ejus vindices prædicaret. O quam ſuaviter nomen veſtrum per ora laudantium ferebatur! quam gratus illius memorandi veſtri operis erat auditus! Et ideo conſiderate, quæſumus, & videte, ſive quæ vos illo tempore, ſive quæ principes Marcianus & Leo temporibus ſuis per ordinatum ſacerdotale officium geſſerint, & quæ contra egerit Zeno, divinæ diſpoſitionis ordine calcato, & alieno abutens officio, cum adulantibus credit, cum eorum ſe laudibus æſtimat, cum illis præconiis elevatur, quibus omnino gravatur humanitas. non attendens quod Gal. 6. 4. Apoſtolus admonens dixit: *Opus autem ſuum probet unuſquiſque, & tunc in ſemetipſo gloriam habebit & non in altero.* id eſt, ut teſtimonio ſuæ conſcientiæ fidat, non ut eo relicto glorietur in ore laudantis. Et ſuavis quidem aſſentatio videtur, ſed pernicioſe recipitur: amara vero nonnumquam veritas, ſemper bene tamen accipientibus ſalubris eſt. Illa blanditur & decipit: hæc caſtigat & corrigit.

CAP. V. Quam ſi tenerent magnifici ſacerdotes, & non inde vellent placere principibus, unde paraſiti fallaces incautis ſolent patronis illudere; nunquam in contumeliam ſanctæ ſynodi Calchedonenſis dicerent, » Si quis dicit rectam eſſe » ad Marim impiam epiſtolam, aut eam defendit, » & non anathematizat eam, anathema ſit. neque ſtatuerent, ut ſi quis non anathematizat Theodorum Mopſueſtiæ, & ejus dogmata, eoſque qui aut ſimilia ipſi ſapuerunt, aut ſapiunt, eſſent anathema. In quo, ſicut oſtendimus, non ſolum memoratam ſynodum Calchedonenſem, & Antiochenam, verum etiam prioris temporis quæ Theodoro communicavit Eccleſiam, atque omnes præſentes in corpore Chriſti fideles, qui & dogmata & nomen ejus ignorant, ſed & ſanctas ac familiares Chriſto perſonas, ipſoſque Apoſtolos, & catholicam fidem ſub anathemate damnaverunt. Et hinc ſe putant excuſabiles, quod hoc non ſua ſponte fecerunt, ſed alienam fuerunt ſecuti ſententiam: minus adtendentes, quod paſtores gregem ducere, non grex paſtores debeat. Unde nec error paſtorum gregi, ſed gregis paſtoribus, ſi non arguerint, imputatur. Ad Ezechielem Dominus Ezech. 3. 17 dicit, *Filii hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael, & audies ex ore meo ſermonem. In eo cum dixero peccatori morieris, & non fueris locutus, ut caveat impius a via ſua; ille quidem in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. Tu autem ſi prædixeris* * 626 *impio viam ſuam iniquam, * & non avertatur ab ea, ille quidem in iniquitate ſua morietur, & tu animam tuam liberabis.* Ad hanc autem domum Iſrael certum eſt etiam principes populi pertinere, & ipſis quoque ſpeculatores eſſe præpoſitos. quorum culpas ſi pro acceptatione perſonarum diſſimulaverint ſacerdotes, ipſis proculdubio tamquam cohibentibus adſcribentur. Quod ſi & concedatur quod eis non fuerit vetandi fa- A cultas, quis concedat quod eis defuerit vitandi poteſtas? atque ideo vel ſi non potuerunt hæc prohibere ne fierent, potuerunt ſaltim declinare ne facerent. Cur autem ſacerdos, cujus eſt populi peccata portare, oneri ſuo non conſulat, ut omnem, pro cujus peccatis offert ſacrificium, prohibeat a peccato? Scriptum eſt enim: *Et portavit Aaron judicia filiorum Iſrael.* Exod. 28. 29. In quo intelligimus, quia pro peccatis populi ſacerdotes judicabuntur. Unde & illud quod ſupra memoravimus, ait Apoſtolus, *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. ipſi enim pervigilant quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris.* Hebr. 13. 17. Hinc iterum dictum eſt, *Et portabit Aaron peccata eorum.* Exod. 28. 38. Quapropter, ſi principes non B alieni ſunt a populo Dei, & pro ipſis quoque offertur ſacrificium, ſacerdotes etiam ipſorum peccata portent neceſſe eſt. Et ideo nec temeritati, nec arrogantiæ deputetur, ſi ſacerdos etiam principem peccare prohibeat. Humanus enim ſermo eſt, & omni acceptione dignus dicentis, Non aggraves onus meum, quod ſuſcepi pro tua ſalute portandum. Non enim eſt aliud cum dicit cuiquam ſacerdos, Noli peccare, quam ſi dicat, Sarcinam, quam pro te ſuſtineo, noli gravare. hac per hoc ſi princeps quoque pro ſuis peccatis interceſſorem vult habere ſacerdotem, etiam in ſuis peccatis caſtigatorem ferre non dedignetur, ut pro illo intercedens poſſit audiri. ne dicatur ei quod Hie- C remiæ dictum eſt: *Noli orare pro populo hoc, & ne poſtulaveris miſereri illius, & non acceſſeris ad me pro eis, quia non exaudiam te.* Hier. 7. 16. Quod metuens beatæ recordationis major Theodoſius Imperator, cujus ſemper memorabilis erit in Eccleſia Chriſti memoria, quamquam ſæpe de magnorum barbarorum præliis, & de maximorum tyrannorum triumphaverit: non tamen ex hujuſcemodi victoriarum frequentia, in quibus Trajano, filio gehennæ, comparari non poteſt, veram meruit gloriam; ſed de ſupplici & publica peccati ſui pœnitentia, quam expugnato regali faſtigio placide atque humiliter antiſtite Ambroſio caſtigante ſuſcepit, & indictum ſibi debitæ ſatiſ- D factionis tempus ab Eccleſiæ communione remotus implevit. Pie admodum credens, & ſapienter intelligens, quod non ex temporali poteſtate, qua fuerat etiam ſacerdotibus Dei præpoſitus, ſed ex eo pervenire poſſet ad vitam, quod illis erat ipſe ſubjectus. Unde credendum eſt, quia ſi nunc Deus aliquem Ambroſium ſuſcitaret, etiam Theodoſius non deeſſet. Sed cum minor eſt exigendi fiducia, minor & reddendi devotio. Non eſt autem magnus amator veritatis, cui eam perſonæ commendat auctoritas. Sed quoniam ad illud, quo longi ſermonis ambitu ten- E debamus, aliquando perventum eſt, obſecro te, clementiſſime Imperator, per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti, ut indignum me non indigne accipias, neque ſpernas. Nam ſi vera ſunt quæ dicuntur non ideo debent abjici, quod ea vobis abjectus inſinuat. Quid enim tua intereſt, per cujus os tibi loquatur veritas, quæ aliquando etiam per os aſinæ loqui dignata eſt? Quod ſi Nathan propheta quærendus videatur quotiens princeps deliquerit, ubi nunc inveniemus Nathan, ut princeps argui poſſit, quem peccaſſe certum eſt ut David? Et ideo qui peccavit non alterum Nathan quærat, quoniam puto quod nec ipſe præſumat meritis ſe comparare

* (626) *& non averſus fuerit ab ea.*

ſancti David. Siquidem non regno tantum, ſed in ipſa quoque prophetia, cujus ſolummodo habebat auctoritatem Nathan, multo fuerat excellentior rex David. Et ille vehementer increpans peccatum prodebat occultum: nos autem hoc ſupplices petimus emendari, quod ſi velimus celare non poſſumus, nec exaggeramus quod non in multos peccatum eſt. Et non tale aliquid petimus corrigi, quale fuit quod excommunicatione ulciſcebatur Ambroſius. Illud enim, quamvis fuerit male geſtum, creditum tamen erat Theodoſii poteſtati. Quod autem nunc factum eſt, vel ſi rectum fuiſſet, recte non fieret: quia nulli regum hinc aliquid agere, ſed ſolis eſt ſacerdotibus datum. Verum ſic quoque præcavens, ne videar menſuram, non quidem officii, ſed meriti mei tranſgreſſus, nihil hinc imputare præſumam. Hoc tantum ſimpliciter rogo, ut illos ipſos, quos in iſto decreto novitio probavimus eſſe damnatos, fideli mente conſideres. In primis Philippum & Thomam Chriſti diſcipulos, qui ob hoc anathema facti ſunt, quod aliquando his quæ dicitur ſapuiſſe Theodorus ſimilia ſapuerunt. Deinde ſanctos patres, qui Calchedona convenerant, & epiſtolam Ibæ reverentiſſimi Epiſcopi per ſuam ſententiam rectam eſſe dixerunt, nec anathematizaverunt Theodorum Mopſueſtiæ, cum ex ea recitari laudes ejus audirent: inſuper & epiſtolam beati Leonis illarum epiſtolarum exemplo vel teſtimonio defenderunt, in quibus & defenſus eſt idem Theodorus, & laudatus. Quorum venerabilium patrum primum memoratum Leonem animo contemplare, qui propter quod approbatis geſtis ejuſdem Concilii prædictam non anathematizavit epiſtolam, cum ipſo Calchedonenſi conſilio, a quo judicata eſt orthodoxa, anathema factus eſt. Orientalem quoque ſynodum, quam a ſapientiſſimo Joanne Antiocheno congregatam, & a Calchedonenſi concilio approbatam oſtendimus intuere, * 627 * quod non ſolum non anathematizavit Theodorum Mopſueſtiæ, & ejus dogmata, verum etiam anathematizari prohibuit, eo quod multa ſimiliter dicta & ab aliis anterioribus & glorioſis ejus patribus inveniret. Cui ſanctæ orientalium ſynodo velut præſidentem adſpice Joannem Conſtantinopolitanum, Theodori condiſcipulum, & Gregorium Nazianzenum: quorum ſententiæ congruens, adverſus calumnioſos Eccleſiæ conturbatores ejuſdem Theodori ſcripta defendit. Huic ſynodo etiam beatus Cyrillus accedat, qui ejus decreto conſentiens, & ſimul prohibens quædam Theodori dicta redargui, dixit quod occaſionem facerent contrario dogmati, quo tenebantur hi qui eam condemnari volebant. Accedat etiam beatus Proclus Conſtantinopolitanus, qui non ſolum pariter vetuit abdicari Theodorum, verum etiam teſtatus eſt, quod eum nec vivum aliquando culpaverit. Accedat etiam venerabilis Domnus Antiochenus, qui ſui deceſſoris Joannis, aliorumque præcedentium collegarum ſententiam tenens, Eutychi Apollinaris hæreſiarchæ impietatem renovare tentanti, & ob hoc Diodorum atque Theodorum anathematizare præſumenti, primus reſtitit ad Imperatorem Theodoſium ſcribens. Quibus omnibus, ut de perſona Theodori præjudicaretur Calchedonenſi concilio, æque anathema dictum eſt, quod ſuo exemplo, ſive teſtimonio, vel decreto prohibuerunt, ne aut ipſi, aut dogmatibus ejus, anathema diceretur. Sed ecce nos, religioſe Imperator, quocumque niſu tot ſanctas reverendaſque perſonas in conſpectum tuæ mentis adduximus: quis dabit, ut tu quoque conſiderans, quod ex illis ſint iſti condemnati, qui in regeneratione juſtorum, cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebunt & ipſi ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael, illis oculis in eos intendas, quibus te ab eis non dubitas judicandum, non quibus nunc Chriſti ſacerdotes conſpicis ad tempus tibi ſubjectos? Intuere igitur oculis fidei, qua credis in Chriſtum, velut in quadam cæleſti curia conſidentes, ſummo & primo loco Philippum & Thomam reverendos Apoſtolos, ſequenti deinde ordine omnes quorum ſententias memoravimus, ſimulque damnatos eſſe docuimus, beatiſſimos patres. quibus licet pro tantæ cauſæ merito verba minime commendare poſſimus, quia nec perſona permiſit: quis tamen eorum condemnationis conſcius, vel tacitum ferre poſſit adſpectum, cum fideliter intelligentem magis terreant ipſo ſilentio? Videntur enim per hoc condemnationem ſuam, niſi quantocius auferatur, futuro judicio reſervaſſe, cujus & inretractabilis erit ſententia, & ſine fine perpetuum quod ſententiam fuerit conſecutum.

* (627) *qua*.

FACUNDI EPISCOPI HERMIANENSIS, LIBER

CONTRA [a] MOCIANUM SCHOLASTICUM.

A OPortuerat, venerabiles filii, ut qualecumque hoc opus a vobis impoſitum veſtris ex more nominibus dedicarem. Sed metuens, ne tanquam latebrarum noſtrarum conſcii, perſecutorum quos fugimus incideretis in calumnias, nominare vos nolui. Nec pro vobis id præloqui neceſſarium fuit, qui noſtræ preſſuræ non eſtis expertes: ſed pro aliis ignorantibus, in quorum manus hæc forte ventura ſunt. Volo autem vos noſſe, quia nuntius quem miſiſtis gravi me infirmitate reperit laborantem: B ita ut in talibus diebus, ſicut & ipſe poterit veſtræ ſublimitati referre, nec uſque in horam tertiam valeam differre jejunium. Indicavit autem mihi ex veſtro mandato, quod pro ſæculi noſtri meritis & Mocianus jam reprehendere audeat Conciliorum decreta, palamque jactare, quod Epiſcopi Africani, aliarumque provinciarum, indigne ſtatuerint vitare communionem eorum, qui manifeſto promulgatoque decreto reveriti non ſunt impugnare Calchedonenſe Concilium. C Quando autem nobis ceſſare, quando requieſcere conceditis, qui nos & Mociano reſpondere compellitis? Sed hoc quoque comperi memorato nuntio mihi narrante, quia idem Mocianus volens ad interdictam tranſgreſſorum communionem ignaros quoſque deflectere, quædam beati Auguſtini dicta circumferat: & quæ ille contra Donatiſtas convenienter locutus eſt, inconvenienter ipſe ad decipulam ſimplicium cauſæ nitatur aptare præſenti. Sic aliquando etiam [b] Fauſtus Gallus in quæſtione liberi arbitrii, male intellectis & incongrue adhibitis ipſius beati Auguſtini ſententiis, fallebat & in aſſenſionem ſui erroris inducebat incautos. qui D tamen a ſanctæ memoriæ Fulgentio Ruſpenſi detectus atque convictus eſt. Quid autem in hoc miremur? Neque enim melius loqui potuit Auguſtinus, quam Prophetæ, quam Apoſtoli & Evangeliſtæ, quorum verbis ſimiliter male intellectis, & incongrue adhibitis, tam multi hæretici ſuos defendere conantur errores. Gaudeo tamen quod eum nuntiaſtis aperte jam confiteri, quia Theodorum Mopſueſtenum Epiſcopum in Eccleſiæ pace defunctum, ejuſque doctrinam, cujus laudes in concilio Calchedonenſi recitatæ ſunt nemine refragante, ſed & epiſtolam Ibæ antiſtitis Edeſſeni, quæ ibi eſt orthodoxa judicata, & Theodoreti Epiſcopi Cyrri ſcripta, qui aſſertor illic inventus eſt epiſtolæ dogmaticæ Papæ Leonis, in ipſius Concilii Calchedonenſis præjudicium damnaverint impugnatores Eccleſiæ. Nam ſanctus frater [c] Abba Felix, inter alia mala quamplurima quæ nobis de illo ſcripſit, etiam hoc retulit, quod amicus factus fuerit Theodoro Cappadoci, & cum ſæpius præſentaverit Imperatori, quia capitula ei quædam ſubminiſtravit pro damnandis poſt mortem in Eccleſiæ pace defunctis. Sed & Carthagine ſimiliter, ut advertimus, adſtruebat quod prædictus Mopſueſtenus Theodorus juſte ac regulariter poſt mortem fuerit condemnatus. Nunc ergo, quoniam indicaſtis eum culpare quæ prius velut recta & inculpabilia defendebat, ſed hoc tamen aſſerere, quod ipſorum impugnatorum Eccleſiæ communio ſit ferenda, atque ad confirmationem ipſius aſſertionis beati Auguſtini verbis contra Donatiſtas prolatis abuti: coegit me, ut voluiſtis, non conſideratis viribus valetudinis meæ, & quomodocumque ineptis ejus aſſertionibus reſpondere. Nam & codices ad neceſſaria teſtimonia requirenda, tamquam fugato & in latebris conſtituto, mihi nunc deſunt. [d] * quia ipſe unus eſt, cui nullus placeat. (* 628) Si autem videtur quia nos Donatiſtis ſimiles ſumus, cur ipſe non erubeſcit Tychonio ſimilis inveniri, quem fatuitatis beatus arguit Auguſtinus, quod reprehendens de ſuo ſchiſmate Donatiſtas, eis communicaret? An aliud iſte nunc facit, qui Africam ſchiſma feciſſe, atque ab Eccleſia ſegregatam eſſe confirmat, & ei communicat? cumque ſibi ſolus videtur ſapiens, factus eſt unus ex illis, de quibus dicit Apoſtolus, *Evanuerunt in cogitationibus ſuis*, (Rom. 1. 21.) *& obſcuratum eſt* * *cor eorum. dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* (* 629) Cur autem ſolis Donatiſtis, qui a ſchiſmate proſiluerunt in hæreſim, ut poſtea etiam de baptiſmate & divina Trinitate male ſentirent, & non omnibus

a *Mutianum Scholaſticum*) Nun abs re, ut opinor, Baronius Mutianum hunc illum eſſe Putat, qui Chryſoſtomi Homilias in epiſtolam ad Hebræos, & ad Philemonem Latinas fecit. Congruunt enim præter nomen ætas & profeſſio. Hic ergo cum Africanos antiſtites, propterea quod ſe a Vigilio, & ab Eccleſia trium capitulorum cauſa poſt illius Judicatum ſegregarant, merito redargueret, Facundus tum exul hoc ei libello reſpondit. In quo nihil mirum ſi concitatior in Mutianum videatur, qui Vigilio ipſi Papæ non parcat.

b *Fauſtus Gallus*) Epiſcopus Reienſis. quem Avitus Viennenſis ad Burgundionum regem " ſcribens, Fauſtique ipſius ad Paulinum epiſtolam refellens, ortu Britannum, habitaculo Reienſem fuiſſe ait. Ac Britannum prorſus fuiſſe innuit etiam Sidonius lib. IX. epiſt. IX. quod de Britannis Gallis ſupra Ligerim, ut Sidonius alibi loquitur, ſitis accipiendum eſt. Ideo Facundus Gallum vocat.

" *Vol. hujus pag. 20.*

c *Abbas Felix*) Afer Gilſitani, ſive Guillenſis in Africa monaſterii hegumenus. Hunc ut incentorem pravitatis Ruſtici diaconi Vigilius cum Ruſtico ipſo damnavit. Cum eodem poſtea, quod Quintæ Synodo ſcriptis ſuis obtrectarent, in exilium ejectus eſt a Juſtiniano ibique mortuus. Victor Tonnonenſis. *P. C. Baſilii V. C. anno XVII. Felix hegumenus monaſterii Gillitani in exilio apud Sinopem de hac vita migravit ad Dominum.*

d *Quia ipſe unus eſt*) Mutilum hoc loco librum videri, & verba iſta declarant cum ſuperioribus non cohærentia, & alia quæ poſt aliquot pagellas de Hilario, & ceteris, velut ante dicta, commemorat.

* (628) Mutilus locus, quem vidit Sirmondus, neque ſuppleri poteſt ex codice noſtro, in quo duo integri verſus injuria temporis detriti ſunt.

* (629) *inſipiens cor.*

hæreticis, vel ab ipſo beato Auguſtino, vel
ab aliis Eccleſiæ doctoribus exprobratur, quod
malos in Eccleſia ferre noluerint: niſi quia
Donatiſtæ, nullis intercedentibus decretis, qui-
bus oppugnata dicant antiqua de fide decreta,
ſeſe ab Eccleſia diviſerunt: alii vero, qui
decretorum interceſſione ſunt ſeparati, non de
impatientia diſceſſionis, ſed de ſolo ſuo dog-
mate culpantur, quia juſtam & neceſſariam
haberent cauſam diſcedendi, niſi ipſi in
dogmate fallerentur? Scripſit beatus Gela-
ſius Romanus Epiſcopus adverſus Acephalos
magnum opus. nec eos vel ipſe, vel alius
B quiſquam culpavit de impatientia, dicens quia
vel ſi prava eſſent Calchedonenſis Concili defi-
nita, communionem malorum ferre debue-
rant, nec ſe ab Eccleſia ſegregare: ſed de hoc
ſolo culpantur, quod ſanam doctrinam recipere
noluerunt. Cur quæſo, niſi quod iſti decretis
intervenientibus, non ſicut Donatiſtæ ob alias
ſunt cauſas ab Eccleſia ſeparati? Non ergo ul-
terius abutatur in ſuam aliorumque perniciem
novus hic doctor aſſertionibus & exemplis qui-
bus Donatiſtæ repulſi ſunt: ſed attendat po-
tius, qui ſecundum prophetæ dictum, *noluit*
Pſal. 35.4. " *intelligere, ut bene ageret*, aliam eſſe Donati-
C " ſtarum cauſam, & aliam quæ nunc agitur, in
qua tot patrum noſtrorum ſectamur exempla.
Nam & cum Acacius Conſtantinopolitanus E-
piſcopus aliquid adverſus auctoritatem ſynodi
Calchedonenſis auderet, non equidem, ſicut nunc
factum eſt, decreto cum anathemate conſtitu-
to, ſed ſola inimicis ipſius ſynodi communione
permiſſa: prævidens Apoſtolica ſedes, quod ſi-
cut exitus docuit hæc remiſſio ad deſtructionem
Concilii memorati pertenderet, (poſtea quippe
Zeno Imperator, qui eis communionem præ-
beri mandaverat, a minoribus ad majora proſi-
liens, ipſum Concilium promulgato ſprevit edi-
D cto) eumdem Acacium, quamvis prædicto Ze-
none reſiſtente, damnavit. Qui mortuus quo-
que per libellos ordinandorum Epiſcoporum nunc
uſque damnatus eſt. At poſtquam contigit, ut
in libellis ſuis Epiſcopi ordinandi Theodorum
Mopſueſtenum cum ſuis dogmatibus, & epiſto-
lam Ibæ, & Theodoreti ſcripta damnarent,
memoratus Acacius, & alii Concilii Calchedo-
nenſis adverſarii, damnationi ſubtracti ſunt.
Quia igitur ſupradictus Zeno, ſedis Apoſtolicæ
decreta contemnens, prædicto Acacio commu-
nicabat, & omnes Eccleſias in ſui regni fini-
bus conſtitutas idem facere compellebat, Ana-
E ſtaſio deinde in imperium, & in præſumptio-
nem ſimilem ſuccedente, omnis Oriens, præter
admodum paucos, qui in illa multitudine oc-
culti latebant, a communione ſedis Apoſtoli-
cæ remotus per XL. ferme annos uſque ad tem-
pora Juſtini permanſit. Et cum quidam per il-
lud tempus ejuſdem partis Epiſcopi communio-
nem ſedis Apoſtolicæ ſibi ac ſuis Eccleſiis po-
ſtularent, non impetraverunt, donec principis
Juſtini temporibus Acacii damnationi ſubſcribe-
rent. Nec tamen quiſquam eorum dixit, Nos
A zizania non ſumus, ſed zizania toleramus, ne
ſimul eradicemus & triticum. Cur autem &
hoc Apoſtolicæ ſedi non dicerent, ſi & talibus
cauſis ſimilitudo iſta congrueret, Immo nos re-
cte facimus, nos in mandatis Evangelii perma-
nemus, qui zizania toleramus, quam vos qui
pro zizaniis ſimul eradicaſtis & triticum, aut
diſceſſiſtis a tritico? Quid igitur hic dicemus,
religioſi filii? Numquid per tot annorum ſpatia
non eſt inventus quiſquam in Romanis ſacerdo-
tibus, a * Felice Acacii damnatore uſque ad a
Hormiſdam qui Orientis reconciliavit Eccleſias,
inter quos fuerat enim B. Gelaſius in ſanctita-
re vitæ atque ſcientia per univerſum mundum
celebrioris famæ gloria prædicatus, non eſt in-
ventus vel in Romano clero, * Chriſtiana ple- * 630
be inibi conſiſtente, vel in cunctis occidentali-
bus Eccleſiis, qui vel tantum eſſet pro Eccleſia-
rum unitate ſollicitus, quantum magiſter hic
novus noviſſimis temporibus deſtinatus; ut ne-
mo cognoſceret & doceret quod in eadem quo-
que cauſa malorum communio toleranda foret,
ne cum zizaniis eradicaretur & triticum? Si
fas eſt credere, quod ſcientia & diſciplina ſer-
vandæ unitatis a beato* cœpit Auguſtino, cu- * 631
jus adverſus Donatiſtas convenientia ſcripta in-
convenienter iſte cauſæ præſenti nunc adhibet.
Et ideo præclarus Eccleſiarum doctor Hilarius,
& ceteri antiquiores cum eo patres, quorum
ſupra meminimus, non obſervaverunt quæ ad
cuſtodiam pertinent unitatis, ut prius quam ali-
quid contra Nicænum Concilium ſtatueretur,
ab eorum qui hæc moliebantur ſeſe communio-
ne ſubtraherent. Quamvis, ut diximus, ipſi Do-
natiſtas ante damnaverint; tamen numquid &
Apoſtolica ſedes, cum poſtea pro violatis Cal-
chedonenſis Concilii decretis reſiſtente Zenone
damnaret Acacium, hæc atque hujuſmodi ſcri-
pta B. Auguſtini non legerat; tametſi putetur
minus per ſemetipſam intelligere potuiſſe quæ
ad obſervantiam pertineant unitatis, ut Aca-
cium damnaret, quem ſine multo tritico Impe-
rator expelli non ſineret? Sed nec Romana Ec-
cleſia reconciliare debuit Orientis Eccleſias, &
eas in communionem ſub debita ſatisfactione re-
cipere: ſed Eccleſiæ potius Orientis, quæ ziza-
nia toleraverant, Romanam Eccleſiam reconci-
liare debuerunt a tritico ſeparatam. An pro-
pterea factum non eſt, quod iſte adhuc per Ec-
cleſiam catholicam ſicut nunc docere non poſ-
ſet? aut potius quod necdum ad Eccleſiam ca-
tholicam deveniſſet qui hanc perverſam atque
confuſam ei vult inferre doctrinam, & utinam
non Auguſtini nomine coloratam? Nam vult A-
poſtolicam ſedem, quæ tunc aliis culpam dimiſit,
ipſam potius cum ceteris, qui ejus in Acacio ſen-
tentiam ſervaverunt, veluti pro facto ſchiſmate
fuiſſe culpabilem: & more ſuo nemini parcens, il-
los quoque orientales, quibus petentibus dimiſſa
eſt, videri vult ad ſchiſmaticos occidentales fuiſ-
ſe converſos, quos ipſi ad ſe convertere debue-
runt. Et hæc quidem nobis ad iſtius convictio-
nem ſufficerent, ſi adverſarii, quos & ipſe culpat

---

a *Felice Acacii damnatore*) Poſt epiſtolam Felicis III. Papæ ad Acacium de ipſius damnatione datam Venantio Conſule, ſequitur in codice S. Mariæ Virdunenſis Edictum ejuſdem perbreve, nondum hactenus vulgatum, in hæc verba.

Edictum ſententiæ Felicis Papæ directum propter Acacii Epiſcopi Conſtantinopolitani damnationem.

Acacius, qui ſecundo a nobis admonitus ſtatutorum ſalubrium non deſtitit eſſe contemptor, meque in meis " credidit carcerizandum, hunc Deus cœlitus prolata ſen- " tentia de ſacerdotio fecit extorrem. Ergo ſi quis Epiſ- " copus, clericus, monachus, laicus, poſt hanc denun- " tiationem eidem communicaverit, anathema ſit ſpiritu " ſancto exequente.

* (630) *omnique chriſtiana plebe.*

* (631) *cœperit.*

non

non inferentes anathema Calchedonenſi concilio, neque in nos omnes, ſed aliquid adverſus ejus auctoritatem gerentes, ipſi potius a nobis ſub anathemate damnarentur. Nunc autem, illis impie gerentibus, & nos ac patres noſtros anathematizantibus, ſeſeque per hoc anathema ſegregantibus ab univerſa Chriſti Eccleſia, nos qui Deo regente in paterna ſententia & communione perſtamus, nos, inquam, in Eccleſia conſtituti, cui dederunt anathema, ſtatuimus ſecundum Chriſtianæ religionis obſervantiam non communicare ab Eccleſia ſegregatis. Non igitur vel hoc iſti conceſſerim, id nos feciſſe quod cum ſuis collegis Hilarius fecit, qui nullo adhuc in præjudicium Nicæni Concilii procedente decreto cum prima contrariorum molimina (* 632) * præſumpſiſſent, properaverunt ab eorum ſe communione dividere. Non iſti conceſſerim, quod Africana Eccleſia ſe ab impugnatoribus Calchedonenſis Concilii ſegregaverit: ſed potius quod jam ſegregatis communicare vitaverit. Unde acceptabilius poteſt quiſquam diligentior, & in zelo Dei ferventior, exemplo Hilarii nos de tarditate culpare, quam de ſchiſmate vel de feſtinatione Mocianus arguere. Quis porro, niſi vecors ac ſibi ſapiens, & ſicut dicit Apoſtolus, *fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ* (Coloſſ. 2. 18.), contra totius Eccleſiæ judicium, non reſpiciens vel exitum rerum qui conſecutus eſt, reprehendere audeat Hilarium prudentem ac moderatum gubernatorem Eccleſiæ, qui neque ipſis Galliarum Epiſcopis, quod eos in tanta cauſa tacuiſſe crederet, nec adverſariis reſtitiſſe, literis ſaltem communicare pertulerit? aut quis illum non audens reprehendere, Africanam levitatis vel impatientiæ reprehendat Eccleſiam; quæ non niſi aperto jam promulgatoque decreto anathematizatum videns Calchedonenſe Concilium, & omnes qui ejus ſententiam tenent, damnatoribus patrum ſuorum ac ſuis communicare vitavit, non quaſi Auguſtini adverſus Donatiſtas doctrinæ contraria, ſed * (* 633) Hilarii contra impugnatores univerſalis ſynodi obſervantiam conſecuta? Ut autem noveritis, quomodo in adjutorio Dei qui nos regit ac dirigit, Auguſtinum concorditer Hilariumque ſectemur, nec eos ſibi velut contrarios opponamus, ut altero approbato improbemus alterum, ſed pro cauſarum diverſitate utrumque ſectemur, accipite quæ a * in judicio ipſius Vigilii inter alia fuerim proſecutus, ſicut editæ nobis ab officio tertiæ actionis geſta declarant. Peto, inquam, de juſtitia veſtra, utrum ſuſcepta ſit a ſynodo Calchedonenſi epiſtola Ibæ, quæ velut Neſtoriana damnata eſt, inquiratis: & dum conſtiterit non obeſſe ſynodo quod pars adverſa de Theodori perſona proponit, ſic ea ea quæ proferre volunt relegi permittatis: ne forte quæ aguntur ad retractationem videantur memoratæ ſynodi pertinere. Ego enim fateor ſimpliciter beatitudini veſtræ, non pro Theodori Mopſueſteni damnatione me a contradicentium communione ſubtraxiſſe. Hoc enim vel ſi approbandum non ſit, ferendum tamen exiſtimo, nec tantam eſſe cauſam judico, pro qua deberemus a communione multitudinis ſegregari. Sed quia ex perſona Theodori epiſtolam Ibæ Neſtorianam probare conati ſunt, & ex epiſtola Ibæ ſynodum, a qua ſuſcepta eſt, improbare. In his itaque verbis meis cognoſcitis in primis pro ſtatu generalis ſynodi me fuiſſe ſollicitum, ne quod Acephali ſemper quæſierunt, in retractationem deducta frangeretur ejus auctoritas. Deinde videte, quod non ab iſto nunc diſcimus, quia pro Eccleſiæ unitate ferendi ſunt mali, ſicut docuit Auguſtinus. Nam cum dixi, Ego enim fateor ſimpliciter beatitudini veſtræ, non pro Theodori Mopſueſteni damnatione me a communione contradicentium ſubtraxiſſe. hoc enim vel ſi approbandum non ſit, ferendum tamen exiſtimo, nec tantam eſſe cauſam judico, pro qua deberemus a communione multitudinis ſegregari; doctrinæ Auguſtini memorem me fuiſſe monſtravi. Sed quoniam & Hilario ejuſque collegis contrarius eſſe non debui, qui cum proculdubio multos & ipſi malos in * Eccleſiis (* 634) ſufferrent, ſchiſmaticoſque damnarent, non tamen ferendos judicaverunt * eſſe (* 635) illos Eccleſiarum præpoſitos, qui ſuis decretis auctoritatem generalium ſynodorum, per quas munitur Eccleſia, conarentur infringere: propterea ſecutus adjeci, dicens ideo me iſtorum vitaſſe communionem, quia ex perſona Theodori epiſtolam Ibæ, in qua ejus doctrina laudata eſt, Neſtorianam probare conati ſunt, & ex epiſtola Ibæ ſynodum a qua ſuſcepta eſt improbare. Nam quæ alia cauſa fuiſſe dicenda eſt, ut poſt centum & viginti ſuæ defunctionis annos damnaretur cum dogmatibus ſuis Epiſcopus in Eccleſiæ pace defunctus, vel epiſtola cujus auctor incertus dicitur? Non enim vel hoc fatentur quod Ibæ ſit, ſed quod ejus eſſe dicatur. Aut cur tantorum in hoc Epiſcoporum ſubſcriptio quæreretur, niſi quia non paucorum, ſed multitudinis conſenſus præjudicare poſſet univerſo Concilio? Et quoniam Judex hoc ſe neſcire fingebat, petivi ſimul ac dixi: Hoc ergo primum me demonſtrare præcipite, ut doceam falſe negari quod a ſancta ſynodo Calchedonenſi recepta fuerit, & omnia contradicentium figmenta redarguam, quibus eam in deſtructionem ſynodi Calchedonenſis velut impiam damnaverunt. Sed quoniam occulta ejus ante judicium pollicitatio tenebatur, in qua ſe ſpopondit eadem capitula damnaturum, ut ſe quaſi per ignorantiam poſſet abluere, probationem quam offerebam, quamque ipſe inſtanter exigere debuit, me facere non permiſit. Sed geſtis de medio ſublatis, quibus cauſa cœperat aperiri, & interrupto ſuo judicio, a conſidentibus Epiſcopis flagitavit, ut quid eis de cauſa videretur prolata quiſque in ſcriptis reſponſione ſignaret. Et quia illi Epiſcopi maxime Conſtantinopolim occurrerant in ejus adventum, quorum nulla in hac cauſa ſubſcriptio tenebatur, & de ſua ſue-

a *In judicio ipſius Vigilii*) Hæc illa eſt Vigilii apud Conſtantinopolim Synodus, cujus facta eſt mentio in Præfatione Librorum XII. *Adductus eſt*, inquit, *Romanus Epiſcopus, in cujus examine cum geſtis ſuper hac cauſa diſceptaremus, mediante conflictu interrumpi acta præcepit, & ab univerſis Epiſcopis qui aderamus expetiit, ut ſcripto quiſque reſponderet quod ei de his capitulis videretur*. Hujus acta, præter hæc quæ a Facundo recitantur, interiere: niſi quod ex ea natum conſtat Judicatum Vigilii ad Mennam Archiepiſcopum, in quo Tria capitula ſub aliqua diſpenſatione, ſalva Synodi Calchedonenſis reverentia condemnabat, ut docet epiſtola cleri Romani ad legatarios Francorum Tomo I. Conciliorum Galliæ.

* (632) *præſenſiſſent*.
* (633) *Hilario*.
* (634) *Eccleſiis Dei*.
* (635) *etiam illos*.

rant integritate ſecuri, per occaſionem hujus interrogationis ipſi quoque ſeparatim compulſi ſunt ab adverſariis Eccleſiæ quomodo dictaverunt in præjudicium magni Concilii reſpondere. Ac ne poſtea ſubtraherent, & quæ ſcripto reſponderant judicio non offerrent, jam ſub proſecutione ipſorum atque cuſtodia palam ad illum deducebantur tradere ſua profana & deteſtanda reſponſa. Oculis nos hæc vidimus. Acephalos coram ipſo judice alacres & exultantes aſpeximus, cum Epiſcopos ad eum adducerent eadem reſponſa portantes. Et quando hæc ſic inhæreant cordibus audientium, aut ſic ea deteſtari ac lugere poſſitis, ſicut nos, in quorum animis ipſorum malorum adhuc imago verſatur? Suſcipiens vero ille memoratas reſponſiones, poſt aliquot dies ad palatium detulit, atque alteri tradidit parti, in præjudicium ſynodi Calchedonenſis cum aliorum chirographis qui antea ſubſcripſerant reſervandas. Verum ne ſuis traditor videretur, talibus verbis eos ſefellit, ut diceret, Quid apud nos reſervamus iſta contraria ſynodo Calchedonenſi reſponſa, ut inventa quandoque in Eccleſiæ Romanæ ſcrinio a nobis approbata credantur? Sed adſeramus illa in palatium, * & de illis agant,
* 636 ipſi jam noverint. Quaſi ea ſcindere, vel urere ipſe non poſſet, aut per ſuam evacuare ſententiam, aut ipſis a quibus fuerant data reſfundere: quæ nec ſuſcipere ab eis, nec extorquere debuerat, ſi vere præjudicium generalis ſynodi
* 637 præcavebat. Atque * iſta ſolita fictione, fingens ejus præjudicium ſe cavere, hoc pro voluntate contrariorum fecit, quod ei ſi diſſimulemus præjudicet. Quomodo enim non præjudicet, ſi demonſtrentur LXX. circiter Epiſcopi cum Romano Antiſtite Conſtantinopolim congregati ut illos omittam qui ante ſubſcripſerant, condemnaſſe cum approbatoribus ſuis epiſtolam a Calchedonenſi Concilio approbatam? & illum Epiſcopum, cujus doctrinæ laudes in memorato Calchedonenſi concilio recitatæ ſunt nemine reſiſtente, cum ſuis dogmatibus anathematizaſſe poſt mortem, ſcientibus ceteris, & in eorum communione manentibus? Ob hoc ergo neceſſarium fuit non modo ab eorum nos communione ſubtrahere: verum etiam, quia potiorem videbantur in Eccleſia tenere locum, qui primi huic præjudicio Imperatore jubente ceſſerunt, ne ipſorum magis tenenda ſententia videretur, commemorare, quod alibi fecimus, quomodo ſive Menas Conſtantinopolitanus, ſive Zoilus Alexandrinus, ſive Antiochenus Ephremius, & Petrus Hieroſolymitanus, antequam vel conſentirent vel cederent, teſtati ſunt fieri non debere. Ob hoc etiam de ipſius Epiſcopi Romani chirographis, vel prius ambitionis impulſu, cum fieri arderet Epiſcopus, vel poſtea venalitate parti alteri factis, neceſſarium duximus non tacere, ne auctoritate nominis ejus præjudicium fides vera ſufferret. Quod ſi hoc non fuiſſet, neque ipſe prius univerſam anathematizaſſet Eccleſiam, ſervare nos in illo oportuit ſententiam ſuam, ſequi quod nobis præbuit priſcæ integritatis exemplum. Nam priuſquam hoc & ipſe committeret, ſcribens de itinere Conſtantinopo-

A litano Epiſcopo, qui præjudicio magnæ ſynodi primus aſſenſit, ſed quem literis ſuis præveniens ait: „Quapropter credidimus indicandum, quod dominus filius noſter clementiſſimus Imperator per Leonem illuſtrem virum nos ſereniſſimis hortatur affatibus, ut pacem, quam Chriſtus dominus Deus & ſalvator noſter ſupra omnia holocauſta diligit, vobiſcum & cum univerſis fratribus & coepiſcopis noſtris, & cuſtodiente ſtabili firmitate ſervemus. Quam piiſſimi principis adhortationem libenter amplectimur. Sed ſi pacis bonum, ſicut locum ſacerdotii tui convenit, ſapienter adtendas, & advertere & prædicare te
B neceſſe eſt quæ pax in Dei Eccleſia ſit tenenda, cum Apoſtolus, qui dominum noſtrum ſpiritum in ſe loqui perhibuit, ait, *Pax Chriſti, quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras*. Ipſe autem Chriſtus Deus noſter volens " perfectæ pacis indicia demonſtrare dicit, *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Qualem enim mundus dare poſſit, ipſe nos inſtruit per prophetam qui ait, *Dicentes pax, pax, cum non eſſet pax*. Et illud ſimili ratione penſemus, quia in Apoſtolorum actibus de perfecta pace ſic eſt de credentibus in
C Domino declaratum, quod erat in illis cor unum & anima una. Multa ergo ſunt, quæ de terrena & cœleſti pace diſcernenda inveniamus ſcripta. Quæ quia vos non credimus ignorare, ſufficiat excerpſiſſe pauca de plurimis: ut magis tuæ fraternitatis poſſit æſtimare judicium, quæ pax potius a ſacerdotibus ſit tenenda." Nonne perſpicuum eſt & evidenter apparet ex his quæ memoravimus, quod & ipſi contrarii, qui a nobis in multis diſſentiunt, in hoc tamen conſentiant, quod in talibus cauſis prævaricatorum ſit vitanda communio? & quod illa pax a
D Dei ſacerdotibus in Eccleſia ſit tenenda, quæ ſtatum ipſius non ſubvertat Eccleſiæ? ſubvertitur autem, ſi ejus de fide generalia conſtituta decretis aliorum ſacerdotum qualibet occaſione frangantur. Propter quod & illos, qui talibus communicaverant, veniens in regiam civitatem [a] a communione ſuſpendit. Qui ſic rurſus in memoratis ſuis literis dicit: „Quando nobis non ſit incognitum, quia diaconus Stephanus tunc reſponſalis noſtræ, cui per Dei gratiam præſidemus, Eccleſiæ, cum plurimis Chriſtianis quandin vixit a tua ſe communione ſuſpenderit:
E & in Sicilienſi inſula conſtituti, fratre & coepiſcopo noſtro Datio referente didicimus, quod & ipſe & alii conſacerdotes noſtri, & multi filii Eccleſiæ Chriſtiani, a tua ſe nihilominus communione ſubtraxerint: & dum cauſas exorti quæreremus ſcandali, antedictus frater & coepiſcopus noſter reſpondit, hoc fraternitatis tuæ feciſſe perſonam, quod a nullo deceſſorum tuorum deceſſorumque noſtrorum temporibus qualibet fuiſſet ratione commiſſum." Cernis quod non ſolus hic judex, ejuſque * diaconus, * 638
ſed & Datius Mediolanenſis Epiſcopus, cum aliis ſacerdotibus, talium prævaricatorum communionem ferendam eſſe non duxerit? Quid igitur adhuc nobis de hoc quæſtio commovetur, unde nec inter contradicentes invicem

Philip.4.7. — " Cod. unus M.S. præfatæ. — Joan.4.27. — Hier.6.14. — Act.4.32.

a *A communione ſuſpendit*) Mennam in primis, qui Trium capitulorum damnationi primus conſenſerat, quatuor menſium excommunicatione multavit, ut dictum eſt ad lib. IV. Theophanes in Chronico: *ὡς καὶ ἀκοινωνησίαν τεσσάρων μηνῶν δοῦναι Μηνᾷ τῷ Κωνσταντινουπόλεως ἐπισκόπῳ εἰς ἐπιτίμιον*. Quem tamen poſtea Theodoræ rogatu, ut Theophanes idem refert, in communionem recepit die XXIX. Junii.

* (636) *& quid de illis agant, ipſi jam noverint*.

* (637) *ita*.

* (638) *diaconus Stephanus*.

ulla eſt contradictio, nec inter diſſentientes in multis habetur ulla diſſenſio? Nam judex aſſerit, quod invitus illud [a] protulerit judicatum. Nos contra reſpondemus, quod ultro per ambitionem pollicitatione facta peccaverit, nec ulla ſuſtinuerit tormenta, quibus ceſſiſſe credatur. Cumque hoc invitum ſe feciſſe affetat, rurſus ibidem dicit, quod ignorans fecerit. Nos vero probamus non eum potuiſſe ignorantem facere, quod invitum ſe aſſerit admiſiſſe. Poſt hæc etiam videri vult nihil in præjudicium Calchedonenſis egiſſe Concilii. Cui nos ſuas excuſationes opponimus: quia niſi hoc egiſſet, quod prajudicaret, nequaquam ſe vel de principum violentia, vel de ſua ignorantia purgare atque abſolvere niteretur. Cum igitur multa inter nos de his atque aliis inveniatur eſſe diſſenſio, inde tamen convenit inter partes, & apud omnes ſine ulla controverſia conſtat, quod in talibus cauſis prævaricatorum ſit communio vitanda. Denique nec Sorcius præcipuum decus partis ipſorum, & quem eſſe niſi cum talibus non deceret, huic ſententiæ contradicit, immo vero & aliquid amplius ipſe dicit. Nam ſcribens beato [b] ſeni Boetho, priuſquam navigaret, quæ damnaverat reſumpturus, anathema, quod Africana Concilia non fecerunt, in eos protulit dicens,
„ Anathematizo Eutychem cum omnibus ſectatoribus ejus adjutoribuſque ipſius, quicumque conantur tomum ſancti Concilii Calchedonenſis in aliquo infringere. & quicumque epiſtolam Ibæ, quam illud ſanctum Concilium Calchedonenſe ſuſcepit, anathemat, anathema mihi eſt.
Proinde ſi Mociano diſplicet in ſimili Nicæni Concilii cauſa obſervantia Hilarii, & aliorum collegarum ejus, per quos orthodoxa fides in illa tempeſtate ſervata eſt, atque ad nos intaminata pervenit: ſi diſplicet etiam ſollicitudo & cautela ſancti atque doctiſſimi orthodoxi viri Hieronymi, ſi diſplicet in Calchedonenſis quoque Concilii cauſa dudum nobis præbitum in Acacio a tantis præſulibus Apoſtolicæ ſedis exemplum, univerſalis Eccleſiæ conſenſione firmatum: ſi diſplicet quod in præſenti quoque ipſius Concilii oppugnatione ſtatuerunt Africana Concilia: ſi diſplicet quod aliarum quoque provinciarum Epiſcopi faciendum eſſe viderunt, ſicut Illyrici atque Dalmatiæ. placeat vel quod ipſe Vigilius, vel quod ipſe Sutcius ſenſit, quod in hujuſmodi cauſis communio talium prævaricatorum vitanda ſit. Idcirco beatus quoque Stephanus præſul Apoſtolicæ ſedis, cum S. Cyprianum, atque alios Afros Epiſcopos, de baptizandis omnibus hæreticis decreviſſe cognoſceret, quamvis, ut dictum eſt, nullo interpoſito anathemate, neque adverſus ulla Concilii generalis antiquiora decreta, aut conniventes hæreticis talem ſententiam protuliſſent; continuo tamen ei denuntiavit, quod ſi qui hoc auderent, ab Eccleſia pellerentur. & Stephani potius quam Cypriani ſententiam tenet Eccleſia, non ſolum de non rebaptizandis hæreticis, verum etiam de rebaptizantibus non ſerendis. Sed vir prudentiſſimus Auguſtinus, ad arguendos de ſuo ſchiſmate Donatiſtas, qui auctoritate B. Cypriani ſacrilegium quo baptiſma iterant conantur defendere, ſufficere credidit ejus exemplum. quia cum aliter quam plures aliarum provinciarum Epiſcopi de baptiſmo ſaperet, non tamen ſe quemadmodum ipſi Donatiſtæ ab Eccleſia ſegregavit. Segregaret autem, ſi inter ſe ac diſſentientes anathema * definiſſet. Hoc igitur exemplum B. Cypriani hujus affectionem nihil adjuvat, ut videtis, ſed quomodo nos potius adjuvet, videre * 639
debetis. Dicimus ergo, quoniam ſicut quamvis rebaptizantes Donatiſtas damnemus ab Eccleſia ſeparatos, non tamen damnamus Cyprianum & ſocios ejus, qui nullius anathematis interpoſitione ab Eccleſia ſe diviſerunt, cum de baptiſmate definirent, quod nunc videtur occaſionem Donatiſtarum errori dediſſe. Ita quamvis damnemus Neſtorianos ab Eccleſia ſeparatos, non tamen damnamus Mopſueſtenum Theodorum, qui nullius anathematis interpoſitione * ab Eccleſia diviſit, vel ſi aliquid ſcripſit, quod forte nunc videtur occaſionem Neſtorianorum errori dediſſe. Et ſicut nobis ſufficit ſententias * 640
de baptiſmo Cypriani & ſociorum ejus reſpuere, nec ſub anathemate condemnare: ita ſi quid forte minus intelligens Theodorus male ſcripſit, ſufficit nobis reſpuere, nec ſub anathemate condemnare: Quoniam hanc reverentiam ſemper Eccleſia detulit in gremio pacis ſuæ atque honore defunctis, ut non ſolum eos qui forte in talibus quæſtionibus per ignorantiam humanæ infirmitatis erraſſent, verum nec ipſa eorum dicta, ſicut hæreticorum, ſub anathemate condemnaret. Hæreticum enim non humanæ infirmitatis ignorantia, ſed pervicacia facit. Unde B. Auguſtinus in libro de catechizandis rudibus: Quanquam, inquit, & illi, qui catholici ex „ hac vita migrarunt, & aliquid literarum Chriſtianarum poſteris reliquerunt, in quibuſdam locis opuſculorum ſuorum, vel non intellecti, vel ſicuti eſt humana infirmitas, minus valentes acie mentis abditiora penetrare, & veri ſimilitudine a veritate aberrantes, præſumptoribus & audacibus fuerunt occaſioni ad aliquam hæreſim moliendam atque gignendam. Catholicos itaque dicit ex hac vita migraſſe catholicus Auguſtinus, qui in Eccleſia conſtituti per humanam infirmitatem minus valuerunt acie mentis abditiora penetrare, & veri ſimilitudine a veritate aberraverunt: nec vult eos hæreticos dici, quamvis præſumptoribus & audacibus occaſioni fuerunt ad aliquam hæreſim moliendam atque gignendam. Et ideo B. Cyprianum, ejuſ-

a *Protulerit Judicatum*) De quo proxime jam dictum eſt. Clerici Romani ad Francorum legatos Conſtitutum appellant. Hoc enim eſt, quod ab Imperatore poſtea recepiſſe Vigilium narrant. *Præſtitit*, inquiunt, *Deus, ut hac ratione ſanctus Papa Vigilius Conſtitutum, quod in ipſa cauſa fecerat publice in conventu reciperet, denuntians quia ſi quis Græcorum Epiſcoporum uſque ad univerſalis Concilii tractatum de iſtis Capitulis aliquid feciſſet, aut facientibus acquieviſſet, a communione ſedis Apoſtolicæ alienus exiſteret.* De hoc etiam agens Vigilius ipſe in epiſtola ad Ruſticum & Sebaſtianum, nunc Judicatum, nunc Conſtitutum vocat: prolatumque oſtendit die Sabbato ſancto, miſſumque ad Menam Conſtantinopolitanum. Sed longe diverſum ab hoc Judicato aliud fuit Conſtitutum, quod Vigilius de eadem re aliquot poſt annos, cum Synodus V. inchoaretur, edidit ad Juſtinianum pridie Idus Maias P. C. Baſilii XII.

b *Seni Boetho*) Hoc eſt Primati. Sic enim ob ætatis prærogativam appellari ſolitos in Africa primates provinciarum alibi oſtendimus. Primas autem Boethus fuit Byzacenæ provinciæ. Victor in Chronico *P. C. Baſilii V. C. anno XII. Primaſius quoque Atemetenſi monaſterio relegatur. Sed Boetio primate Byzaceni Concillii morte prævento, ut ei ſuccederet, memoratæ damnationi protinus aſſenſit.*

* (639) *defixiſſet*.
* (640) *ſe ab Eccleſia*.

que collegas,qui per humanam infirmitatem in quæ-
ſtione baptiſmatis erraverunt, vel Theodorum Mo-
pſueſtenum, ſi a veritate in aliquo forte aber-
raſſe monſtretur, & de hac vita in ipſo poſitus
errore migraſſe, hæreticos non dicimus, * quos
* 641 uſque in finem manſiſſe in Eccleſia catholica
non negamus. Fruſtra igitur neſcio qua iſte ad
cauſam non pertinentia ſolite ſibi colligebat
exempla, quibus probare nitebatur ſæpe dictum
Mopſueſtenum Theodorum juſte ac regulariter
fuiſſe damnatum. Non enim, ſi quiſquam
* 642 * damnandus Epiſcopus, qui moriens hæreti-
cum in ſuis facultatibus teſtamento fecit hære-
dem, acie mentis ut hoc faceret abditiora pe-
netrare non valuit, aut veri ſimilitudine a ve-
ritate aberravit: ſed manifeſtum facinus non
infirmitatis ignorantia, ſed voluntatis pravitate
commiſit. Inde eſt quod Philippo dicenti, *Do-*
Joan. 14. 8. *mine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis*, im-
pune ceſſit tanto tempore Chriſtum non cogno-
viſſe. Ananiæ vero & Sapphiræ ſubtrahentium
de pretio ſui prædii commiſſum paulo ante de-
lictum mortis pœna eſt protinus conſecuta. Aliter
itaque judicatur a Domino ſimplex pietatis igno-
rantia, & aliter duplex conſcientia pravitatis.
Et Apoſtolica quidem ſedes per B. Gelaſium ne-
a ſas judicat ᵃ poſt mortem condemnare quem-
piam in Eccleſiæ pace defunctum, cum dicit,
In Synodo qua abſolutus Miſenus. „ Quod ſuper noſtræ facultatis eſt modulum, di-
„ vino judicio relinquamus. Non autem nobis
„ poterunt imputare prævaricationis offenſam, ſi
„ viventibus remittamus, quod Eccleſiæ Deo lar-
„ giente poſſibile eſt, qui nos etiam mortuis aut
„ veniam aut condemnationem dare poſcunt, quod
„ nobis poſſibile non eſſe manifeſtum eſt. quia
„ cum dictum ſit: *Quæ ligaveritis ſuper terram*
Matth. 16. 19. „ *erunt ligata & in cælo*, quos non eſſe jam con-
„ ſtat ſuper terram, non humano ſed ſuo judicio
„ reſervavit. Nec audet Eccleſia ſibimet vindica-
„ re, quod ipſis beatis Apoſtolis conſpicit non
„ fuiſſe conceſſum. Si enim licet ligari mortuos,
„ licet & ſolvi: & ſi licet mortuis damnatio-
„ nem inferre, licet & veniam dare. Sed ſi forte
cuiquam videtur illam tenere ſententiam, qua
damnandi creduntur aliqui in Eccleſiæ pace de-
functi; & non magis hanc Apoſtolicæ ſedis,
quæ ſoli hoc intelligit divino judicio reſerva-
* 643 tum; * & conceſſerit, quoniam ſi licet ligari
mortuos, licet & ſolvi, & ſi licet mortuis dam-
nationem inferre, licet & veniam dare: conſe-
quens non eſt, ut ei propterea videatur etiam
Mopſueſtenus Theodorus eſſe damnandus. Non
enim eos impetit illa ſententia, qui ſicut B. Cy-

A prianus, ejuſque ſocii, per humanam infirmita-
tem minus potuerunt acie mentis abditiora pe-
netrare, & veriſimilitudine a veritate aberrave-
runt, ſed eos potius, qui probantur ſcientes vo-
lenteſque peccaſſe. Inſuper & notum eſt, quod
de hac Theodori cauſa tum fuerit judicatum,
cum Apollinariſtæ progenitores Acephalorum,
eum quibuſdam dictorum ejus capitulis eum
quærerent abdicari, & a Joanne Antiocheno at-
que orientali Concilio, nec non Cyrillo Ale-
xandrino, & Proclo Conſtantinopolitano repul-
ſi ſunt. Sed nunc in præjudicium magnæ ſy-
nodi Calchedonenſis reſuſcitatur ejus quæſtio
B ante centum & viginti annos finita, & obli-
vioni jam tradita. Cui præjudicio quoniam
communicare timuerunt beatæ memoriæ * Ma- * 644
rianus Doracenus, & Baſiliſcus Serdicenſis Epi-
ſcopi, ſed & Lampridius presbyter & abbas Hie-
roſolymitani monaſterii, Mocianus eos Conſtan-
tinopoli, ut ſe commendaret, in gehennam abiiſ-
ſe dicebat. Sed non hac via pergitur in ge-
hennam, quam Hilarius cum ſuis collegis,
quam Hieronymus tenuit in cauſa Nicæni Con-
cilii, quam tot Apoſtolicæ ſedis antiſtites po-
ſtea ſecuti ſunt, cum temporibus Zenonis vi-
derent Calchedonenſe concilium ſimiliter impu-
C gnari. Sed illa gehennæ eſt via, quam pro vo-
luntate Conſtantii apud Ariminum & Seleu-
ciam Iſauriæ ingreſſa eſt temporibus Sirmienſis
multitudo. quam & iſte ſecutus eſt, qui Wan-
dalis regnantibus Arianus fuit; deinde imperio
ſuccedente Romano, eum tempore verſus eſt
ut catholicus videretur. nunc etiam de palatio
præjudiciis catholicæ religionis exortis eadem
ſequitur, quoniam ſicut videtis actionem illi
Conſiliarii præſtiterunt. qua non contentus,
adhuc ambire non ceſſat ex aliorum quoque
perditione aliquid ſublimius adipiſci. Sic quip-
pe tempore iſto proficitur. & ſicubi poteſt,
D * per tales adjutores conſueta nequitia, teſti- * 645
moniis inconvenientibus undecumque collectis,
etiam hoc ſuadet, quod licet Calchedonenſe
concilium retractetur. Ubi vero id non poteſt
ſuadere, aut nefandum illud Judicatum excuſat,
aut condemnationem defendit Mopſueſteni Theo-
dori. aut ſi nihil horum poteſt, ſub nomine pa-
cis & regis, ad pollutam communionem vel
temporalis utilitatis cupidos, vel indoctos &
improvidos conatur inducere. illos invitans
promiſſionibus, iſtos veriſimilibus rationibus fal-
lens, qui legunt tantum vel audiunt quæ ſcri-
pta ſunt, cauſam vero pro qua ſcripta ſunt
non requirunt.

---

a *Poſt mortem condemnari*) Gelaſii verba ſunt e Synodo Romana, in qua abſolutus eſt Miſenus Epiſcopus. Cujus alia quoque in eandem ſententiam ſimilia extant in aliquot ejus epiſtolis. Idem etiam argumentum, eodem Gelaſii utens teſtimonio, uberius tractat Vigilius in Conſtituto. In quo propterea Theodori Mopſueſteni aliorumve dicta & errores, qui objiciebantur, ita condemnat, ut ipſos tamen auctores in pace defunctos minime damnandos decernat. Sed quoniam & Conſtitutum Vigilii cum Judicato conſundi, & alia perturbate in hac tota cauſa referri vulgo ſolent, haud abs re viſum eſt, præcipua rerum capita, tum ea præſertim quæ ad Vigilium ſpectant, quantum ex cleri Romani ad Legatos epiſtola, atque ex Vigilii ipſius encyclica, Conſtituto, & aliis obſervare licuit, ſuis annis ſingula ᵃᵃ brevi compendio diſtincta ſub oculos hic ponere.

ᵃᵃ *illam ſynopſim tanquam facem omnibus Facundi ſcriptis, in fronte collocavimus.*

* (641) *quouſque.*
* (642) *damnandus eſt.*
* (643) *& qua* (Apoſtolica Sedes) *aſſerit*, *quoniam &c.*
* (644) *Marinianus.*
* (645) *tales invenit auditores.*

FACUNDI
EPISCOPI HERMIANENSIS,
EPISTOLA FIDEI CATHOLICÆ.
IN DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM

Ex Tomo III. Spicilegii Domni Lucæ Dacherii.

A MOvet quoſdam, & requirunt quæ ſit trium Capitulorum cauſa, pro qua univerſa totum pene per orbem ſcandalizantur Chriſti membra; dicuntque quid poteſt Catholicæ Eccleſiæ nocere damnatio quæ facta eſt capitulorum, ſive perſonarum ſit ſive dictorum? Præſertim, inquiunt, cum & ipſi damnatores ſe profiteantur cum non damnantibus fidem tenere, uno Symbolo baptizare, unoque ritu tam ſolemnia lectionum, quam etiam ſacrificii ordinem celebrare. Quibus, quoniam compendioſe rationem ſibi reddi flagitant, ſic breviter Domino largiente reſpondendum eſt, ut iſti ipſi trium Capitulorum damnatores, qui negare non poſ- B ſunt cauſam eorum in Calchedonenſi ſancto Concilio ante centum & viginti fere annos fuiſſe determinatam, dicere primitus cogantur, utrum Catholicæ Eccleſiæ, in qua baptizati ſunt antequam eorum damnatio impie proveniret, nocuerint, an non nocuerint. Si nocuiſſe dixerint, notam erroris & criminis Catholicæ Eccleſiæ convincuntur importare: ut aut hæretica, quod dici nefas eſt, fuerit, cum quos iſti velut hæreticos damnaverunt, illa non ſolum non damnavit, ſed inſuper & laudavit, dicta- C que eorum ex decretis Calchedonenſis ſynodi orthodoxa pronuntiavit: aut certe ignorantiæ nubilo circumſepta ab omnibus hæreſibus denotanda, cum per tot annorum curricula neſcivit, neque intelligere potuit, quod iſti ante XV. aut XVI. annos, variis & peregrinis contra Apoſtolicum præceptum abducti doctrinis, & obſequendo juſſionibus palatinis cognoverunt. Ac per hoc & ipſi hæretici ſunt, & ab hæreticis baptizati, neque adhuc ab aliquo reconciliati: quoniam ſicut dicunt ipſi, ſunt Catholici qui nuper Tria Capitula damnaverunt, vel dam- D nant, ipſiſque damnatoribus communicant: hæretici autem, qui nec damnaverunt, nec damnant, nec damnantibus communicant. Quæ cum ita ſint, aut illa utique fuit, ſicut vere fuit, & eſt, eritque Catholica Eccleſia, quæ tria Capitula nec damnavit, nec damnat, nec iſtis ſceleſtiſſimis damnatoribus, eorumque communicatoribus niſi ſub merita ſatisfactione communicat: & iſti proculdubio hæretici, qui noviter admiſerunt, quod in Eccleſia quæ eos regeneravit non acceperunt: aut ſi illa, quod E audire ſacrilegum eſt, non fuit catholica Eccleſia, iſti ſimili modo remotis ambagibus hæretici ſunt, quia, ut dictum eſt, ipſa eos Eccleſia baptizavit, quæ Capitula iſta numquam damnavit. Quas ob res utrolibet objecto reſpondeant, hæretici convincantur neceſſe eſt. Si autem, quod verum eſt, nihil nocuiſſe eadem Capitula per centum & amplius, ut prædictum eſt, annos catholicæ Eccleſiæ dixerint; multo magis magiſque ſe reos intelligant inexcuſabiliter: animadvertant quantum mali contra ejus decreta commiſerint damnando quod illa non damnavit: cognoſcant quid egerint, & ſentiant ſe ab ea præciſos, cujus decreta quantum in ipſis eſt convellentes, hæreticorum ſe catervis ſavendo eorum votis pertinaciter aggregarunt. Siquidem ab Acephalis hæreticis, id eſt Semieutychianis, exquiſita & elicita capitulorum damnatio: & Vigilii atque Pelagii Romanorum prævaricatorum, & Primaſii Byzaceni præcipui doctoris Acephalorum, edita contra Eccleſiam ſcripta proteſtantur. Quæ cum ita ſint, quomodo jam & illud eis poterit conſtare, quod dicunt unam ſe cum non damnantibus fidem tenere? Cum nos in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto Dei & hominis Filio, duarum naturarum proprietatem in unitate perſonæ confiteamur, quod Catholica ſemper cuſtodit & docet Eccleſia. Iſti autem parendo Acephalis, & in ſcripto dicentes: Anathematizamus impiam Epiſtolam Ibæ, quam ad Marim Perſam ſcripſit, cum his qui vindicant eam, & rectam eſſe dicunt, vel partem ejus: omnem procul dubio anathematizaſſe probantur Eccleſiam, quæ eam vindicavit & vindicat, rectamque eſſe dixit, & dicit: utpote quæ hoc de Incarnatione Chriſti, in qua ſalutis noſtræ ſacramentum conſiſtit, confitetur quod eadem per omnia continet epiſtola. Verba quippe ejuſdem epiſtolæ ubi ſanitas Catholicæ confeſſionis, poſt alia ſic ſe habent: Eccleſia autem ſic dicit; Duæ naturæ: una virtus, una perſona, quod eſt unus Filius Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Quapropter ſi hæc duarum naturarum Domini noſtri Jeſu Chriſti in unitate perſonæ confeſſio, ut iſti dixerunt, impia eſt, & ſine Deo, dicant ipſi noviter quid ſit pium rectæque Chriſtianorum fidei conveniens. Profecto ergo, ſicut veritas eos ex operibus & ſcriptis eorum redarguens fateri cogit, aut unam in Chriſto naturam, ſicut Eutychiani vel Acephali, quorum votis ceſſerunt, & ab Eccleſia receſſerunt, dicunt, aut nullam: quod quam ſit impium & blaſphemum, atque a Catholica veritate alienum, quiſquis ſana eſt præditus mente, abſque dubitatione cognoſcet. Nunc deinde illud pertractemus, quod dicunt verbis, uno ſe ſymbolo baptizare, utrum rebus & effectibus verum eis eſſe conſtet. Quod ut liquido clareat, ipſius ſymboli primitus conſideranda eſt atque penſanda vis magnitudoque veritatis: quoniam niſi præceſſerit per quod creditur, virtus munuſque credulitatis, quod ſubſequitur, nequaquam conceditur, ſicut ſcriptum eſt: *Niſi credideritis, non intelligetis*, Symbolum itaque collatio ſive pactum quod ſit homini cum Deo, Patres noſtri Catholici doctores interpretari docuerunt. Quoniam ergo pactum cum Deo fecimus, & ſic in uno ſanctæ Trinitatis nomine baptizati ſumus; Si quis unum iota, vel unum apicem ex pacto quod cum Deo iniit diſſolverit, ſine dubio fidem, qua Deo credidit, & ipſum Deum cui credidit, perdidiſſe

Iſaia 7. 9. juxta 70.

convincitur. Qui autem ſint qui hoc violaverint
pactum mox videbimus, cum ipſius ſymboli ver-
ba, non quidem in ordinem prolixitatis vitan-
dæ gratia, ſed admodum delibando poſuerimus.
Principium itaque ſymboli hoc eſt. *Credimus in*
unum Deum Patrem omnipotentem; & in unum
Dominum Jeſum Chriſtum filium ejus natum ex Spi-
ritu ſancto, & Maria virgine, qui ſub Pontio Pilato
crucifixus eſt & ſepultus: tertia die ſurrexit a mor-
tuis; aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris,
unde venturus eſt judicare vivos & mortuos, &
reliqua. En certe in hoc nunc omnis conſiſtit
quæſtio, de vivorum mortuorumque judicio:
quod contra nullam aliquando hæreſim, ut il-
lud de æqualitate Patris & Filii in Nicæno Con-
cilio contra Arrium, vel de omnipotentia Spi-
ritus-ſancti in Conſtantinopolitano contra Ma-
cedonium in Symbolo eſt additum, a nulla un-
quam hæreſi, niſi ab hac noviſſimis temporibus
velut ex compacta omnium hæreticorum fæce ex-
orta, violatum eſt; per damnationem ſcilicet
vivorum mortuorumque quam ſic in ſcripto pro-
„ tulerunt, dicentes inter alia: Si quis defendit
„ impium Theodorum & impia ejus conſcripta,
„ ſed non anathematizat eum & impia ejus con-
„ ſcripta, & omnes qui ſuſcipiunt vel defendunt
„ eum: & dicunt, orthodoxa eum expoſuiſſe: &
„ qui ſcripſerunt pro eo, & eadem illi ſapuerunt,
„ vel ſcribunt pro eo, vel impiis ejus conſcriptis,
„ & eos qui ſimilia illi ſapiunt, vel aliquando ſa-
„ puerunt, talis anathema ſit. Si quis defendit im-
„ pia Theodoreti ſcripta, ſed non anathematizat
„ ea, & eos qui ſimilia ejus ſapuerunt, vel ſa-
„ piunt, talis anathema ſit. Si quis defendit im-
„ piam Epiſtolam quam dicitur Ibas ad Marim Per-
„ ſam hæreticum ſcripſiſſe, ſed non anathemati-
„ zat eam & defenſores ejus, & eos qui dicunt
„ eam rectam eſſe, vel partem ejus, & eos qui
„ ſcripſerunt, vel qui ſcribunt pro ea, vel pro im-
„ pietate quæ in ea continetur, & præſumunt eam
„ defendere, talis anathema ſit. Qua blaſphema
ſententia & illos mortuos, quos in corpore con-
ſtitutos nemo damnavit, nec hæreticam eorum
doctrinam quiſquam judicavit, immo vero ſicut
evidentiſſimis documentis probari poteſt, ortho-
doxam Synodica Patrum pronuntiavit authori-
tas, & devota hactenus conſervavit, conſervar-
que poſteritas, & ipſos Patres qui eos dictaque
eorum laudaverunt, & nos viventes pari cum
eis anathemate quantum in ipſis eſt, involve-
runt. Ubi eſt ergo quod Chriſtiani videre vo-
lunt, aut dici, ſymbolique ſe cuſtodire fidem
inani multiloquio jactitant, qui judicium ſibi quod
ſoli Filio Pater dedit, ſuperba ſatis nimiumque
dolenda temeritatis audacia uſurpaverunt, cum
per hujuſmodi præſumptionem etiam diaboli ſu-
pergredi probentur inſaniam! Si quidem ille ſu-
Iſaia 14. 14. perbiſſimo cordis apperitu dixit: *Ero ſimilis Al-*
tiſſimo. Hi autem præveniendo judicium Dei, &
opere mortifero damnationem mortuorum vivo-
rumque non ſibi conſentientium perpetrando,
non jam æquales aut ſimiles, ſicut ille adhuc de
futuro dixit, *Ero*, ſed ſuperiores eſſe ſuo Domi-
no quantum ad eorum attinet intentionem, con-
ſtituerunt. Et non erubeſcunt miſeri ore ſacri-
lego atque impudenti procacitate dicere, ſe u-
nam cum non damnantibus fidem tenere? Quaſi
vero non & dæmones credant & contremiſcant,
ſed operationem non niſi erroris, quam & iſtæ
novitiæ peſtes exercent, habere noſcuntur ipſi er-
rantes, & alios in errorem mittentes. Neque
tantummodo verbis mendacibus in errorem tra-
ducentes, ſed violentis inſuper perſecutionibus ad

A conſentiendum ſibi vel communicandum quos po-
tuerint pertrahendo cogentes. Et non intendunt
infelices neque animadvertunt. quod non eos ju-
vet, immo & ſatis gravet, dictis polliceri noſſe
Deum, factis autem negare? Quoniam revera ſi
veraciter confeſſi, ſive alii pro eis cum baptiza-
rentur profeſſi ſunt, credere ſe in Deum Patrem
omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus,
& in Spiritum-ſanctum, quod ſymboli tenet au-
ctoritas, veraciter quoque credere debuerunt, &
patienter expectare eundem Filium Dei & hominis
Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum tempore præ-
finito venturum de cælis ad judicandum vivos &
mortuos, & non ipſi nunc impia vehementer atro-
B citate; & viventes nos, & mortuos olim Catho-
licos Pontifices non ſolum judicare, verum etiam
quaſi perpetuæ ſententiæ anathemate condemna-
re: ſed forſitan pro ſua ſanctitate & mirabilium
operum efficacia, utpote Judices vivorum & mor-
tuorum, a ſemetipſis, quin immo a patre ſuo
Diabolo conſtituti hos ipſos mortuos, quos dam-
naverunt reſuſcitaſſe ſe dicunt, & ſic audita
eorum cauſa, ſicut Dominus in Evangelio dicit:
Ego ſicut audio judico, judicii ſententiam adver-
ſus eos protulerunt. Quærimus ergo ab eis quan- Joan. 5. 30.
do redivivos eorum cineres collegerint, eoſque
reſuſcitaverint, aut ubi ad judicandum ſederint.
Nempe in valle Joſaphat judicaturus eſt Dominus
omnes gentes, quamvis & alium habeat intelle-
C ctum. Numquid tamen Vallis Joſaphat Conſtan-
tinopolis ubi hoc inchoatum ſacrilegium? Num-
quid Vallis Joſaphat cæteræ urbes & civitates quæ
nefandum in damnatione vivorum, & mortuorum
prolatum ſubſcripſere ſuſcepereque decretum? Di-
cant etiam & oſtendant ubi damnatos ſuos con-
ſtituerunt, ut a nullo non damnante, niſi tan-
tum a damnatoribus ſciatur, an ipſis ſolis adi-
tus reſeratus eſt inferorum locus? Dicant deinde
nobis viventibus quos cum pridem mortuis dam-
naverunt, quando hos mori fecerint, protinuſ-
que reſuſcitaverint, ſicut in illo, vel ante illud
Domini judicium erga hos quos in carne viven-
tes ejus adventus invenerit, futurum Catholica
D confitetur Eccleſia. Quod ſi hæc & alia, quæ tem-
pore ſoli Deo cognito ventura credimus, facere
nequiverunt, quæ dementia corda eorum invaſit,
oculoſque eorum fumoſa ſua vanitas, velut den-
ſarum palpabiliumque tenebrarum opaca nox ob-
cæcavit, ut non viderent, nec perſeveranter te-
nerent, quod in ſymbolo quando baptizati ſunt,
acceperunt? Sed pro ſuo libitu, modo muneribus
corrupti, modo honoribus & ambitionibus ille-
cti, modo etiam peregrinæ, ſive potius ſerpen-
tinæ verſutiæ doctrina circumducti, ventoque ſu-
perbiæ afflati & inflati contra Deum ſuperbiæ cri-
ſtas erexerunt, præripiendo judicium ejus, no-
vumque errorem per damnationem vivorum ac
mortuorum condendo, & veterem reſtaurando,
E cum & Acephalorum fautores conſorteſque effe-
cti ſunt, & cæteris hæreticis dextras dederunt,
ut liceat eis quoties libuerit, & quomodo libue-
rit, Orthodoxorum Pontificum decreta reſcinde-
re vel damnare. Neque enim, ut ignorantes
quidam dicunt Trium Capitulorum geritur cau-
ſa, ſed omnium Pontificum, qui ab Apoſtolis,
Apoſtolorumque ſucceſſoribus uſque ad Synodum
Calchedonenſem, in qua eadem capitula Ortho-
doxa ſunt judicata, ac deinceps ad noſtra uſque
tempora in una eademque defenſione atque com-
munione perdurantes, Catholici ex hac vita e-
migrarunt, perpetrata doletur damnatio. Quod
evidentiſſimis documentis & veridicis rationibus
paternarum traditionum hic latius oſtendere poſ-

ſemus, ſi caſtigata ſineret brevitas. Quibus diligenter conſideratis atque libratis judicet quiſquis judicium Dei metuit, quiſquis Dei Filium tempore opportuno in forma ſervi, quam pro nobis ſuſcepit, venturum credit, & confitetur judicem manifeſtum, quem credendo didicit in plenitudine temporis veniſſe occultum, ſi hi tales qui ſuperbiores & excellentiores audacia diabolo, Antichriſto quoque exiſtunt deteriores, Chriſtiano ſaltem nomine cenſendi, & non potius Antichriſti miniſtri appellandi, modiſque omnibus ſint fugiendi. Quæ cum ita ſint, quomodo jam eis poterit conſtare quod credere ſe dicunt in Deum Patrem, & in Filium ejus, quod præcedit in ſymbolo, cum non eis conſtet quod illic ſubſequitur de uno eodemque Chriſto ſpecialiter dictum, *qui venturus eſt judicare vivos & mortuos*. Quoniam iſti, ſicut ſuperius dictum, oſtenſumque eſt, & in mortuis olim & in viventibus nobis damnationis ſuæ jacula vibraverunt. Sed his præmiſſis aliud adhuc videamus. Si enim mortuos quos damnaverunt prave docuiſſe, & hæretico ſenſu libros conſcripſiſſe dicunt, quærimus ab eis, utrum cum viverent admoniti ſint juxta morem Catholicæ obſervantiæ ac diſciplinæ, ut ſanum rectumque ſaperent, pertinaciter reſtiterint, convictique de errore ſuo, vel in aliquo Concilio accerſiti, ut Arius in Nicæno, Macedonius in Conſtantinopolitano, Neſtorius in Epheſino primo, Eutyches atque Dioſcorus in Calchedonenſi, condemnati fuerint, necne. Si factum dixerint, mox ferri ſynodalia geſta flagitaverimus, ſicut horum proferuntur, ubi condemnatus eorum error, ubi prolata adverſus eos ſententia doceatur. Si oſtenderint; rurſus quærimus quomodo per centum & amplius annorum ſeriem univerſam Catholicam latuerint Eccleſiam cum & humanæ leges triginta annis humanas adimant quæſtiones, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus Apoſtolis ſuis poteſtatem ligandi atque ſolvendi tantummodo quæ ſuper terram ſunt, divinam dederit legem. Aut ubi putamus eadem delituerint geſta, ut nuper ad damnantium ſolummodo, non etiam ad non damnantium notitiam pervenire potuiſſent? Si autem quod magis verum certumque eſt, proferre aliquid tale antiquitus geſtum nequeunt, quia in veritate quod proferant non habent: Nos e contra proferimus Synodicas Epiſtolas Antiocheni Concilii in defenſionem Theodori, dictorumque ejus, qui ab iſtis novo jam hæreſis nomine crimineque cauteriatis, id eſt, Necrodioctis, ſive * a Porcianiſtis damnatus eſt. Congregatæ deinde ſanctæ Calchedonenſis Synodi, cujus authoritati nullus niſi hæreticus contradicit, geſta demonſtramus, ubi non ſolum B. Theodori laudes ſuſceptæ & recitatæ, & cum admirabili gloria prædicatæ ſunt: verum etiam Epiſtola venerabilis Ibæ, quæ ab iſtis ut impia condemnata eſt, orthodoxa illic pronuntiata docetur atque laudata. Theodoreti quoque doctrinam dudum, & a principio orthodoxæ fidei concinere in eadem ſynodo acclamatum, & digni utrique, hoc eſt Theodoretus & Iba, Epiſcopatu judicati ſunt, & gubernare ſicut pridem Eccleſias ſibi creditas ordinati. Quibus præoſtenſis proponimus iſtis Capitulorum noſtriſque damnatoribus, eorumque communicatoribus, quid de eodem magno Calchedonenſi Concilio ſentiant, utrum Catholicum eum dicant, an non? Si dixerint, Catholicum eſt, reſpondemus, Vos ergo

A proculdubio hæretici eſtis. Quoniam vel quod, vel quos illi Patres ibidem præſidentes laudaverunt, & Catholicæ fidei convenire pronuntiaverunt, vos ut hæreticos & impios condemnaſtis: unde conficitur, velitis nolitis, ſicut conſequentia exigit rationis, ut illos quos damnaverunt hæreticos, id eſt Neſtorium, Eutychem, atque Dioſcorum, vos eos Orthodoxos etſi non verbis pro hominum forſitan timore, operibus certe, & effrænatis perſecutionibus, ex Catholicorum Pontificum depulſionibus, & hæreticorum ſubrogationibus, ſcriptoque in Catholicos prolatis damnationibus pronuntiatis atque prædicatis. Denique in una eademque Calchedonenſi Synodo inter alia hæc quoque definita conſiſtit cau-
B ſa, approbatio ſcilicet & damnatio trium. Ecce enim adſtant quodammodo ex una parte ejuſdem Concilii Theodorus, quamvis jam defunctus, ſed in Synodicis Epiſtolis ejus laudes continentibus, ibidemque relictis & approbatis vivens, Theodoretus quoque & Iba laudati & orthodoxi pronuntiati. Et ex alia nihilominus parte Neſtorius in Epheſo quidem primo damnatus, ſed iterato damnationis vinculo Calchedone illigatus. Eutyches etiam atque Dioſcorus illic ſimiliter ut hæretici condemnati. Quid dicitis? Nunquid non ita eſt? Nunquid quantolibet callo duritiæ frons veſtra ſolitis mendaciis obducta ſit, negare poteritis ita eſſe? Quod ſi & negare præ
C confuſione veſtra duplici volueritis, ecce adſunt geſta Calchedonenſis Concilii, ecce adſiſtunt ſexcenti & triginta Pontifices illic congregati: vociferant nimirum per eam, & dicunt: Nos laud.s Theodori in pace & communione Catholicæ Eccleſiæ defuncti relectas cætui noſtro ſuſcepimus, & approbavimus. Nos vero venerabiles Theodoretum & Ibam orthodoxos pronuntiavimus, atque in definitionem Catholicæ fidei nobiſcum ſubſcripſiſſe veraciter novimus. Epiſtolam quam venerabilis Iba Mari Perſæ ſcripſit, relectam a nobis orthodoxam eſſe judicavimus, & judicium noſtrum concorditer ſubſcribendo confirmavimus. Nos Neſtorium ante quidem damnatum iterata damnatione cum
D Eutyche atque Dioſcoro, ſancto nobis Spiritu præſidente proſtravimus: qui judicium noſtrum violare nititur, hæreticus eſt: qui decreta noſtra in aliquo convellere pertentat, alienus a Catholica fide, alienus a Chriſtiano nomine eſt. Qui enim hos quos Catholicos pronuntiantes laudavimus, damnat, illos & e contrario quos, ut hæreticos condemnavimus, laudat, & ideo hæreticus eſt. Quiſquis bene a nobis definitis non acquieſcit: quiſquis legitimo & Catholico ordine determinatis ſuperbus reſultat. Hæc audientes quid rogamus dicturi eſtis tot præclaris Pontificibus vel univerſæ per totum mundum diffuſæ Catholicæ Eccleſiæ, qui eorum ſtatuta
E devote ſemper cuſtodivit, hactenuſque in ſuis reliquiis ubique propagatis cuſtodit; niſi forte verum dicere volueritis: & quomodo furura erat hæreſis Necrodioctarum ſive Porcianiſtarum? Si autem dixerint; hæreticum eſt Calchedonenſe Concilium, non eſt jam neceſſarium contra eos noviter decertare, niſi ut habeantur ab univerſis in veritate Catholicis, ſicut ille qui a Domino in Evangelio interrogatus quod ei nomen eſſet, reſpondit: *Legio quia multi ſumus*. *Marc.* 5. 9.
Quoniam revera qui ſanctæ & magnæ Calchedonenſis Synodi authoritati contradicere in ali-

* a *Porcianiſtis*) Forte *Sercianiſtis*, a Surſio vel Sorcio, cujus mentio in lib. contra Mocianum, pag. 595. h. e. niſi forte ibi legendum *Porcius*.

quo præſumit, aut pertentat, & Arianus eſt, & Macedonianus, & Neſtorianus, & Eutychianus, & Acephalus, vel quicquid ex variis impietatis hæreticæ germinibus derivari, eiſque coaptari poterit, contra quas utriuſque peſtes ipſius Synodi vigilavit intentio, ut & præteritos hæreticos iterata damnatione percelleret, & præſentes anathematizaret, & futuros præſago Dei Spiritu damnationis vinculis cum eorum ſequacibus, modoque quolibet participibus innecteret. Jam porro de hoc quod dicunt eodem ritu lectionum ſolemnia, vel ſacrificii ordinem celebrare, poſſemus breviter reſpondere, quoniam præciſis, ſicut docuimus, ab unitate Catholica nihil proſit divini nominis verbis fictis facta invocatio, nec uſurpata, & ab Eccleſia tracta celebratio, cum & Diabolus Dominum tentans ſcripturarum protulerit teſtimonia, ſed unde deſtrueretur, non unde muniretur: ipſæque ſanctæ ſcripturæ non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtant, & diverſi hæretici quod bene & ſalubriter in Catholica acceperant, præciſi jam pernicioſe & lethaliter retinuerunt. Poſſemus & illud de ſacrificio dicere quod initio mundi Dominus ad Cain dixit: *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccaſti*. Sed & illud quod prævaricatoribus, pactumque Dei violantibus Sacerdotibus idem Dominus per Prophetam dicit: *Cum multiplicaveritis preces veſtras, avertam faciem meam a vobis. Et cum obtuleritis ſacrificium mihi, non ſuſcipiam illud de manibus veſtris, nec placabor vobis, quoniam iniqui ſunt cœtus veſtri*. Multaque ſimilia quæ commemorare longum eſt. Sed opportunum judicavimus etiam glorioſiſſimi Martyris & Epiſcopi Cypriani, vel unum aut duo contra eos pro ſimili cauſa ſcripta proferre teſtimonia, quia diligenter cordis oculis conſiderata atque perſpecta animadvertet quiſquis corde intelligens eſt, ſi ultra novorum hæreticorum ſacrificia appetere debeat. Hinc namque in epiſtola pro ſancto Cornelio ſimiliter martyre & Epiſcopo urbis Romæ, quem Novatianus hæreticus expulerat, & ſe loco ejus, ſicut & nunc a novellis hæreticis factum eſt, ſubrogaverat, ad Magnum ſcripta poſt alia dicit: " Si autem grex unus eſt, quomodo poteſt gregi adnumerari qui in numero gregis non eſt? Aut paſtor haberi quomodo poteſt, qui manente vero Paſtore, & in Eccleſia Domini " ordinate ſuccedente ac præſidente, nemini " ipſe ſuccedens & a ſeipſo incipiens, alienus fit & prophanus, Dominicæ pacis ac divinæ unitatis inimicus, non habitans in domo Dei, id eſt in Eccleſia Dei, in qua non niſi concordes atque unanimes habitant? Denique quam ſit inſeparabile unitatis ſacramentum, & quam ſine ſpe ſint, & perditionem ſibi maximam de indignatione Dei adquirant qui ſchiſma faciunt, & relicto Epiſcopo alium " ſibi Pſeudoepiſcopum conſtituunt " . . . . Quod ſi aliquis illud opponit, ut dicat eamdem Novatianum legem tenere, quam Catholica Eccleſia tenet, & eodem Symbolo quo & nos baptizare, eumdem noſſe Deum Patrem, eumdem Filium Chriſtum, eumdem Spiritum-ſanctum; ſciat qui hoc opponendum putat, hoc adjuvare tales non poſſe. Nam & Chore, & Dathan, & Abiron, cum Sacerdote Aaron & Moyſe eumdem Deum noverant, pari Lege & Religione viventes, unum & verum Deum qui colendus atque invocandus fuerat invocabant: tamen quia loci ſui miniſterium tranſgreſſi contra Aaron Sacerdotem, qui Sacerdotium legitimum dignatione

Iſai. 1. 13.

" In hoc Cypriani teſtimonio Facundus aliqua prætermittit, verba etiam mutat.

" Cypr. ordinatione ſuccidanea præſidente

" redundat, ipſe.

" Cypr. ſibi foris.

" quæ hic deſunt vide ſis apud Cypr. Ep. 76.

A

Dei atque ordinatione perceperat, ſacrificandi ſibi licentiam vindicaverunt, divinitus percuſſi, pœnas ſtatim pro illicitis conatibus rependerunt, nec potuerunt rata eſſe & proficere ſacrificia irreligioſe & illicite contra jus divinæ diſpoſitionis oblata. Quare qui Novatiano, ſive cæteris hujuſmodi patrocinantur, fruſtra contendunt. Atque ut magis intelligi poſſet contra hujuſmodi audaciam, quæ ſit cenſura divina, invenimus in tali facinore non ſolum duces & authores, ſed & participes pœnis deſtinari, niſi ſe a communione malorum ſeparaverint, præcipiente per Moyſen Domino, & dicente, *Separamini a tabernaculis hominum iſtorum duriſſimorum; & nolite tangere ab omnibus quæ ſunt eis, ne ſimul pereatis in peccato eorum*. Et quod comminatus per Moyſen Dominus fuerat, implevit: ut quiſquis ſe a Core,

B

& Dathan, & Abiron non ſeparaſſet, pœnas ſtatim pro impia communione perſolveret. Quo exemplo oſtenditur & probatur, obnoxios omnes & culpæ & pœnæ " qui ſe ſchiſmaticis contra Præpoſitos & Sacerdotes Dei irreligioſa temeritate miſcuerint, ſicut etiam per Oſeam Prophetam Spiritus-ſanctus conteſtatur, & dicit: *Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui manducant ea, contaminabuntur*: docens ſcilicet & oſtendens omnes omnino cum authoribus ſupplicio conjungi qui fuerint eorum peccato contaminati. Quid hoc teſtimonio evidentius? Quid lucidius? Quid dici veracius poteſt?

C

Ecce enim omnes omnino pari reatu, parique pœna conſtrictos docet, quotquot fuerint malorum communione polluti. Quid ergo eſt, quod quidam quaſi ſe excuſantes dicunt; ipſe ſcit Epiſcopus meus ſi damnavit quempiam talibus comminetur, dicens: *Tu autem odiſti diſciplinam, & abjeciſti ſermones meos retro. Si videbas furem currebas ei, & cum adulteris portionem tuam ponebas*. Et infra manifeſtat & comprobat Paulus Apoſtolus morte dignos eſſe, & ad pœnam venire non tantum illos qui male faciunt, ſed etiam eos qui talia agentibus conſentiunt, qui cum malis & peccatoribus, & pœnitentiam non agentibus illicita communicatione miſcentur, nocentium contactibus polluuntur, & dum junguntur in culpa, ſic nec in pœna ſeparantur. At iſti: ſed non conſentimus, inquiunt,

D

damnationi mortuorum. O intolerabile malum! O inauditum opprobrium! non conſentire quaſi verbis, damnationi dicunt, & conſentiunt operibus, quod deterius eſt, execrabili communioni, cum magis cumulatior maneat pœna eis qui & non ignorant veritatem, & tamen communicant veritatis inimicis. Si enim hæreſim fecerunt, ſicut docuimus, hi quibus communicatis, damnando vivos & mortuos, ſi ad hæreticos exierunt, faciendo quod Acephali voluerunt: hæretici profecto utriſque admiſſis remanſerunt. Quomodo ergo qui hæreticis communicant, hæreſis crimine teneri negabuntur? aut

E

qua fronte Catholicæ communicare ſibi videntur? An quia manufactas Eccleſias palatino ſuffulti ſuffragio depulſis Catholicis pervaſerunt; ideo vos fidem Catholicam, pacemque Chriſtianam in parietibus eſſe arbitramini? Si hoc opinamini, audite quod etiam Sanctus Hilarius Epiſcopus Confeſſor & Doctor egregius quibuſdam Epiſcopis tempore Conſtantii Imperatoris, quo ſic Ariani ſub nomine Pacis & Regis pervaſerant univerſas pene totius orbis locales Eccleſias, ſicut nunc Eutychiani ſive Acephali, de hac re ſcribat, poſt alia dicens: Oro vos, Epiſcopi, qui

Num. 16. 26

" futuros MS.

Oſee 9. 4.

Pſal. 49. 17.

Rom. 1. 32.

„ qui hoc eſſe vos creditis, quibuſnam ſuffragiis
„ ad prædicandum Evangelium Apoſtoli uſi ſunt?
„ quibus adjuti poteſtatibus Chriſtum prædicave-
„ runt, genteſque fere omnes omnes ex Idolis ad
„ Dominum tranſtulerunt? Anne aliquam ſibi aſ-
„ ſumebant e palatio dignitatem? Et infra? U-
„ num moneo, inquit, cavete Antichriſtum; ma-
„ le enim vos parietum amor cepit, male Eccle-
„ ſiam Dei in tectis ædificiiſque veneramini, male
„ ſub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum
„ eſt in his Antichriſtum eſſe ſeſſurum? montes mi-
„ hi & ſylvæ & lacus, & carceres, & voragines
„ ſunt tutiores. In his enim Prophetæ erant ma-
„ nentes, & ſpiritu Dei prophetabant. Hæc interim pro brevitate prolata ſufficiant teſtimonia: quoniam ſi amplius coacervare, vel ratiocinari vellemus, legentium forſitan memoriam oneraremus. Nunc jam illud quoque breviter commemorare debemus quod ex Beati Auguſtini opuſculis contra Donatiſtas ſcriptis objiciunt, dicentes: dixit S. Auguſtinus; Bona eſt pax, habete pacem: bona eſt unitas, diligite unitatem, non ſcindatur unitas. Sed hæc & talia egregii Doctoris teſtimonia, quantum eos ſupplodant, nos vero ſtabiliant, nequaquam perſpiciunt. Si enim iſti qui hæc contra ſe potius opponunt nolebant ſcindere unitatem; ſi nolebant bellum inferre Catholicæ Eccleſiæ, per quod pax violaretur, quod in ea invenerunt, hoc utique ſervare & viriliter cuſtodire, ſicut ſupra oſtenſum eſt, debuerunt. Quod autem illa, aut ab illa non acceperunt, tanquam vere noxium & lethale fugere, cavereque debuerunt. Nam habenda eſt pax ſecundum Apoſtolicam doctrinam cum omnibus ſi fieri poteſt hominibus, non tamen cum omnibus tenenda. Siquidem longe aliud ſit habere aliquid, aliud tenere. Non ſolum igitur cum Schiſmaticis & Hæreticis, ſed etiam cum Judæis carnalibus, atque Paganis habenda eſt pax. Sed illa profecto pax, per quam eos exoptamus & cupimus Deo acquirere, & veritati unitatique ſociare Catholicæ: propter quod etiam ut convertantur, ſecundum mandatum Dei pro eis oramus: non ſic tenenda ut ad illos nos exeamus, & quod illi ſunt hoc nos quoque efficiamur. Denique quod B. Auguſtinus dicebat & ſuadebat Donatiſtis; habere pacem, diligere unitatem, egregie ſatis & ſalubriter dicebat: ipſos enim cupiebat, quemadmodum & nos iſtos, damnato errore ſuo ad Catholicam redire, ſicut in multis Opuſculis contra eorum ſchiſma ſcriptis luculentiſſime edocet. Non ut ipſe, aut quiſquam Orthodoxorum relicta, quod abſit, Catholica, errori eorum communione ſacrilega miſceretur. Hoc & nos iſtis cum magna pace dicimus: Damnate errorem quem induxiſtis, auferte damnationis malum quod intuliſtis, per quod & hæretici facti, & hæreticorum fautores extitiſtis, & nobiſcum pacem habentes, & ſicut pridem tenentes, univerſos hæreticos confudiſtis, & Catholicæ vos unitati reddidiſtis. Quiſquis itaque hæc legis, eloquium noli quærere, ſed res, ponduſque veritatis diligenter intuere. Et ſi prævaricatorum communione pollutus non es, ora Deum, ut perſeveres. Si vero aut ignoranter aut violenter lapſus es, reparare ad Catholicam veritatem recurrendo feſtina, communionem ejus reſumendo: omnibus ſiquidem pœnitentibus promiſſa eſt venia. Nemo deſperatione frangatur. Nullus ſerpentinis deceptionibus ulterius irretiatur: quoniam ſicut tranſgreſſoribus, & impenitenti corde permanentibus ſempiternum cum Diabolo præparatum eſt ſupplicium; ſic a Domino Deo pactum ejus conſervantibus, & fidei Catholicæ fundamenta cuſtodientibus, novitateſque prophanas devitantibus, æternum & ſine fine reſervatum eſt præmium glorioſum.

BEATI
EUGENII
EPISCOPI TOLETANI
OPUSCULA.

QUIBUS INSERTI SUNT DRACONTII libelli duo ab Eugenio eodem olim recogniti.

Adjecta item aliorum aliquot veterum Scriptorum varia.

Edita a JACOBO SIRMONDO *Societatis Jeſu Presbytero anno* M. DC. XIX.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI
HENRICO BORBONIO
REGIS FILIO,
EPISCOPO METENSI.

*E*UGENII *Epiſcopi verſus dum tibi offero*, PRINCEPS ILLUSTRISSIME, *non ſum neſcius rudes illos atque impolitos, & craſſo ac ſoloce filo textos videri. Sed his tamen ſi verborum ornatum & numeros ſequioris ævi barbaries negavit, rerum ſententiarumque laudem non penitus eripuit. Nec vero ille ad te, nec ceteri, quibus ſtipatus venit, eo veniunt, ut oratoriæ, poeticæque artis exempla tradant: quorum tu alterum aptius, cumulatiuſque ex M. Tullio, cui aſſiduam das operam, perdiſces: alterum te Virgilius tuus docebit, quem felici jam memoria complexus es. At ſi te Chriſtianæ piæque mentis officia delectant, ſi moderati, ſi ſobrii, & caduca atque æterna recte dijudicantis animi documenta non ſpernis; animadvertes hic etiam ſub tenui palliolo latere ſapientiam; quæ ipſa plerumque in dictionis artiſque neglectu, velut gemma in centone, clarius micat. Eugenius certe tum alia e re multa, tum quid a Deo præcipue optandum ſit, ſtatim exponet: ad Dei laudes admirabilium ejus operum contemplatione ſubvehet Dracontius: perfectæ, abſolutæque virtutis partes omnes Severini Doctrina explicabit: homini, ubi a recto deflexerit, quid ſpei reliquum ſit, Confeſſione ſua Proſper oſtendet. Quæ omnia*, PRINCEPS ILLUSTRISSIME, *ſi ejuſmodi ſunt, ut ad regiam iſtam, ortuque & natalibus ſuis dignam indolem tuam excolendam aliquid conferre poſſe arbitreris: erit omnino, quod nobis itidem noſtræ hujus erga te obſervantiæ ſtudium recte atque ex animi ſententia poſitum gratulemur.*

ILLUSTRISSIMÆ ALTITUDINI TUÆ

Obſervantiſſimus

JACOBUS SIRMONDUS
SOCIETATIS JESU P.

INDEX EORUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

EUGENII JUNIORIS *Epiſcopi Toletani Epigrammata.* p. 609
DRACONTII HEXAEMERON. 629
Ejuſdem Epiſtola ad Theodoſium juniorem Auguſtum. 647
MARTINI *Epiſcopi Dumienſis quædam.* 653
COLUMBANI *Abbatis Epiſtola parænetica ad Hunaldum.* 655
SEVERINI *Epiſcopi Doctrina, ex Bibliotheca Regia, & Monaſterii* * *Theologienſis.* 659
TIRONIS PROSPERI *Aquitani Confeſſio, ex Vaticana.* 663

* Nunc Tholeia, Cœnobium Ord. S. Bened. ad Sarram. fluv. in finibus Lothearingiæ & diœceſis Trevirenſis.

B. EUGENII VITA.

Ex Ildefonſo de Viris illuſtribus, cap. ultimo.

EUGENIUS alter poſt priorem Pontifex ſubrogatur. Hic cum Eccleſiæ regiæ clericus eſſet egregius, vita monachi delectatus eſt. qui ſagaci ſuga urbem Cæſarauguſtanam petens, illic Martyrum ſepulcris inhæſit: ibique ſtudia ſapientiæ, & propoſitum monachi decenter incoluit. Unde principali violentia reductus, atque in Pontificatum adſcitus, vitam plus virtutum meritis, quam viribus egit. Fuit namque corpore tenuis, parvus robore: ſed valde ſerveſcens ſpiritus virtute. Studiorum bonorum vim perſequens, cantus paſſivis uſibus vitiatos melodiæ cognitione correxit: officiorum remiſſos ordines, curamque diſcrevit. Scripſit de S. Trinitate libellum, & eloquio nitidum, & rei veritate perſpicuum. Qui Libyæ, Orientiſque partibus mitti quantocius poterat, niſi procellis reſultantia freta incertum pavidis iter viatoribus diſtuliſſent. Scripſit & duos libellos: unum diverſi carminis metro, alterum diverſi operis proſa concretos: qui ad multorum induſtriam, ejus ex hoc tenaciter ſanctam valuerunt commendare memoriam. LIBELLOS QUOQUE Dracontii de creatione mundi conſcriptos, quos antiquitas protulerat vitiatos, ea quæ inconvenientia reperit ſubtrahendo, immutando, vel meliora conjiciendo, ita in pulcritudinis formam coegit, ut pulcriores de artificis corrigentis, quam de manu proceſſiſſe videantur auctoris. Et quia de die ſeptimo idem Dracontius omnimodo reticendo, ſemiplenum opus viſus eſt reliquiſſe, iſte & ſex dierum recapitulationem ſingulis verſibus renotavit; & de die ſeptimo quæ illi viſa ſunt eleganter dicta ſubjunxit. Clarus habitus fuit temporibus Chindaſvindi & Receſvindi regum, fere annis duodecim tenens dignitatem ſimul & gloriam Sacerdotis. Sicque poſt lucis mundialis occaſum in Baſilica S. Leocadiæ tenet habitationem ſepulcri.

DRACONTIUS compoſuit heroicis verſibus Hexaemeron creationis mundi, & luculenter quod compoſuit, ſcripſit. *Iſidorus Hiſpal. cap.* 24.

De MARTINO DUMIENSI *Gregor. Turon. cap.* 41. *Iſidorus de Script. Eccleſ. cap.* 22. *Sigebertus, cap.* 19. *&* 117.

De COLUMBANO, ſi quidem is eſt Abbas Luxovienſis qui initio ſeptimi ſæculi floruit, *Sigebertus cap.* 60. *Videſis & Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti Sæc.* II. *quæ Joan. Mabillonius edidit anno* M. DC. LXIX.

De PROSPERO *Vide Sirmondi Hiſt. prædeſt. cap.* v. *item notas ad Sidonii epiſt.* xv. *lib.* VIII.

B. EUGENII JUNIORIS EPISCOPI TOLETANI OPUSCULA.

PRÆFATIO.

Obliquum noſtræ viſum qui figis opellæ,
Si mihi rite placet, quæ tibi cura manet?
Quamvis rancidulum rugata fronte ſuſurres,
Non pavet Eugenius, non pavet Eugenius.
Nil valet infelix naſutas fingere ſannas,
Atque animum cœptis triſtificare bonis.
Invide jam ceſſa, jam ceſſa perfide, ceſſa:
Prodeſt hoc animæ ſat mihi crede tuæ.
Quod ſi livor adeſt, & adhuc te concutit, audi:
Nec nobis noceas, nec tibi proficias.
At tu qui noſtras tranquillo pectore nugas
Perlegis, & blande ruſtica verba foves:
Sis vita locuples, & Chriſti munere dives,
Nec metuas libris æmula flabra tuis.
Præſens incolumi tranſcurras tempore ſæclum,
Et faveat jugis pax tibi, paxque tuis.

I.

ORATIO AD DEUM.

Rex Deus, immenſi quo conſtat machina mundi,
Quod miſer Eugenius poſco, tu perfice clemens.
Sit mihi recta fides, & falſis obvia ſectis:
Sit mihi præcipue morum correctio præſens.
Sim carus, verax, humilis, cum tempore prudens,
Secreti tacitus, & linguæ famine cautus.
Da fidum ſocium, da fixum ſemper amicum,
Da blandum, ſobrium, parcum, caſtumque miniſtrum.
Non me pauperies cruciet, aut languor obuncet.
Sit comes alma ſalus, & ſufficientia victus.
Abſint divitiæ, faſtus, & jurgia litis,
Invidia, & luxus, & ventris penſio turpis.
Crimine nec lædam quemquam, nec crimine lædar.
Sic bene velle queam, quo pravum poſſe recedat.
Nil turpe cupiam, faciam, vel proloquar unquam.
Te mens deſideret, lingua canat, actio promat.
Da pater altitonans undoſum fletibus imbrem,
Quo valeam lacrymis culparum ſolvere moles.
Da precor auxilium, poſſim quo vincere mundum,
Et vitæ ſtadium placido percurrere paſſu.
Cumque ſuprema dies mortis patefecerit urnam.
Concede veniam, cui tollit culpa coronam.

II.

COMMONITIO MORTALITATIS HUMANÆ.

O Mortalis homo, mortis reminiſcere caſus,
Nil pecude diſtas, ſi tantum proſpera captas.
Omnia quæ cernis vanarum gaudia rerum,
Umbra velut tenuis veloci fine recedunt.
Præcave non felix ne te, dum neſcis, & audes,
Quaſſans præcipiti diſſolvat turbine finis.
Porrige poſcenti victum, vel contege nudum,
Et te poſt obitum ſic talia facta beabunt.
Dilige pauperiem, mordaces effuge gazas:

Nam reddunt cupidis poſt carnis dulcia flammas,
Quamvis perſpicuus auro gemmiſque niteſcas,
Pauper & exiguus ibis & nudus ad umbras,
Id ſolum tecum poſt moris fata manebit.
Quod bene, quod recte, quod juſte feceris ipſe.

III.

DE MENTIS HUMANÆ MUTABILITATE.

NEſcia mens noſtra fixum ſervare tenorem,
Nolumus & volumus, non unum ſemper amamus.
Diſplicet ante placens, atque olim complacet horrens,
Nunc rectum ſequimur, nunc pravum corde tenemus:
Nunc ſancti caſtique ſumus, nunc ſcorta fovemus:
Nunc pollent ſobria, nunc marcent ebria corda.
Semper in ambiguo volvuntur pectora curſu.
Quid jam plura loquar? quot lucent ſidera cæli,
Quot punctis horæ, quot currunt ſæcla momentis,
Tot noſtram faciem mutat ſententia formis.

IV.

DE BONO PACIS.

QUi cupis infectum ſemper vitare chelydrum,
Cordis ab effectu pace repelle dolum.
Mens pace rutilat, quæ Chriſtum pectore geſtat:
Quæ pacem ſpernit, hæc furibunda perit.
Pax animæ vita, pax virtus, paxque medela,
Pax ordo rerum, pax bonitatis amor.
Pax feſſis requies, pax denique certa laboris,
Pax blanda ſociat, pax bona conciliat.
Pax lites reprimit, pax gaudia tota remulcet,
Pax pia corda regit, pax mala cuncta fugat.
Pax pia ſumma Deus peccatis præmia præſtat,
Jurgantes perimit pax pia ſumma Deus.

V.

CONTRA EBRIETATEM.

QUi cupis eſſe bonus, & vis dinoſcere verum,
Ut mortis ſocium, ſic mordax effuge vinum.
Nulla febris hominum major, quam vitens humor
Immodice ſumptus: vincit letale venenum,
Sontior eſt igni, viroſo ſontior angue.
Quantum vina nocent, non tantum vipera lædit.
Inde tremor membris, inde eſt oblivio mentis,
Et greſſus poplite nutans, & viſio fallax.
Surdeſcunt aures, balbutit denique lingua,
Perdens eloquium profundit ſemilatratum.
Dic mihi, dic, ebrie, vivíſne an morte gravaris?
Pallidus ecce jaces, & nunc ſine mente quieſcis,
Ægra quies oculos letali pondere clauſit,
Non bona, non mala, non dura, non mollia ſentis.
Hoc tantum diſtas a fati ſorte ſepulto,
Quod tenuis miſeros ſubpungit anhelitus artus.

VI.

CONTRA CRAPULAM.

PRopenſe ſtomachum qui farcit dape ciborum,
Viſcera craſſa vehit, ſed macra corda gerit.
Decreſcit ſenſu, grandeſcit corporis auctu,
Carnea fit moles membra caduca ferens.
Gutturis arvina fauces anguſtat obeſas,
Et perdit liquidos vox male rauca ſonos.

Cuncta

Cuncta ſoporiſluo marceſcunt oſſa tepore ;
Ambulat & ſtertit, nec vigilare valet.
Qui cupit ergo ſuam doctrinis creſcere mentem ,
Caſtiget ventrem , tunc homo doctus erit.

VII.

DE BASILICA SANCTORUM decem & octo Martyrum.

INcolit hoc templum ſat felix turba piorum ,
Quorum promeruit ſors benedicta polum.
Hic montes ſacros virtutum culmine celſos ,
Unica ter ſenos continet urna viros.
Fumea cœnoſi liquerunt gaudia mundi ,
Proque fide Domini membra dedere neci.
Hic etiam compar meritis Encratia martyr
Sorte ſepulcrali diſſociata jacet.
Hujus inexhauſtum teſtantur ſancta triumphum
Palla cruore rubens , ſecta papilla fibris.
Nomina ſanctorum ſi mavis noſſe virorum ,
Edicet curſim ſubdita ſumma tibi.
Sed quia cuncta ſimul metrum non ſuſcipit unum ;
Accipe diverſis hæc variata metris.
Quintilianus adeſt , Eventius, atque Caſſianus,
Felix , Lupercus , Januariuſque.
Julius , Urbanus , Apodemius , inde Primitivus ,
Optatus , Publius , Cæcilianus.
Hic Succeſſus ineſt , hic Matutinus habetur ,
Ecce Fauſtus, ecce Fronto, poſtque Martialis.
Hæc tibi turba potens concedat proſpera , Lector ,
Et veniam præſtet hæc tibi turba potens.

VIII.

DE BASILICA S. VINCENTII IN CÆSERAUGUSTA, ubi dicitur cruor ejus effluxiſſe.

MActe decus proprium Vincenti Martyr alumne,
Unica ſpes nobis macte decus proprium.
Purpureus niveum meruiſti ſanguine cælum.
Et ſequeris agnum purpureus niveum.
Paſſio ſacra tuum provexit ad æthera nomen ,
Conſervet populum paſſio ſacra tuum.
Hic jacet ille cruor , quem das pro corpore pignus ,
Nare fluente tuus hic jacet ille cruor.
Hic tua nunc tunica quod Chriſti fimbria præſtat ;
Tactu nam ſalvat hic tua nunc tunica.
Hic veniam culpa mereantur, vota favorem ,
Gaudia ſumma ferat qui petit hic veniam.

IX.

DE BASILICA S. ÆMILIANI.

QUem mæror, quem culpa premit, quem denique morbi
Tabida vis vexat , aut valitudo quatit.
Huc feſtinus agat devoto pectore curſum ,
Anxia deponens proſpera cuncta geret.
Certa ſalus ægris , ſpes & tutela miſellis.
Et pater & genetrix Æmilianus adeſt.
Hujus ad imperium diſpulſus pectora dæmon
Tenta diu linquit, quæ retinere nequit.
Hic claudis greſſus dantur, & lumina cæcis,
Reddit & incolumem lepra repulſa cutem.
Vita redit functis, & languor pellitur omnis,
Servit ad obſequium mox reparata ſalus.
Hic ſua ſigna Deus reſpectans creſcere gaudet,
Geſtit & athletam mirificare ſuum.
Quiſque precator ades, fidenter poſcere noris ,

Impos namque redit qui dubitanter adit.
Cumque precum murmur te propter fuderis intus,
Et gemitum toto prompſeris ex animo:
Eugenium, quæſo, propius adjunge querelis:
Sic culpis veniam promereare tuis.

X.

IN BASILICA S. FELICIS QUÆ EST IN TUTANESIO.

ECce domus Domini quæ ducit ad atria cæli,
Cordibus afflictis huc properate viri.
Gaudia pro luctu referet, lætuſque redibit,
Fuderit hic triſtis qui lacrymando preces.
Quatuor in titulis conſtat hæc janua templi,
Sed prima Felix culmina ſanctus habet.
Hic feſſis requies, hic victus manat egenis,
Hic ſacrum monachis extat ovile piis.
Hoc opus Ætherius cara cum conjuge fecit,
Cui nomen olim Teudeſuinta fuit.
Quiſque precator ades, horum memorare benigne:
Sic pater omnipotens ſit memor ipſe tui.

XI.

QUERIMONIA ÆGRITUDINIS PROPRIÆ.

VÆ mihi, væ miſero, qui ſemper feſſus anhelo,
Et fractus animo languida membra traho.
Morbus adeſt jugis, deſunt fomenta ſalutis,
Hinc dolor oſſa terit, cor pavor inde quatit.
Omnia quæ proſunt validis, ſunt noxia nobis,
Dum ſtomachus tenuis viſcera læſa gerit.
Frigida me lædunt, nec ſemper fervida proſunt,
Dum male corpus habet, nec mea vita placet.
Da Chriſte quæſo veniam, da Chriſte medelam,
Nam tædet animum tot mala ferre ſimul.

XII.

LAMENTUM DE ADVENTU PROPRIÆ SENECTUTIS.

IMpia jam miſerum me captat curva ſenectus,
Inde dolore novo carmina mæſta cano.
Fletibus ecce rigo roranti vertice malas,
Et lacrymoſa petunt murmura noſtro polum.
Ante tamen noſtris ipſa pandetur Iambis,
Quam noceat morbis intoleranda ſuis.

Crudelis ætas, o ſenectus improba,
Quæ cuncta pulcra fauce ſæva devoras,
Rictu voraci nigra pandis guttura,
Mortale germen ut noverca ſaucias,
Et ſauciatum mortis enſe perforas.
Te proximante robur omne deficit,
Salus recedit, ægritudo provenit,
Senſus hebeſcunt, pulchritudo deperit,
Tabeſcit ægrum pectus in ſuſpiriis,
Gaudere tædet, ejulare complacet.
Tu frangis oſſa, membra rugis aſperas,
Comas recidis, atque canos inſeris,
Dentes retundis, muculentos efficis,
Tremore fœdo corpus omne ſuccutis,
Febres minaris, & dolores ingeris.
Per te podagra dura gignit tubera,
Anhela tuſſis expuit putriflua,
Cutem perurit vulnerum profuſio,
Potus cibique nulla delectatio,
Lamenta ſola conferunt ſolatium.
Hæc tædioſa mente dum recogito,
Libet relictis omnibus quæ tranſeunt,
Deum timere, ſempiterna quærere,

Terrena lucra deputare pulverem,
Orare ſemper, atque flendo dicere,
Abite peſſum vana mundi gaudia,
Opes caducæ, luculenta prædia,
Faſces, honores, blandimenta noxia.
Jam finis inſtat, & ruina proxima,
Jam mors cruenta noſtra pulſat limina.

O mors omnivorax, ad te nunc verto querelam:
Cur miſerum ſequeris? cur properando venis?
Tu facis ut rapido volvantur tempora curſu,
Accelerentque ſuos fata cruenta gradus.
Quum tu deproperas, tunc vitæ gaudia ceſſant,
Umbra pavenda venit, lux radiata fugit.
Omnia vitali privantur viſcera motu,
Clauduntur oculi, garrula lingua tacet.
Surdeſcunt patulæ tunſis anfractibus aures,
Naribus occluſis non odor ullus adeſt.
Non ſpirat pulmo flabris vitalibus auras,
Frigida membra rigent, nec cruor ipſe calet.
Tabe fluunt carnes, corrodunt omnia vermes,
Sic ſpecies hominis fit putrefacta cinis.
Multa pavenda quidem cecini, ſeu multa tremenda,
Sed mage quid verear nunc lacrymando loquar.
Judicis altithroni jam triſtis cerno tribunal,
Cujus ad intuitum cuncta creata tremunt.
Subſternit niveas cælorum turba coronas,
Et titubante genu proruit ante thronum.
Cernere ſic ambit Dominum, ſic ſemper amare,
Ut pulſet animum mixtus amore timor.
Quid faciet ergo vermis, putredo, favilla,
Si Chriſti faciem corda beata pavent?
Oppreſſi, rapui, nudavi, crimina finxi,
Pauperis ad vocem mens mea ſurda fuit.
Corrupi proprium laſcivo vulnere corpus,
Hic miſer hinc pavidus hinc tremulentus eo.
Nulla meas unquam venia compeſcuit iras,
Nec ſine felle furens, nec ſine cæde fui.
Inde pavet animus ſimiles ne perferat ictus,
Aut pæna laceret quæ ſine fine nocet.
Nam licet hic modico patrentur tempore probra,
Longa tamen animam poſt male flamma cremat.
Talia dum rite paveo, dum corde tremeſco,
Te te, ſumme Deus, pro pietate peto.
Te ſine nemo valet peccati tollere labem,
Aut mentem vitiis emaculare ſuis.
Dimitte culpam miſero, dimitte reatum,
Effice poſt lapſum, poſt mala tanta bonum.
Parce precor animæ pulſanti, parce petenti,
Quæ flammas metuit, dum ſua facta gemit.
Gaudia tu ſanctis, tu reddis præmia juſtis,
Eugenii miſeri ſit rogo pæna levis.

Noſſe quicumque cupis, aut requiris
Quæ mei cauſa fuerit laboris,
Hujus ut vitæ mala funerarem,
Diſce benigne.
Dum quaterdenos ſimul & novenos
Vita non felix agitaret annos,
Dumque me pigra peteret ſenectus
Præpete curſu:
Accidit laſſo gravis ægritudo,
Quæ fere mortis minitaret ictum,
Ac diu feſſa cruciaret acri
Membra dolore.
Febris incerta terebrabat oſſa,
Languida mortis caro defluebat,
Nulla quaſſatum recreabat eſca,
Potio nulla.
Tanta me crebro mala dum ferirent,
Mortis horrendæ trepidus pavore.
Labilem currum fugentis ævi
Carmine prompſi.

XIII.

EJUSDEM METRO TROCHAICO de brevitate hujus vitæ.

CRiminum mole gravatus, & reatu ſautius,
Carmen inſonare nitor luctuoſis queſtibus,
Lacrymis ora madeſcunt, verberantur pectora,
Mundus ecce natus æger, & ruinam nuntiat,
Tempora grata fugantur, ingeruntur peſſima.
Omnia mala propinquant, & bona prætervolant;
Eugeni miſelle plora, languor inſtat improbus,
Vita tranſit, finis urget, ira pendet cælitus.
Januam pulſat ut intret mortis ecce nuntius.
Cur inique concupiſcis falſa mundi gaudia?
Cur caduca non relinquis, curris ad perennia?
Dum petis tantilla lucra, dona perdis maxima,
Dic, miſer, futurum in luctu quod tibi ſolatium?
Nil boni portabis illic, quo recedat ultio.
Pœna te cremabit ardens, anxiabit ſpiritus.
Nemo te, miſelle, credet, nemo conſolabitur,
Non parentes, aut propinqui, non ſodales optimi,
Cuncta te procul abibunt, quæ amaſti dulciter.
Corrige crudelis actu, terge noxam fletibus.
Sit tibi pro pane luctus. lacrymæ pro gaudio.
Pande Chriſto probra cordis ejulando fletibus.
O Deus bonum perenne, ſemper exorabilis,
Cerne fletum profluentem de medullis intimis.
Vincla criminum reſolve, pone finem lacrymis,
Nolo me pater Averni manceps incendio,
Flamma quo jugis aduret membra citra terminum.
Hic repende quod meremur, ſit quies poſt tranſitum.
O genus mortale, mecum lacrymas effundite,
Pauperi præbete victum, parce Chriſto dicite,
Forſitan iram refrænat, donat indulgentiam.

XIV.

B. EUGENII EPISCOPI TOLETANI Epitaphium proprium.

E *EXcipe, Chriſte potens, diſcretam corpore mentem,* M
U *Ut poſſim picei pœnam vitare baratri.* I
G *Grandis ineſt culpa, ſed tu pietate redundas,* S
E *Elue probra, pater, & vitæ crimina tolle.* E
N *Non ſim pro meritis ſanctorum cœtibus exul.* L
I *Judice te proſit ſanctum vidiſſe tribunal.* L
U *Vis, Lector, uno qui ſim dinoſcere verſu?* U
S *Signa priora lege, mox ultima noſſe valebis.* S

XV.

ITEM ALIUD.

QUi me de nihilo formaſti, conditor alme,
Tu pius in tumulo tu mea membra fove.
En cinis ad cinerem redii, vitamque peregi,
Sed putres cineres tu reparare vales.
Aſcendat, o Chriſte potens, poſt fata peracta
Eugenius dextra latus ad aſtra via.

XVI.

ITEM ALIUD.

SPes mihi, ſumme Deus, quod functus morte reſurgam,
Nec jam poſt tumulum ſic moriturus ero.
Sed quia mortalis nunquam ſine crimine vixi,
Eugenii miſeri tu miſerere pie.

XVII.

DOMNI EVANTII.

N Nobilis & magno virtutum culmine celſe, E
I Ingens conſiliis, & dextræ belliger actu, U
C Care mihi genitor, & vita carior ipſa A
H Hoc nati pietas offert poſt funera carmen, N
O Offerre incolumi quod mors infanda vetavit. T
L Lux tibi ſumma Dei, nec non & gratia Chriſti, I
A Adſit perpetuo, nec deſit temporis uſu, U
O Omnipotenſque tuis non reddat debita culpis. S

XVIII.

PACIS REDINTEGRATIO.

Gaudia præpetibus concurrunt undique votis,
Et geſtit animum pax recreare meum.
Viveſcunt ſenſus bello liteque repreſſi,
Et redit ad primum mens lacerata modum.
Creſcit amore ſalus, procul o procul eſte dolores,
Nam juſſit refugos jam ſtabilire Deus.
At tu perverſe Dæmon, & peſtifer anguis,
Nil prodeſſe tibi nunc peritura dole.
Non tua præda ſumus, quamvis pia pectora rixis
Punxeris ad modicum, non tua præda ſumus.
Sic ſemper rapidis vaneſcas tabidus auris,
Et nos in Chriſto ſic tueatur amor.

XIX.

HEPTAMETRUM DE PRIMORDIO MUNDI.

Primus in orbe dies lucis primordia ſumpſit,
Alter ſplendifluis cælum firmavit in oris,
Tertius undivagum mare dat cum germine terræ,
Quartus habet Phœbum, Lunamque, & ſidera cæli,
Quintus plumigeras volucres, piſceſque natantes,
Sextus quadrupedes, reptans, homineſque ſagaces,
Septimus eſt Domino requies his rite peractis.

XX.

MONOSTICA DE DECEM PLAGIS ÆGYPTI.

Prima plaga Ægypti lymphas in ſanguine vertit,
Altera ranarum crepitum, tabemque creavit,
Tertia mordaces culices de pulvere movit,
Quarta dedit muſcas ictu ſonituque pavendas,
Quinta quoque morte damnat animantia cuncta,
Sexta putreſcenti veſicas vulnere patrat,
Septima fulmineum murmur cum grandine vibrat,
Octava frugi nocuas frondique locuſtas,
Nona parat piceas tactu palpante tenebras,
Ultima, quæ decima, prolis primordia truncat.

XXI.

DE INVENTORIBUS LITERARUM.

Moyſes primus Hebræas exaravit literas,
Mente Phœnices ſagaci condiderunt Atticas;
Quas Latini ſcriptitamus edidit Nicoſtrata,
Abraham Syras, & idem repperit Chaldaicas,
Iſis arte non minori protulit Ægyptias,
* Gulfila prompſit Getarum quas videmus ultimas.

* Qui ab aliis Wlphilas dicitur.

XXII.

DE ANIMANTIBUS AMBIGENIS.

HÆc ſunt ambigena, quæ nnptu diſpare conſtant.
Burdonem ſonipes generat commixtus aſellæ,
Mulus ab Areadieis, & equina matre creatur.
Tityrus ex ovibus oritur hieorque parente,
Muſmonem eapra verveno ſemine gignit,
Apris atque ſue ſetoſus naſcitur Ibris,
At Lupus & catula formant coeundo Lyciſcam.

XXIII.

AD JOHANNEM.

O Jo verſiculos nexos quia deſpicis hannes,
Excipe di ſollers ſi noſti jungere viſos.
Cerne ca paſcentes dumoſo in litore melos,
Et por triticea verrentes germina cellos.
At ſitibunda petunt lympharum pocula menta,
Atque bu glandiferæ recubant ſub tegmine bulci.
Nunc pas lanigeras dueunt ad paſcua tores,
Ei fœ conſumunt fraudantes munera turæ.
Pro tibi ut noſtro veniat ex carmine fectus,
Inſtar Lueilii eogor diſrumpere verſus.

XXIV.

AD EUSICIUM PRESBYTERUM.

SAnctorum meritis claro, ſemperque beato,
    Euſicio Eugenius vilis & exiguus.
Accipe conſcriptos plebeio carmine verſus,
    Quos dat dilecti pagina mæſta tibi.
Cara mihi veſtros advexit epiſtola queſtus,
    Et me triſtifico perculit inde ſono.
Oblitum te namque gemis vileſcere nobis,
    Inque meo vultum corde periſſe tuum.
Crede meis verbis, nam fas eſt credere nobis,
    Credere nempe licet, eum dubitare nocet.
Teſtor namque Deum, Sanctorum nomina teſtor,
    Affectum veſtri non tepuiſſe mihi.
Ante polus ſolis & Lunæ luee carebit,
    Quam ſim conſpectus immemor ipſe tui.
Ante quoque noſtro diſcedet pectore vita,
    Quam veſtræ mentis dulcis amicitia.
Volvent puncta dies, volventur menſibus anni,
    Semper in ore meo nomen amorque tuus.
En quia deprompſit affectum pagina noſtrum,
    Dilige me nimium, dilige me nimium.
Obſequio cordis perſolvens jura ſalutis,
    Hinc precor ut miſeri ſis memor alme tui.
Chriſtus ubique tuis concedat proſpera votis,
    Et parcat culpis Chriſtus ubique meis.

XXV.

AD QUENDAM FAMILIAREM.

SÆpe tuam placide cupio quia noſſe ſalutem,
    Idcirco noſtrum percipe lætus Ave.
Ac ne longiſluo grandeſcat epiſtola tractu,
    Quod poſſum breviter, dulcis amice, Vale.

XXVI.

ITEM AD EUNDEM.

Immenſas Domino laudes, grateſque rependi,
Quod miſſa incolumem te mihi charta dedit.
Inde ſalutigerum devoto pectore carmen
Mittimus, & caro dicimus ore Vale.

XXVII.

ITEM AD EUNDEM.

Multa ſalus nobis, ſi ſunt tibi dona ſalutis:
At tu ſoſpes ave, tu ſine fine vale.

XXVIII.

VERSUS DE TEMPORE.

Quinque trahit volvens annorum tempora Luſtrum,
Quatuor ex annis numerus finitur Olympi,
Nam tribus impletis Trieterica ſolvere mos eſt.

XXIX.

VERSUS SUPRA LECTUM.

Imperat omnipotens, procul o procul effuge dæmon,
Ne fraude noſtrum poſſis adire torum.
Ne ſomnos turbes, ne mortis vincla miniſtres,
Ne fallas animum ſordibus ipſe meum.

XXX.

VERSUS DE ESTATE.

Dura quod gignit & amara cunctis,
Tempus æſtivum reſonare cogor,
Sapphico triſti modulante verſu,
Omnia paſſus.
Nunc polus Phœbi nimio calore
Æſtibus flagrat, fluvioſque ſiccat,
Intonat triſtis, jaculanſque vibrat
Fulmina dira.
Ingruit imber inimicus arvis,
Flore nam ſuevit ſpoliare vites:
Spem quoque frugum populat nivoſis
Grando lapillis.
Bufo nunc turget, & amica ſylvis
Vipera lædit, gelidusque ſerpens,
Scorpius ictu jugulat, paritque
Stellio peſtem.
Muſca nunc ſævit, piceaque blatta,
Et culex mordax, olidusque cimex,
Suetus in nocte vigilare pulex
Corpora pungit.
Tollat hæc monſtra Deus imprecanti.
Pelle languorem, tribue quietem,
Ut queam gratas placido ſopore
Carpere noctes.

XXXI.

DE MORTE CONJUGIS CHINDASUINDI REGIS.

SI dare pro morte gemmas licuiſſet & aurum,
Nulla mibi poterant regum diſſolvere vitam.
Sed quia ſors una cuncta mortalia quaſſat,
Nec pretium redimit reges, nec fletus egentes.
Hinc ego te, conjux, quia vincere fata nequivi,
Funere perfunctam ſanctis commendo tuendam.
Ut cum flamma vorax veniet comburere terras,
Cœtibus ipſorum merito ſociata reſurgas.
Et nunc cara mibi jam Reciverga valeto,
Quodque paro feretrum rex Cindaſuintus, amato.
Annorum breviter reſtat edicere ſummam,
Qua tenuit vitam, ſimul & connubia noſtra.
Fœdera conjugii ſeptem fere duxit in annos,
Undecies binis ævum cum menſibus octo.

DRACONTII LIBELLI
A BEATO EUGENIO
JUSSU REGIS EMENDATI.

Eugenii Epiſtola ad Chindaſuintum Regem.

Inclyto, glorioſo rerum domino Chindaſuinto, Principi ſummo, & maximo Regum, Eugenius veſtrorum fidelium ſervulus.

CLementiæ veſtræ juſſis, ſereniſſime Princeps, plus volvendo deſerviens, quam valendo, Dracontii cujuſdam libellos multis videns erroribus involutos, Chriſto Domino tribuente valorem, pro tenuitate mei ſenſuli ſubcorrexi. Hoc videlicet moderamine cuſtodito, quo ſuperflua demerem, ſemiplena ſupplerem, fracta conſtabilirem, & crebro repetita mutarem. Verſiculi ſane, quos huic operi detrahendos eſſe putavi, & ſenſu tepidi, & verbis illepidi, & nulla probantur ratione ſubnixi: nec in eis aliquid reperitur, quo lectoris animus animetur, aut mulceatur doctus, aut doceatur indoctus. Et quoniam de die ſeptimo præfatus auctor omnino reticuit, ſemum mihi opuſculum videbatur, ſi non inde aliquid in hoc codiculo haberetur. Idcirco in fine libelli, quamvis pedeſtri ſermone, ſex dierum recapitulationem ſingulis verſiculis, quos olim condidi, denotavi: de die vero ſeptimo quæ viſa ſunt dicenda ſubnexui: decretumque divale, ac ſi non ut volui, velut valui conſummavi. implorans veſtri ſolii prælargiſſimam pietatem, ut vile ſervuli fidelis oblatum veſtra ſibi gloria efficere dignetur acceptum: fiatque mihi miſero repenſio fructuoſa laboris, placida reſpectus veſtri contributa gratia vel favoris.

PRÆFATIO.

PRincipis inſignem faciem viſure libelle,
Cujus ad imperium meruiſti ſorde carere,
Et capere nitidam longo poſt tempore pallam:
Cœperis ut limen aulæ regalis adire,
Atque auro rutilo radiantem cernere ſedem,
Incipe quamprimum largas perſolvere grates,
Errorum quod nube carens correctus haberis:
Dein proſtratus humi veniam depoſce precatu,
Latoriſque tui ſollers patronus adeſto,
Ignoſcat placidus, ignoſcat mente benignus,
Quod te ſordidulum dum conor rite lavare,
Asperius impreſſa manus tenuando polivit.
At ſi de plebe quiſquam livore peruſtus
Dixerit, & quis eſt veterum qui carmina mutat?
Scribit qui levibus epigrammata vana libellis?
Noverit hoc ipſe, quod nuſquam culpa putatur,
Quam non velle videt, ſed major juſſio cogit.
Denique juſſa bona dum promulgantur agenda.
Qui complet ſapiens, qui vult contemnere demens.

Quod ſi Virgilius, & vatum ſummus Homerus,
Cenſuram meruere novam poſt facta ſubire,
Quam dat Ariſtarchus, Tucca Variuſque, Probuſque,
Cur dedignetur, quod juſſus Principe magno,
Parvula præparvi Draconti carmina libri,
Parvulus Eugenius nugarum mole piavi ?

DRACONTII HEXAEMERON.

Prima die lux eſt terris, mors una tenebris,
Lux datur ante polum, lux clari cauſa diei,
Lux jubar æthereum, lux noctis times & umbra,
Lux facies rebus cunctis, & lux elementis,
Lux genitis factiſque calor, lux gratia ſolis,
Lux decus aſtrorum, lux aurea cornua lunæ,
Lux fulgor cœli, lux & primordia mundi,
Lux ſplendor flammæ, lux magni temporis index,
Lux opus auctoris primum, candorque pudoris,
Lux honor agricolis, requies lux omnibus ægris,
Lux ævi meta, lux quæ dat tempora metis,
Qua bene conſtructa mundi primordia lucent.
Clarus ubique Deus, nunquam mutabilis auctor,
Quem non obſcurant quæcumque ex parte tenebræ;
Nec celantur ei quæcumque obſcura geruntur.
Principium factis lucem dat lucis origo,
Qua mundo vita præmiſſa eſt principe luce,
Quæ totum præceſſit opus quod continet orbis,
Quæ ſolis prævenit iter, lumenque coruſcum,
Cujus juſſit ope clareſcere cuncta creata.
Altera quippe dies cœli convexa meretur,
Et ſupra cœlos ingentia flumina dantur,
Ac dominatur aqua glomeratis fontibus alma,
Ignibus æthereis cœleſti ſede locatis.
Unda beata nimis, meruit quæ tecta polorum
Celſa favore Dei, juſſu ſuſpenſa Tonantis.
Limitibus contenta ſuis elementa morantur,
Nec flammas reſtinguit aqua, glaciemve teporat
Flammeus ignis aquæ. ſervant ſub lege tenorem
Incorrupta ſuum, non impugnata viciſſim,
Non diſcreta quidem, ſed nec permixta morantur.
Tertia cæruleum ponti lux edidit æquor,
Fluctibus immenſis pelagi freta glauca liqueſcunt,
Et mare navigerum quatitur ſpumantibus undis.
Ipſa dies terram meruit de fluctibus auctam.
Eruitur terra vaſto demerſa profundo,
Et ſolidante globo gravior per inane pependit.
Suſtentant ſolidam fluidis radicibus undæ,
Quam molles portant ceu fundamenta liquores.
Arida materies rapitur de corde fluenti.
Nondum mater humus: cujus pars ſolvit arenam,
In glebas pars membra ligat, pars ſaxea turget,
Cautibus extat montis apex, pars flumina mergit,
Planitie pars tenſa jacet, pars litora curvat,
Pars datur in tumulos: pars aſpera rupibus horret,
Pars riget inculta, reſidet pars valle profunda,
Et colles tumidi cumulis juga celſa ſupinant,
Atque humiles campos ſpatiis æqualibus aptant,
Pars data dulcifluis undantis fontibus agri.
Promitur herba virens, it ſurculus omnis in auras;
Et ſemper veſtita comis frondeſcit oliva.
Omnia poma virens profert, non parturit arbor,
Linguæ laurus honos ſolvit donanda poetis.
Torta per obliquos it vitis in orbe corymbos,
Verberat & palmæ calamos fluitante flagello:
Vinea pampineos ſubarundinat ebria campos,
Munera lætitiæ ſpondens pendentibus uvis,
Fructibus & variis redolent florentia rura.
Una parens tellus non unum fundit odorem:
Sed quot ſunt herbæ, tot permiſcentur odores.
India tunc primum generans pigmenta per herbas
Eduxit ſub ſole novo, rudibuſque racemis.
Eſt locus interea diffundens quatuor amnes,

Floribus ambroſiis gemmato ceſpite pictus,
Plenus odoriferis nunquam marcentibus herbis,
Hortus in orbe Dei cunctis felicior hortis.
Fructus ineſt anni, cum tempora neſciat anni.
Illic floret humus ſemper ſub vere perenni,
Arboreis hinc inde comis veſtitur amœnis.
Frondibus intextis ramorum murus opacus
Stringitur, atque omni pendent ex arbore fructus,
Et paſſim per prata jacent. non Solis anhelis
Flammatur radiis, quatitur nec flatibus ullis;
Nec conjuratis furit illic turbo procellis.
Non glacies diſtricta domat, non grandinis ictus
Verberat, aut gelidis caneſcunt prata pruinis.
Sunt ibi ſed placiti fructus, quos mollior aura
Edidit exurgens nitidis de fontibus horti.
Arboribus movet illa comas de flamine molli,
Frondibus impulſis immobilis umbra vagatur.
Fluctuat omne nemus, & nutant pendula poma.
Ver ibi perpetuum communes temperat auras,
Ne lædat flores, & ut omnia poma coquantur.
Non apibus labor eſt ceris formare cicutas,
Nectaris atherei ſudant ex arbore mella,
Et pendent foliis jam pocula blanda futura,
Pendet & optatæ vivax medicina ſalutis.
Cætera depingit variis natura figuris.
Auroram jam quarta dies præmiſerat undis,
Et rutilante polo compreſſerat aſtra rubore:
Mox ſolis radiare globum jubet igne ſalutis.
Flamma ſalutaris perfundit lumine mundum,
Cuncta ſalutifero rident elementa vapore.
Cujus ab igne ſuo lunam jubet ire ſecundam,
Nigra tenebrarum corrumpere tempora noctis,
Et trepidam proferre diem comitante quiete.
Candida ſomnigeris perluſtrat cornibus axem,
Quæ numero eſt majore brevis, & plena minore,
Flammeus ornatus cœli per ſidera fulſit,
Officia ſtellis, numeros, & nomina juſſit:
Tempora diſtribuit, loca contulit, ignibus egit,
Limitibus fixit, jubar induit, axe rotavit,
Curſibus aptavit, cœli regionibus addit:
Agminis innumeri nec flammea ſidera cœlum
Deſtituunt quocumque die, ſed luce premuntur
Luminis immenſi radiato vertice Phœbi.
Nec mirum ſi clara latent ſub ſole coruſco
Sidera, quo mundum monſtrat menſura minorem.
Qui fovet igne pio cœlum, mare, ſidera, terras:
Conceptum virtute Dei quem ſphæra polorum
Suſtinet, & ſentit Dominum per cuncta tonantem:
Cujus ab imperio veniunt quæcumque miniſtrat.
Omnia juſſus agit, totum ſub lege laborat,
Miles & ipſe Dei, cum lunam & ſidera cuncta
Oſtentat, ſub vere novo, ſub tempore primo,
Sub tirone die veterana in ſæcla paratus.
Addit quinta dies animalia cuncta profundi.
In corpus ſolidantur aquæ, nervique ligantur.
Muſculus humor erat, fluctus dureſcit in oſſa,
Atque oculi gemmantur aquis humore gelato,
Et quot ſunt fluctus, tot forſan in æquore piſces.
Luſerunt fluido per cærula vaſta natatu,
Et criſpante freto perflabant naribus undas:
Terrigenis factura cibos poſt cuncta creandis.
Exilit inde volans gens plumea læta per auras,
Acra concutiens pennis crepitante volatu,
Et puto collaudant Dominum meruiſſe creari.
Hæ niveo candore nitent, has purpura veſtit,
His croceus plumæ color eſt, has aureus ornat,
Albentes aliis pennæ ſolidantur ocellis,
Atque hyacinthus adeſt per colla & pectora fulgens:
Eminet his criſtatus apex, has lingua decorat,
Has virides pennæ reddunt, has diſcolor ornat
Multa per innumeras currens pictura volucres.
Et levibus tenuem ſubtexunt acra plumis.
Ipſa dies folium ramis, & floribus herbas,

Evomit, & ſpicis acuit ſeges omnis ariſtas.
Sylva comis veſtita viret, nidoſque loquaces
Exhibet, & varias decantat garrula voces.
Cum vagabunda volat commotis plauſibus ales,
Frondibus inſidens vento cum fronde movetur,
Unguibus ad ramos infixa tenacibus hærens.
Pennigerum vernare nemus vapor urget in uſus
Pignoris, & molli dureſcunt ova tepore.
Pennantur tunc membra globis, animantur, anhelant,
Rumpuntur, confracta ſonant, nutrita volatus
Tentant, & rudibus librantur in aera pennis.
Sed cum diſcordent inter ſe elementa coacta,
Fœtibus eductis concordant unda vel ignis:
Unda creat volucres, producit flamma volucres.
Pabula montis erant, ſed non qui paſceret herbas
Affuit: intactæ ſenuiſſent floribus herbæ,
Ni paſcenda daret tellus jumenta per agros.
Sexta dies Phœbi rutilo proceſſerat ortu,
Cum natura parens gignit animantia terris.
Cornibus erumpunt armata fronte juvenci,
Et per prata vagos ſequitur ſua bucula tauros.
Cervus in arva fugax palmatis cornibus errat,
Et velox prorumpit equus, pecus utile bellis.
Impia terribiles producit terra leones.
Simplicitas ovium fraudes paſſura luporum,
Et raucos timuit diſcurrens dama moloſſos,
Spumat aper, mortes lunato dente minatur,
Et latus obliquans meditatur prælia torvus,
Ac maxilla ferox duros deſævit in armos,
Audacter certans ſpumantia bella movere.
Gignitur omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Inter prata vagum nullo cuſtode per herbas.
Inſtar montis habens incedit beſtia mole.
Promitur anguis hians, quatiens ſub dente venenum,
Et maculoſa repit ſquamis per viſcera ſerpens,
Atra venena nocens miſſura e flatibus oris,
Et ſubito ſparſura graves per ſibila mortes,
Atque eadem membris impertitura medelas.
Sed ne cuncta ſimul paſſim permixta fuiſſent,
Diſtribuit loca certa Deus, & tempora fixit.
Tempore non uno veniunt quæ ſæva vocantur,
Non ſemper movet arma leo, nec ſcorpius ictum
Semper habet, nec ſemper agit fera vipera morſus,
Nec ſemper tollunt ad vulnera colla ceraſtæ.
Non ſemper furit unda maris, non ſemper adurit
Solis ubique calor: pro tempore temperat ignes,
Pro regione plaga contemperat unda vaporem,
Et modo bellantes flutus freta pigra jacebunt.
Ipſe polus, qui grande tonat, ſine nube ſerenus
Jam tacet, & puro redeunt ſua lumina cœlo.
Multa locis data ſunt variis diſperſa per orbem.
Arida vipereos angues ſuſcepit arena,
Humida ſortitur tellus fera colla leonum:
India cum gemmis & eburnea monſtra minatur,
Bellua divinos inter generatur odores,
Ambroſiaſque ſapit male frangens beſtia meſſes,
Incertuſque color tigris per mille colores
Montibus Hyrcanis venit, atque effœta marito
Mittitur, ut vincat currens orbata procellas.
Cornibus erectis ſortita eſt Africa damas,
Concava ſuſcipiunt per montes ſaxa dracones.
Cætera diſtribuit diverſis ſemina terris:
Plurima conjunxit, ſed ceſpite multa diremit.
Munera præterea funduntur divitis auri:
Protulit eximias illuſtrior India gemmas,
Producunt niveos & litora rubra lapillos,
Flammantes virideſque tulit Babylonia cruſtas,
Perſida nobilitat pretioſis litora gemmis,
Frigidus & roſeo carbunculus ardet honore.
Seres fila trahunt nullo ſub pollice ducta,
Balſama Cæſareos plorant virgulta per agros,
Et nimis ambroſium lacrymæ dant munus odores,
Cinnamon interior profert Phœnicia tellus,

Solis amica nimis: nam non de ſole peruſta
Hæc nardi flores, hæc portio fundit amomum.
Omnibus his genitis, animal rationis amicum.
Formatur virtute Dei, limatur in artus.
Ut dominator eat moderatior omnibus unus
Naturæ juſſu quæ protulit omnia princeps.
Aſt hominem non terra parit, non pontus ab undis,
Non cælum, non aſtra creant, non purior aër:
Sed dominatorum dominator ſummus, & auctor,
Limavit per membra virum de pulvere factum.
Limus adhuc deformis erat: membratur in artus
Corporea ſpecies hominis, cæleſtis imago:
Conſpicitur nova forma viri, ſine mente parumper,
Spiritus infuſus ſubito per membra cucurrit,
Et calefacta rubens tenuit præcordia ſanguis.
Mox rubuere genæ, totos rubor inficit artus:
Jam cutis eſt qui pulvis erat, jam terra medullas
Oſſibus includit, ſurgunt in meſſe capilli,
Orbe micant gemino geminantia lumina viſu,
Et vocem compago dedit nova machina ſurgens,
Auctorem laudare ſuum gaviſa quod eſſet.
Tunc oculos per cuncta jacit: miratur amœnum
Sic florere locum, ſic puros fontibus amnes
Quattuor undifluo ſtringentes gurgite ripas,
Ire per arboreos ſaltus, campoſque virentes.
Miratur ſe quid ſit homo, quos factus ad uſus.
Scire cupit, ſimplex & non habet unde requirat,
Quo merito ſibimet data ſit poſſeſſio mundi,
Atque æterna domus nemoris per florea rura.
Parva procul ſpectat virides jumenta per agros:
Hac de re tacitus volvitque & corde requirit,
Vel quare ſecum non ſint hæc ipſa volutat:
Nam conſorte carens, cum quo conferret, egebat.
Viderat omnipotens hæc illum corde moventem,
Et miſeratus ait: Demus ſolatia facto,
Participem generis. tanquam ſi diceret auctor,
Non ſolum decet eſſe virum, conſortia blanda
Noverit, uxor erit cujus tamen iſte maritus
Conjugium ſe quiſque vocet, dulcedo recurrat
Cordibus innocuis, & ſint ſibi pignus uterque,
Velle pares, & nolle pares, ſtans una voluntas,
Pars animi concors, paribus decurrere votis,
Ambo ſibi requies cordis, ſint ambo fideles,
Et quicumque datur caſus, ſit cauſa duorum.
Nec mora, jam venit alta quies, oculoſque ſupinat
Somnus, & in dulcem ſolvuntur membra ſoporem:
Sed cum jure Deus nullo prohibente valeret
Demere particulam, de quo prius ipſe pararat:
Attamen ablata juveni ne coſta doleret,
Redderet & triſtem ſubito, quem lædere nollet:
Fur opifex vult eſſe ſuus. nam poſſet alumnam
Pulvere de ſimili princeps formare puellam.
Sed quo plenus amor toto de corde veniret,
Noſcere in uxore voluit ſua membra maritum.
Dividitur contexta cutis, ſubducitur una
Senſim coſta viro, ſed mox reditura marito.
Nam juvenis de parte brevi formatur adulta
Virgo, decora, rudis, matura tumentibus annis,
Conjugii ſoboliſque capax, quibus apta probatur,
Et ſine lacte pio creſcit infantia pubes.
Excutitur ſomno juvenis, videt ipſe puellam
Ante oculos aſtare ſuos, pater inde maritus,
Non tantum ex coitu genitor, ſed conjugis auctor:
Somnus erat partus, conceptus ſemine nullo,
Materiem ſopita quies produxit amoris,
Affectuſque novo blandi genuere ſopores.
Conſtitit ante oculos nullo velamine tecta,
Corpore nuda ſimul niveo, ceu Nympha profundi.
Cæſaries intonſa comis, gena pulchra rubore,
Omnia pulchra gerens, oculos, os, colla, manuſque:
Ut qualem poſſent digiti formare Tonantis,
Neſcia mens illis fieri quæ cauſa fuiſſet.
Tunc Deus & princeps ambos conjunxit in unum,

*Et remeat ſua coſta viro, ſua membra recepit:
Accipit & fœnus, cum non ſit debitor ullus.
His datur omnis humus, & quicquid juſſa creavit,
Aeris & pelagi fœtus, elementa duorum
Arbitrio commiſſa manent, his Creſcite dixit
Omnipotens, replete ſolum de ſemine veſtro,
Sanguinis ingeniti natos nutrite nepotes,
Et de prole novos iterum reparate jugales.
Dumque fretum terra, dum cælum ſublevat aer;
Dum ſolis micat axe jubar, dum luna tenebras
Diſſipat, & puro lucent mea ſidera cælo,
Sumere quicquid habent pomaria noſtra licebit,
Deliciæque fluent vobis, & honeſta voluptas:
Arboris unius tantum neſcite ſaporem.
Dixerat iſta Deus, ſanxit natura, quod inquit
Omnipotens, migrare diem, diſcedere ſolem,
Nec lucem remeare putat terrena propago,
Subductiſque nigris collucet luna tenebris,
Sidera cuncta notant cælo radiare ſereno.
Aſt ubi purpureum ſurgentem ex æquore cernunt
Luciferum vibrare jubar, flammaſque ciere,
Et reducem ſuper aſtra diem de ſole rubentem,
Mox revocata fovent heſterna in gaudia mentes,
Temporis & requiem noſcentes, luce diurna
Cœperunt ſperare diem, ridere tenebras.
Tot bona facta Deus non obliviſcitur unquam,
Quæ propter homines fecit, ſanxitque manere.
His Dominus pietatis opem ſubducere non vult,
Projicere nec plaſma ſuum vult conditor ævi,
Eſſe nihil prorſus ſe præter ubique rogandum,
Et niſi ſubveniat, ſuccurens non erit ullus.
Inde malo bonus eſt homini Deus, omnibus auctor,
Ipſe opifex, dominus, rector, dux, arbiter, index;
Continua bonitate pius, virtute modeſtus,
Simplicitate bonus, & culmine celſior omni.
Ibant per flores, & tota roſaria læti
Inter odoratas meſſes, lucoſque virentes,
Simpliciter pecudum ritu, vel more ferarum,
Corporibus nudis, & neſcia corda pudoris.
Quæ pars membrorum ſecretior eſſet habenda,
Unde rudes ſcirent, quid moribus eſſet honeſtum?
Quod digitos oculoſque putant, hoc membra pudenda.
Publica jungebant affectibus oſcula paſſim,
Nec rubor ullus erat: cum ſtaret origo pudoris,
Illicitumque ſibi prorſus nihil eſſe putabant,
Et bene credebant, quibus omnia juſſit ad uſum,
Arboris unius fructus ſub lege negato.
Vomere non tellus, non raſtris juſſa domari,
Quærere nec ſudor fructus quocunque labore
Cogitur, aut campos aliquo de fonte rigare.
Imbriferis ſemper pluviis abſentibus uber
Ceſpe, & arbitrio creſcit fœtura marito.
Præterea ſolis datus eſt locus ille duobus,
Deliciis hominum tantum conſtructus opacis.
Non placidas ſuſtentat aves, non ore cruentas;
Unguibus armatas neſcit perferre volucres:
Omne genus pecudum, neſcit genus omne ferarum.
Solus ibi irrepſit ſquamoſo corpore ſerpens,
Fraudibus imbutus mortis, caput omne malorum,
Pectore vipereo mellitum ex ore venenum
Funereo ſub dente parans ſpumante palato.
Ergo ubi livor edax contuſum dente venenum
Invidiæ mordacis habens ſub fronte modeſta,
Quærit opem ſceleris, per quam fallatur honeſtas,
Simplicitaſque cadat, vel credula corda reatus
Incurrant non fraude ſua, ſed clade perenni.
Fortia corda viri non expugnanda per anguem
Præſenſit pietatis inops: ſed conjugis aures
Aggreditur ſub voce pia, ſermone maligno
Inſidioſus adit heu mollia corda puellæ,
Ingerit ore cibos crudeli funere plenos.
His ſimul aſſumptis reſerantur lumina cordis,
Ac permixta bonis patuit doctrina malorum.*

Pœnituit neſciſſe dapes, & damna putantur
Temporis exacta ſpatia. procedere pejus
Auſum quippe nefas. tentat ſeducta maritum,
Et capit inſontem jam noxia fœmina victum,
Circumventa perit, ſed circumſcripta fefelit.
Nec circumſcripta ſerpens impune triumphat.
Nam poſtquam juvenis violata mente comedit
Funereos ſine lege cibos in morte futurus,
Mox ſapit infelix quid pravum, quid ſit honeſtum,
Cognita ſimplicitas & mox eſt corde fugata.
Membra pudenda putat partem quæ eſt prolis origo,
Et qua ventris erat pridem digeſtio turpis.
Omnibus ex membris pars mundior ipſa putatur,
Noxia ſola magis fuerat quæ in corpore toto.
Os aditum mortis tunc protulit, atque rejecit
Lingua maliſuada, ſed & aures limina mortis.
Viderat omnipotens omnem didiciſſe pudorem,
Perdiderant quem fraude truci, dapibuſque comeſis,
Errantes per prata reos, foliiſque tegentes
Jam fœdos artus, dant agnita membra reatum,
Inlicitum licitum reputant, licitumque profecto
Creditur eſſe nefas. hos increpat ore tonanti
Sacrilegos, qui jura Dei calcando profanant.
Dum quærunt ullas foliis vel rupe latebras:
Hinc magis obtunſi, quod credunt poſſe latere
Tunc quodcumque Deum, cui cuncta creata pateſcunt.
Et merito quia cuncta facit fecitque jubendo,
Non fugit artificem, calidos quæ maſſa caminos
Suſtineat, rubigo latens quæ viſcera ferri
Conrodat, quæ miſſa ſemel fornace liqueſcat.
Hic non deſoſſa prodit tellure metalla,
Promittens ſaxis, & non de pulvere gemmas.
Scit quibus immittat mordaces fluctibus hamos,
Retibus aut piſces fallat ſcrutator aquarum,
Et male venturas ſpondet ſibi nauta procellas.
Si pluvialis hyems, aut ſaxeus urgeat imber,
Non latet agricolam. ſub terris providus undæ
Promittit fontes deſignans arte ſaporem.
Inſpecta tellure ſemel ſine flatibus ullis,
Sibila dum reticent, necdum ſerpente notato,
Prædicit Pſyllus vim cujuſcumque veneni.
Signa videt medicus mortis, reduciſque ſalutis,
Et negat aut ſpondet victurum judice viſu,
Tædia lætitiæ, vel gaudia luctibus indens.
Cur exempla damus populi præſcire futura,
Cum teſtante Deo doceatur noſſe quod inſtat?
Natio viperea clamat, mortalibus inquit,
Signa poli noſtis, prædicitis imminet imber.
Et veniet, nec fallit hyems, nec tardat adeſſe.
Ecce genus hominum ventura ſcire probatur.
Nec mirum, Chriſti ſi ſentit imago futurum,
Cum nos venturum moneant animalia multa.
Ardea, rana, ſues, formicæ, corvus, hirundo
Prædicunt pluvias, nec jam præſagia fallunt.
Quid, res exanimes teſtas ardente lucerna
Scintillare oleum fungis creſcentibus ignem?
An Deus omnipotens poſſet neſcire latebras
Rupis, & ex foliis veſtis contexta caducis
Aſpectus obſtare Dei? tunc voce reatum,
Crimine femineo ſemet peccaſſe fatetur:
Infelix conjux in conjuge facta redundat,
Et reus excuſat, ſed non purgandus agebat,
Et ſic participem propter ſolatia cladis
Conſcius adſcivit ſocius: ceu femina poſſit
Ad ſcelus horrendum vel ſæva piacula mortis
Supplicio ſociante duos relevare reatu.
Credidit infelix: ſed par ſententia damnat,
Quos par culpa tenet. gradus illic temporis inter
Eſt tantum, nam cauſa ligat communis utrumque.
Exurgit cenſura Dei pietate ſevera,
Et vitæ mortiſque ſimul ſententia fertur.
Supplicium infelix, quo mors datur, atque negatur.
Ultio vitalis cohibetur limite mortis.

Pœna mori crudelis erat, ſed vivere pejus.
Ocia, delicias perdunt, diſcuntque labores,
Qui cultore Deo fructum telluris habebant,
Agricola dominus quam nondum verterat unquam:
Ipſe rigator erat, ſator, auctor, meſſor, arator.
Offendunt nunc ambo pium: truduntur ab horto
Perpetui floris, non eſt ſub jure reorum,
Et vitæ mors meta datur, cum fine malorum.
Magna Dei pietas, ſemper qui temperat iras.
Vita gravis hominum ſubducitur impete mortis;
Quæ recidiva magis vivaci corde reſurgit.
Mors mundanorum requies eſt certa laborum,
Et male viventi præſtatur fine ſalutis.
Continuans quodcumque nocet pravumque bonumque
Solus in æternum Deus eſt regnator & auctor,
Virtus una Deus, trinus Deus omnis & unus:
De quo ſperatum conceditur omne benignum,
Et quæcumque jubet, præſumptio nulla refellit,
Nec deeſt effectus faciendi tempore eodem.
Quem penes & ſenſus primordia multa loquuntur,
Et voce reticente ſonat ſuper æthera ſermo,
Ac mens pura Deum potius quam lingua precatur.
Ergo operis memor ipſe ſui, tunc imperat ambos
Sedibus egreſſos, placido dominentur ut orbi,
Ac totum quod mundus habet, ſub jure tenerent:
Et quod floret humus, viridis quod germinat herba,
Quod ſpicat meſſis, quod ramis parturit arbor,
Quod gemmant vites, quod amœna comantia frondent,
Flumina quod mittunt fontes, quod fluctuat amnis,
Quod pelagi trahit unda freti, quod litora tundunt,
Murmure quod venti flantes vaga marmora criſpant,
Quod generant terræ, quod flumina, pontus, & aer,
Uſibus humanis data ſunt hæc cuncta venire.
Ut ſimilis qui factus erat de pulvere Chriſto,
His dominaretur cunctis ſub carne creatis,
Corpora corporibus ſervirent cuncta ſubacta.
Spiritus interea ſervit ſine corpore ventus,
Ventus agit nubes, in nubile craſſior aer
Cogitur, hinc imbres veniunt, placidoſque ſerenus
Ventus alit fructus, & ventus ſpicat ariſtas,
Ventilat æſtivo quas flatu molior aura.
Deflorat fructus, & decutit arbore flores.
Fletibus accendit flammas, & temperat æſtus:
Flatibus alternis redeunt comitantia vitæ,
Itque reditque ſuos repetendo ſpiritus hauſtus,
Et duci vento fibræ pulmonis anhelant,
Faucibus excurrens in naribus aura viciſſim
Vitales recreat per membra tepentia ſenſus:
Atque modo gelidis, calidis nunc flatibus ora
Illuſtrata vigent, & tangunt flabra palatum.
Non hæc humanis tantum ſpiramina membris
Sunt data, ſed cunctis animantibus aura recurrit.
Spiritus ille Dei, quo corpora cuncta moventur,
Omnia complectens agitat, fovet, inſerit, urget:
Unde genus diverſa trahunt & ſemina rerum,
Mobilis immenſo veniens e fonte perenni.
Artificis formata manu digeſta moventur
Ordine cuncta ſuo, manet irrevocabile munus,
Nec tamen intereunt pereuntia lege diurna.
Quis neget undifluos procedere fontibus amnes,
Quorum jam reditus nunquam ſperavit origo?
Inceſſanter aquas licet evomat impete pleno,
Jacturam tamen unda negat ſentire fluenti.
Omnibus hic mos eſt de flammis tollere flammas,
Nec minuit quicquam detractus ab ignibus ignis.
Damna aliena ſolent aliorum lucra parare,
Hic quæſtus non damna parant. in fomite flammis
Detractis auferte jubar, ſucciditur ignis.
Nec carnale genus minuit fœtura creando,
Ecce dedit homini pluſquam ſibi rex Deus auctor,
Formatur virtute Dei mas unus & una,
Et multos creat unus homo, manſura propago
Maxima fit generis, quam parvula fundit origo.

Parva Deo fuerat ſuccedere cura peremptis,
Ni conſumpta daret poſt ſæcla reſurgere vitæ.
Sed ne ſit fixum, reditus non eſſe ſepultis
Cordibus, illorum qui legis ſancta profanant,
Annua conſpiciunt agris frumenta renaſci
Mortua per ſulcos terram findentis aratri:
Major & ex truncis ſurgit radicibus arbor,
Et foliis veſtita viret redeuntibus annis.
Pampinus uvifera vitis ſarmenta reveſtit,
Et geminata ſui redeunt virgulta ruboris.
Ambroſio reduces rumpuntur cortice fructus;
Et cui vita fugax, & par cum flore ſenectus,
Fit rediviva virens & crinibus herba renatis.
Ligna renaſcuntur redusi ſub germine cuncta:
Quæ nunc herba fuit, lignum jacet, herba futura.
Squameus exuitur ſtellato tegmine ſerpens,
Pelle renaſcenti, rurſus redeunte juventa,
Reptat hians anguis, per ſibila guttura pandens.
Frontibus arboreis amittunt cornua cervi,
Anguibus abſumptis, ſed mox palmata reſurgunt.
Aeria nudantur aves, cum penna vetuſta,
Et nova ſubveſtit reparatas pluma volucres.
Mortua præterea cæcorum lumina dudum
Nube tenebrarum diſcuſſa, luce recepta,
Ad viſus rediere ſuos, vultuſque ſepulti
Nocturnos perpeſſa dies oculatur imago.
Mortua pars hominis quoties pars una jacebat,
Funera viva gerens, vivax in morte cadaver:
Ac ſine morte tamen vitali morte perempta,
Et rediviva ſalus reduci per membra vapore
Naſcitur, & calidus repetit vitalia ſenſus,
Oſſa tenens, venaſque ciens, ſudanſque medullas.
Phœnicis exhauſtam renovat Deus igne juventam,
Combuſtuſque ſenex tumulo procedit adultus,
Conſumens dat membra rogus, ſine ſorte ſepulcri.
Ignibus extinctis, jam mortua flamma reſurgit,
Redditur ignis edax redivivo lumine candens,
Et ſcintilla volans incendia vaſta reducit,
Et quod fumus erat, ſtridet jubar ignis anheli,
Igne vago rutilatur apex, fax cætera lambit,
Et cælum repetens erecto crine vagatur.
Mortua nox ſub luce cadit, perit aurea luna,
Atque per aſcenſus & cornua colligit ignes,
Et dum cæca latet, reparato lumine fulget,
Mentiturque diem lux frigida ſolis imago.
Lucifero redeunte polo moriuntur & aſtra:
Nuncius auroræ ſubductus morte diurna
Lucifer, extinctas reficit per ſidera flammas,
Exhinc nocturnis jubar emicat igne coruſco.
Roſcida puniceum ſpargens aurora ruborem,
Ducit ubique diem periturum noctis ab umbris:
Et tamen hæc de ſole perit, quo miſſa rubebat.
Sol oculus cæli, famulus ſuper aſtra Tonantis,
Cujus ab immenſis langueſcunt ſidera flammis,
Ni gelidis animetur aquis per cærula ponti,
Occidit ipſe dies ſuper æquora ſole cadente:
Et quo demerſus, novus æquore mane reſurgit.
Veſpere nocturno hunc radiata luce rubentem
Purpureis abſcondit aquis, redditque diurne
Depoſitum natura ſuum ſub nocte ſepultum,
Mane reſurgentem de fluctibus orbe recepto.
Tot ſimul exemplis moniti, defuncta renaſci
Credamus virtute Dei, qua cuncta creavit.
Et generata vigent ſub nutritore Tonante.
Qui cum regna poli teneat ſtellantis, & alti,
Aera concludit, terram levat, æquora ſolvit,
Et totum capit una manus quod ſermo creavit:
Unus ubique Deus, dum juſſio rumperet una.
Qui tantum pius eſt, quantum decet omnipotentem,
Et nulla virtute minor, niſi verberis ira,
Sed votis & ſponte bonus, pietate & amore.
Quem mens pura juvat hominum, non victima ſupplex,
Ut ſe pœniteant ſceleris mala vota reorum,

Et nova ſuccedant animorum corda piorum.
Ille etenim Deus eſt, quem nulla retardat origo,
Cujus ab aſpectu montes & ſaxa fluiſcunt
In cineres, & pulvis erit, quem dura ligabant.
Qui viſa tellure, ſimul mox pondera mundi
Concutit, & ſubito monſtrat vaga terra tremorem,
Ac formidatos oſtendit pendula motus.
Alveus expavit violato vertice turgens,
Dum reduces ſentiret aquas, & ſiſteret amnem
Viſa Dei facies, & marmora glauca fugaret
Gurgitis æquorei, quo mundus cingitur omnis,
Et pelago ſpatiante fretis ac litoris æſtu.
Qui de theſauris ventorum flumina mittit,
Et frænat rabidas in tempeſtate procellas.
Grandinis atque nivis qui novit quæ ſit origo,
Qui dat fulmineos colliſis nubibus ignes,
Qui laxas abſcondit aquas, & continet imbres,
Qui ſcit quo nitidus cryſtallus ventre creatur,
Candida materies glacies imitatur aquarum.
Qui noctes hiemis producit ſole minore,
Et ſolis protendit iter flammantibus horis,
Qui Phœbi ſaltus ſtatuit, Lunaque labores,
Qui roſulis ſtellare nemus, vel floribus agros
Imperat autumni, qui dulcia poma ſaporat,
Et fragiles gemmis variat in vitibus uvas,
Ut cibus & potus ſint ubera dulcia muſti.
Qui dat corvorum pullis alimenta, facitque
Noverit ut vultur qua ſit regione cadaver,
Dux odor uſque ſagax quem mox invitat ad eſcam,
Præpetis aut aquilæ ſenio renovare juventam,
Quæ roſtro creſcente famem tolerabat obunco.
Qui paſcit quæcunque creat pietate parentis,
Vita certa ſalus per mille pericula mortis.
Debilibus virtus, opulentia major egenis,
Auxilium miſeris, ſpes & defenſio preſſis,
Feſſorum virtus, dans nutrimenta ſalutis.
Qui facit æternam ut mortalia lege latenti
Membra tegant animam, vento ſpirante loquaci:
Qui luna creſcente globo, jubet æquora creſcant
Fluctibus abjectis, creſcant cum fontibus amnes,
Creſcat & incluſum capite genus omne cerebri,
Et minuantur aquæ luna minuente liquores,
Ac decreſcenti decreſcant lege perenni.
Qui reges & regna domat, ſternitque potentes,
Dejicit elatos, & mergit ab arce ſuperbos,
Atque oppreſſores Deus opprimit, & pius ultor
Elevat eliſos, & conſolatur adactos
Luctibus & damnis, & vulnera ſæva dolentes.
Tu nobis, invicte Deus, pietate medelam
Impendis, cui cuncta ſalus medicamine nullo eſt,
Quod ſpecies terrena parat languoris ad æſtus.
Spes hominum cernens, & vota precantia complens,
Aſpice deſpectum, dejectum tolle parumper,
Confeſſumque juva, quem pœnitet eſſe nocentem,
Ut valeam narrare tuas hoc carmine laudes,
Quas potero: nam nemo valet narrare creatus
Vel modicum facientis opus, quod mens rea clamat
Pectore contuſo lacrymans, & voce fideli.
Obſes ſermo tuus noſtro nam corde tenetur,
Quo te promittis nimia pietate parentem.

DRACONTII LIBER II.

Ad Theodoſium juniorem Auguſtum.

Hoc ſequenti libello auctoris ſatisfactio continetur, qua ab omnipotente Deo veniam petit, ne præcedenti carmine aliquid incautus erraſſet. Dein Theudoſio juniori Auguſto precem defert, cur de triumphis illius eodem opere tacuiſſet.

Rex æterne Deus, auctor rectorque ſerenus,
Quem tremit omne ſolum, qui regis igne polum.
Sidera, flamma, dies, quem ſol, nox, luna fatentur
Auctorem, dominum ſæcula cuncta probant.
Omnia permutans, nullo mutabilis ævo,
Poſthac ſemper eris, qui es modo, vel fueris.
Nil confert demitque tibi tam longa vetuſtas:
Omnia tempus habent, nam tibi tempus abeſt.
Tu mentes hominum quamvis per ſingula ducis,
Effingiſque bonis candida corda viris.
Qui facis iratus homini contraria bella,
Propitiuſque jubes ut bona cuncta gerat.
Quicquid agunt homines, bona, proſpera, ſancta, modeſta,
Te faciente fiunt, quo bona cuncta fiunt.
E contra adverſa, probroſa, maligna, inhoneſta
Tu fieri pateris, qui mala nulla facis.
Hæc tua lex docuit Moyſe præſcripta notante,
Cum perduratum cor Pharaonis ait.
Sic me lingua, Deus, lingua patrante reatum,
Noxia culpa ligans traxit ad inlicita.
Ut qui facta Ducum poſſem narrare tuorum,
Unde mihi poſſent dona venire ſimul:
Præmia deſpicerem tacitis tot regibus almis,
Et peterem ſubito certa pericla miſer.
Quo niſi cæleſtis Domini conſpectus ad æthram,
Aſpera cuncta premunt, proſpera nulla juvant.
Iraſcente Deo membra mutantur & artus,
Vertuntur ſenſus, vertitur & ſpecies.
Perſarum regem, Babylonica regna tenentem,
Poſt decus imperii novimus eſſe bovem.
Tum diademalem turparunt cornua frontem,
Mugitus pecudis verba fuere Ducis.
Erravit per prata vagus mala gramina paſtus,
Et qui bos fuerat, de bove factus homo eſt.
Liquit & Antiſtes verus pater ille Joannis,
Elinguiſque fuit voce tacente ſilens.
Aſt ego peccando regi, Dominoque Deoque,
Pejor ſum factus deteriorque cane.
Vulnera vexati curat ſua lingua moloſſi:
Heu me! quippe mihi vulnera lingua dedit.
Sed qui reſtituit pecudis poſt membra tyrannum,
Ut fieret rediens in ſua regna bonus:
Quique reformavit taciti modulamina verbi,
Ut mutilata ſonos lingua ligata daret:
Ipſe meis parcet erratis, atque jubebit
Ut me reſpiciat reſtituatque pius.
Culpa quidem gravis eſt, venia ſed digna, reatus.
Quod ſine peccati crimine nemo fuit.
Nam Deus omnipotens potuit, dum conderet orbem,
Triſtibus amotis optima ſola dare.
Sed diverſa creans & diſcordantia, juſſit
Et bona mixta malis, & mala mixta bonis.
Sic elementa potens contraria miſcuit auctor,
Humida cum ſiccis, ignea cum gelidis.
Litera doctiloquax apibus cognata probatur,
Queis datur ut habeant vulnera mella ſimul.
Cera dat ingenium pueris, primordia ſenſus:
Inde fit ut præſtet litera, vel noceat.
Aſpis habet mortem, habet & medicamina ſerpens:
Vipera ſæpe juvat, vipera ſæpe nocet.
Cerva ſalutaris paſto ſerpente medela eſt:
Conficiunt, pellunt ipſa venena neces.

Materia ferri ſimplex & noxia conſtat:
Impius inde nocet, ruſticus inde placet.
Ipſa parit gemmas pretioſos terra lapillos:
Ipſa dat & vepres, ſpinea ligna, roſas.
Delicias morteſque parat mare fluctibus altum,
Et generat pelagi conchula divitias.
Aëra temperies auris vitalibus aptat,
Quæ corrupta dies corripit, atque animos.
Diras vel placidas retinet natura volucres:
Blanda columba avis eſt, aſpera vultur avis.
Nubibus aggeſtis pluviæ, nix, grando, pruina,
Gignuntur vicibus, ordine, lege poli.
Solis temperie ſpecies gratiſſima mundi;
Cuncta creanda parit, cuncta creata fovet.
Per quam fœtat humus flores, & meſſis ariſtas,
Sole peruſtus ager putris arena jacet.
Corpora ſol reficit radiis, & corpora vexat.
Solibus alternis itque reditque ſalus.
Omnia nec mala ſunt, nec ſunt bona ſidera cæli,
Lucifer hoc docuit, ſidus & hoc docuit.
Temperies cœli medium nec poſſidet orbem;
Nam de quinque plagis vix habet ipſa duas.
Quod cælum, quod terra, fretum, quod purior aer
Non meruere ſimul, hoc modo quando habet.
Culpa mihi fuerat Dominos reticere modeſtos,
Ignotumque mihi ſcribere nec Dominum.
Qualis & ingratos ſequitur, qui mente profana,
Cum dominum norint, idola vana colunt.
Iſraelitarum populum ſic culpa tenebat,
Quando oblita Deum plebs vitulum coluit.
Et tamen indulgens veniam poſcentibus auctor
Contulit, & legem poſt mala facta dedit.
Te precor, omnipotens, quem ſat decet eſſe benignum,
Et quem nulla juvat ultio, ſed venia:
Cujus ſancta manus ſuſtentat corda regentum,
Et pius inclinas mox ubicumque jubes.
Coram te primum me, carminis illius orſa
Quod male diſpoſui, pœnitet en fateor.
Poſt te, ſumme Deus, regi dominoque reus ſum,
Cujus ab imperio poſco gemens veniam.
Imperet armato pietas tua, proſpera mandet
Rex dominuſque meus ſemper ubique pius.
Nec mihi diſſimilis, quam quod ſolet omnibus eſſe,
Sit pietate ſua, ſit bonus & placidus.
Te nunc ſumme precor, magnorum maxime regum,
Pectore mente rogans, voce manuque petens.
Da dextram miſero, veniam concede fatenti,
Tempore tam longo non decet ira pium.
Nemo cadet de jure tuo ſub morte cruenta,
Scit ſe victurum qui volet eſſe tuus.
Sic leo terribilis fremit horridus ore cruento,
Unguibus excuſſis dente minante neces.
Acriter ardeſcit criſpato lumine ferri,
Et mora ſi fuerit, acrius inde furit.
At ſi venator trepidans venabula ponat,
Territus & jaceat, mox perit ira cadens.
Temnit prædo cibos, quos non facit ipſe cadaver:
*Ac ferus ignoſcit, ceu * atis accipiat.*
Et dat proſtrato veniam ſine vulnere victor,
Ore verecundo dejiciens oculos.
Sic tua, regnator, non impia frangitur ira,
Cum confeſſus erit crimina geſta reus.
Ignoſcendo pius nobis imitare tonantem,
Qui indulget culpis, & veniam tribuit.
Principis imperium ſimile eſt ad regna ſuperna,
Ut canit ad populos pagina ſancta Dei.
Sacrilegis referens cœleſtia jura catervis,
Vinctus Apoſtolica diſcipulaque manu.
Nonne Dei præcepta jubent ne ſol cadat intrans,
Iraſcente alio, ne malus exſtet homo.
Rex inimicorum populis mucrone pepercit
David, & ſceleris certus adulter erat.
Confeſſus facinus veniam pro clade meretur,

* ſ. ſatis.

Noxius impune vel ſine morte reus.
Inſuper & Salomon eadem muliere creatus,
Quæ ſcelus admiſit, munus honoris habet.
Non fuit hic Salomon caſta de conjuge natus,
Sed ſceleris fructus ſceptra paterna tenet.
Ecce quid impedit patris clementia parcens,
Ut ſibi regna daret, ut daret & ſoboli.
Ipſe inimicorum Salomon non colla popoſcit,
Cum peteret Dominum, ſed ſapientis opem.
Extitit hic prudens, quia noluit eſſe cruentus;
Pacificuſque fuit, conſiliique tenax.
Stephanus ante alios lapidum ſub grandine martyr
Hoſtibus orabat ſponte ſuis veniam.
Hæc bona ſimplicitas præſtat jejuna cruoris,
Vir ſine morte furens nil habet ipſe necis.
Cæſar ubique potens hoſti poſt bella pepercit,
Et quod erat pejus, civis & hoſtis erat.
Sponte facultatem retinens reparavit honores,
Inde vocatus abit dignus honore pater.
Cujus ab imperio ſurgens & origine Cæſar
Auguſtus meruit tempus habere pium.
Tempore namque eodem natus de virgine Chriſtus,
Cujus & emicuit ſtella per aſtra poli.
Dux princeps Romanus erat de Principe Titus,
Si non præſtaret, dicere ſæpe ſolens,
Perdidimus hac luce diem, ſi nulla dediſſet
Mox exoratus præſtita ſupplicibus.
Alter item Princeps modico ſermone probatur
Commodus Auguſtus vir pietate bonus.
Nobile præceptum rectores diſcite poſt me,
Sit bonus in vita qui volet eſſe Dei.
Ecce quid impedit homini clementia ſimplex;
Ut præſtet vitam, conferat atque animum.
Fama ducum mors eſt bellis collecta cruentis,
Ex quibus occurrit ſæpe reatus atrox.
Gloria bellorum ducibus, populiſque triumphus,
In commune datum dividit omnipotens.
Nam ducibus tantum præſtat clementia laudem,
Non habet hæc comitem, participemque negat.
Dicit, in arma ſimul fuimus cum Principe, miles,
Me pugnante Comes victor ab hoſte redit.
Nunquid ut ignoſcat rector, pars militis inſtat?
Soli, qui ignoſcit, gloria laudis erit.
Rex qui dat veniam ſubjecto, & temperat iras,
Pluſquam turba facit, qui ſuo corda domat.
Te Deus aſpiciens effundere nolle cruorem,
Ut ſine peccato, non ſine laude daret:
Contulit abſenti terræ pelagique triumphos,
** Anſila teſtatur, Maurus ubique jacet.*
Quod pereunt hoſtes, regis fortuna vocatur:
Quod pereunt populi temporis ordo gerit.
* * * * * * *
Tempora ſunt vitæ, tempora mortis erunt.
Sex ſunt ætates hominum cujuſque ſenecta,
Et diſtincta tenent tempora quæque ſua.
Nunquid adulterii ſtrepitus infantia ſimplex
Vindicat, aut fremitus pigra ſenecta gerit?
*Non * catulaſtra gerit puerilia: non puer audet*
Adtrectare tener Martia tela manu.
Non furit in Venerem nondum pubentibus annis,
Nec fœtum partus fœmina reddit anus.
Maturus tractat, gemit & tremebunda ſenectus
Neſcia fervoris vel levitatis inops.

* Vir doctus ſuſpicatur legendum *Attila*, quem Thraciæ imminentem pecunia Theodoſius avertit. *Theophanes in Chronographia ad an. Theodoſii junioris poſtremum.*
* Vox inſolens. forte catuli ſunt ex charta aut argilla, qualibus icunculis gaudent puerili, ſenſus autem erit, *pigra ſenecta*, ex verſu ſup. *non gerit &c.*

MONOSTICHA

RECAPITULATIONIS SEPTIMI DIEI,

a B. Eugenio, in fine libri Dracontii adjicienda.

Primus in orbe dies lucis primordia ſumpſit.
Alter ſplendifluis cœlum firmavit in oris.

Tertius undivagum mare dat, cum germine terra.
Quartus habet Phœbum, Lunamque, & ſidera cæli.
Quintus plumigeras volucres, piſceſque natantes.
Sextus quadrupedes, reptans, homineſque fugaces.
Septimus eſt Domino requies, his rite peractis.
Non quia cunctipotens humano more laboret
Actibus, aut feſſus quærat requieſcere tandem,
Qui ſemper requietus agit, facienſque quieſcit.
Sed quod ſacra quies typicis adoperta figuris
Multa gerat ſignis, & pandat myſtica nobis.
Dicta Dei requies, quod noſtra redemptio Chriſtus
In carne veniens, & carnis vincla reſolvens,
Hoc redeunte die felici morte quievit.
Dicta Dei requies, quod nos poſt mille labores
Solus ubique fovens in ſe requieſcere cogit:
Nec datur ulla quies miſeris, niſi ſuſcipit ipſe.
Dicta quoque eſt requies, mundana quod actio præſens
Poſt ſex ætates, quas mundus in ordine currit,
Otia percipiens æterna pace quieſcit.
Dicta quoque eſt requies, quæ nobis ultima ſors eſt.
Nam vitæ curſus mundanæ molis ad inſtar.
Sex ſunt ætates hominis, ſed ſeptima mors eſt.
Prima tenet ortum generis infantia ſimplex,
Altera deinde pueritia mollis habetur,
Tertia quæ ſequitur ipſa vocitatur adulta,
Quarta gerit virtutis opem ſpecioſa juventa,
Quinta ſenecta gravis ad ultima tempora vergens,
Sexta venit ſenium, quod vitæ terminat ævum.

Hæc tibi, Rex ſumme, juſſu compulſus herili
Servulus EUGENIUS *devota mente dicavit.*

BEATI MARTINI
DUMIENSIS EPISCOPI
VERSUS IN BASILICA.

Poſt Evangelicum biſſeni dogma ſenatus,
Quod regnum Chriſti toto jam perſonat orbe:
Poſtque ſacrum Pauli ſtylum, quo curia mundi
Victa ſuos tandem ſtupuit ſiluiſſe ſophiſtas,
Arctous, MARTINE, *tibi in extrema receſſus*
Panditur, inque via fidei patet in via tellus.
Virtutum ſignis, meritorum & laude tuorum,
Excitat affectum Chriſti Germania frigens,
Flagrat & accenſa divini ſpiritus igne,
Solvit ab infenſa ſtrictas Aquilone pruinas.
Immanes, variaſque pio ſub fœdere Chriſti
Adſciſcis gentes. Alamannus, Saxo, Toringus;
Pannonius, Rugus, Sclavus, Nara, Sarmata, Datus,
Oſtrogothus, Francus, Burgundio, Dacus, Alanus,
Te duce noſſe Deum gaudent. Tua ſigna Suevus
Admirans didicit fidei quo tramite pergat,
Devotuſque tuis meritis hæc atria claro
Culmine ſuſtollens, Chriſti venerabile templum
Conſtituit, quo clara vigens. MARTINE, *tuorum*
Gratia ſignorum votis te adeſſe precatur
Electum, propriumque tenet te Gallia gaudens,
Paſtorem, teneat Gallæcia tota patronum.

EJUSDEM IN REFECTORIO.

Non hic auratis ornantur prandia fulcris,
Aſſyrius murex nec tibi ſigma dedit.
Nec per multiplices abaco ſplendente cavernas
Ponentur nitidæ codicis arte dapes.
Nec ſcyphus hic dabitur, rutilo cui forte metallo
Cruſtatum ſtringat tortilis anſa latus.

Vina mihi non ſunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quæque Sarapteno palmite miſſa bibas.
Sed quidquid tenuis non complet copia menſæ,
Suppleat hoc petimus gratia plena tibi.

EPITAPHIUM EJUSDEM.

Pannoniis genitus, tranſcendens æquora vaſta,
Galliciæ in gremium divinis nutibus actus,
Confeſſor Martine, tua hac dicatur in aula:
Antiſtes cultum inſtituit, ritumque ſacrorum,
Teque, patrone, ſequens famulus Martinus eodem
Nomine, non merito, hic in Chriſti pace quieſco.

S. COLUMBANI ABBATIS
EPISTOLA.

C *Caſibus innumeris decurrunt tempora vitæ.*
O *Omnia prætereunt, menſes volvuntur, & anni.*
L *Labitur in ſenium momentis omnibus ætas.*
U *Ut tibi perpetuam liceat comprehendere vitam.*
M *Molles illecebras vitæ nunc ſperne caducæ.*
B *Blanda luxuria virtus ſuperatur honeſta.*
A *Ardet avaritia, cæcaque cupidine pectus.*
N *Neſcit habere modum vanis mens dedita curis.*
U *Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum.*
S *Summa quies nil velle ſupra quam poſtulat uſus.*
H *Hos ego verſiculos miſi tibi ſæpe legendos,*
U *Ut mea dicta tuis admittens auribus oro.*
N *Nec te decipiat vana & peritura voluptas.*
A *Aſpice quam brevis eſt procerum, regumque poteſtas.*
L *Lubrica mortalis cito tranſit gloria vitæ.*
D *Da veniam dictis, fuimus fortaſſe loquaces.*
O *Omne quod eſt nimium ſemper vitare memento.*

Suscipe * *quæſo libens, & perlege mente ſerena*
Dicta Columbani fida te voce monentis:
Quæ licet ornatu careant ſermonis honeſti,
Vota tamen mentiſque piæ teſtantur amorem.
Vive Deo fidens, Chriſti præcepta ſequendo,
Dum modo vita manet, dum tempora certa ſalutis.
Tempus & hora volat, momentis labitur ætas.
Deſpice quæ pereunt fugitiva gaudia vitæ:
Non fragiles ſceleris opes, & inania lucra,
Nec te ſollicitet circumflua copia rerum.
Sint tibi divitiæ divinæ dogmata legis,
Sanctorumque patrum caſtæ moderamina vitæ,
Omnia quæ dociles ſcripſerunt carmine vates.
Has cape divitias, ſemper contemne caducas,
In mentemque tibi veniat tremebunda ſenectus,
Quam gelidæ tandem ſequitur violentia mortis.
Ultima jam ſapiens meditatur tempora vitæ,
Torpentes ſenio vires, morboſque frequentes,
Incertumque diem lethi, certoſque dolores.
Multa ſenem fragilis vexant incommoda carnis.
Nam macie turpi tabeſcunt languida membra.
Tunc genuum junctura riget, venaſque per omnes
Illius in toto frigeſcit corpore ſanguis.
Sic baculo nitens artus ſuſtentat inertes.
Quid triſtes memorem gemitus? quid tædia mentis?
Somnus abeſt oculis, illum ſonus excitat omnis.
Quid tunc argenti, fulvi quid proderit auri
Improba congeries multos collecta per annos?
Munera quid procerum? ditis quid prandia menſæ?
Quid meminiſſe juvat tranſactæ gaudia vitæ,
Venerit extremi tandem cum terminus ævi?
Hæc dum vita volat vigili qui mente retractat,
Spernit avaritiam, vanoſque refutat honores.
Quid modo terrenis mentes intendere curis

* Edit. Caniſii *Suſcipe Hunalde.* Patrum Biblioth. Lug. *Suſcipe Sethe.*

Mortales cupiunt? quid turpia lucra ſequuntur?
Semper avarus eget nummo, teſtante poeta,
Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit,
Indiget inter opes, nec habet quod habere videtur.
Ille domi ſolus nummos abſcondit in arca,
Divitias cumulans, dum ſeſe neſcit amare,
Plus amat hæredem, ſervat qui cuncta fidelis.
O nimium felix, parcus cui ſufficit uſus,
Corporis ut curam moderamine temperet æquo!
Non miſera capitur, cæcaque cupidine rerum,
Nec majora cupit, quam quæ natura repoſcit.
Non lucri cupidus nummis marſupia replet,
Nec molles cumulat tinearum ad pabula veſtes.
Paſcere non pingui procurat fruge caballos,
Nec trepido tales volvit ſub pectore curas,
Ne ſubitis pereat collecta pecunia flammis,
Aut fracta nummos rapiat fur improbus arca.
Vivitur argento ſine, jam ſine vivitur auro,
Nudi naſcuntur, nudos quos terra receptat,
Divitibus nigri reſerantur limina Ditis,
Pauperibuſque piis cæleſtia regna pateſcunt.
Temnere divitias monuit Salvator avaros,
Quiſquis amat Chriſtum, ſequitur veſtigia Chriſti.
Nam brevis & fragilis moritura gloria carnis
Quicquid habet, rapidi velox fuga temporis aufert.
Pulchre veridici cecinit vox talia vatis,
Tempora dinumerans ævi, vitæque caducæ,
Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur.
Alternant elementa vices, & tempora mutant:
Accipiunt augmenta dies; noctesque viciſſim.
Tempora ſunt florum, retinet ſua tempora meſſis;
Sic iterum ſpiſſo veſtitur gramine campus.
Tempora gaudendi, ſunt tempora certa dolendi.
Tempora ſunt vitæ, ſunt triſtia tempora mortis.
Omnia dat, tollit, minuitque volatile tempus.
Ver, æſtas, autumnus, hyems, redit annus in annum,
Omnia cum redeant, homini ſua non redit ætas.
Hanc ſapiens omni ſemper reminiſcitur hora,
Atque domum luctus epulis præponit opimis.
Ultimo nunc humili concludam verba precatu,
Sis memor ipſe mei, verſus cum legeris iſtos,
Tempora ſic habeas optatæ longa ſenectæ.

ANIMADVERSIONES EX CASPARIS BARTHII

ADVERSARIORUM LIBRIS.

IN EUGENIUM TOLETANUM.

PAg. 610. Carm. I. *Te mens deſideret, lingua canat, actio promat.* BARTH. mendoſus eſt
pag. 2610. verſus. emacula. *Lingua canet te, mens deſideret, actio promat.* multis eo modo vitiis apud Eugenium ſuccurrere poſſis: ſed quædam ejus ipſius culpa ita vitiata ſunt, ut nullo modo emaculari poſſint. Nec nos ſane ei rei contra auctoris voluntatem ſtudebimus.

pag. 2611. Pag. 614. Carm. IX. *Huc feſtinus agat devoto pectore* CURRUM. BARTH. *curſum*.

Pag. 618. *Hic miſer, hinc pavidus, hinc tremulentus eo.* BARTH. *Hei miſer! hinc pavidus, &c.* pag. 353.

IN DRACONTIUM.

PAg. 641. verſu 448. *Quem penes & ſenſus primordia* MULTA *loquuntur:*
Et voce reticente ſonat ſuper æthera ſermo.
BARTH. nihil clarius quam *primordia muta* legendum. Muta elementa rerum omnium, a Deo condita, Deum prædicant.

DOCTRINA
D. SEVERINI EPISCOPI.

Dilige Deum.
Sapientiam diſce.
Omnia cum menſura age.
Quod odis, & tibi fieri non vis, aliis non facias.
Semper ſpera in Domino.
Tempus futurum expecta.
Neceſſitati ſubditus eſto.
Juſtitiam ſequere.
Jurejurando uti noli.
Doce quod utile eſt.
Injuſtitiam odio habe.
Sapientes homines cole, inſipientes fuge.
Quod bonum eſt diſcere non erubeſcas.
Linguæ tuæ impera.
Magnanimus eſto.
In nullo mentiaris.
Fidem tuere.
Veritatem teſtificare.
Noli aliena concupiſcere.
Pecuniæ amator ne fueris: quantum ad uſus tibi ſufficiat quære. cum habueris, dona petenti.
Tuis negotiis vaca, alienis autem noli commiſceri.
Loquacitatem odio habe. bona eſt enim taciturnitas, mala eſt verboſitas.
Boni conſilii amator eſto.
Nullum contemnas.
Majorem natu venerare. adoleſcentiorem, ſi ſapiens fuerit, ut ſenem honora.
Lauda veritatem, & quæ animæ proſint diſcere elabora.
De amicis bene opinare.
Inimicos noli exaſperare, utilius eſt enim eos amicos facere, quam inimicos habere.
Cum juſtis hominibus loquere.
Filios tuos bene educa.
Simplicibus inſerere.
Miſericordiam faciens noli contriſtari, nec dubitare.
Quod daturus es, ex animo da, quia futura ignoras.
Miſericordia, & veritas non deſint tibi, & caritas: & hæc bona cooperient multitudinem peccatorum.
Nemini opprobrium dixeris.
Animæquus, & ſuavis, & continens eſto.
Iram fuge, mater eſt enim peccati.
Juſtitiam operare in judicio.
Servos dilige.
De nullo malum loquaris.
Teſtimonium in tempore opportuno verum dic.
Simultates odio habe.
Litigantes concorda.
Mala quæ tibi acceſſerint patienter ſuſtine.

A Juſte judica: memineris enim te hominem eſſe.
De rebus nonnullis noli anxius eſſe. ſapiens homo cito non conturbatur.
Cum nullo litiges.
Linguam bonæ famæ habe.
Sectare ſilentium, quia abſque pœnitentia eſt. tumultum pœnitentia ſubſequitur.
Inimicitias diſſolve.
Noli incredulus eſſe, & elabora in bono non eſſe jactantior.
B Inanem gloriam fuge.
Tuis manſuetus eſto, & extraneis neceſſarius.
Concupiſcentias animi tui vince.
Amicos noli cito comparare: quos autem comparaveris, noli cito reprobare.
Peccantium curam habere noli: nihil enim tibi proderit.
Brutis ſapientiam ne dederis: poſtea enim perſequentur te.
Sacramenta Dei niſi dignis non aperias.
C Imprudentium primatum ne eligas, ne dux Dæmonum efficiaris.
Contra legem Dei nihil agas.
Differentiam habe inter bonum & malum: & manifeſtum apud te ſit inter juſtum & injuſtum. Injuſtitiæ enim opera hæc ſunt: odium, fornicatio, furtum, rapacitas, veneficia, mendacium, falſum teſtimonium, cupiditas, detractio, dolus, ſuperbia, malitia, temeritas, improbitas, jactantia, contentio, ſimulatio, maliloquium, amor pecuniæ, D impietas, & omne quod alienat a doctrina Dei. Juſtitiæ autem opera ſunt hæc: ſemper deo gratias agere, Dei cultores amare, nemini nocere, nec contriſtare quenquam, pudice vivere, miſericordem eſſe, proximum ſuum ſicut ſeipſum diligere, eſurientes ſaturare, ſitientibus potum dare, nudos veſtire, hoſpitalem eſſe & humanum, & indigentibus tribuere cum hilaritate.
Noli eſſe amarus his qui in triſtitia ſunt.
Omne quod pertinet ad juſtitiam fac.
E Leges hominum ut homo utere, & legem Dei ut Dei.
Noli invidere bono: non enim immortalis es.
Sicut lucerna ardens ita eſto: & Angelus Dei vocaberis.
Cum conſcientia mala noli accedere ad orationem: condemnaberis enim per tuam conſcientiam. confeſſio peccati initium eſt ſalutis.
Supplex eſto Deo ſemper; & ſic age ut irreprehenſibilis habearis.
Neminem male loqui permittas, ne ut fautor injuſtitiæ habearis.

Abſen-

Abſentem noli condemnare, præſentem juſte accipe.

Ex argumentis noli condemnare, ne & tu condemneris, quia diſplicent Deo talia, & quomodo vis videri agere, ſic judica.

Mulierem in teſtimonium noli recipere.

Omne peccatum indulge, præter homicidium, & adulterium.

Injuriam facienti noli conſentire, ne ſicut adjutor injuſtitiæ puniaris: quem vero reprobaveris, ſit tibi quaſi ignarus.

Servos ut filios enutri. apud Dominum enim æquales ſunt, quia perſonas non accipit.

Super menſuram nihil feceris, & ſuperbis noli conjungi, ne amicus injuſtitiæ habearis.

Facies ſeniorum ſemper inquire, ut inſtruaris verbis eorum. ſapientum enim ſenſus pleni ſunt fructibus vitæ.

Ducem vitæ tuæ ut Deum habe. a Deo enim tibi miſſus eſt ut ſalveris. & in omni ſubſtantia tua participem eum habe. qui enim in divinis te comparticipat, debet in humanis particeps eſſe.

Miſero noli exprobrare, ne & tu exprobrabilis efficiaris. circa omnes enim judicium Dei eſt, & ut juſtum eſt judicat.

Miſericordiam faciens abſconſe facito, & non confundes perſonam tuam. Si facis ut ab aliis publice videaris, & ut magnificeris ab hominibus, nihil tibi proderit.

Adorans Dominum ſecreto adora, & noli notabilem locum eligere. ubique enim eſt Deus, & ubicumque invocatus fuerit, adeſt. Quotidie autem illi gratias age, vigilans & dormiens, ut propitium eum habeas, & deſideria tua impleat. Et orans noli multum loqui, ne ſtulto ſimilis habearis. Scit enim Deus petitiones tuas antequam petas, & quæ cogitas non ignorat.

CONFESSIO PROSPERI AQUITANI

NAto mihi quondam ſub lege peccati, & transfuſa in me a parentibus ordinaria mortis conditione captivo, ne longo ferocis domini jure detinerer, inter ipſa me vitæ initia, miſericors & miſerator Domine, liberaſti. Ante inveni tyrannicidam, quam intelligerem ſervitutem. Querantur qui volunt de ſalutis ſuæ celeritate: ad excuſationem violatæ regenerationis rudem ætatem, & imprudentes cauſentur annos. mihi ſemper adorabitur velox dignatio, & præparata clementia. Nam velut ignaro mihi hoc unum profuiſſe intelligo, quod licet ego a donis tuis receſſerim, in me tamen tua dona manſerunt. Renatus itaque in Chriſto Jeſu per Spiritum ſanctum tuum, hæres adſcriptus, filius nuncupatus, nil minus quam ſenior frater accepi. Quin etiam remiſſo legalis obſervantiæ onere, initiatus a gratia, non de Jacob, ſed de Eſau, Iſrael tuus factus ſum. Felix profecto, ſi acceptam ſubſtantiam, non dicam multiplicatam, ſed integram, vel otioſa innocentia, ſi non operante ſervaſſem. Sed heu me miſerum! relicta patris domo abii in voluntarium deſertor exilium: & duce vitiorum omnium multitudine, intima quæque Ægypti per ſpatioſorum itinerum proclivia deceptus intravi. Illic attrita decoris ſtola, & nobilitatis veſte corrupta, inopem me, & paternorum decoctorem bonorum, ſubdoli comites, infideles amici, ſub haſta mortis, & auctione peccati, cupidiſſimis licitatoribus vendiderunt. Sub quorum longo & gravi confectus imperio, in Babyloniorum etiam jura tranſivi. Ibi cum per innumeras ſæviſſimarum dominationum viciſſitudines, non in ſubjectione corporis, ſed animæ ſudore ſervirem, & dignis confuſus officiis, pejore quotidie ſtatus mei conditione turbarer: ſubtraxi me, quantum ab inſtantibus dominis licuit, in occultum ſpiritus cordiſque ſecretum: & apprehenſo cujuſdam ſanctarum ſcripturarum volumine, quid mihi adhuc ſpei ſupereſſet inſpexi. Ac multo perfuſus imbre lacrymarum, Quouſque, inquam, dominabuntur mihi qui me oderunt? quamdiu inimicis meis ſerviam? Iſtis quidem ipſe me dedi, & per letiferas voluptates pretium meæ perditionis accepi. ſed paciſci de me meo jure non potui. habebam enim dominum, & meus non eram. Scio enim me ejus redemptum ſanguine, cui cæleſtia, & terrena, & inferna ſubjecta ſunt. Quid iſtis mecum eſt, quorum commercium mors eſt? Revertar ad eum qui me emit ad vitam. ac ne me revertendi moretur facultas, quia in medio gentis alienæ ſum, & regni ſui limites barbarus diſpoſitis ſervat excubiis; bene eſt, quod redemptorem meum tenentem omnia loca non tenent. Præſens cælis inferis adeſt, totus in abyſſis eſt, totus in terris: non itinere adeundus, non navigatione quærendus eſt. Ipſum in Hieruſalem reliquimus, ipſum in Ægypto prætermiſimus, ipſum inter Babylonios non videmus. Sed quæramus & apparebit, pulſemus & aperiet, petamus & tribuet. Verum, heu me miſerum! erubeſco quia nudus ſum, & nihil habens, quo membrorum meorum inhoneſta circumtegam. obſcenæ egeſtatis dedecore confundor. tum quo ore, quave conſcientia, tantæ familiæ oculos, & tanti patris ſubibo conſpectum? Quaſi vero tolerabilius judicium ſit accuſatis, quam confeſſis, reis contumacibus, quam ſupplicibus, exhibitis, quam reverſis. Habeat quantaslibet cruces ignominia pœnitentis, levior erit ignis verecundiæ, quam gehennæ.

FINIS.

THEODULFI AURELIANENSIS EPISCOPI OPERA.

JACOBI SIRMONDI *Societatis Jeſu Presbyteri cura & ſtudio edita, Notiſque illuſtrata, anno* M. DC. XLVI.

ILLUSTRISS: AC REVERENDISS: PRÆSULI

ISAACIO HABERTO
EPISCOPO ET COMITI
VABRENSI.

V Eniſti tandem, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, *quo tua dudum te virtus & merita vocabant, nec noſtra nos de te bonorumque omnium judicia vel optata fefellerunt. Hoc erat nimirum, quod inculpatæ vitæ moderatiſque moribus, quod conſiliorum maturitati & conſtantiæ, quod eximiis divinæ gratiæ donis, quibus abundas, & de quibus præclare a te ſcripta ſunt tam multa, congruere ac deberi arbitrabamur. Hoc erat quod nobis præſagiebant doctæ & accuratæ conciones illæ, quas admirationibus maximis audiebamus. quod ſperare jubebant, tum privatæ ac publicæ ſcholæ, in quibus glorioſe, pro Theologi officio, vel ſacras literas docebas ipſe, vel decertantibus doctorum laureæ candidatis judex & arbiter præſidebas: tum ſplendidæ atque omnibus copiis inſtructæ, nec huic tantum ſæculo profuturæ lucubrationes, quæ excellentem pariter ſcientiam, fidei ſacrorumque magiſtro dignam oſtendebant. Hoc erat, inquam, quod jure a nobis optari atque expeti credebamus, ut in quo Epiſcopalis muneris ornamenta erant omnia, hunc Epiſcopi quoque nomine aliquando inſignibuſque ornatum cerneremus. Videant nunc ergo Vabrenſes tui, quibus beata ſors hæc obtigit, atque inter plauſus & gaudia ſua reputent, quam in ſpem erigi, aut ab Antiſtite ſuo deinceps expectare quid debeant. qui ſub modio nempe hactenus ſic refulſit, quam longe radios de candelabro miſſurus ſit: qui in Preſbyteri gradu admirandum ſe præbuit, quantus in ſummo ſacerdoti apice ſit futurus. Nam ad me quod attinet, Theodulfo Aurelianenſi, qui te favente publicam lucem captat, partes meas delegavi: ut & πολλὰ τὰ ἐπὶ meis tibi verbis dicat, & de meo in te animo æterna ea fore ſpondeat quæ ipſe noſti. Fidem de me loquenti Epiſcopo Epiſcopus, ut ſpero, non negabis. Reliquum eſt, ut quoniam doctos a doctis amari fas eſt, Theodulfum quoque noſtrum, & ævi ſui teſtimonio & reipſa doctiſſimum, tanquam gratia & approbatione tua dignum, amplectare.*

ILLUSTRISSIMÆ AC REVERENDISSIMÆ A. T.

Devotiſſimus

JACOBUS SIRMONDUS
SOCIETATIS J.

DE THEODULFO EPISCOPO

EJUSDEM ÆVI SCRIPTORUM ALIQUOT TESTIMONIA.

Alcuinus in epiſtola IV. *ad Carolum regem cum ab eo librum Felicis Urgellitani refutandum accepiſſet.*

SEd obſecro ut exemplarium illius libelli domno dirigatur Apoſtolico. aliud quoque Paulino Patriarchæ. Similiter Richbono & Theudulfo Epiſcopis doctoribus & magiſtris, ut ſinguli per ſe reſpondeant.

Einhardus in vita Caroli magni, enumerans Epiſcopos qui ejus Teſtamento ſubſcripſerunt.

EPiſcopi Hildebaldus, Richolfus, Arnoldus, Wolfarius, Bernoinus, Laidradus, Joannes, Theodulfus, Jeſſe, Hetto, Waltgaudus.

Hincmarus de divortio Lotharii & Tetbergæ ad interrogationem VI.

ET hinc ex ſacris ſcripturis & catholicorum dictis quidam orthodoxus & inſignis Poeta inter alia ſcripſerit dicens,

At ſi jurandi te cauſa perurget & arctat,
Id puris verbis, id gere mente pia.

& cætera quæ leguntur in Parænesi ad judices, verſu 833.

Lupus Abbas Ferrarienſis in epiſtola xx. ad Alcuinum.

NUndinas in Theodulfi Carmine legi producta penultima. Quod utrum ejus an præceptorum auctoritate penes illum fides habeatur. *Verſum innuit* CCCLVII. *c.* III. *in die Palmarum lib.* II.

Auctor vitæ Ludovici Pii Imperatoris ad annum Chriſti DCCCXIV.

DEfuncto patre, miſſus eſt Rampo ad eum, ut & mortem ejus mature cognoſceret, adventumque ſuum nullomodo comperendinaret. Qui cum Aurelianam deveniſſet ad urbem, Theodulfus ejuſdem urbis Epiſcopus, vir undecumque doctiſſimus, cauſam ejus adventus perſenſit, & velociſſime miſſo perlatore Imperatori innoteſcere ſtuduit. *Idem ad annum* DCCCXVI. *de Stephani Papæ adventu loquens:* Imperator adventum ejus Remis ſuſtinere ſtatuit. cui etiam obviam Hildebaldum Archicapellanum ſacri palatii, Theodulfum Epiſcopum Aurelianenſem, Joannem Arelatenſem, aliorumque miniſtrorum copiam procedere juſſit infulis indutos ſacerdotalibus. *Idem rurſus ad annum* DCCCXVII. *de conjuratione agens Bernardi Italiæ regis.* Erant hujus ſceleris conſcii quamplures clerici ſeu laici. inter quos aliquos Epiſcopos hujus tempeſtatis procella involvit, Anſelmum ſcilicet Mediolanenſem, Wlfoldum Cremonenſem, ſed & Theodulfum Aurelianenſem. Et poſt alia. Epiſcopos porro hac conſtrictos immanitate ab Epiſcopis reliquis depoſitos Monaſteriis mancipavit.

Apud Andream du Cheſne tom. 2. Hiſt. Franc.

Chronicon Vetus.

FLoruit etiam his temporibus apud urbem Aurelianenſem Theodulfus Epiſcopus, qui propter ſcientiæ prærogativam qua pollebat, a memorato Imperatore Karolo magno ab Italia in Gallias adductus, & Floriacenſem ab eo abbatiam & Aurelianenſem ſimul meruit epiſcopatum.

Apud eumdem tom. 3. p. 366.

Theodulfi Epitaphium.

Illius cineres ſaxo ſervantur in iſto
Qui quondam populis præſul & Abba fuit.
Non noſter genitus, noſter habeatur alumnus:
Protulit hunc Speria, Gallia ſed nutriit.
Urbs populoſa ſatis Ligerim ſuper Aurelianis,
Quæ olim læta fuit hoc reſidente patre.
Pro dolor! hunc pepulit propria de ſede malignus
Manibus his traditur exſul & exſul erat.

Mabillonii Analect. T. I. *ex pervetuſto codice Viteniano*

INDEX OPERUM THEODULFI QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Capitula ad preſbyteros parochiæ ſuæ 665.

De ordine Baptiſmi, ad Magnum Senonenſem. 679.

De Spiritu ſancto ad Carolum Magnum Imp. 695.

Carminum ad diverſos Libri VI. 737.

IN PRIMO LIBRO.

Parœneſis ad Judices. 737.

IN SECUNDO.

1. *Verſus in fronte Bibliorum quæ deſcribi fecit.* 763.
2. *Verſus præfixi brevi Chronico, quod Bibliis adjectum fuit.* 773.
3. *Verſus facti ut a pueris in die Palmarum cantarentur.* 775.
4. *De eo quod temporis ſtatus, & locus, & cauſa, & motio, ingenium tractatoris adjuvat.* 777.
5. *In altare S. Aniani.* 779.
6. *Ad monachos S. Benedicti.* ibid.
7. *Verſus ſcripti literis aureis de S. Quintino. In prima Tabula.* 781.
8. *In ſecunda Tabula.* 783.
9. *In tertia Tabula.* ibid.
10. *In ſepulchro S. Nazarii.* ibid.
11. *Epitaphium Faſtradæ Reginæ.* ibid.
12. *In fronte domus.* 785.
13. *Cur modo carmina non ſcribat.* ibid.
14. *In obitu Damaſi.* ibid.
15. *In faldaone Epiſcopi.* 787.
16. *De contemptu mundi.* ibid.

IN TERTIO.

Ad Carolum Regem. ibid.

2. *Epitaphium Hadriani Papæ.* 797.
3. *Ad Angilbertum.* ibid.
4. *Ad Giſlam.* 801.
5. *Ad Reginam,* 803.
6. *Ad Regem.* ibid.
7. *Quæ ſunt dicenda amico cum conſpicit bona amici.* 805.
8. *De vulpecula involante gallinam* 807.
9. *De quodam milite qui perditum equum ingenio reperit.* ibid.
10. *Quod poteſtas impatiens conſortis ſit* 809.
11. *In fronte domus.* ibid.
12. *Itinerarium.* ibid.

IN QUARTO.

1. *De libris quo legere ſolebat, & qualiter fabulæ poetarum a Philoſophis myſtice pertractentur.* 811.
2. *De ſeptem liberalibus in quadam tabula depictis.* 813.
3. *Alia pictura, in qua erat imago terræ in modum orbis comprehenſa.* 817.
4. *Ad Aiulfum Epiſcopum.* 819.
5. *Ad Modium Epiſcopum.* 823.
6. *De fluvio qui ſiccatus eſt.* 825.
7. *De pugna avium in terra Toloſa.* 827.
8. *De pugna avium ſimili ſuperiori.* 829.
9. *Medoini ad Teudulfum Epiſtola.* 831.

IN QUINTO.

1. *Conſolatio de obitu cuiuſdam fratris.* 835.
2. *De ſeptem vitiis capitalibus.* 837.
3. *Parœneſis ad Epiſcopos.* 847
4. *Quod Deus non loco quærendus ſit, ſed pietate colendus.* 855.

IN SEXTO.

De gratia Dei. ibid.

2. *De his qui aliud corde continent, & aliud ore promunt.* 857.
3. *Quale jejunium & quæ parſimonia Deo*

acceptabilis ſit, & poſſit impetrare poſtulata. ibid.

4 *Contra ſimulatores & ſubdolos.* ibid

5. *De eo quod avarus adglomeratis opibus ſatiari nequit.* 859.

6. *De eo quod plerumque reprobis proſpera ſint.* 861.

7. *De eadem re ex Hieremia.* ibid.

8. *De eadem re ex Job.* ibid.

9. *Quod Dominus imitandus ſit nobis, ac penitus amandus & timendus.* ibid.

10. *De ſimulatorum & ſtultorum ſocordia, qui neſciunt a ſua pravitate per bonam exhortationem converti.* 863.

11. *Quamobrem cicatrices, quas Dominus in paſſione ſuſcepit, in reſurrectione obductæ non ſint.* ibid.

12. *De fide, ſpe, & charitate.* 865.

13. *De diſpenſatione divina, quæ ſæpe occulta eſt, nunquam tamen injuſta* 867.

14 *Quod multis indiciis finis proximus eſſe monſtretur.* ibid.

15. *Ex Epiſtola ad Corinthios Carmen ad precem cujuſdam monachi factum.* 869

16. *De fructu centeno, & ſexageno, ac triceno.* 871.

17. *De eadem re.* ibid.

18. *De hypocritis, & quod Apoſtolorum temporibus, atque eorum ſucceſſorum, magis Eccleſiæ virtutes viguerunt, quam his noviſſimis temporibus.* ibid.

19. *Epitaphium Helmengaldi.* 875.

20 *Ad Fardulfum Abbatem S. Dionyſii.* ibid.

21. *Serio reſipiſcendum.* 877.

22. *Deluſa expectatio* ibid.

23. *Quod plerumque mali mala patiantur, & de tempore Antichriſti.* 879.

24 *Die ſollenni anniverſario.* ibid.

25. *Ad Carolum regem.* 881.

26. *Ad Carolum Imperatorem.* ibid.

27. *A foris in prima Tabula Bibliothecæ* 883

28. *In altera Tabula.* ibid.

29. *Super januam,* ibid.

30. *Super propinatorium.* ibid.

THEODULFI

[a] THEODULFI AURELIANENSIS EPISCOPI [b] CAPITULA

AD PRESBYTEROS PAROCHIÆ SUÆ.

1. *Quod ſubditarum plebium profectum curare debeant, & de dignitate ſacerdotum.*
2. *Quod lectioni & orationi adſidue vacandum ſit.*
3. *Quod lectioni ſuccedere debeat operatio.*
4. *Quo apparatu ad Synodum venire debeant.*
5. *Quæ cura eſſe debeat panis, vini, & aquæ, in Miſſis celebrandis.*
6. *Ut feminæ ad altare, dum Miſſæ celebrantur, non accedant.*
7. *Ut ſacerdos Miſſam ſolus non celebret.*
8. *Ut in Eccleſiis præter res ſacras alia non recondantur.*
9. *Ut nemo deinceps, præter paucos qui id meriti ſint, in Eccleſia ſepeliatur.*
10. *Ut vaniloquia & profanæ actiones in Eccleſia prohibeantur.*
11. *Ut Miſſæ niſi in Eccleſia non celebrentur.*
12. *Ut feminæ cum presbytero non habitent.*
13. *Ut presbyteri ab ebrietate & tabernis abſtineant, nec temere cum quibuslibet conviventur.*
14. *Ne aliarum Eccleſiarum fideles ad ſuam Eccleſiam pertrahere nitantur.*
15. *Ne alienos item clericos ſollicitent.*
16. *De iis qui alienas Eccleſias muneribus ambiunt.*
17. *Ut parvulis aliarum parochiarum ægrotantibus baptiſmum non negent.*
18. *Ut vaſa ſacra in alios uſus non detorqueant.*
19. *Ad quas ſcholas mittere conſanguineos ſuos poſſint, ſi velint.*
20. *Ut ſcholas ipſi habeant in quibus fidelium parvulos gratis erudiant.*
21. *Vitæ Chriſtianæ compendioſa inſtitutio.*
22. *Ut omnes fideles orationem Dominicam & ſymbolum diſcant.*
23. *Ut omnes bis ſaltem quotidie, mane & veſperi, Deum orent.*
24. *De obſervantia diei Dominici.*
25. *Ut hoſpitalitatem omnes diligant & gratis exhibeant.*
26. *Ut a perjurii crimine fideles caveant.*
27. *Ut a falſo teſtimonio fideles abſtineant.*
28. *Ut presbyteri ad docendas plebes ſint parati.*
29. *Quonam orandi modo fideles uti debeant.*
30. *De confeſſione peccatorum Deo quotidie facienda.*
31. *Qui ad confeſſionem veniunt omnia confiteri, & de omnibus examinari debent.*
32. *Quod unuſquiſque opera miſericordiæ quæ in alios exercet, in ſeipſo ſpiritaliter agere debeat.*
33. *De officio filiorum erga parentes, & parentum erga filios.*
34. *Vera caritas quænam ſit.*
35. *Quid cavere mercatores debeant qui negotiantur.*
36. *Quid curandum ſit ante Quadrageſimam, & quod ſeptem modis peccata dimittantur.*
37. *Quod jejunium Quadrageſimæ ſumma cura obſervandum ſit.*
38. *Quod cum jejunio eleemoſyna jungenda ſit.*
39. *Quod jejunium ante veſpertinum officium ſolvi non debeat.*
40. *A quibuſnam abſtinendum ſit cum jejunatur.*
41. *Quibus diebus in Quadrageſima communicare debeant fideles, & de Paſchalis hebdomadæ celebritate.*
42. *Quod jejuniorum diebus ceſſare debeant lites & contentiones.*
43. *Quod diebus jejuniorum abſtinendum ſit a conjugibus.*
44. *De ſacra communione, quo modo & quam frequenter uſurpanda ſit.*
45. *Ut diebus Dominicis populus per Miſſas peculiares a publicis non abſtrahatur.*
46. *Ut omnes ad matrem Eccleſiam Miſſarum ſolemnia & prædicatorem audituri conveniant, neque ante peractum officium cibum capiant.*

---

a *Theodulfi*) Theodulfum tradunt ex Italia, hoc eſt, ut opinor, ex Gallia Ciſalpina in hanc noſtram a Carolo magno tranſlatum fuiſſe, donatumque Epiſcopatu Aurelianenſi. Hoc vero ex Theodulfo ipſo conſtat, & Miſſi dominici ampliſſima præfectura Caroli ejuſdem benevolentia functum eſſe in utraque provincia Narbonenſi, & familiarem ipſi, quoad vixit, inter intimos perſeveraſſe. Poſt Caroli exceſſum, non diſpari primis annis in gratia fuit apud Ludovicum filium. a quo & Stephano Papæ in Galliam venienti juſſus eſt obviam honoris cauſa procedere. Ceterum delatus ut particeps conjurationis Bernardi regis adverſus patruum, Epiſcopatu ſpoliatus, atque in monaſterium relegatus eſt apud Andegavos. Quod ille crimen ut conſtanter uſquequaque pernegavit, ita non defuerunt, qui per invidiam conflatum affirmarent. Abſolutus tandem, dum ad ſuos redit, mortuus dicitur, anno ut apparet dcccxxi. Cetera libri ejus docebunt. In quibus ſi qua erunt, in verſibus præſertim, quæ tanquam ab uſu communi abhorrentia minus arrideant, meminerit Lector verborum nævos eſſe, qui multiplici rerum fructu & utilitate compenſantur.

b *Capitula ad Presbyteros*) Librum hunc Theodulfus, & poſt illum ſimiles alios Herardus Turonenſis & Riculfus Sueſſionenſis, eo quod capitulatim concepti diſtinctique eſſent, Capitula & Capitularia nuncuparunt, quemadmodum & legum regiarum codices, ut iiſdem nominibus eandem ob cauſam appellarent, temporum quoque illorum mos obtinuit. Sic enim & apud Græcos κεφάλαια ſimiliter dicta ſunt, Marci verbi gratia eremitæ, Diadochi, Nili, aliorumque opuſcula aſcetica, & Agapeti parænetica, & cetera id genus διὰ κεφαλαίων compoſita.

THEODULFUS fratribus & compresbyteris noſtris Aurelianenſis parochiæ ſacerdotibus in Domino ſalutem.

I. Quod ſubditarum plebium profectum curare debeant, & de dignitate ſacerdotum.

OBſecro vos, fratres dilectiſſimi, ut erga ſubditarum plebium profectum & emendationem vigilantiſſima cura laboretis: quatenus illis viam ſalutis oſtendentes, & eos verbis & exemplis inſtruentes, & vos de eorum profectu, & nos de veſtro, domino noſtro Jeſu Chriſto auxiliante, fructuoſos illi manipulos reportemus. Obſecro etiam fraternitatem veſtram, ut hæc capitula, quæ ad emendationem vitæ breviter digeſſi, aſſidue legatis, & memoriæ commendetis: & eorum ſive ſanctarum ſcripturarum lectione mores componatis, vitam emendetis, & cum ſubditis plebibus, opitulante Domino, ad regna cæleſtia pergere certetis. Veraciter noſſe debetis & ſemper meminiſſe, quia nos, quibus regendarum animarum cura commiſſa eſt, pro his qui noſtra negligentia pereunt, rationem reddituri ſumus: pro his vero quos verbis & exemplis lucrati fuerimus, præmium æternæ vitæ percipiemus. Nobis enim a Domino dictum eſt, *Vos eſtis ſal terræ*. Quod ſi populus fidelis cibus eſt Dei, ejus cibi condimentum nos ſumus. Scitote veſtrum gradum noſtro gradui ſecundum & pene conjunctum eſſe. Sicut enim Epiſcopi Apoſtolorum in Eccleſia, ita nimirum presbyteri ceterorum diſcipulorum Domini vicem tenent: & illi tenent gradum ſummi Pontificis Aaron, iſti vero filiorum ejus. Unde oportet vos ſemper memores eſſe tantæ dignitatis, memores veſtræ conſecrationis. memores ſacræ quam in manibus ſuſcepiſtis unctionis, ut nec ab eadem dignitate degeneretis, nec veſtram conſecrationem irritam faciatis, nec manus ſacro unguine delibutas peccando polluatis, ſed cordis, & corporis munditiam conſervantes, plebibus exemplum bene vivendi præbentes, his quibus præeſtis ducatum ad cæleſtia regna præbeatis.

Matth. 5. 13.

II. Quod lectioni & orationi adſidue vacandum ſit.

OPortet vos & aſſiduitatem habere legendi, & inſtantiam orandi: quia vita viri juſti lectione inſtruitur, ornatur, & aſſiduitate lectionis munitur homo a peccato, juxta illum qui dicebat, *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi*. Hæc ſunt enim arma, lectio videlicet, & oratio, quibus diabolus expugnatur: hæc ſunt inſtrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur. his armis vitia comprimuntur: his alimentis virtutes nutriuntur.

Pſal. 118. 11.

III. Quod lectioni ſuccedere debeat operatio.

SEd & ſi quando a lectione ceſſatur, debet manuum operatio ſubſequi: quia otioſitas inimica eſt animæ, & antiquus hoſtis, quem a lectione ſive ab oratione vacantem invenerit, facile ad vitia rapit. Per uſum namque lectionis diſcetis, qualiter & vos vivatis, & alios doceatis: per uſum orationis, & vobis, & his quibus in caritate conjuncti eſtis, prodeſſe valebitis: per manuum operationem & corporis macerationem, & vitiis alimenta negabitis, & veſtris neceſſitatibus ſubvenietis, & habebitis quod neceſſitatem patientibus porrigatis.

A

IV. Quo apparatu ad Synodum venire debeant.

QUando more ſolito ad Synodum convenitis, veſtimenta, & libros, & vaſa ſancta, cum quibus veſtrum miniſterium & injunctum officium peragitis, vobiſcum deferte. Nec non duos, aut tres clericos, cum quibus Miſſarum ſolemnia celebratis, vobiſcum adducite, ut probetur quam diligenter, quam ſtudioſe Dei ſervitium peragatis.

B

V. Quæ cura eſſe debeat panis, vini, & aquæ, in Miſſis celebrandis.

PAnes, quos Deo in ſacrificium offertis, aut a vobis ipſis, aut a veſtris pueris coram vobis, nitide ac ſtudioſe fiant, & diligenter obſervetur, ut panis, & vinum, & aqua, ſine quibus Miſſæ nequeunt celebrari, mundiſſime, atque ſtudioſe tractentur, & nihil in his vile, nihil non probatum inveniatur, juxta illud quod ait ſcriptura, *Sit timor Domini vobiſcum*, & *cum diligentia cuncta facite*. 2. Par. 19. 9.

C

VI. Ut feminæ ad altare, dum Miſſæ celebrantur, non accedant.

FEminæ Miſſam ſacerdote celebrante, nequaquam ad altare accedant, ſed locis ſuis ſtent, & ibi ſacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat. Memores enim eſſe debent feminæ infirmitatis ſuæ, & ſexus imbecillitatis: & idcirco ſancta quælibet in miniſterio Eccleſiæ contingere pertimeſcant. Quæ etiam laici viri pertimeſcere debent, ne Ozæ pœnam ſubeant, 2. Reg. 6.
qui dum arcam Domini extraordinariæ contingere voluit, Domino percutiente interiit.

D

VII. Ut ſacerdos Miſſam ſolus non celebret.

SAcerdos Miſſam ſolus nequaquam celebret: quia ſicut illa celebrari non poteſt ſine ſalutatione ſacerdotis, reſponſione plebis, admonitione ſacerdotis, reſponſione nihilominus plebis, ita mimirum nequaquam ab uno debet celebrari. Eſſe enim debent qui ei circumſtent, quos ille ſalutet, a quibus ei reſpondeatur, & ad memoriam illi reducendum eſt illud Dominicum, *Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, & ego in medio eorum*. Matt. 18. 20.

E

VIII. Ut in Eccleſiis præter res ſacras alia non recondantur.

VIdemus crebro in Eccleſiis meſſes & fœnum congeri. unde volumus & hoc penitus obſervetur, ut nihil in Eccleſia præter veſtimenta Eccleſiaſtica, & vaſa ſancta, & libros recondatur. Ne forte, ſi alia ibi quam oportet negotia exerceantur, a Domino audiamus, *Do-*

Matth. 21. 13 *mus mea domus orationis vocabitur. vos autem feciſtis eam ſpeluneam latronum.*

IX. Ut nemo deinceps, præter paucos qui id meriti ſint, in Eccleſia ſepeliatur.

ANtiquus in his regionibus in Eccleſia ſepeliendorum mortuorum uſus fuit, & plerumque loca divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hoſtias præparata cœmeteria ſive polyandria facta ſunt. Unde volumus, ut ab hac re deinceps abſtineatur, & nemo in Eccleſia ſepeliatur, niſi forte talis ſit perſona ſacerdotis, aut cujuslibet juſti hominis, quæ per vitæ meritum talem vivendo ſuo corpori defuncto locum acquiſivit. Corpora vero, quæ antiquitus in Eccleſiis ſepulta ſunt, nequaquam projiciantur, ſed tumuli qui apparent, profundius in terram mittantur, & pavimento deſuper facto, nullo tumulorum veſtigio apparente, Eccleſiæ reverentia conſervetur. Ubi vero tanta eſt multitudo cadaverum, ut hoc facere difficile ſit, locus ille pro cœmeterio habeatur, ablato inde altari, & in eo loco conſtructo, ubi religioſe & pure Deo ſacrificium offerri valeat.

X. Ut vaniloquia & profanæ actiones in Eccleſia prohibeantur.

NOn debetis ad Eccleſiam ob aliam cauſam convenire, niſi ad laudem Domini, & ejus ſervitium faciendum. Diſceptationes vero, & tumultus, & vaniloquia, & ceteræ actiones ab eodem ſancto loco penitus prohibendæ ſunt. Ubi enim Dei nomen invocatur, Deo ſacrificium offertur, Angelorum frequentia ineſſe non dubitatur, periculoſum eſt tale aliquid dicere vel

Matth. 21. 12 agere, quod loco non convenit. Si enim Dominus illos de templo ejecit, qui victimas quæ ſibi offerrentur emebant vel vendebant quanto magis illos iratus inde abjiciet, qui mendaciis, vaniloquiis, riſibus, & hujuſcemodi nugis locum divino cultui mancipatum fœdant?

XI. Ut Miſſæ niſi in Eccleſia non celebrentur.

MIſſarum ſolemnia nequaquam alibi niſi in Eccleſia celebranda ſunt, non in quibuſlibet domibus, & in vilibus locis, ſed in loco quem elegerit Dominus, juxta illud quod ſcri-

Deut. 12. 13. ptum eſt, *Vide ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris, ſed in loco quem elegerit Dominus, ut ponat nomen ſuum ibi.*

XII. Ut feminæ cum presbytero non habitent.

NUlla femina cum presbytero in una domo habitet. Quamvis enim canones matrem, & ſororem, & hujuſcemodi perſonas in quibus nulla ſit ſuſpicio, cum illo habitare concedant, hoc nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obſequio ſive occaſione illarum veniunt aliæ feminæ, quæ non ſunt ei affinitate conjunctæ, & eum ad peccandum illiciunt.

XIII. Ut presbyteri ab ebrietate & tabernis abſtineant, nec temere cum quibuslibet conviventur.

OBſervandum vobis eſt, ut & vos ab ebrietate abſtineatis, & ut plebes ſubditæ abſtineant prædicetis: & neque per tabernas eatis bibendo aut comedendo, neque domos aut

A vicos curioſitate qualibet peragretis, neque cum feminis, aut cum quibuslibet impuris perſonis convivia exerceatis. Niſi forte paterfamilias quilibet vos ad domum ſuam invitaverit, & cum ſua conjuge & prole velit vobiſcum ſpiritali gaudio lætari, & verborum veſtrorum refectionem accipere, & vobis refectionem carnalem caritatis officio exhibere. Oportet enim, ut ſi quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, a vobis reficiatur epulis ſpiritalibus.

XIV. Ne aliarum Eccleſiarum fideles ad ſuam Eccleſiam pertrahere nitantur.

B NUllus presbyter fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ de alterius presbyteri parochia perſuadeat, ut ad ſuam Eccleſiam concurrant relicta propria Eccleſia, & ſuas decimas ſibi dent. Sed unuſquiſque ſua Eccleſia & populo contentus, quod ſibi non vult fieri alteri nequaquam faciat, juxta illud Evangelicum, *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc eadem facite illis.* Matth. 7. 12. Quiſquis autem contra hæc conſtituta venerit, aut his monitis noſtris reniti tentaverit, aut gradum ſe ſciat amiſſurum, aut in carcere longo tempore detinendum.

XV. Ne alienos item clericos ſollicitent.

C HOc quoque modis omnibus prohibemus, ut nullus veſtrum alterius clericum ſollicitet, aut recipiat, quia gravis de hac re in ſacris canonibus ſententia eſt.

XVI. De his qui alienas Eccleſias muneribus ambiunt.

SI quis presbyter inventus fuerit alicui clerico aut laico munera dare, aut dediſſe, ut Eccleſiam alterius presbyteri ſubripiat, ſciat ſe pro hac rapina & ſæva cupiditate, aut gradum amiſſurum, aut in carceris ærumna longo tempore pœnitentiam agendo detinendum.

D *XVII. Ut parvulis aliarum parochiarum ægrotantibus baptiſmum non negent.*

SI parvulus ægrotans ad quemlibet presbyterum baptiſmi gratia de cujuslibet parochia allatus fuerit, ei baptiſmi ſacramentum nullo modo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectaverit, & ille parvulus abſque baptiſmatis gratia mortuus fuerit, noverit ſe ille qui eum non baptizavit, pro ejus anima rationem redditurum.

XVIII. Ut vaſa ſacra in alios uſus non detorqueant.

E NUllus presbyter ſeu laicus præſumat calicem, aut patenam, aut quælibet vaſa ſacra & divino cultui mancipata, ad alios uſus retorquere. Nam quicumque de calice ſacrato aliud bibit præter Chriſti ſanguinem, qui in ſacramento accipitur, & patenam ad aliud officium habet quam ad altaris miniſterium, deterrendus eſt exemplo Baltaſar qui dum vaſa Domini in uſus communes aſſumpſit, vitam pariter cum regno amiſit, Dan. 5.

XIX. Ad quas ſcholas mittere conſanguineos ſuos poſſint, ſi velint.

SI quis ex presbyteris voluerit nepotem ſuum, aut aliquem conſanguineum, ad ſcholam mittere, in Eccleſia ſanctæ Crucis, aut in monaſterio ſancti Aniani, aut ſancti Benedicti, aut ſancti Liſardi, aut in ceteris de his cœnobiis quæ nobis ad regendum conceſſa ſunt, ei licentiam id faciendi concedimus.

XX. Ut ſcholas ipſi habeant in quibus fidelium parvulos gratis erudiant.

PResbyteri per villas & vicos ſcolas habeant, & ſi quilibet fidelium ſuos parvulos ad diſcendas literas eis commendare vult, eos ſuſcipere & docere non renuant, ſed cum ſumma caritate eos doceant, attendentes illud quod ſcri-
[Dan. 12. 3.] ptum eſt, *Qui autem docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Cum ergo eos docent, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes caritatis ſtudio ſua voluntate obtulerint.

XXI. Vitæ Chriſtianæ compendioſa inſtitutio.

CUm ergo omnium ſanctarum ſcripturarum paginæ inſtrumentis bonorum operum refertæ ſint, & per ſanctarum ſcripturarum campos poſſint inveniri arma, quibus vitia comprimantur, & virtutes nutriantur, libuit nobis huic noſtro Capitulari inſerere ſententiam cujuſdam patris de inſtrumentis bonorum operum, in qua magna brevitate quid agi quidve vitari debeat, continetur. In primis Dominum Deum tuum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute, deinde proximum tanquam teipſum. Deinde non occidere, non adulterare, non facere furtum, non concupiſcere, non falſum teſtimonium dicere, honorare omnes homines, & quod ſibi quis fieri non vult, alii ne faciat. Abnegare ſemetipſum ſibi, ut ſequatur Chriſtum. Corpus caſtigare, delitias non amplecti, jejunium amare, pauperes recreare, nudum veſtire, infirmum viſitare, mortuum ſepelire, in tribulatione ſubvenire, dolentem conſolari. A ſæculi actibus ſe facere alienum. Nihil amori Chriſti præponere, iram non perficere, iracundiæ tempus non reſervare, dolum in corde non tenere, pacem falſam non dare, caritatem non derelinquere. Non jurare, ne forte perjures. Veritatem ex corde & ore proferre, malum pro malo non reddere, injuriam non facere, ſed & factam patienter ſufferre. Inimicos diligere, maledicentes non maledicere, ſed magis benedicere. Perſecutionem pro juſtitia ſuſtinere. Non eſſe ſuperbum, non vinolentum, non multum edacem, non ſomnolentum, non pigrum, non murmuroſum, non detractorem. Spem ſuam Deo committere. Bonum aliquid in ſe cum viderit, Deo applicet non ſibi: malum vero ſemper a ſe factum ſciat, & ſibi reputet. Diem judicii timere, gehennam expaveſcere, vitam æternam omni concupiſcentia ſpiritali deſiderare, mortem quotidie ante oculos ſuſpectam habere. Actus vitæ ſuæ omni hora cuſtodire. In omni loco Deum ſe reſpicere pro certo ſcire. Cogitationes malas cordi ſuo advenientes mox ad Chriſtum allidere, & ſeniori ſpiritali patefacere. Os ſuum a malo vel pravo eloquio cuſtodire, multum loqui non amare, verba vana aut riſui apta non loqui, riſum multum aut excuſſum non amare. Lectiones ſanctas libenter audire, orationi frequenter incumbere, mala ſua præterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. De ipſis malis de cetero emendare, deſideria carnis non perficere. Voluntatem propriam odiſſe. præceptis ſacerdotis & præceptoris in omnibus obedire, etiam ſi ipſe aliter, quod abſit, agat, memores illius Dominici præcepti, *Quæ dicunt facite, quæ autem* [Matth. 23. 3.]
faciunt facere nolite. Non velle dici ſanctum antequam ſit, ſed prius eſſe quod verius dicatur. Præcepta Dei factis quotidie adimplere, caſtitatem amare, nullum odiſſe, zelum & invidiam non habere, contentionem non amare, elationem fugere, & ſeniores venerari, juniores diligere. In Chriſti amore pro inimicis orare. Cum diſcordantibus ante ſolis occaſum in pacem redire, & de Dei miſericordia nunquam deſperare. Ecce hæc ſunt inſtrumenta artis ſpiritalis, quæ cum fuerint a nobis die noctuque inceſſabiliter adimpleta, & in die judicii reconſignata, illa merces nobis a Domino recompenſabitur, [Iſai. 64. 4.]
quam ipſe promiſit, *Quod oculus non vidit, nec* [1. Cor. 2. 9.]
auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum.

XXII. Ut omnes fideles orationem Dominicam & ſymbolum diſcant.

COmmonendi ſunt fideles, ut generaliter omnes, a minimo uſque ad maximum, orationem Dominicam, & ſymbolum diſcant: & dicendum eis, quod in his duabus ſententiis omne fidei Chriſtianæ fundamentum incumbit, & niſi quis has duas ſententias & memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione ſæpiſſime frequentaverit, catholicus eſſe non poterit. Conſtitutum namque eſt, ut nullus chriſmetur, neque baptizetur, neque a lavacro fontis illius ſuſcipiatur, neque coram Epiſcopo ad confirmandum quemlibet teneat, niſi ſymbolum & orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum ætas minime perduxit.

XXIII. Ut omnes bis ſaltem quotidie, mane & veſperi, Deum orent.

DIcendum illis, ut ſingulis diebus qui amplius non poteſt, ſaltem duabus vicibus oret, mane ſcilicet & veſpere, dicens ſymbolum, vel orationem Dominicam, vel, Qui plaſmaſti me miſerere mei, vel etiam, Deus propitius eſto mihi peccatori, & Deo gratias pro quotidianæ vitæ commeatibus, & quia ſe ad imaginem ſuam creare dignatus ſit, & a pecudibus ſegregare. His actis & ſolo Deo creatore ſuo adorato, Sanctos invocet, ut pro ſe intercedere ad majeſtatem divinam dignentur. Hæc faciant, quibus baſilicæ locus prope eſt, in baſilica: qui vero in itinere, aut pro qualibet occaſione in ſilvis aut in agris eſt, ubicumque eum ipſa hora matutina vel veſpertina invenerit, ſic faciat, ſciens Deum ubique præſentem eſſe, dicente [Pſal. 102. 22.]
Pſalmiſta, *In omni loco dominationis ejus*, &, *Si* [Pſal. 138. 8.]
aſcendero in cælum, tu ibi es, &c.

XXIV. *De obſervantia diei Dominici.*

DIei vero Dominici, quia in eo Deus lucem condidit, in eo manna in eremo pluit, in eo redemptor humani generis ſponte pro ſalute noſtra a mortuis reſurrexit, in eo Spiritum ſanctum ſuper diſcipulos infudit, tanta eſſe debet obſervantia, ut præter orationes, & Miſſarum ſolemnia, & ea quæ ad veſcendum pertinent, nihil aliud fiat. Nam & ſi neceſſitas fuerit navigandi, ſive itinerandi, licentia datur, ita dumtaxat, ut horum occaſione Miſſa & orationes non prætermittantur. Conveniendum eſt ſabbatho die cum luminaribus cuilibet Chriſtiano ad Eccleſiam. conveniendum eſt ad vigilias ſive ad matutinum officium. Concurrendum eſt etiam cum oblationibus ad Miſſarum ſolemnia. Et dum ad Eccleſiam convenitur, nulla cauſa dici debet vel audiri, nulla jurgia ſunt habenda: ſed tantummodo Deo vacandum eſt, in celebratione videlicet ſacrorum officiorum, & exhibitione eleemoſynarum, & in Dei laudibus cum amicis, proximis, & peregrinis ſpiritaliter epulandum.

XXV. *Ut hoſpitalitatem omnes diligant & gratis exhibeant.*

ADmonendi ſunt, ut hoſpitalitatem diligant, & nulli hoſpitium præbere detrectent, & ſi cui forte hoſpitium præſtiterint, nullam ab eo mercedem accipiant, niſi forte ille, qui a te recipitur, ſponte ſua aliquid det. Dicendumque illis, qualiter multi per hoſpitalitatis officium Deo placuerunt, dicente Apoſtolo, Hebr. 13. 2. *Per hanc enim placuerunt quidam Deo, Angelis hoſpitio ſuſceptis*. & iterum, *Hoſpitales ſine murmuratione*. Et ipſe Dominus ad judicium 1. Pet. 4. 9. dicturus eſt, *Hoſpes eram & collegiſtis me*. Sciant ſane quicumque hoſpitalitatem amant, Chriſtum Matth. 25. 35 ſe in hoſpitibus recipere. Nam ille modus hoſpitalitatis non ſolum inhumanus, ſed etiam crudelis eſt, quo numquam hoſpes in domum ante recipitur, niſi prius dandi hoſpitii merces compenſetur, & quod Dominus agere juſſit pro perceptione regni cæleſtis, pro acquiſitione terrenarum rerum agatur.

XXVI. *Ut a perjurii crimine fideles caveant.*

PRædicandum eſt etiam, ut perjurium fideles caveant, & ab hoc ſummopere abſtineant, ſcientes hoc grande ſcelus eſſe, & in lege, & prophetis, ſive Evangelio prohibitum. Audivimus enim quoſdam parvipendere hoc ſce- Matth. 5. 33. lus, & levem quodammodo perjuris pœnitentiæ modum imponere. Qui noſſe debent, talem de perjurio, qualem & de adulterio, de fornicatione, de homicidio, & de ceteris criminalibus vitiis, pœnitentiam imponendam. Si quis vero perpetrato perjurio, aut quolibet criminali peccato, timens pœnitentiæ longam ærumnam, ad confeſſionem venire noluerit, ab Eccleſia repellendus eſt, ſive a communione & conſortio fidelium, ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque oret, neque in ſuam eum domum recipiat.

XXVII. *Ut a falſo teſtimonio fideles abſtineant.*

DIcendum eſt eis, ut a falſo etiam teſtimonio abſtineant, ſcientes & hoc graviſſimum ſcelus eſſe, & ab ipſo Domino in monte Sinai prohibitum, dicente eodem Domino, *Non falſum teſtimonium dixeris*. ſive, *Teſtis falſus non erit impunitus*. Exod. 20. 15. Prov. 19. 5. Sciat ſe etiam, quiſquis hoc perpetraverit, aut tali pœnitentia purgandum, ut ſuperius dictum eſt de perjurio, aut tali damnatione & excommunicatione damnandum, ſicut ſuperius inſertum eſt. Dicendumque illis eſt, quod ſumma, non dicam ſtultitia, ſed nequitia eſt, pro cupiditate argenti & auri, aut veſtimentorum, aut cujuslibet rei, aut quod creberrime contingere ſolet, propter ebrietatem, in tam grande ſcelus corruere, ut aut ſeptem annis in arcta ærumna ſit, aut ab Eccleſia ſit repulſus, dicente Domino, *Quid prodeſt homini ſi lucretur* Matth. 16. 26 *totum mundum, & animæ ſuæ detrimentum faciat?* quippe cum aliis videatur pius exiſtere, ſibimet crudelis exiſtat.

XXVIII. *Ut presbyteri ad docendas plebes ſint parati.*

HOrtamur vos paratos eſſe ad docendas plebes. Qui ſcripturas ſcit, prædicet ſcripturas: qui vero neſcit, ſaltem hoc, quod notiſſimum eſt, plebibus dicat, Ut declinent a malo, & faciant bonum: inquirant pacem, & Pſal. 33. 15. ſequantur eam, quia oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus ad preces eorum, &c. Nullus ergo ſe excuſare poterit, quod non habeat linguam, unde poſſit aliquem ædificare. Mox enim, ut quemlibet errantem viderit, prout poteſt & valet, aut arguendo, aut obſecrando, aut increpando, ab errore retrahat, & ad peragendum bonum opus hortetur. Cum vero Domino opitulante, ad Synodum in unum convenerimus, ſciat nobis unuſquiſque dicere, quantum Domino adjuvante laboraverit, aut quem fructum acquiſierit. Et ſi quis forte noſtro indiget adjutorio, nos cum caritate admoneat, & nos cum caritate nihilominus ei pro viribus adjutorium ferre non differemus.

XXIX. *Quonam orandi modo fideles uti debeant.*

ADmonere debetis fideles, ut aſſiduitatem & ſtudium habeant orandi. Ipſe autem orandi modus talis eſſe debet, ut primum dicto ſymbolo, quaſi fidei ſuæ recenſito fundamento, dicat quiſquis eſt tribus vicibus, Qui plaſmaſti me miſerere mei, & tribus vicibus, Deus propitius eſto mihi peccatori, & compleat orationem Dominicam. Si ergo locus aut tempus exegerit, deprecetur ſanctos Apoſtolos & Martyres, ut pro eo intercedant. Et armata fronte ſigno crucis, elevatis cum corde & manibus & oculis, Deo gratias agat. Si vero tempus ad hæc omnia peragenda minus ſufficiens fuerit, ſufficiat tantum, Qui plaſmaſti me miſerere mei, &, Deus propitius eſto mihi peccatori, & oratio Dominica tantum cum gemitu & contritione cordis.

XXX. *De confeſſione peccatorum Deo quotidie facienda.*

OMni etenim die Deo in oratione noſtra, aut ſemel, aut bis, aut quanto amplius poſſumus, confiteri debemus peccata noſtra, dicente Propheta, *Delictum meum cognitum tibi feci, &* Pſal. 31. 5. *injuſtitiam meam non abſcondi. Dixi confitebor adverſus me injuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Facta etenim confeſſione

cum gemitu & lacrymis Domino in oratione, recitandus eſt pſalmus quinquageſimus, ſive vigeſimus quartus, ſive trigeſimus primus, atque alii ad rem pertinentes, & ſic complenda eſt oratio. Quia confeſſio quam ſacerdotibus facimus, hoc etiam nobis adminiculum adfert, quia accepto ab eis ſalutari conſilio, ſaluberrimis pœnitentiæ obſervationibus, ſive mutuis orationibus, peccatorum maculas diluimus. Confeſſio vero, quam ſoli Deo facimus, in hoc juvat, quia quanto nos memores ſumus peccatorum noſtrorum, tanto horum Dominus obliviſcitur: & e contrario, quanto nos horum obliviſcimur, tanto Dominus reminiſcitur, dicente Propheta,
Jerem. 31. 34. *Et peccatorum tuorum non memorabor*. Tu autem memor eſto, quod David propheta ſe feciſſe te-
Pſal. 50. 4. ſtatur, cum dicit, *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper*.

XXXI. Qui ad confeſſionem veniunt omnia confiteri, & de omnibus examinari debent.

Confeſſiones dandæ ſunt de omnibus peccatis, quæ ſive in opere, ſive in cogitatione perpetrantur. Octo ſunt principalia vitia, ſine quibus vix ullus inveniri poteſt. Eſt enim gaſtrimargia, hoc eſt ventris ingluvies, ſecundo fornicatio, tertio accidia ſive triſtitia, quarto avaritia, quinto vana gloria, ſexto invidia, ſeptimo ira, octavo ſuperbia. Quando ergo qnis ad confeſſionem venit, diligenter debet inquiri, quomodo aut qua occaſione peccatum perpetraverit, quod peregiſſe ſe confitetur, & juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei perſuaderi, ut & de perverſis cogitationibus faciat confeſſionem. Debet ei etiam injungi, ut de octo principalibus vitiis faciat ſuam confeſſionem, & nominatim ei debet ſacerdos unumquodque vitium dicere, & ſuam de eo confeſſionem accipere.

XXXII. Quod unuſquiſque opera miſericordiæ quæ in alios exercet, in ſeipſo ſpiritaliter agere debeat.

Eſurientes ſatiandi ſunt, ſitientes potandi, nudi operiendi, infirmi & qui in carcere ſunt viſitandi, & hoſpites colligendi, dicente
Matth. 25. 35 Domino, *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere*, &c. Nam hæc omnia, & in ſe quiſque debet ſpiritaliter agere, & in aliis corporaliter adimplere, quia pene nihil proſunt hæc omnia ad vitam æternam compenſendam, ſi luxurioſe, ſuperbe, invide, &, ne ſingula replicem, ſi vitioſe & inordinate quis vivat, & a ceteris bonis operibus
Joan. 6. 41. vacet. Qui ergo videt ſe Chriſtum non habere, qui dixit, *Ego ſum panis vivus qui de cælo deſcendi*, & caritatem quæ eſt paſtus animæ non habet, eſurit quidem: ſed ſi per bona opera Chriſto adjungit ſe, & caritatis dulcedine replet, eſurientem omnino ſe pavit. Qui doctrina Spiritus ſancti & ſcripturarum ſanctarum fluentis caret, ſitiens eſt: ſed ſi ſe fluentis verbi Dei irrigct, & mentem ſuam ſpiritalis poculi dulcedine ebriet iſte ſe ſitientem potat. Qui videt ſe juſtitia, ſive ceteris bonorum operum exhibitionibus nudatum, & induit ſe juſtitia, ſive ceteris virtutibus, nudum ſe proculdubio veſtit. Si in lecto vitiorum ſuorum jacet, & morbo iniquitatis ſuæ laborat, & funibus peccatorum ſuorum conſtrictus eſt, & vitiorum ſuorum obſitus pariete in tenebris iniquitatis ſuæ, eſt infirmus quidem: ſed ſi de luto vitiorum per confeſſionem egreditur, & per pœnitentiæ lamenta vinculis peccatorum abſolvitur, & ad lucem bonorum operum egreditur, infirmum & in carcere poſitum ſe proculdubio viſitat. Si in hujus vitæ via videt ſe laborare, & vitiorum procella quaſi quadam aeris intemperie inquietari, & receptaculum bonorum operum non habere, ſciat ſe in itinere poſitum hoſpitio egere: at ſi ſe ad virtutum domum deducat, & ſeſe in earum tutamine recipiat, hoſpitem quidem ſuſcipit. Quæ omnia cum ſibi ſpiritaliter exhibet, Chriſtum in ſe, cujus ipſe membrum eſt, paſcit, potat, veſtit, viſitat, ac ſuſcipit.

XXXIII. De officio filiorum erga parentes, & parentum erga filios.

Admonendi ſunt fideles ſanctæ Dei Eccleſiæ, ut filios ſuos & filias ſuas doceant parentibus obedientiam exhibere, dicente Domino, *Filii, honorifica patrem tuum*. Nam & *Eccli.* 7. 29.
ipſi parentes erga filios ſuos ac filias ſuas modeſte debent agere, dicente Apoſtolo, *Et vos* *Epheſ.* 6. 4.
parentes, nolite ad iracundiam provocare filios veſtros. Nam & hoc dicendum eſt eis, ut ſi illi genitali affectu parcere velint injuriis filiorum, non has impune Dominus ſinit, niſi forte digna pœnitentia exhibeatur, & quia levius eſt filiis parentum quælibet flagella ſuſcipere, quam Dei iram incurrere.

XXXIV. Vera caritas quænam ſit.

Admonendus eſt populus, quod hæc ſit vera caritas, quæ Deum diligit pluſquam ſe, & proximum tamquam ſe, & quæ nihil vult alii facere, niſi quod ſibi vult fieri. & plura quæ recenſere longum eſt. Nam & quicumque in potu & cibo, & dandis atque accipiendis rebus, caritatem tantum putant, non mediocriter errant, dicente Apoſtolo, *Regnum* *Rom.* 14. 17.
Dei non eſt cibus & potus. Nam & ipſa quando cum caritate faciunt, bona ſunt, & inter virtutes computanda.

XXXV. Quid cavere mercatores debeant qui negotiantur.

Admonendi ſunt, qui negotiis ac mercationibus rerum invigilant, ut non plus terrena lucra, quam vitam cupiant ſempiternam. Nam qui plus de rebus terrenis, quam de animæ ſuæ ſalute cogitat, valde a via veritatis aberrat, & juxta quemdam ſapientem, in vita ſua perdidit intima ſua. Sequendus eſt enim in hac parte, ſicut & in ceteris, Apoſtolicus ſermo, qui ait, *Et ne quis ſupergrediatur, neque cir-* 1. *Theſ.* 4. 6.
cumveniat in negotio proximum ſuum: vindex eſt enim Deus de his omnibus. Sicut enim ab his qui labori agrorum, & ceteris laboribus victum atque veſtitum & neceſſaria uſibus humanis acquirere inhiantes ſtant, decimæ & eleemoſynæ dandæ ſunt: ita his quoque qui pro neceſſitatibus ſuis negotiis inſiſtunt, faciendum eſt. Unicuique enim homini Deus dedit artem qua paſcatur, & unuſquiſque de arte ſua, de qua corporis neceſſaria ſubſidia habet, animæ quoque, quod magis neceſſarium eſt, ſubſidium adminiſtrare debet.

XXXVI. Quid curandum ſit ante Quadrageſimam, & quod ſeptem modis peccata dimittantur.

HEbdomada nna ante initium Quadrageſimæ confeſſion:s ſacerdotibus dandæ ſunt, pœnitentia accipienda, diſcordantes reconciliandi, & omnia jurgia ſedanda, & dimittere debent debita invicem de cordibus ſuis, ut liberius dicant, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Et ſic ingredientes in beatæ Quadrageſimæ tempus mundis & purificatis mentibus ad ſanctum Paſcha accedant, & per pœnitentiam ſe renovent, quæ eſt ſecundus baptiſmus. Sicut enim baptiſmus peccata, ita pœnitentia purgat. Et quia poſt baptiſmum peccator denuo non poteſt baptizari, hoc medicamentum a Domino pœnitentiæ datum eſt, ut per eam vice baprifmi peccata poſt baptiſmum diluantur. Septem enim modis peccata dimitti, ſcripturæ ſanctæ demonſtrant. Primo, in baptiſmate, qui propter remiſſionem peccatorum datus eſt. Secundo, per martyrium,
juxta illud quod ait Pſalmiſta, *Beatus cui non*
Pſal. 31. 2. *imputavit Dominus peccatum*. Quia juxta ejuſ-
dem David ſententiam, *Beati quorum remiſſæ*
Ibidem. 1. *ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*.
Remittuntur peccata per baptiſmum, tegunrur per pœnitentiam, non imputantur per martyrium. Tertio, per eleemoſynam, juxta Danielem, qui profano Nabuchodonoſor regi ait, *Pec-*
Dan. 4. 24. *cata tua eleemoſynis redime in miſericordiis pau-*
Eccli. 3. 33. *perum*, & illud, *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna extinguit peccatum*. Et Dominus in
Luc. 11. 41. Evangelio, *Verumtamen date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*. Quarto, ſi remittat quis peccanti in ſe peccata ſua, juxta illud,
Marc. 11. 25. *Dimittite & dimittetur vobis, date & dabitur vobis*. & illud, *Sic & pater veſter dimittet vobis peccata veſtra, ſi remiſeritis unicuique de cordibus veſtris*. Quinto, ſi per prædicationem ſuam quis, & per bonorum exercitium alios ab errore ſuo
Jacob. 5. 19. convertat, juxta illud quod ait Apoſtolus, *Quoniam ſi converti fecerit quis peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum*. Sexto, per ca-
1. Pet. 4. 8. ritatem, juxta illud, *Caritas Dei cooperit multitudinem peccatorum per Jeſum Chriſtum dominum noſtrum*. Septimo, per pœnirent am, juxta
Pſal. 31. 4. illud quod ait David, *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina*.

XXXVII. Quod jejunium Quadrageſimæ ſumma cura obſervandum ſit.

IPſa autem Quadrageſima cum ſumma obſervatione cuſtodiri debet, ut jejunium in ea, præter dies Dominicos, qui abſtinentiæ ſubtracti ſunt, nullatenus reſolvatur. quia ipſi dies decimæ ſnnt anni noſtri, quos cum omni religione & ſanctitate tranſigere debemus. Nulla in his occaſio ſit reſolvendi jejunii: quia alio tempore ſolet jejunium cariraris cauſa diſſolvi, iſto vero nullatenus debet. Quia in alio jejunare in voluntate & arbitrio cujuslibet poſitum eſt, in hoc vero non jejunare, præceptum Dei tranſcendere eſt. Et in alio tempore jejunare, præmium abſtinenti acquirere eſt: in hoc vero, præter infirmos ac parvulos, quiſquis non jejunaverit, pœnam ſibi acquirit, qnia eoſdem dies Dominus, & per Moyſem, & per Eliam, & per ſemetipſum ſacro jejunio conſecravit.

XXXVIII. Quod cum jejunio eleemoſyna jungenda ſit.

DIebus vero jejunii eleemoſyna facienda eſt, & cibum vel potum, quo quiſque uti debuit ſi non jejunaret, pauperibus eroget, quia jejunare & cibos prandii ad cœnam reſervare, non mercedis, ſed ciborum eſt incrementum.

XXXIX. Quod jejunium ante veſpertinum officium ſolvi non debeat.

SOlent plures, qui ſe jejunare pntant, mox ut ſignum audiunt ad nonam, mandncare, qui nullatenns jejunare credendi ſunt, ſi ante manducaverint, qnam veſpertinum celebretur officium. Concurrendnm eſt enim ad Miſſas, & auditis Miſſarum ſolemnibus, ſive veſpertinis officiis, largitis eleemoſynis, ad cibum accedendum eſt. Si vero aliqnis neceſſitate conſtrictus fuerit, ut ad Miſſam convenire non valeat, æſtimata veſpertina hora, completa oratione ſua, jejunium abſolvere debet.

XL. A quibuſnam abſtinendum ſit cum jejunatur.

ABſtinentia vero in his diebns omnium deliciarum eſſe debet, & ſobrie, & caſte vivendum. Qui vero ovis, caſeo, piſcibus, & vino abſtinere poreſt, magnæ virtutis eſt: qui autem his, aut infirmitate interveniente, aut quolibet opere, abſtinere non poteſt, utatur. Tantum nt jejunium uſque ad veſperum ſolemniter celebret: & vinum non ad ebrietatem, ſed ad refectionem corporis ſui ſumat. A caſeo vero, lacte, butyro, & ovis abſtinere, & non jejunare*, dementiſſimum eſt, & omni ratione ſe-
motnm. Vini enim ebrietas & luxuria prohibi-
ta ſunt, non lac & ova. Non ait Apoſtolus:
Nolite comedere lac & ova, ſed, *Nolite ine-* Ephes. 5. 18.
briari vino, in quo eſt luxuria,

* deeſſe videtur a vino.

XLI. Quibus diebus in Quadrageſima communicare debeant fideles, & de Paſchalis hebdomadæ celebritate.

SIngulis diebus Dominicis in Quadrageſima, præter hos qui excommunicati ſunt, ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti ſumenda ſunt, & in Cœna Domini & in Paraſceve, in vigilia Paſchæ, & in die Reſurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum, & ipſi dies Paſchalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi ſunt.

XLII. Quod jejuniorum diebus ceſſare debeant lites & contentiones.

IN his jejuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones eſſe debent, ſed in Dei laudibus & in opere neceſſario perſiſtendum. Arguit enim eos, qui contentiones & lites Quadrageſimæ tempore exercent, & qui debita a debitoribus exigunt, Dominus per Prophetam dicens,
Ecce in die jejunii veſtri inveniuntur voluntates Eſa. 58. 3.
veſtræ, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites, & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie.

XLIII. Quod diebus jejuniorum abſtinendum ſit a conjugibus.

ABſtinendum eſt enim in his ſacratiſſimis diebus a conjugibus, & caſte & pie vivendum, ut ſanctificato corde & corpore iſti ſancti dies tranſigantur, & ſic perveniatur ad diem ſanctum Paſchæ, quia pene nihil valet jejunium quod conjugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, & eleemoſynæ non commendant.

XLIV. De ſacra communione, quo modo & quam frequenter uſurpanda ſit,

ADmonendus eſt populus, ut ad ſacroſanctum ſacramentum corporis &. ſanguinis Domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc nimium abſtineat: ſed cum omni diligentia eligat tempus, quando aliquandiu ab opere conjugali abſtineat, & vitiis ſe purget, virtutibus exornet, eleemoſynis & orationibus inſiſtat, & ſic ad tantum ſacramentum accedat. Quia ſicut periculoſum eſt, impurum quemque ad tantum ſacramentum accedere, ita etiam periculoſum eſt ab hoc prolixo tempore abſtinere. Salva ratione eorum, qui excommunicati, non quando eis libet, ſed certis temporibus communicant, & religioſis quibuſcumque ſancte viventibus, qui pene omni die id faciunt.

XLV. Ut diebus Dominicis populus per Miſſas peculiares a publicis non abſtrahatur.

UT Miſſæ, quæ per dies Dominicos peculiares a ſacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus a publicis Miſſarum ſolemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt, abſtrahatur: quia peſſimus uſus eſt apud quoſdam, qui in diebus Dominicis, ſive in quibuslibet feſtivitatibus, mox ubi Miſſam celebrari, etiam ſi pro defunctis ſit, audierint, abſcedunt, ut per totum diem a primo mane ebrietati & comeſſationi potius quam Deo deſerviant.

XLVI. Ut omnes ad matrem Eccleſiam Miſſarum ſolemnia & prædicatorem audituri conveniant, neque ante peractum officium cibum capiant.

ADmonendus eſt populus, ut ante publicum peractum officium ad cibum non accedat, & omnes ad ſanctam matrem Eccleſiam Miſſarum ſolemnia, & prædicationem audituri conveniant, & ſacerdotes per Oratoria nequaquam Miſſas niſi tam caute ante ſecundam horam celebrent, ut populus a publicis ſolemnitatibus non abſtrahatur. Sed ſive ſacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe ſunt, ſive populus, ut prædiximus, in unum ad publicam Miſſarum celebrationem conveniant, exceptis Deo ſacratis feminis, quibus mos eſt ad publicum non egredi, ſed clauſtris monaſterii contineri.

Sirmondus T. 2. Conc. Gall. ad an. Chriſti 797. pag. 682.

Qui hos Theodulfi canones primus in lucem dedit Cardinalis Baronius, cum de tempore quo ſcripti ſunt certi nihil haberet, in annum Chriſti dcccxxxv. eos conjecit, ſerius omnino quam par fuit; quia Theodulfum ad ea tempora non perveniſſe oſtendit Jonas ejus in Aurelianenſi cathedra ſucceſſor, qui a Ludovico Pio poſt Synodum Pariſienſem ad Eugenium Papam miſſus eſt anno dcccxxiv. nobis etſi de anno compertum nihil erat, aptius tamen referri ad hæc tempora viſum eſt, quæ propius aberant ab exordio Pontificatus Theodulfi; quem per hos annos, atque ante Synodum Francofordienſem, epiſcopum jam fuiſſe, Alcuini ad Carolum Regem epiſtola declarat.

THEODULFI
EPISCOPI AURELIANENSIS
[a] DE ORDINE BAPTISMI
LIBER
AD MAGNUM SENONENSEM.

Reverentiſſimo atque cariſſimo fratri Magno Epiſcopo Theodulfus ſalutem.

PRæceptum tuum, vir venerabilis Magne, peregi, & ſi non ſollerti efficacia, plena tamen obedientia. Præcepiſti enim mihi, immo per te caritas præcepit, ut quibuſdam quæſtionibus de ordine baptiſmi a domino & glorioſo Imperatore Carolo tibi tranſmiſſis breviter & cito reſponderem. Coartantibus itaque me hinc brevitate, qua cogebar brevi ſermone res magnas expedire, illinc temporis anguſtia, qua cito quod juſſeras adimplere volebam, explevi quod juſſiſti. Quod opus o utinam eſſet tam efficaciter expletum, quam eſt libenter ſuſceptum. Quanquam ergo mihi ſpatioſe tractandi, & patrum volumina revolvendi, quibuſdam

a *De ordine Baptiſmi.*) Ex quatuor hujus libri exemplaribus, quæ in manus meas venerunt, tria ſunt quæ ad Magnum Epiſcopum miſſum docent, Virdunenſe, Divionenſe, & Vaticanum, quartum Corbeienſe pro Magno Joannem habet, mendoſe ut opinor. Extat ſane apud nos Magni ejuſdem Senonenſis Epiſcopi, *De myſterio baptiſmatis*, ſic enim appellat, brevis libellus, nondum editus, ad Carolum Imp. in quo ſe ad ſcribendum regio juſſu impulſum teſtatur. Extat & inter Alcuini opera liber de ſacro item baptiſmate ad Carolum eumdem, falſa conjectura, quod titulo careret, Alcuino adſcriptus, cum auctor revera ſit Amalarius Epiſcopus, quemadmodum ex codice Petaviano didicimus. Et vero quæ ſub ejus libri finem leguntur, *Dixiſti, ſereniſſime Auguſte, velle vos ſcire qualiter nos & noſtri ſuffraganei doceremus populum Dei de baptiſmi ſacramento*, ejuſmodi ſunt, quæ in Alcuinum, qui Epiſcopus non fuit, cadere non poſſint, apprime autem conveniunt Amalario Epiſcopo Trevirenſi.

occu-

occupationibus præpedientibus facultas nulla ſuppeteret, & me ad juſſionem implendam caritas permoveret: de ſingulis quæ mihi occurrere potuerunt celeri curſu ſcripſi, & veſtræ fraternitati miſi, ut ſi non habuerint reſponſa emolumentum, ſaltim obedientia habeat fructum. Quæſtiones interea iſtæ, ut ego te noſſe certus ſum, a regali neceſſitudine non ſunt factæ neceſſitate diſcendi, ſed ſtudio docendi: nec ut ipſe his abſolutis de neſcitis valeat imbui, ſed ut alii de ſomno deſidioſi torporis ad rerum abſolvendarum utilitatem valeant excitari. Quippe cui hoc ſemper familiare eſt, ut exerceat Præſules ad ſanctarum ſcripturarum indagationem, & ſauam ſobriamque doctrinam, omnem A clerum ad diſciplinam, philoſophos ad rerum divinarum humanarumque cognitionem, monachos ad religionem, omues generaliter ad ſanctitatem, primates ad conſilium, judices ad juſtitiam, milites ad armorum experientiam, prælatos ad humilitatem, ſubditos ad obedientiam, omnes generaliter ad prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam atque concordiam. His & his ſimilibus rebus ille virorum optimus, Deo ſibi propitio, ſanctæ Eccleſiæ faſtigium adcumulare non ceſſat, & admirabili in rerum Eccleſiaſticarum ſive civilium adminiſtratione ſtrenuus, & ſapientiæ fonte redundat, & virtutis exhibitione triumphat.

INCIPIUNT CAPITULA.

1. *Cur infans catechumenus efficitur.*
2. *Quid ſit catechumenus.*
3. *Cur exſufflatur.*
4. *Cur exorcizatur.*
5. *Cur catechumenus accipit ſalem.*
6. *Quæ ſit interpretatio ſimboli ſecundum Latinos.*
7. *De credulitate: quomodo credendum ſit in Deum patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum filium ejus natum & paſſum. Et in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, & cetera quæ ſequuntur in eodem ſymbolo.*
8. *De ſcrutinio.*
9. *Cur tanguntur de ſputo nares & aures.*
10. *Cur pectus oleo ungitur, vel ſcapulæ ſignantur vel liniuntur.*
11. *Quid ſit abrenuntiatio;*
12. *De abrenuntiatione ſatanæ, & omnibus operibus ejus, atque pompis, vel quæ opera diaboli & pompæ.*
13. *De ſacramento baptiſmi.*
14. *Cur albis induitur veſtibus.*
15. *Cur ſacro chriſmate caput perungitur.*
16. *Cur myſtico tegitur velamine.*
17. *Cur ab Epiſcopo confirmatus per manus impoſitionem accipiat ſeptiformis gratiæ ſpiritum.*
18. *Cur corpore & ſanguine dominico confirmetur.*

I. Cur infans catechumenus efficitur.

QUod modo Infantes catechumeni efficiuntur antiquus mos ſervatur. Quicumque enim ad Apoſtolos credentes baptizandi adveniebant, inſtruebantur & docebantur ab eis, & inſtructi & docti de ſacramento baptiſmatis & de ceteris regulis fidei, accipiebant ſacroſanctum myſterium baptiſmatis. Unde ait Apoſtolus,
Rom. 6. 3. *An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus?* In quibus verbis oſtenditur, non eos ignoraſſe ſacramenti baptiſmatis arcana qui baptizabantur. Sed & Dominus non ut-
Matt. 28. 19. cumque ait, Ite, baptizate, ſed, *Ite, & docete omnes gentes, baptizantes eos.* Ut noſſe poſſimus, primum inſtruere & docere debere eum qui baptizandus eſt, & poſtea baptizare. Infantes ergo & audientes & catechumeni fiunt. non quo in eadem ætate & inſtrui & doceri poſſint: ſed ut antiquus mos ſervetur, quo Apoſtoli eos quos baptizaturi erant primum docebant & inſtruebant, ſicut jam dictum eſt.

II. Quid ſit catechumenus.

CAtechumenus autem audiens, ſive inſtructus interpretatur. Genus enim humanum audit & inſtruitur antequam ad baptiſmum veniat. Et quod per Moyſem quondam audierat,
Deut. 6. 4. *Audi Iſrael Dominus Deus tuus Deus unus eſt*, & per leges & prophetas inſtruebatur ad unius veri Dei cultum: modo per ſacerdotum miniſterium & audiens efficitur ut inſtrui valeat, & relicto ritu quo creaturæ deſerviebat, ſoli creatori Deo deſerviat. Sic enim catechumeni in Chriſtum credunt, ut adhuc ſua peccata pot-

B tent. De quibus puto in Evangelio dictum; Qui dum crederent in Jeſum, ipſe *Jeſus non ſe* Joan. 2. 24.
credebat eis. Quicumque ergo a Joanne docebantur, ſive inſtruebantur & baptizabantur, quia baptiſmus ejus peccata delere non poterat, catechumenorum typum prætuliſſe noſcendi ſunt.

III. Cur exſufflatur.

IN quorum etiam facie a ſacerdote per exſufflationem ſignum crucis fit, ut & Diabolus fugetur, & Chriſto via præparetur: ut qui inlecebroſa perſuaſione ſua generis humani, quod in primordio ſui ſpiraculum vitæ acceperat, habitator erat, ejus virtute & ſacratiſſimo ſigno per miniſterium ſacerdotum exire cogatur, qui & in diſcipulos ſuos inſufflaſſe, & ſpiritus immundos increpaſſe legitur.

C

IV. Cur exorcizatur.

UNde & exorcizatur idem malignus ſpiritus, ut exeat & recedat ab illo plaſmate, quod jam dudum per peccatum primi hominis poſſidebat. Et quia non eſt juxta Apo-
ſtolum, *conventio Chriſti ad Belial, nec ſocietas* 1. Cor. 6. 15.
luci ad tenebras: egrediantur tenebræ, & lux
vera Chriſtus ingrediatur. Qui & in Zacharia Zach. 3. 3.
typice propter peccata noſtra quæ in corpore ſuo portavit, ſordida veſtimenta habuiſſe legitur, Et increpans ſatanam, Hieruſalem elegit, ſanctam videlicet Eccleſiam, quæ eſt viſio pacis, quam quotidie prole nova fœcundet. Cui per
prophetam dicitur, *Filii tui de longe venient,* Eſa. 60. 4.
& filiæ tuæ de latere ſurgent. Exorciſmus prætetea eſt ſermo increpationis ſive conjurationis.

Unde & in actibus Apoſtolorum exorciſtæ fuiſſe leguntur, & ſancta Eccleſia inter gradus Eccleſiaſticos exorciſtarum etiam miniſterium habet. Sciendum namque eſt, quia cum exorcizatio fit, ille proculdubio exorcizatur, qui & baptiſmati, & ſaluti fidelium, & omnibus virtutibus ejus contrarius eſt. Illo enim exorcizato ſive expulſo, divini verbi condimentum credentibus datur.

V. Cur catechumenus accipit ſalem.

ET idcirco hi qui baptizandi ſunt ſalem in ſacramento accipiunt, ut ejus guſtu condimentum ſapientiæ percipiant, neque a ſapore Chriſti decipiantur, & ſint inſulſi & fatui. Qui
Matth. 5. 13. enim ait diſcipulis ſuis, *Vos eſtis ſal terræ*, ipſe
Luc. 9. 62. dixit, *Nemo mittens manum ſuam in aratro, & reſpiciens retro, regno cælorum aptus eſſe poteſt.* ut autem qui baptizantur regno cælorum apti ſint, & ne præterita peccata iterantes reſpiciant retro, & efficiantur ſtatua ſalis, & remanentes inſenſati exemplo pœnæ ſuæ alios condiant, debent accipere ſalem ſapientiæ, ut quicquid in eis fluxum & fluidum eſt, verbi Dei ſale curetur, & juxta Apoſtolum memores ſint uxoris Loth. Et ſicut Heliſeus ſalis immiſſione ſterilitatem aquæ curavit, ita nimirum verus Heliſeus dominus noſter Jeſus Chriſtus verbi ſui ſapore fluidam generis humani ſterilitatem ad dulcem fidei & bonorum operum ſaporem perducit. Cujus fidei firmitas tunc jam clare eluceſcit, cum is qui audierat ſolius Dei cultum eſſe tenendum, unde audiens vocatus eſt, & inſtrui cœperat de veræ religionis cultu, unde catechumenus vocatus eſt, & per exſufflationem & exorcizationem a maligno ſpiritu erutus eſt, & n datione ſalis jam habere cœpit guſtum divini verbi, tradatur ei ſymbolum, id eſt veræ fidei integra & inconvulſa confeſſio, ut domus priſco habitatore derelicto fide ornetur, & de qua ſpinæ incredulitatis evulſæ ſunt, incipiant in ea veræ fidei documenta plantari. Prius enim evellendæ ſunt incredulitatis ſive vitiorum ſpinæ, & poſtea plantanda ſunt fidei & bonorum operum rudimenta. Unde & Dominus ante faciem filiorum Iſrael ſeptem gentes typum vitiorum tenentes contrivit, in quarum loco in typo virtutum Iſraeliticum populum collocavit. Et ad
Hier. 1. 10. Hieremiam prophetam dicit, *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, & diſſipes, & diſperdas, & ædifices, & plantes.* Prius enim dixit evulſionem & deſtructionem & diſſipationem & diſperſionem, & poſtea ſubjecit ædificationem & plantationem.
Hier. 31. 28. & per eundem Prophetam ait, *Sicut vigilavi ſuper eum, ut evellerem & demolirer & diſſiparem & diſpergerem & adfligerem, ſic vigilabo ſuper eos, ut ædificem & plantem.* Et hoc ideo quia poſt exorcizationem & exſufflationem, ſymboli ſequitur traditio.

VI. Quæ ſit interpretatio ſymboli ſecundum Latinos.

QUod ſymbolum Latine indicium, vel ſignum, vel collatio interpretatur. Indicium, quia per id indicatur fidei integritas. ſignum, quod eo bene retento & intellecto fideles ab infidelibus diſcernuntur. collatio, quia in eo Apoſtoli omnem fidei integritatem contulerunt. Quod autem omnes pari fidei ſinceritate corde retinebant, ore confeſſi ſunt, & ſinguli proprias ſententias conferentes, ſymbolum, id eſt totius fidei conlationem ediderunt. Diſceſſuri enim ab invicem normam futuræ prædicationis in commune ſtatuerunt, ne localiter ab invicem diſcedentes diverſum aliquid vel diſſonum prædicarent. Decentiſſimum namque & utile erat, ut quibus erat anima una & cor unum in Domino, & quos ſancti Spiritus afflatus vegetabat, unius etiam fidei confeſſio exornaret. Nec enim dirimi in aliquo vel poterant vel debebant, qui unius fidei vinculo nectebantur. Plerique interea verbum abbreviatum per Eſaiam prophetam, in ſymbolo & oratione Dominica intelligi volunt. In altero enim fidei, in altero precum continetur integritas, ut & in duodecim verbis duodecim Apoſtolorum doctrina, & in ſeptem petitionibus omne contineatur quicquid ad præſentis & futuræ vitæ pertinet diſpenſationem. Quamvis etiam totius doctrinæ verbum dici poſſit abbreviatum, quia quod prius lex & prophetæ continebant in latitudine præceptorum, veniens Dominus pronuntiavit & dixit, *Diliges Dominum tuum ex* Matth. 22. 37.
toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & proximum tuum tanquam teipſum. In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. In quo evidenter prophetas & legem duobus his ſermonibus breviat. Hæc de ſymbolo & nomine ejus dicta ſint.

VII. De credulitate, quomodo credendum ſit in Deum patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum filium ejus, & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, & cetera quæ ſequuntur in eodem ſymbolo.

CEterum fides, quæ in hoc ſymbolo continetur, ita ab his qui baptizandi ſunt intelligi debet, ut credant in Deum patrem omnipotentem, creatorem omnium viſibilium & inviſibilium, qui ſolus quia non eſt de alio, ideo ſolus appellatur ingenitus. Et in Jeſum Chriſtum filium ejus, per quem omnia facta ſunt, verum Deum unigenitum verumque Dei filium, non factum aut adoptivum, ſed genitum, & unius cum patre ſubſtantiæ, atque ita per omnia æqualem Deo patri, ut nec tempore, nec gradu, nec poteſtate eſſe poſſit inferior. tantumque eſſe illum qui eſt genitus, quantus eſt ille qui genuit. Credant etiam eum natum de Spiritu ſancto ex Maria ſemper virgine: id eſt, ut Spiritu ſancto cooperante, verum ſibi corpus ex virgine idem Dei filius adſumpſerit, ut qui erat in divinitate Dei patris filius, ipſe factus ſit in humanitate hominis matris filius. Credant etiam eum deſcendiſſe ultimo tempore pro redemptione mundi a patre, qui nunquam deſiit eſſe cum patre, & hominem verum factum, ut humanum genus homo liberaret. Et ipſe qui abſque initio æternitatem cum patre & Spiritu ſancto poſſidet, in fine ſæculorum perfectum naturæ noſtræ hominem ſuſceperit, & Verbum caro factum ſit, adſumendo humanitatem, non permutando divinitatem. Credant etiam eum pertuliſſe paſſionem & mortem, non in virtute divinitatis, ſed in infirmitate humanitatis, mortuum vera carnis morte, reſurrexiſſe vera carnis reſurrectione, & reſurrectione ſua ſpem nobis reſurrectionis contuliſſe: ita duntaxat, ut ſicut ille tertia die reſurrexit vivus a mortuis, ita & nos in fine ſæculorum reſurgamus in eadem

qua nunc vivimus carne. Credant etiam eum in eodem corpore, quod de virgine aſſumpſit, & paſſionem ſuſtinuit & reſurrexit, aſcendiſſe in cælum, & in eodem & nunc eſſe, & ad judicium venturum eſſe, & reſuſcitatis omnibus, dare aliis pro peccatis ſupplicii æterni ſententiam, aliis pro juſtitiæ meritis æternæ beatitudinis præmium. Credant & in Spiritum ſanctum, Deum verum ex patre filioque procedentem, æqualem per omnia patri & filio, voluntate, poteſtate, æternitate, ſubſtantia. nec eſſe in hac ſancta Trinitate ullos gradus, quibus aliquis inferior ſuperiorve dici poſſit. Credant etiam ſanctam Eccleſiam catholicam, id eſt univerſalem, non in ſanctam Eccleſiam, ut credentes in Trinitatem. Credant ejuſdem ſanctæ Trinitatis domum eſſe ſanctam Eccleſiam. A cujus communione diſcedentes ſchiſmatici & hæretici vocantur, & æterna damnatione puniuntur. In ejus vero communione permanentes, & membra Chriſti eſſe, & remiſſionem peccatorum percipere, & ad vitam æternam pertinere. Quia ergo parvuli, necdum ratione utentes, hæc minime capere poſſunt, oportet ut cum ad intelligibilem ætatem pervenerint doceantur, & fidei ſacramentis, & confeſſionis ſuæ myſteriis, ut ea veraciter credant & diligenti cura cuſtodiant. Confeſſionem ſuam plane diximus, quia quamvis illi necdum loqui poſſint, pro illis & confitentur & loquuntur qui eos de lavacro fontis ſuſcipiunt. Nec immerito dignum eſt, ut qui aliorum peccatis obnoxii ſunt, aliorum etiam confeſſione per myſterium baptiſmatis remiſſionem originalium percipiant peccatorum.

VIII. De ſcrutinio.

QUi vero illius ſunt jam ætatis ut rationem credulitatis ſuæ reddere poſſint, diligenti examine ſcrutandi ſunt, utrum veraciter credant, an alicujus falſitatis in eis macula celetur: ne dum, aut timore aut favore terrenarum poteſtatum, aut adquiſitione quarumdam rerum, ad baptiſmatis ſacramentum ignorantibus miniſtris Eccleſiæ perveniunt, tradatur ſanctum canibus, & mittantur margaritæ inter porcos, & lupi ovina pelle veſtiantur. Hunc enim morem Eccleſia ſervare conſuevit, ut per aliquot dierum ſpatium hi qui in ſollemnitate Paſchali baptizandi ſunt ſcrutentur, ut inſtructis & doctis, & ſimplici corde ad fidem veram venientibus, vitæ ſacramenta impertiantur. Quibus, ut aptiores inveniantur baptiſmatis ſacramento, & eorum fides probabilior ſit, quædam fiunt corporaliter, quæ ſpiritali guſtu deguſtata myſticum quid & ſpiritale ſapiant.

IX. Cur tanguntur de ſputo aures & nares.

TAnguntur itaque de ſputo nares & aures, & dicitur, Effeta. Nares, ut Chriſtum in
Cant. 1. 3. odore unguentorum ſequantur, & dicant, *Trahe me, poſt te curremus*, & cum Apoſtolo pro-
2. Cor. 2. 15. fiteantur dicentes, *Chriſti bonus odor ſumus Deo*, & illius membra efficiantur cui dicitur. *Et o-*
Cant. 4. 10. *dor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Quem odorem tunc bene habere poterit, ſi cum Maria, quæ interpretatur domina ſive illuminatrix, alabaſtro unguenti, hoc eſt ſacræ fidei puritate & bonæ operationis exercitio, ungant pedes Jeſu, Apoſtolorum videlicet monita complentes, vel prædicatorum quorumlibet, per quos Chriſtus inambulat, & domus, mundus videlicet, ſive univerſitas ſanctæ Eccleſiæ, eorum bona opinione, quaſi quodam dulci & ſuavi odore repleatur. Et quia plerumque odoris ſuavitas & diverſa thymiamata diſſolutis & amatoribus conveniunt, iſti e contrario, & continentes & Chriſti amatores effecti, illius ſolummodo ſalutiferum ſemper amplectantur odorem. Tanguntur & aures, ut audientes verba Dei, & facientes ea, ſimiles ſint ſecundum Evangelium Matth. 7. 24.
viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram, & ſpiritali auditu ſemper ſpiritalia auſcultent: ut cum David dicere poſſint, Pſal. 84. 9.
Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, & cum Iſaia, *Dominus Deus aperuit mihi aurem*, Eſa. 50. 5.
ego autem non contradico, retrorſum non abii. ut quæ ſpiritaliter dicuntur ſpiritaliter audientes, ad ſpiritalium operum emolumenta perveniant. Cum itaque Dominus in Evangelio dicit, *Qui habet aures audiendi audiat*: & Joan- Matth. 11. 15
nes in Apocalypſi ſua, *Qui habet aures audien-* Apoc. 2. 7.
di audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis, hic non aures carnales, ſed ſpiritales quæruntur, & per aurium nomen interioris hominis auditus deſignatur. In ſacro etenim eloquio plerumque per membra corporis ſpiritales animæ virtutes intelliguntur. Quia ergo divinitas hominem adſumens, quoddam ex connexione duarum ſubſtantiarum in una Dei filii perſona collyrium fecit, unde genus humanum, quod cæcum a primis parentibus natum erat, illuminaret, non ab re ſputo aures tanguntur & nares, ut qui exſpuens linguam muti tetigerat, & ſputo lutum fecerat, & oculos cæci nati aperuerat, nunc per miniſterium ſacerdotum, & auditum ſpiritalem his qui baptizandi ſunt tribuat, & recte loquendi, id eſt fidem veram confitendi facultatem præbeat, & nares quibus bonum Chriſti odorem capiant aperiat. Pectus enim illius qui baptizatur refertum ſemper eſſe debet, & divini odoris nectare, & ſpiritali unctione delibutum.

X. Cur pectus oleo ungitur, vel ſcapulæ ſignantur, vel liniuntur.

UNde etiam his qui baptizandi ſunt pectus de oleo & ſcapulæ tanguntur, ut illius olei ſancti videlicet ſpiritus unctione liniti, de quo Apoſtolus ait, *Sicut unctio ejus docet nos* 1. Joan. 2. 27.
de omnibus, ante & retro muniti, id eſt contra omnia proſpera ſive adverſa ſint circumſpecti, & cæleſtium animalium imitatione ante & retro pleni ſint oculis, id eſt in præteritum & futurum reſpicientes ſalutis ſuæ cuſtodiam non amittant. Tangitur eis pectus, ut cum David dicere poſſint, *Et miſericordia ejus præve-* Pſal. 58. 11.
niat me. Tanguntur ſcapulæ, ut cum eodem dicant, *Et miſericordia ejus ſubſequatur me.* Id Pſal. 22. 6.
eſt, anteriora, ut bene velint; poſteriora, ne fruſtra velint. Bene autem velle & perficere ab eo nobis datur, a quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum. Et quoniam in cordis nomine ſæpe mens deſignatur, ſicut eſt illud, *In toto corde meo exquiſivi te*, & in olei Pſal. 118. 10.
nomine intelligitur unctio ſancti Spiritus, ſive opera luminis & miſericordiæ, cordis locus unctione utrimque munitur, id eſt anterior & poſterior, & undique mens Chriſtiani & pinguedine ſancti Spiritus, & operibus luminis atque miſericordiæ exuberet.

XI. *Quid ſit abrenunciatio.*

QUibus bene exuberat, ſi abrenuntiando diabolo, & operibus ejus, dominationem illius aſpernetur, & jugum quod ſe premebat, illius olei unctione fatiſcat, & impleatur illud propheticum, *Computreſcet jugum a facie olei*.
Eſa. 10.27. Abrenuntiare etenim poni ſolet pro eo quod eſt ſpernere, reicere, contradicere, ſive aliud quid quod hoc verbo in hoc ſenſu exprimi poteſt. Quamvis enim illius verbi quod eſt nuntio ſenſus in promptu ſit, cum ſine præpoſitione profertur, & accepta præpoſitione interdum a ſua ſignificatione non longe recedat, ut eſt illud, *Narrabo & renuntiabo*, interdum vero in alium
Pſal. 54. 18. ſenſum vertatur, ut eſt illud, *Sic ergo omnis*
Luc. 14. 33. *ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*: abrenuntiare tamen ſemper in eo ſenſu poni conſuevit quem ſuperius diximus. Abrenuntiare etenim ſe fatetur Satanæ, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus. Quam abrenunciationem recte confeſſio ſanctæ Trinitatis ſequitur, ut ubi abundavit peccatum, ſuperabundet gratia, & ubi computruit jugum diaboli a facie unctionis Spiritus ſancti, adveniat illius jugum qui dixit, *Diſcite a me quia mitis ſum & humilis corde*,
Matt. 11. 29. *& invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Satanas enim, qui & diabolus nuncupatur, a fidelibus abrenunciatur, ut Deo ſalvatori liberius ſerviatur, quia juxta ejuſdem Domini vocem, *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.*
Luc. 16. 13.

XII. *De abrenuntiatione Satanæ, & omnibus operibus ejus atque pompis, vel quæ opera Diaboli & pompæ.*

ABrenuntiatur etiam operibus ejus, quia opera illius contraria ſunt operibus Salvatoris. Et quia ille armis ſuis, id eſt vitiis, genus humanum ſibi ſubjecit, Dominus armis ſuis, id eſt virtutibus, illum debellavit. In illius enim militia, id eſt peccatis noſtræ ſervitutis permanens, accepit mortem: in iſtius militia, id eſt virtutibus, accipimus vitam æternam. Septem itaque principalia vitia, quibus diabolus genus humanum infeſtat, non incongrue opera Satanæ dicere poſſumus. Quibus opponuntur ſeptem principales virtutes, quæ opera ſunt proculdubio ſalutaria. Nec minus interea pompis ejus abrenuntiatur. quæ utique opera ſunt Satanæ: ſed eo quaſi diſcerni videntur a ceteris operibus ejus, quia in eis ſuperbia, cujus ille auctor eſt, & quæ eum dejecit, quodammodo deſignatur. Pompæ igitur ejus ſunt, ambitio, arrogantia, vana gloria, & cetera hujuſcemodi, quæ de fonte ſuperbiæ procedere dinoſcuntur. Pompam enim, ambitionem ſive jactantiam, & his ſimilia intelligi debere propheticus ſermo demonſtrat cum dicit, *Væ qui opulenti*
Amos 6. 1. *eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Iſrael.* Sed & Clemens Prudentius, diſertiſſimus atque Chriſtianiſſimus poeta, in hac ſignificatione pompam poſuit in libro Pſychomachia, ubi ait,

Pompa oſtentatrix vani ſplendoris inani
Exuitur nudata peplo.

Quamvis ergo omne peccatum ſuperbia dici poſſit, quia quando quis peccat, Deo qui peccare prohibuit contraire videtur, aliud tamen eſt deſidioſe, aliud malitioſe, aliud ſcienter, aliud ignoranter, aliud negligenter, aliud arroganter, peccare. Quolibet autem modo quis peccet, ſi pœnitere contemnit, in magnum ſe ſuperbiæ baratrum immergit, de quo non niſi per confeſſionem peccatorum ſuorum, & emendationem morum, & ſalutaris pœnitentiæ adminiculum egredi poteſt. Duobus enim modis homo Deo ſuperbit, cum aut præceptis ejus inobediens exiſtit, & ea quæ prohibita ſunt committit, aut commiſſa pœnitere negligit. Unde ſive hi qui baptizandi ſunt, ſive nos qui baptiſmi ſacramentum jam percepimus, ante oculos ponere debemus pactum, quod cum Deo in baptiſmate fit, ubi abrenuntiatur Satanæ, & operibus ejus, & pompis. Quod pactum tunc irritum fit, ſi aut in fide quis permanendo vitiis, aut a fide exhorbitando idolorum cultibus, aut hæreſum erroribus ſubdatur.

XIII. *De ſacramento baptiſmi.*

QUia igitur conſtat pactiones credentium eſſe duas, unam in qua abrenuntiatur diabolo & pompis ejus & omnibus operibus ejus, alteram qua ſe credere confitentur in patrem & filium & in Spiritum ſanctum, oportet has inconvulſæ mentis intentione teneri, & ut intemerate cuſtodiri poſſint, illius ſemper adjutorium quærere, qui baptiſmi ſacramentum ad ſalutem generis humani contulit, cujus myſterium & in veteri teſtamento per Moyſem præfiguratum eſt, cum populus in nube & in mari baptizatus eſt, & in novo nobis per mediatorem Dei & hominum apertiſſime demonſtratum. Ipſe enim ait, quoniam *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poterit introire* Joan. 3. 3.
in regnum cælorum. Et Joannes de eo ait, *Ego baptizo in aqua in pœnitentia. medius autem* Matt. 3. 11.
veſtrum ſtat, quem vos neſcitis, ipſe vos baptizavit in Spiritu ſancto & igni. Joan. 1. 26. Per hoc qui naſcimur mundo, renaſcimur Deo: & qui per peccatum eramus filii iræ, per gratiam efficimur filii Dei. Hac enim tinctione & hoc lavacro Ecleſia vegetatur. Ex oſſe dormientis protoplaſti mulier ædificata eſt, ex latere Chriſti in cruce dormientis Ecleſia formata eſt. Profluxerunt enim ex ejus latere ſanguis & aqua, duo ſanctæ Eccleſiæ præcipua ſacramenta, ut in altero conſecratio, in altero mundatio eidem tribueretur Eccleſiæ. Regeneramur namque ex lavacro, ut conſecramur & ſanguine. Unde & populus mare rubrum tranſiit, quia baptiſmus Chriſti ſanguine conſecratur. Quia ergo elementum aquæ in hoc mundo omnibus elementis purgandi, vivificandi, recreandi gratia aptius eſt, non immerito ei baptiſmi dignitas confertur, quia & regenerandorum hominum efficaciam, cum ſpiritus Dei in mundi primordio ſuper id ferebatur, concipiebat, & purgandorum, cum ex latere Chriſti proflueret, dignitatem capiebat. Per hoc etenim viſibile elementum res illa inviſibilis ſignatur, ut ſicut aqua purgatur exterius corpus, ita latenter ejus myſterio per Spiritum S. purificetur & animus. Invocato namque Deo deſcendit Spiritus ſanctus de cælis & ſanctificatis aquis tribuit eis vim purgationis. Inde homo ad imaginem reparatus ſanctæ Trinitatis, ad quam conditus fuerat expellitur, & qui vetus in eas per peccatum primi hominis intraverat, novus ex eis per Chriſti gratiam egreditur, & ſpiritu gratiæ in melius immutatus, longe aliud quam fuerat efficitur. Fœdus enim erat deformitate peccatorum: ibi reducitur pulcher dealbatione

virtutum. Nullatenus itaque baptiſmi myſterium perfici poteſt, niſi ſub invocatione ſanctæ Trinitatis, quia & Dominus ad Apoſtolos di- *Matt. 28. 19.* xit, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & Spiritus ſancti*. Et idem Dominus hoc ſacramentum firmavit, cum in ſuo baptiſmate pater declaratus eſt in voce, filius in corpore, Spiritus ſanctus in columbæ oſtenſione. O præclarum & admirabile ſacramentum, quod de filiis iræ facit filios Dei, de veteribus novos, de fœdis pulchros, in quo & regeneramur, & purgamur, & exemplum *Rom. 6. 3.* mortis Chriſti imitamur. Quomodo ergo hoc exemplum imitemur dicat Apoſtolus. *An ignoratis*, inquit, *quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti ergo ſumus cum illo per baptiſmum in morte, ut quemadmodum reſurrexit Chriſtus a mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Morimur ergo peccato, quando abrenuntiamus diabolo & omnibus quæ ejus ſunt. conſepelimur Chriſto, cum ſub invocatione ſanctæ Trinitatis ſub trina merſione, in fontem lavacri quaſi in quodam ſepulcrum deſcendimus. conſurgimus Chriſto, cum exuti omnibus peccatis, de fonte quaſi de ſepulchro egredimur. Sed neque myſterium trium dierum ac noctium, quibus in ſepulcro Dominus fuiſſe legitur, præteritur, cum invocata S. Trinitate, quæ utique vera lux eſt, in fontem deſcendimus. Lux eſt enim pater, & in lumine ejus, qui eſt filius, lumen videmus Spiritum-ſanctum. Facimus autem & tres noctes, cum tenebrarum & ignorantiæ patri, una cum mendacio, quod ex eo natum eſt, & mendax eſt ſicut & pater ejus, & cum loquitur mendacium, de ſuis propriis loquitur, contradicimus. Sed & tertio loco ſpiritum erroris deſtruimus, qui inſpirat pſeudoprophetas, ut dicant, Hæc dicit Dominus, quos Dominus non miſit. Deſtruimus enim hæc & conculcamus, ſi conſepulti ſumus *Luc. 10. 19.* Chriſto etiam ſecundum illud quod ipſe dicit, *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici*. Quæ ſingula ita ſunt contraria ſanctæ Trinitati ut nox diei, ut tenebræ luci, ut mendacium veritati. Fons quoque baptiſmi ſimilitudinem gerit ſepulcri Chriſti, quod novum fuiſſe legitur: quia quicumque in eo conſepelitur Chriſto & ei conſurgit, ſecundum eundem Apoſtolum, in novitate vitæ deambulare debet. Cujus fontis ſeptem gradus, tres in deſcenſu tres noctes, & tres in aſcenſu tres dies ſignificare videntur, de quibus ſuperius dictum eſt. *Dan. 3. 92.* Septimus vero, qui & quartus, ille eſt de quo quidam ait, *Et aſpectus quarti ſimilis filio Dei*. Qui fornacem ignis extinguit, qui eſt ſtabilimentum pedum, fundamentum aquæ. in quo *Coloſſ. 2. 9.* juxta Apoſtolum, *Inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Idcirco autem baptiſmus non iteratur, quia & Chriſtus non amplius quam ſemel moritur. Peccata enim, quæ poſt baptiſmum committuntur, pœnitentiæ lacrymis, eleemoſynis, & ceteris bonorum operum exhibitionibus, non baptiſmatis iteratione delentur. Dominico interea corpori ſepeliendo mundiſſima linteamina & aromata adhibentur, quia & is qui Chriſto conſepeliri deſiderat, ſi jam ætas permittit, quamvis mortuus ſit per originale peccatum, quod adhuc portat, debet tamen bonorum operum exhibitione flagrare, & mundis indui veſtibus, de quibus propheta ſacerdotes *Pſ. 131. 9.* indui orat cum dicit, *Sacerdotes tui induantur* A *juſtitiam*. Si ergo antequam renaſcatur, & originali peccato purgetur, & Chriſto conſepeliatur, aromatibus debet fragrare, odorem præſtare, & mundiſſimis veſtibus indui, quanto magis renatus, purgatus, Chriſto convivificatus, in novitate vitæ ambulans nova creatura effectus, & odoris fragrantia exuberare, & candidorum veſtimentorum clareſcere debet nitore?

XIV. *Cur albis induitur veſtibus.*

UT ergo nos, qui mundo morimur, Chriſto conſurgimus, bonorum operum nitore induamur, & cæleſtium gaudiorum ſpe confirmemur, decentiſſima ratione Angelus, qui ejus reſurrectionem nuntiat, in albis veſtibus ſedere B deſcribitur, & qui ejus reditum Apoſtolis nuntiant in albis veſtibus apparent, & nos albis poſt baptiſmum induimur veſtibus, ut munditiam teneamus in opere, quam accepimus in regeneratione, ſervantes & noſtram innovationem, & Angelici ſplendoris decorem, & dentur nobis ſingulis ſtolæ albæ, ſpes videlicet immortalitatis & æternæ felicitatis, ut cum propheta dicere poſſimus, *Gaudens gaudebo in Domino, & exultavit ſpiritus meus in Deo meo. Quia induit me veſtimento ſalutis, & indumentum juſtitiæ circumdedit me*. *Eſa. 61. 10.* Ille veſtimenta iſta nos cuſtodire faciat qui ea dedit, ut de nobis dici poſſit quod in Apocalypſi ſcriptum eſt, *Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua*. *Apoc. 16. 15.* Quia C ergo omnia in baptiſmi ratione redolent myſteriis, & exuberant ſacramentis, opportunum erat ut novus homo nova acciperet veſtimenta & purgatus veteris noxæ colluvione, candidarum veſtium indueretur nitore. Moyſes enim Aaron & filios ejus prius aquis lavit, & poſt linteis induit veſtimentis, quia & noſter verus Moyſes, qui populum de Ægyptia ſervitute, de gentilitatis videlicet errore liberat, qui eſt mediator Dei & hominum, ſui nos inenarrabilis ſacramenti unda purificat, & bonorum operum indumentis exornat. Cujus facies, manifeſtatio videlicet divinitatis ejus, teſtimonio legis & prophetarum in monte Eccleſiæ ut ſol reſplendet, & veſtimenta ejus, id eſt ſancti omnes, efficiuntur ſicut lana alba, vel ſicut nix. D Cui cum Apocalypſi gratias agamus, *qui lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum & ſacerdotes Dei patri ſuo, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum*. *Apoc. 1. 5. 6.* Hoc etenim regnum & ſacerdotium, & viſibili chriſmatis unguento per miniſterium ſacerdotum, & inviſibili Spiritus ſancti gratia a Domino linitur.

XV. *Cur ſacro chriſmate caput perungitur.*

CUjus unguenti ſacramentum a Moyſe primum jubente Domino in Exodo legitur compoſitum, & in novo Teſtamento a Domino E veraciter declaratum, qui unctus eſt a patre oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis. cui non ad menſuram dat Deus ſpiritum, quoniam in ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. *Cant. 1. 2.* Ipſi enim Eccleſia dicit, *Oleum effuſum eſt nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te*. quia videlicet, & a chriſmate Chriſti, & a Chriſto Chriſtianorum nomen exortum eſt. Ante adventum etenim ejus, reges ſolummodo ungebantur & ſacerdotes, qui etiam Chriſti vocabantur: poſt adventum vero ejus, non jam ſolum reges & ſacerdotes, ſed omnis hac unctione conſecratur Eccleſia, quia conſtat eam eſſe

regnum & ſacerdotium, & filios ejus reges & ſacerdotes. Baptizatorum itaque capita chriſmate liniuntur, ut in regno & ſacerdotio Eccleſiæ delibuti, & Chriſtiani nominis prærogativam accipiant, & ejus membra qui eos redemit, & eorum caput eſt, effici valeant.

XVI. *Cur myſtico tegitur velamine.*

QUia igitur idem redemptor noſter rex, cui per prophetam dicitur, Pſal. 144. 13. *Regnum tuum, Domine, regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione*, qui diabolum, mortem, & mundum mirifice triumphavit: & ſacerdos, cui per eundem prophetam dicitur, Pſal. 109. 4. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, qui ſe Deo patri in ſacrificium obtulit: decentiſſimum eſt ut ſancta ejus Eccleſia, quæ utique corpus ejus eſt, & regnum ſit & ſacerdotium, & nos in ea regenerati, qui ejus membra ſumus, reges ſimus & ſacerdotes. reges, ut & contra diabolum viriliter dimicemus, & adminiſtrationem vitæ noſtræ admirabili diſpenſatione gubernemus: & ſacerdotes, ut in templo Dei ſancto, quod ſumus nos, altare fidei ædificantes, bonorum operum ei hoſtias pacificas offeramus, & cum Apoſtolo dicamus, Epheſ. 1. 3. *Benedictus Deus & pater domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpiritali in cæleſtibus in Chriſto*. De quo altari fumus orationum noſtrarum ei quotidie aſcendat, Pſal. 140. 2. juxta illud quod ait Propheta, *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*. Capita itaque eorum qui regenerantur ex aqua & Spiritu ſancto myſtico velamine teguntur, 1. Pet. 2. 9. ut eis per Petrum dicatur, *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus adquiſitionis*. ut hoc velamine & diadema regium & ſacerdotalis capitis velamentum ſignificetur: & quia per caput mens plerumque in Luc. 21. 28. ſacro eloquio accipi ſolet, juxta illud, *Reſpicite & levate capita veſtra*, mens renatorum & regiæ dignitatis ornamenta, & ſacerdotalis verticis habeat tegumentum, ut & contra vitia ſacerdotali velamine muniatur, & virtutum gemmis ſpiritaliter exornetur, & unctione ſacroſancti chriſmatis liniatur. Quibus etiam ſeptiformis gratiæ ſpiritus per chriſmatis unctionem conceditur, ut non ſolum ſpiritus, qui unius eſt cum patre & filio ſubſtantiæ, ſed totius ſanctæ Trinitatis habitaculum effici mereantur.

XVII. *Cur ab Epiſcopo confirmatus per manus impoſitionem accipiat ſeptiformis gratiæ ſpiritum.*

QUod ergo presbyteris baptizatos chriſmate unguere licet, ſpiritum vero ſanctum per manus impoſitionem tradere non licet, antiquus iſte mos ab Apoſtolis Eccleſiæ eſt traditus. Sic enim ſcribitur in Actibus Apoſtolorum. Act. 19. 1. *Factum eſt autem, cum Apollo eſſet Corinthi, ut Paulus peragratis ſuperioribus partibus veniret Epheſum, & inveniret quoſdam diſcipulos, dixitque ad eos, Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum, Sed neque ſi Spiritus S. eſt audivimus. Ille vero ait, In quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt, Joannis baptiſmate. Dixit autem Paulus, Joannes baptizavit baptiſmo pænitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus eſt poſt ipſum crederent, hoc eſt in Jeſum. His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu. & cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit* A *Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis & prophetabant.* Item in alio loco, Act. 8. 14. *Cum audiſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolymis, quia recepit Samaria verbum Domini, miſerunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis ut acciperent Spiritum ſanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Denique ſciendum eſt, quia ſicut cetera baptiſmatis ſacramenta per ſacerdotes viſibiliter fiunt, per Deum inviſibiliter conſecrantur, ita nimirum & Spiritus ſancti gratia per impoſitionem manuum & miniſterium Epiſcoporum fidelibus traditur: B presbyteri vero, licet ſint ſacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem ſolis Pontificibus deberi, ut vel ſignent, vel paracletum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verum etiam ſuperior illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum ſanctum. Nam presbyteris, ſive abſentibus, ſive præſentibus Epiſcopis, baptizare & baptizatos chriſmate unguere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum: non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis cum tradunt ſpiritum paraclitum. Qui ſpiritus paraclitus C ſeptiformis etiam gratiæ dicitur, propter ſeptenarii numeri myſterium, in quo ſumma perfectio intelligitur. Eſt enim compoſitus ex toto primo pari, & ex toto primo impari: ex toto primo pari qui dividi poteſt, & ex toto primo impari, qui dividi non poteſt. Habet enim in ternario myſterium Trinitatis, in quaternario Evangelii. Sive enim tres per quatuor, ſive quatuor per tres multiplicentur, ad duodenarium numerum ſurgitur, quia myſterium S. Trinitatis, & doctrina Evangelii per XII. Apoſtolos in quatuor mundi partes, orientem videlicet & occidentem, ſeptemtrionem & meridiem derivata eſt. Hic enim numerus in ſacro eloquio pro perfectione poni conſuevit. Con- D ſummatis enim Deus operibus ſuis, ſeptimo die requievit, & Enoch, qui ſeptimus eſt ab Adam, cum Domino ambulavit, & ejus translatio ſpem nobis æternæ requiei contulit. Unde & Jubileus annus, in quo plenaria requies ſignatur, ſeptem hebdomadibus conficitur. Septies enim ſeptem fiunt XLIX. qui monade addita noſtræ adunationis impletur. Hujus numeri perfectionem Propheta commendat cum dicit, *Septies in die laudem dixi tibi*. Pſ. 118. 164. Quod in alio pſalmo quaſi exponens aperit cum dicit, *Semper laus ejus in ore meo*. Pſal. 33. 2. Nam & Joannes in Apocalypſi ſua, quod ſeptem ſcribit Eccleſiis, generaliter univerſæ catholicæ creditur ſcripſiſſe Eccleſiæ. Unde & ipſe ait, Apoc. 2. 7. E *Qui habet aures audiendi audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis*. De ſeptenario interea numero, qui in quibuſdam ſcripturæ locis univerſitatem ſive perfectionem, in quibuſdam vero ſeptiformis gratiæ ſpiritum ſignificat, multa & in veteri & in novo Teſtamento habentur, quæ perſequi longum eſt. Nunc videamus qualiter Eſaias propheta ejuſdem Spiritus ſeptiformis dona enumeret. Cum enim de Chriſto, qui eſt virga virtutis Domini, prophetaret, ait: Eſa. 11. 1. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus, aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Do-*

mini . Super hunc florem , qui de virga Jeſ-
ſe, id eſt beatæ Mariæ ſemper virginis partu e-
greſſus eſt , requievit ſpiritus Domini, quia in
ipſo complacuit omnem plenitudinem divinitatis
habitare corporaliter . Nequaquam per partes ,
ut in ceteris ſanctis, quibus alii datur ſermo ſa-
pientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alii gratia virtutum ,
& cetera, quibus unicuique datur ſecundum men-
ſuram, ſed pleniſſime. Unde & Apoſtolus ait ,
Joan. 3. 34. *Non ad menſuram dat Deus ſpiritum* . & Pro-
Eſa. 42. 1. pheta, *Ecce puer meus quem elegi, electus meus
in quo complacuit animæ meæ. Ponam ſpiritum
meum ſuper eum , judicium gentibus proferet* .
Ut enim in eo perpetua habitatione requieſce-
ret , ad eum venit , juxta Joannis Baptiſtæ te-
Joan. 1. 32. ſtimonium , qui ait , *Vidi ſpiritum deſcendentem
quaſi columbam de cælo , & manſit ſuper eum,
& ego neſciebam illum, ſed qui miſit me bapti-
zare in aqua, ille mihi dixit, ſuper quem vide-
ris ſpiritum deſcendentem & manentem ſuper eum,
ipſe eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto* . Qui ſpiri-
tus Domini appellatur & ſpiritus ſapientiæ, quia
de Chriſto, qui eſt ſapientia Dei, ſcriptum eſt.
Joan. 1. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum
Pſal.* 103. 24. *eſt nihil*. & in pſalmis canitur, *Quam magnifi-
cata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia
feciſti*. Et in alio loco, ubi Trinitas aperte mon-
Pſal. 32. 6. ſtratur, ſcriptum eſt, *Verbo Domini cæli firma-
ti ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.*
Quia per Chriſtum, qui eſt verbum Domini, id
Joan. 1. 1. eſt patris, de quo ſcriptum eſt, *In principio erat
verbum*, cæli, videlicet ſancti prædicatores, qui
enarrant gloriam Dei , facti ſunt , & Spiritu
ſancto, qui eſt eorum conſubſtantialis, qui ab u-
troque procedit, omnis virtus eorum. quia om-
nium Sanctorum ornatus & virtus Spiritus ſan-
cti inſpiratione ſubſiſtit . Et Apoſtolus ſcribit ,
1. *Cor.* 1. 24. *Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia*. Et in Pro-
Prov. 3. 19. verbiis legitur, *Deus in ſapientia ſua fundavit ter-
ram, & paravit cælos in prudentia*. Et quomo-
do idem ſermo Domini vocatur lux & vita &
reſurrectio, ſic ſpiritus ſapientiæ & intellectus,
conſilii, & fortitudinis, & ſcientiæ & pietatis ac
timoris Domini nuncupatur. non quod diverſus
ſit juxta differentias nominum , ſed quod unus
atque idem cunctarum virtutum fons ſit atque
principium . Abſque Chriſto igitur nec ſapiens
quis eſſe poteſt, nec intelligens, nec conſiliarius,
nec fortis, nec eruditus, nec plenus timore Do-
mini. Et hoc ſciendum eſt, quod ſpiritus Domi-
ni, ſapientiæ & intellectus, conſilii & fortitu-
dinis, ſcientiæ & pietatis, ac timoris Domini ,
id eſt ſeptenarius numerus, qui ſeptem oculi in
Zach. 3. 9. uno lapide dicuntur Zachariæ, requieſcat ſuper
virgam & florem qui de Jeſſe , ac per hoc ſtir-
pe David ſurrexit. Hunc enim ſpiritum , qui a
patre filioque procedit , idem Dominus Apoſto-
lis , & per Apoſtolorum & eorum ſucceſſorum
miniſterium , ſanctæ ſuæ tribuit Eccleſiæ . Cujus
dona, quanquam ex unius ſpiritus fonte proce-
dant , videntur quodammodo quaſdam habere
proprietates. Aliud enim eſt ſapere , aliud in-
telligere : quia multi æterna quidem ſapiunt ,
ſed hæc intelligere minime poſſunt . Sapientia
ergo mentem, quam inſederit, de æternorum ſpe
& certitudine replet : & intellectus, eo quod ſe-
creta penetrat , cor quod tetigerit , reficiendo
ejus tenebras inluſtrat. Conſilium, dum eſſe ali-
quem præcipitem prohibet, ratione animum re-
plet . Fortitudo vero, cum adverſa non metuit,
trepidanti menti confidentiam præbet. Scientia,
cum ignorantiam fugat, lumine ſuo quem reple-
verit inluſtrat. Pietas miſericordiæ operibus cum

A quem repleverit exuberare concedit : Timor ,
dum premit mentem ne de præſentibus ſuper-
biat, de futuris illam ſpei refectione confortat.
Sic enim quodam adminiculo ſuo invicem ſibi
ſuccurrunt , ut dum alia aliæ ſuffragatur , vi-
tæ ordo & ſtatus decentiſſime componatur. Mi-
nor quippe eſt ſapientia ſi intellectu careat, &
valde inutilis intellectus eſt ſi ex ſapientia non
ſubſiſtat : quia cum altiora ſine ſapientiæ pon-
dere penetrat , ſua illum levitas gravius ruitu-
rum levat. Vile eſt conſilium , cui robur forti-
tudinis deeſt , quia quod tractando invenerit ,
carens viribus uſque ad perfectionem operis non
perducit. Et valde fortitudo deſtruitur, niſi per
B conſilium fulciatur : quia quo plus ſe poſſe con-
ſpicit, eo virtus ſine rationis moderamine dete-
rius in præceps ruit . Nulla eſt ſcientia , ſi u-
tilitatem pietatis non habet : quia dum bona co-
gnita exequi negligit , ſeſe ad judicium artius
ſtringit . Et valde inutilis eſt pietas , ſi ſcien-
tiæ diſcretione careat , quia dum nulla hanc
ſcientia inluminat , quomodo miſereatur igno-
rat. Timor quoque ipſe , has etiam virtutes ſi
non habuerit, ad nullum opus proculdubio bo-
næ actionis ſurgit: qui dum ad cuncta trepidat,
ipſa ſui formidine a bonis omnibus torpens va-
cat. Summopere itaque obſervandum eſt, & ip-
ſius ſancti Spiritus adjutorium implorandum, ne
ſapientia elevet, ne intellectus , dum ſubtiliter
C currit, aberret; ne conſilium, dum ſe multipli-
cat , confundat ; ne fortitudo , dum fiduciam
præbet, præcipitet ; ne ſcientia , dum novit &
non diligit, inflet; ne pietas, dum ſe extra re-
ctitudinem inclinat, intorqueat; ne timor, dum
plus juſto trepidat, in deſperationis foveam mer-
gat. Sciendum ſane , quod hæ donorum ſpiritua-
lium diſtributiones in corpore Chriſti, quod eſt
Eccleſia , his fulciantur adminiculis. In eo vero
qui eſt fons luminis & origo bonitatis, plene at-
que perfecte incomparabiliter atque ineffabiliter
regnent . Sapientia namque, quæ & in Virginis
utero ſibi corpus, & in mundo Eccleſiam ædifi-
cavit , habet ſpiritum ſapientiæ quo omnia ſapien-
D ter agit : intelligentiæ, qua cuncta arcana ſecre-
torum rimatur : conſilii, quo cuncta cum magna
diſpenſatione gerit , quia eſt magni conſilii An-
gelus : fortitudinis , quia attingit omnia a fine
uſque ad finem fortiter, & a nullo vinci poteſt :
ſcientiæ, quia nihil ignorat exceptis his quibus
dicturus eſt, *Neſcio vos* : pietatis , quia homi- *Matth.* 25. 12.
nem quem bonitate creavit, juſtitia damnavit,
pietate redemit : timoris, propter eos , qui ti-
more Domini indigent quia parvuli ſunt , qui-
bus per prophetam dicit, *Venite filii, audite me,* *Pſal.* 33. 12.
timorem Domini docebo vos. Quia ergo ille ad in-
firma noſtra deſcendens exinanivit ſemetipſum
formam ſervi accipiens , humiliavit ſemetipſum uſ-
que ad mortem , & inclinavit ſemetipſum , ut
E nos jacentes ad ſe erigeret , non inconvenien-
ter ſpiritus Domini, qui ſuper eum requieſcit ,
a ſapientia incipit , & per decentiſſimos gradus
ad timorem uſque deſcendit. Nos vero a timo-
re , quem foras caritas mittit , venientes ad ti-
morem caſtum qui permanet in ſæculum ſæculi,
pervenimus ad pietatem , ut pietatis operibus
exornati veniamus ad ſcientiam , non quæ in-
flat, ſed quam caritas ædificat , a ſcientia ad
fortitudinem, ut ſcientiæ decore exornati forti-
ter contra vitia dimicemus : a fortitudine ad
conſilium , ut ea quæ fortiter agimus , conſilii
gravitate muniamus : ut actibus noſtris conſilio
obtemperatis , ad arcana intellectus intrantes ,
ad eam veniamus ſapientiam , quæ initium

habet timorem Domini: ut ſapienter omnia complentes, & intellectum bonum faciendo habentes, illi ſapientiæ admitti valeamus, per quam facta ſunt omnia. quæ & ante ſæcula a patre ineffabiliter genita eſt, & in fine ſæculorum carnem noſtræ ſalutis cauſa dignata eſt accipere. quam carnem fidelibus ſuis edendam tribuit cum dixit, *Niſi manducaveritis carnem* Joan.6.55.56 *filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

XVIII. Cur corpore & ſanguine dominico conſummetur.

PRopter hanc vitam adipiſcendam & baptizamur, & ejus carne paſcimur, & ejus ſanguine potamur: quia nequaquam poſſumus in ejus Joan.6.54. corpus tranſire, niſi his ſacramentis imbuamur. Sic enim ipſe ait, *Caro mea vere eſt cibus, & ſan-* Joan. 6. 55. *guis meus vere eſt potus.* &, *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo.* Eſt enim ſacrificium ſalutare, quod & in veteri teſtamento Melchiſedech rex Salem in typo corporis & ſanguinis Domini obtulit, & in novo idem mediator Dei & hominum antequam traderetur adimplevit, cum accipiens panem & calicem, & benedicens eis, & tradens diſcipulis ſuis, hæc in ſui commemoratione fieri præcepit. Hoc ergo myſterium ſacrificii, derelictis ac finitis veteribus hoſtiis, Eccleſia celebrat, offerens panem propter panem vivum qui de cælo deſcendit, vi- Joan.15.1. num pro eo qui dixit, *Ego ſum vitis vera*: ut

A per viſibilem ſacerdotum oblationem, & inviſibilem ſancti Spiritus conſecrationem, panis & vinum in corporis & ſanguinis Domini tranſeant dignitatem. Cui ſanguini admiſcetur aqua, ſive quia de latere Domini cum ſanguine fluxit, ſive quia, ut majores intelligi volunt, ſicut per vinum Chriſtus, ita & per aquam populus ſignificatur. Vinum enim & aqua inſeparabiliter in calice miſcentur, quia & Eccleſia capiti ſuo Chriſto inſeparabiliter juncta cohæret. Morem ergo accipiendæ Euchariſtiæ a Domino B traditum Eccleſia tenet, ut cum ex aqua & Spiritu ſancto quis renaſcitur, corpore Domini paſcatur, & ſanguine ejus potetur: ut in corpore Chriſti trajecto, & ille in Chriſto maneat, & Chriſtus in eo: ut iſtius cibi fortitudine roboratus, exemplo Heliæ veniat uſque ad montem Dei, Chriſtum videlicet, qui eſt mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ejus dono ad æternæ beatitudinis gloriam peraccedat, ubi ſatietur in bonis deſiderium ejus, & cum propheta dicere poſſit, *Ego autem cum* Pſal.16.15. C *juſtitia apparebo in conſpectu tuo, ſatiabor cum manifeſtabitur gloria tua.*

a ECce, vir venerabilis, quod prudenter juſſiſti, humiliter implevi, deprecans ſanctitatem veſtram, ut cum de his interrogationibus altiores reſponſiones inveneritis, illis adhibitis iſtas non rejiciatis, dummodo Apoſtolica auctoritate omnia ſunt probanda, & quæ bona ſunt retinenda.

a *Ecce vir venerabilis*) Clauſulam hanc addunt tria exemplaria quæ dixi: in ſolo deeſt Corbeienſi.

THEODULFI EPISCOPI AURELIANENSIS

b DE SPIRITU SANCTO.

VETERUM PATRUM SENTENTIÆ, quod a Patre filioque procedat.

PRÆFATIO AD CAROLUM MAGNUM IMPERATOREM.

IMperii veſtri, Rex inclyte, juſſa ſecutus,
Defero Theudulfus hæc documenta libens.
Quis patre ſeu nato procedere Spiritus almus
Adſtruitur, legis hoc reboante tuba.
Hoc Evangelium, hoc promit Apoſtolus auctor,
Hoc canit unanimis vox pia ſacra patrum.
Perge libelle celer Caroli ad veſtigia celſi
Regis, & o pie dic Induperator ave.
Stratus humi plantis da baſia grata decoris:
Hinc ſurgens digna mox pete ſorte genu.
Et ſi in te rutilos oculorum fixerit orbes,
Et te clementer ſumat amœna manus.
Et roget unde venis, quid vis, quo tendis, es aut quis,
Protinus huic ſupplex talia dicta dabis.

b *De Spiritu Sancto.*) Hunc quoque librum Caroli magni juſſu a Theodulfo ſcriptum docet præfatio. ex qua de Titulo etiam, qui in exemplari noſtro deſiderabatur, conjecimus. Potuit enim & aliter concipi, qualem in altero ejuſdem argumenti & notæ, ſed incerti auctoris libro ad Carolum eumdem ſcripto vidimus his verbis, *Teſtimonia ex ſacris voluminibus collecta, ex quibus aperte oſtenditur quod Spiritus ſanctus a Patre & Filio procedit*, & qualem Sancti Cypriani præferunt tres libri Teſtimoniorum adverſus Judæos. Fuerunt etiam, qui hujuſmodi Teſtimoniorum libros, quod hæc excerpta & collecta eſſent ex variis, Eclogas nominarent, ut de Pelagio narrat Gennadius cap. XLII. *Pelagius*, inquit, *antequam proderetur hæreticus, ſcripſit pro actuali converſatione Eclogarum ex divinis ſcripturis librum unum.* Sic enim ibi legunt optimi codices, non *Eulogiarum*.

Qui duce Theudulfo per plurima prata cucurri,
Floribus en adſum cernis onuſtus ego.
Quod patre procedat ſeu prole Spiritus almus,
Adſtruere ſtudeo dogmatibus fidei.
Cumque illis venio dextram conferre paratus,
Qui ſecus incedunt, hancque viam fugiunt.
Sic tu: ſi mox, non poteris, pius inferat ille:
Sic potero, potero, rex, Deus addet opem.
Inclyta ſanctorum mecum eſt ſententia vatum,
Quos bene ſpiramen flaminis hujus agit.
Tuque manum injicies, vegetat quem ſpiritus ille;
a *Cauſa tuo cujus tempore cœpit agi.*
Qui decus es mundi, lux regni, tutor & æqui,
Catholicæ & fidei murus & arma ſimul.
Juſta jubes, injuſta vetas, largiris honores,
Artibus ingenuis rite alimenta paras.
Has & amas & amare jubes, recreaſque foveſque.
Gurgite de illarum pocula larga bibis.
Quid referam? virtute cluis, pietate redundas,
Inque bonis cunctis te, ſcio, nemo præit.
Is tibi ſi dicat, dextram impoſiture duello,
Exere virtutis amodo ſi quid habes.
Tu mox, arma patrum vaſto de gurgite ſumpta
Cernito, quæ docuit lex nova ſive vetus.
His dum noſtra acies munita fatiſcere neſcit,
Cum vero vinces cujus es ipſe ſequax.
Fulgida ſplendifluis aderit victoria pannis,
Et voti ſancti, rex pie, compos eris.

INDICULUS AUCTORUM QUI CITANTUR.

Athanaſius.	Fulgentius.	Vigilius Afer.
Cyrillus.	Hormiſda.	Proclus.
Hilarius.	Leo.	Agnellus.
Ambroſius.	Gregorius.	Caſſiodorus.
Didymus.	Iſidorus.	Prudentius.
Auguſtinus.	Proſper.	

b *Athanaſius, quod Spiritus ſanctus a patre filioque procedat, in libro quem ſcripſit contra Arrianos hæreticos ſic dicit.*

Lib. 8. EGo credo filium in patre & patrem in filio, ſpiritum quoque paraclitum, qui procedit a patre, & filii eſſe & patris, quia & a filio procedit, ſicut in Evangelio ſcriptum eſt, quod per inſufflationem ſuam dederit diſcipulis ſuis Spiritum ſanctum, dicens, *Accipite Spiritum ſanctum: cujus remiſeritis peccata remiſſa ſunt, & cujus retinueritis retenta ſunt.* (Joan. 20. 22.) Et ideo inſeparabilem confiteor Trinitatem, nec extorrem filium aut Spiritum ſanctum, ſicut hæretici loquuntur. a Deo patre dico, quoniam filius, qui eſt Dei ſapientia patris, ipſe eſt & voluntas patris, quæ ſemper in ipſo fuit, & ipſe eſt magni conſilii Angelus.

Item idem in eodem opere.

Lib. 8. mox. DE Spiritu vero ſancto dubium non eſt quod nihil ignoret, nec ſit extorris a patre, A cum ſine Spiritu ſancto patrem fuiſſe aliquando ſummæ dementiæ eſt dicere, quoniam ipſe *ſcrutatur*, ſecundum Apoſtolum, ſicut ſæpe dictum eſt, *profunda & alta Dei*, (1. Cor. 2. 10.) & quod idem ſpiritus filii ſit, multis ſcripturarum teſtimoniis probatum: & quod toto maneat in filio, & ſicut procedit a Deo patre, ita procedit a filio, ut tota Trinitas unus credatur Deus. Nihil eſt ergo quod faciat vel diſponat pater ſine ſua ſapientia, nihil quod noverit vel diſponat ſine ſuo ſancto Spiritu, de quo propheta ſic ait, *Spiritus paraclitus, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus* (Eſai. 11. 2.) B *conſilii & virtutis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis*, quæ omnia in Deo qui eſt Trinitas conſiſtunt.

Item in eodem libro, Quod in patre ſit filius & Spiritus ſanctus, & quia Spiritus ſanctus a Deo procedat, ubi non excluditur nomen filii.

Lib. 8. SErviendum itaque eſt Chriſto filio; quia & perfectus Deus, & verus eſt filius: & qui fideliter ſervit filio, patri ſervit, & Spiritui

a *Cauſa cœpit agi.*) Tempus deſignat, quo librum conſcripſit. annum videlicet dcccix. cum Caroli juſſu celebrata eſt Synodus Aquiſgranenſis, in eaque agitari cœpta quæſtio de proceſſione Spiritus ſancti: cujus definiendæ cauſa legatio Romam ad Leonem Papam miſſa eſt, ut Einhardus & ceteri Annalium noſtrorum auctores tradunt.

b *Athanaſius contra Arrianos.*) Quæ hic teſtimonia ſub Athanaſii nomine proferuntur, ea unico dempto deſumpta ſunt omnia ex libris xi. de Trinitate, qui Latino tantum ſermone inter Athanaſii opera circumferuntur. Jam quippe inoleverat ut Athanaſio tribuerentur: cujus item nomine citantur paſſim ab Hincmaro contra Gotheſcalcum *De non trina deitate*. Ceterum ſuppoſitos omnes eſſe perſpicuum eſt. Nec errabit fortaſſe, qui ab illo ipſo Vigilio concinnatos exiſtimarit, à quo Athanaſii quoque cum Arrio diſputatio conficta eſt. Conjecturam certe firmabit antiquus & probæ notæ codex Floriacenſis, in quo cum Vigilii libris adverſus Neſtorium & Eutychem, & cum Diſputatione quam dixi, undecim etiam hi libri conjunguntur, quaſi ad eumdem auctorem pertineant.

ſancto qui in eo eſt: & qui adorat patrem, in ipſo adorat filium, & Spiritum ſanctum, quia in patre eſt filius & Spiritus ſanctus, qui a Deo patre procedit, ipſo Domino dicente, *Ego in*
Joan.14.11. *patre & pater in me eſt*. de Spiritu quoque ſan-
Joan.15.26. cto ait, *Spiritus autem paraclitus, qui a patre meo procedit*. Et cum filium quis adorat, in eo patrem adorat, & ſpiritum ſanctum, quia in
Joan.14.9. ipſo eſt pater, dicente eo, *Qui me videt, videt*
Ibid.v.10. *& patrem meum*, & iterum, *Pater autem in me manens, ipſe facit opera*. De Spiritu vero ſancto
Joan.16.14. ſic ait, *Ille*, inquit, *me clarificabit, quia de meo*
Ibid.v.15. *accipiet, & annuntiabit vobis*: &, *Omnia quæcumque habet pater, mea ſunt, propterea dixi vobis quia de meo accipiet*. Spiritus itaque patris, ſpiritus filii eſt, Apoſtolo dicente,
Gal.4.6. *Quoniam autem eſtis filii Dei, miſit Deus ſpiritum filii ſui in corda noſtra*. & iterum, *Si quis autem ſpiritum Chriſti*
Rom.8.9. *non habet, hic non eſt ejus*. & iterum, *Scio enim quia hoc mihi proveniet in ſalutem per veſtram*
Philipp.1.19. *orationem & ſubminiſtrationem ſpiritus Domini Chriſti*. In Evangelio quoque ipſe Dominus ait,
Joan.14.26. *Paraclitus Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo*. Et in Actibus Apoſtolorum ita legitur,
Act.16.6. *Tranſeuntes autem Phrygiam & Galatiam, vetiti ſunt ab Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia. cum veniſſent autem in Meſopotamiam, tentabant ire Bithyniam, & non permiſit eos ſpiritus Domini*. Manifeſtiſſimis igitur teſtimoniis probatur, quod Spiritus ſanctus, ſpiritus paraclitus, ſpiritus qui a patre procedit, ſpiritus ſit filii, ſpiritus Chriſti, ſpiritus Jeſu. Tota enim Trinitas inſeparabiliter in una ſubſtantia, divinitate, atque potentia, adoranda, colenda, prædicanda eſt & amanda.

Lib.1. *Item idem in eodem libro, Quod ſpiritus ſanctus nec pater ſit, nec filius: ſed Deus in natura exiſtens, de patre procedat, de filio accipiat.*

ET hic Spiritus ſanctus, qui nec pater nec filius eſt, præterea qui nec genuit, nec natus eſt, cum alter ſit in perſona qui genuit, alter vero in perſona qui unigenitus ab ipſo eſt, & alius adæque in perſona, ut dixi, ſecundum ſcripturas, qui nec pater nec filius eſt. hic eſt Spiritus ſanctus, ſed plane de unica natura eſt. Ideo in Deitate una commune nomen eis, ſicut in claritate Evangelicæ ſcripturæ de ſpiritu
Joan.15.26 paraclito filius teſtatur dicens, *De patre proce-*
Joan.16.14 *dit*, & ſic proſequutus eſt, *& de meo accipiet*. Et ideo ubi perſonæ requiruntur, propria nomina per hæc diſtinguuntur. Ubi autem Deitas poſcitur, unicum nomen in his indicatur, quoniam *ſumus* ad nomina perſonarum pluraliter dictum demonſtratur, ac per hoc in deitate unum ſunt, & in nominibus perſonarum tres ſunt.

Item idem in libro quem ſcripſit contra objectiones cujuſdam (Potentini.)*

* In edit. *de unita Deitatis lib.4 de ſingulis nominibus.*

SIcut filius ad patrem clamat, *Pater honorifica nomen tuum, & venit vox de cælis, & honorificavi, & iterum honorificabo*. nam & alio
Joan.12.28. in loco idem ipſe repetit, *Ego a patre exivi, & veni*. Numquid utique, ſi ipſe pater erat in
Joan.16.28. perſona qui & filius, ſic debuerat intimaſſe, Ego a me ipſo exivi & veni? dum proculdubio alter ſit qui exivit, & alius ſit de quo exierit.
Joan.15.26. Sed ad hæc ſubjunxit de perſona ſancti Spiritus, *Cum venerit advocatus ille, quem ego mittam vobis a patre meo ſpiritum veritatis, qui a patre procedit, ille teſtificabitur de me*. Itane non alter

A eſt qui mittit, & alius eſt adæque in perſona de quo procedit, & alter eſt hic ipſe qui venit? Denique ſi una eſſet perſona, a quo mitteretur, vel a quo procederet? Sicut Apoſtolus hæc in ſalutatione ad Corinthios confirmabat dicens, *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & caritas Dei, hoc eſt* 2.Cor.13.13.
patris, & communicatio ſancti Spiritus cum omnibus vobis, amen. Nonne aperte per ſingula nomina, ſicut & ſuperius continetur, ſingulas perſonas ineſſe diſtinxit? Itaque alter eſt pater in perſona qui genuit, & alius filius qui unigenitus ab ipſo eſt, & alius ſpiritus paraclitus, qui de una natura procedit. Sed dicis mihi, hæretice, quemadmodum Spiritus de unica natura conſiſtit? Ecce filius teſtatus eſt de eo quod
B a *patre procedit*, & ſic proſecutus eſt, *& de* Joan.16.14
meo accipiet.

Item idem in libro de profeſſione Regulæ catholicæ. Lib.7.

VErbo *Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu* Pſal.32.6.
oris ejus omnis virtus eorum. Utique verbum filium declaravit, dominum autem patrem ejus indicavit, & ſpiritum oris ejus principalem ſpiritum eſſe demonſtravit. Vides quam breviter ſingulas ſignificationes in perſonis eſſe diſtinxit, id eſt, verbum, & dominum, & ſpiritum. Sed & unam operationem in his eſſe oſtendit. Nam ſi te adhuc ambiguitas tenet, eadem ipſa repe-
C to. ubi ait Verbo Domini, non ſonum vocis inſubſtantivum eſſe accipias, quem ſi validus quis emiſerit, ſolet reſonare echo, cujus tantum in phantaſia auditus eſt reſonantis, & factus nullus. Sane de hoc verbo domini noſtri patris, qui eſt ſalus noſtra, ſicut ubique ſcriptura divina teſtatur, filius Dei eſt ſubſtantivus, per quem omnia facta ſunt. Ergo quia dixit, *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus virtus eorum*, cognoſce hunc verbum ſubſtantivum non aliunde quam de patre proprie natum fuiſſe. & ſpiritum oris ejus cum ſpiritum dixit, qui de ipſa unita ſubſtantia procedit, ſicut cautum invenimus; non ex alia natura quam de ipſa. ac per hoc unita & pa-
D tris & filii & ſancti Spiritus ſubſtantia, quam Græci dicunt ὁμούσιον, ſed & unita & ejuſdem Trinitatis operatio in factura.

Item idem in libro quem ſcripſit adverſus hæreticos, quod Spiritus ſanctus inſpiratio ſit patris & filii, & filius fons Spiritus ſancti. unde colligitur & a filio procedere. Lib.11.

LUx *Domini inſpiratio eſt hominum, quæ ſcru-* Prov.20.27.
tatur interna ventris. Et manifeſtum eſt, quia ſpiritus omnia ſcrutatur, quemadmodum ſcribit Paulus, & quod a principio formato Adam, 1.Cor.2.10.
in faciem ejus ſpiravit Deus ſpiritum ſanctum,
E ſicut Moyſes ait, *Et inſpiravit Deus in faciem Adæ inſpirationem vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*. Neque enim id quod inſpiratum Gen.2.7.
eſt a Deo, anima eſt ſecundum fabulatores Judæos, alioquin quomodo hoc quod a ſe inſpiratum eſt Deus igni æterno condemnat? ſed vivificans ſpiritus eſt, de quo Paulus ait, *Spiri-* 2.Cor.3.6.
tus vero vivificat. Et inſpiravit, inquit, *Deus in faciem inſpirationem vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*. Itaque Spiritus ſanctus eſt ſpiritus vitæ, a quo excidentes nonnulli viventes mortui ſunt, ſicut Paulus ſcripſit, *Nam* 1.Tim.5.6
quæ in deliciis agit, vivens mortua eſt. Alioquin quomodo etiam audiendus eſt Salomon dicens, *Lux Domini inſpiratio eſt hominum quæ ſcrutatur*

interna ventris, ſi non animas hominum lumen
Dei eſſe dicitis ? niſi Spiritum ſanctum lumen
Domini confiteamini, & inſpirationem filii eſſe
credatis, dicente Moyſe, *Inſpiravit Deus in fa-*
ciem Adæ inſpirationem vitæ; & filius Dei, *Ego*
Joan. 14. 6. *ſum vita?* Sed & ſapientia Salomonis introdu-
cens ſalvatorem dicentem, *Ecce proferam vobis*
Prov. 1. 23. *meæ inſpirationis profeſſionem*. Sic enim in Pro-
verbiis ait, *Sapientia in exitu canit, in plateis*
vero fiducialiter agit, in portis autem potentior
Prov. 1. 21. *adſiſtit, in muris quoque civitatis confidenter*
agit. Quanto tempore ſimplices obtinent juſtitiam,
Prov. 1. 20. *non erubeſcent. imprudentes autem, eum ſint*
contumeliæ cupidi, impii effecti odio habuerunt ſen-
ſum, & obnoxii facti ſunt increpationibus. Ecce
proferam vobis meæ inſpirationis profeſſionem, do-
cebo vos meum ſermonem. Et Iſaias Spiritus ſan-
cti promiſſionem prædicans ſic ait, *Hæc dicit*
Eſa. 42. 5. *Dominus qui fecit cælum & adfixit illud, qui*
ſolidavit terram & quæ in ea ſunt. qui dat inſpi-
rationem populo qui eſt ſuper eam, & ſpiritum cal-
cantibus illam. Dicite quis eſt populus qui ac-
cipit inſpirationem. Numquid & hic inſpiratio-
nem animam eſſe dicitis? aut dabitis ſine anima
populum ſuper terram conſtitiſſe? Sed non eſt.
promiſſionem namque Spiritus ſancti prædicans
propheta, hæc ait. Denique completam promiſ-
ſionem ſuper fideles qui ſub illo tempore erant
Act. 2. 1. ſcripſit Lucas, *Et cum complerentur dies Pente-*
coſtes quinquageſimæ, erant pariter omnes in
unum, & factus eſt ſubito ſonus de cælo tanquam
ſi ſpiritus vehemens ferretur, & implevit totam
domum ubi erant ſedentes, & viſæ ſunt eis diviſæ
linguæ tanquam ignis, & ſedit ſuper unumquem-
que eorum, & cœperunt loqui aliis linguis, prout
ſpiritus dabat eloqui illis. Simili modo & magnus
ille Job, adverſus amicos ſuos, cum eſſent Spi-
ritu ſancto privati, & nihil verum dicerent, ne-
que opinarentur ſe ante Deum loqui. Aiebat er-
Job. 26. 4. go Job, *Nonne ante Deum loquimini?* & rurſum,
Cui annunciaſtis verba? inſpiratio vero cujus eſt
quæ procedit a te? Ex quibus unus magna loquens
Job. 32. 8. dicebat, *Spiritus eſt qui pro mortalibus intercedit,*
inſpiratio vero omnipotens eſt quæ me docet. Om-
nipotens ſtatim filius Dei, de quo Zacharias ait,
Zac. 2. 8. *Propterea ſic dicit omnipotens, poſt gloriam miſit*
me ſuper gentes quæ vos deprædatæ ſunt. Audia-
Prov. 20. 27. mus etiam Salomonem dicentem, *Lux Domini*
inſpiratio eſt hominum: & a Moyſe inſtructi,
Gen. 2. 7. quia *inſpiravit Dominus in faciem Adæ inſpiratio-*
nem vitæ, & factus eſt homo in animam viven-
tem. Audientes vero & Salvatorem dicentem,
Joan. 14. 6. *Ego ſum vita*, & Paulum ſcribentem, *Lex enim*
Rom. 8. 2. *ſpiritus vitæ*, & rurſum, *miſit Deus Spiritum fi-*
Gal. 4. 6. *lii ſui in corda noſtra clamantem*: videntes etiam
unigenitum inſpirantem in faciem Apoſtolorum
Joan. 20. 22. & dicentem, *Accipite Spiritum ſanctum*, inſpi-
rationem filii, in propria vita & ſubſtantia ma-
nentem, Spiritum ſanctum eſſe doceamur, & ne-
que genitum, neque creatum eſſe a filio creda-
mus, & quod non ſit verbum filii. genitum ve-
ro a Deo eſt verbum ſuum in propria vita &
ſubſtantia permanens filius Dei, cum ipſe ſit
vita. propterea vero non eſt genitus ab eo ſpiri-

A tus, quia non eſt verbum ejus. Creatum vero
dicere Spiritum ſanctum nefas eſt. verumtamen
inſpirationem filii Dei eum eſſe ſanctis ſcripturis
edocti ſumus. Fontem vero Spiritus ſancti filium
Dei eſſe dicimus, ipſo filio in Jeremia dicente,
Quia duo nequam fecit populus iſte, me dereli- Hier. 2. 13.
querunt fontem aquæ vivæ, & effoderunt ſibi la-
cus detritos, qui non poterant aquam portare.
Aqua vero viva Spiritus ſanctus, ſicut Joannes
docuit dixiſſe Salvatorem ad Samaritanam mu- Joan. 4. 10.
lierem, *Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit*
tibi da mihi bibere, tu utique petiſſes eum, & de-
diſſet tibi aquam vivam. & rurſum, *Quicumque*
B *biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in*
æternum. Nam & in medio templi clamat, *Si* Joan. 7. 37.
quis ſitis veniat ad me & bibat. qui credit in me,
ſicut dixit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent
aquæ vivæ, & interpretatum eſt ſic, *Hoc autem*
dicebat de ſpiritu quem accepturi erant qui credi-
derunt in eum. Ita etiam & Iſaias Dominum di- Eſa. 44. 3.
xiſſe ait, quia *ego dabo in ſiti aquam his qui*
in ſicco iter fecerunt, & ponam ſpiritum meum ſu-
per ſemen tuum, & benedictiones meas ſuper filios
tuos, & orientur tanquam in aqua fœnum, & ve-
lut ſalix inter fluxus aquæ. Ergo manifeſte ſcri-
pturis ſanctis profitentibus aquam vivam Spiri-
tum ſanctum eſſe cognoſcimus. Dominus ſe fon-
tem eſſe ſpiritus dixit ſic, *Me dereliquerunt fon-* Hier. 2. 13.
C *tem aquæ vivæ*. Sic & David cantat in triceſi-
mo quinto pſalmo dicens ad Dominum, *Quia* Pſal. 35. 10.
apud te eſt fons vitæ. Igitur præter Dominum
oſtende alium fontem eſſe vitæ, qui apud eum
ſit. Non enim dixit, quia tu es fons vitæ, ſed
quia apud te eſt fons vitæ: apud te eſt vero,
apud Deum. & eſt filius fons exiſtens ſpiritus,
de quo Paulus ad Romanos ſcribit, *Spiritus vero*
vitæ propter juſtitiam. Ita non alienum ſed pro- Rom. 8. 10.
prium patris eſſe eum dicit. Nam cum profeſſus
fuiſſet, *quia apud te eſt fons vitæ*, adjunxit, *in* Pſal. 35. 10.
lumine tuo videbimus lumen, Id eſt, in filio tuo
videbimus ſpiritum. Nec non etiam in nomine
D virtutis Dei appellatur ſpiritus, & vita & ſapien-
tia eſſe monſtratur. Audivimus enim Salvato-
rem in Evangelio promittentem diſcipulis ſuis,
miſſurum ſe eſſe Spiritum ſanctum, quibus di- Luc. 24. 49.
cit, *Ecce ego mittam promiſſionem patris mei ſu-*
per vos. vos vero ſedete in civitate, donec indua-
mini ex alto virtute. In Actibus Apoſtolorum idem
Dominus ait, *Accipietis virtutem ſupervenientem* Act. 1. 8.
ſuper vos Spiritum ſanctum. Hoc quoque im-
pletum eſſe poſtmodum comperimus ſub die
quinquageſimæ conſummatæ. Aut ergo virtu-
E tem Domini Spiritum ſanctum eſſe profitemini,
aut ſicut Sabellius ſpiritum paraclitum, cum ſit
virtus Dei, eundem filium Dei eſſe prædicate.
& audientes Paulum dicentem, *Spiritus vitæ*
propter juſtitiam, fontem iterum ſpiritus inſtrui- Rom. 8. 10.
mur eſſe filium.

Item idem, quod Spiritus ſanctus procedat a pa- In Symbolo.
tre & filio.

a PAter a nullo eſt factus, nec creatus, nec
genitus. Filius a patre ſolo eſt, non

a *Pater a nullo eſt factus*) Verba ſunt ex Symbolo Athanaſii, ſi tamen jam tum hoc illi nomen erat. Solebat enim potius appellari *Fides Athanaſii*, vel *Sermo de fide*, aut *Expoſitio fidei Athanaſii*. Incertus auctor, quem diximus, hoc ipſo utens teſtimonio, *Beatus*, inquit, *Athanaſius in expoſitione catholicæ fidei, quam ipſe egregius doctor conſcripſit, & quam univerſalis confitetur Eccleſia, proceſſionem Spiritus ſancti a patre & filio declarat ita dicens*, Pater a nullo eſt factus, &c. Atque hanc priſcam & veram ſuiſſe appellationem oſtendunt Græci, qui ἔκθεσιν vel ὁμολογίαν τῆς καθολικῆς πίστεως interpretati ſunt. Latini poſtea ſymbolum vocarunt, atque haud ſcio an omnium primus Hincmarus contra Gotheſcalcum cap. xxxv. Tanti namque apud Gallos ſymbolum hoc fuit, ut una cum ſymbolo Apoſtolorum memoriæ commendari presbyteris præcipiat Hincmarus idem in Capitulis, clericis omnibus Synodus Auguſtodunenſis.

frctus, nec creatus, ſed genitus. Spiritus ſanctus a patre & filio non ſactus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Unus ergo patet non tres patres, unus filius non tres filii, unus Spiritus ſanctus non tres Spiritus ſancti. Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales. Ita ut per omnia, ſicut jam ſupra dictnm eſt, & Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate veneranda ſit. Qui vult ergo ſalvus eſſe, ita de Trinitate ſentiat.

Epiſt. 3. de excommunicatione. *Epiſtola ad Neſtorium ſic dicit Cyrillus quod Spiritus ſanctus a patre procedat & filio.*

Joan. 16. 14. DE Spiritu quoque cum dicit, *Ille me clarificabit*, hoc rectiſſime ſentientes, unum Chriſtum & filium, non velut alterius egentem gloria, confitemur ab Spiritu ſancto gloriam conſecutum: quia ſpiritus ejus nec ſuperior illo eſt. Sed quia mira opera faciens ad demonſtrationem ſuæ deitatis virtute propria ſpiritus utebatur, ab ipſo glorificari dicitur, quemadmodum ſi quis de hominibus aſſeveret, quod virtute ſua vel diſciplina unumquemque clarificet. Quamvis enim in ſua ſit ſubſtantia Chriſtus, & ejus intelligatur in perſona proprietas juxta id quod ſpiritus eſt, & non filius, attamen alienus non eſt ab illo. nam Spiritus appellatus eſt veritatis, & veritas Chriſtus eſt. unde & ab iſto ſimiliter ſicut ex Deo patre procedit. Denique hic ipſe Spiritus, etiam per ſanctorum manus Apoſtolorum miracula glorioſa perficiens, Deum glorificavit Jeſum Chriſtum, poſtquam aſcendit in cælum. Nam creditus eſt Chriſtus natura Deus exiſtens per ſuum ſpiritum virtutes efficiens: ideoque dicebat, *de meo accipiet, & annunciabit vobis*. *Joan. 16. 14.* Nequaquam vero participatione alterius idem ſpiritus ſapiens aut potens dicitur, quia per omnia perfectus eſt, & nullo prorſus indigens bono. Nam paternæ virtutis & ſapientiæ idem filii ſpiritus creditur, & ideo ipſe & ſubſtantia virtutis & ſapientia comprobatur.

Anathematiſmo IX. ad Euoptium. *Item idem in dialogo cum Theodorito Cyriano Epiſcopo habito, quod Spiritus ſanctus a patre procedat & a filio.*

MEminimus enim dicentem Chriſtum palam de Spiritu ſancto, *Ille me clarificabit*. *Joan. 16. 14.* novimus ad hæc ſancti Spiritus operationem conterentem nequiſſimas immundaſque virtutes. Sed non ita dicimus eum, ſicuti denique unnmqnemque Sanctorum, tanquam aliena per Spiritum ſanctum utentem virtute. Fuit enim & eſt ejus ſpiritus, ſicuti denique & patris. & hoc nobis bene ſatis explanat ſcribens ſacratiſſimus Paulus, *Qui autem in carne ſunt, placere Deo non poſſunt. vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* *Rom. 8. 8.* Procedit enim ex Deo patre Spiritus ſanctus ſecundum Salvatoris vocem, ſed non eſt alienus a filio: omnia enim habet cum patre, & hoc ipſe docuit dicens de Spiritn ſancto, *Omnia quæcumque habet pater, mea ſunt. propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* *Joan. 16. 15.* Ergo glorificabit quidem Jeſum Spiritus ſanctus inopinabilia operantem. Verumtamen ſic ſpiritus ejus, & non aliena virtus, & eo ſuperior ſecundum quod intelligitur Deus.

Docet Hilarius, quod unum Spiritui ſancto a patre procedere & a filio accipere ſit emitti, in libro octavo de Trinitate ſic. *Lib. VIII.*

CUm *venerit advocatus ille, quem ego mittam vobis a patre ſpiritum veritatis qui a patre meo procedit, ipſe teſtificabitur de me.* *Joan. 15. 26.* Advocatus veniet, & hunc mittet filius a patre, & ſpiritus veritatis eſt qui a patre procedit. Excutiat ingenii ſui aculeos omnis hæreticorum ſchola, & quærat nunc quod vel mentiri ignorantibus poſſit, & doceat quid ſit hoc quod filius mittit a patre. Qui mittit, poteſtatem ſuam in eo quod mittit oſtendit. ſed quod a patre mittit quid intelligimus? Utrum acceptum, aut dimiſſum, aut genitum? Nam horum neceſſe eſt unum aliquid ſignificet, quod a patre miſſurus eſt, & miſſurus a patre eſt eum ſpiritum veritatis qui a patre procedit. Jam vero non eſt acceptio, ubi demonſtrata proceſſio eſt. Supereſt ut confirmemus in eum ſententiam noſtram, utrum in hoc conſiſtentis egreſſionem, an geniti proceſſionem exiſtimemus. Neque in hoc mundo nunc calumnior libertati intelligentiæ, utrum ex patre an ex filio ſpiritum paraclitum putent eſſe. Non enim in incerto Dominus reliquit. Nam ſub iiſdem dictis ita hæc locutus eſt, *Adhuc multa habeo dicere vobis, ſed non poteſtis illa modo portare. Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, diriget vos in omni veritate. Non enim loquetur a ſemetipſo: ſed quæcumque audierit loquetur, & futura annuntiabit vobis. Ille me honorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. omnia quæcumque habet pater mea ſunt. propterea dixi, de meo accipiet & annunciabit vobis.* *Joan. 16. 12.* A filio igitur accipit, quia & ab eo mittitur, & a patre procedit. & interrogo, utrum id ipſum ſit a filio accipere, quod a patre procedere. Quod ſi nihil differre creditur inter accipere a filio, & a patre procedere, certe id ipſum atque unum eſſe exiſtimabitur a filio accipere, quod ſit accipere a patre. *Joan. 16. 14.* Ipſe enim Dominus ait, *Quoniam de meo accipiet & annunciabit vobis. Omnia quæcumque habet pater mea ſunt. propterea dixi, de meo accipiet & annunciabit vobis.* Hoc quod accipiet, ſive poteſtas eſt, ſive virtus, ſive doctrina, filius a ſe accipiendum eſſe dixit, & rurſum hoc ipſum ſignificat accipiendum eſſe de patre. cum enim ait, omnia quæcumque habet pater ſua eſſe, & idcirco dixiſſe ſe, de ſuo accipiendum eſſe, docet etiam a patre accipienda, a ſe tamen accipi, quia omnia quæ patris ſunt, ſua ſunt. Non habet hæc unitas diverſitatem, nec differt a quo acceptum ſit, quod datum a patre, datum referatur a filio. Numquid & hic voluntatis unitas aſſeritur? Omnia quæ habet pater filii ſunt, & omnia quæ filii ſunt patris ſunt. Ipſe enim ait, *Omnia mea tua ſunt, & tua mea.* *Joan. 16. 15.* Nondum loci eſt, ut demonſtrem cur ita dixerit, *Quoniam de meo accipiet*. Futuri enim temporis ſignificatio eſt ubi accepturus oſtenditur. nunc certe ideo a ſe accepturum ait, quoniam omnia patris ſua eſſent. Diſſeca naturæ hujus, ſi potes, unitatem, & aliquam diſſimilitudinis infer neceſſitatem, per quam filius non ſit in unitate naturæ. A patre enim procedit ſpiritus veritatis, ſed a filio mittitur & a patre. Omnia quæ patris ſunt, filii ſunt, & idcirco quidquid accipit, a filio accipit ille mittendus, quia filii ſunt univerſa quæ patris ſunt. Natura itaque in omnibus tenet ſuam legem, & quod unum ambo ſunt, ejuſdem in utroque per generationem nativitatemque

diuinitatis ſignificatio eſt, cum id quod accipit a patre ſpiritus veritatis, id filius dandum a ſe fateatur.

Item idem de miſſione Spiritus ſancti a filio, in libro quem ſcripſit in Germaniam, Galliam Belgicam, Lugdunenſem, Narbonenſem, Nouempopulanam, Toloſam, & Brittaniam. *De Synodis.*

CRedimus in Spiritum ſanctum, hoc eſt paraclitum, quem promittens Apoſtolis ſuis poſt reditum in cælos miſit, docere eos ac memorari omnia, per quem ſanctificantur ſincere in eum credentium animæ.

Item idem in eodem libro.

In expoſitione ejuſdem fidei.

SI quis Spiritum ſanctum paraclitum dicens innaſcibilem Deum dicat, anathema ſit. Adjectio nunc paracliti anathemati obnoxiam facit innaſcibilis in eum Dei prædicationem. Impiiſſimum enim eſt, innaſcibilem Deum eum dici, qui ad conſolationem noſtram ſit miſſus a filio. * Si quis, ſicuti nos docuit Dominus, non alium dicat paraclitum a filio; dixit enim, *Et alterum paraclitum mittet vobis pater, quem rogabo eum*, anathema ſit. A filio paraclitum miſſum meminimus, & in principio hoc fides ipſa expoſuit. Sed quia frequenter filius per indifferentis naturæ virtutem opera ſua opera patris eſſe dixit, dicens, *Ego opera patris mei facio*, miſſurus quoque paraclitum, ſicuti frequenter ſpopondit, interdum eum & mittendum dixit a patre, dum omne quod ageret, pie referre eſt ſolitus ad patrem. Ex quo hæretici occaſionem frequenter arripiunt, ut ipſum eſſe filium paraclitum dicant: cum in eo quod alium paraclitum mittendum a patre ſit precaturus, differentiam miſſi rogantiſque ſignificet. * Si quis Spiritum ſanctum partem dicit patris vel filii, anathema ſit. Stultitia hæretici furoris hæc coegit ſcripto referre, non quæſtio. Nam cum Spiritus ſancti nomen habeat ſuam ſignificationem, & Spiritus ſanctus paraclitus habeat ſubſtantiæ ſuæ & officium & ordinem, & cum indemutabilis pater & filius ubique prædicetur, quomodo pars eſſe aut patris aut filii Spiritus ſanctus aſſeretur? Sed quia ſicut inter cetera inſaniarum genera etiam hoc quoque proferri ab impiis ſolet, idcirco a ſanctis debuit improbari. Si quis patrem & filium & Spiritum ſanctum tres dicit deos, anathema ſit.

Joan. 14.16. *Jean. 10.37.*

Ambroſius, quod Spiritus ſanctus non tranſeat de loco ad locum cum a patre & filio procedit, in libro primo quem ſcripſit ad Gratianum Imperatorem ſic docet. *Cap. 10.*

ETenim ſi de loco procedit Spiritus, & ad locum tranſit, & ipſe pater in loco invenitur, & filius. ſi de loco exit quem pater mittit aut filius, utique de loco tranſiens ſpiritus atque progrediens, & patrem ſicut corpus ſecundum impias interpretationes relinquere videtur, & filium. Hoc ſecundum eos loquor, qui putant quod habeat ſpiritus deſcenſorium motum. Sed neque in loco aliquo pater circumſcribitur, qui eſt ſuper omnia, non ſolum corporeæ naturæ, ſed etiam inviſibilis creaturæ. Neque filius ſuorum operum locis temporibuſque concluditur, qui ſuper omnem eſt creaturam, totius opifex creaturæ. Neque ſpiritus veritatis, ut pote Dei ſpiritus, circumſcribitur aliquibus finibus corporalibus, qui cum ſit incorporeus, omnem intelligibilem ſubſtantiam creaturæ inenarrabili divinitatis plenitudine ſupereminet, ſpirandi ubi velit, & inſpirandi quomodo velit, habens ſuper omnia poteſtatem. Non ergo quaſi ex loco mittitur ſpiritus, aut quaſi ex loco procedit quando procedit ex filio. ſicut ipſe filius cum dicit, *de patre proceſſi & veni*, omnes interficit opiniones, quæ ex loco ad locum poſſunt ſicut in aliquibus corporalibus æſtimari. Similiter cum aut intus aut foris legimus Deum eſſe, non utique Deum, aut intra aliquod corpus includimus, aut ab aliquo corpore ſeparamus: ſed alta hoc & inenarrabili æſtimatione penſantes, divinæ naturæ intelligimus arcanum. Denique ita ſapientia ex ore Altiſſimi prodiiſſe ſe dicit, ut non extra patrem ſit, ſed apud patrem, quia *Verbum erat apud Deum*. Nec ſolum apud patrem, ſed etiam ex patre. dicit enim, *Ego in patre, & pater in me*. Sed neque cum de patre exit, quaſi de loco recedit, aut quaſi corpus a corpore ſeparatur: neque dum in patre eſt, quaſi in corpore tanquam corpus includitur. Spiritus quoque ſanctus, cum procedit a patre & filio, non ſeparatur a patre, non ſeparatur a filio. Quemadmodum enim ſeparari poteſt a patre qui ſpiritus oris ejus eſt? quod utique & æternitatis indicium, & divinitatis exprimit unitatem. Eſt ergo & manet ſemper qui oris eſt ſpiritus: ſed deſcendere videtur etiam, cum illum recipimus ut habitet in nobis, ne nos ſimus a gratia ejus alieni. Nobis deſcendere videtur, non quod ille deſcendat, ſed quod ad illum animus noſter aſcendat. De quo plenius diceremus, niſi meminiſſemus in libris jam ſuperioribus poſitum quod & pater dixerit, *Venite deſcendamus, & confundamus linguas eorum*. & filius dixerit, *Qui diligit me, ſermonem meum ſervabit, & pater diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus*. Sic igitur venit ſpiritus, quemadmodum venit pater: quia ubi pater eſt, ibi eſt & filius, & ubi filius eſt, ibi eſt & Spiritus. Non ergo diſcrete venire æſtimandus eſt Spiritus ſanctus. Venit autem non de loco ad locum, ſed a diſpoſitione conſtitutionis ad ſalutem redemptionis, a gratia vivificationis, ad gratiam ſanctificationis, ut de terris ad cælum, de injuria ad gloriam, de ſervitio ad regnum transferat. Sic ergo venit ſpiritus, quemadmodum venit pater. Dixit enim filius, *Ego & pater veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Numquid corporaliter pater venit? ſic ergo & ſpiritus venit, in quo, cum venit, & patris & filii plena præſentia eſt. Quis autem poteſt a patre & filio ſpiritum ſeparare, cum vel appellare patrem & filium ſine ſpiritu non queamus? *Nemo enim dicit Dominum Jeſum, niſi in Spiritu ſancto*. Ergo ſi appellare Dominum Jeſum ſine ſpiritu non poſſumus, utique ſine ſpiritu prædicare non poſſumus. Si autem & Angeli prædicant Dominum Jeſum, quem nemo poteſt ſine ſpiritu prædicare, & in ipſis ergo ſancti Spiritus munus operatur. Probavimus igitur, unam præſentiam eſſe, unam gratiam eſſe patris & filii & Spiritus ſancti, quæ tam cæleſtis atque divina eſt, ut propterea agat gratias filius patri dicens, *Confiteor tibi pater domine cæli & terræ, qui abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti illa parvulis.*

Joan. 8.42. *Joan. 1.1.* *Joan. 10.38.* *Gen. 11.7.* *Joan. 14.23.* *1. Cor. 12.3.* *Luc. 10.21.*

Cap. 1. *Item idem in libro tertio, quod Spiritus ſanctus a patre ſit miſſus & filio, ubi miſſio proceſſio intelligitur.*

SPiritum quoque & pater miſit & filius. pa-
Joan. 14.26. ter miſit, quia ſcriptum eſt, *Paraclitus autem ille ſpiritus, quem mittet pater in nomine*
Joan. 15.26. *meo*. filius miſit, quia dixit, *Cum venerit autem paraclitus, quem ego mittam vobis a patre meo ſpiritum veritatis*. Si ergo ſe invicem filius & ſpiritus mittunt ſicut pater mittit, non ſubjectionis injuria, ſed communitas poteſtatis
Cap. 2. eſt. Nec ſolum miſit pater filium, ſed etiam dedit, ſicut ipſe ſe filius dedit. Lectum eſt e- B
Gal. 1. 3. nim, *Gratia vobis & pax a Deo patre noſtro, & domino Jeſu Chriſto, qui ſe dedit pro peccatis noſtris*. Si ſubjectum in eo putant fuiſſe, quia miſſus eſt, gratiæ eſſe negare non poſſunt, quia datus eſt. Datus eſt autem a patre, ut Iſaias
Eſa. 9. 6. dixit, *Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis*. Datus eſt autem, audeo dicere, & a ſpiritu qui miſſus eſt a ſpiritu. Cum enim non definierit a quo datus ſit, oſtendit datum gratia Trinitatis. Cum autem ipſe ſe filius dederit, utique non potuit ipſe ſibi ſecundum divinitatem eſſe ſubjectus. Ergo non potuit divinæ ſubjectionis eſſe qnod datus eſt. Datus eſt autem & ſpi-
Joan. 14. 16. ritus ſanctus, quia lectum eſt, *Rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis*, & Apoſtolus C
1. Theſſ. 4. 8. ait, *Quapropter qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum qui dedit ſpiritum ſuum in nobis*. Iſaias quoque & ſpiritum datum oſtendit, & filium. *Sic*, inquit, *dicit Dominus qui fecit*
Eſai. 42. 5. *cælum & fixit illud, qui ſolidavit terram & quæ in ea ſunt, & dat populo qui ſuper eam ſpiritum, & ſpiritum calcantibus eam*. & ad fi-
Ibid. 6. lium, *Ego dominus Deus qui vocavi te in æquitate, & tenebo manum tuam, & confortabo te & dedi te in teſtamentum generis mei, in lucem gentium, aperire oculos cæcorum, educere de vinculis alligatos*. Cum ergo filius miſſus & datus ſit, ſpiritus quoque datus & miſſus ſit, habent utique unitatem divinitatis, quia habent D
operis unitatem. Unde etiam digitus Dei appellatus eſt Spiritus.

Lib. 3. cap. 20 *Item idem in eodem libro, quod fluvius de ſede Dei & agni procedens Spiritus ſanctus ſit. ubi intelligitur ejus a patre filioque proceſſio.*

HAbet ergo Spiritus quod habet Chriſtus: habet igitur quod habet Deus, quia omnia quæ habet pater, habet & filius. ideoque
Joan. 16. 15. dixit: *Omnia quæ habet pater mea ſunt*, Nec illud mediocre, quod de throno Dei exire fluvium legimus. Sicut enim habes dicente Joanne Evangeliſta, *Et oſtendit mihi flumen aquæ vi-*
Apoc. 22. 1. *væ, ſplendidum tamquam cryſtallum, procedens* E
de ſede Dei & agni, & in medio plateæ ejus, & ex utraque parte lignum vitæ faciens fructus duodecim per ſingulos menſes reddentes fructum ſuum, & folia ligni ad medicinam omnium gentium. Hic eſt utique fluvius de Dei ſede procedens, hoc eſt Spiritus ſanctus, quem bibit qui
Joan. 7. 37. credit in Chriſtum, ſicut ipſe ait, *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. qui credit in me, ſicut dixit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. hoc autem dicebat de ſpiritu*. Ergo flumen eſt ſpiritus.

Illum ſicut & a patre procedere Hieronymus in libro Didymi, quem de Græco in Latinum tranſtulit, quod Spiritus ſanctus a patre egrediatur & a filio mittatur, non ſecundum Angelorum, Prophetarum & Apoſtolorum miniſterium, ſed ut a ſapientia Dei ſpiritum Dei mitti decet, ſic docet. ex quo conficitur & a filio. Lib. 2. ſub initium. tom. 6. oper. S. Hieron.

CUm ergo Spiritus ſanctus, ſimiliter ut pater & filius, mentem & interiorem hominem inhabitare doceatur, non dicam ineptum, ſed impium eſt eum dicere creaturam. Diſciplinas quippe, virtutes dico & artes, & his contrarias perturbationes, & imperitias, & affectus, in animabus habitare poſſibile eſt, non tamen ut ſubſtantivas *, ſed ut accedentes: creatam vero naturam in ſenſu habitare impoſſibile eſt. Quod ſi verum eſt, & Spiritus ſanctus, abſque ulla ambiguitate ſubſiſtens, animæ eſt habitator & cordis, nulli dubium eſt, quin cum patre & filio credi debeat increatus. Ex omnibus igitur quæ præcedens ſermo diſſeruit, incorruptibilis & ſempiternus ſecundum naturam patris & filii Spiritus ſanctus demonſtratus, univerſam de ſe ambiguitatem abſtulit, & ſuſpicionem ne unus de creatis ſubſtantiis exiſtimetur is qui ſpiritus Dei ſit, quem exire de patre Salvatoris in Evangelio verba declarant. *Cum venerit*, Joan. 15. 26.
inquit, *conſolator, quem ego mittam vobis ſpiritum veritatis, qui de patre egreditur, ipſe teſtimonium dabit de me*. Conſolatorem autem venientem Spiritum ſanctum dicit, ab operatione ei nomen imponens: quia non ſolum conſolatur eos quos ſe dignos eſſe repererit, & ab omni triſtitia & perturbatione reddit alienos, verum incredibile quoddam gaudium & hilaritatem eis tribuit, in tantum ut poſſit quis, Deo gratias referens quod tali hoſpite dignus habeatur, dicere, *Dediſti lætitiam in corde meo*. Sempiterna Pſal. 4. 7.
quippe lætitia in eorum corde verſatur, quorum Spiritus ſanctus habitator eſt. Iſte ſpiritus conſolator a filio mittitur, non ſecundum Angelorum, & prophetarum, & Apoſtolorum miniſterium, ſed ut mitti decet a ſapientia & veritate ſpiritum Dei, indiviſam habentem* cum eadem ſapientia & veritate ſubſtantiam.

* aliqui libri ſubſtantias.

* aliqui libri cum Patre & Filio.

Item idem in eodem libro, poſt pauca.

LIcet enim ex Deo frequenter ſe dicat exiſſe Salvator, proprietatem tamen, & ut ita dicam familiaritatem, de qua ſæpe tractavimus, ex vocabulo magis ſibi patris aſſumens di- Joan. 14. 11.
cit, *Ego in patre, & pater in me*, & alibi, *E-* Joan. 10. 30.
go & pater unum ſumus, & multa his ſimilia, quæ in Evangelio obſervans lector inveniet. Iſte ergo Spiritus ſanctus, qui de patre egreditur, *teſtificabitur*, inquit Dominus, *de me*, teſtimo- Joan. 15. 26.
nium ſimile ferens ei patris teſtimonio, de quo ait, *teſtimonium dicit de me qui me miſit pa-* Joan. 8. 18.
ter. Mittente autem filio ſpiritum veritatis, quem conſolatorem vocavit, ſimul mittit & pater. neque enim pater filio mittente non mittit, cum eadem voluntate patris & filii ſpiritus veniat. Salvatore quoque per prophetam loquente, ſicut manifeſtum eſſe poterit ei qui Eſa. 48. 16.
totum perlegerit locum, *Et Dominus miſit me, & ſpiritus ejus*. Siquidem non ſolum filium, 1. Pet. 1. 12.
ſed ſpiritum miſit Deus. Sed & Apoſtolus loquitur, *Quæ nunc annuntiata ſunt vobis per eos qui evangelizaverunt vos ſancto Spiritu miſ-*

ſo de cælis. Et in Sapientia, quæ inſcribitur Panaretos, ab his qui divina chariſmata conſecuti ſunt, vox gratias Deo referens deſtinatur, *Quæ autem in cælis ſunt quis inveſtigabit? voluntatem autem tuam quis cognovit, niſi quod tu dediſti ſapientiam, & Spiritum ſanctum tuum miſiſti de excelſis, & ſic correctæ ſunt ſemitæ eorum qui ſuper terram erant, & placita tibi edocti ſunt homines.* Et in præſenti ſiquidem lectione, non ſola ſapientia Dei, id eſt unigenitus filius ejus, datur a patre, ſed & Spiritus ſanctus mittitur. In ipſo quoque Evangelio dari prædicatur a patre, & mitti Spiritus ſanctus, Salvatore dicente, *Et ego rogabo patrem meum, & alium paraclitum dabit vobis, ut ſit vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis.* & iterum, *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Nam & in his ſermonibus alium paraclitum dare dicitur pater, non autem alium ab eo qui a filio mittitur, ſecundum illud, *Cum autem venerit ille paraclitus, quem mittam vobis a patre ſpiritum veritatis.* quem alium paraclitum nominavit, non juxta naturæ differentiam, ſed juxta operationis diverſitatem.

Sap. 9. 16. — Joan. 14.16. — Ibid. 26. — Joan. 15.26.

Lib. 2.

Item idem in eodem opere, poſt pauca.

QUia ergo Spiritus ſanctus in nomine filii a patre mittitur, habens filii proprietatem ſecundum quod Deus eſt, non tamen filietatem, ut filius ejus ſit, oſtendit qua unitate ſit junctus ad filium. unde & filii dictus eſt ſpiritus, per adoptionem ſuam filios faciens eos qui ſe recipere voluiſſent. *Quia enim eſtis*, inquit, *filii Dei, miſit pater ſpiritum filii ſui in corda veſtra, clamantem abba pater.* Iſte autem Spiritus ſanctus, qui venit in nomine filii miſſus a patre docebit omnia eos qui in fide Chriſti perfecti ſunt. Omnia autem illa quæ ſpiritalia ſunt & intellectualia, & ut breviter univerſa concludam, omnia veritatis & ſapientiæ ſacramenta. Docebit vero, non quaſi doctor & magiſter diſciplinæ, quam aliunde eſt conſecutus: ſi quidem hoc eorum eſt, qui ſapientiam & artes aliquas induſtria ſtudioque didicere: ſed quaſi ipſe ars atque doctrina, & ſapientiæ veritatiſque ſpiritus, inviſibiliter menti inſinuans ſcientiam divinorum.

Gal. 4. 6.

Lib. 2.

Item idem in eodem opere, poſt pauca.

DEinde interpretationem inferens quomodo dixiſſet, *de meo accipiet*, protinus ſubjecit, *Omnia quæ habet pater mea ſunt: propterea dixi, de meo accipiet & annuntiabit vobis.* Quodam modo loquens, Licet a patre procedat ſpiritus veritatis, & det Deus Spiritum ſanctum petentibus ſe, tamen quia omnia quæ habet pater mea ſunt, & iſte ipſe ſpiritus patris meus eſt, & de meo accipiet. Cave autem, cum iſta dicuntur, ne prava intelligentia labaris in vitium, & putes rem eſſe aliquam & poſſeſſionem, quæ a patre habeatur ac filio. Verum, quæ habet pater juxta ſubſtantiam, id eſt æternitatem, immutabilitatem, incorruptionem, immortalitatem, bonitatem de ſe & in ſe ſubſiſtentem, hæc eadem habet & filius: & ut plus inferam, quidquid filius ipſe ſubſiſtit, & quæcumque ſunt filii, hæc eadem habet & pater.

Joan. 16. 15.

Item idem in eodem opere.

Lib. 2. ſub finem.

VOs autem, ait, haud dubium quin diſcipulis Chriſti, qui ſapientiam ſpiritus ſuſcepiſtis, & vitam & pacem, *non eſtis in carne*, id eſt in carnis operibus. neque enim ejus opera perpetratis; ſiquidem ſpiritum Dei habetis in vobis. Idem autem ſpiritus Dei & ſpiritus Chriſti eſt, adducens & copulans eum qui ſe habuerit domino Jeſu Chriſto. unde in ſequentibus ſcribitur, *Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Rurſum in præſenti diſcimus ſocietatem, quam habet Spiritus ſanctus ad Chriſtum & ad Deum. Sed & in epiſtola Petri Spiritus ſanctus eſſe Chriſti ſpiritus comprobatur, *Scrutantes*, inquit, *& exquirentes*, id eſt prophetæ de quibus ei fuerat ſermo ſuperior, *in quod aut quale tempus ſignificabat is qui in eis erat ſpiritus Chriſti, teſtificans in Chriſto paſſiones, & ea quæ poſt erant ſequutura decreta, in quibus revelatum eſt, quia non ſibi, ſed nobis miniſtrabant ea quæ nunc annuntiata ſunt vobis per Spiritum ſanctum.* Iſte autem Spiritus ſanctus dictus eſt & ſpiritus Dei non in præſenti tantum ſermone, ſed & in aliis locis quamplurimis. ut ibi, *ea quæ Dei ſunt nemo novit niſi ſpiritus Dei.* Deinde ſequitur poſt hoc, quod ait, *Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*, & infertur, *ſi autem Chriſtus in vobis*, & maniſeſtiſſime demonſtratur inſeparabilem eſſe Spiritum ſanctum a Chriſto. quia ubicumque Spiritus ſanctus fuerit, ibi & Chriſtus eſt, & undecumque Chriſti ſpiritus diſceſſerit, inde pariter recedit & Chriſtus. *Si quis enim ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* cui conjuncto ſi quis contrarium aſſumat, dicere poteſt, Si quis Chriſti eſt, ita ut Chriſtus in eo ſit, in hoc ſpiritus Dei eſt. Hoc autem idem & de Deo patre ſimiliter uſurpandum, Si quis ſpiritum Dei non habet, iſte non eſt ejus. Cui rurſum contrarium quis aſſumet dicens, Si quis Dei eſt, in hoc ſpiritus Dei eſt. unde ſcribitur, *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* Et in Joannis epiſtola, in hoc cognoſcitur Deus habitans in quibuſdam, cum manſerit in eis ſpiritus quem dedit eis. Ex quibus omnibus indiſſociabilis & indiſcreta Trinitatis ſubſtantia demonſtratur.

Rom. 8. 9. — Ibid. — 1. Pet. 1.11. — 1. Cor. 2. 11. — Rom. 8. 9. — 1. Cor. 3. 16.

Item idem in eodem opere, poſt pauca.

Lib. 3. in fine

CUm igitur ſancta ſcriptura amplius de Trinitate non dicat, niſi Deum patrem eſſe Salvatoris, & filium generatum eſſe a patre, hoc tantummodo debemus ſentire quod ſcriptum eſt, & oſtenſo quod Spiritus ſanctus increatus ſit, conſequenter intelligere, quod cujus non eſt creata ſubſtantia, recte patri filioque ſocietur. Hæc juxta eloquii noſtri paupertatem in præſenti dicta ſufficiant.

Auguſtinus, quod Spiritus ſanctus a patre filioque procedat, in libro quem ſcripſit contra Maximinum hæreticum, ſic ait.

Lib. 3. cap. 17 in fine.

MAgnum aliquid ſane tibi dicere videris, quia dicis, Filius erat in principio antequam aliquid eſſet, pater vero ante principium. Ubi legiſti ut hoc crederes? unde præſumpſiſti ut hoc diceres ubi nec auctoritas ulla nec ratio eſt? Quid eſt enim, ante principium? quandoquidem quidquid ante eſſet, hoc eſſet princi-

A

pium. Si ergo pater ante principium eſt, ante ſeipſum eſt, quia & ipſe principium eſt. Quid eſt autem, *In principio erat Verbum*, niſi in pa-

Joan. 1. 1. tre erat filius? & ipſe filius interrogatus a Judæis quis eſſet, reſpondit, *principium qui & lo-*

Joan. 8. 25. *quor vobis*. Pater ergo principium non de principio, filius principium de principio. Sed utrumque ſimul, non duo ſed unum principium. Sicut pater Deus & filius Deus, ambo autem ſimul non duo dii, ſed unus Deus. Nec Spiritum ſanctum de utroque procedentem negabo eſſe principium. Sed hæc tria ſimul ſicut unum Deum, ita unum dico eſſe principium.

Lib. 3. cap. 9.

Item idem in eodem libro.

B

QUæris a me, ſi de ſubſtantia patris eſt filius, de ſubſtantia patris eſt etiam Spiritus ſanctus, cur unus filius ſit, & alius non ſit filius? Ecce reſpondeo, ſive capias, ſive non capias, De patre eſt filius, de patre eſt Spiritus ſanctus: ſed ille genitus, iſte procedens: ideo ille filius eſt patris de quo genitus eſt, iſte autem ſpiritus utriuſque, quoniam de utroque procedit. Sed ideo cum de illo loqueretur, ait

Joan. 15. 26. *de patre procedit*, quoniam pater proceſſionis ejus eſt auctor, qui talem filium genuit, & gignendo ei dedit ut etiam de ipſo procederet Spiritus ſanctus. Nam niſi procederet & de ipſo,

C

Joan. 20. 22. non diceret diſcipulis, *Accipite Spiritum ſanctum*, eumque inſuflando daret, ut a ſe quoque procedere ſignificans, aperte oſtenderet flando, quod ſpirando dabat occulte. Quia ergo, ſi naſceretur non tantum de patre, nec tantum de filio, ſed de ambobus utique naſceretur, ſine dubio filius diceretur amborum: ac per hoc, quia filius amborum nullo modo eſt, non oportuit naſci eum de ambobus. amborum eſt ergo Spiritus ſanctus procedendo de ambobus. Quid autem inter naſci & procedere interſit, de illa excellentiſſima natura loquens explicare quis poteſt? Non omne quod procedit naſcitur, quamvis omne procedat quod naſcitur: ſicut non omne quod bipes eſt, homo eſt, quamvis bipes ſit omnis qui homo eſt. Hæc ſcio, diſtinguere autem inter illam generationem & hanc proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio: ac per hoc, quia & illa & iſta eſt ineffabilis, ſicut propheta de filio loquens ait, *Generationem ejus quis*

D

Iſa. 53. 8. *enarrabit?* ita de Spiritu ſancto veriſſime dicitur, proceſſionem ejus quis enarrabit? Satis ſit ergo nobis, quia non eſt a ſe ipſo filius, ſed ab illo de quo natus eſt: non eſt a ſe ipſo Spiritus ſanctus, ſed ab illo de quo procedit. & quia de utroque procedit, ſicut jam oſtendimus, unde &

Rom. 8. 11. ſpiritus patris dictus eſt, ubi legitur, *Si autem ſpiritus ejus qui ſuſcitavit Chriſtum a mortuis habitat in vobis*. Et ſpiritus filii, ubi legitur,

E

Rom. 8. 9. *Qui autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*. Non enim duo ſunt Spiritus ſancti, tanquam ſinguli ſingulorum, unus patris & alter filii, ſed unus potius patris & filii, de quo

1. Cor. 12. 13. uno Spiritu ſcriptum eſt, *Etenim in ſpiritu uno nos omnes in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Græci, ſive ſervi, ſive liberi, & omnes unum ſpiritum potavimus*. & alio loco,

Epheſ. 4. 4. *unum corpus, & unus ſpiritus*. Quid ergo hæc Trinitas, niſi unius ejuſdemque ſubſtantiæ eſt? quandoquidem non de aliqua materia, vel de nihilo eſt filius, ſed de quo eſt genitus: itemque Spiritus ſanctus, non de aliqua materia, vel de nihilo, ſed inde eſt unde procedit.

Item idem in libro de incarnatione Domini.

SPiritum quoque ſanctum, non ingenitum, neque genitum, ſed ex patre filioque procedentem, eo quod patris & filii ſit ſpiritus, & ipſe conſubſtantialis & coæternus ambobus. nec alium fuiſſe Spiritum ſanctum quem inſufflans dedit, & alium quem poſt aſcenſionem ſuam miſit. unus enim ſpiritus Dei ſpiritus patris & filii Spiritus ſanctus, idem Deus qui operatur omnia in omnibus, ita ut perfecta credatur Trinitas, propter proprietatem perſonarum, & unus Deus, propter inſeparabilem Trinitatem.

In Appendice ad Tom. 10. S. Auguſtini ſunt libri duo de Incarnatione Verbi; at in iis non leguntur hæc quæ a Theodulfo citantur.

*Item idem, in libro * expoſitionis fidei ad Petrum.*

** S. Fulgentii*

Cap. 1.

SIcut ergo nec filius poſterior aut minor eſt patre, nec Spiritus ſanctus poſterior aut minor eſt filio. æternum quippe & ſine initio eſt quod filius de patris natura natus exiitit, & æternum ac ſine initio eſt quod Spiritus ſanctus de natura patris filiique procedit. Ob hoc ergo tres unum recte credimus & dicimus Deum, quia una prorſus æternitas, una immenſitas, & una naturaliter eſt trium perſonarum divinitas. Teneamus igitur patrem & filium, & Spiritum ſanctum unum eſſe naturaliter Deum: neque tamen ipſum patrem eſſe qui filius eſt, neque filium ipſum eſſe qui pater eſt, neque Spiritum ſanctum ipſum eſſe qui pater aut filius eſt. una enim eſt patris & filii & Spiritus ſancti eſſentia, quam Græci οὐσίαν vocant.

Item idem in eodem opere, poſt pauca. *Cap. 1. in fine.*

IN illa igitur ſancta Trinitate, quod ideo a nobis repetitur toties, ut veſtro cordi tenacius infigatur, unus eſt Deus pater, qui ſolus eſſentialiter de ſe ipſo unum filium genuit, & unus filius, qui de uno patre ſolus eſt eſſentialiter genitus, & unus Spiritus ſanctus, qui ſolus eſſentialiter de patre filioque procedit. hoc autem totum una perſona non poſſet, id eſt & gignere ſe, & naſci de ſe, & procedere de ſe. Quia igitur aliud eſt genuiſſe quam natum eſſe, aliudque eſt procedere quam genuiſſe, vel natum eſſe, manifeſtum eſt quoniam alius eſt pater, alius filius, alius Spiritus ſanctus.

Item idem ſimiliter in eodem opere. *Cap. 2. in princip.*

NEque enim in illa Trinitate proprium eſſet ſolius patris, quod non eſt natus ipſe, ſed unum filium genuit: neque proprium ſolius filii, quod non genuit ipſe, ſed ſolus de patris eſſentia natus eſt: neque proprium Spiritus ſancti, quod nec natus eſt ipſe, nec genuit, ſed ſolus de patre filioque " incommutabili æternitate procedit.

" editi Fulgentii omittunt incommutabili æternitate.

Item idem in eodem opere. *Cap. 11.*

FIrmiſſime tene, & nullatenus dubites, eumdem Spiritum ſanctum, qui patris & filii unus ſpiritus eſt, de patre & filio procedere. Dicit enim filius, *Cum venerit ſpiritus veritatis, qui a patre procedit*: ubi ſuum eſſe ſpiritum *Joan. 15. 26.* docuit, quia ipſe eſt veritas. De filio quoque procedere Spiritum ſanctum, prophetica atque Apoſtolica nobis doctrina commendat. Iſaias enim dicit de filio, *Percutiet terram virga oris* *Iſa. 11. 4.* *ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.*

2. *Theſſ.* 2. 8. *pium*. de quo & Apoſtolus ait, *Quem interficiet Dominus Jeſus ſpiritu oris ſui*. Quem etiam ipſe unicus * filius ſpiritum oris ſui eſſe ſignificat, * poſt reſurrectionem ſuam inſufluans in diſcipulos ſuos, *Accipite*, ait, *Spiritum ſanctum*. De ore vero Domini Jeſu ait Joannes in Apocalypſi, quia *gladius utrimque * acutus*. Ipſe vero ſpiritus oris ejus, ipſe eſt gladius qui de ore ejus procedit.

* *editi Fulgentii* unicus Dei filius.
* *in iiſdem edit.* ſignificans.
Joan. 20. 22.
Apoc. 2. 16.
* *in iiſdem edit.* gladius utraque parte acutus procedebat.

*Item idem, in diſceptatione * quam habuit contra Paſcentium Comitem Arrianorum, præſente Laurentio judice ab utriſque partibus electo.*

* 118. *inter epiſtolas Auguſtini.*

ECce quid eſt ὁμοούσιον, quod exprobratur injuſte. Non enim verbum ſolum, ſed & res in verbo eſt: nec ſolus ſermo ſonans auribus, ſed ſubſtantia una eſt Dei credenda in mentibus. Si enim in hominibus credentibus in ſe totus Deus credendus eſt habitare, quomodo filium totum in ſe pater, aut filius patrem non credatur excipere? ac per hoc ipſe in patre, & pater in eo manet, & ex patre vel * filio ſanctus credendus eſt ſpiritus non ſolum proceſſiſſe, ſed ſemper ad peragenda opera Trinitatis omnino procedere.

* *editi Aug.* patre ex filio.

Item idem, quod Spiritus ſanctus in patre & filio ſit, ſic dicit in libro quem ſcripſit contra Paganos, Judæos, Manichæos, Sabellianos, & Arrianos.

In fine libri.

DIximus de patre & filio quod potuimus, & quantum potuimus, ſi tamen aliquid digne potuimus: de Spiritu ſancto tacuimus, ſed non eum prætervimus. * Quidquid enim de patre & filio diximus, etiam de Spiritu ſancto diximus. Eſt enim in illis & cum illis æqualis unus & verus Deus, non minor aut tertius Deus. Quid * adhuc dicam fatigatis fatigatus? Qui Spiritum ſanctum a patre & filio æternitate & ſubſtantia vel communione ſeparat, eumque negat ſpiritum eſſe patris & filii, plenus eſt ſpiritu immundo, vacuus eſt Spiritu ſancto. Ideo enim dicitur *Deus charitas*, quia partibus non dividit unitatem, ſed ineffabiliter coagulat Trinitatem. Ipſa eſt enim Trinitas unus Deus, turris fortitudinis a facie inimici, qui in ſe credentes cuſtodit in ſæcula ſæculorum.

* *editi Aug.* ſeparavimus.
* *nova edit. Aug.* aliud.
1. *Joan.* 4. 8.

Cap. 4. *Item idem, quod Spiritus ſanctus & patris ſit & filii, & patri & filio coæqualis, conſubſtantialis, & coæternus, in libro primo de Trinitate quæ Deus eſt, ſic docet.*

OMnes quos legere potui, qui ante me ſcripſerunt de Trinitate quæ Deus eſt, divinorum librorum veterum & novorum catholici tractatores, hoc intenderunt ſecundum ſcripturas docere, quod pater, & filius, & Spiritus ſanctus unius ejuſdemque ſubſtantiæ inſeparabili æqualitate divinam inſinuent unitatem, ideoque non ſint tres dii, ſed unus Deus, quamvis pater filium genuerit, & ideo filius non ſit qui pater eſt, filiuſque a patre ſit genitus, & ideo pater non ſit qui filius eſt, Spiritus ſanctus nec pater ſit nec filius, ſed tantum patris & filii ſpiritus, patri & filio etiam ipſe coæqualis, & ad Trinitatis pertinens unitatem.

Item idem in eodem libro, quod Spiritus ſanctus inſeparabiliter patris & filii, quod cum ita ſit, magnæ dementiæ eſt illum a patre & filio procedere non profiteri. *Cap.* 8.

DEnique propter ipſam inſeparabilitatem ſufficienter aliquando nominatur, vel pater ſolus, vel filius ſolus adimpleturus nos lætitia cum vultu ſuo. nec inde ſeparatur utriuſque ſpiritus, id eſt patris & filii ſpiritus. Qui Spiritus ſanctus proprie dicitur *ſpiritus veritatis, quem hic mundus accipere non poteſt*. Hoc eſt enim plenum gaudium noſtrum, quo amplius non eſt, frui Trinitate Deo, ad cujus imaginem facti ſumus. Propter hoc aliquando ita loquitur de Spiritu ſancto, tanquam ſolus ipſe ſufficiat ad beatitudinem noſtram: & ideo ſolus ſufficit, ſeparari a patre & filio non poteſt. ſicut pater ſolus ſufficit, quia ſeparari a filio & Spiritu ſancto non poteſt: & filius ideo ſufficit ſolus, quia ſeparari a patre & Spiritu ſancto non poteſt.

Joan. 14. 17.

Item idem in libro tertio, quod Spiritus ſanctus a patre filioque miſſus ſit. *In proœmio.*

CUm enim ad id ventum eſſet, ut vellemus oſtendere, non ideo minorem patre filium, quia ille miſit hic miſſus eſt, nec ideo minorem utroque ſpiritum ſanctum, quia & ab illo & ab illo miſſus in Evangelio legitur, ſuſcepimus hoc quærere, cum illuc miſſus ſit filius ubi erat, quia in hunc mundum venit, & in hoc mundo erat, cum illuc etiam Spiritus ſanctus ubi & ipſe erat, quoniam *ſpiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis*.

Sap. 1. 7.

Item idem aperte edocet quod Spiritus ſanctus & a filio ſicut & a patre procedat, in ejuſdem operis libro quarto. *Cap.* 20.

PAter cum ex tempore a quoquam cognoſcitur, non dicitur miſſus. non enim habet de quo ſit, aut ex quo procedat. Sapientia quippe dicit, *Ego ex ore altiſſimi prodii*, & de ſpiritu ſancto dicitur, *a patre procedit*, pater vero a nullo. Sicut ergo pater genuit, filius genitus eſt, ita pater miſit, filius miſſus eſt. Sed quemadmodum qui genuit & qui genitus eſt, ita & qui miſit & qui miſſus eſt, unum ſunt, quia pater & filius unum ſunt: ita etiam Spiritus ſanctus unum cum eis eſt, quia hæc tria unum ſunt. Sicut enim natum eſſe eſt filio, a patre eſſe; ita mitti eſt filio, cognoſci quod ab illo ſit: & ſicut Spiritui ſancto donum Dei eſſe, eſt a patre procedere; ita mitti, eſt cognoſci quod ab illo procedat. Nec poſſumus dicere quod Spiritus ſanctus & a filio non procedat. neque enim fruſtra idem ſpiritus & patris & filii ſpiritus dicitur. Nec video quid aliud ſignificare voluerit, cum ſufflans in faciem diſcipulorum ait, *Accipite Spiritum ſanctum*. Neque enim flatus ille corporeus, cum ſenſu corporaliter tangendi procedens ex corpore, ſubſtantia Spiritus ſancti fuit, ſed demonſtratio per congruam ſignificationem, non tantum a patre, ſed & a filio procedere Spiritum ſanctum. Quis enim dementiſſimus dixerit, alium fuiſſe Spiritum ſanctum, quem ſufflans dedit, & alium quem poſt aſcenſionem ſuam miſit? Unus enim ſpiritus eſt, ſpiritus Dei, ſpiritus patris & filii, Spiritus ſanctus, qui operatur omnia in omnibus.

Eccli. 24. 5.
Joan. 15. 26.
Joan. 20. 22.

Cap. 10. *Item idem in libro ſexto, quod Spiritus ſanctus ſit filii patriſque ſuavitas. unde qui negat eum ab utroque procedere, conſequens eſt ut neget ſuavitatem a patre & filio procedere.*

ILla ergo dilectio, delectatio, felicitas vel beatitudo, ſi tamen aliqua humana voce digne dicitur, uſus ab illo appellatus eſt breviter, & eſt in Trinitate Spiritus ſanctus, non genitus, ſed genitoris genitique ſuavitas, ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas pro captu earum, ut ordinem ſuum teneant, & locis ſuis acquieſcant. Hæc igitur omnia quæ arte divina facta ſunt, & unitatem quandam in ſe oſtendunt, & ſpeciem, & ordinem. Quicquid enim horum eſt, & unum aliquid eſt.

Cap. 17. *Item idem in libro decimo quinto, quod Spiritus ſanctus a patre filioque procedat.*

NEſcio cur non ſicut ſapientia & pater dicitur & filius, & Spiritus ſanctus, & ſimul omnes non tres, ſed una ſapientia: ita & caritas & pater dicatur & filius & Spiritus ſanctus, & ſimul omnes una caritas. Sic enim & pater Deus, & filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus, & ſimul omnes unus Deus. Et tamen non fruſtra in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei niſi filius, nec donum Dei niſi Spiritus ſanctus, nec de quo genitum eſt verbum, & de quo procedit principaliter Spiritus ſanctus, niſi Deus pater. Ideo autem addidi, principaliter, quia & de filio Spiritus ſanctus procedere reperitur: ſed hoc quoque illi pater dedit, non jam exiſtenti, & nondum habenti, ſed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo donum commune procederet, & Spiritus ſanctus ſpiritus eſſet amborum. Non eſt igitur accipienda tranſeunter, ſed diligenter intuenda inſeparabilis Trinitatis iſta diſtinctio.

Cap. 26. ſtitio. *Item idem in eodem libro.*

DEinde in illa ſumma Trinitate quæ Deus eſt, intervalla temporum nulla ſunt, per quæ poſſit oſtendi, aut ſaltem requiri, utrum prius de patre natus ſit filius, & poſtea de ambobus proceſſerit Spiritus ſanctus, quoniam ſcriptura ſancta ſpiritum eum dicit amborum. Ipſe
Gal. 4. 6. eſt enim de quo dicit Apoſtolus, *Quoniam autem eſtis filii, miſit Deus ſpiritum filii ſui in corda noſtra*. & ipſe eſt de quo dicit idem filius,
Matth. 10. 20 *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis*. & multis aliis divinorum eloquiorum teſtimoniis comprobatur patris & filii eſſe ſpiritum, qui proprie dicitur in Trinitate Spiritus ſanctus. de quo item
Joan. 15. 26. dicit ipſe filius, *quem ego mitto vobis a patre*.
Joan. 14. 26. & in alio loco, *quem mittet pater in nomine meo*. De utroque autem procedere ſic docetur, quia ipſe filius ait, *de patre procedit*. & cum reſurrexiſſet a mortuis, & apparuiſſet diſcipulis ſuis,
Joan. 20. 22. inſufflavit & ait, *accipite Spiritum ſanctum*, ut eum etiam de ſe procedere oſtenderet: & ipſe
Luc. 6. 19. eſt *virtus quæ de illo exibat*, ſicut legitur in Evangelio, *& ſanabat omnes*. Quid vero fuerit cauſæ, ut poſt reſurrectionem ſuam, & in terra prius daret, & de cælo poſtea mitteret Spiritum ſanctum, hoc ego exiſtimo, quia per ipſum donum Dei diffunditur caritas in cordibus noſtris, qua diligimus Deum & proximum, ſecundum duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet & prophetæ. Hoc ſignificans dominus Jeſus bis dedit Spiritum ſanctum, ſemel in terra propter dilectionem proximi, & iterum de cælo propter dilectionem Dei.

Item idem in eodem libro, poſt pauca. Cap. eod.

NUmquid ergo poſſumus quærere utrum jam proceſſerat de patre Spiritus ſanctus, quando natus eſt filius, an nondum proceſſerat, & illo nato de utroque proceſſit, ubi nulla ſunt tempora: ſicut potuimus quærere, ubi invenimus tempora, voluntatem prius de humana mente procedere, ut quæratur quod inventum proles vocetur. quia * jam parta ſeu genita voluntas illa perficitur, eo fine requieſcens, ut qui fuerat appetitus quærentis, ſit amor fruentis. qui jam de utroque, id eſt, de gignente mente, & de genita notione, tanquam de parente ac prole procedat. Non poſſunt prorſus iſta ibi quæri, ubi nihil ex tempore inchoatur, ut conſequenti perficiatur in tempore. Quapropter qui poteſt intelligere ſine tempore generationem filii de patre, intelligat ſine tempore proceſſionem Spiritus ſancti de utroque: & qui poteſt intelligere in eo quod ait filius, *Sicut habet pater vitam in ſemetipſo, ſic dedit filio vitam habere in ſemetipſo*, non ſine vita exiſtenti jam filio vitam patrem dediſſe, ſed ita eum ſine tempore genuiſſe, ut vita, quam pater filio gignendo dedit, coæterna ſit vitæ patris qui dedit: intelligat, ſicut habet pater in ſemetipſo ut de illo procedat Spiritus ſanctus, ſic dediſſe filio ut de illo procedat idem Spiritus ſanctus, & utrumque ſine tempore, atque ita dictum Spiritum ſanctum de patre procedere, ut intelligatur quod etiam procedit de filio de patre eſſe & filio. Si enim quidquid habet de patre habet filius, de patre habet utique ut de illo procedat Spiritus ſanctus. Sed nulla ibi tempora cogitantur, quæ habent prius aut poſterius, quia omnino ibi nulla ſunt. Quomodo ergo non abſurdiſſime filius diceretur amborum, cum ſicut filio præſtat eſſentiam ſine initio temporis, ſine ulla mutabilitate naturæ de patre generatio, ita Spiritui ſancto præſtet eſſentiam ſine ullo initio temporis, ſine ulla mutabilitate naturæ de utroque proceſſio. Ideo enim cum Spiritum ſanctum genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum, ne in hoc vocabulo vel duos patres in illa Trinitate, vel duos qui non ſunt de alio quiſpiam ſuſpicetur. Pater enim ſolus non eſt de alio, ideo ſolus appellatur ingenitus, non quidem in ſcripturis, ſed in conſuetudine diſputantium, & de re tanta ſermonem qualem valuerint proferentium. Filius autem de patre natus eſt, & Spiritus ſanctus de patre principaliter, & ipſo ſine ullo intervallo temporis dante, communiter de utroque procedit. Diceretur autem filius patris & filii, ſi, quod abhorret ab omnium ſanorum ſenſibus, eum ambo genuiſſent. Non igitur ab utroque eſt genitus, ſed procedit ab utroque amborum ſpiritus. Verum quia in illa coæterna, & æquali, & incorporali, & ineffabiliter immutabili atque inſeparabili Trinitate difficillimum eſt generationem a proceſſione diſtinguere, ſufficiat interim eis qui extendi non valent in amplius, id quod de hac re in ſermone quodam proferendo ad aures populi Chriſtiani diximus, dictumque conſcripſimus. Inter cetera enim, cum per ſcripturarum ſacrarum teſtimonia docuiſſem de utroque

Margin notes: * Editio Auguſt. qua jam parta. — Joan. 5. 26. — Cap. 27.

procedere Spiritum ſanctum: Si ergo, inquam, & de patre & de filio procedit Spiritus ſanctus, cur filius dixit *de patre procedit?* Cur putas,
Joan. 15.26. niſi quemadmodum ſolet ad eum referre & quod ipſius eſt, de quo & ipſe eſt. Unde illud eſt
Joan. 7. 16. quod ait, *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui me miſit*. Si igitur hic intelligitur ejus doctrina, quam tamen dixit non ſuam ſed patris, quanto magis illic intelligendus eſt & de ipſo procedere Spiritus ſanctus, ubi ſic ait, *de patre procedit*, ut non diceret de me non procedit? A quo autem habet filius ut ſit Deus, eſt enim de Deo Deus, ab illo habet utique ut de illo etiam procedat Spiritus ſanctus: ac per hoc Spiritus ſanctus, ut etiam de filio procedat ſicut procedit de patre, ab ipſo habet patre. Hic ut cumque etiam illud intelligitur, quantum a talibus quales nos ſumus intelligi poteſt, cur non dicatur natus eſſe, ſed potius procedere. Spiritus ſanctus, quoniam ſi & ipſe filius diceretur, amborum utique filius diceretur, quod abſurdiſſimum eſt. Filius quippe nullus eſt duorum, niſi patris & matris. abſit autem ut inter Deum patrem & Deum filium tale aliquid ſuſpicemur. quia nec filius hominum ſimul & ex patre & matre procedit: ſed cum in matrem procedit ex patre, non tunc procedit ex matre, & cum in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus autem ſanctus non de patre procedit in filium, & de filio procedit ad ſanctificandam creaturam, ſed ſimul de utroque procedit, quamvis hoc pater filio dederit, ut quemadmodum de ſe, ita de illo quoque procedat. Neque enim poſſumus dicere quod non ſit vita Spiritus ſanctus, cum vita pater, vita ſit & filius: ac per hoc ſicut pater cum habeat vitam in ſemetipſo, dedit & filio vitam habere in ſemetipſo, ſic ei dedit vitam procedere de illo, ſicut & procedit de ipſo. Hæc de illo ſermone in hunc librum tranſtuli, ſed fidelibus non infidelibus loquens. Verum ſi ad hanc imaginem contuendam, & ad videnda iſta quam vera ſint, quæ in eorum mente ſunt, nec tria ſic ſunt, ut tres perſonæ ſint, ſed omnia tria hominis ſunt, quæ una perſona eſt, minus idonei ſunt: cur non de illa ſumma Trinitate, quæ Deus eſt, credunt potius quod in ſacris literis invenitur, quam poſcunt liquidiſſimam reddi ſibi rationem, quæ ab humana mente tarda ſcilicet infirmaque non capitur? Et certe cum inconcuſſe crediderint ſcripturis ſanctis tanquam veraciſſimis teſtibus, agant orando, & quærendo, & bene vivendo, ut intelligant, id eſt, ut quantum videri poteſt, videatur mente quod tenetur fide.

Item idem, in Homilia ſuper Joannem.

Tract. 99. in Joan. HIc aliquis forſitan quærat, utrum & a filio procedat Spiritus ſanctus. Filius enim ſolius patris eſt filius, & pater ſolius filii eſt pater: Spiritus autem ſanctus non eſt unius eorum ſpiritus, ſed amborum. Habes ipſum Dominum dicentem,
Matth. 19.20 *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis*. habes & Apoſto-
Gal. 4. 6. lum, *miſit Deus*, inquit, *ſpiritum filii ſui clamantem in corda noſtra*. Numquid duo ſunt, alius patris, alius filii? abſit, *Unum* enim *corpus* ait,
Epheſ. 4. 4. cum ſignificaret Eccleſiam, moxque addidit, *& unus ſpiritus*. & vide quomodo illic impleat Trinitatem, *ſicut vocati eſtis*, inquit, *in una ſpe vocationis veſtræ. unus Dominus*. Hic utique Chriſtum intelligi voluit, reſtat ut etiam patrem nominet. ſequitur ergo, *Una fides, unum baptiſma*,

A *unus Deus & pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnes, & in omnibus*. Cum ergo ſicut unus pater & unus dominus, id eſt filius, ita ſit & unus ſpiritus; profecto amborum eſt. quandoquidem dicit ipſe Chriſtus Jeſus *ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis*. & dicit Apoſtolus, *miſit* Matth. 10.20
Deus ſpiritum filii ſui in corda noſtra. Habes & a- Gal. 4. 6.
lio loco eundem Apoſtolum dicentem, *Si autem* Rom. 8. 11.
ſpiritus ejus qui ſuſcitavit Jeſum ex mortuis, habitat in vobis. Hic utique ſpiritum patris intelligi voluit, de quo tamen alio loco dicit, *Quiſquis*
autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Rom. 8. 9.
Et multa alia ſunt teſtimonia, quibus hoc evidenter oſtenditur, & patris & filii ipſum eſſe ſpiri-
B tum, qui in Trinitate dicitur Spiritus ſanctus. Nec ob aliud exiſtimo ipſum vocari proprie ſpiritum, cum etiam ſi de ſingulis interrogemur, non poſſimus niſi & patrem & filium ſpiritum dicere,
quoniam ſpiritus eſt Deus, id eſt, non corpus eſt Joan. 4. 24.
Deus, ſed ſpiritus. Quod ergo communiter vocantur & ſinguli, hoc proprie vocari oportuit eum, qui non eſt unius eorum, ſed in quo communitas apparet amborum. Cur ergo non credam, quod etiam de filio procedat Spiritus ſanctus, cum filii quoque ipſe ſit ſpiritus? Si enim non ab eo procederet, non poſt reſurrectionem ſe repreſentans di-
ſcipulis ſuis inſufflaſſet dicens, *Accipite ſpiritum* Joan. 20. 22.
ſanctum. Quid enim aliud ſignificavit illa inſufflatio, niſi quod procedat Spiritus ſanctus & de
C ipſo? Ad hoc pertinet etiam illud quod ait de muliere, quæ fluxum ſanguinis patiebatur. *Teti-*
git me aliquis, ego enim ſenſi virtutem de me exiſ- Luc. 8. 46.
ſe. Nam virtutis nomine appellari etiam Spiritum ſanctum, & eo loco clarum eſt, ubi Angelus di-
centi Mariæ, *Quomodo fiet iſtud quoniam virum* Luc. 1. 34.
non cognoſco? reſpondit, *Spiritus ſanctus ſupervenient in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi*: & ipſe Dominus promittens eum diſcipulis ait, *Vos*
autem ſedete in civitate, quoad uſque induamini Luc. 24. 49.
virtute ex alto, & iterum, *Accipietis*, inquit,
virtutem Spiritus ſancti ſupervenientem in vos, Act. 1. 8.
& eritis mihi teſtes.

D *Item idem, in libro de civitate Dei decimo tertio,* Cap. 24.
quod Spiritus ſanctus patris ſit & unigeniti, & unus amborum. quod cum ita ſit, non eſt dubium illum ab utroque procedere.

QUapropter in eo quod Dominus fecit, quando inſufflavit dicens, *Accipite ſpiritum*
ſanctum, nimirum hoc intelligi voluit, quod Spi- Joan. 20.22.
ritus ſanctus non tantum ſit patris, verum etiam unigeniti ipſius ſpiritus. Idem ipſe quippe ſpiritus eſt & patris & filii, cum quo eſt Trinitas pater & filius & Spiritus ſanctus, non creatura, ſed creator. Neque enim flatus ille corporeus, de carnis ore procedens, ſubſtantia erat
E Spiritus ſancti atque natura, ſed potius ſignificatio, qua intelligeremus, ut dixi, Spiritum ſanctum patri eſſe filioque communem, quia non ſunt eis ſingulis ſinguli, ſed unus amborum eſt.

Fulgentius, quod ſolus pater genuerit filium, ſolus filius a patre genitus ſit, ſolus Spiritus ſanctus a patre filioque procedat, in libro tertio quem ſcripſit contra Fabianum ſic dicit.

VEraciter quippe profitemur, ſolum patrem genuiſſe, ſolum filium de patre natum eſſe, veraciter etiam dicimus, ſolum Spiritum ſanctum de patre filioque procedere.

Item idem in libro quinto contra eundem Fabianum.

ECce ego in quantum potui, licet breviter, reddidi rationem qua unum Deum dicamus patrem & filium & Spiritum ſanctum, & in ipſa Dei imagine oſtendi quoddam divinæ agnitionis indicium, in qua quidem imagine, memoria, intelligentia, & voluntas, non habent ſingulas propriaſque perſonas. Imago quippe eſt iſta, non nata ſed facta, non genita ſed creata: ad hoc utique, ut ſicut in iſta una imagine invenitur quædam diſcretio vocabulorum, ſic in illa una divinitate diſcretio perſonarum cognoſcatur, & naturalis unitas oſtendat unum Deum eſſe patrem, & filium & Spiritum ſanctum: perſonarum vero proprietas demonſtret alium eſſe patrem, alium filium, alium Spiritum ſanctum. alium autem patrem, non eo quod Deus eſt, ſed eo quod pater eſt. & alium filium, non eo quod eſt Deus, ſed eo quod filius eſt: alium quoque Spiritum ſanctum, non eo quod Deus eſt, ſed eo quod & patris & filii ſpiritus eſt. Alium ergo patrem quia genuit, alium filium quia de patre natus eſt, & alium Spiritum ſanctum, quia de patre filioque procedit: non tamen alium Deum patrem, & alium Deum filium, & alium Deum Spiritum ſanctum, ſed unum Deum patrem & filium & Spiritum ſanctum. Non enim confundit unitas Trinitatem, nec Trinitas ſeparat unitatem: quia quod in perſonarum proprietate diſcernitur, hoc unum naturaliter eſſentiæ unius communione monſtratur.

Item idem in libro ſeptimo ejuſdem operis.

Joan. 16. 13. NOn *enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis*. Ecce primum oſtendit, non eſſe alii Spiritus ſancti quam quæ ſunt filii. deinde ut oſtenderet omnia ſua Ibid. 16. 15. eſſe quæ patris ſunt, adjecit, *Omnia quæcumque habet pater, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis*. Illud igitur Ibid. 15. 13. primitus attendamus, quod ait, *Non enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur*. Quis autem comprehendat qualis ſit illius ſimplicis naturæ locutio, vel qualis auditio, ubi non eſt aliud audire quam eſſe. Audit itaque Spiritus ſanctus quæcumque pater & filius dicunt, & hæc eadem ſimiliter dicit, ſicut videt filius quæ pater facit, & hæc eadem ſimiliter facit. In illa enim natura, ubi eſt ſumma & vera ſimplicitas, in eo filius videt quod pater facit, Spiritus ſanctus audit quod cum patre filius dicit: quia communione naturalis eſſentiæ, & filius de patre natus extitit, & Spiritus ſanctus de patre filioque procedit. Hoc igitur eſt Spiritui ſancto audire, quod eſt de natura patris filiique procedere, & hoc eſt loqui, quod eſt per gratiam noſtris cordibus ineffabiliter intimare.

Item idem in eodem libro.

Joan. 10. 28. ET *non rapit eas quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi majus eſt omnibus & nemo poteſt rapere de manu patris mei. Ego & pater unum ſumus*. Hæc eſt ergo vox, quam oves ejus audiunt. quæ ſcilicet in eo quod nemo rapit de manu filii, neque de manu patris, unam virtutem filii & patris intelligunt, & au- A dientes ab eo quia ipſe & pater unum ſunt, unitatem veram in patre & filio eſſentiæ naturalis agnoſcunt. Hæc eſt vox filii, hæc eſt locutio Spiritus ſancti, quia de natura patris natus eſt filius, & exinde procedit Spiritus ſanctus. hoc etiam a patre & filio Spiritus ſanctus audit, quia de patre & filio communis divinitatis æqualitate procedit. Non ergo Spiritus ſanctus loquitur a ſe ipſo, quia non a ſe ipſo, ſed de patre & filio habet naturalem locutionem, unde naturaliter procedens habet originis veritatem. Ad hoc utique pertinet quod ait, *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis. omnia quæ habet pater mea ſunt: propterea dixi quia de meo accipiet*. Joan. 16. 14. B Quam bene veritatem doctrinæ ſuæ veritas ipſa ſervavit! Si enim *hoc* dixiſſet, quaſi ſuum eſſe tantum ſpiritum oſtendiſſet. ſed dicens omnia quæ habet pater mea ſunt, propterea dixi quia de meo accipiet, ipſum Spiritum ſanctum unum eſſe oſtendit & patris & ſuum. cujus intelligentiæ tenorem loco quoque ſuperiore ſervavit dicens, *Paraelitus autem Spiritus ſanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia quæcumque dixero vobis*. Joan. 14. 26. Pater mittit, ſed in nomine filii mittit: Spiritus miſſus a patre docet, ſed filius dicit. Hoc etiam illo demonſtratur loco ubi Dominus dicit, *Cum autem venerit paraelitus quem ego mittam in vos a patre ſpiritum veritatis qui a patre procedit*. Joan. 15. 26. C Ecce hic paracletum, quem mittit pater in nomine filii ipſum mittit filius a patre. mittit autem a patre ſpiritum veritatis: mittit ergo a patre ſpiritum ſuum, quia ipſe eſt veritas. mittit eum pater in nomine filii, quia unus ſpiritus eſt patris & filii. mittit eum filius a patre, quia ſic procedit a filio, ſicut procedit a patre. Idem quoque ſpiritus patris, qui ſpiritus eſt veritatis. De filio ergo accepit, & omnia quæ habet pater filii ſunt, quæ Spiritus ſanctus accepit: quia non de ſolo patre, nec de ſolo filio, ſed ſimul de utroque procedit. Hoc autem vocabulum proceſſionis de patre nulli creaturæ invenitur indultum, ut proprietas iſta proceſſionis ſolius eſſe D demonſtretur eſſentiæ naturalis. Legimus enim filium de patre genitum. & quamvis in eo quod unigenitus dicitur, in ſolo naturalis generatio demonſtretur: tamen propter gratiam adoptionis, nos quoque Deus pater voluntarie genuit verbo veritatis. Unigenitus igitur unus & ſolus eſt de patris eſſentia filius natus: ſed & nos per adoptionem & filii Dei dicimur, & de Deo nati, beato Evangeliſta dicente, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Joan. 1. 12. Cum ergo nos, & Dei filios, & de Deo genitos, & de Deo natos, divinis oſtendatur eloquiis, proceſſionis tamen de Deo vocabulum nemo poteſt creaturæ cuiquam docere conceſſum. E Quid ita, niſi quia unigenitum filium poſſet naturalis nativitas verum Deum oſtendere, eumque non adoptivum, nec diverſæ naturæ, ſed conſubſtantialem patri ſine dubitatione monſtrare? Procedere autem de Deo ideo nulla creatura dicitur, ut ille qui procedit de patre & filio ſic eſſe credatur Deus, ſicut eſt pater & filius. Solius eſt enim ſpiritus ſancti de patre & filio proprietas iſta proceſſionis, cujus eſt cum patre & filio natura communis. De patre quippe ac filio procedit, ſed non recedit, nec eſt in aliquo minor aut ſubditus, qui de immenſo patre ac de immenſo filio inſeparabiliter & unus procedit & totus. Sic igitur ei non poteſt imperari quod

loquitur, ſicut ei non poteſt imperari quod mirabiliter operatur.

Item idem in libro octavo ejuſdem operis.

Filius eſt igitur a patre miſſus, non pater a filio, quia filius eſt a patre natus, non pater a filio. Similiter etiam Spiritus ſanctus a patre & filio legitur miſſus, quia a patre filioque procedit. Sed quia non uno modo in ſcripturis ſanctis dicitur miſſio, propterea in ſacramento Incarnationis non ſolum a patre, verum etiam ab Spiritu ſancto miſſus eſt filius, quia mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus totius eſt Trinitatis operatione plaſmatus. alio autem modo mittitur a patre & filio Spiritus ſanctus, qui naturaliter a patre filioque procedit. Mittitur enim a patre & filio Spiritus ſanctus, cum ab ipſa Trinitate uno Deo gratiæ ſpiritalis donatur effectus.

Item idem in libro nono ejuſdem operis.

Deum itaque patrem, non totius Trinitatis, ſed filii & Spiritus ſancti fatemur auctorem: de quo habet unigenitus filius æternæ nativitatis, & Spiritus ſanctus æternæ proceſſionis originem. Unitas autem naturalis, creatorem filium de creatore patre naturali nativitate inſinuat extitiſſe, & creatorem Spiritum ſanctum de patre filioque procedere.

Item idem in libro decimo ejuſdem operis.

Expleta vero confeſſione veræ divinitatis veræque humanitatis unici filii Dei, confitemur nos credere in Spiritum ſanctum, qui eſt unus ſpiritus patris & filii, de patre filioque procedens, in patre filioque naturaliter manens, de patre ac filio unius divinitatis habens naturaliter veritatem.

Lib. 2. ad Monimum cap. 6.

Item idem, ut oſtenderet Spiritum ſanctum æqualem patri & filio, eumdem Spiritum ſanctum a patre & a filio, & filium a patre & Spiritu ſancto miſſum eſſe, teſtatur in libro ſecundo, quem ſcripſit ad Traſemundum Regem.

Jam nunc etiam illa nobis eſt de Spiritus ſancti miſſione quæſtio revolvenda, cur ſcilicet, ſi omni Trinitati ſacrificium offertur, ad ſanctificandum oblationis noſtræ munus ſancti Spiritus tantum miſſio poſtuletur. Quaſi vero, ut ita dicam, ipſe pater Deus, a quo Spiritus ſanctus procedit, ſacrificium ſibi oblatum ſanctificare non poſſit: aut ipſe filius ſanctificare nequeat ſacrificium corporis ſui, quod offerimus nos, cum corpus ſuum ipſe ſanctificaverit, quod obtulit ut redimeret nos: aut ita Spiritus ſanctus ad conſecrandum Eccleſiæ ſacrificium mittendus ſit, tanquam pater aut filius ſacrificantibus deſit. Primo itaque meminiſſe nos convenit, in hujus vocabulo miſſionis, nec inferiorem accipi debere Spiritum ſanctum, nec minorem: quia ſi minor, utique inferior: & ſi inferior, utique minor. Hoc autem præmonuimus, ſcientes ab hæreticis quam maxime fidei noſtræ frequenter objectum, ideo Spiritum ſanctum minorem credendum patre ac filio, quia & a patre miſſus eſt & a filio. Porro autem ſi miſſo mittens potior eſt credendus, cognoſcent in hoc ſuam convinci perfidiam, quia ſicut a patre & filio miſſus legitur Spiritus ſanctus; ſic a patre & ſpiritu miſſus invenitur & filius. Quod ipſe filius & per prophetam multo antequam mitteretur dixit, & poſtquam miſſus eſt propria teſtificatione firmavit. Nam veniens in Nazareth, & ſynagogam ingreſſus, cum tradito ſibi ad legendum libro Iſaiæ prophetæ, illum locum revolveret, ubi ſcriptum eſt, *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me*, reddito volumine, veritatem prophetiæ illius præſenti teſtatus eſt effectu, completam dicens, *Hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris*. Sed & alio ejuſdem prophetæ loco, a Domino, atque ab ejus ſpiritu ſe miſſum his verbis oſtendit, *Et nunc Dominus miſit me, & ſpiritus ejus*. A ſe quoque ſanctum Spiritum mitti, diſcipulis ante paſſionem ſuam hoc modo pronuntiat, *Cum autem venerit paraclitus, quem ego mittam vobis ſpiritum veritatis, qui a patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me*. Superius autem eumdem ſpiritum etiam a patre mitti docuerat, *Paraclitus autem*, inquiens, *Spiritus ſanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*. A patre ergo & ab ſpiritu miſſus eſt filius, & a patre & filio miſsus eſt ſpiritus. Verumtamen nec filii nec ſpiritus ſancti miſſionem localiter factam quiſquam debet Chriſtianus accipere: ſed illo miſſionis nomine opus intelligamus manifeſtationis indultæ. Sic enim non localiter miſſus eſt filius, nec localiter mittitur ſpiritus ſanctus, ſicut nec ipſius patris eſt quoquam localis adventus.

Luc. 4. 18. — Eſai. 61. 1. — Luc. 4. 21. — Eſa. 48. 16. — Joan. 15. 26. — Joan. 14. 26.

Hormiſda Romanus Epiſcopus, quod Spiritus ſanctus a patre filioque procedit, ſic dicit in epiſtola, quam ad Juſtinum Imperatorem miſit, adverſus Neſtorii & Eutychetis blaſphemias. *Epiſt. 79.*

Adoremus patrem & filium & Spiritum ſanctum* indiſtinctam diſtincte, incomprehenſibilem & inenarrabilem ſubſtantiam Trinitatis. ubi etſi admittit numerum ratio perſonarum, unitas tamen non amittit eſſentiæ ſeparationem, ita tamen ut ſervemus divinæ propria naturæ, ſervemus propria unicuique perſonæ, ut nec perſonis divinitatis ſingularitas denegetur, nec ad eſſentiam hoc quod eſt proprium nominum transferatur. Magnum eſt ſanctæ & incomprehenſibile myſterium Trinitatis, Deus pater, Deus filius, Deus ſpiritus ſanctus, Trinitas indiviſa. & tamen notum eſt, quia proprium eſt patris generare filium, proprium filii Dei ut ex patre patri naſceretur æqualis, proprium ſpiritus ſancti ut de patre & filio procederet ſub una ſubſtantia deitatis.

* indiviſam.

Leo Romanus Epiſcopus quod Spiritus ſanctus a patre filioque procedit, ſic dicit in epiſtola, quam miſit ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopum. *Epiſt. 4. Rom. edit.*

Primo itaque capitulo demonſtratur, quam impie ſentiant de Trinitate divina, qui patris & filii & ſpiritus ſancti unam atque eamdem aſſerunt eſſe perſonam. tanquam idem nunc pater, nunc filius, nunc ſpiritus ſanctus nominetur: nec alius ſit qui genuit, alius qui genitus eſt, alius qui de utroque procedit, ſed ſingularis unitas in tribus quidem vocabulis, ſed non in tribus ſit accipienda perſonis quod blaſphemiæ genus de Sabellii opinione ſumpſerunt.

Init. e. *Gregorius Romanus Epiſcopus, quod Spiritus ſanctus a patre filioque procedat, in Homilia vigeſima ſexta ſic dicit.*

Joan. 20. 21. ITaque recte dicitur, *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos*. id eſt, ea vos caritate diligo, cum inter ſcandala perſecutorum mitto, qua me caritate patet diligit, quem venire ad tolerandas paſſiones fecit. Quamvis mitti etiam juxta naturam divinitatis poſſit intelligi. Eo enim ipſo a patre filius mitti dicitur, quo a patre generatur. Nam ſanctum quoque Spiritum, qui cum ſit* æqualis patri & filio, non tamen incarnatus eſt, idem ſe filius mittere perhibet dicens, *Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis a patre*. Si enim mitti ſolummodo incarnari debet intelligi, ſanctus proculdubio Spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus eſt, ſed ejus miſſio ipſa proceſſio eſt, qua de patre procedit & filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit, ita & filius non incongrue mitti dicitur, quia generatur. Hoc cum dixiſſet, inſufflavit & dixit eis, *Accipite ſpiritum ſanctum*. Quærendum nobis eſt, quid eſt quod Spiritum ſanctum Dominus noſter, & ſemel dedit in terra conſiſtens, & ſemel cælo præſidens. Neque enim alio in loco datus Spiritus ſanctus aperte monſtratur, niſi nunc cum per inſufflationem percipitur, & poſtmodum, cum de cælo veniens in linguis variis demonſtratur. Cur ergo prius in terra diſcipulis datur, poſtmodum de cælo mittitur, niſi quod duo ſunt præcepta caritatis, dilectio videlicet Dei, & dilectio proximi? In terra datur ſpiritus, ut diligatur proximus: e cælo datur ſpiritus, ut diligatur Deus. Sicut ergo una eſt caritas, & duo præcepta, ita unus ſpiritus & duo data, prius a conſiſtente Domino in terra, poſtmodum e cælo: quia in proximi amore diſcitur qualiter perveniri debeat ad amorem Dei.

* edit. Greg. coæqualis.
Joan. 15. 26.
Joan. 20. 22.

Cap. 28. *Item idem in libro Moralium ſecundo.*

SI prophetiæ ſpiritus prophetis ſemper adeſſet, David regi de conſtructione templi conſulenti nequaquam Nathan propheta concederet quod poſt paululum negaret. Unde bene in Evangelio ſcriptum eſt, *Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat*. * In cunctos namque fideles ſpiritus venit, ſed in ſolo mediatore ſemper ſingulariter permanet: quia ejus humanitatem nunquam deſeruit, ex cujus divinitate procedit. In illo igitur manet, qui ſolus & omnia & ſemper poteſt.

Joan. 1. 33.
* edit. Greg. in cunctis namque fidelibus.

Cap. 29. *Item idem in eodem libro, poſt pauca.*

IN his igitur donis, ſine quibus ad vitam perveniri non poteſt, Spiritus ſanctus, ſive in prædicatoribus ſuis, ſeu in electis omnibus ſemper manet: in illis autem, quibus per oſtenſionem illius non noſtra vita ſervatur, ſed aliorum quæritur, nequaquam ſemper in prædicatoribus permanet. quia ſemper quidem eorum cordi ad bene vivendum præſidet, nec tamen per eos virtutum ſigna ſemper oſtendit: ſed aliquando ſe eis a ſignorum oſtenſionibus ſubtrahit, ut eo humilius virtutes ejus habeantur, quo habitæ teneri non poſſunt. Mediator autem Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, in cunctis eum & ſemper continue habet præſentem, A quia & ex illo idem ſpiritus per ſubſtantiam profertur. Recte ergo & cum in ſanctis prædicatoribus maneat, in mediatore ſingulariter manere perhibetur: quia in iſtis per gratiam manet ad aliquid, in illo autem per ſubſtantiam manet ad cuncta.

Item idem in libro quinto, quod Spiritus ſanctus a patre procedit, & de eo quod eſt filii accipiat, ubi intelligitur & ab eo procedere. Cap. 26.

ET *vocem quaſi auræ lenis audivi*. quod enim Job. 4. 16.
per vocem auræ lenis, niſi cognitio Spiritus ſancti deſignatur, qui de patre procedens, B & de eo quod eſt filii accipiens, noſtræ tenuiter notitiæ infirmitatis infunditur? Qui tamen ſuper Apoſtolos veniens, per exteriorem ſonum tanquam per vehementem ſpiritum demonſtratur, cum dicitur, *Factus eſt repente de cælo ſo-* Act. 2. 2.
nus tanquam advenientis ſpiritus vehementis. Sanctus enim Spiritus, cum ſe notitiæ humanæ infirmitatis inſinuat, & ſonitu vehementis ſpiritus, & voce auræ lenis exprimitur: quia videlicet veniens & vehemens eſt, & lenis. Lenis, quia notitiam ſuam quatenus cognoſci utcumque valeat, noſtris ſenſibus temperat: vehemens, quia quantumlibet hanc temperet, adventu tamen ſuo infirmitatis noſtræ cæcitatem illuminando perturbat.

C *Iſidorus in libro ſeptimo Etymologiarum, quod Spiritus ſanctus a patre filioque procedat, ſic dicit,* Cap. 3.

SPiritus ſanctus iden prædicatur Deus, quia ex patre filioque procedit: ideo non dicitur genitus, ne duo in Trinitate filii ſuſpicentur: ideo non prædicatur ingenitus, ne duo patres in ipſa Trinitate credantur. Procedens autem dicitur teſtimonio Domini dicentis, * *Multa adhuc habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Veniet autem ſpiritus veritatis qui a patre procedit, & de meo accipiet, ille docebit vos omnia*. Hic autem non ſolum natura procedit, D ſed ſemper ad peragenda divinitatis opera indeſinenter procedit. Hoc autem intereſt inter naſcentem filium & procedentem Spiritum ſanctum, quod filius ex uno naſcitur, Spiritus ſanctus ex utroque procedit. & ideo dicit Apoſtolus, *Qui autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non* Rom. 8. 9.
eſt ejus.

* apud Iſid. quæ vobis loquar, ſed non poteſtis illa modo audire.
Joan. 16. 12.

Item idem in eodem opere, poſt pauca. Cap. 4.

PAter igitur & filius & Spiritus ſanctus Trinitas & unitas. Idem enim unum, idem & tria. in natura unum, in perſonis tria. unum propter majeſtatis communionem, tria propter perſonarum proprietatem. Nam alius pater, E alius filius, alius Spiritus ſanctus: ſed alius quidem, non aliud, quia pariter ſimplex, pariterque incommutabile bonum & coæternum. Pater ſolus non eſt de alio, ideo ſolus appellatur ingenitus: filius ſolus de patre eſt natus, ideo ſolus dicitur genitus: Spiritus ſanctus ſolus de patre & filio procedit, ideo ſolus amborum nuncupatur ſpiritus.

Item idem in libro Differentiarum. Lib. 2. cap. 3.

* INter perſonam patris & filii & Spiritus ſancti ita ſecernitur, quod pater nec factus nec natus eſt, filius natus non factus, Spi-

* quædam hujus cap. aliter in editis Iſid. leguntur.

A ritus vero ſanctus, nec natus, nec factus, ſed ex patre filioque procedens. Proinde pater æternitatem habet ſine nativitate, filius nativitatem cum æternitate, ſpiritus vero ſanctus proceſſionem ſine nativitate. Pater ex nullo exordium ducit, filius ex patre originem ſumit, ſpiritus vero ſanctus ex patre filioque procedit. Hæc tamen a nobis quæ dicuntur de Trinitate, * ut poteſt intelligentia humana capere. Nam quis conſiderare ſufficiat ipſius Trinitatis interna myſteria? quomodo pater & filius & ſpiritus ſanctus tres perſonæ ſunt, una natura. quomodo pater ingenitus, filius genitus, ſpiritus vero ſanctus nec genitus nec ingenitus, nec creatura eſſe videatur, ſed increatus. quomodo filius de patre natus eſt, ſpiritus vero ſanctus de patre procedit, & filio. B quomodo filius naſcendo procedit, ſpiritus vero ſanctus procedendo non naſcitur. quomodo pater nunquam ſine filio, & tamen ſine filio pater genuit filium. quomodo filius nunquam ſine ſpiritu, & tamen ait, *Niſi ego abiero, paraclitus non veniet ad vos.* Quomodo filius non de ſe, ſed de patre eſt, nec tamen ei eſt poſterior de quo eſt? quomodo Spiritus ſanctus de patre procedit & filio, nec tamen ab eis præceditur, a quibus procedit? quomodo tria unum ſunt, & unum tria? quomodo ad ſe invicem relative tria ſunt, eſſentialiter unum ſunt? quis iſta conſideret? quis iſta comprehendat? Si enim humanæ nativitatis Chriſti ſecreta non capimus, C divinæ naturæ myſteria quomodo capiemus?

* *edit. Iſid.* utcumque.

Joan. 16. 7.

Item idem in libro Sententiarum.

Lib. 1. *cap.* 17

SPiritus ſanctus creator eſt, ſicut pater & verbum, teſtante propheta, *Spiritus Domini fecit me, & * inſpiraculum omnipotentis vivificavit me.* Spiritus ſanctus patris & filii eſt, & inde unum ſunt pater & filius, quia nihil habet pater, quod non habeat filius. Non enim res una & duorum conſubſtantialis poterit ſimul ab eis procedere & ſimul ineſſe, niſi unum * fuerint a quibus procedit.

* *edit. Iſid.* ſpiraculum.

Job. 33. 4.

* *edit. Iſid.* fuerit.

D *Proſper in libro de vita contemplativa, quod Spiritus ſanctus a patre & filio procedat, ſic docet.*

Lib. 1. *cap.* 18

AT cum non ſolum ſecundum Apoſtolum nos oporteat formam præbere fidelibus, ſed etiam eos ipſos fideles, qui nobis divinitus inſtituendi commiſſi ſunt, inſtruere debeamus de patre, quomodo ſolus accipiatur ingenitus, de filio, * quomodo ſolus dicatur genitus, & de E Spiritu ſancto, quomodo ex patre ac filio procedens, nec ingenitus poſſit dici nec genitus. qualiter iſta tria unum ſunt, & hoc unum non dividatur, ſed diſtinguatur in tria. quemadmodum nec pater nec ſpiritus ſanctus, ſed ſolus filius de ſolo patre ineffabiliter natus, hominem totum ſine ulla mutatione ſubſtantiæ ſuæ ſuſceperit, ac ſe Deum & hominem verum per virtutes paſſioneſque probaverit, comprehendi permiſerit, occidi voluerit, tertio die reſurrexerit, in cælos hominem de nobis aſſumptum ſua virtute levaverit, ſuæ reſurrectionis exemplo nobis regeneratis in ſe ſpem feliciter reſurgendi præſtiterit, membra ſua nos fecerit, non credentibus ſibi, vel a ſe recedentibus, ſupplicium comminatus ſit, & adhærentibus ſibi regnum cæleſte promiſerit. Hæc & alia, & ſacerdos noſſe debet ut doceat, & populus credere ut ea quæ doceatur intelligat, dicente Apoſtolo, *Niſi credideritis, non intelligetis.* Unde datur intelligi, quod non fides ex intellectu, ſed ex fide intellectus exiſtat, nec qui intelligit credat, ſed qui credit intelligat, & qui intellexerit bene agat.

* *edit. Proſp.* quomodo ex ipſo ſit genitus.

Cap. 19.

Iſa. 7. 9.

a *Vigilius Africanus Epiſcopus, Spiritum ſanctum a patre filioque procedere his verbis demonſtrat, in libris quo ſcripſit Conſtantinopoli in defenſionem Leonis Papæ contra Eutychianiſtas.*

a *Lib.* 1. *poſt medium.*

SImiliter nobis & de Trinitate quæſtionem aliquam moveant, ut quia ſunt quædam propria patris, quæ* nec ad ſpiritum ſanctum pertineant, & ſunt quædam propria filii, quæ nec ad patrem nec ad ſpiritum ſanctum pertineant, & ſunt etiam ſpiritus ſancti non nulla propria, quæ nec ad patrem nec ad filium pertinere monſtrantur, tres a ſe invicem ſeparatos criminentur catholicos colere Deos. Sed ne forſitan inopinata quæſtione turberis, * audi per ſingula, ſuſcepti hominis diſpenſationem, nec ad patrem, nec ad ſpiritum, ſed a ſolum pertinere filium. proprie enim filius, non pater, de virgine natus eſt. rurſus illa quæ* ſæpe audita eſt vox, *Hic eſt filius meus dilectus*, nec ad filium, nec ad Spiritum ſanctum, ſed ad patrem pertinet ſolum. item columbæ ſpecies, quæ in Jordane apparuit, & ignearum linguarum multipertita diſtributio, proprie ad ſancti Spiritus perſonam pertinere monſtratur. Sed ne adhuc de his proprietatibus dubites, audi manifeſtius. Proprium patris eſt genuiſſe, & proprium filii eſt natum fuiſſe, proprium vero eſt Spiritui ſancto de patre filioque procedere: nec omnino reciprocatur in aliam perſonam quod eſt unicuique perſonæ ſpecialiter proprium. Si ergo hæ tres perſonæ, habentes ſingulæ proprietates ſuas, quibus ſignificantius diſtinguantur, non quibus ſeparentur, unus eſt Deus; quomodo filius, ſalva utriuſque naturæ proprietate, non unus eſt Chriſtus?

* *edit. Vigil.* nec ad filium, nec ad ſpiritum &c.

* *edit. Vigil.* adverte per ſingula. Suſceptæ carnis diſpenſatio nec ad patrem pertinet &c.

* *edit. Vigil.* ſuper eum.

Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ad Armenios in Epiſtola adverſus hæreticos deſtinata, Spiritum ſanctum ab eſſentia divinitatis inſeparabiliter procedere, his verbis edocet.

Sub finem epiſtolæ.

FUgiamus itaque conſilia ſeductionis, fluenta hæreticorum dico pernicioſa, Deoque inimica contagia, Arrii veſaniam, qui Trinitatem inſeparabilem ſubſtantiis dividit, Eunomii audaciam, qui naturam incomprehenſibilem infra ſcientiam humanitatis includit, * Manichæi, Macedonii rabiem, qui ſequeſtrat ab eſſentia deitatis Spiritum ſanctum inſeparabiliter procedentem.

* *In editis Procli abeſt.* Manichæi.

---

a *Vigilius Africanus Epiſcopus*) Hine patet error illorum, qui hos libros hactenus ſub nomine Vigilii Tridentini ediderunt. Quin & in codice S. Eugendi, ut audio, Vigilius hic Epiſcopus Thapſenſis inſcribitur, quæ civitas erat Africæ in provincia Byzacena. Et in Notitia quam edidimus, inter Epiſcopos ejuſce provinciæ, qui ad Hunericum fidei cauſa venerunt, poſtremo loco recenſetur Vigilius Thapſitanus, de quo idemne an alius a noſtro ſit, Chiffletio noſtro pro ipſius ſtudio & ſollertia diſcutiendum relinquimus, a quo Vigilii opera brevi emendatiora & auctiora ſperamus.

a *a Agnellus in epiſtola ad Nenium, quod Spiritus ſanctus a patre procedat & filio, ſic docet.*

In medio.

IDeo ex patre filius, ex patre & filio procedit Spiritus ſanctus, nec, ut quidam dicunt, duos habet Deus filios, Chriſtum & Spiritum ſanctum, ſed habet filium inviſibilem ſicut ipſe inviſibilis eſt. qui ut eſſet viſibilis, corpus noſtræ fragilitatis aſſumpſit: non ut inviſibilis eſſe ceſſaret, ſed ut in ipſo Chriſto inviſibilis incredulis permaneret. Nam cum dicit, *Beati oculi qui vident quæ vos videtis* (Luc. 10. 23.), ergo beati erant Judæi omnes, & hi qui eum crucifixerunt, de quibus per David dicitur, *Ipſi vero conſideraverunt & conſpexerunt me* (Pſal. 21. 19.). Vides ergo quia inviſibilis perſeverat, & mente cernitur pura & credula. ergo ſi inviſibilis pater, inviſibilis filius, inviſibilis ſpiritus ſanctus. Et ut ad hoc te revocem, unde factum eſt, ut hoc de fragili homine doceamus, Tria hæc inviſibilia, & indiviſa, & in unum conglomerata, & virtutis efficacia redundantia, id eſt vocem genitricem verbi, ex verbo vero ſimul cum voce procedente efficaciam, quæ faciat alterum Conſulem fieri, alterum trucidari, dic mihi, Arriane, iſta tria unum ſunt, an non? Si unum non ſunt, divide vocem a verbo, & efficaciam a voce & verbo. Quod ſi hoc in fragili homine ita unum ſunt tria, vox, & verbum, & efficacia; tres quidem perſonæ ſunt, ſed una ſubſiſtendi potentia. In homine fragiliſſimo, ut diximus, hæc ſit tanta potentia, quanto magis in omnipotentia Dei ita eſt, ut ſit pater omnipotens genitor filii, & ex patre & filio procedens virtus, qui eſt Spiritus ſanctus.

Caſſiodorus in expoſitione pſalmi L. quod Spiritus ſanctus a patre filioque procedat, ſic dicit.

Pſal. 50. 14. REdde *mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me*. Nec incaſſum putemus, quod vir ſanctus, & cordis illuminatione radiatus, tertio ſpiritum nominavit, niſi quia individuæ Trinitati devotus concedi ſibi ab ea veniam poſtulavit. Spiritus enim, quantum ad eſſentiam divinitatis, & pater & filius & Spiritus ſanctus recte unus dicitur Deus: ſed pro diſtinctione perſonarum, proprium eſt patri quod naturaliter ſine initio ante ſæcula genuit filium, proprium eſt filio quod naturaliter a patre genitus eſt, proprium eſt Spiritui ſancto quod a patre & filio procedit. Quæ ineffabili caritate atque cooperatione eorum conſubſtantialis æternitas & poteſtas omnia facit quæ vult in cælo & in terra. Sed quamvis hæc incomprehenſibilia atque inexplicabilia ita ſunt nobis nunc eſſe noſcantur, tamen a nonnullis patribus corporalium & ſimul exiſtentium rerum talis ſimilitudo proponitur. Invenimus enim in ſole tres iſtas proprietates, prima ipſa eſt ſubſtantia corporalis quod ſol eſt, deinde ſplendor ejus qui in ipſo permanet, tertio calor qui ab ſplendore ejus uſque ad nos pervenit. Quæ hoc modo, ſi tamen tantæ rei ſimilitudo poteſt aliqua reperiri, arbitror æſtimanda, ut quod eſt in ſole ſubſtantia corporalis, ita intelligatur in Trinitate quodammodo perſona patris, & quod

A eſt in ſole ſplendor ejus, hoc ſit in Trinitate perſona filii, ſicut Apoſtolus dicit, *Splendor gloriæ ejus* (Hebr. 1. 3.), quod autem eſt in ſole calor, hoc ſit in Trinitate perſona Spiritus ſancti, ſicut legitur, *Quis ſe abſcondet a calore ejus?* (Pſal. 18. 7.) Datur etiam aliud exemplum incorporalium rerum, hoc eſt de anima, quæ ad imaginem & ſimilitudinem Dei facta cognoſcitur. Anima igitur eſt ipſa ſubſtantia incorporea rationalis, in qua ineſt intellectus & vita ejus. Quod ergo eſt in anima ſubſtantia, hoc intelligatur, ſi dici fas eſt, in Trinitate perſona patris. quod autem eſt in anima virtus & ſcientia, hoc intelligatur in Trinitate filius, qui eſt Dei virtus, & Dei ſapientia. & quod eſt in anima vivificandi proprietas, hoc & in Trinitate intelligatur Spiritus B ſanctus, per quem vivificandi opus multis locis prædicatur impleri. ſicut ait Petrus Apoſtolus in epiſtola ſua, *Mortificatus carne, vivificatus autem ſpiritu* (1. Pet. 3. 18.). Item Apoſtolus, *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat* (2. Cor. 3. 6.). & in Evangelio Dominus ait, *Spiritus eſt qui vivificat, nam caro non prodeſt quiequam* (Joan. 6. 64.). Hæc autem quæ diximus, tria ſingulariter ſequeſtrata nullatenus inveniuntur, quamvis intellectus noſter ea diſtincta poſſit advertere: ſed ita naturaliter ſunt unita, ut dum unum horum ſe obtulerit, ſimul tria ſemper occurrant. Sic per has ſimilitudines tantæ rei aliqua nobis imaginatio veritatis aperitur. Sunt & hæc C & alia patrum diſputatione ſimilia. Sed quæ nunc carnis infirmitas ad liquidum vetat intelligi, tunc præſtantius poterunt comprehendi, quando in majeſtate ſua divinitatem viderint quicumque beati ſunt. Quod qui deſiderat plenius agnoſcere, ſancti Hilarii, ſancti Ambroſii, & ſancti Auguſtini libros* non deſinat lectitare. Hæc enim res ad diſputandum quam magna tam longa eſt. Nam & beatus Hieronymus adverſus hæreticos in hoc pſalmo luculenter & breviter de Trinitate diſſeruit. (*apud Caſſiod. libros Trinitatis.)

Item idem pſalmo ſexageſimo primo.

AB *ipſo enim ſalutare meum*, id eſt unigenitus filius, qui recte credentibus ſalutaris D exiſtit. (Pſal. 61. 1.) ab ipſo enim cum dicitur, filius ſignificatur. Hæc enim propria unus Deus ſancta Trinitas habet, quod pater ingenitus, filius genitus, Spiritus ſanctus a patre & filio procedit. hoc fides integra, hoc catholica profitetur Eccleſia. Bene itaque Idithun Deo ſubditum te eſſe profiteris, a quo inæſtimabile beneficium te ſuſcepiſſe teſtaris. Sed ut ſanctum verbum una atque æquabili veneratione coleretur, intende quid ſequitur, *Etenim ipſe eſt Deus meus & ſalutaris meus: adjutor meus, non movebor amplius* (Ibid. 3.). E Dixerat ſuperius a patre genitum ſalutis auctorem. nunc qui ſi iſte ſalutaris trina confeſſione complectitur. Primo ne minorem crederes, dicit, *Ipſe eſt Deus meus*, ſicut ſupra de patre Deo* dicit. æqualitas enim ſummi nominis ſubſtantiam & potentiam unitatis oſtendit. (*apud Caſſiod. Deum.) Unde pater Auguſtinus in libro quinto decimo de Trinitate ita dicit (Cap. 3.), Ratione etiam reddita intelligentibus clarum eſt, in ſubſtantia veritatis non ſolum patrem filio non eſſe majorem, ſed nec ambos ſimul aliquid eſſe majus quam ſolum Spiritum ſanctum, aut quoslibet duos in eadem Trinitate

a *Agnellus in epiſtola ad Nenium*) Edita primum eſt Baſileæ hoc titulo, *Agnelli Epiſcopi ad Arminium de ratione fidei*. Adjectum eſt poſtea ex alio, ut reor, exemplari nomen Ravennatis, qui ſedem illam rexit poſtremis temporibus Juſtiniani.

majus

majus eſſe aliquid quam unum, aut omnes ſimul tres majus aliquid eſſe quam ſingulos. Sic perfectam atque ſingularem naturam ſanctæ Trinitatis mirabili veritate demonſtravit.

Prudentius in libro contra Marcioniſtas, metro Heroico.

Harmartigenia v. 931.

O Dee cuncti parens animæ dator, o Dee Chriſte.
Cujus ab ore Deus ſubſiſtit ſpiritus unus.

Cathemerinon hymno 6. v. 5.

Item idem in libro Hymnorum, metro Iambico.

O Trinitatis hujus.
Vis una, lumen unum,
Deus ex Deo perennis,
Deus ex utroque miſſus.

A

Item idem in libro Hymnorum, metro Choriambico, quod Aſclepiadeum nominatur. Ibid. hymno 5. v. 5.

INventor rutili dux bone luminis,
Qui certis vicibus tempora dividis!
Merſo ſole chaos ingruit horridum,
Lumen redde tuis, Chriſte, fidelibus.
Per Chriſtum genitum, ſumme pater, tuum. Ibid. v. 157.
In quo viſibilis ſtat tibi gloria,
Qui noſter dominus, qui tuus unicus.
Spirat de patrio corde Paraclitum.
Per quem ſplendor, honor, laus, ſapientia.
Majeſtas, bonitas, & pietas tua
Regnum continuat nomine triplici,
Texens perpetuis ſæcula ſæculis.

THEODULFI AURELIANENSIS EPISCOPI

FRAGMENTA SERMONUM ALIQUOT.

Ex Tomo V. Spicilegii Domni Lucæ Dacherii.

AD virtutes difficile conſurgimus, ad vitia ſine labore delabimur. Iſta enim prona, illa ardua ſunt. Grandes enim ſudores perpetimur ut ad cælum conſcendere valeamus. Quemadmodum ad virtutum tendentes culmen non a ſummis inchoant, ſed a modicis, ut ſenſim ad altiora pertingant; ita & qui dilabuntur ad vitia non ſtatim a magnis criminibus incipiunt, ſed a modicis adſueſcunt, & ſic in maximis proruunt. Nihil prodeſt admixto malo agere bonum, ſed prius eſt cohibendum a malo, deinde exercendum bonum. Hoc enim indicat
Iſa. 1. 16. Propheta cum dicit: *Quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere.* Prius vitia extirpanda ſunt in homine, deinde inſerendæ virtutes. Nam cohærere & conjungi non poteſt veritas cum mendacio, pudor cum petulantia, fides cum perfidia, caſtitas cum luxuria. luxuria vero carnis ideo notabilis eſt omnibus, quoniam ſtatim per ſe turpis eſt: & tamen penſante Deo, ſuperbia minor eſt. ſed qui detinetur ſuperbia & non ſentit, labitur carnis luxuria, ut pro hac humilietur, & a confuſione ſurgat & a ſuperbia. omnis peccans ſuperbus eſt, eo quod faciendo vetita, contemptim habeat divina præcepta. Recte ergo initium omnis peccati, ſuperbia, quia niſi præceſſerit mandatorum Dei inobedientia, tranſgreſſionis non ſequitur culpa. Superbia ſicut origo eſt omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum. Ipſa eſt enim in peccato prima, ipſa in conflictu poſtrema. Hæc enim aut in exordio mentem per peccatum proſternit, aut noviſſime de virtutibus dejicit. Inde & omnium peccatorum eſt maxima, quia tam per virtutes, quam per vitia, humanam mentem exterminat: ex culpa ſuperbiæ plerumque in abominandam carnis immunditiam itur: nam alterum pendet ex altero. Sed ſicut per ſuperbiam mentis itur in proſtitutionem libidinis, ita per humilitatem

B

mentis ſalva fit caſtitas carnis. Deus autem nonnunquam dejicit occultam mentis ſuperbiam per carnis manifeſtam ruinam. libidinis naſci immunditiam de animi occulta ſuperbia, exemplo primi hominis aperitur; qui mox ut per ſuperbiam contra Deum tumuit, ſtatim carnis libidinem ſenſit, & pudenda operuit. Nonnunquam gemino vitio Chriſtianus a diabolo appetitur, & occulto per elationem, & publico per libidinem; ſed Dei ſervus diſcrete utrumque penſans ſic cavet libidinem, ut non incurrat elationem, & ſic tremit elationem, ut non reſolvat animum ad libidinem. Luxurioſis atque ſuperbis dæmones plus ſautores exiſtunt, dumque in cæteris vitiis ſpiritus maligni deſerviunt, his tamen majori familiaritate junguntur, eiſque amplius juxta deſiderium famulantur. principaliter his duobus vitiis diabolus humano generi dominatur, id eſt, per ſuperbiam mentis & luxuriam carnis. Unde & Dominus ad Job loquitur de diabolo dicens: *Sub umbra dormit, in ſecreto calami, in locis humentibus:* Job 40. 16.
per calamum enim inanis ſuperbia, per loca humentia carnis demonſtratur luxuria: per hæc enim duo vitia diabolus humanum poſſidet genus, vel dum mentem in ſuperbiam erigit, vel dum per luxuriam carnem corrumpit. Ex corde enim primum fornicationes ſunt auferendæ, ut non prorumpant in opere. Hinc eſt quod per Prophetam dicitur: *Accingite lumbos* Iſa. 32. 11.
veſtros ſuper ubera veſtra; hoc eſt in corde libidines reſecate. Quando ergo impulſu dæmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur, divini judicii etiam & æterni tormenta incendii ante oculos proponantur: quia nimirum omnis pœna tentationis gravioris ſupplicii formidine coercetur; recordatio ardoris gehennæ ardorem excludit luxuriæ. A Deo datur continentia, ſed petite & accipietis. Tunc

A autem tribuitur, qnando Deus gemitu interno
pulſatur. Amanda eſt pulchritudo caſtitatis,
cujus guſtata delectatio dulcior invenitur quam
carnis. Caſtitas enim ſructus ſuavitatis eſt,
pulchritudo inviolata Sanctorum, ſanitas corpo-
ris, ſecuritas mentis. Nam qui ſe continen-
tiam habere confidit, & ab aliis terrenis deſi-
deriis ſe non ſubtrahit, quamvis hunc luxuria
carnis non polluat, diverſa tamen mundanæ
converſationis operatio maculat. Omne tamen
peccatum per pœnitentiam recipit vulneris ſa-
nitatem. Non poteſt qniſquam ſpiritalia bella
tranſire, niſi prius edomaverit ardorem cupidi-
tatis. Non poteſt ad contemplandum Deum
B mens eſſe libera, quæ cupiditatibus hujus mun-
di incumbit. Omni peccato pejor eſt avaritia,
& amor pecuniarum. Unde & per Salomonem
Eccl. 10. 10. dicitnr: *Nihil eſt ſceleſtins quam amare pecuniam.*
cupiditas omnium criminum materia eſt. Unde
1. Tim. 6. 10. & Apoſtolus ait: *Radix omnium malorum eſt
cupiditas*. Si ergo ſucciditur radix criminum,
non pullulant cæteræ ſoboles peccatorum. Cu-
piditas enim Chriſtum vendidit, vendidit vitam,
comparavit mortem: nec mirum, quia mori-
entes inferni ignibus deputantur, qui viventes
flammam cupiditatis ſuæ non extinxerunt. U-
tile eſt cavere gulam, ciborumque concupiſcen-
tiam. Quid enim tam noxium, quam ut ani-
mus ſerviat ventri & eſcis, quæ ſunt deſtruen-
1 Cor. 6. 13. C da, teſtante Apoſtolo: *Deus autem & hunc &
hæc deſtruet*. Non ad luxuriam, nec ad ſatie-
tatem, ſed tantummodo ut corpus ſuſtente-
tur ad opus Dei, epulis eſt utendum. Sicut
enim omnes carnales cupiditates abſtinentia re-
ſecantur, ita omnes animæ virtutes edacitatis
vitio deſtruuntur. Neque enim poteſt quiſpiam
virtntum perſectionem adtingere, niſi prius e-
domaverit ventris ingluviem. Nemo poteſt do-
minari ceteris vitiis, niſi prius reſtrinxerit vi-
tium gulæ. Non poteſt quiſquam a ſemetipſo fa-
cile ſpiritus immundos expellere, niſi per abſtinen-
tiam gulæ. Tunc enim hoſtes, qui extra nos
ſunt, a nobis fortius ſuperantur, cum prius
D quæ intra nos ſunt vitia extinguntur. Nam
fruſtra foris agit bellum, qui intus habet peri-
culnm. eſcæ crapulam, potus ebrietatem gene-
rat. Ebrietas autem perturbationem gignit men-
tis, furorem cordis, flammam libidinis. Ebrie-
tas ita mentem alienat, ut ubi ſit neſciat.
Prov. 31. 5. Unde & in Proverbiis; *Potentes*, inquit, *ira-
cundi ſunt; vinum non bibant, ne cum bibe-
rint, obliviſcantur ſapientiam*. Pleriſque laus
eſt multum bibere & non inebriari. Audiant hi
Iſai. 5. 22. adverſum ſe Prophetam dicentem: *Væ qui po-
tentes eſtis ad bibendum vinum. & viri fortes
ad miſcendam ebrietatem*. Vino multo deditos,
& luxurioſe viventes, Eſaias ſic arguit dicens:
Ibid. 11. *Væ qui couſurgitis mane ad ebrietatem ſectan-*
E *dam, & potandum uſque ad veſperam, ut vi-
no æſtuetis*. De talibus alio in loco dicitur:
Eccl. 10. 16. *Væ tibi civitas, cujus Rex juvenis eſt, & cu-
jus Principes mane comedunt*. Multi etiam a
mane uſque ad ſolis occubitnm ebrletati & gu-
læ voluptatibus ſerviunt, nec intelligunt cur
nati ſunt, ſed conſuetudine belluina detenti,
luxuriæ tantnm tota die epuliſque inſerviunt.
Clamat Joel Propheta his qui ebrietati ſerviunt,
1. 5. dicens: *Expergiſcimini ebrii & flete, & ulula-
te omnes qui bibitis vinum in dulcedine*. Soli-
cite igitur cum diſcretione moderanda eſt carnis
cura, ne quid nimis: nam quicquid nimis &
ultra modum eſt, perniciosum eſt; quicquid

A autem eum modo & temperamento fit, ſaluta-
re.. in omni opere ergo modum & tempera-
mentum oportet habere. Ideo alia ſunt præ-
cepta quæ dantur fidelibus communem in ſæcu-
lo vitam degentibus, atque alia ſæculi hujus
renuntiatoribus. Illis enim dicitur, ut ſua o-
mnia bene gerant, iſtis ut ſua omnia derelin-
quant: ad perſectum enim non ſufficit abne-
gatis omnibus ſuis, niſi & ſeipſnm abneget,
ſecundum Evangelium; id eſt, niſi voluntates
proprias relinquat, ac moribus pravis renuntiet,
ut qui erat ſuperbus, ſit humilis; qui erat a-
dulter, ſit caſtus; qui erat iracundus, eſſe ſtu-
deat manſuetus; qui erat animoſus, patiens eſ-
B ſe contendat; qui avarus, ſit largus; qui con-
tra proximum ſuum odio vel invidia tabeſcit,
dilectionem Dei & proximi puram in corde re-
tineat. Sicque ſingulis vitiis ſingulas virtutes
contrarias opponat, & bonis ſe moribus ador-
nare ſtudeat, ut de vitiis veniam, & de bonis
actibns præmium mereatur. Namque Dominus
ait: *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum*. Matt. 16. 24.
Ergo qui non rigida intentione profeſſionem
Monachi ſectantur, quanto ſuperni amoris pro-
poſitum diſſolute appetunt, tanto proclivius
ad mundi amorem denuo reducuntur. Nam
profeſſio non perfecta præſentis vitæ repetit de-
ſideria, in quibus etſi nondum ſe opere jam
alligat, tamen cogitationis amore. Ideo malis
C eſt bonum cogitationibus fortiter repugnare.
Qui enim ad hoc profeſſionem ſanctitatis præ-
tendit, ut aliis quandoque præeſſe deſideret,
iſte non diſcipulus Chriſti, ſed pravitatis ſecta-
tor exiſtit, quia non pro Deo, ſed pro ſæculi
amore portare ſtudet crucis Chriſti laborem.
Qui mundum deſerunt, ſed tamen virtutes
præceptorum ſine cordis humilitate ſequuntur,
iſti quaſi de excelſo graviter corrnunt, quia
deterius per virtutnm elationem dejiciuntur,
quam per vitia prolabi potuiſſent. Omnis Dei
ſervus de ſuis meritis non debet attolli, dum
poſſe videat ex inferioribus ſibi prælatiores alios
fieri. ſemper conſcientia ſervi Dei humilis eſſe
D debet & triſtis, ſcilicet, ut per humilitatem
non ſuperbiat, & per utilem mœrorem cor ad
laſciviam non diſſolvat. Dei ſervnm ſine inter-
miſſione legere & operari oportet, ne forte
mentem otio deditam ſpiritus fornicationis ſu-
bripiat. Cedit enim labori voluptas, animum
autem vacantem cito præoccupat. Contuere
Salomonem per otium multis fornicationibus in-
volutum, & per fornicationis vitium uſque in
idololatriam lapſum, Hi vero qui pro Dei ti-
more ſæculo renuntiant, & tamen curis re-
rum ſæcularium implicantur, quanto ſe rerum
ſtudiis implicant, tanto ſe divinæ ſubtrahunt
caritati. Qui ſimul & terrenis parere curis &
divinis ſe exercere ſtudent, utrumque comple-
E cti non valent, ſicut Chriſtus ait: *Nemo po-* Matth. 6. 24.
teſt duobus dominis ſervire. niſi enim prius a
ſecreto cordis expellatur importuna ſæcularium
multitudo curarum, anima quæ intrinſecus
jacet, nequaquam reſurgit. Arguitur eorum
tepor, qui Deo vacare volentes, mundoque
renunciant, & curas proprias aſpernantur, ſed
dum propinquorum utilitates procurant, a Dei
amore ſe ſeparant. Vir ſpiritualis prodeſſe de-
bet ſuæ propinquitati, tamen cavere ne dum
illis gratiam carnis præſtare ſtudet, ipſe a
ſpirituali propoſito non declinet. Multi e-
nim Monachorum amore parentum non ſolum
terrenis curis, ſed etiam forenſibus jurgiis

involuti, & pro ſuorum temporali ſalute ſuas animas perdiderunt. Sicut noſtra nobis non odienda eſt anima, ſed ejus carnales affectus, ita nec parentes a nobis odiendi ſunt, ſed eorum impedimenta, quæ nos ab itinere recto præpediunt. Dum tamen Dominus ita præcepit a nobis parentes odiri ſicut animas noſtras. Nemo enim perpendere poteſt, quanti ſit ponderis declinare a bono & facere malum, niſi prius toto mentis annisu convertitur ad Deum. Tripertitum deſcribitur eſſe uniuſcujuſque converſi profectum, id eſt, primum corrigendi a malo, A ſecundum faciendi bonum, tertium conſequendi boni operis præmium. Ideoque feſtinare debet ad Deum pœnitendo unuſquiſque dum poteſt, ne ſi dum poteſt noluerit, cum tarde voluerit, omnino non poſſit. Proinde Propheta ait: *Quærite Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum prope eſt*. (Iſa. 55. 6.) Et ubi inveniri poteſt, niſi in hac vita, in qua etiam prope eſt omnibus invocantibus ſe in veritate Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui omnibus in ſe veraciter fideliterque credentibus vitam & gloriam ſempiternam præparabit?

DE OMNIBUS ORDINIBUS HUJUS SÆCULI.

QUoniam peccatum quodcumque delectat aut ſubripuit, ſit nobis in memoria: quod jam deleta ſunt peccata noſtra, non perdamus præmium ſanguinis Chriſti, nec maculemus ſtolam animæ per iniquitatem, aut rapinam, aut concupiſcentiam. Jacuimus, jam erecti ſumus; vulnerati fueramus, jam ſumus ſanati. non erit excuſatio: qualeſcumque diabolus ad malum poteſt invitare, non poteſt trahere; delectationem infert, non poteſtatem; conſilium ingerit, non conflictum. Nunc ergo propter partum Beatæ Mariæ, ſit mihi ſermo ad virgines, ſive ad viros, ſive ad fœminas, ſive ad viduas, ſive potentes, ſive pauperes, ſive ſervos, non eſt apud Deum niſi meritorum diſcretio. Audite me itaque quicumque dono Chriſti in corpore Virgines eſtis, generaliter loquor ad omnes. Audite me itaque quicumque ſe agnoſcit eſſe quod dico, ſtudeat ut & corde ſit Virgo: ſic gaudeat de lucro corporis, ut non habeat damnum animæ: gaudeat tamen de tam pretioſo dono Chriſti, gaudeat cum humilitate, fleat cum pietate, agat gratias quia tantam felicitatem in integritate portat, lætetur quia ſecuturus eſt Agnum quocumque ierit: ſi tamen in ore ejus, ſicut legimus in Apocalypſi, mendacium non inveniatur. oret pro perſeverantia, ut non illi qualiſcumque delectatio ſæculi, aut invidia diaboli, tantum donum tollat, tantam claritatem innubilet, tantum nitorem infuſcet, teneat fortiter, non perdat rem irreparabilem, non uno momento delectationis amittat gratiam corporis: non contrahat turpitudinem animæ per pulchritudinem formæ corruptæ: non illum concupiſcentia vincat. Si me audierit, permanet; quod ſi non audierit amiſſurus eſt quod nunquam reparaturus. Iterum ad vos mihi ſermo eſt. Qui conjuges habetis, moneo ut caſte habeatis. Nam Eliſabeth, quæ longævis temporibus caſte cum marito vixerat, & ambo fideles ante Deum fuerant, meruit jam de mortuo ſemine habere filium, qui & ſanctitatem parentis ornaret, & prædicatione multos infideles converteret. Iterum vobis loquor quæ eſtis viduæ, cuſtodite viduitatem, non eſtote verboſæ, ſed cum ſilentio expectate Dominum, qui pupillum & viduam ſuſcipiet. ſed bona vidua illa quæ in oratione eſt, & humilitate, in eleemoſynis prompta. Si certe unde faciat non habet, voluntatem bonam & ſinceram cogitationem habeat. Mulieres non maledicite, non jurate, non eſtote promptæ ad loquendum. Forte dicitis importunum eſſe quod iſta dico: non mihi facere * licet, plus timeo illum qui jubet, quam illum qui detrahit. Ego dico; B qui agnoſcit, emendet: qui in ſe non recognoſcit, gaudeat, & teneat, ut aliis pro ſalute dicere poſſit. Nunc jam ad vos loquor pœnitentes, qui pœnitentiam in Eccleſia accepiſtis & agitis, perſeverate in fletu, in compunctione docte plangite. Quid eſt docte plangite? non quærite in oratione temporalem rem, ſed æternam beatitudinem, remiſſionem peccatorum. qui ſic orat, ipſe docte plangit. Non cadant ad terram inanes lacrymæ veſtræ, quia verax eſt ille qui per Prophetam dicit; *Poſui lacrymas meas in conſpectu tuo*. (Pſal. 55. 9.) Vos modo ſatis debetis Deum amare, & de timore jam ad dilectionem tranſire. Quia legimus in Evangelio de C peccatrice illa, *cui multum dimittitur, multum dilexit*, (Luc. 7. 47.) & ideo multum debetis diligere Deum, qui vos expectando, & non puniendo, ad pœnitentiam perducere dignatus eſt. Nunc vero ad vos ſermo eſt, pauperes. Vos dico pauperes qui mendicatis, qui de eleemoſynis Chriſtianorum vivitis, conſolamini; tribulatio veſtra convertetur in lætitiam & dolor veſter in gaudium. Non vobis ſit ingratum quod mendicatis, nec ideo in corde veſtro aliquid contra Dominum dicatis. Quia ille juſtus & pius eſt in omnibus operibus ſuis, & te ideo fecit pauperem, ut ſufferendo inopiam, æternam vitam adquireres, & divitem ideo fecit, ut dum tibi ſuperflua daret, remedium peccatis adquireret. & ideo patientes eſtote, expectate Do- D minum. Etiam ad vos mihi ſermo eſt, ſervi, quicumque dominos carnales habetis, quicumque ſervitii conditionem habetis, obedite dominis veſtris, diligite ex corde, non ad oculum ſervientes, ſed miniſterium ex amore facientes. Quia & illos Deus conſtituit, ut vobis dominentur, & vos ut ſerviatis; bene ſervite, quia de bono ſervitio, mercedem habebitis; ſi boni fueritis, meliores eritis dominis malis. Quia apud Dominum anima uniuſcujuſque non eſt de nobilitate diſcernenda, ſed opere; nec genere, ſed actione. Ideo nunc ad omnes mihi ſermo fuit, quia Chriſtus pro nobis mortuus eſt: & ideo ſervate quæ dixi ut de vobis fru- E ctum habeam, & vos omnes in cæleſtibus, ubi frumenta congreganda ſunt, miſericors Dominus intromittat, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen. Vis nunc, cariſſime frater Deſideri, ut tibi quaſi de luminaribus firmamenti, quæ toto mundo reſulgeant, pauca de ſcriptoribus, qui nobis multa de obſcuritatibus, quæ propter carnalem intelligentiam impediunt, ad ſplendorem conſiderationis ſpiritualem proferre potuerunt manifeſtiſſime? Dicam ut vereor Suſannæ Helciæ filiæ in me ſententiam, iniquo judicio

* ſ. tacere.

Presbyterorum dicentis ne impleatur : Anguſtiæ ſunt mihi undique : & mihi ſimiliter ſunt anguſtiæ ? ſi enim voluero ex his reprehendere, adverſarios atque inimicitias ubique concitabo ; Si autem voiuero, quod poſtulaſti numquam invenies, ſed cujus tam voluntatem condemnari, quam multorum conſilium tranſire, vel deſpicere eſſe videtur. Qui unuſquiſque eorum in Scripturis ſanctis diligenter laudare meruit. Sed omnes leniter leviterque cum omni amore tanquam ut utrumque pacifice impleam

A

auguſtiſſimus Epiſcopus volans per montium culmina, quaſi aquila, ea quæ in montium radicibus fiunt, non conſiderans multa cælorum ſpatia, terræ ſitus, & aquarum circulum, claro ſermone pronuntiet. Qui enim in lignum fructuoſum aſcendere vult, paulatim ad ſuperiora & majora carpere feſtinat, ramos autem proximos parvulis relinquunt. [a] Nos autem parvuli ſumus. Obſecro vos, fratres dilectiſſimi, ut erga ſubditarum plebium profectum & emendationem, vigilantiſſima cura laboretis.

[a] ſ. relinquit.

THEODULFI EPISCOPI AURELIANENSIS CARMINUM LIBER PRIMUS.

[a] PARÆNESIS AD JUDICES.

Judicii callem Cenſores prendite juſti,
Et veſtri ſpernant avia curva pedes.
Hoc iter ad cælum ducit, trahit illud ad umbras,
Hoc pia vita tenet, mors habet illud hians.
Ergo cavete viri ſcatebras Acherontis adire,
Quo Styx Cocyti, quo furor omnis ineſt.
At, Paradiſe, tuis nil gratius ædibus extat,
Quo mala nulla inſunt, quo bona cuncta manent,
Si Mihi mille forent centeno in gutture linguæ,
Ærea vox cunctis ferrea verba daret,
Non poſſem fateor tot promere ſedis amœnæ
Gaudia, quæ capiunt qui bene jura tenent.
Sed neque pœnarum percurrere monſtra loquendo
Poſſem, quæ patitur fraudis amica cohors.
Judicio pietas, pietati induſtria detur,
Quo teneant nullum munera ſæva locum.
Hoc veteris clamat peragendum pagina legis,
Nullius hoc vatum lingua beata tacet.
Hoc Evangelicus lituus per compita mundi
Mugit, Apoſtolicus hoc quoque ſermo tonat.
Hæc patriarcharum res vexit ad ardua nomen,
Inde prophetarum ſancta caterva cluit.
Quique ducum ac regnum hoc ſanctum limite callem
Obtinuit, potitur omnibus ille bonis.
At qui errore duce ſcabroſa per avia vecti
Hanc liquere viam, hos bona cuncta ſimul.
Numinis interpres Moſes fidiſſimus almi
Conloquio fruitur plebe ſtupente Dei.
Ille quaterdenis eremi per devia luſtris
Divitem opum populum rexit honore Dei,
Semper amans æquum, ſemper fera præmia temnens,
Exemplo & verbis norma ſalutis erat.
Maternis Samuel natus votiſque fideque,
Illius & dono qui bona cuncta creat.
Tempus qui ante facit quæ tempore condita monſtrat,
Cui ſimul eſt præſens quod fuit & quod erit.
Omne genus fraudis ſprevit bona cuncta ſecutus.
Nec pretio eſt uſus, vilis aſelle, tuo.
Quid referam reſono modulantem carmine regem,
Qui tota ſtuduit mente placere Deo?
Cui bene cuncta ſimul parent in laude tonantis,
Ars, caro, mens, plectrum, vox, lyra, chorda, chorus?
Cantibus & geſtis, & totis niſibus iſte
Probra cavenda monet, jura tenenda docet.
Juſtus, ait, Dominus moderati juris amator,
Cujus ovans vultus omnia juſta videt.
Hic ita cenſores pravos his vocibus hiſcens
Admonet, & monitis talibus ora movet.
Ut quid judiciis totiens inſtatis iniquis,
Et fera peccantum ſumitis ora ſimul?
Pauperis ad cauſam concurrite, ſive pupilli,
Et miſer & pronus juſtificatus eat.

---

a *Paræneſis ad Judices*) Titulum hunc de ſuo effinxit Petrus Daniel, qui primus hoc poema in lucem dedit ex acephalo exemplari quod titulo carebat. In codice Altæ ſylvæ, & in Petaviano, in quibus poema integrum extat, ſimplicior eſt inſcriptio *contra Judices*. Nos retenta inſcriptione Danielis, eorumdem codicum ope verſus undetriginta, qui principio deerant, & alios aliis locis reſtituimus, multaque paſſim quæ vitioſa erant correximus.

Vos inopes manibus peccantum demite diris.
Huic prolixa ſtylo talia plura canit.
Hujus in immenſum veneranda potentia tendit,
Quivit heri felix qui pater eſſe ſui.
Hic adverſorum crebra eſt fornace recoctus,
Hinc virtute cluit, exſuperat vitia.
His ejus quoniam caruit clariſſima proles,
Hinc læva dextrum mente reliquit iter.
Quo mage vomer humum ſubjectam ſauciat uncus,
Eſt hinc ſpina minus, hinc magę parta ſeges.
Rex fuerat ſapiens, legum & moderamine juſtus,
Femineis captus ni foret hic laqueis.
Heu bona tot linquens tanta eſt ab probra volutus,
Nectar dulce meri ſic male perdis acor.
Crevit & Ezechiæ venerandi gloria regis,
Juſtitiæ meritis & pietatis ope.
Cui tria cunctipater voluit ſuperaddere luſtra,
Mortis & occaſu cui pia vita redit.
Edocet hic pupulum patrias edicere leges,
Et fugere erroris impedimenta mali.
Fregit in excelſo compoſtum monte chelydrum,
Vitæ hic cauſa prius, poſtmodo mortis erat.
Sic medici ſcalpro qui ſe transfigit acuto,
Inde ſalus aliis, huic venit atra lues.
Hæc tibi Joſias fuit obſervantia princeps,
Hæcque celebre tulit nomen ad alta tuum,
Impia qui ſceleris demis monumenta vetuſti,
Et patrias leges qua potes uſque novas.
Qui decedenti datus ei pia gloria regno,
Quem veſpertini temporis ordo dedit.
Sic oſtrum limbus, ſic claudit prandia vinum,
Poſt fructus anni pinguis oliva viget.
Ingens turba patrum quibus hoc opus inſtituendum eſt,
Quos pia lex retinet, quoſque referre mora eſt.
Sæpe ego pollicitis cenſores linquere cerno
Jura, aurumque avido gutture & ore ſequi.
Sæpe ego ne capiant ſtudeo revocare volentes.
Sunt mage quis velle eſt, cui modo nolle minus,
In rivos dum quis ſpatioſum diribet amnem,
Pars minor in rivis, major in amne fluit.
Sæpe ego dum pravos de talibus arguo rebus,
Hæc ſibi clam dicunt me quoque ſorte parem.
Sæpe etiam tales cum non ſint, ſuſpicor eſſe:
Cum mihi ſint plures, hac lue liber ero.
Non potis eſt morbis artarier omnibus æger,
Saltem una e multis peſtis abeſſe poteſt.
a *Præfectura mihi fuerat peragenda tributa,*
Reſque actu grandes, officiumque potens.
Nulli vi, ſtudiſque piis, armiſque ſecundus
Rex dedit hanc Carolus, primus ad omne bonum.
Cui parent Walis, Rhodanus, Moſa, Rhenus, & Oenus,
Sequana, Viſurgis, Wardo, Garumna, Padus,
Rura, Moſella, Liger, Vulturnus, Matrona, Ledus,
Iſter, Atax, Gabarus, Olitis, Albis, Arar.
Quo ſynodus clerum, populum lex ſtringeret alma,
Duxque foret cunctis regula calle ſuo.
Eccleſiæ ſanctus matris quo creſceret ordo,
Urbibus & validis moſque decorque pius,
Quas Arar, & Wardo, Rhodanus qua alluit ater,
Elauris, ſive his connumerandus Atax,
Quaſque Alpes Latio, Libya diſcriminat æquor,
Quaſque Pirenæus orbe ab Ibere tuo.
Seu quas Lugdunum Arcturo aut Aquilone revellit,

a *Præfectura mihi*) Legationem intelligit, quam Caroli regis mandato Miſſus Dominicus obierat in Gallia Narbonenſi una cum Laidrado poſtmodum Epiſcopo Lugdunenſi. Quo nomine fines ejuſdem provinciæ, iterque ſuum Lugduno Narbonem uſque poetico more deſcribit. Officii autem hujus quam ampla fuerit poteſtas, declarant verba Epiſcoporum ad Carolum Calvum in Verno palatio. *Quæſumus ut ſcelerum patratores, & Apoſtolicæ diſciplinæ contemptores, miſſis a latere veſtro probatæ fidei legatis, abſque reſpectu perſonarum & excæcationem munerum coerceantur.* Ab hac ergo legatione Theodulfo nata eſt occaſio, ut de Judicum officio, quid potiſſimum cavere, quid præſtare debeant, hoc Carmine docendum exiſtimaret.

Reſque Aquitana tuis pulcra Toloſa locis.
Hæſerat hac nobis Laidradus forte ſodalis,
Cederet ut magnus hoc relevante labor.
Noricus hunc genuit, hunc tu Lugdune futurum
Pontificem ſperas religionis ope.
Arte cluit, ſenſuque viget, virtute redundat.
Cui vita ad ſuperam tranſitus iſta manet.
Jam Lugdune tuis celſis poſt terga relictis
Mœnibus, adgredimur cauſa quod optat iter:
Saxoſa petimus conſtructam in valle Viennam,
Quam ſcopuli inde artant, hinc premit amnis hians.
Inde Valentinis terris urbique jacenti,
Rupee nos dedimus hinc Morenate tibi.
Poſt & Arauſinas terras, & Avennica rura
Tangimus, & fines quos tenuere Getæ.
Inde Nemauſiacas ſenſim properamus ad arces,
Quo ſpatioſa urbs eſt, reſque operoſa ſatis.
Hinc Madalona habuit lævam, Sextantio dextram:
Hic ſcabris podiis cingitur, illa mari,
Quis bene tranſitis, Agathem mox parte ſiniſtra
Liquimus, & noſmet tecta Beterris habent.
Mox ſedes Narbona tuas, urbemque decoram
Tangimus, occurrit quo mihi læta cohors,
Reliquiæ Getici populi, ſimul a Heſpera turba
Me conſanguineo fit duce læta ſibi.
Inde reviſentes te Carcaſſona, Redaſque,
Mœnibus inferimus nos cito Narbo tuis.
Undique conveniunt populi clerique catervæ,
Et ſynodus clerum, lex regit alma forum.
Quis bene compoſitis, nos tandem opulenta recepit
Urbs Arelas, cives quam ſtatuere ſui.
Urbs Arelas, aliis quæ pluribus urbibus extat
Prima gradu tamen eſt, Narbo, ſecunda tibi.
Quo ſynodo cleri, legum moderamine plebis
Pectora contudimus juris & artis ope.
Maſſilia Argolica nos cepit condita gente,
Arvum & Aquinæ urbis, ſive, Cavelle, tuum.
Aſt alias luſtrare vetat per ſingula caſus,
Quarum nos populus quo ſumus omnis adit.
Æquoris inſani fera quas vicinia lædit,
Aere corrupto & tabidus efflat odor.
Quaſque levant colles, aut vallis ſtrangulat ima,
Quas fera pulſat hyems, grando, pruina, nives.
Illic & dumis, & acuta ſtramine cautis,
Abruptiſque cavis continuatur iter.
Ima tenent valles, tendunt ad nubila montes,
Præcipites amnes montis ad arce ruunt.
Magna catervatim nos concio ſæpe frequentat,
Ætas quos dicat ſexus & omnis habet,
Parvulus, annoſus, juvenis, puer, innuba, celebs,
Major, ephebus, anus, maſque, marita, minor.
Quid moror? inſtanter promittit munera plebes,
Quodque cupit, factum, ſi dabit, eſſe putat.
Hoc animi murum tormento frangere certant,
Ariete quo tali mens male pulſa ruat.
Hic & cryſtallum, & gemmas promittit Eoas,
Si faciam alterius ut potiatur agris.
Iſte gravi numero nummos fert divitis auri,
Quos Arabum ſermo, ſive character arat,
Aut quos argento Latius ſtylus imprimit albo,
Si tamen adquirat prædia, rura, domus.
Clam noſtrum quidam ſubmiſſa voce miniſtrum
Evocat, iſta ſonat verba ſonanda mihi:
Eſt mihi vas aliquod ſignis inſigne vetuſtis,
Cui pura & vena, & non leve pondus ineſt,
Quo cælata patent ſcelerum veſtigia Caci,
Tabo & ſtipitibus ora ſoluta virum.
Ferrati ſcopuli, variæ ſeu ſigna rapinæ,
Humano & pecudum ſanguine tactus ager.
Quo furor Herculeus Vulcanidis oſſa retundit,
Ille fero patrios ructat ab ore focos.

b *Heſpera turba me conſanguineo*) Quod Italorum conſanguineum ſe dicit, videndum an referri eo queat, quod de Theodulſo ex Chronicis quibuſdam proditum ſupra retulimus, illum ab Italia, propter ſcientiæ prærogativam qua pollebat, a Carolo magno abductum fuiſſe in Galliam.

Quove genu ſtomachum, ſeu calcibus ilia rumpit,
Fumiſtum clava guttur & ora quatit.
Illic rupe cava videas procedere tauros.
Et pavitare iterum poſt ſua terga trahi,
Hoc in parte cava, planus cui circulus ore eſt,
Nec nimium latus, ſigna minuta gerens,
Perculit ut geminos infans Tyrinthius angues,
Ordine ſunt etiam geſta notata decem.
At pars exterior crebro uſu raſa politur,
Effigieſque perit adtenuata vetus,
Quo Alcides Calydonque amnis, Neſſuſque aiformis
Certant pro ſpecie Dejanira tua.
Inlita Neſſæo feralis ſanguine veſtis
Cernitur, & miſeri fata pavenda Lychæ.
Perdit & Antæus dura inter brachia vitam,
Qui ſolito ſterni more vetatur humo.
Hoc ego ſum domino (dominum me forte vocabat)
Laturus, votis ſi favet ille meis.
Pars numeroſa ſubeſt populi, matrum atque virorum,
Infantum, juvenum, ſexu ab utroque ſimul:
Quos pater & genitrix ſub libertatis honore
Liquere, ex illo libera turba manent.
Quorum ſi chartas vitiem, vaſe ille vetuſto,
His ego, tu donis mox potiere meis.
Alter ait, mihi ſunt vario fucata colore
Pallia, quæ miſit, ut puto, torvus Arabs.
Quo vitulus matrem ſequitur, quo bucula taurum,
Concolor eſt vitulo bucula, boſque bovi.
Splendorem ſpectes, junctamque coloribus artem,
Utque rotis magnis juncta ſit arte minor.
Eſt mihi cum quodam de armentis quæſtio pulchris,
Pro quibus iſta paro congrua dona dare.
Pro vitulis vitulum, pro tauris offero taurum,
Pro vacca vaccam, pro bove dono bovem.
Pocula promittit quidam ſe pulchra daturum,
Si modo quæ poſcit non ſibi dandam darem:
Interiuſque aurum exterius nigredo decorat,
Cum color argenti ſulphure tactus abit.
Quis bene fulcra nitent, & pulchra toreumata. pannos,
Alter ait, dabimus, quæ rogo ſi dederis.
Vitibus atque oleis, herbis ornatus & hortis,
Irriguus patris eſt morte relictus ager.
Inde mihi partes fratreſque ſororque requirunt,
Conſorte hunc nullo ſolus habere velim.
Voti compos ero, tibi ſi mea vota placebunt,
Quæ do ſi capias, quæ rogo rite dabis.
Subripere ille lares ſocii cupit, iſte novales.
Ambo aliena quidem, hic tenet, ille cupit.
Alter ut adquirat, ne perdat aduritur alter,
Iſte enſem & galeam, hic dare ſcuta parat.
Res patris unus habet, frater cupit alter habere,
Et dare vult mulos alter, & alter equos.
Hæc pars dives opum, pars inſtat cetera plebis,
Quod quærant omnes, quodque querantur habent.
Sed nec eis deerat dandi tamen apta voluntas,
Diverſis unus viribus uſus erat.
Magna ut majores, ſic promunt parva minores,
Dum fore quæ cupiunt hac ſibi forte putant.
Iſte tuo dictas de nomine Corduba pelles,
Hic niveas, alter protrahit inde rubras.
Linea qui potis eſt, qui non, fert lanea dona,
Tegmen & hic capitis, hic pedis, ille manus.
Quo facies humore levi palmaſque ſolemus
Tergere, quis dandum textile munus habet.
Scrinia danda parant alii, nec defuit ille,
Cereolas rotulas qui dare vellet ovans.
Singula quis referat? fidebant munere cuncti,
Nec ſe quis quiddam ni det habere putat.
O ſcelerata lues, partes diffuſa per omnes,
O ſcelus, o furor, o res truculenta nimis,
Quæ ſibi captivum totum male vindicat orbem,
Nec deeſt qui det, nec qui male capta ferat!
Flectere ſic properant me, nec tamen eſſe putarent
Talem, ni talis ante fuiſſet ibi.
Nemo in aquis apros, in ſylvis ſquamea dona,

Inque

Inque rogos undis, in face quærit aquas.
Tura Sabæus ager, Gangetis eburnea monſtra,
* Gryphes. Grippes* & Hyrcanus, balſama Syrus habet.
Singula lege ſua, aſſiduo quæruntur & uſu,
Et fore mortales quod fuit ante putant.
At ſua cum cernunt verborum ſpicula frangi,
Et nil promiſſi tela valere ſui,
Meque velut fortem poſt prælia firmiter urbem
Stare, atque arte ſua non potuiſſe capi,
Rem mox quiſque ſuam quærit, ſua quiſque recepit
Jura, nec inſidiis meque ſuoſque premunt.
Sic quicumque videns aditum, quo ſæpe ſolebat
Furari, obſtruſum, ſpe ſine tranſit iter,
Sed ne actus noſtros diſcretio linqueret alma,
Reſve putarentur hæ ſimulanter agi.
Neve forem multis novitate notabilis ipſa,
Horreretque bonum proximitate mali:
Spernere contempſi quæ dat concordia princeps,
Quæ ut ſociet mentes datque capitque libens,
Et commune facit cujus bene poſtulat uſus,
Multaque cum habeat, nil docet eſſe ſuum.
Hæc ego pertractans ſumebam parva libenter,
Quæ non ſæva manus, cara ſed illa dabat.
Scilicet arboreos fructus, hortique virentis,
Ova, merum, panes, cornipedumque cibos.
Sumpſimus & teneros pullos, modicaſque volucres,
Corpora ſunt quarum parva, ſed apta cibis.
O felix omnis virtus, diſcretio ſi quam
Virtutum nutrix temperat, ornat, alit!
Quæ errabunda meos paulo eſt digreſſa per actus,
Ad cœptum redeat noſtra Camœna melos.
Æqua tibi juſtæ ſint Judex pondera libræ,
Ut ſua quiſque libens hac tribuente ferat.
Nec ſit avara lues, nec amor, zeluſque, timorque,
Quæ turbent, firmus ſtet tibi mentis apex.
Pro dolor, his rebus pietas cito pellitur æqui,
Ejus & invadunt frauſque doluſque locum.
Quatuor hæ ſontes, tribus eſt nam ſontior una,
Quæ eſt radix cunctis dira cupido malis.
Muneris invalidas acceptio vertere mentes
Adſolet, a vero juſque fugare pium.
Non ſolum argento res hæc inoleſcit & auro,
Præpetis aut campos ungue cavantis equi,
Murice vel rutilo, gemmis, aut ſyrmate pulchro,
Aut rebus variis quas vela ferre ſolet.
Sed levibus verbis, paribuſque volantibus auris,
Blanditiæ vento mens quibus acta tumet.
Veſtis honos color eſt, marſupia pondere gaudent,
In tenues ventos aura favoris abit.
Scilicet his ſaltim terreni gloria lucri,
Illis econtra nil niſi ventus ineſt.
Judicis ingenium cito turbat munere dives,
Hoc quia ferre nequit, it tremebundus inops.
Hic magis, ille magis ſpondent ſe ſæpe daturos,
Hic tamen adquiret qui potiora dabit.
Eſt quem nec teſtes, nec lex, nec chartula fulcit,
Sicque forum cunctis his ſpoliatus adit.
Omnia fert ſecum, ſi eum libet Accipe dicit,
Omnibus eſt fretus, ſi dare plura queat.
Parcite Cenſores huic ſuccenſere labori,
Tollere qui crimen non adhibere parat.
Non ego quorundam diffundo crimen in omnes,
Cuique ſit ex merito lauſve pudore ſuo.
Heu ſcelus eſt ullis pro rebus linquere verum,
Vendere ſeu gratis quod dare quemque decet.
Nolo dolo rei vel acerba fraude carere,
Et ſi pro juſto munera jure feras.
Arbiter eſt æquum, eſt & iniquum vendere certans,
Nam ſcelus hic unum perpetrat, ille duo.
Hic quia jus vendit, quod debet dedere gratis,
Ille quia id temnit, ſed tamen inde capit.
Qui fera judicio pro recto præmia quærit,
Ille tuum peragit, fraus inimica, nefas:

Qui dare quæ debet gratis pia munia juris,
Indigni pretii penſat avarus ope.
Te ſi forte furor pervaſit peſtis avaræ,
Stet ratio, & docili ſic tibi voce canat:
Cerne quod altithronus temet ſpeculetur ab alto;
Quæque facis ſumma ſingula mente notet.
Qui judex teſtiſque ſimul vindexque malorum eſt,
Qui dare digna bonis ſcit mala ſive malis.
Si tamen e contra Cape munus perſonet illa,
Quod modo des ſociis, poſtmodo temne capi.
Cui victrix ratio contra ſtans Improba dicat
Peſtis abi, & totam ſe tibi reddat agens.
Non ſitis hæc explenda tibi eſt, qua fervidus ardes,
Quo magis hac biberis, hinc tibi major erit.
Æſtuat inde magis, quo plus ligna accipit ignis,
Sic & habere cupit, quo mage quiſquis habet.
Sanguine fit major congeſto ſemper hirundo,
Et magis inde ſitit, quo magis illa bibit.
Ergo ſtudeto precor furioſum pellere morbum,
Me medicante fero vulnere ſanus eris.
Illius alma manus cum te ſanaverit ægrum,
In te hæc regnet, eat peſtis acerba procul.
Cum te cauſarum vocat ad fora turbida clangor,
Eſtque miniſterii res peragenda tui,
Principio loca ſancta libens adeunda require,
Quæ pete, dumque petis fer pia vota Deo,
Et ſupplex expoſce tuos ut dirigat actus,
Nec ſinat ulla geri ni placitura ſibi.
Nam modus eſt cunctis ſervandus in actibus iſte,
Cum res quælibet eſt incipienda tibi.
Jus regnumque Dei cenſemur quærere primum,
Omnia ut hæc nobis adjiciantur ope.
Marmore ſi tali jacias fundamina prima,
Firmius omne pium hinc bene ſurgit opus.
O ſemel, o quater, o numeri ſine lege beatum,
Quod tibi Chriſte lapis inclyte adhæret opus.
Mox de more fori celer appete clauſtra ſonori,
Quo te fors ſpectat litigioſa cohors.
Dum redis, iſque, ſonet ſi verba precantia pauper,
Qui ſe poſt dicat non tibi poſſe loqui.
Cum populo ſtipatus eas, foribuſve ſuperbis,
Plebe inhiante foris, ipſe receptus eris.
Te prope fidus eat juſtuſque piuſque miniſter,
Quo duce poſt tibimet pauper adeſſe queat.
Cui dicas, hominem conſpectibus addito noſtris,
Magna querelosis qui dabat orſa ſonis.
Et reſidens ejus primum bene diſcute cauſam,
Ordine poſt currant ſingula quæque ſuo.
Ad fora fors quæris veniendi tempus & horam?
Accipe conſilium, mane venito, meum.
Perque diem totum non te labor iſte gravabit,
Hinc ſeges eſt major, quo mage quiſquis arat.
Qui legem ut caperet jejunia magna peregit,
Fertur in hoc actu continuaſſe dies.
Vidi ego Cenſores ad juris munia tardos,
Munera nam fateor ad capienda citos.
Hora adſunt quinta, norunt diſcedere nona,
Tertia ſi adducat, ſexta reducit eos.
Nam dare ſi debent, nona; ſi prendere, prima
Adſunt, eſtque citus qui modo ſerus erat.
Sic ſua dum ſonipes frænarier ora lupatis
Senſerit, exiliet, pabula ſponte petet.
Lædere qui ſemper, nunquam prodeſſe paratus,
Sat cito, cum nunquam debeat, ille venit.
Crapula vitetur ſemper, plus tempore eodem,
Quo pia juſtitiæ lora regenda manent.
Nam qui ſe nimiis epulis ſomnoque ſepelit,
Corporis atque animæ vim ſibi demit hebes.
Cum venit ad cauſas nudatus acumine ſenſus,
Marcidus & ſegnis & ſine mente ſedet.
Dum ſit in ambiguo cauſæ ſollertia habenda,
Quæſtio & alterna ſit vice verſa diu.
Ille piger, madidus, ructans, temulentus, anhelus,

Oſcitat, emarcet, nauſeat, angit, hebet.
Et modo juncturas dicit, modo viſcus ineſſe,
Et modo tota ſimul membra gravata ſibi.
Inficit hunc primum ſomnus poſt vina dapeſque,
Proximus eſt illi luxuriare labor.
Ergo caveto cibos nimios, carcheſia Bacchi,
Somnos, hæc mentem ſingula ſæpe premunt.
Hæc ut parva fovent ſtomachum, ſic plura gravabunt,
Multa aqua farra necat, cum mediocris alat.
Ebrius a populo furtim ridebere cuncto,
Innuit hic illi, moxque notatus eris.
Sobrius ora movens a plebe verebere cuncta,
Certatim & facient quæ facienda dabis.
Quos pia commendat probitas, quos actio juſta,
Introduc proprio nomine quemque vocans,
Hi tecum ingenti cura tractentque legantque,
Veſtigentque viam quæ ad meliora vocat.
Janitor interea turbam compeſcat hiantem,
Ne ruat interius plebs ſine lege furens.
Neve querelifero denſentur tecta tumultu,
Qui minus auditur, quo magis ille boat.
Præmia ne quærat moneatur janitor ipſe,
Sæpe capi a populo quæ veniente ſolent.
Eſt ſcelus a populo pretium ſperare querenti,
Me miſerum, ſcelus hoc janitor omnis amat.
Janitor omnis amat, non hoc tamen arbiter odit,
Vix de mille unus qui horreat illud erit.
Sunt variæ vires, amor eſt tamen unus habendi,
Qui potius furor eſt, quam vocitandus amor.
Hæc nocitura lues totum circumvolat orbem,
Magnam hominum partem quæ furioſa vorat.
Tabe fatigatur hac ætas omnis & ordo,
Virgo, puer, vetulus, ſexus uterque ſimul.
Magna velut magni cupiunt, ſic parvula parvi,
Muſio mure facit quod leo torvus ove.
Compoſitis igitur cunctis per ſingula rebus,
Poſcit ut officii tempus & ordo ſui,
Sedibus ordinibus populi reſidente ſenatu,
Cum te ſuſceptum ſella curulis habet:
Hos circumſpiciens adfare hinc talibus orſis,
Sicque pio hos tecum mentis amore mone.
Diſcite juſtitiam, cæleſtia diſcite juſſa,
Quæ pater altithronus ſanxit ab axe poli.
Hanc Deus, hanc vates, hanc leges, hanc quoque princeps
Percenſent, hæc vis pectora noſtra regat.
Si nos illa regat, populos nos rite regemus,
Mens bene cuncta regit, quam Deus ipſe regit.
His aliquantiſper monitis verbiſque morare,
Guſtumque egregium legis ab amne dabis.
At ſi forte levi ventoſa ſuperbia niſu
Te petere affectet, te lacere velit,
Torva oculis, horrenda manu, fœdiſſima rictu,
Vipereumque caput corpus & omne tumens,
Mens tumefacta cui, levis actio, turgida vox eſt,
Cui cibus & potus atra venena manent,
Pro greſſu ſaltus, pro plantis pinna volucris,
Remige quo labi quivit ab axe poli,
Et memor antiqui ſceleris ſuper æthera facti,
Utens arte ſua qua petit ima Stygis:
Qua te ſublimem qua celſum ſibilet intus,
Plebibus ut miſci dedecuiſſe putes:
Ecce humilis plebis fieri pars una laboras,
Dum pius & clemens omnibus eſſe cupis.
Ordo graduſque tuus levat ad ſublimia temet,
Cur te ſponte premis qui loca celſa tenes?
Nam ſi perſpicias, non hic mediocriter erras,
Cum te degenerem ſimplicitate facis.
Cum tibi nemo queat obſiſtere, nemo reniti,
De capite in caudam cur, maleſane, ruis?
Cœperit ut cæcum ſub pectore vivere vulnus,
Aut quod erit pejus jam fluitare foras,
Vis humilis ſtatim exiliat, prudentia cujus
Sit collega piis viribus arma ferens.

Splendor in ore quibus, radiantes lumine veſtes,
Vultus erit comis, ſingula pulchra ſatis.
Nobile par tantum horrendum inſurgat in hoſtem,
Et, procul hinc peſtis improba dicat abi.
Improba dicat abi, ſociis te Manibus adde,
Quorum ſors ſorte eſt adcumulata tua.
I, pete Cocytum, Phlegetontis mergere fundo,
Quo tuus inventor trux cruciandus erit.
Quique Dei tecum voluit conſcendere ſedem,
Sede pia tecum lapſus in ima jacet.
Quo rueret tecum ſine te, quo ſcandere poſſet,
Dum firmamenti in ſede maneret, erat.
Sarcina tu gravis es dignis, geſtamen iniquis.
Eſque auriga malis, pondus inorme bonis.
Quos petis infelix, quos lædere niteris ægre,
Non tua, ſed Chriſti eſt bene turba ſequax.
Æthere qui veniens patefecit ad æthera callem,
Quo via clauſa diu, nunc adaperta patet.
Qui de terrenis trahit ad cæleſtia ſemper,
Cum tu de ſuperis ſemper ad ima trahas.
Ille locat proprios cæleſti in ſede ſequaces,
Tartara tu mergis in metuenda tuos.
His jaculis correpta lues, hac cuſpide abacta
Cedat, ut abſcedunt ſole fugante nives.
Hinc fera vulnifici fugiant veſtigia monſtri,
Vulnus & hoſte datum ſanet amica manus.
Hac abigat ferro hoſtem, qua medicamine morbum.
Ejus & hæc detur voce medela tibi.
Adſpice ne vitiet tumidus praecordia faſtus,
Dum loca ſublimis editiora tenes.
Dumque favent populi, vallaris pluribus unus,
Undique te ſeptum proſperitate putas.
Neve quid es demant oblivia ſegnia menti,
Ultima ſit ſemper conſpicienda dies.
Ut valeas omni vitiorum ſorde carere,
Hoc quod es adſpicito, non tamen id quod habes.
Ipſe licet ſedeas gemmis ornatus & oſtro,
Poſt carnis putridus tempora pulvis eris.
Corpus enim fulvo quod nunc accingitur auro,
Serica quod vario palla colore tegit,
Squalenti ſqualens olidum gelidumque putenti,
Pro dolor, intectum veſte premetur humo.
Quod mare, quod terra, quod & aer geſtat edendum,
Poclaque pulcra cui tu tribuenda paras,
Eheu tabificæ putredinis ore vorandum eſt,
Eheu ſordidulus poſt cinis illud erit.
Et caro, quæ muſco redolenti & fragrat amomo,
Quæque peregrini tergore muris olet,
Nidorem labefacta dabit, ſanieque madebit,
Omne quod offendat, nil quod ametur habens.
Quemque tegunt celſis laqueata palatia tectis,
Parvaque conquereris culmina magna ſatis,
Clauſus in anguſta modicaque teneberis urna,
Vixque domus tibimet corpore major erit.
Quemque catervatim populus hinc inde frequentant,
Plebs parere parat iſta vel illa tibi,
Poſtmodo ſolus eris habitator ſolius antri:
Cauſa videndi te quæ niſi luctus erit?
Sed nec erunt ſocii, niſi qui tua viſcera rodant,
Quis cibus eſt genitrix, qua ſine vita brevis.
Mille greges redeant tibi quanquam, armentaque mille,
Finitimuſque tuam nemo coartet humum:
Omnibus ipſe carens inamati tegmina buſti
Rebus inops rerum pauperiora petes.
Corpora ſufficiunt nec ad unum plura vehendum,
Par color eligitur, corpus & omne decens.
Bis bina es cervice tamen tum ſorte vehendus,
Cum jam extremus erit & lacrymoſus honor,
Ferreus & gelidos ſomnus diſſolverit artus,
Cumque breve arripies non rediturus iter.
Plura quid enumerem? viſu quod cernitur aptum,
Viſibus humanis quod favet atque placet,
Poſt vitam vermis, poſt vermem pulvis habebit,

Voce tonantis erit, cum redit, unde venit.
Corporis hæc lex eſt terreſtri figmine creti,
Altera vis animæ eſt, æther origo cui.
Carcere quæ truſa eſt tandem generoſa caduco,
Terrea quamque domus comprimit atque gravat.
Hæc duo ſic jungit elemens elementa creator,
Ut maneat vivus ac moribundus homo.
Juncta ſimul vitam, mortem reſciſſa miniſtrant:
Vivere adeſſe ſibi bis eſt, & abeſſe mori.
Diſpare ſed curſu, repetunt terreſtria terram,
Cæliea nam ſeſe reddit origo ſuis.
Ut cælis aer, tellus huic infima cedit,
Sic animæ corpus debet ubique ſuæ.
Heu quantum ſcelus eſt animæ præponere corpus,
Et rem mortalem non moribunda tibi,
Ancillam dominæ, piperi præferre cicutam,
Plumbum auro, gemmis ſordida ſaxa bonis.
Præſideat menti Deus, hæc quoque provida carni,
Hæc vegetante anima vivat, & illa Deo,
Ordine quo tali probus ad ſublime traharis,
Et tua mens fugiat infima, celſa petat.
Cumque erit illa dies quæ nil niſi corpora quaſſat,
Terra tegat corpus, ſpiritus aſtra petat.
Hanc ſtatue ante oculos, hanc ſemper mente voluta,
Ut quidam quondam Rex ſapienter ait:
Ultima nam tua ſunt, careas peccamine ut atro,
Actibus in cunctis commemoranda tibi.
Nam tua ſi quid eris meditatio ſedula tractet,
Raris aut nullis inficiere malis.
Hæc ſi perpendas, poſt mortem vita perennis,
Parte eris & vives mox meliore tui.
Cumque gravis litui clangor concuſſerit orbem,
Prodieriſque urna jam redivivus homo,
Sedibus & rurſus dederit ſe mens tua priſcis,
Cœtibus angelicis connumerandus eris.
Finierint, propria tu ſtatim in mente tribunal
Juſſa peracturus ſponte parabis eis.
Conſcendant, ſedeantque ſimul, doceantque, regantque
Omnem animi motum mentis ab arce tuæ.
Hac ope munitus, talique juvamine fultus,
Currat inoffenſo pes tibi calle celer.
I cito, fare puer, de pluribus elige quoſdam,
Qui loca finitimis non propiora colunt.
Proque ſuis cauſis iſtic venere, vel illos,
Qui quamvis prope ſint, plebs tamen extat inops.
Quis ſi mixtus erit proprius, ne proice cives,
Ejus cauſa ſonet quilibet intus erit.
Ne ſi proieias, rediens venientibus obſtet,
Atque ſibi impediant dum hic it & ille redit.
Diſcute cunctorum vigilanti indagine cauſas,
Quo finire queas ordine quamque ſuo.
Has bene diſce prius, quantum has diſcere debes,
Job tibi in exemplum verba parantur; ait,
Lumen eram cæeo, greſſus moderatio claudo,
Pauper & invento me patre tutus erat.
Quærebam ignotæ ſollers ſinuamina cauſæ,
Quis poteram ſtudiis, quo mihi nota foret.
Nec cito feſtines ad cauſæ tendere finem,
Nec lento aut nimium hanc pede volve piger.
Nec lentum torpor, celerem te nubilet error,
Inter utrumque malum pes tibi tutus eat.
Finge aliud dum cauſa latet, mox cauſa pateſcet:
Ne male fallaris, tu bene falle prius.
Nex falſa infantis falſæ mendacia matris
Propulit, & carum vera recepit onus.
Hæc Salomoniaeam res vexit ad ardua famam,
Fitque timor populis, & via laudis ei.
Sæpe ſuas ſemperque ſolent convolvere cauſas
Magni, cum propria re ſine pauper eat.
Hos tibi tu ſocios in cauſis adde minorum,
Poſtpoſitiſque ſuis te bene quiſque juvet.
Qui patre ſeu matre orbatur, vel ſi qua marito,
Iſtorum cauſas ſit tua cura ſequi.

Horum cauſiloquus, horum tutela maneto,
Pars hæc te matrem noverit, illa virum.
Debilis, invalidus, puer, æger, anuſve, ſenexve,
Si veniant, fer opem his miſerando piam.
Fac ſedeat qui ſtare nequit, qui ſurgere prende,
Cui cor voxque tremit, peſve manuſve, juva.
Dejectum verbis releva, ſedato minacem,
Qui timet, huic vires, qui furit, adde metum.
Turba ciet lites, multarum & prælia vocum,
Acri perſtringes voce, ſonoque gravi.
Anſeribus raucis, cornicibus atque nigellis,
Qui ut recinant omnes mos ſolet eſſe ſimul.
Ni taceant, impone minas, tamen uſque caveto
Ad fera ne faciles ſint tibi verba manus.
Corporis arx plano, ne recto pectora ſunto,
Pulſa tuo baculo tunc alicujus ibi.
Diſpare convenient variæ vi more catervæ,
Hic nequit, ille valet, nolet hic, ille volet:
Tu rege ſollerti varios moderamine motus,
Quidque cui expediat providus adde loco.
Comprime ſi velox, ſi tardior argue tardum,
Ocior ut hic ſit, tardior ille tamen.
Inſtrue ſi ſtolidus, ſi callidus adtrahe fræna,
Hic ſua ne perdat, hic ne aliena petat.
Tardiloquum moderare libens , nimiumque loquacem,
Conferat atque manus una duabus* opem.
Ne ſua, ſi tardus, reticendo negotia perdat,
Amplius aut juſto neve aliena petat.
Vel ne verboſus ventoſæ turbine linguæ
Obruat inceptam remque modumque rei.
Dumque ſinis vacuis medias ſermonibus horas
Ire, ſine effectu reſque dieſque meent.
Eſt ſua qui nequeat explere negotia fando,
Et male rem mutilat inſcia lingua ſuam.
Ac veluti ſi quis tenſo curvamine cornu,
Dum mavult hoſtem, ſeque ſuoſque ferit:
Sic nocitura ſibi dum promit fæmina talis.
Figitur heu jaculo mox miſer ipſe ſuo.
Hujus remigium verbis tu præbe ſalubre,
Ne ruat hunc retine, ſi ruit ipſe leva.
Cum perplexa forum reſonabit cauſa per omne,
Laſſet ut ambiguo teque ſuoſque ſuo,
Indic cauſidicis ab utraque ſilentia parte,
Ne jus perturbent dum ſua quiſque boat.
Cumque viris paucis, omni reticente caterva,
Rem bene volve libens atque revolve diu.
Quatenus invento tandem ſine crimine calle,
Lis fera ſedetur, jus ſua cuique ferat.
Adſpice præterea, prope te quicumque ſedebit,
Ne prece ſeu donis jus vitiare velit.
Cujus fors auris jam leni tacta ſuſurro eſt,
Cui catus hinc quiddam innuit, inde vafer.
Hic oculis ſignum, manibus vel conferat ille,
Aut modus hac in re quilibet eſſe poteſt,
Hiſque favere velit, ſeſe tibi prodere nolit,
Fluctuet hinc anceps, dum cupit atque timet.
Haud aliter quam cum meditatur adultera ſtuprum,
Hinc ſcelus affectat, inde flagella timet,
Sæpe mali ſocii ſocium contagia lædunt,
Læditur ut pecoris proximitate pecus.
Temne putare æquum qui ſeſe celat iniquum,
Ne te dum neſcis ad ſua probra trahat.
Sic ſe fur ſocium ſimulat, nociturus ut intret,
Sicque latent dulci mixta venena mero.
Eſto & ſollicitus propriæ de parte jugalis,
Ne mentem maculet inlicіendo tuam.
Oſcula quæ genibus, manibus, colloque, geniſque
Blanda dabit, miſcet lenia verba quibus,
Sueta preces tali proprias armare veneno,
Armat ut arcitenens impigra tela ſuo.
Si tua mens fuerit munita caſſide forti,
Tela ut conſpiciat hinc reſilire ſua,
Inde gemens rediet, ficta & ſuſpiria dando,

* ſ duobus

Flenſque ſuas pondus non habuiſſe preces.
Mox puer, aut nutrix, aut ſors aneillula mendax,
Cur dominæ, dicet, deſpicis orſa meæ?
Hæc vultu verſo tacito dabit iſta ſuſurro,
Qui modo conſpicitur eſt mihi ſemper honor,
Quæque petunt aliæ referunt, proſuntque, nocentque,
Voti nullius aſt ego compos eo.
Illa roget demum, dicent, & ad oſcula currat,
Et tibi, cur pateris eſſe moleſtus ei?
At tua mens pugnet, redeunti obſiſtat ut hoſti,
Bellaque ne vincant te reeidiva time.
Neve mali quid agat, teque id juſſiſſe loquatur,
Sis vigil, & cura qua potes uſque cave.
Ignorante viro pridem regina peregit,
Inſontem ut premeret ſaxea grando virum.
Nec minor in propriis eura eſt adhibenda miniſtris,
Quis comitatus ines, ſunt prope quique tibi:
Ne fera peſtis eos, illi tua pectora lædant,
Et tua commaeulent intima tabe ſua.
Qui ut capiant capias, ut poſſint ſumere ſumas,
Cogent ſi poterunt, tu vigil eſſe ſtude.
Qualibet e turba te res ſecedere coget,
Seeedant alii, proximus unus erit.
Eſſe tibi propior quieumque videbitur illis,
Horum & conſiliis hæc tibi verba dabit.
Ne rogo, ſperne preces mihi quantas aſt ego vobis,
Me audaeem pietas nam facit ecce tua.
Si faveas votis, eſt qui dare præmia quærit,
Sunt bona quæ dantur, qui dat & ipſe bonus.
Illa vel illa tibi dare præparat ille vel ille,
Quæ ſine peccati pondere habere vales.
Addet ut inlieiat vafer hic ſuaſoria verba,
Cujus jam nummis eſt onerata manus.
Hunc hydrum, hunc cenehrin, hunc evitato ceraſtem;
Hic ſeps, hic dipſas, hic tibi præſter erit.
Cenſor habere ſolet torvoſque truceſque miniſtros,
Qui tamen & pius eſt & pietate viget.
Sic tibi Seylla ferunt facies humana videtur,
Sed ean:bus horrent inguina ſæva feris.
Res ſtat in ambiguo, perſtat hie, denegat ille,
Eſt & non reboant, quæ duo plura movent.
Semine de quorum humanas agitantia curas
Germina cauſarum, ſeu ſeges ampla ſubit.
Quærantur teſtes ut cauſæ nubila demant,
Et vero dubium qui ſubeunte fugent.
Horum tu ſollers famamque genuſque require,
Nomina ſeu mores, & loca ſive fidem.
Aceipe ſi probus eſt, ſi reprobus, exime prorſus:
Poma ut acerba eibo reicis, ut apta capis.
Non hos ſuſpieio, vel res audita, vel aurum
Fulciat, hæc referant quæ ſibi viſa manent.
Utque fidem elicias, ſejunctim diſeute eoſdem,
Et quæ quiſque canat ſingula verba nota.
Si duo ſunt, ambos; ſi plures, diſſice plures;
Si tres, ſejunctis lex ſit & iſta tribus.
Præſcius areani, tutor caſti, almus ephebus
Hoc in Aebæmenio rure peregit opus.
Inde ſenes reprobos compreſſit ſaxeus imber,
Quos nubs nequitiæ preſſerat ante nigræ.
Diſſoeiato malos, eerta ſociare benignos,
Ut minus illa obſit, plebs juvet iſta magis.
Ut mala quæ mage ſunt, magis obſunt, ſic bona proſunt:
Dant ut oves plures lac, ita damna lupi.
Nec meditata prius te horum pellacia vincat,
Aſpice neu falſus ſermo ſed unus eat.
Quos bene deprehendens, iterumque iterumque requirens,
Ambage & verbi ſi variando trahas.
Temnite falſa loqui teſtes, reticereque vera,
Quamvis diverſa, quæ duo parte nocent.
Vera tacens, & falſa loquens, duo nequiter errant,
Hic quia non prodeſt, hic quod obeſſe cupit.
Et malus eſt unus, minus eſt tamen utilis alter,
Et quanquam diſpar, error utrumque tenet.

Nam minus hic quamvis delinquat, & amplius ille,
Non errore procul diſtat uterque ſibi.
Deiicit hic ſtantem, hic temnit relevare jacentem,
Iſte nocendo premit, ille ſinendo nocet.
Sæpe poteſtatum cauſa male linquitur æquum,
Et favor atque metus vera tacendo premunt.
Unde pavenda manet cæleſtis judicis ira,
Cum videt humanas res ſuper eſſe ſuis.
Sis vigil interea, ne dum vis promere vera,
Quilibet intereat proditione tua.
Dignus morte manet ſons, noli prodere ſontem,
Nec tua vox pandat ſanguinis ejus iter.
Felix qui potuit miſeros a clade levare,
Actuque & lingua ferre ſalutis opem.
Ad mala damnandi ſi quædam ſentiat inſons,
Credulus & judex teſtis & ater erunt.
Eſt tribus infeſtus perſonis teſtis iniquus,
Cenſori, inſonti, ſeu tibi, ſumme Deus,
Quem male jurando ſua per perjuria temnit,
Cujus & in vanum nomen herile petit.
Hinc quoque cenſori, ſua quem mendacia fallunt.
Et ligat erroris nexibus ille ſui.
Poſtremo inſonti, quem dictis lædit iniquis,
Cui parat ingenio damna pavenda malo.
Milvus ut ad carnem, piſcis feſtinat ad hamum,
Adque favos urſus, ad loca ſalſa pecus,
Sic ruit ad munus capiendum teſtis iniquus,
Proque malo magno præmia grata capit.
Vendere ſi verum ſcelus eſt, quid vendere falſum?
Vis ſcelus & ſceleri jungere teſtis atrox?
Parcite veſtra precor mendacia vendere tales,
Grata hæc ingratis ſi mihi detis erunt.
Quæ nec emenda bona, nec erant vendenda moneta,
Mercandus vano pulvere pulvis erat.
O merces, merces, mercede nocentior omni,
Dantem & captantem quæ necat una duos.
Hinc perjurandi peſtis ſuccedit iniqua,
Dum quis vult falſis rebus ineſſe fidem.
Qui prece, qui lacrymis, qui falſo murmure fallunt,
Sunt quis ſæpe venit hac quoque parte fides.
Quiſquis es, aſſidue moneo, jurare caveto,
Res quia jurare eſt, crede, pavenda ſatis.
Non quia res mala ſit, vel ab alma lege remota,
Sed crebro dum ſit, in ſcelus itur hians.
Non niſi qui loquitur poterit mentirier ullus,
Somnia, ni ſtertas, cernere nemo vales.
Non cadet in bello niſi qui fera prælia tentat,
Nec niſi tentet aprum dente feritur apri.
Naufragus eſt nullus, niſi ſulcet puppibus undas,
Nullus in igne perit, ſi ſit ab igne procul.
Et niſi qui jurat peragit perjuria nullus,
Quod niſi quis metuat, hac lue captus erit.
Cum capit auditor durus tua verba vel anceps,
Eſt eſt, & non non, hæc ea cuncta ligent.
Sunt & quæ excuſant jurandi pondera verba,
Quis uti culpæ fors ſine ſorde vales.
Si perſtat muſſans, exemplis & ratione,
Atque argumentis huic adhibeto fidem.
Si nec ſic credit, ſi ſaxea pectora geſtat,
Sit tibi linquendus, mox bene tutus abi.
At ſi jurandi te cauſa perurget & artat,
Id puris verbis, id gere mente pia.
Nec verbi arte puta te fallere poſſe Tonantem,
Cui nihil abſtruſum eſt, cui bene cuncta patent.
Qui non ut juras, ſed ut is juraſſe putavit
Cui juras audit, ſicque es utrique reus.
Nempe Deo, in vanum cujus vis ſumere nomen:
Seu ſocio, quem atra fallere fraude paras.
Si ſcelus ut facias jures, vota irrita ſunto:
Hoc illo eſt gravius, vulnus utrumque tamen.
Vulnera prava minus, magis & majora fatigant,
Felix qui nullo vulnere læſus abit.
Si cenſura prius, pietas poſt, præmia nunquam

Sint

Sint in judicio, eſt quoque Chriſtus ibi.
Lex auferre jubet capita ſcelerata reorum,
Crus, genitale decus, lumina, terga, manus,
Membra cremare rogis, ori perfundere plumbum,
Vel ſi qua humana condita lege manent.
Facta coercendis probroſis actibus illa eſt,
Temperet hanc pietas per mediocre bonum:
Ut nec probroſis ſit conniventia rebus,
Nec vitam aut artus auferat atra manus.
Eſto reis talis, tibi vis qualem eſſe Tonantem,
Parcere quis tandem qua potes uſque ſtude.
Et forſan lecto dicet quis carmine noſtro,
Iſte jubet nulli fræna tenere malo.
Me tibi conſilium legat hoc in carmine dantem,
Quo tua mens inſtans vitet utrimque malum.
Neve remiſſus eas ſat, neu truculentus & ater,
Proderit ancipiti lata medela malo.
Non jus crudelem, non det miſeratio ſegnem,
Namque æquo ſi ſit pluſve minuſve, nocet.
Sæpe latet vitii virtutis imagine peſtis,
Et magis inde nocet, quo minus illa patet.
Scilicet ut quidam crudelia geſta peregit,
Juſtitiæ ratus eſt ſe tenuiſſe viam.
Corripe tu vinclis ſceleratos, corripe flagris,
Teque ſibi durum plebs vitioſa ſciat.
Attamen in miſero chalybem ne tinge cruore,
Hoſtibus & chalybem, prome flagella reis.
Ne ſi diſſimules, vitiis dicare favere,
Si gladio utaris, trux tibi nomen eat.
Cum veniant alii leges defendere prompti,
Atque reos variis dilaniare modis,
Et dicant, Non nos, ſed lex hos priſca trucidat,
Utilis hæc nex eſt, quæ mala plura vetat,
Noſtra miniſterii leges complere ſecuris
Debet, & obſequium non ſcelus illud erit.
Ille ego ſim, redimam miſerorum qui agmina multa
Ille ego ſim, plures qui cruce clade levem,
Quem turba infelix lacrymoſis ſpectet ocelis,
Cernere quemque tremens cætus anhelet inops,
Quo viſo repetant prope mortua corpora vires,
Spes viſu creſcat his & utrimque calor.
Submiſſurus eram, petiturus litora, vela,
Quo tibi grata quies feſſa carina foret.
Sed tamen apparet tranſacto gurgite nobis
Parvula pars magni prætereunda freti.
Eſt merito jungenda tibi de paupere turba,
Divite quæ premitur, cura, libelle, brevis.
Namque inopum curam recinat pars ultima habendam
Cui prior artis erat jura tenenda cani.
Pauperibus quicumque praes, mitiſſimus eſto,
Teque his natura noveris eſſe parem.
Non hos conditio tibimet, ſed culpa ſubegit,
Quæ dedit ut homini ſubditus eſſet homo.
Horum te ſudor, horum ſolatia ditant,
Pluribus his junctis ditior unus ines.
Flumina concurſu creſcunt majora minorum,
Proficit & dives pauperis auctus ope.
Corpora pingueſcunt alieno corpore paſta,
Vivit & alterius morte refecta caro.
Fortior invalidum, puſillum comprimit ingens,
Creſcit & hinc major, deficit unde minor.
Hoc capus accipiterque gerunt per litora curva,
Hoc lupus in ſilvis, piſcis in amne facit.
Sic fera ſæpe fera, ſerpens ſerpente necatur,
Sic imbelle manet nil niſi preda pecus.
O genus exemplum fugito mortale ferarum,
Nec homo ſit homini quod fera torva feræ.
Non opibus ſpolietur inops, non crimine falſo
Addictus cenſum det miſer ipſe ſuum.
Ah quoties it avara lues ſub nomine recti,
Incipit & nomen legis habere furor!
Quodque miſer perdit, perhibetur perdere juſte:
Quodque rapit dives, tollere jure putat.

Eſt fur, eſtque fugax, huic fraudis conſcia mens eſt,
Hic male mentitur, hic rapit atque clepit.
Hic male ſervitium ſtuduit contemnere noſtrum,
Proximus eſt noſter quem fugit ille diu.
Stipes eis plantas, connectant vincla lacertos,
Facta ut iniqua canant, lorea flagra ferant;
Talia perſultant miſeros cum lædere malunt,
Cum re non vitiis hos ſpoliare volunt.
Flebilior ſed iniqua gerens qui ſuſtinet illo eſt.
Hic quod agendo perit, ille ferendo viget.
Sicque bono proſunt crudelia facta maligni,
Sic auri ſero dite politur opus.
Namque juvare ſolet pravorum ſævior uſus
Juſtos, quo afflicti cælica regna petunt.
Quo premit Hebræam mage plebs Memphitica gentem,
Ad promiſſa magis tendere rura parat.
Ne violentus eas miſeris, ſed blandior eſto,
Vota quibus forſan ſunt meliora tuis,
Hos nec operta fraus, nec aperta licentia lædat,
Securi & tuti ſint ab utroque malo,
Ne reputa diras ſed certa ignoſcere culpas,
Quis ſine in hac vita vivere nemo valet.
Debita qui ſemper tibimet laxanda precaris,
Hoc inopi facito, quod petis ipſe Deo.
Ne tua ſi miſerum levet indulgentia nullum,
Cum petis hanc, ejus deſtituaris ope.
Sic dum conſervo contemnit parcere ſervus,
Iram in ſe juſti mox revocavit heri.
Parcere mortalis mortalibus ergo parato,
Cum quis naturæ lex manet una tibi.
Quiſque tuo diſpar ſi ſit per proſpera curſus,
Ortus & occaſus qui tibi, par & eis.
Fons ſacer hos tecum beat, inlinit unguen avitum,
Atque agni ſatiat hos caro ſive cruor.
Ut pro te vitæ eſt, pro his quoque mortuus auctor,
Quemque & pro meritis ad ſua dona vocat.
Hic ſubmittantur tranſacti carbaſa libri,
Litore in hoc tenet ancora jacta ratem.

THEODULFI
EPISCOPI AURELIANENSIS
CARMINUM LIBER SECUNDUS.

I.

[a] VERSUS IN FRONTE BIBLIORUM
quæ ipſe deſcribi fecit.

Quicquid ab Hebræo ſtylus Atticus atque Latinus
Sumpſit, in hoc totum codice lector habes.
Quo loca prima tenet Geneſis, primordia mundi
Diluviumque canens, geſtaque magna patrum.
Exodus Ægyptum ſpoliat, ſecat æquora rubra,
Pandit iter eremi, lympha ibi lexque datur.
Inde ſacerdotum gentem Leviticus ornat,
Et typica exponit dona ſacris typicis.
Bella viroſque liber Numeri deſcribit & actus,
Queis Moyſes fregit idola, ſtupra, duces.
Poſt repetit legem, populo benedicit, & alma
Jura dat, ac dicto carmine victor obit.
Dividit hinc proprio terram Naveginus heros
Libro, deletis urbibus atque locis.

a *Verſus in fronte Bibliorum*) Perſtat hodieque in Memmiana Bibliotheca egregii operis illuſtre monumentum, idem ipſe Bibliorum codex, quem Theodulfus olim exarandum curarat, cum iiſdem ipſis verſibus, quos in libri fronte aureis characteribus expreſſos collocarat. quoſque nunc indidem multo quam hactenus emendatiores damus. Ex his verſibus, & ex operis præfatione, quam ſubjiciam*, cujuſmodi fuerint Biblia Theodulfi, ſacrorumque in his librorum quis numerus & ordo, perſpicere eſt.

* *poſt ipſum carmen.*

Pridem Judicibus quis & ordo cucurrit & actus,
Continuante ſtylo, concinit inde ſequens.
Moxque ſedent quæ Ruth Moabitis femina geſſit,
Clara piis meritis, clara nepote pio.
Pſalmicanique actus, & iniqui geſta Saulis
Prime ſequenſque liber hinc Samuelis habes.
Tertius & quartus, Malachim queis nomen inhæſit,
Regum Hebræorum ex ordine geſta canunt.
Hinc ſedet Eſaias, Chriſtum de virgine naſci
Qui canit, & gentes ad pia jura vocat.
Hunc prope Hieremias, qui virgam ollamque tuetur,
Ordine quadruplici flebile texit opus.
Partibus Ezechiel ſummis obſcurus & imis
Hinc eſt ſtirps qui hominis more vocatur heri.
Poſt duodenus ineſt Vatum pius ordo minorum,
Longe aliud ſignans quam ſua verba ſonent.
Nam mœcham & prolem Joſeph creber intonat Oſee,
Samariam, Ephraim, Geſdrabel & viduam.*

* MS. Reg. Geſrahel.

Hinc Johel everſum prius atris cladibus orbem,
Flaminis adventum concinnit inde pii.
Quatuor æque tribus probris regna increpat Amos,
Se & vidiſſe hoac myſtica plura ſatis.
Percutit Abdias Edom almi cuſpide verbi,
Æmulus & fratris illius ore ruit.
Naufragio Jonæ ſignatur paſſio Chriſti,
Ninivis & vitam nomine mundus habet.
Filia latronis vaſtatur famine Michæ,
Quod ducis Iſrael læſerit illa genas,
Voce Naum pulſat conſtantis ſanguinis urbem,
Pacicanoſque boat montis in arce pedes.
Abbacuc interno in cruce Chriſtum ſpectat ocello,
*Cornibus his vis eſt, cjus operta ſonat.**

* MSS. Reg. Colbert. & Memmiam tonat.

Promie Sophonias a porta & colle quod audit,
Plangorem indigenis fert quoque pila tuis.
Aggeus inſtaurat templum, celſumque Tonantem
Moturum recinit æquora, rura, polum.
Myſtica Zacharias poſtquam videt ordine plura,
Seſſorem Dominum dicit, aſelle, tuum.
Muneta Malachias populi inquit abacta prioris,
Agmina cumque ſuis gentium amata Deo.
Job quoque verba tenens cum geſtis inde libellus
Ponitur, hic parvus pondera magna vehit.
Mox dulcis dulcem depromit cantio Chriſtum
Pſalmorum, lyrici quos ſtatuere pedes.
Protinus Ididiæ reſident tres ordine libri,
Cui nomen Salomon, ſive Cohelet ineſt.
Alloquitur primus ſub prolis nomine cunctos,
Corrigic & mores ethica lege tua.
Omnia vana canit rutilo ſub ſole ſecundus,
Cui res eſt phyſicas enumerare labor.
Tertius Eccleſiæ thalamum Chriſtique perornat,
Rebus & in logicis vertitur cjus opus.
Inde philiſtoricus Daniel eſt totius orbis,
Omnia qui lapidem frangere regna canit.
Hinc duo ponuntur, queis nomen Verba dierum eſt,
Promere ſive labor geſta genuſque Ducum.
Ponitur hinc Eſdras, legem templumque reformans,
*Et reditum Iſrahel ad ſua * regna canens,*

* MSS. Reg. & Colbert. rura,

Eccleſiæque typum referens mox ſcribitur Heſter,
Quæ plebi extorri lauſque decuſque fuit,
Poſt liber eſt poſitus, cui dat Sapientia nomen,
Quod Chriſti adventus morſque pateſcit ibi.
Protinus aptatur liber Eccleſiaſticus iſti,
Quo pia jura ſonant, lauſque beata patrum.
Hinc pia pauperies, pietas & opima, beate
Eſt Tobi libro rite notata ſuo.
Scribitur inſignis Judith mox femina facti,
Inceſtus cecidit qua feriente furor.
Hinc gemini libri ponuntur Macchabæorum,
Geſta quibus fratrum quatuor alma ſedent.
*Promit aperta novæ Chriſtum hinc * buccina legis,*
Tegmine quem typico prompſit opera vetus.
Matthæus, Marcus, Lucas, ſanctuſque Joannes,

* MS. Colber. hinc hinc

Vox tonat hunc horum quatuor una ſimul.
Primus ab humana quia cœpit promere gente,
Humani formam ſchematis inde vehit.
Avia terribili perſtringit voce ſecundus,
Scribitur & ſpecies inde Leonis ei.
Eſtque ſacerdotii quia rebus tertius orſus,
Forma juvenealis hinc ſibi rite datur.
It quia verborum pennis ſuper æthera quartus,
Hinc aquilæ ſpecimen celſa petentis habet.
Quatuor atque decem hos Pauli ſcripta ſequuntur,
Quæ orbi miſit ovis, qui lupus ante fuit.
Romulidas revocat a legis pondere prima,
Atque Evangelicam cenſet habere fidem.
Arcades inlectos diverſo errore ſecunda
Ad veram ſcriptis convocat alma fidem.
Pœnituiſſe placet, ſolatur tertia eoſdem,
Laudanſque hortatur ad meliora ſimul.
Ad fidei Galatas deducit quarta vigorem,
Qua ſpreta pronos grande premebat onus.
Quinta Epheſi populos venerandis laudibus effert,
Quod ſanctam haudquaquam deſeruere fidem.
Sexta Philippenſes ſolatur, laudat, & ornat,
Conſtanter fidei quod tenuere decus.
Moxque Coloſſenſes præventos ſeptima falſis
Vatibus inſtituit, corrigit, atque docet.
Theſſala quam genuit favet hinc octava caterva,
Tempora quod cum eſſent nubila, firma ſtetit.
Extima queis etiam prædicit tempora nona,
Quove ſit atra lues dejicienda modo.
At decimæ textus Timotheum informat, & aptat
Eccleſiæ in rebus, ordinibuſque ſacris.
Temporis undecima ſupremi probra canuntur,
Inſtruiturque viis omnibus ille bonis.
Inſtruit inde Titum decimæ ſubjuncta ſecunda,
Quo vitet hæreſes, presbyter eſſe queat.
Tertio poſt decimam pia dat tibi verba Philemon,
Quæ Roma vinctus miſit ab urbe pater.
Ultima per legis vatumque oracula Chriſtum
Hebræis prolem prædicat eſſe Dei.
His ſunt catholicæ ſubjunctæ ex ordine ſeptem
Paginæ, Apoſtolico quas rapit ore ſtylus.
Scilicet una pii Jacobi, Petrique gemellæ,
Sunt tres Joannis, una ibi Juda tua eſt.
Complentque Eccleſiam generali dogmate totam,
Inſtituuntque fidem, juſque ſalutis habent.
Hinc ad Apoſtolicos, quos Lucas protulit Actus,
It ſtylus, Eccleſiæ qui nova geſta canunt.
Viſio ſancta libros, quæ ſancto viſa Joanni eſt,
Claudit, & arcano limite ſignat eos.
Hoc Teſtamenti veteriſque novique ſub uno
Calle patens bivium ducit ad alta poli.
Hic cibus æterno ſatiat præcordia paſtu,
Juſtitiæque famem, quo mage habetur, alit.
Hic Paradiſigeno veniens de gurgite potus,
Quem quo plus quis adit, plus ſitit omne bonum.
Hæc tuba terribilis mugit per compita mundi,
Mittit terrigenum ad cælica regna genus.
Hæc lux horrendas errorum decutit umbras,
Qua retinent mentis te via recta pedes.
Sunt hic jura Dei tenebris nudantia mundum,
Splendidiora aſtris, candidiora nive.
Juſta jubent, injuſta vetant, mala cuncta recidunt,
Virtutes gignunt, probra fugant vitia.
Lex pretioſa Dei eſt, quid enim pretioſius illa,
Quam dat fons vitæ, lux & origo boni?
*Eſt doctrina potens, ſuperanſque ſcientia * cunctas,*
Cui valet æquari nulla ſub axe poli.
Cui ſi quam cupias ſenſu conferre vel arte,
Ut cælo tellus, hæc ita cedet ei.
Quicquid in ingenuis mundana diſcitur arte
Artibus, hic currit liberiore via.
Quod ratione viget, vel quicquid amatur in illis,
Hoc a fonte meat, hujus ab amne fluit.

* M.S.Reg. cuncta.

Cumque has in cunctis vincat, fandi ordine vincit,
Quod ſermone uno multa notanda docet.
Verborum atque unum non. mutans tramite callem,
Sic plures unus res bene ſermo tonat.
Sic narrat textum, tamen ut myſteria prodat,
Majora inſinuat, dum modo magna canit.
Magnaque ſic parvis componit, parvula magnis,
Actum ut per vilem tum pretioſa ſonet.
In re præterita monſtrat narrando futuram,
Hæc referens, miro prædicat illa modo.
Acta ita deſcribit, ut agendi conferat artem,
In re ceu facta te facienda monet.
Pondere de rerum taceo. quis ſingula fando
Expediat, decus hoc queis cluit atque viget?
Quæ non clauſa metum, faſtidia non dat aperta:
Non hic deterret: non ibi vilis ineſt.
Hic ſpes quærit eam, tenet illic prompta facultas,
Quo latet exercet, quo patet iſta cibat.
Fortium in obſcuris exercet prælia dictis,
Te ſermone humili parvula turba fovet.
Fortibus eſt panis, puſillis lacteus humor,
Hoc ſolidis dapibus, hos ope lactis alit.
Curat more meri, ritu demulcet olivi,
Multimodo aptatu ſic datur una ſalus.
Hæc etiam adſiduo faſtidia derogat uſu,
Quoque magis capitur, quæritur inde magis.
Pluraque cum ſoleant meditatu horreſcere grandi,
Hujus amor quo plus hæc meditatur adeſt.
Adjuvat hæc animum humili ſermone legentis,
Senſibus & celſis ad potiora levat.
Nam ſe lectorum rudium bene noſſe caterva
Hanc ratur, at doctis hæc nova ſemper ineſt.
Quid quod ad æthereas populi vocat agmina ſedes,
Et vita adſociat non peritura tibi?
Qua mundanus amor refugit, creſcitque ſupernus,
Vertit & ad melius corda legentis opus.
Adde quod exemplis mundanos inſtruit actus,
Et via conſiliis hac tribuente patet.
Scilicet hic quiſquam, didicit dum geſta priorum,
Quid vitare queat quidve ſequatur habet.
Erudit externis proprios ſic actibus actus,
Nonque ſuis ſua ſic dicta vel acta regit.
Singula quis referat? numero tranſcendit arenam,
Et pluviæ guttas legis opimus honos.
Cui qui lecturum totis te niſibus addis,
Quiſquis es, intenta poſcito mente Deum.
Ut tua clementer cum hoc nectare corda reviſat,
Cumque hoc inhabitet pectoris antra tui.
Hac veniente tuæ pandatur janua mentis,
Qua nitidante omni ſorde carere queat.
Hoſpitium quo præſtet ei qui condidit illam,
Cum lege hanc adeat legis & ipſe dator.
Non te pervadat faſtus, non gloria fallax,
Non vanæ aut vacuæ ſit tibi laudis amor.
Spiritus effugiet ſanctus fera pectora ficti,
Nec habitator adit corpora preſſa malis.
Sit tibi mens humilis, cor prudens, actio munda,
Sit florens ſtudium, ſit pietatis opus.
Crebra ſit in ſancta tibimet meditatio lege,
Inſtato monitis nocte dieque ſuis,
Hanc gere corde, manu, proprio non deſit ab ore,
Tuque aliorum actus, corrigat illa tuos.
Hæc in parte tori ſedeat, hanc lumina cernant,
Hanc colla, hanc genua, hanc brachia curva vehant.
Ad caput hæc ſedeat, ſolito dum tempore ſtertis,
Dumque fugit ſomnus te petat illa celer.
Nec ſolum ut doctus, ſed & ut ſis juſtus amato,
Eminet unum alio, cum ſit utrumque bonum.
Nam tibi cunctipotens actus non verba requiret.
Illi in utroque tamen ipſe placere vales.
Diſce legens, adſuece frequens, faciendo doceto,
Sitque tibi hic trames legis in arte piæ.
Quatenus erudiat mentem tibi lectio crebra,

Detque tuis pulchram ſenſibus illa viam.
Ne cito labatur, vires ſibi colligat uſu,
Lectio crebra tenet mens quod acuta capit.
Semita ſic cæſo dumoſæ robore ſilvæ,
Dum teritur, crebro fit via lata pede.
Sancta ferant ſanctis verbis exempla vigorem,
Quæ canis & facito, quæ facis ipſa cane.
Non verbis actus, non illis verba repugnent,
Nobile par tecum currat utrumque ſimul.
Quod bene mente capis, humili ſermone profare,
Ne faſtu amittas, quod ſtudioſus habes.
Plura referre mora eſt, in paucis collige multa,
Lector, cui fulvum mentis acumen ineſt.
Semine ſic meſſor proviſo plurima parvo
Grana vehit voto fertiliore cluens.
Dumque opus id cernis, relegis dum carmina noſtra,
Theudulfi clemens ſis memor oro, Vale.

PRÆFATIO AUREIS LITERIS PRÆFIXA Bibliis Theodulfi.

VEtus Teſtamentum ideo dicitur, quia veniente novo ceſſavit, de quo Apoſtolus meminit dicens, vetera tranſierunt, ecce nova facta ſunt omnia. Teſtamentum autem novum ideo nuncupatur, quia innovat. Non enim illum diſcunt niſi homines renovati ex vetuſtate per gratiam, & pertinentes jam ad teſtamentum novum quod eſt regnum cælorum. Hebræi autem vetus Teſtamentum Eſra auctore juxta numerum literarum ſuarum in viginti duos libros accipiunt, dividentes eos in tres ordines, Legis ſcilicet, & Prophetarum, & Hagiographorum. Primus ordo Legis in quinque libris accipitur, quorum primus eſt Breſit, quod eſt Geneſis, ſecundus Elleſmot, quod eſt Exodus, tertius Vaſicra, quod eſt Leviticus, quartus Vagedaber, quod eſt Numerus, quintus Elleaddabarim, quod eſt Deuteronomium. Hi ſunt quinque libri Moyſi, quos Hebræi Torath, Latini Legem appellant. proprie autem Lex appellatur quæ per Moyſem data eſt. Secundus ordo Prophetarum, quo continentur libri octo. quorum primus Joſue ben Nun, qui Latine Jeſu Nave dicitur, ſecundus Oblim, quod eſt Judicum, tertius Samuel, qui eſt Regum primus, quartus Malachim, qui eſt Regum ſecundus, quintus Eſaias, ſextus Hieremias, ſeptimus Jezechiel, octavus Toreſra, qui dicitur duodecim Prophetarum, qui libri quia ſibi pro brevitate adjuncti ſunt, pro uno accipiuntur. Tertius eſt ordo Hagiographorum, id eſt ſancta ſcribentium, in quo ſunt libri novem, quorum primus Job, ſecundus Nabla, quod eſt Pſalterium, tertius Maſloth, quod eſt Proverbia Salomonis, quartus Coelet, quod eſt Eccleſiaſtes, quintus Siraſirin, quod eſt Cantica Canticorum, ſextus Daniel, ſeptimus Dabreiamin, quod eſt verba dierum, hoc eſt Paralipomenon, octavus Ezras, nonus Eſter. Qui ſimul omnes, quinque octo & novem, fiunt viginti & duo, ſicut ſuperius comprehenſum eſt. Quidam autem Ruth, & Cinoth, quod Latine dicitur Lamentatio Hieremiæ, Hagiographis adjiciunt, & viginti quatuor volumina Teſtamenti veteris faciunt juxta viginti quatuor ſeniores qui ante conſpectum Dei aſſiſtunt. Quartus eſt apud nos ordo veteris Teſtamenti, eorum librorum qui in Canone Hebraico non ſunt. quorum primus Sapientiæ liber eſt, ſecundus Eccleſiaſticum, tertius Tobi, quartus Judith, quintus & ſextus Macchabæorum, quos libros Judæi inter apocrypha ſeparant, Eccleſia tamen Dei inter divinas ſcripturas & honorat & prædicat. In novo autem Teſtamento duo ſunt ordines. Primus Evangelicus, in quo ſunt Matthæus, Marcus, Lucas & Joannes. Secundus Apoſtolicus, in quo ſunt Paulus in quatuordecim Epiſtolis, Petrus in duabus, Joannes in tribus, Jacobus & Judas in ſingulis, Actus Apoſtolorum, & Apocalypſis. Summa autem utriuſque Teſtamenti diviſio trifarie diſtinguitur, id eſt in hiſtoria, in moribus, & allegoria. Rurſus iſta tria multifarie dividuntur, id eſt, quid a Deo, quid ab Angelis vel hominibus geſtum dictumque ſit, quid a Prophetis pronuntiatum de Chriſto & corpore ejus, quid de Diabolo & membris ipſius, quid de veteri & novo populo, quid de præſenti ſæculo & futuro regno atque judicio. Libros autem ſanctarum ſcripturarum, quos præſens Bibliotheca continet, ſubſequens breviculus ordine pandit.

ORDO LIBRORUM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI,

qui ab Eccleſia recipiuntur, & in hoc corpore generaliter continentur.

Primus ordo Legis, in quo ſunt libri.

Geneſis.
Exodus.
Leviticus.
Numeri.
Deuteronomium.

II. Prophetarum, in quo ſunt libri.

Jeſu Nave.
Judicum.
Samuel II.
Malachim II.
Iſaias.
Hieremias.
Jezechiel.
Duodecim Prophetarum.

III. Hagiographorum, in quo ſunt libri.

Job.
Pſalterium.
Proverbiorum.
Eccleſiaſtes.
Cantica Canticorum.
Daniel.
Paralipomenon.
Ezras.
Eſter.

IV. Librorum, qui in Hebraorum canone non habentur.

Sapientia.
Eccleſiaſticum.
Tobi.

Judith.
Macchabæorum libri II.

Ordo Evangelicus, in quo ſunt libri.
Matthæus.
Marcus.
Lucas.
Joannes.

Ordo Apoſtolicus, in quo ſunt libri.
Pauli Epiſtolæ XIV.
Ad Romanos I.
Ad Corinthios II.
Ad Galatas I.
Ad Epheſios I.
Ad Philippenſes I.
Ad Coloſſenſes I.
Ad Theſſalonicenſes II.
Ad Timotheum II.
Ad Titum I.
Ad Philemonem I.
Ad Hebræos I.
Petri II.
Jacobi I.
Joannis III.
Judæ I.
Actus Apoſtolorum.
Apocalypſis.

II.

VERSUS PRÆFIXI BREVI [a] CHRONICO, quod Bibliis adjectum fuit.

Codicis hujus opus ſtruxit Theodulfus amore
Illius, hic cujus lex benedicta tonat.
Nam foris hoc gemmis, auro ſplendeſcit & oſtro,
Splendiore tamen intus honore micat.
Quo poſt catholicæ veneranda volumina legis
Parva tenet modicum ſcriptio certe locum.
Scilicet initio ſumens exordia ab ipſo,
Per patrum & regum nomina texit opus.
Et notat annorum numerum, notat ordine regna,
Heracli princeps, tempus ad uſque tuum.
Geſtaque dat paucis reminiſci plurima verbis:
Sic modico in nutu grande notatur opus.
Hinc adaperta ſedent Hebrææ nomina linguæ,
Quæ ſacræ linguæ inclytus uſus habet.
Attica poſt reſident, fidei quæ priſca vetuſtas
Contulit Eccleſiæ queis vocitantur opes.
Conficitur Latio de nomine ſilvula parva,
Quæ magni fructus pondera digna vehit.
Corpore ſub parvo myſteria magna retentant
Hæ res, quas limes codicis hujus habent.
His fluvium legis poterit luſtrare lucernis,
Quærere qui piſces legis in amne cupit.
Retibus his poterit pretioſam prandere prædam,
Ars eſt cui in ſancta quærere lege cibum.
Non has lector ovans quaſi quædam vilia temne:
Vilis rem pulchram capſa tenere ſolet.
Ferrea nam clavis, de vili facta metallo,
Argenti atque auri dat penetrare locum.
Quæque eſt ſervanti ſeu ſarcina parva ferenti,
Quo gravis eſt pretii ſarcina monſtrat iter.
Nec tibi diſpliceant quoniam ſunt corpore parva,
Tegmine ſub parvo pondera magna latent.
Nam modicis clavis grandis ſtructura tenetur,
Marculus & parvus magna metalla polit.
Sic ſegetes magnæ naſcuntur ſemine parvo,
Pondus & arboreum germine deque levi.
Obſtruſa aperiunt, panduntque latentia plura,
*Parvaque velamen * virgula grande levat.*
* MS. Colber. ungula.
Quoſque tenent flores librorum grandia prata,
En ſimul hic calathus dat tibi, carpe manu.
*Utere ſeu felix, * quo ſis felicior ipſe.*
* idem MS. ut
Cum tua perpetuas vita capeſſet opes.
Et memor eſſe mei dignare per omnia quæſo,
Dum legis & relegis, dumque adis iſtud opus.
Dumque adis iſtud opus, quod condidit actio noſtra,
Mercedem ſtudii tu mihi redde mei.
Hanc rogo mercedem pro me depoſce Tonantem,
Ut mihi det veniam, ſeu pius addat opem.
Noxia depellat, concedat proſpera quæque,
Participem & faciat vita beata tibi.
Componat mores, firmet ſpem, corrigat actus,
Atque animæ adveniat hoc tribuente ſalus.
Utque ita me clemens peccamine purget ab omni,

a *Chronico quod adjectum eſt*) Superiores verſus in fronte, hi ad calcem codicis poſiti. quibus eorum utilitatem commendat, quæ Bibliis adjici juſſerat. Chronicum videlicet Iſidori, & opuſculum Eucherii de interpretatione Hebraicorum nominum & Græcorum, cum Clave, ut nonnullis viſum eſt, Melitonis Epiſcopi Sardenſis.

Ut mihi poſt mortem det ſuper aſtra locum.
Cœtibus Angelicis & jungat, munere cujus
Terrea progenies ſcandit ad aſtra poli.

DISTICHUM.

Vive Deo felix per plurima tempora lector;
Theudulfi nec ſis immemor oro tui.

ALIUD.

Finis adeſt operi, his quibus eſt peragentibus actum,
Sit pax, vita, ſalus, & tibi lector ave.

III.

VERSUS FACTI, UT A PUERIS [a] in die Palmarum cantarentur.

Gloria laus & honor tibi ſit, rex Chriſte redemptor,
Cui puerile decus prompſit oſanna pium.
Iſrael es tu rex, Davidis & inclyta proles,
Nomine qui in Domini, rex benedicte venis.
Cœtus in excelſis te laudat cælicus omnis,
Et mortalis homo, & cuncta creata ſimul.
Plebs Hebræa tibi cum palmis obvia venit,
Cum prece, voto, hymnis adſumus ecce tibi.
Hi tibi paſſuro ſolvebant munia laudis,
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.
Hi placuere tibi, placeat devotio noſtra,
Rex pie, rex clemens, cui bona cuncta placent.
Fecerat Hebræos hos gloria ſanguinis alti,
Nos facit Hebræos tranſitus ecce pius.
Inclyta terrenis tranſitur ad æthera victis,
Virtus a vitiis nos capit alma tetris.
Nequitia ſimus pueri, virtute vieti,
Quod tenuere patres, da teneamus iter.
Degenereſque patrum ne ſimus ab arte piorum,
Nos tua poſt illos gratia ſancta trahat.
Tu pius aſcenſor, tuus & nos ſimus aſellus,
Tecum nos capiat urbs veneranda Dei.
Veſtis Apoſtolicæ rutilo fulgore tegamur,
Te bene tecta ut ea noſtra caterva vehat.
Tegmina ſic animæ ſternamus corpora noſtra,
Quo per nos ſemper ſit via tuta tibi.
Sit pia pro palma nobis victoria ramis,
Ut tibi victrici ſorte canamus ita.
Caſtaque pro ramis ſalicis præcordia ſunto,
Nos operum ducat prata ad amœna viror.
Pro ramis oleæ pietas, lux, dogmaque ſancti
Flaminis in nobis ſit tibi rite placens.
Arbore de legis cædamus dogmata quædam,
Queis veniendi ad nos ſit via tuta tibi.
Noſtraque ſic præſens celebret devotio feſtum,
Continuo ut valeant annua feſta ſequi.
Urbem ut cum ramis & laudibus imus ad iſtam,
Celſa poli meritis fac ita adire piis.
Hanc in amore tuo collectam reſpice plebem,
Suſcipe & illius vota preceſque libens.
Ecce ſacerdotum turba, popularis & ala,
Concinit & laudes ſexus uterque tibi.
Quos habet Andegavis venerabilis ambitus urbis,
Qui pia devota carmina mente canunt.
Quam Meduana morans fovet, & Liger aureus ornat,
Qua rate cum lævi Sarta decora juvat.

a *In die Palmarum*) In ore omnium eſt hoc Carmen, ſed mutilum hactenus & inchoatum, plenum deinceps atque integrum exit in lucem. Apud Andegavos ſcriptum fuiſſe res loquitur, & Ludovico pio regnante conditum ſcriptores conſentiunt. At quia hujus Carminis meminit Alcuinus de divinis officiis cap. xiv. & Alcuinum certum eſt ad Ludovici tempora non perveniſſe, ſatis hinc argumenti habere ſibi nuper viſus eſt vir doctus, ut a Theodulfo compoſitum negaret. Ceterum quin Theodulfi revera ſint hi verſus ambigere, ut alia deſint, non licet poſt Lupi Ferrarienſis ævo proximi teſtimonium, qui diſerte hos illi adferit epiſtola xx. Librum autem illum de divinis officiis Alcuini non eſſe jam alii obſervarunt.

Fruge, ope, nundinis, pulchris & rebus abundans,
Obſita ſeu ſanctis eſt bene tota locis.
Plebs venit Albini ſancta hæc de ſede beati,
Cum voto & ramis carmina digna ferens.
Illaque Baptiſtæ concurrit ab arce Joannis,
Conſocians ramis dicta canora ſuis.
Nec Martine cohors tua ſerior alme recurrit,
Fertque manu ramos, mente & ore melos.
Turba Saturnini venit his ſociata beati,
Quam crux & rami, laus & adornat ovans.
Et Petre cella tuo vocitata e nomine ſancto,
Quos quit, ad hoc laudum mittere geſtit opus.
Sergius & proprios martyr venerandus alumnos
Mittit ad officii geſta beata pii.
His tua Maurili conjungitur alme caterva,
Et prece, laude, ſono ſic pia vota canit.
Tardior Aniani non currit turba beati,
Iſtas ut laudes rex tibi Chriſte canat.
Plebſque ſalutiferæ procurrit ab æde Mariæ,
Huc quam tranſmittit pons Meduana tuus.
Plebs quoque Germani venit huc de ſede beati;
Præſulis eximii, Pontificiſque ſui.
Scandimus en ſanctum Michaelis ad atria clivum,
Chriſte tuus dulcis nos ubi jungit amor.
Quo ſua Pontifici jungatur turba benigno,
A capite & membris laus ſonet iſta Deo.
Hinc pia Mauricii veniamus ad atria ſancti,
Quo ſimul & laudum & vox ſonet iſta precum.
Illic & titulis nos mater colligat una,
Quæ caput & ſpecimen iſtius urbis habet.
Noſtra ubi nos prex & benedictio Præſulis ornet,
Cum laude ac mittat ad ſua quemque loca.

IV.

DE EO QUOD TEMPORIS STATUS, & locus, & cauſa, & motio, ingenium tractatoris adjuvat.

Temporis ergo ſtatus, locus, aura & motio, geſta
Sive rei modus aptum adjuvat ingenium.
Veſpere florigera peccantem in ſede requirit,
Atque ubi ſit rogitat conditor orbis herus.
Temporis hic ſtatus eſt, diei quia luce relicta,
In tenebras noctis jam revolutus erat.
Quem ſcit ubi quærit, quia non ibi noverat illum,
Quo bene præcepto juſſerat eſſe dato.
Neſcius ut quo ſit quærit, ſed neſcio tandem.
Quid neſcire Dei ni reprobare velit.
Nec minus interea ſapidum ſenſum hora locuſque
Eloquio in ſacro dedere ſæpe ſolent.
Montis Oliveti veniens de vertice Chriſtus,
Mane adiit templi limina ſancta Dei.
Liberat oblatam mœcham fallacibus illis,
Quam pius & juſtus ſit docet almus in hac.
Nam pius hanc ſalvat, damnat peccamina juſtus:
Vade, ait, & noli nil mage tale ſequi.
Mons oleæ namque eſt Domini miſeratio celſa,
Quo nos inquirens venit ab arce poli,
Qua delibutos recreat nos unguine ſancto,
Luminis & tribuit & pietatis opem.
Mane diem revocans advenit nocte fugata,
Quo nova lux adiit, legis & umbra abiit.
Sæpe etiam ſenſus aperit bene mobilis aer,
Nam calor & frigus myſtica multa monent.
Extiterant quondam ſolymis encænia facta,
Teſte hac ſcriptura dira premebat hyems.
Frigora ſunt hyemis Judææ incredula corda
Plebis, quæ fidei nuda calore inerant.
Hoc quoque frigus erat geritur cum paſſio Chriſti,
Petre negando riges, flens recalendo viges.
Seſſio ſeu ſtatio Domini, ſeu motio ſenſus
Producunt vivos, cum bene viſa manent.

Stare illum Stephanus, Marcus reſidere profatur:
Nil hic diverſum eſt, unus utrumque gerit.
Seſſio regnantis, ſtatio pugnantis habet vim:
Pro his pugnat, regit hos, complet utrumque ſimul.
Angelus hunc ſtando naſcentem nuntius almus,
Huncque reſurgentem jam reſidendo canit.
Hic pugnaturum, regnaturum indicat illic,
Naſcitur ad pugnam, ſurgit ad imperium.
Stare eſt Pontificis ſummi, reſidere magiſtri:
Pro nobis patris eſt hoſtia, noſque docet.
Cernit eundo duos, quos cæcos ſtando reſanat:
Sit tranſire hominis, dummodo ſtare Dei.
Si modus in geſtis Domini adſpiciuntur & ordo,
Incipiet ſenſus creſcere magna ſeges.
Denique celſa petit montis, deſcendit ad ima,
Eſſe Deum ſe illic edocet, hic hominem.
Quoſque prius ſanat, ſatiat poſt nectare magno:
Ante fide ſanat quos bene lege cibat.
Noſque ſuper fragile ſtuduit diſcumbere fœnum,
Mortiferæ ut carnis jure prematur opus.
Diſcipuliſque dapes tribuit, dant plebibus illi,
Quod hi docti illa, plebs pia conſtet eis.

V.

[a] IN ALTARE SANCTI ANIANI.

a

HAnc tibi celſitonans aram Theodulfus adorno,
At faveas votis rex Deus ipſe meis.
Quiſquis es hanc cernens, & tu ſanctiſſime Præſul
Aniane, exigui ſis memor oro mei.

VI.

[b] AD MONACHOS SANCTI BENEDICTI.

b

I Mea charta celer Benedicti ad tecta beati,
Hocque ſalutato tecta reviſe patrum.
Huic ſalveque valeque meum, huic ſingula narra,
Proſpera quæ nobis ſunt tribuente Deo.
Inde refer multas miſſo pro munere grates,
Utque libens mittat plura precare libens.
Utque pium conſurgat opus fundamine jacto,
Quod me jam mulcet, jam mea corda fovet:
*Sit melius culmen, bonus * eſt fundaminis ordo,*
Quem gemini numeri forſque decuſque facrat.
Ecce duo monachi duo ſunt præcepta ſalutis,
Divino ut junctus ſit quoque fratris amor.
Eſt intellectus qui ſeſe operatio jungit?
Sic ditant famulum bina talenta bonum.
Suntque duæ vitæ, quas actio bina ſororum
Innuit, ac etiam lex nova ſive vetus.
Jamque operare libens, nec fundamenta timeto,
Quod ſuperaddideris ſtat ſolidante Deo.
Addere plura potes, poterit neſcire ruinam
Fabrica, quam numerus ſuſtinet iſte ſacer.
Semina tu noſtros miſiſti parva per agros,
Plurima mitte, ſeges hinc tibi grandis erit.
Quod fuit Auſoniis Benedictus rector in arvis,
Hoc modo tu in noſtris es Benedicte locis.
Non diſtes merito cujus non nomine diſtas,
Nominis & meriti ſors beet una duos,

* ſ. &.

a *In altare S. Aniani*) Quo in loco non liquet. ab eodem in vico Germiniaco conditam fuiſſe baſilicam docet inſcriptio.

Hæc in honore Dei Theodulphus templa ſacravi,
Quæ dum quiſquis adis, oro memento mei.

b *Ad Monachos S. Benedicti*) Collapſam in Mitiacenſi S. Maximini cœnobio diſciplinam ut reſtitueret Theodulfus, monachos poſtularat a Benedicto Ananienſis monaſterii Abbate in provincia Narbonenſi. qui cum duos primum miſiſſet, qui rem feliciter inchoarant, nunc plures mitti rogat, ut cœpta perficiant. Qua de re paucis auctor vitæ S. Maximini. *Cum apud Mitiacum*, inquit, *collapſa eſſet diſciplina. Theodulphus Epiſcopus eam reſtituit, acceptis ex Septimania provincia monachis.*

Ut cerebro Euphorbi Samius ſatus eſſe putatur,
Sic Nurſi patris in te revocatur opus.
Ut per Theodulſum Theodulſi verba precantis
Imples, cumque una it hinc prece nomen idem:
Sic Benedictus ei per te, Benedicte, quod optat
Conferat, & voti tu mediator eas,
Quodque fuit Caſine tibi pius hic pater olim,
Hoc modo ſit cellæ, urbs Aureliana, tuæ.
Quam bene Miciacum vocitavit priſca vetuſtas,
Quæ fuit auſpicium mitibus ante choris.
Maximinus ibi fratrum vernante corona
Præfuit, his ſcandit junctus ad aſtra poli.
Corpora ſunt quorum variis tumulata ſepulcris,
Sunt animæ in ſinibus ſed, Patriarcha, tuis.
Has fera barbaries, exempto munere pacis,
Dejecit ſedes, deſtituitque locum.
Qui proprios tenuit cineres, utque ales Eoa,
De cinerum lapſu tendit ad alta caput.
His ita finitis, fratrum pete concita cœtum,
Quos circumſpiciens cernua flecte genu.
Pauca locuturam primum benedicier ora,
Inde morando prius accipe voce ſonum.
Me tibi Theodulfus tranſmiſit, turba beata,
Qui oratus veſtri ſumere poſcit opem.
Veſtra ſuis creſcat plantatio quærit in arvis,
De qua odor ambroſii nectaris aſtra petat.
Rivulus hanc veſtræ crebro precis inriget almus,
Tendere quo radix brachia firma queat.
Deſieris cum forte loqui, tunc tecta licenter
Narratura patrum cuncta reviſe mibi.
Quo dormit pia turba vide, quo ſuſcipit eſcas,
Quo legit & pſallit, quove operatur adi.
Cernito piſtrinum, nec deſpice tecta coquinæ,
Quove jacent membris qui bene mente vigent.
Hoſpitii mox cerne locum, quemque incolat ille
Qui nova nunc primum miles in arma venit.
Quo tibi quæſiti deerit præſentia fratris,
Hunc iter hoc pulchrum pertimuiſſe dole.
Inde ſalutandi fratrem pietate reviſe,
Sum cui junctus ego nomine, non merito.
Hinc pete Nebridii patris venerabilis ædes,
Mox & Donati ſit tibi viſa domus.
Sed nec prætereas ſancti loca fratris Atili,
Anianique mei tecta verenter adi.
Nam pius adſpiciat dantem ſibi dona ſalutis.
Atala te videat, dicque, Olemunde vale.
At ſi forte vales mundanas ire per urbes,
Singula perluſtrans oppida, rura, caſas,
Præſulibus noſtras in carmine pande ſalutes,
Atque omni clero, quoſque referre mora eſt.
Attila, Clarinus, Teutfredus, Leubilla, & omnis
Turba patrum noſtrum ſentiat alma vale.
Quid tibi plura canam? cunctos ex voce ſaluta,
Hiſque ſalutatis te mihi redde citam.

VII.
VERSUS SCRIPTI LITERIS AUREIS DE S. QUINTINO. IN PRIMA TABULA.

Cum denis luſtris ternos minus inclytus annos
Rex ageret Karolus ſceptra tenendo pia:
Rebus & humanis exemptus culmina regni
Linqueret ingentis, rex Ludovice, tibi:
Datque octingentis Chriſti incarnatio felix
Addere curriculis quatuor atque decem:
Condere cœpit opus hujus venerabilis aulæ
a Abbas Fulradus nobilitate cluens.

a *Abbas Fulradus*) Duo hujus nominis clariſſimi Abbates fuerunt. Prior Abbas S. Dionyſii, Pippini regis Capellanus, rebus ſub illo & Carolo in Italia geſtis notiſſimus, quem vita functum Annales tradunt anno dcexxciv. Alter hic noſter, Abbas S. Quintini apud Viromanduos, Caroli Martelli ex Hieronymo Pippini regis fratre nepos. Ab hoc ergo renovatam ait baſilicam S. Quintini, eoque anno inchoatum opus, quo regnare cœpit Ludovicus Pius, Chriſti videlicet dcccxiv. Nec dubium eſt, quin inde ſit Fulradus, quem cum aliis Abbatibus Synodo Noviomenſi eodem ipſo anno interfuiſſe narrat Flodoardus, lib. II. Hiſtoriæ cap. XVIII.

Namque huic Hieronymus, Carolus pater extitit illi,
Qui propriæ ſpecimen gentis ad alta tulit.
Bella gerens pacemque tuens, qui culmina regni
Ad prolem miſit auxiliante Deo.

VIII.
IN SECUNDA TABULA.

Martyris egregii Quintini hic membra quieſcunt,
Mens hæret Chriſto cujus in arce poli.
Hujus honore pio veteri fundamine templum
Conſtructum hoc fuerat, conſtitit atque diu.
Sed dum ſciſſa dares paries fera ſigna ruinæ,
Surgendi cauſas ad meliora dabas.
Namque piis votis, Domino tribuente, peregi
Hoc ego Fulradus ut foret iſtud opus.
Scilicet ut major ſtudioque operioſior omni
A fundamentis ſurgeret iſta domus.
Quam dum quiſquis adis Domino tua vota daturus,
Votis me & precibus jungito quæſo tuis.

IX.
IN TERTIA TABULA.

Hæc domus alma Dei eſt via qua itur ad atria cæli,
Hic patet ecce bonis porta ſerena poli.
Hæc via, vita, ſalus. Chriſtus ſua templa reviſit,
Juſtorum acceptans munia, vota, preces.
Hic bene Quintini requieſcunt oſſa beati,
Qui ſtuduit Domino rite placere ſuo.
Sanguine qui proprio eſt mercatus cælica regna,
Atque locum ſibimet emit in arce poli.
Cujus martyrium devota mente frequentat,
Plebs vivens, quærens & peregrinus opem.
Quos memores noſtri Fulradus cernuus opto
Ut veſtri ſemper ſit memor ipſe Deus.

X.
[a] IN SEPULCRO SANCTI NAZARII

Martyr amœne tuos hic Chriſtus condidit artus
Et tua mens centri ſcandit ad alta volans.
Tu Tiberina tuis luſtraſti litora geſtis,
Et nunc Rhenicolas oſſis honore beas.
Roma favente Deo vidiſti in martire ſigna,
Nunc Germana cohors cernis id ipſud opus.
Aulica ſilveſtri delubra in rure locaſti
Martyr, & in vacuis ſyrtibus aula micat.
Nazarium vocitat hunc florem natio cuncta.
Nam nazar Hebræa flos bene lingua vocat,
Hunc ego Wangionum veniens feſtinus ab urbe
Dum peterem, vidi nube nivem cadere.
Piſciflui Rheni tranſivi in robore ripas,
Ut citius poſſem ejus adire locum.

XI.
[b] EPITAPHIUM FASTRADÆ REGINÆ.

Inclyta Faſtradæ reginæ hic membra quieſcunt,
De medio quam mors frigida flore tulit.

---

a *In Sepulcro S. Nazarii*) In Laureshamenſi nempe monaſterio, quod S. Nazarii exinde nomen obtinuit. Paulus Diaconus de Epiſcopis Metenſis Eccleſiæ in Crodegango. *Expetiit denique a Paulo Romano Pontifice tria corpora ſanctorum Martyrum, id eſt B. Gorgonii, quod in Gorzia requieſcit, & B. Naboris, quod in Hilariaco monaſterio conditum eſt, & B. Nazarii, quod ultra Rhenum, in Monaſterio quod vocatur Loriſhaim ædificata in honorem ipſius Martyris miri decoris baſilica collocavit.*

b *Epitaphium Faſtradæ Reginæ*) Faſtradam poſt Hildegardis obitum uxorem Caroli magni fuiſſe ſcribunt omnes. Francam natione fuiſſe, filiam Rudolfi Comitis, docet Einhardus, idemque auctor eſt eandem Francofurti, cum ibi Synodus eſſet, mortuam ac Moguntiæ ſepultam apud S. Albanum. Sepulcro inſculptum fuerat hoc carmen Theodulphi: ſed S. Albani æde flammis conſumpta, translatiſque in Metropolitanam Eccleſiam Faſtradæ cineribus, aliud longe diverſum deterioris notæ appoſitum eſt epitaphium, quod apud Serarium noſtrum in Hiſtoria Moguntina videre eſt.

Nobilis ipſa viri thalamo conjuncta potentis,
Sed modo cæleſti nobilior thalamo.
Pars animæ melior Carolus rex ipſe remanſit,
Cui tradat mitis tempora larga Deus.

XII.

IN FRONTE DOMUS.

Qui ſtas, quive ſedes, qui rura & tecta peragras,
Tempora conſumis actibus & variis.
Nil gere turpe, quod hac celſa quis ſpectet ab æde,
Eſt hoc, eſt aliud quod mage tu timeas.
Eſt ſuper aſtra Deus: quid agat humana propago
Laturus libræ pondera juſta videt.

XIII.

CUR MODO CARMINA NON SCRIBAT.

Carmina ſæpe mihi fratres, pergrata tuliſtis:
Et nunc quæ fertis, credite, valde placent.
His delector enim, veſtri ſtudiumque laboris
Conlaudo, & moneo vos potiora ſequi.
Creſcitis in melius, nobis hinc gaudia creſcunt:
Ut magis atque magis id faciatis amo.
Qui ex facili pridem poteram depromere verſus,
Æſtuo, nec condo ut volo dulce melos.
Quæritis hoc, quando novus hic ſucceſſit habendus
Uſus, noſtram Erato qui reticere facit.
Sunt mihi nunc lacrymis potius deflenda piacla,
** Carmine quam lyrico nempe boanda pede.*
Non amor ipſe meus Chriſtus mea carmina quærit,
Sed mage commiſſi grandia lucra gregis.
Pro quo, proque meis orare erratibus opto:
Carmina ni pangam, crimina nulla gero.
Ludite vos pueri, metrica ſat luſimus arte:
Præmia quæ cupitis jam mihi parta manent.
Diſcite ſic fratres, docti ut poſſitis haberi,
Et fieri ſocii civibus æthereis,
En veneranda piis tanti ſollennia feſti,
Nos modo non multum verſificare ſinunt.
His ita præmiſſis, feſtum hoc celebremus ovantes,
Aptius edendi carmina tempus erit.
Annua ſic etiam veneranter feſta colamus,
Continua ut nobis det ſine fine Deus.
a *Nam, Wulfine, tibi debentur præmia laudum,*
Cujus ab amne fluunt metrica docta bene.
Hinc tibi multiplices agimus, cariſſime, grates:
Præmia pro meritis rex Deus ipſe dabit.

*ſ. Culmina

XIV.

IN OBITU DAMASI.

Qui gradiens pelagi fluctus compreſſit amaros,
Vivere qui præſtat morientia ſemina terræ,
Solvere qui potuit legalia vincula mortis,
Poſt tenebras fratrem, poſt tertia lumina ſolis,
Ad ſuperos iterum Marthæ donare ſorori,
Poſt cineres Damaſum faciet quia ſurgere credo.

---

a *Nam Wlfine tibi*) Dubium non eſt quin Wlfinus hic Grammaticus ille ſit Aurelianenſis poeticæ laude clarus, ad quem edita dudum eſt a Morelio epiſtola incerti auctoris, qua illum hortatur ut reſcribat.

WLFINO GRAMMATICO AURELIANENSI.
Quid rogo frater agis tam longa ſilentia ſervans?
Quove tibi noſtri tam cito pulſus amor?
Certe tanta tuæ tam florida carmina muſæ
Haud parva ut pateant indiguere mora.

XV.

a IN FALDAONE EPISCOPI.

Seſſio Theodulfi placeat precor, omnis & actus,
Rex Deus alme tibi, cui bona cuncta placent.
Quo ſine nulla geri bona, cum quo plurima poſſunt,
Velle & poſſe mihi tu dato quaſo bonum.
Cum te major adit, ſtet plebs, tibi junior adſit,
Et circumſtantes famine poſce pio.
Sit tibi mens humilis, prudens cor, & actio munda,
Seſſor & adſiduo mente tuere Deum.
Quiſquis es hic adſtans, hominem ne detrahe quemquam.
Abſentum vitam rodier eſt facinus.
Pareite qui ſtatis vanis inſtare loquelis,
Ne vos qui reſidet cenſeat ire foras.

XVI.

DE CONTEMPTU MUNDI.

Perpetuos ignes, quos factor jure minatur,
Si paveas, ejus præmia quiſquis amas,
Totius hæc fragilis vileſeit gloria mundi,
Interius tibimet pollet & almus amor.

THEODULFI EPISCOPI AURELIANENSIS CARMINUM LIBER TERTIUS.

I.

b AD CAROLUM REGEM.

Te totus laudeſque tuas Rex perſonat orbis,
Multaque cum dicat, dicere cuncta nequit.
Si Moſa, Rhenus, Arar, Rhodanus, Tiberiſque, Paduſque
Metiri poſſunt, laus quoque menſa tua eſt.
Res ſatis immenſa eſt tua laus, immenſa manebit,
Dum pecori atque homini pervius orbis erit.
Quam bene ſi nequeo ſtudiis explere loquendi,
Tantillus tantam temno tacere tamen.
Ludricis hæc mixta jocis per ludicra currat,
Sæpeque tangatur qualibet ille manu.
Laude jocoque ſimul hunc illita charta reviſat,
Quem tribuente celer ipſe videbo Deo.
O facies, facies ter cocto clarior auro,
Felix qui potis eſt ſemper adeſſe tibi.
Et diademali ſat dignam pondere frontem
Cernere, quæ ſimili cuncta per arva caret.
Egregiumque caput, mentum, ſeu colla decora,
Aureolaſque manus, pauperiem quæ abolent.
Pectora, crura, pedes, eſt non laudabile cui nil,
Omnia pulchra vigent, cuncta decora nitent.
Atque audire tui per pulchra affamina ſenſus,
Quo ſuper es cunctis, eſt tibi nemo ſuper.
Eſt tibi nemo ſuper, ſollers prudentia cujus

a *In Faldaone Epiſcopi*) In ſede ſeu cathedra Epiſcopali. Ab eodem enim fonte faldiſtorium pro ſede paſſim legitur in Ritualibus Eccleſiæ Romanæ, ut in Cerimoniale, de Epiſcopo qui celebraturus eſt, *Inde venit ad paratam ſibi ſedem, ſeu faldiſtorium ad cornu epiſtolæ poſitum.* Sed faldiſtorium ab Epiſcopali ſede diſtinguebant. *Proprius,* inquit, *Epiſcopus, non in faldiſtorio, ſed in propria Epiſcopali ſede ſtare & ſedere debet.* De propria ergo ſede Theodulfum loqui arbitror, in qua ſcilicet hos verſus incidendos curarat, ſicut in menſa ſua, Poſſidio teſte, non diſſimilis pro parte ſententiæ diſtichum Auguſtinus:

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam indignam noverit eſſe ſibi.

b *Ad Carolum regem*) Ex iis quæ de recens adlatis Hunnorum gazis, deque illius gentis ad Christi fidem nupera converſione ſignificat, ſcriptum carmen intelligimus ſub annum DCCXCVI. ad quem hæc geſta referunt Annales noſtri.

Tanta cluit, nullus cui puto finis ineſt.
Latior eſt Nilo, glaciali grandior Iſtro,
Major & Euphrate eſt, non quoque Gange minor.
Quid mirum æternus ſi talem paſtor alendis
Paſtorem gregibus condidit ipſe ſuis?
Nomine reddis avum, Salomonem ſtemmate ſenſus,
Viribus & David, ſive Joſeph ſpecie.
Tutor opum es, vindex ſcelerum, largitor bonorum,
Atque ideo dantur hæc bona cuncta tibi.
a *Percipe multiplices lætanti pectore gazas,*
Quas tibi Pannonico mittit ab orbe Deus.
Inde pias celſo grates perſolve Tonanti,
Cui ſolet ut ſemper ſit tua larga manus.
b *Adveniunt gentes Chriſto ſervire paratæ,*
Quas dextra ad Chriſtum ſollicitante vocas.
Pone venit textis ad Chriſtum crinibus Hunnus,
Eſtque humilis fidei, qui fuit ante ferox.
Huic ſocietur Arabs, populus crinitus uterque eſt,
Hic textus crines, ille ſolutus eat.
Cordoba prolixo collectas tempore gazas
Mitte celer regi quem decet omne decens.
c *Ut veniunt Arabes, Arabes, Nomadeſque venite,*
Regis & ante pedes flectite colla genu.
Nec minus hi quam vos ſævique truceſque fuere,
Sed hos qui domuit vos domiturus erit.
Scilicet in cœlo reſidens, per tartara regnans,
*Qui mare, qui terras, qui regit aſtra * polum.*
Ver venit ecce novum, cum quo felicia cuncta,
Teque tuoſque adeant, Rex, tribuente Deo.
En renovatur ovans æternis legibus annus,
Et ſua nunc mater germina promit humus.
Silvæ fronde virent, ornantur floribus arva,
Sicque vices ſervant en elementa ſuas.
Undique legati veniant qui proſpera narrent:
Præmia ſint pacis, omnis abeſto furor.
Mox oculis cum mente ſimul manibuſque levatis
Ad cœlum, grates fertque refertque Deo.
Conſilii celebretur honos, oretur in aula
Qua miris ſurgit fabrica pulchra tholis.
Inde palatinæ repetantur culmina ſedis,
Plebs eat & redeat atria longa terens!
Janua pandatur, multiſque volentibus intrent
Pauci, quos ſurſum quilibet ordo tulit.
d *Circumdet pulchrum proles cariſſima regem,*
Omnibus emineat, ſol ut in arce ſolet.
Hinc adſtent pueri, circumſtent inde puellæ,
Vinea lætificet ſicque novella patrem.
Stent Karolus Hludouvicque ſimul, quorum unus ephebus.
Jam vehit alterius os juvenale decus.
Corpore prævalido quibus eſt nervoſa juventa,
Corque capax ſtudii, conſiliique tenax.
Mente vigent, virtute cluunt, pietate redundant,
Gentis uterque decor, dulcis uterque patri,

* ſ. poli vel polum.

a *Percipe multiplices gazas*) De præda Hunico bello parta eleganter & graviter more ſuo Einhardus in vita Caroli. alii quoque omnes meminerunt. Saxonicus etiam poeta his verſibus,

Nam ſpoliata fuit Hunorum regia, Hringum
Quam vocitant, Hanc Dux Ericus hoc ceperat anno,
Multimodos etiam Regi devexerat inde
Theſauros, ævo quos collegere vetuſto
Innumeris crebro ſpoliatis gentibus Huni.

b *Adveniunt gentes Chriſto*) De Hunorum ad Chriſti fidem acceſſu Carolo gratulatur Alcuinus epiſt. VII. *Gentes*, inquit, *populoſque Hunorum, antiqua feritate & fortitudine formidabiles, tuis ſuo honori militantibus ſubdidit ſceptris Chriſtus, prævenienteque gratia colla diu ſuperbiſſima ſacræ fidei jugo devinxit, & cæcis ab antiquo tempore mentibus lumen veritatis infudit.* De Avarum vero converſione, nominatim, Auctor Engoliſmenſis: *ipſo*, inquit, *anno Tudun, cum multitudine Avarorum ad regem venit, & ſe ei dedit cum populo & patria ſua, & ipſe & populus ejus Chriſtiani facti baptizati ſunt.* anno DCCXCVII.

c *Ut veniunt Abares*) Res exigit ut pro *Arabes* legamus *Abares* ſeu *Avares*, quod liquet tum ex iis quæ proxime dicta ſunt de Avarum converſione, tum quia inanis alias hoc loco & ſine ſenſu foret Arabum iterata repetitio. Hortatur quippe ut Avarum exemplum ſequantur Arabes ſive Saraceni, quorum regia tunc apud Hiſpanos Corduba.

d *Circumdet proles Regem*) Progeniem Caroli magni tum maſculam, tum fœmineam, quæ vel nata, vel ſuperſtes erat cum ſcriberet, univerſam deinceps enumerat præter Pippinum Italiæ regem qui aberat, cum cæteri omnes patri adeſſent. Ad Theodulfi autem verſus lucem adferent verba Einhardi. *Hildegardem*, inquit, *de gente Suevorum, præcipuæ nobilitatis feminam in matrimonium accepit. De qua tres filios. Carolum videlicet, Pippinum & Hludowicum, totidemque filias Rotdrudim, Bertam & Giſlam genuit. Habuit & alias tres filias, Theodradam, Hildrudem, & Rotbaidem, duas de Faſtrada uxore, quæ de orientalium Francorum, Germanorum videlicet, gente erat; tertiam de concubina quadam, cujus nomen modo memoriæ non occurrit. Defuncta Faſtrada Luidgardim Alamannam duxit, de qua nihil liberorum tulit.*

Et nunc ardentes Rex acies flectat ad illos ,
Nunc ad virgineum flectat utrimque chorum ,
Virgineum ad cœtum , quo non eſt pulchrior alter ,
Veſte , habitu , ſpecie , corpore , corde , fide .
Scilicet ad Bertam , & Rodtrud , ubi ſit quoque Giſla ,
Pulcharum una ſoror ſit minor , ordo trium.
Eſt ſociata quibus a *Leutgardis pulchra virago ,*
Quæ micat ingenio cum pietatis ope .
Pulchra ſatis cultu , ſed digno pulchrior actu ,
Cum populo & ducibus omnibus una favet,
Larga manu , clemens animo, blandiſſima verbis,
Prodeſſe & cunctis , nemini obeſſe parat.
Quæ bene diſcendi ſtudiis ſtudioſa laborat,
Ingenuaſque artes mentis in arce locat .
Prompta ſit obſequio ſoboles gratiſſima regis ,
Utque magis placeat certet amore pio .
Pallia dupla celer , manuum ſeu tegmina blanda,
Suſcipiat Carolus , & gladium Ludoich .
Quo reſidente , ſuum grata inter baſia munus
Dent natæ egregiæ , det quoque carus amor.
Berta roſas , Chrodtrudh violas , & lilia Giſla ,
Nectaris ambroſii præmia quæque ferat.
Rothaidh poma , Hiltrudh Cererem, Tetdrada Lyæum ,
Quis varia ſpecies , ſed decor unus ineſt .
Iſta nitet gemmis , auro illa ſplendet & oſtro,
Hæc gemma viridi prænitet , illa rubra .
Fibula componit hanc , illam limbus adornat.
Armillæ hanc ornant , hancque monile decet .
Huic ferruginea eſt, apta huic quoque lutea veſtis ,
Lacteolum ſtrophium hæc vehit, illa rubrum .
Dulcibus hæc verbis faveat regi, altera riſu,
Iſta patrem greſſu mulceat, illa joco.
b *Quod ſi forte ſoror fuerit ſanctiſſima regis ,*
Oſcula det fratri dulcia , frater ei .
Talia ſic placido moderetur gaudia vultu ,
Ut ſponſi æterni gaudia mente gerat ,
Et bene ſcripturæ pandi ſibi compita poſcat :
Rex illam doceat , quem Deus ipſe docet .
c *Adveniant proceres , circumſtent undique læti ,*
Complere ſtudeat munia quiſque ſua ,
d *Thyrſis ad obſequium ſemper ſit promptus herile,*
Strenuus & velox ſic pede , corde , manu .
Pluraque ſuſcipiat hinc inde precantia verba ,
Iſtaque diſſimulet , audiat illa libens.
Hunc intrare jubens , hunc expectare parumper
Cenſeat, hunc intus , hunc tamen eſſe foris .
Regalique throno calvus hic impiger adſtet ,
Cunctaque prudenter, cuncta verenter agat .
e *Adſit Præſul ovans animo vultuque benigno,*

a *Leutgardis pulchra virago*) Uxor Caroli poſtrema , ut dictum eſt. Ubi & quando hæc nupſerit nemo docet : Turonis defunctam aſſirmant omnes anno dccci. Ejus porro formam & mores laudant etiam alii, ut Alcuinus de Leonis Papæ adventu ad Carolum Regem.

Procedit multa circum comitante caterva
Luitgardis Caroli pulcherrima nomine conjux :

& poeta Saxonicus de ejus obitu loquens,

Moribus & vitæ merito laudabilis omni ,
Cui nomen Luitgardis erat .

b *Quod ſi forte ſoror ſanctiſſima*) Giſla Deo devota. Einhardus in vita Caroli. *Erat ei unica ſoror , nomine Giſla , a puellaribus annis religioſæ converſationi mancipata , quam ſimiliter ut matrem magna coluit pietate : quæ etiam paucis ante obitum illius annis in eo quo converſata eſt monaſterio deceſſit.* hoc eſt, in cœnobio S. Mariæ Sueſſionenſi. Hinc Dei ſponſa dicta eſt a Poeta ,

Quid Giſla egregi ſponſa præpulchra Tonantis ?

Decennio junior erat Carolo. De hac enim accipiendum puto quod eſt in vetere Chronico dcclvii. *Nativitas Giſlanæ*. De eadem quoque agunt , & Giſilam vocant , Paulus Papa epiſt.v. ad Pippinum , & Hadrianus epiſt.iv. ad Carolum.

c *Adveniant proceres*) Palatii proceres partim ſuis nominibus deſignat , partim tralatitiis, more inter Caroli familiares uſitato. Sic enim apud Alcuinum rex ipſe paſſim David appellatur , & Homeri nomen Angilberto adſingitur, Dametæ Riculſo, Macarii Ricbodo , alia aliis. Quin & Thyrſis hoc loco , & Lentulus, & Menalcas, & pleraque alia , non propria ſed adſcititia ſunt nomina. * Sed Theodulphus pleroſque ex officiis quæ gerebant , vel ex aliis adjunctis ſic depingit, ut agnoſci facile poſſent.

* *Videſis Alcuini carm.* 221. 222. 259.

d *Thyrſis ad obſequium*) In iiſdem Thyrſis & Menalcæ nominibus ludit etiam Alcuinus Carm. ccxxi.

Perpetuum valeas Thyrſis ſimul atque Menalca ,
Et calidas habeat Flaccus per fercula pultes .

Quæ autem de Thyrſi a Theodulfo dicuntur, Camerarium innuere videntur, quæ de Menalca, regiæ menſæ præpoſitum, ſeu magiſtrum.

e *Adſit præſul ovans*) Hildeboldus Archicapellanus. ad hunc enim ſpectabat inter cetera regiæ menſæ benedictio. Succeſſerat autem in hoc officio paucis ante annis Angilramno, Metenſium Epiſcopo, Hildeboldus Epiſcopus Colonienſis. Synodus Francofordienſis Canone lvi. *Dixit etiam domnus Rex in eadem Synodo , ſe a ſede Apoſtolica, Adriano Pontifice , licentiam habuiſſe, ut Angilramnum Archiepiſcopum in ſuo palatio aſſidue haberet propter utilitates Eccleſiaſticas. Deprecatus eſt eandem Synodum , ut eo modo ſicut Angilramnum habuerat , ita etiam Hildeboldum habere debuiſſet , quia de eodem ſicut & de Angilramno Apoſtolicam licentiam habebat . Omnis Synodus conſenſit , & placuit eis eum in palatio eſſe debere propter utilitates Eccleſiaſticas.*

Ora

Ora beata ferens, & pia corda gerens.
Quem ſincera fides, quem tantus culminis ordo,
Pectus & innocuum rex tibi Chriſte dicat.
Stet benedicturus regis potumque cibumque,
Sumere quin etiam rex velit, ille volet.
[a] *Sit præſto & Flaccus noſtrorum gloria vatum,*
Qui potis eſt lyrico multa boare pede.
Quique ſophiſta potens eſt, quique poeta melodus,
Quique potens ſenſu, quique potens opere eſt.
Et pia de ſanctis ſcripturis dogmata promat,
Et ſolvat numeri vincla favente joco.
Et modo ſit facilis, modo ſcrupea quæſtio Flacci,
Nunc mundanam artem, nunc redibens ſuperam.
Solvere de multis rex ipſe volentibus unus
Sit bene qui poſſit ſolvere Flaccidica.
Voce valens, ſenſuque vigil, ſermone politus,
[b] *Adſit Riculfus, nobilis arte, fide.*
Qui & ſi longinqua fuerit regione moratus,
Non manibus vacuis jam tamen inde redit.
Dulce melos canerem tibi, ni abſens dulcis Homere
Eſſes; ſed quoniam es, hinc mea Muſa tacet.
[c] *Non Ercambaldi ſollers præſentia deſit,*
Cujus fidam armat bina tabella manum.
Pendula quæ lateri manuum cito membra reviſat,
Verbaque ſuſcipiat, quæ ſine voce canat.
Lentulus interſit, laturus dulcia poma,
Poma vehat calathis, cordis in arce fidem.
Cui ſunt arguti ſenſus, alia omnia tarda,
Ocior eſto probus Lentule voce, pede.
Nardulus huc illuc diſcurrat perpete greſſu,
Ut formica tuus pes redit itque frequens.
Cujus parva domus habitatur hoſpite magno,
Res magna & parvi pectoris antra colit.
Et nunc ille libros operoſus, nunc ferat & res,
Spiculaque ad Scotti nunc paret apta necem.
Cui dum vita comes fuerit hæc oſcula tradam,
Trux aurite tibi quæ dat aſelle lupus.
Ante canis lepores alet, aut lupus improbus agnos,
Aut timido muri muſio terga dabit,
Quam Geta cum Scotto pia pacis fœdera jungat,
Quæ ſi forte velit jungere, ventus erit.
Hic pœnaſve dabit fugiens ſimillimus Auſtro,
Utque ſit hic aliud, nil niſi Scottus erit.
Cui ſi literulam quæ eſt ordine tertia tollas,
Inque ſecunda ſuo nomine forte ſedet,
Quæ ſonat in Cælo prima, & quæ in Scando ſecunda,
Tertia in Aſcenſu, quarta in Amicitiis.
Quam ſatis offendit pro qua te litera Salvi
Utitur, haud dubium [d] quod ſonat hoc & erit.
[e] *Stet Levita decens Fredegis ſociatus Oſulfo,*
Gnarus uterque artis, doctus uterque bene.

---

[a] *Sit præſto & Flaccus*) Alcuinus, de quo iterum poſtea ſub Albini patris nomine jocatur. Poetam ſe Alcuinus quoque ipſe vocat, ut Carm. ccx. Angilbertum alloquens,

Dulcis Homere precor Flacci memor eſto poetæ.

& Carm. ccix.

Juſſerat Albinus vates hæc tecta parare.

Quod vero ſophiſtam quoque appellat Theodulfus, ſacræ ſophiæ peritum ex Alcuino ipſo interpretari licet, qui de ſuo in Galliam adventu ſic loquitur Carm. ccxi.

Albinus veniens peregrino vatis ab orbe,
His quem direxit præclara Britannia terris,
Suſcipit hunc Carolus hujus rex inclitus orbis,
Cum pietate, ſacra ſophia tum propter amorem.

[b] *Adſit Riculfus*) Duo hujus nominis inſignes erant in Caroli palatio, quorum uterque ipſius teſtamento ſubſcribit apud Einhardum; Riculfus Epiſcopus Moguntinus, & Riculfus Comes, de quo hic potius agi puto. De Homero autem, id eſt de Angilberto, ſuus erit poſtea locus.

[c] *Non Ercambaldi*) Etſi nomen non efferret, notarium tamen & commentarienſem tabellæ deſignarent. Sed Erchambaldi ſummi Cancellarii crebra in Annalibus eſt mentio. Atque hoc illum munere per hos annos functum oſtendit præceptum Caroli Magni pro Eccleſia Cenomanenſi anno dccxciv. Aquiſgrani datum ſubnotatumque his verbis, *Geneſius ad vicem Ercbambaldi*. & alterum de Eccleſia S. Carilephi cum eadem ſubſcriptione anno dccxcix.

[d] *Quod ſonat hoc & erit.*) Stolidus videlicet. Scottus enim, ſi *c* literam eximas, fit ſottus, quæ vox jam tum bardum & ſtolidum ſignificabat. Carmine 1xx. hujus libri ad Angilbertum *Hic Scottus ſottus*. Quo genere cavilli appetitum ſimiliter a Carolo calvo ferunt Scottum alterum Joannem Erigenam, ſed Erigenam acuto reſponſo eluſiſſe. De hoc autem Scotto ſive Scotello, quem iterum poſtea vexat, fueritne is Joannes Scottus, quem una cum Alcuino in Galliam veniſſe tradunt, non habeo quod affirmem.

[e] *Stet levita decens Fredegis*) Extat Alcuini ad Fredegiſum hunc libellus, in quo propoſitis ab eo de Trinitate quæſtionibus reſpondet. Fuerat enim ipſius diſcipulus, ut & Oſulfus. Extat Fredegiſi quoque ipſius Diaconi de Nihilo & de Tenebris epiſtola nondum edita, cujus hoc eſt exordium, *Omnibus fidelibus & domni noſtri*

a *Nardus & Ercambald ſi conjungantur Oſulfo,*
Tres menſæ poterunt unius eſſe pede.
Pinguior hic illo eſt, hic eſt quoque tenuior illo,
Sed menſura dedit altior eſſe pares.
Pomiflua ſolers veniat de ſede Menalcas,
Sudorem abſtergens frontis ab arce manu.
Quam ſæpe ingrediens piſtorum ſive coquorum
Vallatus cuneis jus ſynodale gerit.
Prudenter qui cuncta gerens, epulaſque dapeſque
Regis honoratum deferat ante thronum.
Adveniat pincerna potens Eppinus, & ipſe
Pulchraque vaſa manu, vinaque grata vehat.
Jam circumſedeant regalia prandia juſſi,
Lætitiæ detur munus ab axe poli.
Et pater Albinus ſedeat pia verba daturus,
Sumpturuſque cibos ore manuque libens.
Aut ſi, Bacche, tui, aut Cerealis pocla liquoris
Porgere præcipiat, ſors & utrumque volet.
Quo melius doceat, melius ſua fiſtula cantet,
Si doctrinalis pectoris antra riget.
Eſt procul pultes, & lactis maſſa coacti,
Sed pigmentati ſis prope menſa cibi.
Participent menſas epulis, & dulcia ſumant
Pabula, vina bibent ſtanſque ſedenſque ſimul.
His bene patratis, menſis dapibuſque remotis,
Pergat lætitia plebs comitante foras.
Hacque intus remanente, ſonet Theodulfica Muſa,
Quæ foveat reges, mulceat & proceres.
Audiat hanc forſan membroſus Uvibodus heros,
Concutiat craſſum terque quaterque caput.
Et torvum adſpiciens vultuque & voce minetur,
Abſentemque ſuis me obruat ille minis:
Quem ſi forte vocet pietas gratiſſima regis,
Greſſu eat obliquo vel titubante genu.
Et ſua præcedat tumefactus pectora venter,
Et pede Vulcanum, voce Jovem referat.
Hæc ita dum fiunt, dum carmina noſtra leguntur,
Stet Scottellus ibi, res ſine lege furens,
Res dira, hoſtis atrox, hebes horror, peſtis acerba
Litigioſa lues, res fera, grande nefas.
Res fera, res turpis, res ſegnis, reſque nefanda,
Res infeſta piis, res inimica bonis.
Et manibus curvis, paulum cervice reflexa,
Non recta ad ſtolidum brachia pectus eant.
Anceps, attonitus, tremulus, furibundus, anhelus,
Stet levis aure, manu, lumine, mente, pede,
Et celeri motu nunc hos nunc comprimat illos,
Nunc gemitus tantum, nunc fera verba ſonet.
Nunc ad lectorem, nunc ſe convertat ad omnes
Adſtantes proceres, nil ratione gerens.
Et reprehendendi ſtudio ferus æſtuet hoſtis,
Cui ſit poſſe procul, jam quia velle prope eſt.
Plurima qui didicit, nil fixum, nil quoque certum,
Quæ tamen ignorat, omnia noſſe putat.
Non ideo didicit, ſapiens ut poſſit haberi,
Sed contendendi ut promptus ad arma foret.
Multa ſcis & nulla ſapis, plura, inſcie, noſti,
Quid dicam inde magis? non ſapis, atque ſapis.
Rex ſua fulcra petat, habeat ſua manſio quemque:
Rex bene lætus eat, plebs bene læta meet.
At tu poſce pio reditum mea fiſtula regi,
*Et cunctis veniam quos ciet iſte * locus.*
Qui ne quem offendat, placeat dilectio Chriſti,
Omnia quæ ſuffert, cui bona cuncta placent.
Hac ope qui vacuus, qui tanto eſt munere nudus,

* *f.* jocus

ſereniſſimi Principis Caroli in ſacro ejus palatio conſiſtentibus, Fredegiſus Diaconus. Agitatam diutiſſime a quampluribus quæſtionem de Nihilo, &c. Abbatem poſtea fuiſſe Monaſterii S. Martini, & Cancellarium, ex variis Ludovici pii diplomatibus compertum eſt.

a *Nardus*) Qui ſupra Nardulus ob brevem ſtaturam. Alcuinus Carm. cclvi.

Janua parva quidem, & parvus habitator in æde eſt;
Non ſpernas Nardum, lector in corpore parvo.
Nam redolet nardus ſpicato gramine multum,
Me lapis egregium portat tibi corpore parvo:
Parva quidem res eſt oculorum, cerne, pupilla,
Sed regit imperio vivacis corporis actus.
Sic regit ipſe, domum totam ſibi Nardulus iſtam.
Nardule, dic lector pergens, tu parvule ſalve.

Sit licet infenſus, eſt mihi cura levis.
Qui te mundani regni rex extulit arce,
Præmia perpetui det meliora tibi.

II.

[a] SUPER SEPULCRUM HADRIANI PAPÆ.

AUrea funereum complectit litera carmen,
Verba tonat fulvus & lacrymoſa color.
Promere quæ Carolum compellit amorque dolorque
Me tuus, Hadriane Præſul amate nimis.
Pontificum ſpecimen, lux plebis, norma ſalutis;
Vir pie, vir ſapiens, vir venerande ſatis.
Mente nitens, formaque decens, ſenſuque renidens;
Inclyto amore vigens, ſpeque fideque cluens.
Tu decus Eccleſiæ, fax ſplendens urbis & orbis,
Carior egregie tu mihi luce pater,
Quem cum dira dies non exhibitura ſequentem,
Eripuit vivis, res patuitque mihi,
Protinus agnovi veteris veſtigia luctus,
Morſque parentum oculis eſt revocata meis.
Tædia Pippini ſenſi venientia morte,
Bertradamque dolor, pro dolor! iſte refert.
Cumque tui aſpectus, ſanctiſſime Papa, recordor;
Corque oculoſque meos nil niſi luctus habet.
Munera grata tibi incolumi mittenda parabam,
Triſtia nunc mœſto pectore dona paro.
Marmora pro tunicis, proque auro flebile carmen,
Quæ gerat urna capax jam tua parva domus.
Quam quis ab occaſu properans vel quiſquis ab ortu
Conſpicis, hic munus quod venereris habes.
Sexus uterque, ſenex, juvenis, puer, advena, civis,
Quiſquis es, Hadriano dic ſit amœna quies.
Præſulis iſtius ſemper tu Roma memento,
Qui tibi tutor ovum, murus & arma fuit.
Tu quoque ſucceſſor reſidens in ſede ſacrata,
Sis memor oro hujus, ſi Deus ipſe tui.
Huic prece grata quies detur Paulique Petrique,
Hunc quoque cælicolum cuncta caterva juvet.
Huic lucem concede piam, concede quietem,
Rex Deus, atque operis tu miſerere tui.
En eſt quod fuerat pulvis de pulvere ſumptus,
Sed putres cineres tu reparare vales.
Credo quod hic pulvis tranſacta morte reſurget,
Nec jam poſt tumulum ſic moriturus erit.
Hos apices quicumque legis, te noſce futurum
Hoc quod hic eſt, omnis hoc caro pergit iter.
Inde tuam mentem venturis caſibus aptans
Oratu & precibus ſis memor hujus, Ave.

III.

[b] AD ANGILBERTUM.

QUid cycni faciunt, reſonant dum talia corvi,
Et tectis ſtrepitant carmina multa meis?
Nunc fallax ſimulat hominis rea pica loquelam,
Deſpiciens volucres, fercula ſacra ſedet.
Pſittacus & varias imitatur voce camœnas,

a *Super ſepulcrum Hadriani Papæ*) Non videtur tamen Hadriani ſepulcro impoſitum hoc carmen fuiſſe, ſed alterum ex Caroli quoque perſona ſcriptum ab Alcuino. quod hodieque Romæ in marmore inciſum videre eſt, ſingulare argumentum regiæ benevolentiæ erga Pontificem, *præcipuum*, ut Einhardus teſtatur, *amicum ſuum, cujus nuntiato ſibi obitu ſic flevit, ac ſi fratrem aut cariſſimum filium amiſiſſet*,

b *Ad Angilbertum*) Abbatem, Caroli regis Secretarium & Capellæ miniſtrum, inter familiares præcipue carum. Abbatem omnes vocant, & inter Abbates qui Caroli magni Teſtamento adſuerunt, Angilberti quoque nomen adſcriptum eſt. Abbas autem fuit S. Richarii Centulenſis, quod Monaſterium opibus ſuis renovavit, ut docent Alcuini Carmina cxvi. & clxxvii. Auricularium ſive ſecretarium, Carolus ipſe appellat epiſtola xxciii. inter Alcuinianas, & epiſtola xxciv. *manualem*, quod eſt amanuenſem. Capellæ denique miniſtrum Hadrianus Papa Caroli Capitulari reſpondens, quod per Angilbertum acceperat. Hujus præterea in Annalibus memorantur Romanæ duæ aliæ legationes. Prior anno dccxcii; cum Felicem Urgellitanum ad Hadrianum eundem adduxit ut hæreſim iterum ejuraret. altera ad Leonem anno dccxcvi. quando ei ex Hunico theſauro munera obtulit, quæ Hadriano, niſi obiiſſet, fuerant deſtinata, de quibus in ſuperiori epitaphio,

Munera grata tibi incolumi mittenda parabam.

Commaculans muſas, a vatis Homere, tuas.
Mergulus atque niger Ligeri piſcator in undis,
Brigenſes ſylvas nunc habitare ſolet.
Et pennis pulchrum ſeſe putat eſſe pavonem,
Quæ laudes Lamuel addidit ecce tuas.
Vox reor æqua ſonat, fallit ſed penna colorem.
Nec varium rutilat hic decus in ſpecie.
Nunc monſtrat cuculus vernalis lumina Phœbi,
Balbula vox reſonat gutture rauciſono.
Nunc pluviam pendens ramis vocat improba cornix,
Se fallax vitas jactat habere novem.
Vox merulæ taceat, quatit anſer plectra paluſtris,
Vertice ſubmerſo ſordida quæque vorans.
Vernalis ſileat dulces acredula cantus,
Nocturnos reboat bubo inimica ſonos.
Increpat en iterum vates Balenſis aſellus,
Inſuetoſque ciet voce rudente ſonos.
Vertitur & ſubito ſtudia in contraria rerum,
Rideat Orpheum Tityrus auriſonum.
Orpheus in ſylvis putridas tu paſce capellas,
Tityrus aulenſes delicias ſequitur.
David in arce manet paucis cum forte puellis,
Pieriam ſufflat carmina quæque tubam.
In primis rutilat Flaccinas Delia muſas,
Poſt aliæ pariter organa ſacra boant.
Delia Treiciam jam pangit pollice chordam,
Floribus atque ornat tempora ſacra novis.
Vinnula melliſluas rimatur fiſtula Muſas,
Gutture ter quinos perſonat ecce tonos.
Flaccus abit ſenior pueris comitatus ab urbe,
Dum lux plena redit, tunc redit ipſe domum.
Ille habet ætatem, pro ſe reſpondeat ille,
Pro ſe proque ſuis verba dabit pueris.
Aut inſlare leves calamos mandaverit illis,
Vertice Sileni aut ſerta ligare ſenis.
Has paucas David cernit pſalmiſta camœnas,
Regales inter jam reſonans epulas.
Subjiciens paucos inter quoque licia tela
Delia femineos Virgiliana pedes.
Beſelel atque Lupum ſubito reſpexit inertem,
Quapropter tacuit ſuavia verba timens.
Dum Lupus aufugiet, redit in præcordia ſenſus,
Carminibus complet flumina', rura, domos.
Et quocumque die creſcunt in vertice thyrſi
Jam rutilæ crines, tunc canet ipſe quoque
Dum Lupus in ſcrinis quærit ſua carmina canus,
Inveniet forſan ut Maro tunc reſonat.
Lucius ipſe brevi depingit carmina notus,
Talia nec corvus diſcere forte valet.
Scottulus accinctus gladio te ſpectat acuto,
Perforet ut pectus, Corviniane, tuum.
Non timet hic corvos, volucri nec parceret ulli,
Si modo Damætam ſperat abeſſe procul.
Non pius eſt Scottus noſter Damata poeta,
Verſitur in luctum ludus ab ore procax.
Attamen arma minans Scottus jam prælia tentat;
Getulumque caput enſe ferire volens.
Hic Scottus ſottus cottus trinomen habebit,
Gutture gentilupum clamat & ipſe cavo.
Carmine verſifico fumoſo & diſtichon ore,
Hoc cecinit nobis ecce Menalca ſuo.
Exanimis vivum riſu percuſſit iniquo,
Sed tamen hæc pueris prælia proficiunt.
Tres pueri circum Danielis fercula gaudent,
Qui ſuperant flammas nobilitate fide.
Nunc Job immenſi numero fulgeſcit honoris,

---

a *Vatis Homere*) Jam monui Angilbertum joculari nomine Homerum vocitatum. Itaque Carolus Rex, cum ad eum de profectione ad Leonem ſcriberet, epiſtolæ titulum fecit, *Homero Auricolario*, eamdemque his verbis concluſit, *Vade reverſurus cum ſalute, Homeriane puer*. Sic & Alcuinus, tum in Epiſtolis, tum in Carminibus ſæpiſſime, ſed facete in primis, & eleganter in epiſtola XCII. in Ovidiano verſu ludens, *Si nihil attuleris, ibis Homere foras*. Refertum eſt totum hoc Theodulfi carmen ejuſmodi nominum mutationibus, quæ ab iis forte qui audiebant intelligi poterant, nunc inextricabiles videntur.

Pſalteriumque oculis fulget amore piis.
In medio David ſceptro regit omnia, largas
Diſponens epulas ordine pacifico.
Et pius Aaron benedicit cuncta per aulam,
Sanctificans verbis fercula cuncta ſacris.
Et Nemias, Solymam qui jam renovaverat urbem,
Bacchipotens calvus dulcia vina feret.
Qui locus eſt corvo hac inter convivia nigro?
In ſilvis maneat inter & ipſe lupos.
Ni tamen Helias depurget crimina corvi,
Convocet atque iterum ad fercula ſacra ſibi.
Hiſpani potus Hardberd ſervator avarus,
Armatus Cerere totus in æde ſua.
Et calidum ſceptro verſat callare culinis,
Ut bibat hoc gelidum, quod movet hic calidum.
Graculus & Putifar inviſus forte puellis,
Armatus fruſtra prælia nulla gerens.
Quem ſocii pariter Bagao comitantur & Egeus?
Ex tribus his truncis non erit unus homo.
Hi reor in cameris non ſunt jam ſponte fideles:
Sæva manus medici cogit habere fidem.
Filius & vidua Hiram bene conſtruit ædem
Altithrono Chriſti auxilietur opus.
Hos inter Nembroth gigas, venabula quaſſat,
Qui telis corvum fronte ferire parat.
Et mare velivolum turbans Polyphemius ingens,
Mergulus ut nequeat effugere aut pelago,
Hi duo diſpariles membris, ſed mente minaces,
Ille pedes corvi franget, & iſte caput.
Pygmalei tantum cupientes quærere pacem,
Propter bella gruum Corvule nigre tibi,
Hæc tibi ſufficiant venienti, triſpeda tantum
Verbis ſufficiant hiems, ſitis, atque fames.
Nos noſtros nobis noſtra teneamus in aula
Triſpedicos fratres, ſit tibi turba brevis.
Hos tantum teneas acerrime Corvule verſus:
Sæpius atque legens pectore conde tuo.
Dum veniet Flaccus pueris comitatus & odis:
Tunc ſperare licet jam potiora tibi.
Nunc tibi tot ſalve, quos ſunt in vertice crines
Albentes, ſic tu, Corviniane, vale.

IV.

a AD GISLAM.

Giſla favente Deo venerabile ſuſcipe donum,
Quod tibi Teudulfus dat pater ecce tuus.
Nam tibi pſalterium præcepi ſcribier iſtud,
Argento atque auro quod radiare vides.
Quo prior Hebræo concordat pagina vero,
Editio ut priſca eſt mox habet inde ſequens.
b *Quas bene Hieronymus hanc transfert, corrigit illam,*
Senſibus egregiis utraque crede micat.
Adſidua quod tu & ſtudioſa, mente frequenta,
Senſibus atque ejus ſtrenua ſubde tuos.
Organum hoc in gremio, modulamina mente teneto,
Hoc plectro, his ſiſtris ſit tua plena manus.
Hoc te dulce melos recreet, hæc tympana plecte,
Hæc ſonet harpa tibi, perſtrepat iſta lyra.
Hoc modo cantando, modo pertractando recurre,
Quo mage divinus hinc tibi creſcat amor.
Adſidue ſi ores, tibi ſit ſi lectio crebra,
Ipſa Deo loqueris, & Deus ipſe tibi.
Sit tibi larga manus, mores compti, actio prudens,
Unde creatori rite placere queas.
Sit lanæ ſtudium, ſit cura domeſtica ſemper,

a *Ad Giſlam*) Filiam ſuam, ut mox indicat,
Quod tibi Theudulfus dat pater ecce tuus.
pater nimirum factus ante ſuſceptum Epiſcopatum.

b *Quas bene Hieronymus*) Duo circa Pſalterium præſtiterat Hieronymus. priſcam juxta Septuaginta Latinam verſionem emendarat, & novam alteram juxta Hebraicum procuderat, utriuſque operis ſui meminit ſub finem libri 1. adverſus Rufinum. *Pſalterium quoque, quod certe emendatiſſimum juxta Septuaginta Interpretes noſtro labore dudum Romæ ſuſcepit, rurſum juxta Hebraicum vertens præfatione munivi.* Utrumque Theodulfus in hoc ſuo codice conjunctum ſignificat.

Mens tua quo ſamulos mulceat, atque virum,
Actibus in cunctis teneat diſcretio regnum,
Hac ornare libens, hac duce vita manet.
Sperne mala, ſectare bonum, gere cuncta decenter,
Efferat ut prorſus te generoſa ſalus,
Caſta vige conjux longum cum conjuge caſto,
Et vos effectus lætificet ſobolis.
Suaveque Giſla tuo feliciter a *utere rico,*
Cumque illo felix dante ſeneſce Deo.
Sitis avi & proavi, petat ut vos turba nepotum?
Det donum hoc vobis qui dedit hoc patribus.
Spes, decus, ordo, fides, pietas, concordia, virtus,
Gratia, paxque Dei ſint tibi ſemper, Ave.

V.

b AD REGINAM.

O regina potens, o magni gloria regis,
O populi, o cleri luxque decuſque vigens,
Te pater altithronus longum conſervet in ævum.
Et proſis populis Eccleſiæque Dei.
Tu lux & ſplendor, tu regni inſigne decuſque,
Tuque decore elui s cum pietatis ope.
Et ſociata pio & meriti data munere regi,
Quem Deus exaltat, cui bona cuncta parat:
Ejus in auxilium tu nocte dieque laboras,
Illius & ſemper nomen ad alta levas.
Corpore pulchra manes, mente es ſed pulchrior ipſa,
In dubio eſt hinc ſis prorſus an inde prior.
Pulchra es verborum ſenſu, ſed pulchrior actu:
Tu tamen es vitrix ſola in utroque tui.
Qui bona velle tibi conceſſit tanta creator,
Perficere hic donet, te & ſine fine juvet.
Balſameum regina mihi tranſmitte liquorem,
Quo bene per populos chriſmatis unguem cat.
Inde ſeges creſcet tibimet mercedis opimæ,
Chriſticolum nomen cum dabit unguen idem.
Det tibi cunctipotens vitam & pia dona ſalutis,
Utque memor noſtri ſis ſine fine, Vale.

VI.

AD REGEM.

Rex benedicte vale, valeas per tempora longa,
Detque tibi ſummus proſpera cuncta bonus.
Nam tua proſperitas decus eſt & gloria plebis
Chriſticolæ, cui tu tutor es atque pater.
Tutor opum es, vindex ſcelerum, largitor honorum,
Quæque facis fiunt hæc moderante Deo.
Arma es Pontificum, ſpes & defenſio cleri,
Per te Pontifices jura ſacrata tenent.
Mentior, c *expertus ſi non Leo præſul id ipſe eſt,*
Quod recinet modulo fiſtula noſtra brevi.

---

a *Utere rico*) Sic legendum ex manuſcripto, non *e r ico*. Giſlæ enim maritum inquit fuiſſe *Suavaricum*, cujus nomen metri cauſa dividit. Quare *Suaveque Giſla tuo feliciter utere rico*, per tmeſim dictum eſt, ut apud Virgilium *ſeptem ſubjecta trioni*. Fuerat autem apud Aurelianos non ante plurimos annos Suavaricus alter Epiſcopus, quocum ut nomine, ita & genere conjunctum hunc fuiſſe veriſimilis eſt conjectura.

b *Ad Reginam*) Luidgardim, de qua jam dictum eſt. Ab hac balſamum petit, unde fiat chriſma quod nomen dat Chriſtianis. Hoc enim eſt quod ait, *Chriſticolum nomen cum dabit unguen idem*. Suſcepto enim chriſmate chriſti ſunt, id eſt, uncti. Quo alludens Cyprianus epiſt. lxx. *Ungi quoque*, ait, *neceſſe eſt eum qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, id eſt unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit*.

c *Expertus eſt Leo Præſul*) Quippe qui a Romanis ſede ſua dejectus, cum ad Carolum regem confugiſſet, in ſedem ſuam ab illo reſtitutus eſt. Dejectus eſt anno dccxcix. ſequenti reſtitutus. Oculorum illi erutorum, linguæque amputatæ meminit etiam Einhardus, in Annalibus, & Poeta Saxonicus, aliique. Alcuinus vero de re certior a Carolo factus, in hæc illi verba, quæ Theodulficis conſonant, reſpondit epiſt. xi. *Ecce in te ſolo tota ſalus Eccleſiarum Chriſti inclinata recumbit. Tu vindex ſcelerum, tu rector errantium, tu conſolatio mœrentium, tu exaltatio bonorum. Nonne Romana in ſede, ubi religio maxime pietatis quondam claruerat, ibi extrema impietatis exempla emerſerunt? Ipſi cordibus ſuis exacti excæcaverunt caput proprium.* Eodemque etiam pertinent ſequentes epiſtolæ xii. & xiii.

Quem male dejecit ſua gens, urbe atque cathedra,
Quem letho potius quam tibi, vita, parat.
Quem bene ſuſcepit tua, rex, miſeratio clemens,
Solatur, mulcet, perſovet, ornat, alit.
Quem furibunda manus ſpoliavit lumine, lingua,
Veſtibus & ſacris, ordinibuſque piis.
Reddidit hæc Petrus, quæ Judas abſtulit ater,
Hic qui confeſſor, proditor ille Dei eſt.
Seditioſa cohors Judam eſt hac parte ſecuta,
Ille necem Domini, præſulis iſta volens.
Reddita namque negat, negat hæc ablata fuiſſe,
Hæc auferre tamen ſe voluiſſe canit.
Reddita ſunt, mirum eſt, mirum eſt auferre nequiſſe,
Eſt tamen in dubio hinc mirer an inde magis.
Nam ſalvare Petrus cum poſſet in urbe Quirina,
Hoſtibus ex atris inſidiiſque feris,
Hoc tibi ſalvandum rex clementiſſime miſit,
Teque ſua voluit fungier ille vice.
Per ſe reddit ei membrorum damna pavenda,
Et per te ſedis officiique decus.
Cæli habet hic claves, proprias te juſſit habere,
Tu regis Eccleſiæ, nam regit ille poli.
Tu regis ejus opes, clerum populumque gubernas,
Hic te cælicolas ducet ad uſque choros.
Ergo ſede tuta ſanate in ſede ſacerdos,
Et regi a Domino poſce libenter opem.
Ut det ei Chriſtus vitam, tribuatque ſalutem,
Illius & regnum ſemper ad alta levet.
Te pater altithronus rex ſalvet tempore longo,
Et tibi det vitam ſive ſalutis opem.
Pro vobis Sancti Dominum orentque petantque,
Quorum animas cælum, corpora terra tenet.
Te plebs, te clerus ſitiunt in partibus iſtis
Cernere, ſim voti compos & ipſe mei.
Atque utinam dominus te iſtas deducat ad arces,
Et videat Dominum urbs Aureliana ſuum.
Sit tibi vita, ſalus, pietas, benedictio Chriſti,
Rex pie, rex ſapiens, rex ſatis apte Deo.

VII.

QUÆ SINT DICENDA AMICO CUM CONSPICIT bona amici.

Cumque tuas conſpectat opes tibi dulcis amicus,
Verba hæc tu læto lætus & ipſe dabis.
Hæc bona quæ cernis tibi ſint communia mecum:
Qui bonus eſt, horum hic quoque compos erit.
Nec dare te pigeat, dare res mihi credito pulchra eſt:
Nil dans nil capies, ſi dabis ipſe feres.
Plena falce metet qui grandia ſemina ſevit:
Sic dominum cultus lætificabit ager.
Cumque vides aliquem facie non nomine notum,
Ac ſi in utroque bene ſit tibi notus, ama.
Nec dare te pigeat pia verba, aut oſcula grata:
Dumque facis, curam nominis ejus habe.
Ut ſolet, id vocitante alio ſors noſſe valebis,
Aut caſu ſeſe nominat ipſe aliquo.
Si latet, eſt error, pudor at ſi voce requiras,
Si diſcas clam, error & pudor omnis abeſt.
Qui tibi ſe notum putat, aut ſors extitit olim,
Ni proprio vocitas nomine, triſtis erit.
Nomina ſeu mores docturus diſcito plebis:
Dumque doces, proprio nomine quemque voca,
Cum magnis magnus, cum parvis parvulus eſto,
Omnibus ut factum ſe quoque Paulus ait.
Actibus eſt etiam in multis modus iſte tenendus,
Nos quædam ut lateant, publica plura ſiunt.

VIII.

DE VULPECULA INVOLANTE GALLINAM.

Est locus, a hunc vocitant Carroph cognomine Galli,
Quo patet electis aulica porta poli.
Quo Salvatoris ſub nomine pranitet aula,
Quove Monaſterii clauſtra decora manent.
Enitet hic rutilo Sanctorum pignore fretus,
Vivit & eximie turba fidelis ibi.
*Denique Rotharius * Comes ingens, inclytus heros,*
Conjuge cum Eufraſia condidit iſtud opus.
Hoc fulvo argento, gemmiſque exornat, & auro,
Aſtuit & libris, veſtibus atque ſacris.
Pradia, prata, domos, ſilvas, vineta, colonos,
Et pecora, & pecudes, & bona quaque dedit.
Largis dira quibus manibus pellatur egeſtas,
Æthereo fructus ſuſcipiente penu.
Ut Deus hunc ſummus peccamine purget ab omni,
Calicoliſque pius jungat in arce choris.
Partibus ex atris ſtudet hunc defendere Chriſtus,
Quem proprium ad cultum conſecret ipſe locum.
Sueverat infeſtis vulpis captare rapinis
Quaque paranda forent quis alimenta viris.
Et qua mille trahens penras expanſa colores
Gignit, verſuta hac quoque fauce vorat.
Neſcia tunc manſit monachorum digna caterva,
Qua ferret peſtis talia damna ſibi.
Protinus aligeram rapuit pellacia vulpis
Gallinam, hinc patuit fraudis operta via.
Barbara pradatrix pariter cum pondere prada
Stipitis in parte ſponte pependit hebes.
Sponte pependit hebes, cunctis viduata Maandris,
Fraudibus & variis undique finis erat.
Alitis illa caput recavo conſumpſerat ore,
Manſere intacta cetera membra ſimul.
Arbore namque minor, virgis erat altior alnus,
Artificis qua tu pes retinendus eras,
Altius ut poſſit pertingere dextra levantis
Saxa quibus paries ſurgat ad alta celer.
Hac pendebat atrox pradatrix, peſtis & inde
Huc illuc torſit cola caputque tremens.
His viſis, gaudet monachorum turba fidelis,
Admiranda videns ſigna favente Deo.
Fur procul atque procul hinc omnis abeſto profane,
Damonis error abi, Angelus alme veni.
Invidia preſſis habitet concordia tellis,
Inque iſto regnet ſpeſque fideſque loco.
Proſpera quaque Deus tribuens adverſa repellat,
Paſcantur mentes nectare Chriſte tuo.

a Rotgarius.

IX.

DE QUODAM MILITE, QUI PERDITUM EQUUM ingenio reperit.

b Sæpe dat ingenium quod vis conferre negabat,
Compos & arte eſt qui viribus impos erat.
Ereptum furto caſtrenſi in turbine quidam
Accipe qua miles arte recepit equum.
Orbus equo fit praco, cietque ad compita voce,
Quiſquis habet noſtrum reddere certet aquum.
Sin alias, tanta faciam ratione coactus,

a *Hunc vocitant Carroph*) Locus eſt in diœceſi Pictavica, ubi conditum eſt, de quo hic ſermo, S. Salvatoris monaſterium, quod Carroficum Fulbertus epiſt. cxvII. Monaſterium Carrofinii dicitur, ſi mendum non eſt, in Conſtituto Aquenſi de Monaſteriis quæ militiam vel dona debent, aut non debent,

b *Sæpe dat ingenium*) Ediderat inter vetera poemata hoc epigramma Petrus Pithœus, ſed ſine auctoris nomine, ac mutilum quatuor verſibus, quos ex codice noſtro ſupplevimus.

Quod

Quod noſter Roma fecit in urbe pater.
Res movet hæc omnes, & equum fur ſivit abire,
Dum ſua vel populi damna pavenda timet.
Hunc herus ut reperit, gaudet, potiturque reperto,
Gratanturque illi quis metus ante fuit.
Inde rogant quid equo fuerat facturus adempto,
Vel quid in Urbe ſuus egerit ante pater.
Sellæ, ait, adjunctis collo revehendo lupatis
Sarcinuliſque aliis, ibat onuſtus inops.
Nil quod pungat habens, calcaria calce reportans,
Olim eques, inde redit ad ſua tecta pedes.
Hunc imitatus ego feciſſem talia triſtis,
Ni foret iſte mihi, crede, repertus equus.

X.

QUOD POTESTAS IMPATIENS CONSORTIS SIT.

F*Abula Geryonem tricipem regnaſſe canit, quod*
Unum cor potuit fratribus eſſe tribus.
Pagina veridico recinit ſermone beata,
Figmenta exſuperans omnia lege pia,
Terrea germanos ob regni culmina reges
Crudeli quoſdam fraude dediſſe neci.
Omnibus hoc votis, omni eſt hoc arte cavendum.
Ne noſtro in ſæclo tale quid eſſe queat.
Gentibus unus erat pridem ferme omnibus uſus,
Unus ut e fratrum corpore ſceptra gerat,
Cetera nitatur magni pars eſſe ſenatus,
Ut regni ſolidus continuetur apex.
Aſſyriis, Phariis, Hebræis mos fuit iſte,
Genti & Achæmeniis quæ fuit ante locis.
Morem hunc Parthus habet, hunc Atticus, atque Quirites,
Decolor hunc Indus, hunc Agarenus habet.
Mos fuit iſte Getis, Hunis, Mauriſque nigellis,
Et reor Æthiopas mos habet iſte tetros.
Thracibus & Phrygibus, tibi ſeu Lacedæmona tellus,
Gens ſi qua aut modo fert ſceptra, vel ante tulit.

XI.

IN FRONTE DOMUS.

Q*Ui Romam Roma Turonum Turonove catervas*
Ire redire cupis ſcandere, cerne, vide.
Hinc ſata ſpectabis, vites, & clauſtra ferarum,
Flumina, prata, vias, pomiferumque nemus.
Hæc dum conſpicies, dum plurima grata videbis,
Auctoris horum ſis memor ipſe Dei.

XII.

ITINERARIUM.

M*Ox tamen imbelles petit inde profectio noſtra*
Lemovices, populos omnes ſervire paratos.
Horum opulenta fuit nobis urbs hoſpita, donec
Uſibus humanis novies ſol aſtra fugaret,
Aureduſque expectanti ſe jungeret alæ.
Illic Abbatum, cleri ſeu cetera turba
Nos bene deliciis crebra bonitate refecit.
Cum multo in noſtros plebes madefacta Lyæo
Irruit, & noſtri ſeſe defendere certant.
Impius antiquam gladius conſumeret urbem,
Me miſerum, & nobis atrox jactura veniret,
Ni foret Ephraim, ſeu Mancio presbyter iret,
Quo prohibente furor ceſſavit mortis utrimque.
Sagmatibus tandem his quæ poſtulat uſus onuſtis,

a *Sæpe dat ingenium*) Ediderat inter vetera poematia hoc epigramma Petrus Pithœus, ſed ſine auctoris nomine, ac mutilum quatuor verſibus, quos ex codice noſtro ſupplevimus.

Nos hinc digreſſos cepit a Petricordia tellus.
Inde tuas refluas petimus Dordonia ripas.
Vix ubi deflexis elementi mole fluentis,
Ulteriora ſubis patuerunt litora equinis.
Quos ter flumineis celeres injecimus undis,
Vocibus inſtantes, lapidum ſeu jactibus ipſis,
Ter tamen invalidos fluviali pondere jactos,
Per vada, per rupes, per ſaltus, perque cavernas,
Sollicita invenit quærentum turba trementes.
Hos trepidare reor monſtrum miſerabile, litus
Fecerat ulterius, terraſque pavere jacentes.
Pallida namque fames nummorum forte redundans,
Quæ Populana tuas vaſtabat Gallia terras.
Hæc poſt, undivagos cymbis trajecimus amnes.
Cornipedes udis trahimus nectendo capiſtris,
Obvia ſeſe ultro noſtris adſpectibus offert.

THEODULFI
EPISCOPI AURELIANENSIS
CARMINUM LIBER QUARTUS.

I.
DE LIBRIS QUOS LEGERE SOLEBAM, & qualiter fabulæ poetarum a philoſophis myſtice pertractentur.

Namque ego ſuetus eram hos libros legiſſe frequenter,
Extitit ille mihi nocte dieque labor.
Sæpe & Gregorium, Auguſtinum perlego ſæpe,
Et dicta Hilarii, ſeu tua, Papa Leo.
Hieronymum, Ambroſium, Iſidorum, fulvo ore Joannem,
Inclyte ſeu martyr te Cypriane pater.
Sive alios quorum deſcribere nomina longum eſt,
Quos bene doctrinæ vexit ad alta decus.
Legimus & crebro gentilia ſcripta ſophorum,
Rebus qui in variis eminuere ſatis.
Cura decens patrum nec erat poſtrema piorum,
Quorum ſunt ſubter nomina ſcripta vide.
b *Sedulius, Rutilus, Paulinus, Arator, Avitus,*
Et Fortunatus, tuque Juvence tonans.
Diverſoque potens prudenter promere plura
Metro, o Prudenti, noſter & ipſe parens.
Et modo Pompeium, modo te Donate legebam,
Et modo Virgilium, te modo, Naſo loquax.
In quorum dictis quamquam ſint frivola multa,
Plurima ſub falſo tegmine vera latent.
Falſa poetarum ſtylus affert, vera ſophorum,
Falſa horum in verum vertere ſæpe ſolent.
Sic Proteus verum, ſic juſtum Virgo repingit,
Virtutem Alcides, furtaque Cacus inops.
Verum ut fallatur, mendacia mille pateſcunt,
Firmiter hoc ſtricto priſtina forma redit.
Virginis in morem vis juſti inlæſa renidet,
Quam nequit injuſti commaculare lues.
Greſſibus it furum fallentum inſania verſis,
Ore vomunt fumum probra negando tetrum.
Vis ſed eos mentis retegit, primitque, quatitque,
Nequitia illorum ſic manifeſta patet.
Fingitur alatus, nudus, puer eſſe Cupido,
Ferre arcum & pharetram, toxica, tela, facem.

a *Petricordia tellus*) Petrocorica. Neque hic ſolum hoc modo interpolatum id nomen occurrit. Nam idem ipſum in antiquis etiam exemplaribus Paulini, qui libros VI. Carminum de S. Martini vita ſcripſit, in operis titulo adfixum, auctoris nos patriam docuit.

b *Sedulius, Rutilus*) Quem Rutilum poetam intelligat dicere non habeo, præter Rutilium Numatianum. Sed mirum ſit inter Poetas Chriſtianos numerari eum qui Chriſtianus non fuit. Itaque Fortunatus qui lib. I. de vita S. Martini ſeptem alios recenſet, Rutilium omittit.

Quod levis, alatus, quod aperta eſt crimine, nudus,
Sollertique caret quod ratione, puer.
Mens prava in pharetra, inſidiæ ſignantur in arcu,
Tela prius virus, fax tuus ardor amor.
Mobilius levius quid enim vel amantibus eſſe
Quit, vaga mens quorum ſeu leve corpus ineſt?
Quis facinus celare poteſt quod amor gerit acer,
Cujus ſemper erunt geſta retecta mala?
Quis rationis eum ſpiris vincire valebit,
Qui eſt puer effrænis & ratione carens?
Quis pharetræ latebras poterit penetrare malignas,
Tela latent utero quot truculenta malo?
Quo face conjunctus viroſus proſilit ictus,
Qui volat, & perimens vulnerat, urit, agit?
Eſt ſceleratus enim mœchiæ dæmon, & atrox,
Ad luxus miſeros ſæva barathra trahens.
Decipere eſt promptus, ſemperque nocere paratus,
Dæmonis eſt quoniam vis, opus, uſus ei.
Somnus habet geminas, referunt ut carmina, portas,
Altera vera gerit, altera falſa tamen.
Cornea vera trahit, producit eburnea falſa:
Vera vident oculi, falſa per ora meant.
Raſile nam cornu, tener & tranſlucet ocellus,
Obtunſumque vehit oris hiatus ebur.
Non ſplendorem oculis, non ſentit frigora cornu,
Par denti atque ebori viſque colorque manet.
Eſt portis iſtis virtus non una duabus,
Os fert falſa, oculus nil niſi vera videt.
Pauca hæc de multis brevibus conſtricta catenis
Exempli cauſa ſit poſuiſſe ſatis.

II.

a DE SEPTEM LIBERALIBUS in quadam pictura depictis.

Diſcus erat tereti formatus imagine mundi,
Arboris unius quem decorabat opus.
Hujus Grammatica ingens in radice ſedebat,
Gignere eam ſemet ſeu retinere monens.
Omnis ab hac ideo procedere cernitur arbos,
Ars quia proferri hac ſine nulla valet.
Hujus læva tenet flagrum, ſeu dextera machæram,
Pigros hoc ut agat, radat ut hæc vitia.
Et quia primatum ſapientia geſtat ubique,
Compſerat illius hinc diadema caput.

a *De ſeptem liberalibus*) De his ex Codice Vaticano incerti auctoris, ſed Theodulfo, ni fallor, antiquioris, Tetraſticha olim exſcripſimus, non indigna quæ hoc loco proponantur.

SAPIENTIA.

Me pater ingenitus genuit ſermone coævam,
Quam nec corpus alit, nec locus ullus habet.
Aſt ego terrigenas epulis adduco paternis,
Soli namque carent quos ſimul ire piget.

ASTRONOMIA.

Mira mihi facies animuſque volubilis inſtat,
Tot gero quippe oculos, quot capit aſtra polus.
Mammas quinque tenens, unam tamen igne peruſtam,
Et binas placidas, atque duas gelidas.

MUSICA.

Lætitiæ de fonte fluo dulcedinis auctrix,
Pars quoque nulla mea eſt ſine lætitia,
Harmoniumque melos, terno modulamine diſtans.
Dum ſine me reboat, utilitate caret.

GEOMETRIA.

Qui mea forte cupis ſtudio penetrare ſecreta,
Ille prius varias debet adire feras.
Luminibus ſenis nitto, ternis faciebus,
Cumque radioque plagas molior exagonas.

ARITHMETICA.

Sum tennis facie, multiſque fugacibus alis:
Qui me noſſe velit ſemper amando colat.
Naſcor inæqualis mira poſitura figuras,
Germaniſque tribus fons & origo manens.

RHETORICA.

Lingua perita mihi nomen dedit atque loquela,
Sed tamen indoctos viſito ſæpe viros.
Nam per me ſuperat qui me non viderat unquam.
Quam magis ille facit qui mea jura ſapit?

DIALECTICA.

Nil dubie concedo loqui, ſed certa recludo,
Fœmina læta ſitis ſtringere docta locis.
Quippe in quinque modis totum determino quod eſt.
Nec minus, aut majus, eſt ſed ut omne canens.

GRAMMATICA.

Pulchra medela fio balbis dum reddo loquelas,
Oris enim vitiis ſum medicina potens,
Sex etiam foliis guſtum compono ſalubrem,
Poſtea mille modis addo ſalutis opes.

Et quia te ſenſus bonus, aus opinatio gignit,
Amba hic adſiſtunt celſa ſophia tibi.
Arboris illius recto de ſtipite rami
Undique conſurgunt e regione ſibi.
Dexter Rhetoricam habet, & Dialectica temet,
Virtutes lævus quatuor atque gerit.
Rhetorica atque foro dextram protenſa ſedebat,
Turrita atque urbis fabrica ſtabat ei.
Jura quod eloquio peragit civilia magno,
Litibus & populi dedere fræna ſolet.
Corporis arx alas revehit, caput atque leonis,
Fecerat artificis quæ bene docta manus.
Verborum levitas alis, virtuſque leonis
In capite eloquii congrua ſigna dabant.
Sic capite & pedibus geſtans caducifer alas,
In verbis curſum ſignat ineſſe levem.
Haud procul hinc ſedit ſenſus Dialectica mater:
Illa videbatur ſtans, erat iſta ſedens.
Par quibus in ſenſu, diſpar in pluribus actus:
Stando quod illa boat, iſta ſedendo legit.
Illa tumultifluas ſedes petit, iſta remotas:
Illa forum jugiter appetit, iſta ſtylum.
Oribus illa modum componit, moribus iſta,
Illaque fons verbis, ſenſibus iſta manet.
Læva caput monſtrat, corpus tamen occulit anguis;
Dum nil dextra tenet quis petit illa petat.
Quæ proponit & aſſumit, concludit acute,
Incautum ut ſolers mox petat angue ſuo.
Hæc vera a falſis ſtudio diſcernere magno
Æſtuat, & veri ſcit reperire viam.
Hoc Logica, aſt alio confederat Ethica ramo:
Hæc ratione viget, moribus illa probis.
Hac in parte locum retinet prudentia primum,
Quæ ſanctæ vitæ perdere neſcit iter.
Stabat ibi gravitate pia, librumque tenebat,
Ut queat imbutus hoc ſuus eſſe ſequax.
Proxima vis illi ſtabat fortiſſima virtus,
Inſignita armis, officiiſque ſuis.
Altera namque manus ſicam tenet, altera parmam,
Tectum erat & cono caſſidis omne caput.
Quo queat horrendas vitiorum vincere larvas,
Et pia libertas quo bene tuta fiat.
Hanc prope juſtitia gladium palmamque tenebat,
Libra erat in cujus ſive corona manu.
Quis tormenta ferat non juſtis, præmia juſtis,
Pondere ſeu juſte dicta vel acta probet.
Hanc prope temperiem præbens moderatio ſtabat,
Fortia fræna vehens ſive flagella manu,
Quis pigros ſtimulet, veloces temperet, & quis
Æquus ut æquatis curſibus ordo meet.
Arboris at magnæ ſurſum tendebat imago,
Ibat & in celſum ſtips bene rectus ei.
Quem numerorum ulnis ars amplexata tenebat:
Stare videbantur ramo in utroque pedes.
Iſta manus numeros retinebat, & illa volumen,
Quam conſtat matrem, Phyſica, ineſſe tuam.
Hanc ſuper ex primis geminæ procedere ramis
Cernuntur, ſimiles e regione ſibi.
Muſica in unius reſidebat parte ſonora,
Arte videbatur fila movere lyræ.
Et cui diſparibus calamis eſt fiſtula ſeptem,
Qui numerus celebris myſtica multa gerit.
Stabat & acclinis læva in Geometrica parte,
Dextra manus radium, læva vehit rotulam.
Et radius teretem metitur comminus orbem,
Ætherias zonas & rota quinque tenet.
E quibus extremæ geminæ ſunt frigore preſſæ,
Torrida per medium temperat una duas.
Inter quas medius ſtips ſurgens ibat in altum,
Ars & ab Aſtrologis culta retentat eum.
Huic caput alta petens onerabat circulus ingens,
Quem manibus geminis brachia tenſa tenent.
Circulus aſtriferi formatus imagine cæli,

Quem ſignorum implet flammeus ordo decens.
Signa quater terna hunc, ſive aſtra errantia ſeptem,
Lege, vice, exornant curſibus, orbe, locis.
Hinc aries, taurus, gemini, cancerque, leoque,
Virgoque cum curru, libraque, ſive nepa.
Arcitenens, capricornus, aquarius, & duo piſces,
Circumdant orbem per ſua ſigna poli.
Sol, Luna, & Mars, Cylleni, Jovis, & Cytherea,
Et Saturne gravis, itis in orbe dies.
Nec tibi diſpliceant gentilia nomina, lector.
Iſte vetuſtatis mos datur a patribus.
Septenis aſtris & ſignis bis duodenis,
Dirigitur menſis, annus, & ipſe dies.
Illa diebus eunt aptata, & menſibus iſta,
Hebdomades iſtis, conſtat & annus eis.
Arbor habebat ea, & folia, & pendentia poma,
Sicque venuſtatem & myſtica plura dabat.
In foliis verba, in pomis intellige ſenſus,
Hae crebro accreſcunt, illa bene uſa cibant.
Hac patula noſtra exercetur in arbore vita,
Semper ut a parvis editiora petat:
Senſus & humanus paulatim ſcandat ad alta,
Huncque diu pigeat inferiora ſequi.
Ethica Grammatica, Logica & mox jungitur illis,
Phyſica cum ſociis artibus atque ſedet.
Quarum ſuprema ſedem ſibi legit in arce
Quæ legem aſtrorum continet atque poli.
Eloquium Mores, Logica illas alma ſequatur,
Ut naturales res bene noſſe queat.
Et convexa poli cantus terraſque peragret,
De mundi & rebus æthera celſa petat.

III.
ALIA PICTURA,
in qua erat [a] imago terræ in modum orbis comprehenſa.

QUo terra in ſpeciem perſtabat pulcra virago,
Quæ puerum lactat, fruge replet calathum.
Turritumque caput, magni & ſinuaminis anguem,
Inque manu clavem, cymbala, & arma vehens.
Hac coram galli, pecudes, torvique leones
Summiſſi ſtabant, ſella & inanis erat.
Mobilis huic magni ſuberat vertigo vehicli,
Atque rotæ teretis circulus ibat ei.
Hæc puerum lactat, quoniam naſcentia paſcit,
Tellurique fovet cuncta creata ſimul.
In calathis fruges, magnas in turribus urbes,
Agricolæ ingenium ſignat in angue vafrum.
Panditur æſtate, in bruma quia clauditur annus,
Geſtamen clavis hac vehit inde manu.
Cymbala ſunt ſonitus, fiunt qui agreſtibus armis,
Factitat aut opifex quilibet arte ſua.
Et quia pro patria cuncti confligere debent,
Effigies tellus hinc vehit arma tua.
Orbis ſtemma rotæ, ſignabant ſemina galli,
Orbis concepto ſemine multa dabit.
Olli ſubduntur pecudes, quia pabula ab illa
Summunt, nil & opis hac ſine habere queunt.
Quodque ſubeſt illi rabies inimica leonum,
Hoc eſt quod tellus terrea cuncta domat.
Omnia cum ſint mota, tamen nequit ipſa moveri,
Hinc fingebatur ſella perennis ei.
Per ſedes etiam mundi ſignantur honores,
Perpetuo quod eos nemo habiturus adit.

a *Imago terræ*) Magna Dea eadem quæ Tellus. Idcirco quæ Magnæ Deæ affingi ſolebant, eadem ad Terram phyſica ratione alii aliter referebant. Qua de re Auguſtinus ex Varrone multa lib. VII. de Civitate Dei, & Iſidorus Originum VIII. cap. *De diis gentium*. De Tellure autem Dea vetus Romæ nondum opinor in lucem prolata reſtat Inſcriptio.

DEÆ TELLURI
SACRUM
M. AURELIUS
THREPTUS
FECIT.

Alter in alterius gaudet reſidere cathedra,
Hic ſedet, hic ſedit: hic it, & ille redit.
Inde vehebatur curru, quod in aere pendet
Tellus, & levibus ſuſtineatur aquis.
Hinc eſt de Domino verax quod lectio promit,
Illius laudes enumerare ſtudens,
Qui ſuper immenſum Borean extendit inane,
Et terra appendit te ſuper ipſa nihil.
Quodque rotis vehitur, mundi vertigo notatur,
Qui volucri curſu volvitur atque modo.
Stare videbatur terrenæ ſortis imago,
Semper habet quoniam rura colens quod agat.
Hoc opus ut fieret Theodulfus Epiſcopus egi,
Et duplici officio rite vigere dedi.
Scilicet ut dapibus paſcantur corpora lætis,
Inſpecta & mentem orbis imago cibet.
Plus epulas animæ quam corpus dilige viſor,
Vivida mens illis, his caro pollet hebes.
Cælica verba ſonent, dapibus hæc menſa redundet,
Et teneant nullum livida dicta locum.
Totius orbis adeſt breviter depicta figura:
Rem magnam in parvo corpore noſſe dabit.
Hic amphitrite terrarum margine longo
Brachia protendit flumina cuncta vorans.
Inflatis buccis diſcordes undique fratres,
Inſiſtunt orbi, ſunt ſua cuique loca.

IV.

a AD AIULFUM EPISCOPUM.

Hoc Aiulfe tibi, Præſul ſanctiſſime, mitto
Teudulfus carmen exul ab exilio.
Nobilis & pulchræ fueras puer indolis olim,
Nunc vir es ornatus nobilitatis ope.
Quæ fuit in puero docilis ſolertia parvo,
Nunc manet in magno dante Tonante viro.
Signa puer magnæ ſemper virtutis habebas
Magna, docens magnum te fore ſorte virum.
Sic ſata promittunt fœcundæ præmia meſſis:
Sic tauri in vitulo forma patet tenero.
Ingenuas artes ſtudium tibi diſcere tandem
Extitit, & cultum his pectus habere ſatis.
At nunc divini tibi tradere dogmata verbi
Eſt labor, & populis iura refelle poli.
Quæ tunc Grammatico ſumebas pocula fonte,
Ambroſio mentes nunc bene rore rigas.
Vivere te ſancte rumor diſpergit ubique,
Magna per ora virum ſat tua fama volat.
Cuncta quis expediet laudis præconia veſtræ,
Quæ Suitegaudus iſte referre ſolet?
Suitegaudus, ubi probitas, verumque, fideſque,
Et bona cuncta ſimul conſociata manent.
Hunc Deus, & probitas vitæ, atque electio fratrum
Prætulerat ſancto me mediante gregi.
Sed male livor edax, dolus, & pellacia fallax,
Præſulis a propria ſede removit eum.
Eſt Deus in cælo, proprio hunc qui reddat ovili,
Cura ſit & proprii quæ fuit ante gregis.
Hic de parte tulit veſtra mihi verba benigna,
Et mihi præſentem te dedit ore ſuo.
Dum bona veſtra mihi narrat, me perſovet ægrum,
Actibus eque tuis mens mea læta manet.
Hic vitę res ſtudet a nobis hac quærere quaſdam
Veſtra, & reſponſum quod tibi portet habet.
Rettulit ille mihi ſtudiumque, decuſque, modumque,
Quo vehis officii pondera digni tui.

a *Ad Ajulfum Epiſcopum*) Agiulfum, ſive Aigulfum, Bituricenſem primæ ſedis Patriarcham, ſic enim appellat. Vir fuit etiam dum viveret ſanctitatis fama conſpicuus. Judex cum aliis Epiſcopis electus ab Ebone Remenſi anno dcccxxv. Ex hac vero epiſtola liquet Epiſcopum jam fuiſſe cum Theodulfus Andegavis exularet, hoc eſt ante annum dcccxx. contra quam vulgo tradunt, qui de Epiſcopis Bituricenſium ſcripſerunt.

Qualiter exemplis & verbis ferre ducatum
Non ceſſas populis ad pia regna poli.
Es bona magna gerens, ut agas majora precamur,
Poſcimus optatam ut det tibi Chriſtus opem.
Sunt exempla tibi patrum ſectanda priorum,
Exemplo & verbis ut doceare tuis.
Et tua continuis creſcat doctrina diebus,
Atque ut qui caput es per pia membra meet.
Es Patriarchali primæ prælatus honore
Sedis, & alma patrum eſt ſubdita turba tibi.
Inde manere tibi prudens ſollertia debet,
Omnibus ut ſpecimen ſis, decus, ordo, modus.
Quo magis es celſus, humilis magis eſſe memento,
Gratia te altithroni ditet ut alma Dei.
Eſto bonis agnus, leo fervidus eſto malignis,
Pars amet iſta patrem, ut illa paveſcat herum,
Cumque piis fueris pius, & diſtrictus acerbis,
Te pars hæc matrem ſentiat, illa patrem.
Sit tibi larga manus, placidum cor, dulcia verba:
Sis probus & ſollers, promptus ad omne bonum.
Sed quid ago, vel quo me nunc mea fiſtula ducit?
Doctoris ſimilis ſum modo factus ego.
Te precor interea, noſtræ memor eſto ruinæ,
Oratu & precibus ſors mala noſtra leves.
Forſan te orante, fratrumque juvante caterva,
Omnipotens veniam det miſerando mihi.
Et nos exilio relevet miſeratus ab iſto,
Joſeph qui exemit carcere, ſive Petrum.
Ipſe Deo fateor peccamina multa peregi,
Quæ ſuperant numero temet arena maris,
Et pluviæ guttas, maris undam, ſidera cæli,
Herbarum frutices, germina cuncta ſoli.
Hæc ſunt ærumnas ego cur ſum miſſus in iſtas,
Eſſe nec ut debent ſunt mala tanta mihi.
Non regi aut proli, non ejus crede jugali
Peccavi, ut meritis hæc mala tanta veham.
a *Crede meis verbis, frater ſanctiſſime, crede,*
Me objecti haudquaquam criminis eſſe reum.
Perderet ut ſceptrum, vitam, propriumque nepotem,
Hæc tria ſum nunquam conſiliatus ego.
Addimus & quartum: mihi non fuit illa voluntas,
Utcumque ut rerum hæc mala tanta forent.
Hoc ego clamavi, clamo, clamabo per ævum,
Hæc donec animæ membra liquor vegetat.
Qui modo non credit, cogetur credere tandem,
Ventum erit ut magni judicis ante thronum.
Qui mihi teſtis erit pius & juſtiſſimus ultor,
Omnia cui ſemper nuda & aperta manent.
Qui non acceptat perſonas, munera ſive
Diligit, æquum æquus diligit omne bonum.
Ejus in adſpectu falſiſſima cuncta peribunt:
Hic meus alterius non ope teſtis eget.
Me tua cara fovet dulcis compaſſio frater,
Triſtitiæque meæ pars tibi magna manet.
Det pater altithronus, cælum terramque gubernans,
Lætitiæ noſtræ ut poſtmodo compos eas.
Te ſcio cunctorum redimitum flore bonorum,
Lampade virtutum ſeu rutilare ſatis.
Sit tibi vita, ſalus, & Chriſti gratia regis,
Extet & omnipotens fautor ubique tibi,
Vive Deo felix per tempora longa ſacerdos,
Deque bono in melius profice rite, Vale.

a *Crede meis verbis*) Inſimulabatur Theodulfus tanquam particeps conjurationis Bernardi regis adverſus Ludovicum patruum. Pernegat ille ſe huic crimini affinem, nec in hac tantum epiſtola, verum etiam in ſequenti.

Non eſt confeſſus Præſul, & ipſe perit. Et quamquam ei ſpes veniæ oſtendebatur, ſi annueret, flecti tamen non potuit. Quare excipiendus erat Thegano, cum Epiſcopos in hoc judicio ſua in confeſſione depoſitos adfirmavit.

V.

[a] AD MODUINUM EPISCOPUM.

Theodulfus Modoino ſuo ſalutem.

Hoc Modoine tibi Teudulfus dirigit exul
Summo Pontificum cernuus ecce melos.
Ito Thalia celer, celeri tranſcurre volatu,
Nec mora, nec tibi ſit ulla in eundo quies.
Donec pervenias Modoini ad tecta beati,
Præſulis eximii, Pontificiſque pii.
Ad quem mox veniens genibus revoluta jacebis,
Juſſerit & ſi te ſurgere, ſurge celer.
Baſia confeſtim manibus donabis amicis,
Et ſpectans patulam ſeſſa tacebis humum.
At ſi te rogitet quæ ſis, & cujus, & unde,
Fare age, prome animo ſingula dicta tuo.
Sum Theudulfi Erato, veniens de carceris antro
Ejus, ubi immenſus hunc tuus urit amor.
Exul, inops, pauper, triſtiſſimus, anxius, angens,
Spretus & afflictus eſt ubi, ſive dolens.
Forſan & ipſe roget quid agam, me vivere dices
Vita, qua melior mors bona forte foret.
Aut legit, aut docet, aut laudum pia munia complet
Cunctipatri Domino, qui regit arva, polum.
Hunc pro te poſcit, pro ſe ſive ordine cleri,
Pro populi & regi proque ſalute ducum.
Me tibi tranſmiſit, hujus tibi dico ſalutes,
Subdita ſunt cujus verba canenda tibi.
Obſecro, frater amans, noſtri memor eſſe memento,
Frater pars animi portio magna mei.
Mens tua ſit ſemper noſtros miſerata labores,
Noſtræ eſt nota tibi quod bene cauſa rei.
Quo mage res nota eſt, magis inde adhibeto laborem:
Sic medicus morbum dum videt, arte fugat.
Fumea præſentis pereunt-ſcis gaudia mundi:
Nunquam fraternus ſed perit almus amor.
Me modo pluris amas, quanquam me ſemper amaſſes,
Ægrum aliis natum plus pia mater amat.
Feſſis opto libens certa ſuccurrere rebus,
Et fratrum mentes ſollicitato pias.
Unus ego quamvis ſim, non eſt unius hæc res:
Quod factum eſt mihimet, eſſe poteſt alii.
Eſt commune malum, communis cura petenda eſt:
Quod noſtrum eſt hodie, cras erit alterius.
Hæc non quis frater timeat contagia demens,
Ne illi quæ nobis irrepat iſta lues?
Febre ſolet febris, ſeu vulnere creſcere vulnus:
Sic multa ex uno fonte fluenta fluunt.
Hæc mea ſi placidam ſit nacta plaga medelam,
Priſtinus & veniat morbo abeunte vigor.
Tale quid ulterius non pari inimica valebit
Appetere, & ſcelus hoc non leve prorſus erit.
Servus habet propriam & mendax ancillula legem.
Oppilio, paſtor, nauta, ſubulcus, arans.
Pro dolor, amiſit hanc ſolus Epiſcopus, ordo
Qui labefactatur nunc ſine lege ſua.
Debuit & qui aliis legalia promere jura,
Officii perdit jus ſine jure ſui.
Culpa facit ſævum confeſſa perire latronem:
Non eſt confeſſus Præſul, & ecce perit,
Cumque ſuis egeant mundana negotia rebus,
Cauſa quibus juſtum poſſit habere modum:

---

a *Ad Moduinum Epiſcopum*) Epiſcopum Auguſtodunenſem, qui judex item electus ab Ebone cum abdicaret. Ad hunc extat Flori Lugdunenſis epiſtola typis olim Morelianis excuſa. Sunt & aliæ duæ Flori ejuſdem in Codice Petaviano dccxci. una prolixior pro Eccleſia Lugdunenſi, *Egregio Modoino viro*, &c. altera brevior, in qua quia *dunum* vetere lingua Gallorum montem ſignificat, Modoinum Auguſti montis Epiſcopum vocat. Sic enim illum affatur.

Salve ſancte parens, Chriſti venerande ſacerdos,
Auguſti montis paſtor in arce potens.
Quem ſacer illuſtrat meritis ſplendentibus ordo,
Doctrina & ſtudium tollit ad aſtra pia.

Noſtra eguit juſto rationis pondere cauſa,
Sævitia excepta, nullum habet iſta modum,
Non ibi teſtis ineſt, judex nec idoneus ullus,
Non aliquod crimen ipſe ego faſſus eram.
Eſto forem faſſus, cujus cenſura valeret
Dedere judicii congrua frœna mihi?
Solius illud opus Romani Præſulis extat,
Cujus ego a *accepi pallia ſancta manu.*

Mittere care mihi libuit tibi carmina quædam;
Noſtra quibus luſit Muſa jocoſa parum.
Tempore præterea hoc quædam miracula viſa
Dicuntur, breviter e quibus iſta canam.

VI.
[b] DE FLUVIO QUI SICCATUS EST.

Est fluvius, Sartam Galli dixere priores,
Perticus hunc gignit, & Meduana bibit
Fluctibus ille ſuis penetrans Cenomanica rura,
Mœnia qui propter illius urbis abit.
Quo cives tranſire ſolent prope lintribus illum;
Illic portentum non leve fecit eis.
Denique roſcidulas tenebras cum aurora fugaret;
Et ſolito peterent more fluenta homines:
Eſt propriis ſpoliatus aquis locus ille repertus,
Qui rate ſeu remis pervius ante fuit.
Stantibus atque undis populus hinc inde ſtupebat,
Alveus & plebem ad interiora vocat.
Nemo ratem quærit, nullus te navita poſcit,
Miranti populo ſic ſtat aperta via.
Et metus atque rei novitas intrare vetabat
Primitus, & ſenſim cœpit abire metus.
Incipit eſſe vetus nova res, intratur utrimque,
Alterutram ripam plebs petit atque pecus.
Pes vel eis ſiccus, modicum vel planta madeſcit,
Dum populus gradiens itque reditque frequens.
Si olim tale vadum juvenis Leandrus haberet,
Non foret inſignis tam tibi luctus Ero.
Non ad piſcandum quiſquam fert rete vel hamum:
Saltibus atque manu qui volet illud agit.
Vir tumulandus erat ripæ ulterioris in agro,
Flentibus evehitur per loca ſicca ſuis.
Illa ſat urbs timuit, peteret ne ſe unda tumeſcens,
Obrueretque ſimul compita, rura, domos.
Saxa patent ignota polo, polus ipſe pateſcit
Saxis, cum propriam linqueret humor humum.
Quo vada nulla dabas pediti illic, Sarta, dediſti
Grande vadum caligas cum tua ſaxa ſtupent.
Sarta aliis vicibus hoc ipſum eſt paſſa duabus,
Nec hoc nec procul hoc tempore, ſive loco.
Quis neget antiqui Dominum meminiſſe trophæi,
Quo fluvium ſcindit & Hierichunta quatit?
A prima in quartam modus hic defluxerat horam:
Inde ſuas repetit poſt celer unda vias.
Nomina non ideo narrantum ſcripſimus iſtic,
Sunt quoniam plures qui cecinere mihi.
At ſi noſſe rei vis, lector, tempora geſtæ

a *Accepi pallia*) Pallium Archiepiſcopis tribui proprie ſolet. Conceditur tamen interdum etiam Epiſcopis non Metropolitanis, quemadmodum Syagrio Auguſtodunenſi a Gregorio Magno conceſſum eſt, & Theodulfus ipſius Papæ manu ſe accepiſſe teſtatur, Stephani IV. opinor, cui obviam miſſus a Ludovico Pio fuerat, cum veniret in Galliam. Sed inter utriuſque pallium hoc diſcrimen, quod Syagrio ita datum ut tranſiret ad ſucceſſores, Theodulfo non ita.

b *De fluvio qui ſiccatus eſt*) Id factum anno Chriſti DCCCXX. die VIII. Februarii. Quod utrumque Theodulfus verſibus ſuis ſignificat. Annum quidem, cum Ludovici Pii, qui DCCCXIV. inierat, ſeptimum hunc numerat. Diem vero, cum Solem ait in XXII. Aquarii gradu tunc fuiſſe. Nam cum Solis ingreſſus in Aquarium Theodulfi ſæculo ex die XVIII. Januarii ſubduci ſoleret, conſequens erat, ut vigeſimus ſecundus ab hinc dies octavus eſſet Februarii. Quod autem quartum exilii ſui annum componit cum ſeptimo Ludovici, ſic accipiendum videtur, ut exilio ſuo imputet id tempus quo primum cum aliis detentus eſt ſub finem anni DCCCXVII. Alioqui ſequenti tantum anno, poſt Paſcha, gradu dejectus, atque in exilium, hoc eſt in monaſterium relegatus eſt. Quo tempore Ludovici annus agebatur non ſeptimus, ſed octavus.

Accipe, promemus ſub brevitate tibi.
Septimus hic agitur decurrens lubricus annus,
Quod Hludovice tibi regna paterna manent.
Exilii quartus, meritis non denique noſtris,
Volvitur infauſtus æger & ecce mei.
Forſan noſſe diem vis, hanc quoque diſce, canemus,
Ut res ambiguum poſſit habere nihil.
Bis partem undenam ſolidi rota Solis Aquari
Scanderat, in ſexta Lunaque piſcis erat.
Tale quid adſeverant te flumen Idonea paſſum,
Hac quod ab urbe fluens ſat prope Sarta bibit.
Quære locum ex aliis, diei tibi sempora dicam,
Craſtina præfata res fuit iſta rei.
Hunc quoque defectum quod paſſa ſit Angera dicunt,
Sed locus atque dies ſunt mihi nota minus.
Nam grandi ſtudio perquirimus iſta, quod illi
Qui narrant per me noſſe futura volunt.
Non id aperta canit, nec erit vox ſemper operta:
Tempore namque manent iſta canenda ſuo.

VII.
DE PUGNA AVIUM IN TERRA TOLOSA.

REbus & exemplis quædam bene noſſe valemus:
Cum non divinem, hæc ſcio res quid agat.
Miraque ſint per idem tempus cum plurima viſa,
Hoc etiam viſum eſt quod recitare paro.
Quod mihi Gairardus retulit, Paſchaſius illi s
Hic audita mihi, viſa ſed ille refert.
Nempe Toloſani locus eſt ruriſque Caturci
Extimus, hoc finit pagus uterque loco.
Illic campus ineſt, cujus ſunt extima ſylvis
Cincta, homineſque manent nou ſatis inde procul.
Quem volucres magno complerunt impete multæ,
Planitie inque ejus multa reſedit avis.
Quas fluvius, quas nemus habet, quas ſqualida rura,
Quæ ſcopulis nidos compoſuiſſe ſolent,
Quis cibus eſt varius, cantus, color, atque volatus,
Penna, ungues, roſtrum, mos, locus, officium.
Nam zephyri pars has, Aquilonis vexerat illas,
Partem & utramque putes ſigna habuiſſe ſua.
Sederunt campis acies altrinſecus illis,
Et ſpatium extabat inter utraſque aliquod.
Inter utramque aciem legatos ire putares,
Qui pugnæ aut pacis jura referre parent.
Interea alterutro paucæ ex utraque volabant
Parte, vices complent iſta vel illa ſuas.
Egerit illa nihil quod tunc legatio pacis
Sorte patet, poſt hanc grandia bella cient.
Utque diu Pœnos inter populumque Quiritum
Currunt legati donec in arma ruant:
Haud ſecus inter eas, poſtquam ſat utrimque volatum,
Vi qua quæque valet in fera bella ruunt.
Ardent ad pugnam volucrum hinc inde manipli,
Cumque ala ala coit, cumque cohorte cohors.
Vis eſt militiæ diverſa, ſed una voluntas,
Quod major miles, vult quoque parvus idem.
Nullum opus aut currus, nullum aut habet uſus equorum,
Uſus abeſt chalybis, ſpicula nulla volant.
Pro galea criſta eſt, pro cuſpide roſtra vel ungues,
Et ſua pro lituis carmina quæque ſonant.
Ala levis parmam, volucris fert pinnula ſicam,
Et thoracis habet pluma minuta locum.
Jamque dies ſextus conventus fluxerat hujus:
Certatim in bellum parte ab utraque ruunt.
Inque vicem laniant ſe hinc morſibus, ictibus illinc,
Ingenti bellum ſurgit utrimque animo.
Hinc Rutulos, illinc videas conſurgere Teucros,
Sævire & martem parte ab utraque ferum.
Glans cadit autumno veluti de ſtipite querna,
Maturum & folium jam veniente gelu.

Non aliter avium moriens exercitus illic
Decidit, & magna ſtrage replevit humum.
Nam teres æſtivis impletur ut area granis,
Campus ita extincta ſic ave plenus erat.
A Borea in Boream veniens pars parva reverſa eſt,
Tota in utraque cohors parte perempta jacet.
Res ſonat iſta, venit populus, factumque ſtupeſcunt:
Mirantur variæ membra jacentis avis.
Ipſe Toloſana [a] Præſul quoque venit ab urbe
Mantio, plebs rogat hæc ales an eſca fiat.
Inlicitis ſpretis licitas adſumite, dixit,
Plauſtra onerant avibus, in ſua quiſque redit.

VIII.

DE PUGNA AVIUM SIMILI SUPERIORI.

Tale quid hoc etiam patratum tempore nobis
Fama dedit velox multa per ora volans.
Qui Romam Romaque meant remeantque, canunt hoc:
Inter quos mulier hic bona teſtis ineſt,
Oratum hæc Turono Romam petit, inde reverſa
Presbytero Arbaldo rem canit, ille mihi.
Denique circa Ararim pigrum, Rhodanumque rapacem;
Ut ſupra, volucrum pugna peracta fuit.
Quo rigidas inter cautes, denſaſque paludes.
Pauca patent planis obſita rura locis.
Illic, ut perhibent, venit genus omne volantum,
Quos Europa tuus nutrit opimus ager.
Pars ſedet in ſcopulis, reſſidet pars plana per arva,
Arboreis ramis pars quoque multa ſedet.
Militiæ in geminam partem diſtincta juventus
Utraque conflictum pars meditatur hians.
Quatuor accipitres veniunt hinc, quatuor illinc;
Quatuor & totidem parte ab utraque capi.
Primo hi congreſſu perimunt ſe hinc inde viciſſim,
Accipitrem accipiter, ſeu capus ipſe capum.
Roſtra inſtant roſtris, confligunt unguibus ungues,
Quo paria arma vehunt, hinc mage ſe perimunt.
Egit id Æmathiis populus Romanus in arvis,
Cum fera bella gerunt, hinc ſocer, inde gener.
Cum frater fratrem perimit, vel amicus amicum,
Quando pares aquilas & paria arma vehunt.
Nempe duæ volucres magnæ evaſiſſe feruntur,
Quæ non pugnarunt: cetera turba jacet.
Utraque pars vincit, mulcet victoria neutram,
Utrimque oppletam ſtrage reliquit humum.
Ut furor Hannibalis complevit funere Cannas,
Funere ſic avium hæc rura repleta manent.
Singula quis referat, quæ, quo, cur, quando, vel unde,
Monſtrata hæc crebro tempore ſigna patent?

Quando erit illa dies, cum noſtrum intrabis in hortum,
Atque leges noſtras ungue libente roſas?
Et tua magna ſitis mage ſeu mage creſcere gliſcet,
Dum quod ſemper amas carmine plenus eris?
Si qua iſtis fuerint, ut erunt, vitioſa camenis,
Parce precor, ſcriptor non mihi doctus ineſt.
Quæſo tuum nobis fidum tranſmitte miniſtrum,
Qui tua grata mihi perferat orſa. Vale,

---

[a] *Præſul Mantio*) Toloſani hujus Epiſcopi notitiam uni Theodulfo debemus. Præter hunc enim locum, nulla ejus hactenus reperta eſt mentio.

IX.

MODOINI AD TEUDULFUM EXULEM.

Modoinus indignus Epiſcopus Theodulfo ſuo.

LVdere nemo poteſt verſu ſine lege polito,
Nempe loqui recte nec valet arte carens.
Sed prius accipiter nec tentat vincere in armis,
Quam inſtructus proprii hoc more parentis agat.
Utiliter puer in primis non militat annis,
Digna ſed expertus præmia tyro capit.
Non audet nam nauta ratem intrare abſque paratu,
Tentans navigeras Tiphys in armis aquas.
Arte rudis cum ſim, ſic me quoque poſſe negabo
Reſpondere tuis verſibus eximiis.
Vilis apud doctos namque eſt mea muſa poetas:
Condere ob hoc nullum carmine nitor opus.
Sed me cunctantem compellit epiſtola veſtra
Carmina jam numeris ſcribere diſparibus.
Et molli durum nunc ceræ inducere ferrum
Cogor, & inſueto texere verba modo.
Quin immo immodicus dicendum eſt rite libellus
Attulit en miſſus quod mihi veſter opus.
Audiſti antiquos verbis ita ludere amicis,
Sæpe etiam didici hoc & ab ore tuo,
Muſarum quod inops norit non antra poeta:
Sed dici de me hoc quoque jure poteſt.
Nonnulli affirmant etiam inſanire poetas,
Carmina dum ſtatuunt mente carere ſua.
At nobis integra manet mens ipſa, nec audet
Longius amiſſo ordine abire ſuo.
Scandala ſed propter vitanda nec appetit alta,
Contenta eſt modico nam moderata loco.
Fac Theodulfe meos verſus adverte benigne,
Nec ſint deſpecta carmina noſtra tibi.
Nolo venenato noſtra unquam dente laceſſas,
Sed ſint judicio carmina tuta tuo.
Si qua meis fortaſſe, ut erunt, errata camœnis,
Cernuus hæc æquis reſpice quæſo oculis.
Sæpe queror caſum deflendo inſontis amici,
More fluunt lacrymæ amnis ab ore meo.
Sæpe tuam ingeminans luxi flens ipſe ruinam:
Pro dolor, amiſſo Præſul honore peris.
Exilium innocuus pateris pertriſte ſacerdos,
Inclytus expertus Præſul inorme malum.
Nonnullis prodeſſe ſolet prudentia multa:
Læſus ab ingenio es pater ecce tuo.
Præcipue tua magna tibi ſapientia ſoli
Obfuit, quod habes triſte paravit onus.
Livor edax petit alta fremens, conſternere tentans
Id quod ovans ſimplex pectore turba colit.
Neſcis ob invidiam quod longos Naſo labores
Pertulit, & patria pellitur ipſe ſua?
[a] *Ipſe Severinus magna eſt dejectus ab urbe*
Conſul Romana clarus ab arce procul.
Magnus ab infeſto eſt agitatus milite vates
Virgilius, propriis exſpoliatus agris.
Vulnera ſæva ſuo fertur ſumpſiſſe tyranno
Seneca præcipuus, cæde Neronis obit.
Quid memorem ex noſtris plures ſudaſſe nefandum
Pro noſtra exilium religione pia?
Qui magis a magno colitur pius ipſe magiſtro,
Joannes dirum pertulit exilium.
Hilarius ſenſiſti ergaſtula tu quoque dira,
Miſſus in ignotum rege jubente locum.
Claviger ipſe Petrus nam, nec non & populorum
Doctor erat Paulus carceris in gremio.
Sed tamen hoc egit feritas inculta repugnans

a *Ipſe Severinus*) Boetius. De cauſis exilii Boetius ipſe paucis in Conſolatione ſua. De iiſdem, & de ſupplicio ejus, plura & eatenus inaudita vetus auctor in Excerptis, quæ pridem cum Ammiano Marcellino ex ſchedis noſtris edita ſunt ab Henrico Valeſio V. C.

Gentilis, fidei namque inimica piæ.
Addo etiam quod adhuc rudis Eccleſiaſticus ordo,
Informiſque ſua lege careret iners.
Depoſita jam pace frui feritate ſerena
Debuit, & proprium jamque tenere modum.
Culpa ſacerdotum facit hoc, quod vilis habetur
Ordo miniſterii maximus ille ſacri.
Inter eos effectus nullus fidus habetur,
Commendat ſancto gratia quoſque loco.
Nemo gemit miſerans alienæ incommoda vitæ,
Pro fratris pulſans utilitate ſui.
Unuſquiſque ſtudet terreno incumbere lucro,
Sectatur fragiles delicioſus opes.
Ex quorum me nolo putes numero tamen eſſe,
Qui fucata levi pectore verba ferunt:
Sed qui ceſſabo nunquam certare precando,
Pro reditu veſtro quique laboro libens.
Ergo ego ſollicito veteres tibi ſemper amicos,
Proque tuis damnis ambitioſus ero.
Hæc te noſſe reor, quoniam cito ſpargitur orde
Fama celer toto, aulica dicta gerens.
Sis quod ab infauſta hac demum regione movendus,
Cæſaris ad nitidum limen iturus item,
Illius ante oculos venies, lætumque videbis
Jam dudum vultum qui tibi triſtis erat.
Commiſſum ſcelus omne tibi dimittere mavult,
Si peccaſſe tamen te memorare velis.
Nam prodeſſe tibi confeſſio pura valebit,
Si te voce probas criminis eſſe reum.
Si te diſſimulas de quo tibi crimine dicam
Scire, nota pro quo * *huic ſitus ipſe fores.* (* ſ hic.)
Elige ſed quid ages, & quod tibi cumque videtur
Conſilium melius, mente teneto precor.
Sed mihimet melius viſum eſt, ut ſponte fatetur
Quodque negari ullo non valet ingenio.
Nullo alio ſuperare modo puto principis iram
Poſſe, probes niſi te criminis eſſe reum.
Promittit, ſi te peccaſſe fateberis ipſe,
Conſilium Cæſar dedere velle tibi.
Nam tibi promittit veniet quod priſtina virtus,
[a] *Amiſſum ut poſſis rurſus adire gradum.*
Neſcio frater amans, mage quid tibi ſcribere poſſim,
Cum ſint hæc tota non tibi nota minus.
Luce mihi magna tu ſolis carior exſtas,
Nil fateor quod amem te mage mundus habet.
[b] *Matfredum crebris appellat epiſtola dictis,*
Lectaque ſunt veſtra verba frequenter ei.
Ille valet lapſis optatam adhibere medelam,
Naufragioque pium ferre patrocinium.
Flebilis exhauſto reſonat vix carmine Muſa,
Dicere quid poſſit nil habet illa magis.
Sed mandare aliquid dubitaret epiſtola veſtra
Mirabar veſtri cur mihi ſervitii.
Nullum unquam obſequium tibi nam mihi crede negabo,
Sed quodcumque jubes ipſe libenter ago.
Idcirco hunc noſtrum miſſum direximus ad te,
Quæcumque ut mandas ille mihi referat.
Quique procuIdubio ſatis eſt, ut credo, fidelis,
Cujus ab ore mea currere verba vides.
Ipſe tibi quæcumque roges ſine fraude recenſet,
Abſque dolo noſtra cuncta vice expediet.
Imber habet liquidas quot guttas, flumina piſces,
Emittit frondes quot nemus omne virens,
Area grana ſolet quot habere æſtate, ſalutes
Tot tibi mitto, vale ſemper ubique pater.

a *Amiſſum rurſus adire gradum*) Ut ſupra, *Pro dolor amiſſo, Præſul, honore peris*. Depoſiti enim fuerant Epiſcopi hujus conſpirationis rei. Einhardus Annal. DCCCXVIII. *Epiſcopos ſynodali decreto depoſitos monaſteriis mancipar ijuſſit*.

b *Matfredum*) Comitem, præcipuum tunc Imperii miniſtrum ſub Ludovico. Ad hunc enim ſpectat Agobardi epiſtola cui titulus, *Virorum præſtantiſſimo atque illuſtriſſimo Matfredo*, ex qua intelligere eſt, quanta ejus eſſet apud Imperatorem auctoritas & gratia. Quanta vero ejuſdem poſtea in illum perfidia fuerit, docuit duplex filiorum, Pippini primum, deinde Lotharii, adverſus patrem conjuratio, in qua utraque inter præcipuos incentores a Thegano & aliis numeratur hic Matfredus.

THEODULFI EPISCOPI AURELIANENSIS CARMINUM LIBER QUINTUS.

I.

CONSOLATIO DE OBITU CUJUSDAM FRATRIS.

SI nova nunc fierent tantarum exordia rerum,
Jam novus uſus eis nunc adhibendus erat.
Sed quia trita rei jam dudum eſt ſemita tantæ,
Erga hanc majorum priſca tenenda via eſt.
Mundus ab uſque chao varius hoc ordine cœpit,
Et conſummandus hac quoque ſorte manet.
Florigeræ ſedis habitator maximus Adam
Suſtulit hujuſce conditionis onus.
Ignibus ætheriis quamquam Abel hoſtia capta eſt;
Fraternos ictus hic moriendo tulit.
Aſpera quamquam Enoch ſibi mors miretur ademptum;
Quamvis ſera, illum eſt appetitura tamen.
Mortuus eſt Noe, ſpes orbis, pater atque ſecundus,
Qui vixit multas inclytus inter aquas.
Sem quoque, mutato a rex eſt qui nomine juſtus;
b *Verique oblator rite ſacrificii.*
Ignis Achamenii vincens incendia, victus
Mortuus eſt Abraham, norma decus fidei.
Atque Iſaac ſanctus, ſterili de matre creatus;
Inque typo oblatus rex bone Chriſte tuo.
Nec minus & Jacob, Domini luctamine dignus
Qui patris atque Dei ſit benedictus ope.
Nobilis atque ejus proles, magnuſque ſenatus,
Quorum ingens Joſeph gloria juſtus erat.
Poſt mala quæ pendit, pro quis bona plura rependit.
Extremum moriens clauſit & ipſe diem.
Loth Sodomam vitans mortem vitare nequivit,
Tutum & ſulphureis ignibus illa vorat.
Mortuus Moyſes, quo non fuit aptior alter
Legem ferre Dei, conloquioque frui.
Sacricola & frater, redimitus murice & auro;
Cui frons & ſanctum ſancta vehebat onus.
Nun ſacra ſeu proles, pollens Jordanis ad amnem;
Partitur populo qui pia rura pio.
Aſpera Judicibus non eſt incognita ſors hæc,
Quorum actu populus liber ab hoſte fuit.
Nec fuit eximius Samuel hoc fœnore liber,
Qui cluit a puero dogmate, lege, fide.
Mortuus eſt David qui ſtravit cæde Goliat,
Comptus regno, armis, carminibuſque ſacris.
Et Salomon ſapiens, ſancti conſtructor aſyli,
Poſt decus immenſum, divitias & opes.
Necnon & regum & vatum pius ordo priorum;
Poſt ſceptra & verbi famina ſancta Dei.
Pontifices celebres, & vatum ſummus Eſaias,
Poſt ſancta oracla hanc arripuere viam.
Tu Pharii regis Joſias tela tuliſti,

a *Rex nomine juſtus.*) Melchiſedech, cujus nomen juſtitiæ regem ſonat. Ex eorum ergo ſententia loquitur, cui cum Hebræis Sem ipſum Noe filium fuiſſe cenſuerunt.

b *Veri oblator ſacrificii*) Quia panem & vinum offerens, typum geſſit oblationis Chriſti, ejuſque menſæ, in qua ſub panis & vini figura ejus carne paſcimur, & ſanguine potamur. Titulus altaris Lugduni ab Agobardo poſiti.

Hæc Chriſti menſa eſt, hic cælica ſumitur eſca,
Hic bibitur roſeus agni cruore latex.
Utitur his dapibus Chriſti plebs, quam ordine miro
Unda cruor, corpus, diluit, emit, alit.
Antiſtes opus hoc Agobardus ſupplice voto.
Protulit, & Chriſto rite ſacrando dedit.
Argentum rutilo certatim ubi fulgurat auro.
Marmore cum vario picta cupreſſus olet.

Et in corporali pallula.

Convivii Chriſti cæleſtis menſa paratur,
Sumitur hic vivus divino munere panis,
Mixta etiam bibitur agni cum ſanguine lympha,
Sic nos unda lavat, redimit cruor, & caro paſcit.

Qui cultu in Domini, pro dolor, aptus eras.
Vectus & Helias quamvis conſcendit ad alta,
Mors dilata illi, non ſit adempta tamen.
Mortuus Heliſei quamvis ex oſſe reſurgat,
Mortuus hic ſurgit, mortuus ille jacet.
Ne moriatur habet Jonas vitale ſepulcrum,
Quam ſurgens vincit, mortem obeundo ſubit.
Tangere quemque truces ſanctum timuere leones,
Appetere hunc mortis non timet atra dies.
Igne ſacræ fidei pueri extinxere caminum,
Sed leti nequeunt exſuperare rogum.
Ezechiel moritur poſt viſum ſedis herilis,
Poſtque arcana Dei myſtica plura videt.
Juſque ſacerdotii retinens cum prole beata
Heſdras, qui templum reſtruit, ornat, amat.
Et Hieruſalis inſtaurantes mœnia ſanctæ,
Zorobabel juſtus, Neemiaſque pius.
Atque inſtaurandæ texunt qui oracula gentis,
Zacharias vates, Aggeus atque ſacer.
Heſter, & exuperans Aman Mardocheus iniquum,
Iſraelitarum qui populum eripiunt.
Caſibus horrendis Raphael Tobimque nurumque
Eximit, haudquaquam mortis ab ore tamen.
Inceſtos Judith compeſcuit enſe furores,
Te non compeſcit mortis iniqua lues.
Zacharias & anus ſuperant facunda querelas,
Non ſuperant ictus mors ſed acerba tuos.
Nec homo cæleſtis, terrenuſque Angelus, aptans
Promptus iter Domino, hac ſorte alienus ineſt.
Sed fera mors quid ages, aliis trux, improba, ſæva,
Cum vitæ auctorem pernicioſa petis?
Qui te morte ſua preſſit, curvavit, abegit,
Et vitæ ſurgens qui patefecit iter:
Auctoremque tuum tenebroſa in tartara merſit,
Mentibus exemptum coulegiiſque piis.
Petrus Apoſtolici princeps venerandus honoris,
Quo bene clavigero cælica regna patent.
Dogmate Paule viges penetrans ſecreta polorum,
Quem ingens exornat pœna, labor, ſtudium.
Pectore de Domini dat pocula ſumpta Joannes,
Quem pia virginitas, ejus & ornat amor.
Fulget Apoſtolicus ſublimis & inclytus ordo,
Cum doctis ſociis diſcipuliſque ſuis.
Martyrum & inſignis ſplendeſcens lampade cœtus.
Turbaque confeſtrix, virgineuſque chorus.
Quamvis celſæ animæ, mortali ſtirpe creati
Debita perſolvunt mors inamata tibi.
Nomina difficile eſt cunctorum poſſe referri,
Qui ſunt, qui fuerint, quos fore det Dominus.
Sint meriti cujuſcumque, horum nullus ab ævo
Hac tamen immunis conditione manet.
Denique rex magnus David ſanctuſque prophetes
Afflatus ſancto carmine cantat ita.
Eſt quis homo vivens, qui te non peſſima rerum
Mors trahat, & viſu poſſit abeſſe tuo?
Eruet aut animam propriam quis manibus imis,
Illorum & ſæva quit caruiſſe manu?
Mos hic ab uſque chao mortalia germina preſſit,
Atque ſua mundum lege ſubegit atrox.
Conditionis enim hujuſce debita ſolvit
Frater pro cujus carmina morte damus.

II.
DE [a] SEPTEM VITIIS CAPITALIBUS.
*** ([b] Deſunt plurima.) ***

Contriti & cordis ſacra parare Deo.
Triſtitia hæc ratione viget, hæc lege tenetur;

---

a *De ſeptem vitiis capitalibus*) Acephalo poemati quis titulus fuerit neſcimus, nos temere hunc indidimus, tum ne nullus eſſet, tum quod ab argumento reipſa non abhorret. De his enim ſeptem, ut vocat, cladibus diſſerit.

b *Deſunt plurima*) Hiatus hic defectum notat quaternionis unius, qui ad nos non pervenit. In eo,

Mentibus hæc ſanctis gaudia magna parat.
Felices, inquit Dominus rex, qui modo fletis,
Egregius vobis poſt quia riſus erit.
Cor ſapientis ubi ſapiens mœſtiſſima dixit
Res eſt, & ſtulti ſunt ubi læta quidem.
Nempe ait & miſeri venerandus Apoſtolus eſte,
Et veſtris ſedeat plangere flere animis.
Suſcipiat luctus riſus & gaudia mæror.
Veſtra, ſed hæc ſatagens dogmata ſancta dabat.
Omnia quis propriis poterit deſcribere chartis,
Quæ de hac re ſparſim pagina ſancta canit?
Altera, quam gignit furor & confuſio mentis,
Segnitieſque nocens nil rationis habens.
Non animum hæc purgat, ſed iniquo turbine turbat:
Quem turbare valet, emaculare nequit:
Hanc fovet anxietas, hanc deſperatio gignit,
Deque ſui nigri flumine lactis alit.
Tertius horrenda exoritur modus improbus ira:
Gignere quin etiam damna caduca ſolent.
Cum deſiderio eſt mens aut perculſa timore,
Carpitur aut cæco deſidioſa rogo:
Eſt plerumque ſuo ſic excæcata furore,
Ut ſit quid dicat neſcia, vel quid agat.
Eſt & ei ſine clade dolor, ſine nomine mæror,
Intima ſed cordis nubilus error habet.
Hanc modo ſomnus habet, modo tarda ſilentia prenſant
Ambulat & ſtertit, murmurat atque tacet.
Somniat hic oculis reſidens ignavus apertis,
Nilque loquens ſeſe dicere multa putat.
Actus hebes, ſeceſſus iners, oblivia pigra
Sunt, & nil fixum mente vel ore vehit.
Ut ratis in pelago, cui non eſt navita, certa
Ad loca nulla volat, ſed vaga oberrat aquas.
Sic mens triſtitiæ ignava caligine preſſa,
Per pelagus ſenſus itque reditque ſui.
Colloquiis fratrum crebris hæc noxa fatiſcit,
Orandi adſiduum hanc quoque pellit opus.
Et fugat eloquium, fugat hanc & lectio ſancta,
Sudum hujus jubaris nubs tenebroſa fugit.
Marcida non vitii perſtabunt tædia tanti,
Virtutum ſi harum ſunt agitata manu.
Ignibus ut ceræ, glacies ut ſole liqueſcunt,
Igne liquor modicus, ut perit amne rogus.
Deſidis haud aliter labefacta pericula morbi
Tabeſcent penitus vi perimente pia.
Si mentem ratio vegetet, componat, & ornet,
Mox vitiorum inient larvea monſtra fugam.
Corporis in membris hebes eſt ſubſtantia noſtra,
In ratione viget, eſt ubi imago Dei.
Ira furens ſequitur ſpumanti fervida rictu,
Luminaque intorquet felle cruenta tetro.
Impia cui dirum tribuit Bellona flagellum,
Quo mentes hominum in jurgia ſæva movet.
Atque laceſſitis ſociis hinc inde miniſtrat
Arma, quibus perimat pacis amara bonum.
Quis inoleſcat atrox ſcelus, & diſcordia creſcat,
Et male fraternus oppetat almus amor.
Sæva quibus dentur vitiis alimenta cruentis,
Et cluat omne nefas cum legione ſua.
Et virtutum eadem cuneus veniente fatiſcat,
Et præcepta fiant irrita ſancta Dei.
Quæ niſi pacata nequeunt inſidere menti,
Haudquaquam eſſe valent eſt furor ater ubi.
Lex videt iratum, hanc cernere negligit ipſe,
Vult illa ulciſci, hic cæcus oberrat iners.
Hac abeunt veniente modeſtia, pax, pietaſque,
Omne hac præcipitat mentis ab arce bonum.
Ut maris atra movent ventorum prælia fluctus,
Nec tranquilla ejus eſſe elementa ſinunt.

ut comperi, principem locum tenebat vulgatum Carmen de Phœnice, *Eſt locus in primo felix Oriente*, &c. ita ut hujus auctorem qui ignorabatur, Theodulfum deinceps laudare liceat.

Aut

Aut nemus ut placidum Zephyro turbatur & Euro,
Atque arbuſta ſonant, robora pulſa ruunt.
Haud ſecus ira movet humanas perfida mentes,
Eſſe nec infelix corda quieta ſinit.
Illius in præceps mentes inſania ducit,
Nec patitur proprium has retinere ſtatum.
Amputat & ſenſus, phreneſes imitata cerebri,
Quid gerat aut dicat noſſe maligna vetat.
Hinc livor ora tegit, tremor hinc & concutit artus,
Lumina Gorgoneo ſævius igne micant.
Ore fremit, manibuſque ferit, furit impete grandi,
Omnia quæ geſſit nec meminiſſe valet.
Jungitur Eumenidum ſtygiis male ſana choreis,
Et Phlegetontæis effera virginibus.
Cælicolis aliena choris, ubi principe Chriſto
Inclyta pro meritis præmia miles habet.
Pax ubi regnat ovans, amor inclytus, ordo beatus,
Emicat ætheriis arx ubi ſancta tholis.
Eſt etiam interdum zelus, qui dicitur ira
Provida, pro recti quando adhibetur ope.
Per quam conſtanter vitiis obſiſtitur atris,
Ejus & inſtinctu res mala pulſa fugit.
Eſtque ſavere malum vitiis, obſiſtere dignum,
Hæc fugat iratus, deſidioſus alit.
Si tamen iratus cupit emendabilis ut ſit
Is qui corrigitur, hæc manet ira levis.
At bona ſi tædent, delectant peſſima quæque,
Eſt hæc ira gravis, res & acerba nimis.
Mergit in hæc odii cænoſa barathra maligni,
Quod ducit miſeros ad Stygis ima viros.
Eſt namque ira odium, quando inveterata ſeneſcit,
Deque malo in pejus diſcit abire malum.
Cernis, ait Dominus, feſtucam in lumine fratris,
Inque trabem proprio negligis aſpicere.
Ira levis feſtuca, trabes odium extat inorme,
Hæc cito tranſcurrit, id remorando gravat.
Illa ſonat leviter, tacito illud corde graveſcit,
Illa cupit plagas, illud & exitium.
Iram animi levitas, odium creat illa malignum,
Carduus herba prius poſtmodo ſpina gravis.
De ſermone levi exoritur grave crimen & atrum,
Ovo ita de tereti fit baſiliſcus atrox.
Sic nutrita diu rerum mala ſemina lædunt,
Exſtirpata nocent protinus orta nihil.
Si ſit amor fratrum, ſævam non itur ad iram,
Hæc ſi defuerit, nulla manent odia.
Temperat æquanimis vitium hoc rationis honeſtas,
Æqui amor illius conterit ora caput.
Hocque modeſta ſcelus perimit patientia dirum,
Quæ eſt tutela boni, perniciesque mali.
Virtutum genitrix, nutrix, defenſio, ſolers
Adverſa hæc inter has juvat atque fovet.
Frangere quæ novit vitiorum ſpicula ſæva,
Atque ſuis horum arma pavenda terit.
Parma fides, thorax ſpes, cui dilectio caſſis
Eſt, quibus inliſi mucro perit chalybis.
Qui impactus reſilire ſolet, acieque retuſa,
In partes ferus & fruſta minuta jacet.
Cui major quo ictus, major fractura pateſcit
Longius & ſparſim fruſta caduca volant.
Poſtquam amiſit homo immortalis gaudia vitæ,
Cepit & hunc miſeræ mortis acerba lues,
Donec ad antiquæ redeat primordia vitæ,
Semper & eſt nobis hinc labor, inde timor.
Quo nos alma tuæ refovent patientia vires,
Atque tuis armis tuta caterva ſumus.
Inclyta hæc ſanctis tribuit ſolatia cunctis,
Quis ut tuti eſſent urbs veneranda fuit.
Quos numerare vetat brevitas en iſtius odæ,
Qui patienter opes promeruere poli.
E quibus unus erat comes huic fidiſſimus Job,
Hæſerat atque illi vis ea fida comes.
Virtutes in eo viguere, & copia rerum,

Pollebatque eluens omnibus ille bonis.
Prole, domo, pecudum ſervorumque agmine felix,
Atque quod his magis eſt jure, timore Dei.
Invidus armat in hunc ſua ſpicula comminus hoſtis,
Et murum mentis machina magna ferit.
Temporis in puncto cunctis ſpoliatus ademptis,
Deſtitit & dominus, deſtitit eſſe pater.
Proſperitas fugit hunc, fugiunt pia dona ſalutis,
Quod ferat, aut habeat, nil niſi morbus ineſt.
Pro famulis vermes, pro rebus tabo remanſit,
Pro ſobole ſtercus, proque peplo ſanies.
Hinc tormenta premunt, ferit os hunc conjugis illinc
Ejus amicorum ſpicula murus habet.
O memor antiqui ſceleris, per conjugis os tu
Rebare, ut primum, hunc vincere poſſe virum.
Sed juvat hunc ratio, juvat & patientia mater,
Quis bene mens ejus tuta duabus erat.
Proſpera quem juſtum, patientem adverſa tulere,
Hinc bona componit, deſtruit inde mala.
Cui ratio galeam præbet, patientia parmam,
Quis labefactatus ſit furor ira tuus.
Hæc ſequitur vitia ſcelerata ſuperbia mater,
Et regina mali, dux & origo doli.
Quæ quamquam vitiis cunctis alimenta miniſtret,
Quod peccare valet hac ſine nullus homo:
In geminum duplicata tamen conſurgit biulcum,
Atque biceps formas res habet una duas.
Prima manet probroſus aperta ſuperbia morbus,
Altera ventoſæ laudis inane ſcelus.
Seu ſoror eſt ejus, ſeu neptis, filia ſive,
Trux natura tamen una duabus ineſt.
Gloria vana tibi quadruplex jactantia gliſcit,
Quatuor & plagis percutis atra plagas.
Sunt quibus eſt donum, ſed danti neſcia turba
Detrectant grates reddere rite Deo.
Et ſunt qui ſibimet meritorum inſignia fingunt,
Atque illis tribuunt non ſua dona Deo.
Aſt alii donum nec habent, nec habere valebunt,
Sed tumido ſeſe corde habere putant.
Nulla reor homini eſt major jactantia, quam qui
Se ſolum quiddam poſſe vel eſſe putat.
Angelus inde ruit, quoniam ſe ſolius unum
Eſſe poteſtatis eſt ratus & jubaris,
Proque polo ſudo tetrum eſt mercatus Avernum,
Exter & Angelico eſt factus honore miſer.
Scinditur in partes inflata ſuperbia ternans,
Sicque triceps trino Cerberus ore vorat.
Denique prima in eis quibus eſt tranſgreſſio legis,
Quam dum quis temnit, jure ſuperbus ineſt.
Linquitur & toties, quoties obſiſtitur illi,
Tunc peccat quis eum quod vetat illa facit.
Idcirco initium peccati lex canit illam,
Linquere juſſa Dei hac quod ſine nemo valet.
Quæ jubet ergo fiant, vetat & quæ exotica ſunto
Lex pia, tunc procul eſt omne opus honorificum.
Porro alii affectant ſocios contemnere cunctos,
Et quod habent, ſolos ſemet habere putant.
Eſtque ſecunda horum, legis cuſtodia quorum
Protinus inflari corda ſuperba facis.
Unde forent humiles, certant inde eſſe ſuperbi,
Mereanturque bono munere grande malum.
Hoc Phariſeæ ſacri facis in teſtudine templi,
Me miſerum, plures hoc modo prorſus agunt.
Ut gaza tuta manet docto cuſtode repoſta,
Servat mens humilis ſic opus omne bonum.
Tertia pars horum, quibus eſt inflatio morum,
Quos tumor elatæ mentis ad alta levat.
Subdier imperio qui dedignantur honeſto,
Spernere majorum & dicta vel acta ſtudent.
Et quia diſcipuli probitatis ineſſe recuſant,
Idcirco erroris turba magiſtra fiunt.
Noſſeque quæ ignorant nequeunt, quia poſſe putant ſe.
Sic male præcipites mens vaga fallit eos.

Namque unus cunctis extat modus iſte ſuperbis,
Se pretii ut magni ſemper ineſſe putent.
Fraternis nunquam adſenſum præbere loquelis,
Omnibus & veri ſe meliora loqui.
Senſibus ingeniiſque ſuis non ullius uti,
Spernere conſilii ſeu melioris opem.
Falſaque ferre ſuis laudum præconia rebus,
Diſpicere alterius dicta vel acta ſimul.
Deſpectis paribus, minimis, majoribus, atque
Jam ſibi ſive ſuis nil ſociale putant.
Nil placida ratione gerunt, ſic avia curva
Carpentes rectam deſeruere viam.
Sed medicina Dei morbos excludit iniquos,
Et facit ut redeat officioſa ſalus.
Dum timet ergo animus virtutum luce carere,
Et vitiorum ægre nube nigrante tegi:
Pellitur extemplo tuus o jactantia morbus,
Nonque animum illectum gloria vana linit.
Morbida ſeu-ve abicit metus & contagia peſtis,
Sic ſordes ædis aſpera ſcopa abigit.
Teque ſuperba lues, furor & ventoſe, repellit
Exemplum humilis regis, & ejus amor.
Et metus Angelicæ cæleſti ex arce ruinæ,
Unde miſer præceps corde tumente ruit.
Ille ſuperba loquens, de cælo in tartara merſus,
Horridus eſt dæmon, qui Angelus ante fuit.
At Dominus humilis veniens ex ætheris arce,
Agmina cælicolis terrea conſociat.
Terreat ergo hominum genus illius atra ruina,
Mulceat aſcenſus & redimentis heri.
Mens elata cadit hominis, proſtrata reſurgit,
Quo mage juncta ſolo, ſic mage juncta polo.
Deſcendendo ſubit, patitur ſcandendo ruinam,
Per numeros & eunt cuncta graduſque ſuos.
Omnia judicio ſunt diſpenſanda ſuperno,
Quod premit elatos, erigit & humiles.
Quæ per prata parum vitiorum Muſa meaſti.
In tepidi libri ſiſtito fine gradum.
CLADIBUS bis ſeptem totum vaſtaverat orbem,
Hiſque triumphator totius orbis erat.
His genus humanum vitiis ferus hoſtis habebat
Captivum, his armis ſubdiderat atque ſibi.
Perculit & primum probroſus ut ille parentem,
Illius in totum ſic movet arma genus.
Et quibus hunc armis ſcelerata mente ſubegit,
His ſibi progeniem ſubdere certat atrox.
Eſt gula namque vorax, ſequitur hanc mœchia turpis,
Fraus & avaritiæ, ſeu ſcelus invidiæ,
Triſtitia hinc ſegnis, furioſæ morbus & iræ,
Duxque harum his ſupereſt inde ſuperba lues.
Arma ſed hæc poſuit Deus his contraria larvis,
Harum adnulletur quis ſapienter opus.
Sic adhibet ſapiens medicus contraria morbis
Arma e diverſo, detur ut alma ſalus.
Frigida componens calidis humentia ſiccis,
Mollia cum duris, lenibus hirta etiam.
Sancta gulæ ingluviem ſuperant jejunia fœdam,
Quæ mortale genus afficit, artat, agit.
Virgo pudicitia, ſpecioſo compta decore,
Extinguit flammas, tetra libido, tuas.
Vincit avaritiam felix operatio dandi,
Dextera larga gerit cum pietatis opus.
Invidiam ſuperat Domini, & dilectio fratrum,
Hujus & actu ejus omne fatiſcit opus.
Triſtitiamque fugat fraterna locutio ſegnem,
Orandi & ſtudium, lectio ſive ſacra.
At ſecura iram frangit patientia diram
Lenis, & illius ſpicula ſæva terit.
Frangitur exemplis inflata ſuperbia Chriſti,
Hancque metus pœnæ ſolvit, & almus amor.
Sic medicus hic per contraria ſæpe medetur,
Fert & ab oppoſitis ſæpe ſalutis opem.
Sæpe etiam per res ſimiles conferre medelam

Vulneribus hujus aſſolet alma manus.
Longaque dat longis, adhibetque rotunda rotundis
Emplaſtra, & modulo vulneris aptat ea.
Ligno mors ſubiit, redit & vita inclyta ligno,
Illam guſtus agit, hanc crucis altus honos.
Virgo vetus mortem, retulit nova virgo ſalutem,
Hæc ſuadendo virum, hæc generando Deum.
Priſca virago viro letum fert, at nova Chriſtum
Vivere diſcipulis nuntiat ecce piis.
Angue loquente ſubit morbus, pendente fatiſcit,
Hoc ſquamoſus atrox, æreus illud agit.
Eſca dedit mortem, vitam concedit & eſca:
Tunc dabat Eva nocens, das modo Chriſte potens.
Virga abit in colubrum, redit hinc in virgea membra:
Chriſtus it in mortem, vivus & inde redit.
Virga poteſtatem ſignat, mortemque chelydrus:
Hinc bene ſuccedunt iſta vel illa ſibi.
Dividit illa ſolum, peragit ſeu ſigna pavenda,
Quam retines legis inclyte Moſe typo.
Convenit & mortis queat ut geſtare figuram
Serpens, quod per eum mors maledicta ſubit.
Quæ per prata parum vitiorum muſa meaſti,
Tempus adeſt, iſto ſiſtito fine gradum.

III.

PARÆNESIS AD EPISCOPOS.

a *Quarte libelle tribus jam nunc ſuccede peractis,*
Prævius & fratrum quo vocat ordo ſubi.
Famina qui mutis, qui dat veſtigia claudis,
Qui his tulit auxilium, hic tibi poſce ferat.
His generale fuit fundendum dogma per omnes,
Aſt opus iſtud erit jam ſpeciale tibi.
Primus habet ſanctæ quædam documenta fidei,
Reſque quibus notus eſt pius ejus apex.
Quo ſit habenda modo breviter canit ipſa ſecundus,
Quæ loca ſint reprobis, quæve parata piis.
Tertius horrenda bellum cum gente gerendum
Edocet, & ſocios qua valet armat ope.
Fundamen fidei, fabricæ incrementa ſalubris,
Hi bene componunt, dant pia jura loco.
Obſiſtunt vitiis, cives virtutibus armant,
Componuntque urbem milite, lege, fide.
Ipſe ſacerdotes ad mœnia noſtra vocato,
Horumque obſequii ſit tibi cura pii.
Horum te primum genibus proſtrare memento,
Ut benedicaris cernuus inde roga.
Cum fueris ſanctis manibus, gremiiſque receptus,
Oribus & collis oſcula ferre para.
Oſcula cum dederint, ſupplex tamen oſcula ſume,
Teque locuturum ſcilicet eſſe cane.
At tibi cum fuerit conceſſa licentia fandi,
Excuſa auctorem, qua potes, uſque tuum.
Quod rem congreſſus non ſim temerarius iſtam,
Mens nec præſumptrix cogat ad iſtud opus.
Nec me Præſulibus doctorem præfero ſanctis,
Quorum vita mihi norma ſalutis ineſt.
Parva ſed b *in magna cum ſim Levitide turba*
Pars, placet ut patres qua queo ſorte juvem.
Quique pio cupio, ſoleo, vel debeo voto,
His ſervire humilis, hiſque favere libens.
Ut bene ſella ſolo emineat, pulvillus & illi,
Eſt cura ut votis ſit patris apta ſatis.
Linea cruſque pedeſque tegant talaria ut apte,
Qui ſuper addatur campagus ipſe decens.

a *Quarte libelle*) Partem hanc operis ſui Theodulfus in quatuor libellos diviſerat, quorum ſinguli quid continerent initio quarti nunc explicat. Ex his quatuor primi duo deſiderantur cum parte tertii. Tertii enim pars altera, opinor, ea eſt quæ de conflictu vitiorum proxime anteceſſit. Ceterum cum in veteri Codice nulla uſquam in ceteris librorum eſſet diſtinctio, in ſex ipſi libros poemata omnia digeſſimus. Titulum etiam huic Opuſculo, quo carebat, de noſtro adjecimus.

b *In Levitide turba*) Diaconum ſe duntaxat, cum hæc ſcriberet, aut inferioris gradus clericum fuiſſe ſignificat. Ideoque excuſat, quod officii ſui admonere audeat Epiſcopos.

Fundere aquam palmis, mantilia ferre ſtudemus
Impexo, tunicis inſtita longa damus.
Candida ut extenſis niteat dalmatica rugis,
Fimbria neve erret huic ſine lege levis.
Pallia ut ornate, chlamys ut bene pendeat ipſa
Certo, manuſque caput ſedula comit ei.
Eſt labor & digitis, ſi quæ ſint, tollere ſordes,
Plantis ac toto ſubnitidare patrem.
Lumine de accenſo ſi cera aut humor olivi
Defluit, hæc digitis veſte fugantur item.
Occupat & faciem ſi ſudor, tergimus illam,
Si pulvis veſtes, excutiendus erit.
Frigus ut abſcedat, ſubſtramus pallia plantis:
Fervorem falſi flaminis aura fugat.
Tentet, ait Dominus, ſi cæcus ducere cæcum,
Corruet in foveam lapſus uterque ſimul.
Pravus & indoctus, cum ſit prohibendus uterque,
Hic quod iniqua gerit, hic quia ſancta tacet.
Adſolet ambabus conſtringi pedibus unus
Rector, ſi rector jure vocandus erit.
Qui nocet exemplo, qui non juvat arte docendi,
Quo nequit aut ſua mens, aut aliena regi.
Improbat indoctos his verbis ſanctus Eſaias
Rectores, Domini verba ſacrata canens.
Paſtores ipſi non te, prudentia, norunt,
Sed ſpeculatorum concio lucis egens.
Cæcaque quos graviter premit ignorantia cunctos,
Turbaque latrandi eſt viribus orba canum.
Heu facinus, heu grande nefas, cum norma ſalutis
Qui fore debuerat, fit via duxque mali.
Ipſius exemplo quotquot periere, malignis
Pro cunctis pœnas, ut reor, ipſe dabit.
Sontior hic fure eſt, prædone & ſontior atro,
Hic quia plus rebus, mentibus ipſe nocet.
Externas hic tollit opes, hic intima vaſtat,
Namque animam carni quis ſuper eſſe negct?
Eſt etiam qui recta docet, ſed iniqua gerendo
Deſtruit hoc actu, quod ſtruit oris ope.
Hic ſe perverſo demens jaculatur ab actu,
Dum mala quæ geſtis perpetrat, ore ferit.
Hic aliis prodeſt, ſibimet prodeſſe recuſat,
Atque aliis vivens mortuus ipſe ſibi eſt.
Hic monet eſſe alios, ſibi fit ſine mente, ſed inde
Cerea lux aliis, fis cinis ipſe tibi.
Eſt etiam gravis ille modus, quo pellere probra
Rite valet nullus, dummodo probra gerit.
Qua rogo ſorte queat ſordens abſtergere ſordes,
Evigilare alios quem ſopor altus habet?
Quave jacens facies ſtudeat relevare jacentes,
Aut curare paret vulnera vulnus habens?
Ceſſat ab ingluvie Præſul compeſcere ventris
Plebes, ſi dapibus preſſus & ipſe jacet.
Haud vetat hic vinum, ſi ſeſe ingurgitet illo,
Ebrius haud populo ſobrius eſto canet.
Non vitia ſpernenda monet quibus ipſe gravatur,
Virtutumque expers non iter aptat eis.
Compos avaritiæ non ejus voce fatiſcit.
Quem ligat iſtius peſtis adunca manus.
Non odii poterit mordaces ſolvere nodos,
Cujus mens odii monſtra nefanda gerit.
Plebem tranquilla nequit hic componere pace,
Qui nulla plebi pace ligatus ineſt.
Aut iræ ſtimulos quibus armis frangere quibit,
Lurida quem prædam fecerit ira ſuam?
An ſedeat vacuum quem vana ſuperbia ventum
Perflat, ſi ſenſus flatibus ejus eat?
Quove modo poterit contemptum ſuadere mundi?
Hunc niſi contemnit, temnitur iſte monens.
Quem favor humanus docuit mulcere potentes,
Quando hic judicibus jura tenere canet?
Aut dicet miſeros pietatis lege tuendos,
Hos ſi quaque valet ſorte gravare gravat?
Quem levat aerio pendens jactantia fune,

Fertque in deterius ambitioſa lues,
Vivere jactantem jactans haud ille coercet,
Nec cuidam dicet ambitione care.
Qua ſorte examen magnum canet iſte timendum,
Me miſerum, quod non forſitan iſte timet?
Cujus lingua operis proprii eſt frænata lupatis,
Probra aliena tacet, ne ferat aure ſua.
Hic bona non ſuadet, quæ non fortaſſe peregit,
Et mala non prohibet, quæ miſer ipſe gerit.
Non ego, Pontificum dum vitam ſcribo malorum,
Aut decus ipſe piis, aut mea muſa tibi.
Pulchra nec urticis exuro lilia ſcabris,
Nec ſegetes dumis trux paliure tuis.
Mollibus in pratis miſcentur mollia duris,
Noxia cum nitidis ſemina geſtat ager.
Hortus aromaticis redolens pulcherrimus herbis,
Geſtat nidorem ſæpe cicuta tuum.
Nam mala mixta bonis, bona pravis, ire per ævum
Quis neget, aut dubitans diffateatur homo?
Namque revellendum vitioſo ſemine purum
Creſcere meſſis herus tempus in uſque jubet.
Chriſti in ovile manent agnis cum lenibus hœdi,
Expectatque pios dextra, ſiniſtra reos.
Myſtica permixtos ceperunt tertia piſces:
Pars bona lecta viget, pars mala jacta perit.
Eccleſiæ quod ager, quod ovile & retia geſtant,
Cur non geſtabit carminis hujus opus?
Aut cur multorum non certet pingere mores,
Cunctorum mores emaculare parans?
Illius inſignis radiabat lumine veſtis,
Blanditiaſque hominum viſibus illa dabat.
At tibi virtutum dent ornamenta decorem,
Atque oculis cordis qua potes uſque fave.
Illi erat in ſacro pollens reverentia cultu,
Et decus in habitu pontificalis opis.
Sancta eſt in ſancta tibimet reverentia matre,
Et vitæ ſtudiis, actibus inque piis.
Aurea Pontificis cingebat lamina frontem,
Qua bis binus apex nomen herile dabat.
At tibi frons mentis cingatur ſenſibus almis,
Chriſtum Evangelico vox & ab ore tonet.
Sint manifeſti actus fidei, probitatis & æqui,
Qui ſit virtutum quatuor ordo tibi.
Hi ſpeculantur enim cunctorum comminus actus,
Providus ut proprium paſtor ovile ſolet.
Sicque bonos & amant, & amandos jure fatentur,
Quoſque ita firmatos ad meliora vocant.
At contra vitii reprimit quos pondus inorme,
Hos quacumque valent ſorte levare levant.
At ſi quos nequeunt vitiorum faſce levare,
Portandos adhibent hos patiendo ſibi.
Quis aut vita horum, aut ſuadet patientia fructum,
Dum hos emendant, hos tolerare parant.
Turba hæc eſt felix, o quantum diſtat ab iſta,
Quæ ſua non Domini lucra inhianter adit!
Quæ prodeſſe negat, tantum præeſſe laborat,
Hoc ad opus ſtertit, pervigil illud agit.
Quam fera contriſtant populi peccamina nunquam,
Nec bona lætificant plebe peracta ſua.
Ut ſua deplorent, quæ nunquam crimina pravis
Adfore quæ nunquam ſollicitando beat.
Ditior ut ſit hiat, nam ſanctior eſſe recuſat,
Donaque militiæ percipit, arma fugit.
Non opus heu ſed opes, nec onus, ſed honor placet illi,
Et bene juncta ſecans, hæc tenet, illa jacit,
Qui ſua non populi perquirunt commoda, tantum
Dici & paſtores, non tamen eſſe volunt.
Sed neque cura gregis paſcendi, ſive tuendi,
Sed rapidi intendunt quod queat ille capi.
Mentior egregius ſi non canit iſta prophetes,
Cum modo divinis vocibus iſta ſonet.
Iſraelitarum pravis paſtoribus eheu,
Qui ſibi multa parant paſcua, nulla gregi.

Lacteus humor enim præbebat pabula vobis,
Lanaque deducto vellere veſtis erat.
Si quod erat craſſum, laniabat turba voratrix,
Nec fuit infirmum conſolidare labor.
Ægroto pecori medicamina nulla tuliſtis,
Et fractum ſprevit veſtra ligare manus.
Nemo redux ſtuduit dejectum reddere caulis,
Perdita nec vobis quærere cura fuit.
Dura ſed imperio impoſuiſtis juſſa maligno,
Et trux ſive potens turba fuiſtis eis.
Agmina ſunt ideo balantum ſparſa mearum,
Haud quia qui paſtor paſceret ullus erat.
Devorat atque illas rabies inimica ferarum,
Prædaque fit monſtris quos vehit orbis ager.
Necdum depoſito vitiorum pondere diro,
Ponderis egregii qui petiere locum.
Tramite qui vitæ nequeunt præcedere ſanctæ
Subjectos, quibus hæc non bene nota via eſt.
Quo rogo quis pacto ſociis quit prævius eſſe,
Qui modo quod teneat hic quoque neſcit iter?
Si calor eſt, umbram, ſi frigus quærimus ignem,
Quoque juvare queo certo juvare modo.
Quis vetet interius verbis ornare magiſtrum,
Quem ſolet exterius comere noſtra manus?
Vitæ & munditiem cur non adhibere parabo,
Cum modo ſi ſordem non fero veſtis habet?
Cur non optabo æternæ adcommoda vitæ,
Cum modo quanta queo commoda fere paro?
Eccleſiæ huic debet populus ſe ſubdere totum,
Quæ laudanda ævum turba per omne manet.
Quæ decus & ſplendor, fundatrix ejus & altrix,
Nomina magnorum poſt duodena virum.
Ipſe columnarum in Chriſto firmiſſimus ordo
Fixus, cui incumbit ſedula rite cohors.
Hujus ſidereæ reſplendens janua ſedis,
Per quos ad Chriſtum qui cupit intrat ovans.
Cura regendarum quibus eſt conceſſa animarum,
Sortitos populi pondera magna ferunt.
Quique incenſa precum dant pro peccamine plebis,
Et mala deplorant mixta aliena ſuis.
Judicis avertunt immenſi a plebibus iram,
Cum proprio hoc Moyſes fratre gerebat opus.
Ille voluntatis chorus eſt narrator herilis,
Credula quo duce plebs ſcandit ad alta poli.
Adſertor veri, perverſi dogmatis hoſtis,
Hoc vocat & retinet, id fugat atque abigit.
Conſcia quæ pravi metuet plebs viſibus ipſis,
Quæ bona, mellifluum ſentit ineſſe ſibi.
Oppreſſi eſt tutor populi, vindexque benignus,
Catholica hunc vocitat concio cuncta patrem.
Præmia luciflui promittunt ardua regni,
Quo chorus Angelicus, quo pia turba patrum eſt.
Quæ capit & ſanctus qui ſudat miles in armis,
Hoſteque ab horrifico victor ad aſtra volat.
Dant pia dum faciunt operum documenta bonorum,
Suntque Dei populo norma decuſque pium.
Hic eſt ædituus cœtus, qui clavibus almis,
Et ſerat & reſerat, & ligat & religat.
Regis & inde ſacra quo diſpenſante ſupremo,
Turba nitet gradibus officioſa ſuis.
Quos non ambitio, ſed vitæ gloria vexit
Ad loca ſublimis editiora gradus.
Quos non humani provexit penna favoris,
Sed tulit alme Deus, munus ad alta tuum.
Qui ſibi primatus proprio de culmine nunquam
Applaudunt, humilis mens quibus atque pia eſt.
Quos honor acceptus non inflat flamine vano,
Sed premit impoſito pondus herile jugo.
Cum non primatus, ſed ſarcina mente tenetur,
Nec quam celſus honos, ſed grave quam ſit onus.
Sic equus ornatus phaleris, bulliſque ſuperbis,
Ingemit, aſcenſor dum ſibi calcar agit.
RES BONA *ſi pateat, procul ac ſimulatio ſi ſit,*

Sæpe juvat qui dat ſe quoque rite ſequi.
Namque opera inſpectent præcepit veſtra redemptor,
Veſtrum ut glorificent qui eſt ſuper aſtra patrem.
Illius ergo caput reſplendens mitra tegebat,
Contegat & mentem jus pietaſque tuam.
Corporis arx caput eſt, animæ mens, ſi hæret amori
Illa creatoris, quid homo majus habet?
In qua divinæ exprimitur bonitatis imago,
Moribus in ſanctis ſi huic bene juncta manet.
Scilicet exemplum de rebus ſumere parvis,
Annulus effigiem ſi tibi cera premit.
Sit tibi ſecretum pro pulchro pondere dogma,
Quod circumſcripta balteus aptet opis.
Plurima ſi rudibus pandantur mentibus obſunt,
Plura ſuo, ni ſint ordine dicta, nocent.
Sic alimenta juvant plures, quæ pluribus obſunt,
Tempus & ordo cuique eſt, ſunt ſua cuique loca.
Dogmatis hic tunicam tibi circumſpectio cingat,
Virtutum omnicolor hæc ſuper ephod eat.
Pura ſit alma chlamys cunctos fugiendo ſed artus,
Virtutumque aliis ſit variata bonis.
Namque ſacerdotes David ſanctiſſimus heros
Juſtitiæ veſtes orat habere pias.

IV.

QUOD DEUS NON LOCO QUÆRENDUS SIT, ſed pietate colendus.

Non tantum iſſe juvat Romam, bene vivere quantum,
Vel Romæ, vel ubi vita agitur hominis.
Non via credo pedum, ſed morum ducit ad aſtra,
Quis quid ubique gerit ſpectat ab arce Deus.

THEODULFI EPISCOPI AURELIANENSIS, CARMINUM LIBER SEXTUS.

I.

DE GRATIA DEI.

[a] *Tanta Dei bonitas fragiles nos inſtruit, ornat,*
Ut ſua de propriis noſtra gerat merita.
Et ſine qua bona nulla fiunt, quæque efficit ejus
Gratia, ſint noſtris adnumeranda bonis.
Dat bene velle pius, peragi quoque donat & ipſum,
Prævenit hic, ſequitur nos opus ejus ibi.
Hinc fit ut initium, perfectio detur & illinc,
Sic capite & cauda eſt hoſtia grata Deo.
Proque bonis propriis clemens ſua præmia donat,
Concordet noſter ſi bene niſus ei.

---

a *Tanta Dei bonitas*) Eandem ſententiam incertus, ſed antiquus auctor non inſulſe his rythmis Deum alloquens expreſſit.

De tuo ſervimus tibi nos tuis vernaculis,
De tuo ſumus robuſti, & de tuo fervidi,
Portamus pondus diei & æſtus non minimi.
Omnia tu nobis donas hic pater familias.
Tu ad laborandum vocas, ire velle incitas,
Et ſimul poſſe inſpiras, vires ibi reparas.
Et cum iſta nobis agas, ita poſt remuneras,
Ex nobis quaſi voluntas atque poſſibilitas
Fuiſſet ad univerſas ferendum moleſtias.
Et ſilebimus hanc tantam Dei indigni gratiam?
Quærentes noſtram non tuam infelicem gloriam?
Prædicabimus nec iſtam omnibus clementiam?

II.

DE HIS QUI ALIUD CORDE RETINENT, aliud ore promunt.

Nec malus attendit quod Vates inclytus orat;
Dum ſeſe ereptum talibus eſſe cupit,
Ne des una, inquit, me cum peccante tumultum,
Nec perdas cum his qui ſemper iniqua gerunt.
Quorum pacificos affatus proximus audit,
Cordibus inque horum plurima ſæva latent.
Da, Deus, his operum juſta incrementa ſuorum;
Juxta & nequitiæ diram reperta ſuæ.
Congrua pro manuum his ſint geſtis vota ſuarum;
Pro meritis merces, obſecro, detur eis.
Et quod opus Domini, ſua nec pia facta ſcierunt,
Perde illos, & non ædificabis eos
Inclyta ceu legis jubet hoc cenſura beatæ;
Cum vox terribilis talia dicta tonat.
Non menſura duplex tibi ſit, non pondus iniquum;
Jura, ut ſimplicitas mente ſit, ore ſonet.
Et modius tibi ſit juſtus, ſextarius æquus,
Scilicet ut nos non occupet ulla fraus.
Diſplicet altithrono duplex pellacia ſemper,
Cor rectum & ſimplex arbiter æquus amat.

III.

QUALE JEJUNIUM ET QUÆ PARSIMONIA Deo acceptabilis ſit, & poſſit impetrare poſtulata.

Eſa. 58. 6. *Namque per egregium jejunia ſancta prophetem*
Hæc accepta ſibi rex Deus ipſe probat.
Solvite vincturas, ait, impietatis iniquæ:
Solvite faſciculos qui male ſæpe premunt.
Fac ut eat liber conſtrictus qui fuit ante,
Diſruptum ſit onus prorſus & omne tibi.
Quem manet eſuries, panem ne frangere temne,
Sit vagus & ſit egens ductus in æde tua.
Veſtito nudum, & propriam ne deſpice carnem,
Ejuſdem quoniam conditionis ines.
Tunc ut mane tuæ prorumpet gloria lucis,
Et celer exoritur mox tua certa ſalus.
Praecedentque tuam faciem pia jura Tonantis,
Colliget & temet gloria ſancta Dei.
Tunc cum poſcis heri pietas te exaudiet almi:
Adſum clamanti dicet & ipſe tibi.

IV.

CONTRA SIMULATORES ET SUBDOLOS.

Nil horum fixe geris, hæc tamen omnia ficte
Fers ſimulator. habes qui ſimulacra boni.
Qui mala certa gerit, bona ſeu ſimulata malignus,
Prov. 6, 16. *Odit qui quod amat, quod Deus odit amat.*
Quæ Deus odit, ait ſapiens Rex, denique ſex ſunt,
Quod deteſtatur mens ſua ſeptimum ineſt.
Sublimes oculos, mendacis famina linguæ,
Sanguinis inſontis quis fluit unda, manus.
Corque quod immundum meditatio prava frequentat,
Perniceſque pedes in mala quæque gradi.
Fallacem teſtem mendacia ſæva canentem,
Et qui inter fratres jurgia dira ferit.
Hæc mala cuncta gerit, geſſit, geret improbus, amens
Eſt ſua mens probris uſque repleta malis.

V.

DE EO QUOD AVARUS adglomeratis diverſis opibus ſatiari nequit.

Quicquid habet variis completus gentibus orbis,
Non ſibi ſufficerent, ſi ſua cuncta forent.
Hujus erit promptus capiendi ſemper Avernus,
Nec Stygis impleri tetra barathra queunt.
Quod Chryſe atque Argyra, & quod Taprobanicus orbis,
Quorum ſublimes eſſe feruntur opes.
Indus habens gemmas, pigmenta, & eburnea monſtra,
Obrizi atque auri dives Ophir regio.
Aſſur odorato veniat ſi plenus amomo,
Divitiaſque ſuas Perſis & ipſa ferat.
Cumque ſuo prope ſit longinquus thure Sabæus,
Atque Eudæmonicus munera portet Arabs.
Si veniat Bagatat Agarenis rebus onuſta,
Urbs & Achæmeniis quæ fuit alta locis.
Tigris & Euphrates quod habet, Jordanis & ipſe,
Atque Palæſtinus fert benedictus ager.
Bactraque ſi quod habent pulchri, & Hircania digni,
Et juga Boſphoreus quæ bene temo regit.
Sericus oceanus vehit, & quod Caſpia regna,
Quodque ipſa Seres vellere dives habet.
Quod Scytha crudelis, Geta trux, & Sarmata durus;
Quicquid Hydaſpis habet, quicquid, Araxe, tuum eſt.
Quodque Gelonus atrox, quod habet Rhodopeius Ebrus,
Arvaque Riphæo ſemper amicta gelu.
Et quod Hyperborea gens fixa ſub Elicis axe,
Vel Tanais, vel quod Pontus & Iſter habent.
Quod crinitus amat Danus, flavuſque Suevus,
Quæque ſub extremo gens Aquilone jacet.
Et quod habet Mæſus, Dacus, Trax, Atticus, Arcas,
Conſtantine, tua quicquid in urbe viget.
Græcia quod prudens, quod fert Germania fortis,
Quod deformis Abar, Pannonicuſque Gipes.
Inclyta quæ patribus dudum eſt promiſſa beatis,
Quicquid Hieruſales urbs habet alma Dei.
Quod Peluſiacis gens uſta vaporibus aptum,
Quod Troclodita niger, quod Meroenſis habet.
Decolor Æthiopum ſua ſi det cuncta caterva,
Et gens ſub cancri ſidere quæque jacet.
Quod Nomadum populi, quod habent tua regna Jugurtha,
Quodque ſecant Syrtes, Afraque rura vehunt.
Orbis quod Libycus, vel quod Mauruſia tellus,
Quod locus Antæi, horteli & Heſperidum.
Quod fortunatis præſtant ſua rura Galaulis,
Quorum multiplices inſula gignit opes.
Præbet Atlantiaci quicquid plaga fervida Mauri,
Et gens ſi qua ortus conſcia, Nile, tui eſt.
Quicquid habet Latium, fœcunda Calabria quicquid,
Et Veneti & Ligures, arva & amœna Padi.
Urbſque prius Dæmon tua, jam nunc dedita Chriſto,
Quod caput orbis ovans, quod pia mater habet.
Fraterno aſperſos quæ temnens ſanguine manes,
Cælica regna petit, fana profana fugit.
Haudque lupa colit hunc alitum, ſed virgine natum,
Statque in Apoſtolico robore fixa cluens.
Gallia quod dives, quod fert Hiſpania pulchra,
Fertilis & rerum Corduba quicquid habet.
Quodque Britannus habet, Scottorum Hibernia quod fert,
Utile ſi quid habet ſi ultima Tile ferat.
Cumque bonis propriis veniat fortiſſimus Aſtur,
Qui eſt decus Heſperidum, miles in arma vigens.
Galliciique ſoli veniat ſi cultor opimus,
Finitimis præſtat qui bona pulchra ſuis.
Omnia ſi ſibimet ſimul hæc congeſta darentur,
Non ſua avara manus ditior inde foret.

VI.

DE EO QUOD PLERUMQUE REPROBIS proſpera ſunt.

Psal. 143. 7.

ERipe David aquis orans me ex pluribus inquit,
Externaque manu proles acerba tua.
Qui ſtant vaniloquis furiata mente loquelis,
Dextera & eſt quorum dextera nequitiæ.
Ceu nova natorum vernat plantatio quorum,
Indolis a teneræ quæ vegetaca die eſt.
Compoſitæ & comptæ circumquaque undique natæ,
Ceu templi inluſtris aulica forma Dei.
Horum & in alterutrum cellaria plena redundant,
Atque mero exultat uberiore penu.
Simplicitas redit itque illis fætoſa bidentum,
Corpora ſunt horum plurimum obeſa boum.
Nulla parat paries præſentis ſigna ruinæ,
Res nec eorum ullus tranſitus angor agit.
Hæc ſunt qui populum multi dixere beatum,
Eſt felix cujus rex Deus ejus herus.

VII.

DE EADEM RE IN HIEREMIA.

Hier. 12. 1.

HIeremias precibus his compellaſſe Tonantem
Gaudet, & hac in re talia verba dare.
Cur via peccantum eſt juſtiſſime proſpera rector?
Eſt bene nam cunctis qui mala quæque gerunt.
A te plantati pulchra radice vireſcunt,
Proficiunt fructus & faciendo ſuos.
Ficto ſermone illorum es tu proximus ori,
Interiore tamen mentis ab arce procul.
Et tu, ſumme Deus, cui ſingula clauſa pateſcunt,
Et bene cognoſcis, & bene cernis eos.
Hos ita conglomera, ſicut tibi victima grex eſt,
Sanctificans juſte tempore mortis eos.

VIII.

DE EADEM RE IN JOB.

Job 21. 7.

JOb quoque ſic recinit, tuus o patientia miles,
Remque hanc in proprio carmine promit ita.
Cur ergo elata pravorum factio vivit,
Sunt confortati gaza tuis opibus?
Permanet infandum coram illis ſemen eorum,
Turba propinquorum & undique cingit eos.
Præſunt ſecuris ſinceriſque ædibus iſti,
Nonque ſuper hos eſt rex tua virga Deus.
Parturit horum bos, nocuum nec ſentit abortum,
Bucula nec fœtu ſit viduata ſuo.
Inque gregum modulum procedit parvula turba,
Exultans variis luſibus atque jocis.
Tympana nempe manu retinent, citharaſque ſonoras,
Organeuſque ſonus gaudia præſtat eis.
Pluribus inque bonis deducunt tempora vitæ,
Sed Stygis in puncto tetra barathra petunt.

IX.

QUOD DOMINUS IMITANDUS SIT NOBIS, ac penitus amandus & timendus.

NAmque imitatur eum pietate vel actibus almis,
Qui nobis & herus & pater almus ineſt.
Cui pietas immenſa manet, clementia dulcis,
Qui precibus dignis ſemper adeſſe ſolet.
Non tantum hic veniam ſcelerum, ſed præmia donat
Converſis placidus, parcere ſemper amans.

Si pater eſt & herus nobis Deus inclytus, ejus
 Sectanda eſt pietas, actio, corde, fide.
Diſcet amare patrem proles, & Averna timere,
 Hunc amor, illum aptet ad potiora timor.
Degener exiſtit ſi proles, verna ſuperbus,
 Dedecus immenſum fœdat utrumque ſatis,

X.

DE SIMULATORUM ET STULTORUM SOCORDIA, qui neſciunt a ſua pravitate per bonam exhortationem converti.

Illum non ſal, non iſtum ſapientia condit;
 Hunc doctrina nequit vincere, ſal nec eum.
Doctrinam cujus vanum eſt adhibere medullis,
 Quoque magis doceas, ſtultior inde fiet.
Sic crudum ſtudeat laterem dum quiſque lavare,
 Quo magis eluerit, plus facit inde luti.
Quid bona verba juvant, ubi nil habet alma voluntas?
 Aut quid in urticis ſemina jacta juvent?
Flava quid horrendis proſunt data mella lacunis?
 Quid litor aut olei ſtercore mixtus aget?
Quid juvat aurito lyra ſi perſultet aſello,
 Cornigero aut lituus ſi ſtrepat arte bovi?
Sole oriente viget quantum tua viſio cæce,
 Tantum ejus ſenſus poſt bona verba ſolet.
Carmina plura queunt, nequeunt tamen omnia, quamvis
 Litera gentilis, hoc quoque ſancta canit.
Dicitur & Circe ſocios inſignis Ulyſſis
 Mutaſſe in varias carminis arte feras.
Plurima cum poſſint, ſcabiem ſanare nequibunt,
 Tinea nec horum murmure ſana fiet.
Ut tamen illa nihil cui manſerit hirnia proſunt,
 Cumque fiunt, totum perditur illud opus:
Sic deperdet opus tibi qui, ſimulator inique,
 Quiddam niſus erit inſinuare boni.
Denique rex ſapiens cum plurima dixerit iſtinc,
Prov.27.22. *Hoc unum exempli ponere forte libet.*
Si contuſus erit pilæ in vertigine ſtultus
 Ut far, ſegnities non ſua linquet eum.
Verba ducis poſui, ponam quid ruſtica plebs,
 Re bene de tali dicere ſæpe ſolet:
Non facere hoc uſu, non verbere quibis, ut unquam
 Bubo ſit accipiter, qui petat ungue grues.
Utque tuum officium, cape, vultur poſſit habere,
 Eſt quia tardus, edax, inque vehendo gravis.
Diſcere nulla cupit bona, ſed mala diſcere cuncta,
 Vis cur hoc faciat dicere? ſtultus ineſt.
Hic Juda pejor melior te Petre videri
 Vult, mala multa tegit ſors ſimulante peplo.
Hic bona parva putat magna, & mala plurima nullæ;
 Se cum vult alios fallere fallit inops.

XI.

QUAM OB REM CICATRICES, quas Dominus in paſſione ſuſcepit, in reſurrectione obductæ non ſint.

Namque cicatrices Domini pro homine factæ
 Martyribus ſanctis cauſa decoris erunt.
Sic Phlegetontæis redit ut Salvator ab umbris,
 Signa refert ejus pes, latus, atque manus.
Non quod non poterat cunctas obducere plagas,
 Sæpe ut gentilis ſomniat error hebes,
Qui potuit cunctos mortis devincere caſus,
 Geſta ſed officiis ſunt quia plena piis.
Quatuor iſta vehunt celebres myſteria cauſas,
 Hoc quod vitæ auctor ſtigmata mortis habet.
Primum, ut diſcipuli corpus, non flaminis auram,
 Se vidiſſe ſciant, cordis & arce locent.
Certa fides ut eos Domini ſurgentis adornet,

Spemque reſurgendi ſæcla per ampla canant.
Proximum, ut humana pro nobis ſorte precando,
In ſe demonſtret vulnera noſtra patri:
Quoſque ſit humana paſſus pro gente labores,
Aſſiduo clemens monſtret & officio.
Ut reminiſcatur retinent quem oblivia nunquam,
Et miſereſcatur ſemper id almus agens.
Admonet inſtanter, hominum ut meminiſſe per ævum,
Et miſereri almo ſemper amore velit.
Quorum naturæ ſit conſors unica proles,
Pro quibus & voluit vulnera tanta pati.
Tertio, ut electi deſiſtant reddere nunquam
Laudis opus, tua dum paſſio ſigna vident.
Ejus & atra ſuam cernentes flagra ſalutem,
Ad ſtyga concurſus ejus ad aſtra ſuos,
Ejus morte ſuam pollere per omnia vitam,
Et tribui ſpinis aurea ſerta ſibi.
Quarto, ut extremo reproborum hunc tempore cernens
Factio, triſtetur preſſa dolore gravi.
Joan. 19. 37. Ut ſcriptura canit, quem tranſfixere videbunt.
Alteriuſque loci pagina rurſus ait:
Omnis cernet eum viſus, quæ & turba pupugit,
Matt. 24. 30. Se & ſuper hunc planget omnis in orbe tribus:
Et ſe damnandos noſcent examine juſto,
Proque ſuis meritis ignea flagra pati.
Non hæc ſalva manus quæ injecit turba malignas
In Dominum, ſeu quæ temnere juſſa cupit,
Aut ſuſcepta premens, aut ſuſceptare recuſans,
Aut in eos cernit quos retinere furens.
O crudele nefas hominum, o veſania demens,
O furor immanis, o ſat anile malum!
Quod vel non colitur Deus, aut quod crimine grandi
Impune hoc non eſt * quoniam colitur.

XII.
DE FIDE ET SPE ET CARITATE.

Alma fides tandem, ſpes, & concordia, regnum
Mentibus in plebis continet ecce ſimul.
Hac Deus Eccleſiæ fundamina jecit avitæ,
Fabrica quo cæli ſurgere jure queat.
Cuique fides nos dat, ſpes fert, amor inclytus unit,
Hocque triforme bonum excitat, aptat, agit.
His mentes noſtræ pollent, vegetantur, aluntur,
Poſcimus, accipimus hæc patre dante Deo.
Numquid, ait Dominus, verſo in contraria voto,
Luc. 11. 11. Probra quis accipiet grata petendo patrem?
Num pro ope quis panis lapidis tribuendo rigorem,
Poſcenti faciet in ſua vota ſatis?
Namque Deum & fratrum panis deſignat amorem,
Quo quicumque caret, ſaxea corda gerit.
Num pro piſce dabit ſinuoſa ambage chelydrum,
Cum modo piſcis alat, improbus ille necet?
Ille fidem ſignat, rapidis quæ creſcit in undis,
Inque procellarum turbine læta eluit.
Huic incredulitas contraria, ſævus ut anguis,
Perfidiæ lingua percutit atque necat.
Aut ſi ovum quærat, dabitur huic ſcorpius, uncæ
Enſe ferit caudæ, ſive minatur atrox.
Nam pia dona ſpei tereti ſignantur in ovo,
Tegmine obumbratum quod vehit intus habens.
Ut pullum ova tegunt, ſic ſpem præſentia celant;
Hic patet exutus, illa futura parat.
Huic adverſa manet nam diſperatio lædens,
Quem male pone ferit, ire nec ante ſinit.
Si quod pone ferit ſopiant oblivia digna,
Teque ad ea extendas quo anteriora vocant.
Cum Paulo ſuperam capies ſuper æthera palmam,
Serta venuſtatis latus in arce gerens.
Cumque fidem piſcis, ſpem ovum, aptet panis amorem;
Quiſque caret tribus his, ſat miſer ille manet.
Cum nunc æqua meent, remeent & iniqua dolenter,

Hæc tria cum multis ſunt tepefacta bonis.
Et quoniam improbitas valet, inſtat, pollet, abundat,
Eheu multorum ſæpe refriget amor.

XIII.

DE DISPENSATIONE DIVINA, quæ ſæpe occulta eſt, nunquam tamen injuſta.

O Vis, o decus, o excelſi gloria ſenſus,
Quæ mirari omnes, noſcere nemo valet.
Multa regi varie qui humana in gente videmus,
Ignarique ſumus cur quid, & unde fiat.
Nam mala ſæpe bonos, reprobos bona ſæpe ſequuntur,
Et bona ſæpe bonos, & mala ſæpe malos.
Sæpe bonus premitur, malus in ſublime levatur,
Decidit atque malus, ſurgit ad alta bonus.
Omnia judiciis ſunt hæc moderata ſupernis.
Sunt ſæpe occulta hæc, nunquam inhoneſta tamen.
Quæ ſuavi ac forti diſponit ſingula nutu
A fine in finem, & cuncta gubernat herus.
Judicat ergo Deus nec nulla, nec omnia ſemper;
Improba quæ fiunt nunc ſine lege ſua.
Tempore judicium ſi nullum agitaret in iſto,
Nonne impune foret quod furor ater agit?
Mox curare Deum mortalia nulla putantes,
Effrenes irent in mala cuncta mali.
At ſi peccantes mox ultio digna feriret,
Iſtaque judicii cuncta ſecure forent:
Irrita ſupremi remanerent jura diei,
Judicii & nullum tempus haberet opus.
Judicat hinc quædam, ut noſtra hunc curare ſciamus,
Et quia quæ gerimus ſpectat ab arce Deus:
Judicat idcirco non omnia, plura reſervat,
Ut quid agat habeat ultima magna dies.
Quam lex, quam vates, Dominus quam nuntiat ipſe.
Quæ nota eſt cunctis qui ratione vigent.
Qua juſto juſtam poſiturus pondere libram,
Subnixus veniat nube rubente Deus.
Qui pius & juſtus, fovet hinc, deterret & inde;
Quem metuo juſtum, cogor amare pium.
Quod pius indulget, reſecat peccata quod æquus,
Mulcet & hinc oleo, arguit inde mero.

XIV.

QUOD MULTIS INDICIIS FINIS PROXIMUS eſſe monſtretur.

Cernere ineſt, ut eat mundus ſignetque ruinam,
Defectumque ſui voce tacente canat.
Nam loquitur rebus, taceamus dogmata quamvis
Divinæ legis, quæ id fore cuncta boant.
Non ea temperies hyemis prius ut fuit extat,
Quæ nutrire queat gramina, ligna, ſata.
Copia deeſt ſolis torrendo æſtate labori,
Verna nec officio ſunt modo læta ſuo.
Dulcibus haud adeo muſtis autumna redundant.
Fœtibus arboreis non onerata vigent.
Nil modo terra boni ſic fert veluc ante ferebat,
Effætam & ſterilem ſemet ineſſe docet.
Et minor exiſtit cunctis opulentia rebus,
Deficit inque locis plus, it ubique minus:
Rarior officium conſiſtit in omne miniſter
Quam prius, & fixum nil ſtat ut ante ſtetit.
Cultor agris, caſtris & miles, navita ponto,
Libra in judiciis, inque foro pietas.
Eſt in amicitiis concors, quis in arte peritus,
Quo diſciplina in moribus alma viget?
Non viget, ut viguit dudum, vegetata juventa,
Cuncta ſenectus atrox ore nigrante vorat.

Namque neceſſe manet minui, cui proximus exſtat
Finis, & occaſum haud procul eſſe videt.
Dat Sol ima petens radios ſplendore minore,
Lunaque decreſcens cornua fuſca gerit.
Arbos, quæ juvenis vernabat flore comiſque,
Deformi fundit germina rara ſitu.
Fons & inundantes ſolitus diducere rivos,
Sic guttam tenuem ſæpe vetuſtus habet.
Sciſſus agit paries ventura ſigna ruinæ,
Qui juvenis ſolidus pictus & arte ſtetit.
Utque ſenem tædent jam cantica, ludicra, ludi,
Stare, equitare, gradi, verba jocoſa loqui.
Dumque quatit tremulos male creber anhelitus artus,
Suſpirat, fundit murmura crebra gemens.
Dulcia ſic vetulum liquerunt omnia mundum,
Nec manet ullus ei qui fuit ante vigor.
Dira cupido viget, ſordes, perjuria, luxus,
Livor edax, falſum, jurgia, rixa, dolus.

X V.

EX EPISTOLA AD CORINTHIOS CARMEN, ad precem cujuſdam monachi factum.

Sic vegetata ſedent ſibimet plerumque decenter,
Quando unum ex variis continuatur opus.
Pluribus in rebus habet hoc pulcherrimus ordo,
Hoc etiam eloquii pollet in arte ſatis,
Ampla quibus ſacræ ſcripturæ prata redundant,
Et nemus ambroſeo ſpirat odore pium.
Hæc ego dum luſtro, dum per violaria curro,
Quas vehat hic calathus ungue recido roſas.
Hanc ſancto ſumpſit ſancti de dogmate Pauli,
Illius miſit quod ſtylus Arcadicus.
Compoſitam ſanctamque ornat ſermone loquelam,
Poſtquam virtutes enumeràvit ita. 2.Cor.6.1.
Quo dictis variis aptantur dicta decenter,
Senſus & egregiæ panditur ordo viæ.
Vos, ait, hortamur ne a vobis, plebs pia fratrum,
Capta ſit in vacuum gratia ſancta Dei.
Nempe ait audivi vates te tempore grato,
Hincque die ſtudui ferre ſalutis opem.
Nunc nunc ecce patet, patet acceptabile tempus,
Gratificæque dies ecce ſalutis adeſt.
Nullius & nulli maculans offenſio detur,
Ne merito noſtrum vile ſit officium.
Aptemus ſed nos ſic rebus in omnibus, omnis
Noſtra ſit ut ſummi turba miniſtra Dei.
Plurima ut in nobis vigeat patientia, quo nos
Turbo procella mali non ſuperare queat.
Conditio nos dura premens, anguſtia lædens,
Pravorum impietas jure probando beent.
Carcerum in inluvie, ſeu ſeditionibus atris,
Scandere purgatos cælica regna decet.
Noſtra laborifluis ſit mens exercita curis,
Simus & inſomnes, cor ſit & omne vigil.
Munditiès ſit nobis caſta, ſcientia ſollers,
Longanimes ſimus, & ſine ſorde luis.
Menſque jugum Domini referat tranquilla ſuave,
Flaminis ut ſancti ſumere dona queat.
Quo non fictus amor ſit, ſed dilectio vera,
Ut poſſit verus mox dare vera ſonus.
In virtute Dei, qua cuncta creata reguntur,
Quæ convexa poli, rura, Thetimque tenet.
Incipit oppoſitis jam nunc opponere quædam,
Comere & eloquium ſic variante ſtylo.
Arma, ait, aſt æqui dextra lævaque gerantur,
Miles ut altithroni victor utrimque eluat.
Per decus hinc clarum, per dedecus inde repreſſum,
Cernimur infames, ſit bona fama bonis.
Sit ſeductorum tanquam ſententia lata
In nos, veraces nos tamen eſſe decet.
At velut ignoti, tandem ſumus agnita plebes,

Ut moribunda manus, vivimus ecce tamen.
Caſti grata cohors non mortificata manemus,
Ceu triſtes, ſemper lætula turba ſumus.
Flens ut egens ſumus, & ditemus in agmine multos,
Nil & habendo amplas poſſideamus opes.

XVI.
DE FRUCTU CENTENO, SEXAGENO, ET TRICENO.

Eſt ager Eccleſiæ partes diſtinctus in iſtas,
Semine de Domini quæ eſt animata bono.
Pars prima eſt centum, pars ſexagena ſecunda,
Tertia tricenum continet inde gradum.
Et primo pereunte, nequit mox ire ſecundus,
Sed ratione locum tertius ejus adit.
Tertius & primum ſequitur, hunc inde ſecundus
Sed tamen ad primum nemo redire valet.
Tertius en miſeram linquit, petit atque ſecundus,
Haudquaquam primus ſed repetendus erit.

XVII.
DE EADEM RE.

Nam bona jure bonum cecidit cum ſemen in arva,
Quod placidæ ſegetis ſevit amore ſator:
Frux terdena, & ſexdena, & centena redundant,
Adfert quæ fidei ſemine mentis ager.
Terdena in nuptu, in viduis ſexdena coruſcat,
Iſta duo ſuperat tertius ordo boni.
Et data virginibus centeni gloria fructus,
Martyrioque ſacer congruit hic numerus.
Quod ſatis in numeris digitorum inflexio ſignat,
Res & ab antiquis jure reperta viris.
Namque index ſummus leviter cum pollice junctus
Terdenum in numeris ſcit retinere locum.
Mollis & amplexus digitorum dulcia ſignat
Oſcula conjugii, quæ ſibi grata manent.
At pollex curvo curvatus ab indice preſſus
Sexdenos monſtrat, inque typo viduas.
Ut digitus digitum, has angor ſæpe coarctat,
Turturis ac gemitus inclytus ornat eas.
Tranſitus a læva ſi in dextram ex ordine fiat;
Index cumque ſuo pollice junctus erit,
Et placidus tereti formetur circulus orbe,
Centum ſub numeris iſta figura tenet.
Serta venuſtatis typus hic fert, quæ bene ſanctis
Sunt data virginibus, martyribuſque piis.
Tranſitus iſte monet præſentia temnere læva,
Dextra futura bonis actibus appetere.
Nulla caduca ſequi, manſuris figere mentem;
Labentem mundum ſpernere, amare Deum.
Cælica ſectari, poſtponere terrea cuncta,
Sanctum opus ore, manu prendere, corde, fide.

XVIII.
DE HYPOCRITIS,
& quod Apoſtolorum temporibus, ſive eorum ſucceſſorum, magis Eccleſiæ virtutes viguerunt, quam his noviſſimis temporibus.

Virtus ficta viget, nequicquam vera fatiſcit,
Extulit illa caput, hæc petit ima gemens.
Nunc probitas ut vera juvat, ſic falſa nocebit,
Conſulere iſta parat, fallere at illa inhiat.
Tumque ſacerdotum viguit doctrina piorum,
Sermo habituſque horum norma ſalutis erat.
Nunc ſimulatorum duplex cor, verba doloſa
Pollent, & retinet fictio ſola locum.
Pontificum decus & ſpecimen tunc cura gerebat,
Juris Apoſtolici queis dedit ordo tronum.

Jura

Jura quibus data ſunt ſolvendi ſive ligandi,
Clave valent quorum regna patere poli.
Queis commendat oves paſtorum paſtor & agnos,
Quodque ſui tribuit pignus amoris opus.
Sic tunc, nunc alio diſcurrunt omnia curſu,
Pes ſupereſt capiti, vergit in ima caput.
Pallia Apoſtolica data tunc de ſede vigebant,
Juſque poteſtatis veſtis & ordo fuit.
Nunc ſimulata venit veſtis, ſimulatus & auctor,
Quæ bene conveniant menſque habituſque ſibi.
Fluxa camilla caput, mentem tegit atra voluntas,
Aſpera lana artus, veſtis ovina lupum.
Clæna duplex foris eſt, intus præcordia duplex,
Simplicitatis honos eſt ab utroque procul.
Follicat ampla quibus turgenti calcia panno,
Velocique pedi vilis ineſt caliga.
Pars quoque læva vehit cultrum, geminamque tabellam,
Et bene tegmen ei & graphius eſſe ſolet.
Pallor & ora tenet, ſuſpiria pectus anhela,
Et tenui ſonitu vox gemebunda ſonat.
Vox gemebunda ſonat dans ficta & dulcia verba,
Pura ut corda hominum poſt ſua vota trahant.
Plorare ut nequeant, cupiunt ploraſſe videri,
Fallaci incultas imbre rigante genas.
Nituntur juſti, ſanctique, piique videri,
Laudis ut humanæ gloria poſſit emi.
Hoc habitu vultum pietatis velat imago,
Plus cerni hi ſancti quam tamen eſſe volunt.
Plura nec hoc hominum genus ire per oppida neſcit,
Luſtrare aut ceſſat compita, rura, caſas.
Hoc agit ut rapidis queat inferire crumenis
Turpe lucrum, & cupidos rerum onerare ſinus.
Hi bona jactanter peragunt, mala multa latenter,
Iſta patent hominum viſibus, illa Dei.
Dignum opus humanis quiſquis pro laudibus egit,
Mercedem recipit heu miſer ille ſuam.
Verbi evangelici lituus ſic intonat ingens,
Et bene per mundi compita mugit ovans.
Matth. 6. 3. *Quod tua dextra gerit facito neſcire ſiniſtram,*
Tunc erit acceptum quod geris omne Deo.
Scilicet ut laudis humanæ neſcia mens ſit,
Cum dextrum peragit inclytus uſus opus.
Per lævam præſens, per dextram vita futura
Signatur, docet hoc pagina ſancta Dei.
Namque ſophiſta potens quidam, rex inclytus, olim
Talibus e rebus talia verba dedit.
Prov. 3. 16. *Ejus longa dies eſt dextra in parte locata,*
Inque ejus læva gloria, culmen, opes.
Illius extat item noſtro ſub vertice læva,
Et dabit amplexus dextera ſancta pios.
Dat quoniam in læva præſentis commoda vitæ,
Perpetuæ in dextra ſeu ſine fine parat.
Nam duo diſcipuli lævam dextramque tenere
Hoc ſignant Domini qui reſidendo volunt.
Scilicet in dextra pollens ſapientia Chriſti eſt,
Hæc quæ æterna datur ſpiritibus requies.
Permanet in læva iſtius moderatio vitæ,
Donec ad æternas perveniamus opes.
Divitiæ veræ ſunt gloria norma fidei,
Quæ nos exilio rite tuentur in hoc.
Nam tua, Chriſte potens, hujus plerumque ſiniſtra
Vitæ præſentis innuit Eccleſiam.
Dum de illis cano, qui ſancti ſpecie tenus extant,
Culpari nollem, dummodo vera canam.
Non tamen hæc recinens, monachis ego derogo juſtis,
Quorum cor cælum, mens ſitit alma Deum.
Queis devota fides, pia ſpes, dilectio dulcis,
Vivere queis Chriſtus, ſanctaque lucra mori.
Cuncta reliquerunt qui audita voce Tonantis,
Decertant Dominum mentis amore ſequi:
Atque in Apoſtolicæ vitæ fundamine ſtare,
Perſtet ut Eccleſiæ qui fuit ante modus.
Omnia ſunt quibus egregio communia voto,

Mentem animumque unum queis Deus ipſe dedit.
Pluraque permixto currunt per ſingula curſu,
Atque malis bona ſunt, & mala mixta bonis.
Sic vino fæx eſt, & olivo turpis amurca,
Et liquor ambroſius mellis habet abacum.
Nempe duos in agro, totidemque in tegmine lecti,
Inque mola Dominus dixit ineſſe duas.
E quibus eſt alter ſuſceptus, linquitur alter,
Pars hæc ſumpta eluit, illa relicta perit.
Scilicet Eccleſiæ gremium genera hæc tria geſtat,
Ordine diverſo qua ligat una fides.
Clericus ordo in agro, monachus ſub ſorte quietis,
Inque molæ gyro plebs popularis ineſt.
Iſte regit plebes, fruitur ſancta ille quiete,
Mundanique actus currit in orbe ſequens.
Et tres in bivium merito ſcinduntur hiulcum,
Singula pars partem perditionis habet.
Pars petit alma polum. Stygias pars pergit ad umbras,
Et diverſa illis ſic loca vita parat.
Hic ordo trinus, vitæ & concordia trina,
In tribus eſt ſanctis ſignificata viris.
Nempe Noe ſpecimen rectorum continet almus,
Qui pecudum atque hominum ſpem regit inter aquas.
Cælebs & monachus viget in Daniele choreus,
Qui luxum atque gulam vincere quivit ovans.
Job ſunt, quos mundi vel agit vel pœnitet actus,
Actibus in ſæcli qui ſine labe fuit.
* * * * * * * * *

XIX.
[a] EPITAPHIUM HELMENGALDI.

HAc requieſcit humo Helmengaldus nobilis heros,
Gloria qui patriæ & decus omne fuit.
Dives opum & ſenſus, ſeu nobilitate coruſcus,
Moribus ornatus, omnibus atque bonis.
Conſilio pollens, fors armis, viribus auctus,
Legibus imbutus, ore manuque potens.
Namque Palatina fuit hic præfectus in aula,
Dum regeret Carolus ſceptra ſerena pius.
Eccleſias opibus ditavit pluribus iſte,
Fecitque hæredes rebus ineſſe ſuis.
Pes fuit hic claudis, oculorum gloria cæcis,
Solamen habuit debilis omnis eum.
Iſte famemque ſitimque ſimul, ſeu frigora dira,
Pauperibus membris pellere ſuetus erat.
Hieruſalis habet hæc ejus terrea corpus,
Spiritus at ſuperæ regna beata petit.
Qui legis hunc titulum, tumulum ſeu conſpicis iſtum,
Dic, Helmengaldi ſit ſine fine quies.
Hoc etiam faciet monachorum ſancta caterva,
Dum redit itque frequens, dum petit iſtud iter.
Illius ipſa memor maneat per ſæcula cuncta,
Atque oret regna ut cælica dentur ei.

XX.
[b] AD FARDULFUM ABBATEM S. DIONYSII.

SUmito quæ miſi lætus munuſcula parva,
Dulcis amice mihi, dulcis & apte nimis.

a *Epitaphium Hermengaudi*) Huic affine hoc tempore nomen fuit Helingandi Comitis, qui una cum Jeſſe Ambianenſi Epiſcopo legatus a Carolo Magno Conſtantinopolim miſſus eſt ad Irenem anno DCCCII. quique biennio ante judicium Romæ cum aliis Caroli proceribus habuerat, de iis qui Leonem III. Papam fœdiſſime vexarant. Eundem tamen hunc eſſe non facile affirmarim.

b *Ad Fardulfum Abbatem*) De quo Alcuinus Carm. CXVII. Quin Fardulfi quoque ipſius nomine dudum editi ſunt verſus, magnificis ædibus, quas in Caroli Magni gratiam ſtruxerat, inſculpti, quibus ſe Italum ortu ac gente Longobardum his verbis declarat.

FARDULFI ABBATIS ÆDIBUS. inſcriptum.

Culmina cernenti lectori litera prome,
Fardulfus Carolo condidit iſta ſuo.
Quem quondam, propria fuerat dum ſceptra ſecutus
Genti in adverſas fata tulere vias,
Attamen hic fidei dominis ſervavit honorem,
His regni quamvis ultima meta foret.
Tandem rectoris Caroli felicibus armis
Ceſſit, & in melius fors ſibi teſſit iter.

Quæ ſint parva licet, magna hæc dilectio mittit,
Quæ non compenſat res, ſed amoris opus.
Sit tibi vita, ſalus, ſint & felicia cuncta,
Et tibi de cælis rex Deus addat opem.
Et ſic te clemens ducat per proſpera mundi,
Ut pes inoffenſo tramite celſa petat.
Et qui hac in vita dignum conceſſit honorem,
Hic tibi poſt obitum det ſuper aſtra locum.

XXI.

SERIO RESIPISCENDUM.

QUid juvat ad tempus nugarum linquere larvas,
Si demum repetit quis maleſanus eas?
Surgere quid prodeſt, ſi ſtatim corruet illa
Qua jacuit ſegnis quis labefactus humo?
Fertur anum natus matrem exoraſſe puellus,
Atque illi tales depoſuiſſe preces.
O genitrix, noſtri quam ſemper cura remordet,
Carior & vita tu mihi es, ipſe tibi.
Mox dederit cantum lucis prænuntius ales.
Confeſtim memet evigilare ſtude.
Illa, geram quod amas, ſed ages quid, dic mihi, nate?
Obdormire, inquit, forſan item potero.
Nec minor interea dementia ceperat illum,
Venatus retulit qui bona nulla ſui.
Denique prudenter geritur venatio, quando
Aut jocus, aut quæſtus eſt, vel utrumque ſimul.
Prenſa ſolent lucrum capreæ dare, cervus, & alces,
Caſtor, dama, biſons, bubalus, urſus, aper.
Figere nam lepores jaculis, captare moloſſis.
In modico lucro viſus amœnus ineſt.
Diverſa duo forte caniſque lepuſque volantes,
Alter ubi prædam quærit, & alter opem.
Ungue cibum canis, ungue petit lepus ipſe ſalutem,
Diverſo & voto ſic labor unus eis.
Horum amor & ſtudium delirum invaſerat illum,
Qui nullo capto taliter orſus erat.
Subjectas valles extenſaque rura peragrans,
Eſt lepus inventus ſed mihi nullus in his:
Jam ſine venatus lucro ad mea tecta redibam,
Et quia nil potui prendere, triſtis eram.
Saltus ineſt modicus, quem cingunt undique campi,
Qui rarus noſtra diſtat ab æde parum.
Eſſe feram quis ibi, leporem vel crederet unquam,
Cum foret a villa proximus ille locus?
Hac mihi cumque die leporum ſpes nulla maneret,
Ex illiſque lucrum rerer abeſſe mihi.
Luſtro locum, mittoque canes, & retia pono.
Quis ſtudio geſtis, nullum ibi reperio.

XXII.

DELUSA EXPECTATIO.

GRande habet initium cum res viliſſima dictu,
Tunc gignis murem, magne elephante, brevem.
Sic patri quidam retulit ſua ſomnia natus,
Depromens animo frivola dicta ſuo.
O pater, in ſomnis dicam quæ mira videbam,

Huic quoque, dum fidei ſalvaret munera regi,
Rex ſibi præcelſus plurima dona dedit.
Inter quæ ſancti Dionyſi rector ut aulæ
Fieret indulſit pacificus Carolus.
Hanc benefactori conſtruxit providus ædem,
In qua cum famulis gaudeat ipſe ſuis.
Ipſe ſuis ſervis, fidei quos vincula nectunt,
Lætitiam princeps præbeat armipotens.
More tamen veterum conſurgere juſſit avorum
Culmina præfulgens regis honore domus,
Ut quoties regni præclara palatia luſtras,
Fardulfi famuli ſit memor ille ſui.

Quod vero de ſua in Carolum fide commemorat, ad Pippini nothi conjurationem referendum eſt, a Fardulfo detectam, & Dionyſiani Annales indicant, & diſertis verbis in Chronico teſtatur Einhardus anno DCCXCII. *Rege*, inquit, *ibidem æſtatem agente, facta eſt contra eum conjuratio a filio ſuo majore, nomine Pippino, & quibuſdam Francis qui ſe crudelitatem Faſtradæ reginæ ferre non poſſe aſſeverabant, atque ideo in necem regis conſpiraverant. Quæ cum per Fardulfum Longobardum detecta fuiſſet, ipſe ob meritum fidei ſervatæ, Monaſterio S. Dionyſii donatus eſt.* Fardulfum enim non Ardulfum legi eo loco debere palam eſt.

Moverunt animum talia viſa meum.
Bos dabat humanas noſtras hac nocte loquelas,
Ille loquebatur, nos ſtupebamus, ait.
Tum pater attonitus rem ſic inquirit ab illo,
Dic quod dicebat: intulit ille, nihil.

XXIII
QUOD PLERUMQUE MALI MALA PATIUNTUR, & de tempore Antichriſti.

Qui virtute regit mundum, pietate gubernat,
Rebus eum humanis tunc bene geſſit ovans,
Cum tulit infando ferali hoſtilia monſtro,
Explendum ad facinus mentis ut impos eat.
Deque malo placidum tribuit medicamen iniquo,
Temperat atque bonis damna pavenda ſuis.
Scorpius in nitido ſi trux perimatur olivo,
Exſuperat virus illius iſte liquor.
Delibuta recens iſto ſi plaga liquore eſt,
Ne poſſit virus lædere virus agit.
Sic vitio vitium, ſic morbo morbus abibit,
Unum ſic uni cedere ſæpe ſolet.
Et tuneum cuneus, ſeu clavum clavus abactum,
Impulit, hoc illud mox veniente perit,
Sic lapis & lapidem, ſeu lignum ligna retundunt,
Atque chalybs chalybem cudit, & arte polit,
Hoc reprimendo malum tribuit ſolatia Chriſtus,
Antichriſte tuos ſeu breviando dies.
Ne ferale malum modulis inoleſceret atris,
Clauditur anguſto, temporis id ſpatio.
Temporis illius probroſa pericula prodit
Vatidicus lituus rex pie Chriſte tuus.
Tunc erit, auctor ait, rerum tribulatio magna,
Pro, nec erat nec erit qualis ab uſque chao.
Qui breviabuntur perfecto examine ſoles:
Sin alias, omnis non caro ſalva foret.
Hoc bene reſpectu Domini quo cuncta geruntur,
Congrua diſpoſito tempore curſus agee.
Tertium ut excedat, quartum non impleat annum,
Impia tempeſtas & truculenta lues.
Tempus, ait Daniel, ſeu tempora, ſemivagumque,
Volvenda illius tempora ſæva mali.
Sicque quaterdenis hæc menſibus atque duobus
Hoc ipſum narrans explicat atque canit.
Unum per tempus, geminos per tempora ſignans,
Per ſemum menſes ſex fore rite docet.
Summaque ſic menſum numerum concurrit ad iſtum.
Tres anni & ſemis, nil mage, nilve minus.

XXIV.
DIE SOLLENNI ANNIVERSARIO.

Hic populis noſtris, cleroque, ſacriſque miniſtris,
Annua ſollennis remearunt gaudia feſti.
Nam quis non tantæ theſaurum rite ſophiæ
Laudibus ac votis venerari geſtiat amplis?
Ex quo perpetuis ornantur ſæcula gazis,
Aureus unde micat cæleſti dogmate ſenſus,
Eloquium argenti ſuperat luciſque nitorem,
Virtutum cunctæ fuſcantur lumine gemmæ,
Quis Libyæ pollent fines, quis Francica regna,
Heſperiæ gentes florent, populique Britanni,
Et mundum mundique caput ſacra Roma coruſcat,
Ac toto inluſtris plebs credula fulgurat orbe.

XXV.

[a] AD CAROLUM REGEM.

O mea magna ſalus, o ſpes, o gloria regni
Karle, valeto poli rege favente tibi.
Tu patris & patriæ, tu totius ecce ſenatus
Gaudia multiplicas, & decus omne paras.
Clarior electro, ter cocto purior auro,
Cedunt ſplendori cuncta metalla tuo.
Alitibus levior, tu fortior ipſe leone,
Artibus excellens, promptus in arma manu.
Te nimium capitis ſitiunt duo lumina noſtri,
Cernere teque cupit pectoris altus amor.
Nam cum tu Occiduas cœpiſti tangere partes,
Vicinum & ſenſi ſervus amicus herum:
Ipſe Noto levior, volucris velocior Euro,
Mox veſtros volui pronus adire pedes.
Juſſio me regis voto compeſcuit iſto,
Et dedit alterius carpere callis iter.
Jamque iterumque volens impune coercitus exſto,
Biſque venire parans, biſque negatur iter.
Dulcia veſtra mihi Gomis eſt cum verba profatus,
Seque ſalutare ſervulus audit herum:
Mox lacrymoſus hyems oculorum nube refluxit,
Imbreque ſuffudit frons peregrina genas.
Lætitia ergo ſolet tales producere fontes.
Et vice converſa gaudia dant lacrymas.
Hoc rogo mancipium vinclis onerate gemellis,
Brachia ſi nectas. non fugitivus ero.
His proavus vinclis & avus, pater ipſe catervas
Nectentes, regni commeruere thronum.
Inde ſuperborum plures ſtravere phalanges.
Certando & ſubigunt plurima regna ſibi.
At tu magne puer ſalveque valeque per ævum,
Te dominus cæli protegat, ornet, alat.
Ut patrias valeas rutilus conſcendere ſedes,
Atque juvante Deo ſceptra tenere manu.
Et ſic mundani regni terrena relinquas
Culmina, ut ætherii poſtmodo compos eas.

XXVI.

AD CAROLUM IMPERATOREM.

Qui regit arva, polum tibi ſit Rex fautor ubique,
Teque juvet ſemper qui regit arva, polum,
Qui tibi ſceptra dedit, vita det tempora longa,
Gaudia concedat qui tibi ſceptra dedit.
Sub tua jura Deus dedit Europeia regna,
Totum orbem inclinet ſub tua jura Deus.
Ut premis ipſe feras, reprimas ſic barbara colla,
Heſperiam reprimas ut premis ipſe feras.
Ut tibi cedit aper, Maurus tibi cedat, Arabſque,
Sarmata ſuccumbat, ut tibi cedit aper.
Colla ſuperba teras, anates ut turba caporum,
Anſerem ut accipiter, colla ſuperba teras.
Gaudia ſive jocos iſtos æterna ſequantur,
Ferto per immenſum gaudia ſive jocos.
Gratia magna Dei vitæ tibi munera pandat,
Te regat atque tegat gratia magna Dei.
Gaudia longa habeas, gaudenſque perenniter, o Rex,
Cum prole atque domo gaudia longa habeas.
Tu decus omnigenum, longamque teneto ſalutem
Cum clero & populo tu decus omnigenum.
Nam tua grata ſalus iſtis eſt lumen ocellis,

---

a *Ad Carolum Regem*) Non regem, ſed regis filium multis ſub patre bellicis expeditionibus victoriiſque nobilem. Sed qui ante patrem vita exceſſit anno dcccxi. Hinc mortuum laudans poeta Saxonicus,

Hic patris æquivocus fuerat, nec nomine ſolo,
Indole ſed mentis clara probitateque morum:
Omnimodaque patrem virtutum dote referret,
Si rectore frui meruiſſet Francia tali.

Eſt optanda bonis nam tua grata ſalus.
Macte decus populi, Cæſar fortiſſime nate,
Inclyta ſceptra tenens macte decus populi.
Induperator ave longum tribuente Tonante,
Sume meum latus, Induperator, ave.

XXVII.

A FORIS IN PRIMA TABULA BIBLIOTHECÆ.

Qui ſim noſſe volens, ſcito, Bibliotheca dicor,
Et veteris legis jus vebo, ſive novæ.
Nec me ſperne precor quia cernis corpore parvam:
Corpore ſum modico, viribus ampla tamen.
Me quicumque vides, Theodulfi ſis memor oro,
Cujus me ſtudium condidit, aptat, amat.
Et foris argento, gemmis ornavit, & auro,
Cujus & interius lima polivit, Ave.

XXVIII.

IN ALTERA TABULA.

Qui cupis eſſe bonus, qui vitam quæris honeſtam,
Me pete, te moneo, lex ego ſancta Dei.
Sum via, ſum lux, ſum doctrix, ſum conſcia veri,
Lumen inextinctum qui mihi paret habet.
Cælica regna paro, mundana ſophiſmata pando,
Omnibus in rebus polleo, ſive cluo.
Utere me, lector, mentiſque in ſede locato,
Cumque librum petis hunc, ſit tibi lota manus.

XXIX.

SUPER JANUAM.

Pauperibus pateat, Præſul, tua janua ſemper:
Cum miſeris Chriſtus intrat & ipſe ſimul.
Deque tuis epulis paſcatur pauper egenus,
Ut conviva queas lectus adeſſe Deo.

XXX.

SUPER PROPINATORIUM.

Qui latices quondam vini convertit in uſum,
Et fontis ſpeciem fecit habere meri.
Ipſe piis manibus benedicat pocula noſtra,
Et lætam faciat noſmet habere diem.

ANIMADVERSIONES EX CASPARI BARTHII

ADVERSARIORUM LIBRIS.

IN THEODULFUM.

PAg. 821. verſu 275. *Et tua continuis creſcat doctrina diebus:*
Atque ut qui caput es per pia membra meet. Barth. *A te ut, qui caput es, per pia membra meet.* ita membranæ.

Pag. 823. verſu 348. *qua melior mors bona* forte *foret*. Barth. *forte foret*, Tò *forte* nihil aliud agit, niſi ut verſum fulciat: Atticiſmo ſcriptoris. ſic epiſtola ad Aigulfum, *Magna docent magnum te fore forte virum*. pag. 492.

Ibidem, verſu 349. Aut *legit*, aut *docet*, aut *laudum pia munia complet.*

Cunctipatri Domino qui regit arva polum. Barth. *Haud legit, haud docet, haud laudum pia munia complet,*
Cunctipatri Domino, qui regit arva, polum. propterea quod ex officio epiſcopali iſta, ut pote captivus, exigere non poteſt, vitam ſibi acerbiorem morte ipſamet eſſe dicit.

APPENDIX.

Additio ad capitulare Theodulfi Epiſcopi Aurelianenſis.

* *Edita in ſupplem. Conc. Galliæ pagin. 86. ex codice Bicontiano.*

DIlectiſſimi Fratres, ſanctiſſimi conſacerdotes, & noſtri miniſterii adjutores, obſecro vos ſupplici animo in præſentia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Sanctorum ejus, ut digni Deo in omni religione caritatis & caſtitatis deſerviatis, & ſitis populo Dei doctores & ductores in omni exemplo bono, ut populus Dei utrumque & per veſtram ſanctam converſationem & devotam prædicationem erudiatur in laudem & in gloriam ſancti nominis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in ſalutem ſempiternam animarum veſtrarum. Converſamini coram Deo & coram omni populo in caſtitate corporis veſtri & humilitate animæ veſtræ, & ſanctam caritatem ad omnes, nihil facientes unde ſacerdotium ſanctitatis veſtræ reprehenſibile fiat, nec aliquid in veſtra reperiatur vita quod juſte a quolibet detrahi poſſit. Sint mores veſtri ſine cupiditate mala, ſine avaritia, ſine comeſſatione & ebrietate, ſicut decet ſanctos Dei ſacerdotes, qui populo Dei præeſſe debent & gubernare Eccleſias Chriſti. Diſcite fidem catholicam, prædicate diligentiſſime, & eam populo prædicate, unuſquiſque in Eccleſia veſtra, & facite officia veſtra in Dei omnipotentis honore ſtatutis temporibus, ut Deus omnipotens honorificetur, & nomen ejus ſanctum ab omnibus laudetur, qui vos vident honorifice facere ſacerdotium veſtrum, & ſervitium omnipotentis Dei. Digne prædicate populo, ut confeſſionem faciant peccatorum ſuorum & pœnitentiam accipiant qualiter a Deo remiſſionem habere non poſſunt delictorum ſuorum, niſi puram faciant confeſſionem & pœnitentiam juſtam, & abſtineant ſe a peccatis quæ ante fecerunt, quia hæc eſt vera pœnitentia & certiſſima indulgentia, ut iterum eadem non faciat homo delicta pro quibus veniam popoſcit. Abſtineant ſe a fornicatione; & qui feminas habent, legitime temporibus ſtatutis eis utantur, & honorifice habeant feminas ſuas, & ſic fidem caſtitatis conſervent uxoribus, ſicut velint quod uxores ſuæ illis cuſtodiant. Filios vel filias quas habent, erudiant illos in timore Dei & in ſanctitate ſua, ut non ſint fures, nec latrones, nec fornicatores, nec alias quaslibet immunditias faciant in corpore ſuo ad implendam libidinem: ut ſint obedientes parentibus ſuis in omni bono, ut digni ſint benedictionem accipere a Domino; & prædicate omnibus veritatem amare, benignos eſſe ad pauperes, peregrinoſque & miſeros, de ſubſtantia quam illis dederit Deus, non ſolum aliena non excipiant, ſed etiam ſua benigne tribuant. Si velint benedictionem Dei habere, non falſum teſtimonium dicant, ne perjuria faciant, quia falſos teſtes & perverſos Deus damnat in æternum; & ammonete eos ut faciant fideliter quæcumque dominis ſuis debeant facere in omni labore & opere quod injunctum ſit eis; ut ſæpius ad Eccleſias veniant, maxime feſtivis diebus, ad orationem, ad audiendum verbum Dei, & non otioſis verbis ibi maneant in orationem. puram & ſanctam habeant humilitatem inter ſe, & patientiam & caritatem, quæ eſt totius boni caput, & firmamentum. Prædicate eis quod eſt unus Deus omnipotens creator cæli & terræ, qui in Filio ſuo Domino noſtro Jeſu Chriſto mundum redemit, regnumque cælorum omnibus fidelibus aperuit, in quo judicaturus eſt mundum. Prædicate illis de futuro judicio, de pœnis impiorum perpetuis, confeſſionem & pœnitentiam facere de peccatis ſuis, vel eadem dimittere peccata. Nominate illa peccata quæ beatus Paulus doctor gentium enumeravit, dicens: An neſcitis quoniam iniqui regnum Dei non poſſidebunt? nolite errare, quoniam neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque perjuri, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt: qui vero hæc vel his ſimilia agunt, ſi confiteri, & pœnitentiam agere negligunt, æternis tormentis & flammis cum diabolo condemnabuntur: qui vero regnum Dei intrare cupiunt, faciant juſtitiam, miſericordiam, veritatem, benignitatem, obedientiam, necnon & eleemoſynam prout habent facultatem: jejunia quoque, & orationes exerceant, habentes caritatem Dei omnipotentis, & bonum facientes omni homini, prout poſſint. Vivant in caſtitate & pietate, in humilitate, & obedientia, & fide bona, & confidant in Dei miſericordia, ut indulgeat illis omnia delicta ſua, & æterna gaudia illis perdonare cum Sanctis ſuis dignetur. Hæc ſanctiſſimi ſacerdotes Chriſti, ad æternam vitam cum ſanctis Epiſcopis & Apoſtolis convocati prædicate populo, & voſmetipſos dignos facite in omni religione, & caſtitate in conſpectu omnipotentis Deí, quatenus concedat vobis cum multiplici laboris veſtri fructu æternæ beatitudinis gloriam recipere. Omnipotens Deus vos proficere faciat in opere bono, dilectiſſimi fratres.

ſub initium.

1. Cor. 6. 9.

Additio ad capitulare Theodulfi Epiſcopi Aurelianenſis:

Duo poſteriora capitula rediguntur in unum in codice Sueſſionico, auctiora editis, quæ talia ſunt.

* *Ibidem. Ex cod. Sueſſion.*

SAncitum, ut miſſæ quæ per dies dominicos peculiares a ſacerdotibus fiunt, ne ita in publico fiant, ut populus eas audire queat, & præterea a publicis miſſarum ſolemniis, quæ hora tertia canonice fiant ſe abſtrahat; nam peſſimum uſum quidam in hoc habent, quando in diebus dominicis, ſive in aliis ſolennibus diebus miſſas, licet pro defunctis, ſive alias quaſcumque, quæ familiariter a ſacerdotibus fiunt, audire reſpiciant, & a primo mane per totum diem ebrietatibus, & comeſſationibus atque vaniloquiis potius quam Deo deſerviunt. Propterea providendum eſt, ut omnes ad publicam ſanctam matrem Eccleſiam, ad miſſarum ſolennia & prædicationem audituri conveniant. Simul & hoc ſtatutum eſt, ut in civitate, in qua Epiſcopus conſtitutus eſt, omnes presbyteri & populi tam civitatis, quam & ſuburbani

ſub finem.

reveſtiti in ipſa miſſa uſque ad benedictionem Epiſcopi & communionem devota mente ſtare debent, & poſtea ſi voluerint, cum licentia ad ſuos titulos benedictione & communione percepta revertantur. Et hoc ſummopere cavendum eſt ſacerdotibus, ut per oratoria neque per ſuburbana monaſteria, vel Eccleſias ſuburbanas, miſſas nequaquam niſi tam caute ante ſecundam horam, foribuſque reſeratis celebrare præſumant, ut populus a publicis ſolennitatibus tali occaſione accepta, a miſſa ſive a prædicatione Epiſcopi ſe minime ſubtrahere poſſit, ſed omnes tam ſacerdotes ſuburbani, quam & in urbe conſtituti, & populus cunctus, ut prædiximus, una cum illis ad publicam miſſarum celebrationem conveniant, & nulli extra parvulos & infirmos, licet miſſam auditam habeant, tam in civitatibus, quam & in parochiis edere & bibere præſumant ante publicum peractum officium. Si quis hæc ſtatuta tranſgredi tentaverit, canonico judicio uſque ad ſatisfactionem ſubdatur.

THEODULFI CARMINA NONNULLA

A Viro clariſſimo Joanne Mabillonio edita in primo veterum Analectorum tomo.

Carmina Theodulfi a Sirmondo edita, ſexque libris diſtincta, extare eadem, continua ſerie, in pervetuſto monaſterii ſancti Vitonis codice cum aliis pluribus quæ deſunt in Sirmondi editione: aliorum etiam verſibus nonnullis abſque auctorum nomine inſertis, teſtatur vir clariſſimus Joannes Mabillonius in primo Veterum Analectorum *Tomo. Tum:* Ex iis, *inquit*, quæ Theodulfi eſſe viſa ſunt, ea tantum ſelegi quæ rei literariæ prodeſſe poſſunt: alia vero, quæ de rebus moralibus tractant, " ſolum notare ſatis duxi.

" *Videſis apud Mabillonium.*

1.

De Adventu Ludovici Auguſti Aurelianos.

* EN adeſt Cæſar pius & benignus,
Orbe qui toto rutilat coruſcus,
Atque præ cunctis bonitate pollet
Munere Chriſti.
Cernuus, prudens, ſapiens, modeſtus,
Mitis & clemens, moderatus actu,
Temperans, fortis, probus & honeſtus,
Cenſor & judex.
Hic decus (Sudam Eccleſiæ paterque)
Ornat hanc ſollers, recreat, fovetque,
Erudit, munit, colit, inſtruitque
Dogmate largo.
Hic potens armis Domino favente,
Viribus gentes reprimit ſuperbas,
Harum & hic victor ſubigendo calcat
Colla triumphans.
Cujus adventus, miſerante Chriſto,
Et nitens multum facies ſerenat
Civitas temet populoſa, nempe
Aurelianis.
Hinc Deo laudes agito per annos ", (" C. perennes)
Cujus hic nutu properavit ad te,
Hujus & vultum tibimet videndum
Præbuit ecce.
Has canat Clerus, ſimul omnis & plebs,
Has ſenex pangat puer atque parvus,
Pauper & dives reboent ovanter
Pectore puro.
Hoc chorus Cleri populique turba
Saphicum " carmen recinens precetur, (" C. Supplici)
Det HLudovico Deus operandi
Tempora longa.
Proſperum clemens ferat omne ſemper,
Pellat adverſum procul & repellat,
Hujus & vitam tueatur ævo
Tempore clemens.
Cæſaris hujus valeat per ævum
Nobilis conjux ſeu clara proles,
Gaudeat felix populus domuſque
Pace perenni.
Muniant urbem hanc proceres fideles,
Qua " pio Chriſto ſua dedicarunt (" C. Qui.)
Hoſtis adverſi toleranda bella
Corpora caſta.
Hic " duces ſancti reduceſque ſunto, (" C. Hi.)
Ut tui, Cæſar, faveantque temet,
Horum & obtentu ſuperes duelles
Poſcimus omnes.
Actibus " cunctis placeas Tonanti, (" C. Artibus)
Et Dei leges mediteris almas,
Quò " viam vitæ valeas tenere (" C. Queis.)
Tramite recto.
Temporis hujus ſpatio peracto,
Alta conſcendens ſubeas polorum,
Te pius capiet chorus Angelorum,
Et ſibi jungat.
O decus regni, Imperii propago,
Macte tu ſemper vigeas Hlotari,
Et patris ſedem teneas potenter ". (" C. potentem.)

ANNOTATIO MABILLONII.

* Carmen primum de adventu Ludovici Auguſti in urbem Aurelianos, jam typis editum eſt in tomo 6. Caniſii ſub nomine Jonæ, Theodulfi deceſſoris. Verum potius Theodulfo auctori tribuendum eſt, tum quia in mſ. Vitoniano inter ejus opera metrica refertur: tum quia adventus iſte Ludovici Auguſti in prædictam civitatem contigit pontificatu Theodulfi, ut diſcimus ex ipſius Ludovici vita ad annum DCCCXIV. ubi de Ludovico hæc leguntur: *Qui cum Aurelianam deveniſſet ad urbem, Theodulfus ejuſdem urbis Epiſcopus, vir undecumque doctiſſimus, cauſam ejus adventus praſenſit: & velociſſime miſſo perlatore, Imperatori innoteſcere ſtuduit, hoc tantummodo ei ſuggerendum jubens, utrum præſtolaretur venientem in urbem, an itinere aliquo ei occurreret venturo ad urbem*, &c. Qua occaſione primum carmen ac ſecundum Theodulfus ceciniſſe videtur. Hic recuſum eſt primum ob variantes lectiones: tametſi fortaſſe potius omittendum fuiſſe. Porro primus verſus tertiæ ſtrophæ mutilus eſt in codice Vitoniano.

Sæcla

Sæcla per ampla.
Sit Patri & Nato, tibi Spirituſque
Splendor æternus, honor atque perpes,
Nunc & in præſens, ita & in futura
Sæcula ſemper.

I I.

De eadem re.

O Pater Cleri populique decus,
Cæſar, inſigni pietate pollens,
Ut fores noſtras adeas libenter,
Poſcimus omnes.
O Dei cultor, miſerorum & altor,
O pupillorum viduæque tutor,
Summe Rex clemens, precibus rogamus
Annue noſtris.
Ergo jam tandem precibus rogatus,
Redde te noſtris domibus paratis,
Et dies lætos habeas in ipſis
Rex benedicte.
Te Sacerdotum chorus atque Cleri
Totius multum, populique turba;
Namque te major pariter minorque
Cernere geſtit.
Rex vale prudens, venerande, ſalve,
Rex ave noſtrum capito precamur,
Poſcimus Chriſtum ut tibi det ſalutem
Poplite plexo.
Salvet Albini precibus beati
Te, tuam prolem, ſociamque vitæ
Sorte felici tibi mancipatam
Chriſtus ubique.
Poſt dies ſæcli ſubeas Tonantis
Regna tu felix, habeas quietem
Inter electos tribuente Chriſto
Fine perenni.

I I I.

De Bilingue.

Ecce nugax labiis Filo quidam certa ſuſurrans,
Nunc joca, nunc fletus, nunc quoque turpe canit.
Blanditias tremulat, volitat nunc more cicadis:
Auribus ingeminat, quas petit ortivagus.
Dura ſatis roſtro ceu pulſat pectora cornix,
Imbriferos luxus quum vorat ore procax.
Aut rapidis preſſas pennis luſtrare lacunas
Temptat hirundo celer dulcia voce canens.
Haud ſecus inſtabiles percurrit elluo mentes
Infeſtus juvenum, quos agit aura levis.

I V.

Ad quemdam de muneribus.

Eia meum ſolito noli convertere carmen;
Ne vacuum redeat, more caveto tuo.
Aut ſpumantis equi tua nunc veſtigia retro
Impatiens calcet ungula, dona refer.
Ceu rubicundo oſtro Romæ de nomine veſtis,
Quam vocitare Patres, fac tibi colla premat.
Veneris ut felix donatus munere pulcro,
" l. Accipias. Recipias " grates mille ſuave meas.
Veneris at vacuus noſtram ſi forſan ad ædem,
Mille flagris cæſus ibis, inepte, foras.

V.

De Paſſione Domini.

Omnipotentis opus ſacrum ſacer ore popellus
Laudibus efferri tam bene tale decet.
Infima quòd magni dignatus conditor orbis
Sponte ſua patier, laude boare decet.
Pertulit humanæ in humano denique natus
Corpore quæ Chriſtus cuncta ſalutis erant.

V I.

In die Reſurrectionis.

Eia camena libens nunc dicito carmina quæſo,
Nunc cane poſco melos eia camena libens.
Feſta decora ſatis nunc mecum promere certa,
Poſtmodo ut accipias feſta decora ſatis.
Carmine dignus ineſt, pangamus carmina cuncti:
Iſte dies rutilus carmine dignus ineſt.
Mors qua victa jacet Chriſto ſurgente perempta:
Lætemur cuncti, mors quia victa jacet.
Tartara victa jacent, Chriſto viſente beatos:
Principe devicto, tartara victa jacent.
Expulit inde probos, reprobos dimiſit ibidem:
Calcatoque hoſte expulit inde probos.
Cælica regna petunt poſt tartara dira beati,
Erepti a tenebris cælica regna petunt.
Verte camena gradum, ne tædia fratribus addas,
" Hic te quæſo cito verte camena gradum. " l. Hinc.
Dicito, Præſul ave colloque genuque reflexo,
Hic & in æternum dicito, Præſul ave.

V I I.

De Tabella.

Parva brevis gemino potiorque fruorque tabella
Officio, ſpecie intus & apta foris.
Ornatum exterius habitus ſuperaddo ſecenti,
Interius ſervo verba ligata notis.

V I I I.

De Talamaſca *

Puſio perſonæ cum vultum obducit inanem,
Quod tremit, hinc terret quod fugit, inde fugat.
Credo & proſtratus jacuit, palmaſque tetendit,
Ante Redemptorem parvula membra movens.

I X.

Verſus in altari.

Hoc altare tibi, cæli terræque Creator,
Teudulfus voto cernuus orno pio.
Hoc rogo quiſquis adis, revehes " ſacra dona " f. referens
receſve.
Tu memor eſto mei, ſi Deus ipſe tui.
Paſtor oves Domini dapibus hinc paſce ſupernis,
Quis quia vita datur, quis patet aula Dei.
Eſt ſuper aſtra pius paſtor, quo paſcimur omnes:
Quæ " dum Paſtor amas, pars es & ipſe gregis. " f. Quem.

* Quid ſit Talamaſca, ſeu Talamaſcæ, jam dudum explicarunt viri docti. Voſſius in lib. 2. de vitiis ſermonis, & præcipue V. C. Stephanus Baluzius in Notis ad Reginonem. Hic adducunt locum vetuſti Concilii Remenſis: Larvas dæmonum quas vulgus Talamaſcas vocat ſub anathemate prohibemus. Hinc vulgatum apud noſtrates Gallos *maſque* pro larva. Immo etiam occultæ literarum notæ vocantur talamaſcæ, ut obſervat Baluzius: propterea quod aliud præ ſe ferant, quam ſignificent. Hic ergo Theodulfus agit de puſione larvato.

Cernis anhelantem hoc ad præſepe catervam?
Hinc alimenta Agni ſanguine, carne capit.
Quem draco ſæve tremis, qui te leo perfide vicit,
Crimina ceu mundi qui inveterata tulit.
Et nos æthereo potuque ciboque ſacrato,
Hicque ſuæ menſæ participare dedit.
Qui eſt via, vita, ſalus, qua, ad quam, in qua tutius itur:
Cum quo eſt regnandum jam ſine fine piis.

X.

In Xenodochio.

En patet iſta domus mediocri exacta paratu,
Utcumque humanis uſibus apta tamen.
Quam Deus arce poli famulos miſerando reviſat
Cuncta adverſa fuget, proſpera cuncta ferat.
Hic pudor & verum, pietas probitaſque redundent,
Sit præſto alma fides, & procul omne neſas.
Eſuriens epulas, ſitiens potum, hoſpes honorem,
Nudus operimentum hic reperire queat.
Feſſus opem, languens medicamen, gaudia mœſtus
Hinc ferat, & cunctis conſulat iſta domus.
Det Pater altithronus donum hoc habitantibus iſtic,
Civibus ut pateat, & peregrine tibi.
Ut fratrum atque Dei regnet dilectio ſemper,
Virtuteſque omnes hac duce conveniant:
Quas miſerante Deo mox commoda cuncta ſequantur.
Livori & ſævis ſit via nulla dolis.
Jus regat hic mentes, maneatque opulentia rerum,
Et procul atque procul ſit ſitis atque fames.
Qui petis has ſedes Teudulfi, quæſo, memento,
Hæc qui conſtruxit tecta favente Deo.

Epitaphium Teudulfi *ſeu* Theodulfi *Epiſcopi Aurelianenſis.*

* Illius cineres ſaxo ſervantur " &c.

" *integrum vide initio libri inter vet. roſt de Theodulfo.*

ANNOTATIO MABILLONII.

* Et hoc Theodulfi epitaphium ex eodem codice deſcripſi. Eum natione Italum fuiſſe tradunt, hoc eſt (uti Sirmondus opinatur) ex Gallia Ciſalpina. Speriam ſeu Heſperiam ipſi patriam tribuit epitaphium: ſed æquivocum eſt nomen iſtud, aliquando Italiam, aliquando Hiſpaniam ſignificans. Vetus Chronicon à Cheſnio editum in Hiſtoriæ Franciæ tomo 3. rem definit pag. 336. his verbis: *Floruit etiam his temporibus apud urbem Aurelianenſem Theodulfus Epiſcopus, qui propter ſcientiæ prærogativam qua pollebat, a memorato Imperatore Karolo Magno ab* Italia *in Gallias adductus, & Floriacenſem ab eo Abbatiam & Aurelianenſem ſimul meruit epiſcopatum.* At his obſtat, quod Theodulfus ipſe ſe ex Hiſpania ortum eſſe non obſcure innuit in Paræneſi ad judices, his verſibus:

Mox ſedes, Narbona, tuas urbemque decoram
Tangimus, occurrit quo mihi læta cohors.
Reliquiæ Getici populi, ſimul Heſpera turba
Me conſanguineo fit duce læta ſibi.

Ubi Theodulfus conſanguineos vocat Heſperiæ populos in Septimania degentes, qui ex Hiſpania eo confluxerant. Niſi ſi conſanguineos dicit hoc nomine, quod ex eadem gente tam Gothi illi Septimaniæ populi, quam Oſtro-Gothi in Italia degentes, ex quibus procreatus eſſet Theodulfus, proceſſiſſent. Mortuus eſt Theodulfus anno dcccxxi, exilii vii, veneno necatus, ſive in reditu, ut in Chronico præcitato legitur, ſive poſt reditum Aurelianos, ut apud Letaldum Miciacenſem Monachum in libro de miraculis ſancti Maximini Abbatis: qui liber in primo Sæculo Benedictino typis vulgatus eſt. Theodulfi obitus in Necrologio noſtro Monaſterii Sancti Germani Pratenſis ante annos dccc exarato reponitur xiv. Kal. Octobris. De eo alias plura.

Act. SS. Bened. ſecul. I. p. 601.

Ex libro Miraculorum Sancti Maximini Abbatis Miciacenſis auctore Letaldo monacho Miciacenſi, qui ſub finem ſeculi X. florere cœpit.

Ex Mſ. cod. V. C. D. Dherouval.

TEmporibus divæ memoriæ Caroli * Auguſti diſponente rerum omnium domino eumdem locum priſtinæ reddere nobilitati, Theodulfus nobiliſſimus & moribus & genere, acerrimique ingenii Aurelianenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubrogatur. Hic itaque multa induſtria certans, quatenus idem locus in antiquum revocaretur honorem, dum in contiguis regionibus minus idoneos inveniſſet ad id efficiendum monachos, ex Septimaniæ partibus adſcivit, quibus & locum dedit, & res illi loco attributas, de ſuo inſuper addens contradidit. In qua re non pœnituit eum facti ſui: quippe cujus temporibus in tantum ejus loci gloria enituit, ut veteris ignominiæ dedecus honeſtas ſuperveniens obumbraret, & præteritorum diſpendia lucra ſequentia compenſarent. Theodulfus igitur Epiſcopus inter cetera ſuorum operum baſilicam miri operis, inſtar videlicet ejus quæ Aquis eſt conſtituta ædificavit in villa quæ dicitur * Germiniacus, quo etiam his verſibus ſui memoriam eleganter expreſſit.

** cognomento Magni.*

** Germigny.* prope monaſterium Floriacenſe.

Hæc in honore Dei Theodulfus templa ſacravi
Quæ dum quiſquis adis, oro, memento mei.

Hic itaque venerabilis ſacerdos inſimulatus conjurationis apud regem de epiſcopatu dejectus, & multis diebus cuſtodiæ mancipatus eſt, poſtmodum mirabili rerum converſione, & crimen prompriſſime abluit, & regis gratiam conſecutus cathedram priſtinæ dignitatis non diu victurus recepit. Fertur enim vi veneni ab his extinctus, qui dum exularet, libertate potiti bona ejus invadendi jam hauſerant cupiditatem.

AMOLONIS LUGDUNENSIS ARCHIEPISCOPI AD GOTHESCALCUM EPISTOLA,

In qua ejus de Prædeſtinatione & Gratia errores aliquot reprehendit.

Primum edita ſtudio & opera JACOBI SIRMONDI *Societatis Jeſu Presbyteri* *anno* M DC XLIX.

LECTORI.

DE AMOLONIS EPISTOLA,

& duobus illi ſubnexis Opuſculis.

Gothescalci renovatæque ab illo hæreſis caſtigatores duos antehac produximus, doctrina inſignes, & illuſtrium Eccleſiarum Antiſtites, Hincmarum Remenſis, & Rabanum Moguntinæ. Tertius pro voto nunc obtigit, nec honore illis, nec cæteris ornamentis inferior[1]*, Amolo Epiſcopus Lugdunenſis. Pro voto inquam, ac deſiderio noſtro. Quid enim accidere poterat optatius, quam ut quæ ex urbe Gotheſcalco falſa præſidia quærebantur, ex eadem nos certum tantique nominis ſuffragatorem haberemus? Itaque de te,* LECTOR, *tuique ſimilibus, qui veri ſtudio ducuntur, dubitare non licet, quin hanc ejus Epiſtolam valde probaturi ſint, eique, cujus ad nos beneficio ex S. Maximini Trevirenſis Bibliotheca pervenit, juſtam gratiam habituri. Reputent qui Gotheſcalci morbo laborant, quanti eandem & ipſi facere merito debeant; quando hujus unius ope convaleſcere poſſunt, ſi velint, hoc eſt ſi oblatum remedium non reſpuant, ac ſibi quoque dicta intelligant quæ ab Amolone ſcripta Gotheſcalco. Amolonis porro Epiſtolæ Opuſcula duo ſubjecimus, quæ in veteri codice, ex quo deprompta eſt, illi adnexa videbamus. Quæ cum ejuſdem ſint argumenti, & a genio Amolonis non abhorreant, non abs re, ut ſpero, hic etiam a nobis conjuncta judicabis.*

VETERUM DE AMOLONE TESTIMONIA.

Auctor brevioris Chronici S. Benigni Divionenſis.

DCCCXL. Hoc anno ſanctæ memoriæ Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus obiit VIII. Idus Julii. Amolo præfati Epiſcopi Diaconus ordinatur Epiſcopus Lugdunenſis XVII. Kalendas Februarias.

Hugo Abbas Flaviniacenſis in Hiſtoria ſua collectaneis.

POST Agobardum Amolo quoque Lugdunenſium Epiſcopatum ſuſcepit, cujus auctoritas & amor Caroli Regis erga eum multum valuit ſancto Papæ Leoni, ut ipſe Leo teſtatur in epiſtola ad eum miſſa.

Lupus Ferrarienſis in epiſtola LXXX. ad Uſuardum Abbatem.

NON eſtis obliti quemadmodum vobis, præſentibus majoribus Eccleſiæ veſtræ, conſtitutum Synodi decretumque Metropolitani AMULI oſtenderim ſuper Presbytero Goldegario, &c.

Idem in epiſtola XXCI. ex parte Wenilonis & Gerardi.

REVERENTISSIMO & clariſſimo Præſuli Amulo Guenilo Epiſcopus, & Gerardus Comes, plurimam ſalutem. Multa & magna juſſa Domini noſtri Regis, &c. *De Epiſcopis Auguſtoduni & Cabilone ordinandis.*

Flodoardus libro III. Hiſtoriæ Remenſis, cap. XXI. de Hincmari ad Amolonem epiſtolis.

AMULO Lugdunenſi. De placito quod habuerat cum Rege, regnique primoribus, & de Judæorum in hoc regno ſtatu.

ITEM de Synodo a tribus Regibus condita, & de Ebone præceſſore ipſius, & aliis nonnullis. In qua eum cariſſimum & unanimem ſibi patrem ſe habere ſignificat.

ITEM De Lothario Rege, & aliis quibuſdam rebus. in qua ſe filium dilectionis ipſius appellat.

ITEM De Gotheſcalci vita vel converſatione, prædicatione, deprehenſione, atque condemnatione: rei veritatem exponens.

Joannes Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis. inter alia.

HAMULUS Epiſcopus Lugdunenſis, vir in divinis ſcripturis ſtudioſus, tam Hebraica quam Latina lingua clarus, ſcripſit non contemnendæ lectionis opuſcula, de quibus legi opus inſigne ad Carolum contra Judæos, *Deteſtanda Judæorum*, &c.

Amolonis præterea mentio fit in Caroli Calvi capitulis cap. VI. in villa Sparnaco, & in Joannis VIII. epiſtola CLXIII. & apud alios. ſed nuſquam illuſtrior, quam apud Lugdunenſes ipſos, qui ſancti eum titulo exornant in Martyrologio, aliiſque monimentis Baſilicæ Irenæanæ.

Non abs re fore putavi Dionyſii Petavii de Amolonis epiſtola judicium hic apponere.

Theolog. dogmat. Tom. IV. lib. XIII. cap. IX. POSTEAQUAM iſta de Gotheſcalco commentati ſumus, prodiit in lucem Amolonis Archiepiſcopi Lugdunenſis epiſtola ad Gotheſcalcum, ab R. P. Jacobo Sirmondo edita, perſpectæ omnibus eru-
ditionis, ac judiciis viro. qua in epiſtola illius de prædeſtinatione & gratia quædam notat, ac repre-
hendit errata; quæ dubitari deinceps non ſinunt, jure ipſum pro hæretico judicatum eſſe, pœniſque
canonicis ſubjectum. Digna vero Amolonis illa eſt epiſtola, quam attente legant, & expend ant no-
varum rerum plus quam par eſt, & quam commode Catholicos decet, cupidi. Nam in eos apprime
quadrant monita illa, quibus Gotheſcalcum ſanare ſtudet Amolo, eadem qua iſti laborant hodie, pru-
rigine novitatis, & contentionis infectum. Velut iſtud eſt præceptum, quod initio ponit Epiſtolæ:
Infra p. 934. b. *Ut ſepoſita animoſitate, & ſtudio contentionis, libenter quæ vera ſunt audias*, (inquit) *& non no-
ſtra, ſed Dei, & ſanctorum Patrum dicta obedienter ſuſcipias, eiſque animum tuum, & ſenſum ſin-
cera pietate ſummittas. quia, ut verax veraciter Scriptura dixit*, * *Sunt viæ, quæ videntur homini*
Prov. 16. 25 *rectæ, & noviſſimum eorum ducit ad mortem. Et, qui confidit cogitationibus ſuis, impie agit. Unde & ali-
bi eadem Scriptura admonet, dicens:* * *Et ne innitaris prudentiæ tuæ*, &c. Tum ita pergit: * *Itaque*
Prov. 3. 5. *Pag. 594. d* *& tu, ſi bonus, & utilis, & pacificus Eccleſiæ filius eſſe deſideras, noli te ſenſui tuo committere: ſed
majorum judiciis, atque ſententiæ: immo divinis, & Eccleſiaſticis auctoritatibus facile cede, libenter*
Eſa. 66. 1. *acquieſce, & obedienter ſubdere; ut poſſit in te Dei ſpiritus habitare; dicente Domino per Prophetam,
ſuper quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem verba mea? Vi-
demus certe tempora noviſſima, & periculoſiſſima ab Apoſtolo olim prædicta, plena ignorantiæ, & in-
firmitatis animorum: in quibus illud Domini terribile dictum ſemper eſt reminiſcendum, atque tremen-*
Matth. 18. 6. *dum, Qui ſcandalizaverit unum de puſillis his, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola
aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris, & iterum; Væ mundo a ſcandalis*, &c.
*Sed & aures, & linguas prurientes cavere debemus, ne vel ad audiendas, vel ad loquendas novitates
prompti, & faciles ſimus.*

II. Poſt hæc refert Amolo, ſe Gotheſcalci vidiſſe ſcripta, in quibus de prædeſtinatione divina diſ-
ſerit: unde ſex omnino dogmatica capita decerpit: quæ ſingillatim redarguit.

Imprimis diſplicet nobis, inquit, *valde quod dicis, & aſſeris, neminem perire poſſe Chriſti ſanguine* P. 895. e
*redemptum. Hoc enim dictum dupliciter fidei catholicæ adverſatur: ſi aut neminem ex numero Chriſtia-
norum, poſtquam ſemel in Chriſto baptizatus eſt, & particeps redemptionis Chriſti effectus eſt, perire
poſſe confirmas*, &c. *aut ſi non credis, omnes, qui vera fide, & devotione per baptiſmi gratiam rege-* 896. b
*nerantur, Chriſti eſſe ſanguine redemptos; immo in Chriſti morte, & ſanguine baptizatos; licet poſtea
plurimi ex eis vel per hæreſes, vel per alia diverſa crimina pereant.*

Secundo loco diſplicet nobis (ait) *valde, quia veriſſima, & ſacratiſſima Eccleſiæ ſacramenta, vi-* Ibidem. d
*delicet exorciſmi, & baptiſmi, chriſmatis, & Euchariſtiæ, ac manus impoſitionis, perfunctorie. & fru-
ſtratorie omnibus, qui poſt perceptionem eorum pereant, dari confirmas: dum eos ſanguine Chriſti, ſine
quo ipſa myſteria jam non myſteria, ſed quædam velut vacua, & inania ludibria ſunt habenda, re-
demptos negas.*

Tertio loco Gotheſcalci dogma hujuſmodi commemorat: *Illos, qui ex numero fidelium pereunt, nec* 897. a
*tunc, quando in primis ad percipienda myſteria regenerationis, & dominicæ oblationis vel in parvula
ætate, ab aliis oblati ſunt, vel ipſi in majori fideliter acceſſerunt, Chriſto, & Eccleſiæ non incorpora-
tos, nec membra illius quæſita, & ſalvatæ ovis effectos, ac per hoc nec unquam fuiſſe Chriſtianos.*

Quarto loco diſplicet nobis valde (inquit) *quia tam dure, & indiſciplinate, & immaniter de di-* Ibidem. e
*vina prædeſtinatione ſentis, & loqueris in damnatione reproborum, ut omnes illos, qui ad ſiniſtram po-
nendi ſunt in die judicii, & cum diabolo, atque angelis ejus pro malis meritis ſuis æterno igne dam-
nandi, ita ſint divinitus ad interitum prædeſtinati, ut eorum prorſus nullus aliquando potuerit, nullus
poſſit ſalvus eſſe. Quod ſentire, & dicere quid aliud eſt, quam in Deum graviter, & horribiliter bla-
ſphemare; ſi illis ejus prædeſtinatio hanc neceſſitatem irrevocabiliter impoſuit, ut omnino quod ad ſa-
lutem ſuam proficeret, operari non poſſint?*

Quinto loco dicebat *eos, qui æterno interitu ſunt digni, tam irrevocabiliter, & incommutabiliter*
perditioni eſſe prædeſtinatos, ſicut Deus ipſe incommutabilis, & inconvertibilis eſt: & Epiſcopos, ad 899. c.
quos ſcribis (ait) *quaſi miſericorditer adhortaris, ut hoc prædicent populis, ut quia jam præfinitam
damnationem evadere non poſſunt, ſaltim aliquantulum Deo ſupplicent, & humilientur, ut ſtatutas eis
vel modicum mitiget, & leviget pœnas.*

Sexto loco ſimiliter deteſtati ſumus, quod Deum, & ſanctos ejus in perditione eorum, quos æternæ 901. c.
damnationi prædeſtinatos adſidue repetis, dicis exultaturos, & gaviſuros.

Hæc ſunt capita ſex, quæ ex Gotheſcalci libris ſelegit Amolo, ac variis Scripturæ teſtimoniis ſi-
gillatim refellit: in quibus manifeſta eſt impietas hæretica, ob quam merito condemnari, plectique
debuit, maxime vero in quinque primis.

Septimum ad illa caput addit Amolo, quod non ad dogma fidei, ſed ad mores pertinet, quorum
in ſcriptis ſuis ſignificationem dedit Gotheſcalcus Hoc vero ſic exponit, ut in Novæ ſectæ propu-
gnatores Lutheranos, Calviniſtas, & Iprenſes nihil aptius uſurpari poſſit. *Septimo loco*, inquit, *duo* 902. c
*prorſus gravia in tuis nobis moribus plurimum diſplicuerunt: Unum, quod Sacerdotes Dei, & Recto-
res Eccleſiarum tantis injuriis, & conviciis, & maledictis laceras; tanto deſpectu, & contumacia con-
culcas, utique ſpiritu erroris, & ſuperbiæ miſerabiliter deceptus, ut omnino nihil Chriſtianæ patientiæ,
nihil Chriſtianæ reverentiæ habere videaris. Nam inter cetera, omnes qui inſaniæ ſenſuum tuorum zelo
fidei reſiſtunt, hæreticos appellare non metuis, eoſque a bono, & erudito viro, atque catholico Epiſcopo
Rhabanicos nuncupare præſumis*. An non idem faciunt hodie qui veram, & ſinceram de gratia &
liberæ voluntatis arbitrio ſententiam propugnantes; cujuſmodi Tridentina ſancivit Synodus; *Moli-
niſtas* tam inſulſe quam imperite nominant!

Alterum vero malum eſt in moribus tuis (pergit Amolo ad Gotheſcalcum ſcribens) *quod in om-* Ibidem
*nibus, quæ dicis, & ſentis, ſicut ſcriptura tua declarat, nullum omnino, hominum more bonorum, pie
& humiliter deprecaris; nullius te ſenſui, & auctoritati ſummittis: nec dicis, quod ſæpe ſolet, & de-
bet pietas dicere; Obſecro, bone vir, aut bone frater, ſi in his, quæ dico, aliquatenus erro, ferto in-
firmitatem meam, inſtruito ignorantiam meam; & probabis obedientiam meam: quia paratus ero liben-
ter ſuſcipere quidquid veritas dignabitur declarare*. Et hæc novorum Dogmatiſtarum ſcribendi forma
eſt & character. Nihil illis inſolentius, nihil procacius & inverecundius cum vero confidenter
adeo ac temere de ſuis & alienis pronuntiant, ut qui illos nondum novit prorſus fidem illis adhiben-
dam exiſtimet.

INDEX EORUM
QUÆ AB AMOLONE REPREHENDUNTUR
IN GOTHESCALCO.

I. QUOD *aſſerat, neminem perire poſſe Chriſti ſanguine redemptum.*

II. *Baptiſmum, & alia ſacramenta, fruſtratorie iis dari, qui poſt eorum perceptionem pereunt.*

III. *Fideles qui pereunt, Chriſto & Eccleſiæ incorporatos non fuiſſe quando regenerati ſunt.*

IV. *Reprobos omnes ita eſſe divinitus ad interitum prædeſtinatos, ut eorum nullus potuerit, nec poſſit eſſe ſalvus.*

V. *Reprobis, quia præfinitam damnationem evadere non poſſunt, orandum ſaltem eſſe Deum, ut ſtatutam eis pœnam mitiget.*

VI. *Deum & Sanctos in perditione eorum qui ad æternam damnationem prædeſtinati ſunt, exultaturos & gaviſuros.*

VII. *Quod eos qui ipſius inſaniæ reſiſtunt conviciis laceret : & in omnibus quæ ſcribit nullius judicio ſe ſubmittat.*

ET TAMEN, LICET GOTHESCALCUS PERTINACISSIME DENEGET QUOD NEMO CHRISTI REDEMPTUS SANGUINE POSSIT PERIRE, PEREUNT QUIDAM, AUT AD INFIDELITATEM REVERSI, AUT IN INIQUITATE DEFUNCTI.

Hincmarus de Prædeſtinatione, cap. XXXIV.

AMO-

AMOLONIS LUGDUNENSIS ARCHIEPISCOPI AD GOTHESCALCUM EPISTOLA.

Amolo humilis Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopus dilectiſſimo fratri Gotheſcalco ſalutem.

QUod te in hujus ſermonis exordio fratrem nomino, quem fraternæ unitati contrarium non ignoro, ea in quantum Deus largitur facio caritate, quam Scriptura nobis præcepit dicens, *Dicite his qui oderunt vos, fratres no-* [Eſa. 66. 5.] *ſtri eſtis*. Quia etſi ex illorum parte qui ejuſmodi ſunt fraternitas deperit, non idcirco etiam in nobis frigeſcere aut perire debet ipſius fraternitatis affectus. Quod autem non ſolum fratrem, ſed etiam dilectiſſimum dico, Dominus novit quia te fideliter diligo, hoc tibi cupiens quod & mihi. Unde & ſalutem tibi veraciter opto, præſentem pariter & futuram, per eam divini cultus pietatem, quæ ſicut Apoſtolus teſtatur, [1. Tim. 4. 8.] *ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ*. Audiens ſane & agnoſcens quæ in ſcriptis tuis miſiſti, & per quendam fratrem noſtrum mihi innoteſcenda vehementiſſime flagitaſti, diu hæſitavi utrum tibi reſpondere deberem, homini de novis contra Eccleſiam præſumptionibus, & non parvis erroribus jamdudum accuſato, & propter contumaciam, ut audio, Epiſcopalis Concilii auctoritate damnato. Importunum namque & impudens videri poſſe exiſtimabam, ſi de cauſa, quæ prudentium & reverendorum fratrum noſtrorum inquiſitione, cognitione, & ſententia definita eſt, aliquid ultro dicere vel reſpondere aggrederer: & rurſum, tantam deprecationem & ſupplicationem tuam contemnere & præterire ſilentio, non videbatur Chriſtianæ eſſe pietatis & caritatis, per quam præcipue lex Chriſti adimpletur in nobis, teſtante & commendante Apoſtolo, [Gal. 6. 2.] *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*. Unde & cum de ſeipſo dixiſſet, *Factus* [1. Cor. 9. 22.] *ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrarer: omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſal-* [1. Cor. 10. 33.] *vos*. & poſt aliqua, *Non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant*, continuo, ut nos ad exemplum ſui, & per hoc ad exemplum Chriſti, inſtrueret & informaret, adjunxit, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*. [1. Cor. 11. 1.] Ipſe eſt enim verus & pius ille Samaritanus, qui deſcendentem ab Hieruſalem in Hiericho, & a latronibus in itinere ſpoliatum, & vulneratum, ac ſemivivum derelictum, clementer miſeratus eſt, alligans vulnera ejus, & vini atque olei infuſione curans. tantæque miſericordiæ & pietatis ſuæ nos imitatores eſſe deſiderans, in fine hujus parabolæ unicuique noſtrum dicit, [Luc. 10. 37.] *Vade & tu fac ſimiliter*. manifeſte oſtendens, illum vere eſſe proximum fratri, illum vere imitatorem ſui, qui fraternis neceſſitatibus atque infirmitatibus prompta pietate & compaſſione ſuccurreret. Iſtiuſmodi igitur conſideratione provocatus,

A & de venerabilium fratrum atque conſacerdotum noſtrorum ſinceriſſima caritate confiſus, per quam in Domino unum ſumus, & invicem commiſſi nobis miniſterii onera & officia communicare debemus, quatenus & illorum bona per unanimitatis ſpiritum noſtra, & noſtra, ſi qua divina miſericordia eſſe poſſunt, illorum ſint: melius & ſalubrius exiſtimavi, aliquid tuæ fraternitati reſcribere, quam inutili taciturnitate, & de illis viderer diffidere, & tibi tam anguſtiato, tam afflicto, tam anxio & conturbato, nihil conſulere. Quapropter omnipotentis Domini & Salvatoris largiſſimam & indeficientem oro gratiam, ut nobis tribuere dignetur utilem & veracem ad tuam conſolationem & B inſtructionem ſermonem, & animum tuum præparet ac tranquillet, ut quæ dicturi ſumus, pia manſuetudine & humilitate ſuſcipias, ac ſepoſita animoſitate, & ſtudio contentionis, libenter quæ vera ſunt audias, & non noſtra, ſed Dei & ſanctorum Patrum dicta obedienter ſuſcipias, eiſque animum tuum & ſenſum ſincera pietate ſummittas. quia ut verax veraciter Scriptura dixit, *Sunt viæ quæ videntur homini* [Prov. 16. 25.] *rectæ, & noviſſimum earum ducit ad mortem*. &, *Qui confidit cogitationibus ſuis, impie agit*. Unde & alibi eadem Scriptura admonet, dicens, [Prov. 12. 2.] *Et ne innitaris prudentiæ tuæ*. [Prov. 3. 5.] Hoc namque malum quantum cavendum ſit homini, etiam B. E- C phrem admirandæ ſanctitatis, & illuſtriſſimæ doctrinæ pater oſtendit, cum in hora exitus ſui, adſtanti ſibi uni ex diſcipulis, magni & acuti & nimis curioſi ingenii, ſollicite admonens dixit, Cave, Pauline, ne unquam te ſummittas cogitationibus tuis. Quantum vero bonum ſit obedientiæ, & quantum malum contentionis & contumaciæ, docet nos iterum ſermo divinus, ubi per Samuelem Prophetam dicit, [1. Reg. 15. 22.] *Melior eſt obedientia, quam victimæ, & auſcultare magis, quam offerre adipem arietum. quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle adquieſcere*. Itaque & tu, ſi bonus, & utilis, & pacificus Eccleſiæ filius eſſe deſideras, noli te ſenſui tuo committere, ſed majo- D rum judiciis atque ſententiæ, immo divinis & Eccleſiaſticis auctoritatibus facile cede, libenter adquieſce, & obedienter ſubdere, ut poſſit in te Dei ſpiritus habitare: dicente Domino per Prophetam, [Eſa. 66. 2.] *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem verba mea?* Videmus certe tempora noviſſima & periculoſiſſima, ab Apoſtolo olim prædicta, plena ignorantiæ & infirmitatis animorum, in quibus illud Domini terribile dictum ſemper eſt reminiſcendum, atque tremendum, *Qui ſcandalizave-* [Matth. 18. 6.]

rit unum de puſillis his qui in me credunt,
*expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo
ejus, & demergatur in profundum maris*. & ite-
Ibid. 7. rum : *Væ mundo a ſcandalis. neceſſe eſt ut ve-
niant ſcandala: verumtamen væ homini illi, per
quem ſcandalum venit*. Sed & aures & linguas
prurientes cavere debemus, ne vel ad audien-
das vel ad loquendas novitates prompti & faci-
les ſimus. Quia & prurientes auribus, & pro-
fanas vocum novitates pariter Apoſtolus condem-
nat, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ admo-
nens devitandas, continuo de eadem falſi nomi-
1.Tim.6.21. nis ſcientia ſubjungit, dicens, *Quam quidam pro-
mittentes circa fidem exciderunt*. Cum adhuc eſ-
ſes in partibus regni Germaniæ, audivimus in
primis ſuper nomine tuo famam dolendam.
quod videlicet novitates ferreres, & ſtultas ac
ſine diſciplina quæſtiones ventilares. Deinde
perlata eſt etiam ad nos ſtudio Eccleſiaſticorum
virorum quædam ſcriptura tua, in qua apertiſſi-
me, & prolixo ſermone, atque ut tibi viſum
eſt, etiam teſtimoniis Scripturarum, ſive ſancto-
rum Patrum, quid ſentires ſive doceres multi-
pliciter exſecutus es. Nunc quoque accepimus
& alia ſcripta tua non parva, quæ ad Epiſco-
pos, vel contra Epiſcopos, qui in Concilio da-
mnationis tuæ affuerunt, ſcripſiſſe vel protuliſ-
ſe videris. In quibus quanta potuiſti intentio-
ne, de una tantum quæſtione, id eſt de præ-
deſtinatione divina, quid teneas diligenter ex-
plicare curaſti. Ita factum eſt, ut ex utraque
ſcriptura tua, ſive quam te mittente accepi-
mus, pleniſſime nobis cognoſcere videamur, in
quibus quæſtionum periculis fluctuet, vel quod
nimis dolendum eſt, naufragetur ſenſus tuus.
Quapropter compendioſe nobis & utiliter fieri
poſſe videtur, ut ex illa tota ſerie ſcriptorum
tuorum, ea quæ nobis fidei Catholicæ maxime
contraria eſſe videntur, brevibus & diſtinctis ca-
pitulis ordinemus: adjungentes, ſive ſubjungen-
tes per ſingula, quid e contrario Scriptura ſan-
cta doceat, & Eccleſia Dei firmiſſime teneat,
& ubique fideliter ac ſalubriter doceat. Cujus
doctrinæ & ſenſibus te, quaſi devotum & pium
filium, inrefragabiliter obtemperare oportet, ſi
cupis in ejus corporis unitate vivum & ſanum
membrum inveniri, & non cum putribus &
emortuis juſtæ ſeveritatis judicio abſciſionem
mereri. Hunc autem ſermonis noſtri tenorem,
ſervato in omnibus legitimo ordine, ac Eccle-
ſiaſtica auctoritate, non tibi, qui infelici & mi-
ſerabili lapſu excommunicationem ab Eccleſia
excepiſti, ſed principaliter reverentiſſimo & ca-
riſſimo noſtro, Metropolitano Antiſtiti direxi-
mus tuo, confidentes in Domini pietate, quia
cum hæc legerit, & noſtræ erga te compaſſio-
nis affectum cognoverit, non indignatione ali-
qua adverſum te, ſed boni patris & pii paſto-
ris viſceribus commovebitur, ut his congruenter
perlectis, & tranquille apud te tractatis, ſi divi-
na gratia adſpirante adquieſcere volueris veritati,
nequaquam diutius aberres a caulis, ſed boni &
ſummi paſtoris humeris reportatus, unitati inven-
tæ ac redemptæ ovis, cum gaudio cæleſtium &
terreſtrium, feliciter reſtituaris. Hæc ſunt igi-
tur, quæ in ſcriptis tuis merito reprehendenda,
& reprehenſa, tanquam veræ fidei Catholicæ
inimica, notavimus, & qualiter ad regulam ve-
ritatis ſint corrigenda perſtrinximus.

In primis diſplicet nobis valde quod dicis &
aſſeris, neminem perire poſſe Chriſti ſanguine
redemptum. Hoc enim dictum dupliciter fidei
Catholicæ adverſatur. Si aut neminem ex nu-

A mero Chriſtianorum, poſtquam ſemel in Chriſto
baptizatus, & particeps redemptionis Chriſti ef-
fectus eſt, perire poſſe confirmas; contra Apo-
ſtolum aperriſſime prædicantem & conteſtantem,
quoniam iniqui regnum Dei non poſſidebunt, & 1.Cor.6.9.
quoniam qui vel illa crimina admiſerint, re-
gnum Dei non conſequentur, & non habent hæ-
reditatem in regno Chriſti Dei. inter quos et-
iam illi ſunt negatores Chriſti, de quibus ipſe
terribiliter teſtatur, *Quicumque negaverit me* Matt.10.33.
*coram hominibus, negabo & ego eum coram pa-
tre meo qui eſt in cælis*. & illi infructuoſæ fi- Matth.7.21.
dei, de quibus ait, *Non omnis qui dicit mihi
Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*.
B ſed & illæ fatuæ virgines, quæ non ſumpſerunt
oleum in vaſis ſuis cum lampadibus, quibus
clauſa janua regni dicturus eſt, *Amen dico vo-
bis, neſcio vos*. Aut ſi non credis, omnes, qui Matt.25.12
vera fide & devotione per baptiſmi gratiam re-
generantur, Chriſti eſſe ſanguine redemptos,
immo in Chriſti morte & ſanguine baptizatos,
licet poſtea plurimi ex eis, vel per hæreſes, vel
per alia diverſa crimina pereant, manifeſtiſſime Rom.6.3.
contrarium eſt beato Paulo Apoſtolo dicenti, *Qui-
cumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu; in morte* Apoc.1.5.
ipſius baptizati ſumus. Et B. Joanni ſimiliter de eo-
dem Domino conteſtanti, *Qui dilexit nos*, inquit,
& lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Et
beato Petro etiam de peſſimis hæreticis, qui poſt
C baptiſmum redemptionis Chriſti de Eccleſia re- 2.Petr.2.1.
ceſſerunt, ita dicenti, *Et eum, qui emit eos*,
*Dominum negant, ſuperducentes ſibi celerem per-
ditionem*. Et ipſi Domino de eiſdem hæreticis
per Prophetam dicenti, *Et ego redemi eos*, & Ose.7.13.
contra me locuti ſunt mendacia. Itaque juxta
fidem Catholicam & Apoſtolicam, Propheticam
& Evangelicam, omnes iſti, fideliter ad baptiſ-
mum Chriſti accedentes, non utique alio pre-
tio, ſed Chriſti ſanguine redempti ſunt. Sed
cum plurimi ex eis eandem gratiam in ſe irri-
tam fecerint, & idcirco in æternum pereant,
qua ratione verum eſt, neminem perire poſſe
ſanguine Chriſti redemptum?

Secundo loco diſplicet nobis valde, quia ve-
D riſſima & ſacratiſſima Eccleſiæ ſacramenta, vi-
delicet exorciſmi, & baptiſmi, chriſmatis, &
Euchariſtiæ, ac manus impoſitionis, perfunctorie
& fruſtratorie omnibus, qui poſt perceptionem
eorum pereant, dari confirmas, dum eos ſan-
guine Chriſti, ſine quo ipſa myſteria, jam non
myſteria, ſed quædam velut vacua & inania
ludibria ſunt habenda, redemptos negas. cum
e contrario Apoſtolus, & veritatem redemptio-
nis Chriſti, & verum divinorum myſteriorum
effectum, etiam in eis qui inreparabiliter pere- Hebr.6.4.
unt doceat eſſe conlata, cum ait, *Impoſſibile
enim eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtave-
E runt etiam donum cæleſte, & participes ſunt fa-
cti Spiritus ſancti, guſtaverunt nihilominus bonum
Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prola-
pſi ſunt, renovari rurſus ad pœnitentiam, rurſum
crucifigentes ſibimetipſis filium Dei*, &c. & iterum: Hebr.10.29.
*Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia,
qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſta-
menti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt*,
& ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? & alio lo- 1.Cor.8.11.
co, *Et peribit*, inquit, *infirmus in tua conſcien-
tia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt*? Ita
veritas myſteriorum peragit virtutem ſuam, cum
fideliter accipitur, etiam in illis qui non perma-
nent in veritate eorumdem myſteriorum. Sed &
in illa regula intelligendarum ſcripturarum de
corpore Chriſti vero atque ſimulato, unde tu

hunc errorem velut confirmare niteris, veraciter noſſe debes, ſimulationem denotari vitæ & morum, non, quod abſit, divinorum myſteriorum & ſacramentorum.

Tertio loco diſplicet nobis valde, quia & divinarum Scripturarum teſtimoniis, & ſinceriſſimis ſanctorum Patrum dictis, tam perverſe abuteris, ut hæc omnia quæ manifeſtiſſime adverſus divinam veritatem & paternam fidem diſputas, ex illis non recte intellectis multipliciter adfirmare contendas. In tantum ut illos qui ex numero fidelium pereunt, nec tunc, quando in primis ad percipienda myſteria regenerationis, & dominicæ oblationis, vel in parvula ætate ab aliis oblati ſunt, vel ipſi in majori fideliter acceſſerunt, affirmes Chriſto & Eccleſiæ non incorporatos, nec membra illius quæſitæ & ſalvatæ ovis effectos, ac per hoc nec unquam fuiſſe Chriſtianos. Nam quomodo eſt Chriſtianus, qui non pertinet ad corpus Chriſti, qui non eſt membrum Chriſti? Cum e contrario Apoſtolus etiam illos, qui graviter peccare, & in eodem gravi peccato perire poſſunt, membra Chriſti & templum Spiritus ſancti eſſe dicat, quamdiu fideliter & innocenter agunt. *Neſcitis*, inquit, *quia corpora veſtra membra Chriſti ſunt? Tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis? abſit*. & iterum, *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus ſanctus habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*, &c.

1.Cor. 6. 15.

1.Cor. 3. 16.

Quarto loco diſplicet nobis valde, quia tam dure & indiſciplinate & immaniter de divina prædeſtinatione ſentis & loqueris in damnatione reproborum, ut omnes illos qui ad ſiniſtram ponendi ſunt in die judicii, & cum diabolo atque angelis ejus pro malis meritis ſuis æterno igne damnandi, ita ſint divinitus ad interitum prædeſtinati, ut eorum prorſus nullus aliquando potuerit, nullus poſſit ſalvus eſſe. Quod ſentire & dicere quid eſt aliud, quam in Deum graviter & horribiliter blaſphemare, ſi illis ejus prædeſtinatio hanc neceſſitatem inrevocabiliter impoſuit, ut omnino quod ad ſalutem ſuam proficeret operari non poſſint? Sed abſit a nobis hoc recipere, ne meritum damnationis illorum Dei culpa ſit, qui eos tales eſſe conſtituit, non illorum, qui aliud eſſe non potuerunt. Huic errori, vel potius immaniſſimæ impietati, reſiſtit Scriptura dicens de illo, *Nemini mandavit impie agere, & nemini dedit ſpatium peccandi*. Et ipſe judex vivorum & mortuorum deſtruit iſtud inſanum mendacium, qui ſe in illo die judicii ita illis qui ad ſiniſtram ſtabunt dicturum eſſe prædixit, *Diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus*. Ut cur a ſe inſeparabiliter diſcedere ſint digni, cur maledicti, cur diabolo & angelis ejus in æterna pœna ſociati, videlicet non ex præjudicio prædeſtinationis ſuæ, ſed ex merito iniquitatis eorum, ſtatim clariſſime ſubjungat & oſtendat dicens, *Quia eſurivi, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi bibere*, &c. Ubi evidenter oſtenditur, quod non propterea damnantur, quia opera ſalutis ſuæ facere non potuerunt, ſed quia facere noluerunt. Unde & Pſalmiſta de eodem juſto & æterno Judice dicit, *Quia tu reddes unicuique ſecundum opera ſua*. Non ait, ſecundum præjudicia ſua, ſicut iſta inſana & furibunda doctrina aſſerere conatur, ad nihil aliud, niſi ad ſubverſionem audientium. Cum e contrario fides Catholica fir-

Eccli. 15. 21.

Matth. 25. 41.

Ibid.

Pſal. 61. 13.

A miſſime teneat, nec ipſum diabolum, & angelos ejus, ad hoc unquam prædeſtinatos ut tales eſſent: ſed quia tales ſuo vitio eſſe voluerunt, idcirco eis æterni ignis ſupplicia præparata. Omnipotens enim Deus non eſt auctor malorum meritorum, nec malorum hominum, nec malorum angelorum: ſed ipſi ſibi ſunt auctores mali, quod propria voluntate geſſerunt, Deus autem juſtus ultor & judex in his quæ ejus æquitate paſſuri ſunt. Præſcivit ergo æternaliter futura mala merita ipſorum, ſed præſcientia ejus non eis intulit neceſſitatem, ut aliud eſſe non poſſent, ſed tantum prævidit quod aliud eſſe nollent. Prædeſtinavit eiſdem B malignis angelis, & reprobis hominibus, perpetuas pœnas: non quia malignos & reprobos ipſe eos facit, ſed quia malignos & reprobos ſuo vitio futuros illos prævidit. & quos tales proprio vitio futuros prævidit, quid mirum ſi eos juſto judicio ſuo æternis pœnis & incendiis prædeſtinavit, ut qui volentes peccaverunt, nolentes puniantur? Non itaque in illis prædeſtinavit omnipotens Deus quæ ſibi erant facturi iniqua voluntate ſua, ſed quæ ipſe de eis erat ordinaturus æquiſſimo judicio ſuo. Nulla enim prædeſtinavit injuſta, ſed tantum juſta: injuſta vero præſcivit ut Deus futura, prædeſtinavit ut judex juſtus damnanda. Nec præſcientia tamen, nec prædeſtinatione ſua, cuiquam malorum hominum, vel angelorum, neceſſitatem impoſuit C male agendi, ſed tantummodo pro malis geſtis æternas pœnas luendi. Unde veriſſime ad eum Scriptura dicit, *Deus æterne, qui occultorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant*. & iterum de illo, *Domino enim Deo antequam crearentur omnia fuerunt cognita: ſimiliter & poſt perfectum reſpicit omnia*. & alio loco, *A ſæculo enim*, inquit, *uſque in ſæculum reſpicit, & nihil eſt novum in conſpectu ejus*. Sunt quidem in malis & damnandis aliqui reputati, qui aliud eſſe non potuerunt: ſicut illi parvuli recens nati, ſub reatu originalis peccati defuncti, quibus per baptiſmum Chriſti non potuit ſubveniri. ſicut etiam illi ignorantes Deum, qui non potuerunt invocare in quem non crediderunt, nec credere ei quem D non audierunt, nec audire ſine prædicante, nec prædicatorem habere, quia nullum ad ſe mitti meruerunt. Sed & in his non eſt iniquitas apud Deum, quia & illos traxit ad mortem originale peccatum, & iſtos & originale pariter & actuale. Ipſo tamen ubique juſto judice, qui de tota humani generis maſſa, ob primæ prævaricationis meritum juſte damnatos, alios facit vaſa miſericordiæ gratuita gratia, alios permiſit eſſe vaſa iræ juſto judicio. Sin autem hoc quæritur, ubi in Scripturis prædeſtinatio in malam partem dicatur, ipſum quidem proprie verbum tali ſenſu poſitum forſitan non facile invenitur: ſenſus tamen verbi manifeſte in pluribus locis apparet. E Sicut in primis de angelis refugis Judas B. Apoſtolus dicit, *Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, carceribus caliginis damnatos tradidit in judicium cruciandos reſervari*. & de Antichriſto Paulus Apoſtolus dicit, *Et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*. & poſt pauca, *Quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet inluſtratione adventus ſui*. De Juda quoque proditore ipſe Dominus, cum pro Apoſtolis oraret, *Et nemo ex iis periit, niſi filius perditionis, ut Scriptura impleatur*. De quo etiam Apoſtoli, orantes pro electione ſuc-

Dan. 13. 42.

Eccli. 23. 29.

Eccli. 39. 25.

Juda 6.

2. Theſſ. 2. 3.

Ibid. 8.

Joan. 17. 12.

celſioris ejus Mathiæ, ad Dominum dicunt, *Oſ-* Act. 1. 24. *tende quem ex his duobus elegeris, accipere locum miniſterii hujus, & apoſtolatum, de quo prævaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum*. Tale eſt & illud, quod per Salomonem dicitur, *Uni-* Prov. 16. 4. *verſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum*. & quod in libro Job Job. 21. 30. ſcriptum eſt, *Quia in diem perditionis ſervatur malus, & ad diem furoris ducitur*. & in libro Sapientiæ de Ægyptiis, *Ducebat enim eos ad hunc finem digna neceſſitas*. & apud Hieremiam de qui- Sap. 19. 4. buſdam, *Congrega eos quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in diem occiſionis*. Talibus etiam Hier. 12. 3. Amos Propheta dicit, *Qui ſeparati eſtis ad diem malum, & adpropinquatis ſolio iniquitatis*. Amos 6. 3. Item de filii Heli ſceleſtis & ſacrilegis dicitur, *Qui non audierunt vocem patris ſuis, quia vo-* 1. Reg. 2. 25. *luit Dominus occidere eos*. & ad Amaſiam prævaricatorem & impium regem Propheta loquitur, 2. Par. 25. 16. *Scio*, inquit, *quod cogitaverit Deus occidere te, quia feciſti hoc malum, & inſuper quod non adquieviſti conſilio meo*. Sed hæc omnia ita fideliter penſanda ſunt, ut in eis & maiorum, ſive angelorum, ſive hominum, iniquitas, & Dei vindicantis incontaminabilis juſtitia cognoſcatur. Præordinavit atque tradidit angelos malignos in judicium cruciandos reſervari: ſed exigente eorum impietate, quia non ſervaverunt ordinem & honorem ſuum, quem ſub Deo & cum Deo habere potuerunt. Et Judas præcognitus & prædictus eſt filius perditionis, ſed merito impiæ proditionis. abiit in locum ſuum, id eſt ſibi in pœnis deſtinatum & præparatum: ſed quia prævaricatus eſt de loco miniſterii & apoſtolatus. Ita non eſt mirum, ſi Antichriſtus, quia præſcitus eſt homo peccati, præcognitus etiam & prædictus eſt filius perditionis. Et malus atque impius præparatur ad diem malum, ſervatur in diem perditionis & furoris: ſed quia ipſe ſua ſponte & malus & impius exiſtet. Ducebat & Ægyptios divini judicii neceſſitas ad exitium & interirum præparatum: ſed digna, quia pro impietatibus & contumacia eorum juſta. Sic & illi, qui velut pecora æternæ morti devoti eſſe voluerunt, quidem impii manibus & verbis accerſierunt illam, congregantur quaſi grex perdirionis, & ſanctificantur, id eſt, quodammodo ſeparantur, ad diem malum, & ad diem occiſionis. Sed & impii filii Heli, & impius rex ille Amaſias, indigni habiti ſunt judicio Dei, qui conſilium ſalutis ſuæ ſuſciperent, & Deus illos occiſioni & perditioni præparavit. Sed juſte utique ob merita impietatum quæ de illis prius Scriptura commemorat, & excæcari & interire meruerunt. Ait etiam Scriptura, *Et qui tranſgreditur* Eccli. 26. 27. *a juſtitia ad peccatum, Deus præparavit illum ad romphæam*. Paravit ergo & præordinavit iſtiuſmodi tranſgreſſorem ad romphæam, id eſt ad mortem & interitum: ſed juſte, quia ipſe ultro tranſgreſſus eſt a juſtitia ad peccatum. Juxta hunc igitur divinæ auctoritatis ſenſum, omnipotens Deus juſto judicio ſuo prædeſtinat pœnas malis, prædeſtinat malos pœnis, nullum tamen prædeſtinat ut ſit malus: quia non malorum ſed bonorum auctor eſt bonus, & malorum geſtorum ultor eſt juſtus, &, ſi mala gerentes ad eum convertantur, indultor pius. Sciendum tamen, quod prædeſtinationis verbum in malam partem, ſicut in Scripturis minus eſt uſitatum, ita & a Doctoribus rarius uſurpatum. & ob hoc nequaquam magnopere de eo certandum.

Quinto loco non minus deteſtamur & horremus, quod ita exarſiſti adverſus eos qui æterno A interitu ſunt digni, ut dixeris eos tam irrevocabiliter & incommutabiliter perditioni eſſe prædeſtinatos, ſicut Deus ipſe incommutabilis, & inconvertibilis eſt: & Epiſcopos, ad quos ſcribis, quaſi miſericorditer adhortaris, ut hoc prædicent populis, ut quia jam præfinitam damnationem evadere non poſſunt, ſaltim aliquantulum Deo ſupplicent & humilientur, ut ſtatutas eis vel modicum mitiget & leviget pœnas. Obſecro, ubi hæc unquam in Scripturis ſacris legiſti? ubi in ſanctis & Catholicis Eccleſiæ doctoribus inveniſti? Cur non ſimiliter diabolum & angelos ejus exhortaris, ut quia ſtatutam damnationem evadere non potuerunt, jam nunc interim B orent & deprecentur Dominum, ut eis mitiores & tolerabiliores fiant æternæ pœnæ? aut quid amplius iſtis relinquis, quos ſimiliter irrevocabili ſententia damnatos aſſeris? Huic tam atroci impietati contradicit Eccleſiæ fides, quæ diabolum cum angelis ſuis credit inremediabiliter corruiſſe: hominibus vero, etiam impiis, ſi recognoſcant peccata ſua, ſi defleant, ſi confiteantur, ſi divinam miſericordiam implorent, indubitanter januam indulgentiæ aperiri. Sic enim Propheta docet & exhortatur dicens, *Quæ-* Eſa. 55. 6. *rite Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum prope eſt. Derelinquat impius viam ſuam. & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Deum* C *noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum*. & iterum, *Quis ambulabit in tenebris, & non* Eſa. 50. 10. *eſt lumen ei? ſperet in nomine Domini, & innitatur ſuper Deum ſuum*. Et ipſe Dominus per Mal. 3. 7. ſe, *Convertimini ad me, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum*. & alio loco, *Reverti-* Hier. 3. 22. *mini filii revertentes, & ſanabo averſiones veſtras*. Ezec. 33. 12. & iterum, *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua*. Iſta eſt fides & pietas Eccleſiæ. quia diabolum novit in malis ſuis ſine pœnitentia permanſurum, nec ullam indulgentiam accepturum: & hominibus ad Deum converſis per ineffabilem ejus bonitatem, & pœnitentiæ remedium concedi, & ſalutis aditum non negari. Oro, quid tibi D peccavit humanum genus? quid tibi peccavit Eccleſia? quid in ipſa Eccleſia tot proximi & fratres tui, ut eis tam magnam, tam patentem januam pietatis Dei obſtruere & obſerare coneris? Quis unquam fidelis Eccleſiaſticus vir ita prædicavit, ut hæc tam attente & obſtinate inculcare & confirmare non erubeſcas? Vere non eſt Chriſtiana, ſed pagana, immo diabolica iſta duritia: quam ſi bene cogitare & recognoſcere poſſes, profecto ſignares cor tuum, & manum tuam poneres ſuper os tuum. Legimus quidem in Evangelio, beatum Joannem Evangeliſtam de Judæis dixiſſe, *Propterea non pote-* Joan. 12. 39. *rant credere, quia dixit Eſaias, Excæcavit ocu-* E *los eorum, & induravit cor eorum*. Sed ſicut B. Auguſtinus in quinquageſimo ejuſdem Evangeliſtæ tractatu fideliter & Catholice exponit, "Tract. 53. in Joan. "Sic dictum eſt, *non poterant*, ubi intelligendum "eſt quod nolebant, quemadmodum dictum eſt "de Domino Deo noſtro, *Si non credimus, ille* 2. Timoth. 2. 13. "*fidelis permanet, negare ſcipſum non poteſt*. De "omnipotente dictum eſt, *non poteſt*. Sicut ergo "quod Dominus negare ſeipſum non poteſt, laus "eſt voluntatis divinæ: ita quod illi non pote- "rant credere, culpa eſt voluntatis humanæ." Non quia mutari homines in melius non poſſunt, ſed quamdiu ſuperba ſapiunt, non poſſunt credere. Hoc de Judæis, qui excæcati & indurati ſunt, Deus præſcivit, atque in-

ejus ſpiritu Propheta dixit. Non ergo poterant credere, juxta ſenſum fideliſſimi Doctoris, quia hanc eorum futuram impoſſibilitatem, id eſt ſuperbam impietatem, per quam Domini humilitatem contempſerunt, & Deus vere prævidit, & per Dei ſpiritum Propheta vere prædixit. Claudamus itaque aures adverſus hanc inauditam duritiam, & verba præcipitationis, & audiamus præfatum Doctorem dulciter orantem, & dulciter diſputantem adverſus profanæ inaniloquia vanitatis. Quoſdam, inquit, nimia ſuæ

Tract. 53. in Joan. "voluntatis fiducia extulit in ſuperbiam, & quoſdam nimia ſuæ voluntatis diffidentia dejecit in negligentiam. Illi dicunt, Ut quid rogamus Deum ne vincamur tentatione, quod in noſtra eſt poteſtate? Iſti dicunt, Ut quid conamur bene vivere, quod in Dei eſt poteſtate? O Domine, o pater qui es in cælis, ne nos inferas in quamlibet iſtarum tentationum, ſed libera nos a malo. Audiamus Dominum dicentem, *Ro-*

Luc. 22. 32. *gavi pro te Petre ut non deficiat fides tua*: ne ſic exiſtimemus fidem noſtram eſſe in libero arbitrio, ut divino non egeat adjutorio. Audia-

Joan. 1. 12. mus & Evangeliſtam dicentem, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*: ne omnino exiſtimemus in noſtra poteſtate non eſſe quod credimus. Verumtamen in utroque illius beneficia cognoſcamus. Nam & agendæ ſunt gratiæ, quia data eſt poteſtas, & orandum, ne ſuccumbat infirmitas."

Sexto loco ſimiliter deteſtati ſumus, quod Deum, & ſanctos ejus, in perditione eorum, quos æternæ damnationi prædeſtinatos adſidue repetis, dicis exultaturos & gaviſuros: cum e contrario apertiſſime Scriptura dicat, *Deus mortem non*

Sap. 1. 13. *fecit, nec lætatur in perditione vivorum*: & alio loco, *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia*

Ezech. 33. 11. *nolo mortem impii, ſed ut convertatur & vivat*. & iterum, *Numquid voluntatis meæ eſt*

Ezech. 18. 23. *mors impii, dicit Dominus Deus, & non magis ut convertatur a via ſua mala, & vivat?* Quomodo ergo lætatur in morte & in damnatione impii, cum ipſe jurat non eſſe voluntatis ſuæ? aut quomodo gaudet ad ruinam cujuſquam, qui ut nullius bono, ita etiam nullius malo indiget, ut quaſi potentior vel beatior fiat? Protuliſti quidem, velut ad muniendum ſenſum tuum, teſtimonia de Scripturis, ſed incongruenter, & non eo ſenſu quo ibi poſita ſunt. Velut eſt illud,

Prov. 1. 26. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo*. & illud, quod non de generali perditione impiorum, ut tu poſuiſti, ſed proprie de miſeria & calamitate infidelium Judæorum in Deuterono-

Deut. 28. 63. mio dicitur, *Et ſicut lætatus eſt Dominus ſuper vos, benefaciens vobis, voſque multiplicans, ſic lætabitur diſperdens vos, atque ſubvertens*. Sed grandi & pia conſideratione indiget, ut qualitercumque cogitetur riſus & ſubſannatio Dei in interitu perditorum, & lætitia ſive exultatio, non ſolum in profectu rectorum, ſed etiam in ſubverſione pravorum. qui, ut ſupra oſtenſum eſt, in nullius morte, in nullius perditione lætatur, nec aliquem perire velle ſe jurat: quia nullius interitum velut inimicus creaturæ ſuæ deſiderat, ſed in eis qui pereunt, tantummodo finem malitiæ, & ordinem ac retributionem juſtitiæ diligit. Sic itaque in interitu impiorum & iniquorum ridebit & ſubſannabit, cum eorum ſuperbiam & contemptum digna punitione humilians atque condemnans, omnem creaturæ vanitatem, & elationem adverſus creatorem, inriſione & ſubſannatione dignam eſſe monſtrabit. Unde & divina eadem verba poſita ſunt, ut non diceret, de interitu veſtro ridebo & ſubſannabo, ſed in interitu veſtro: ſcilicet non pro illo, ſed in illo. id eſt, non pro illis qui ſua culpa peribunt, ſed quia in eorum juſta perditione, in contemplatione rationalis & beatæ creaturæ, laus accreſcet & gloria creatoris, exultante omni electa creatura, non in tormentis miſerorum, ſed in æquitate & veritate judiciorum divinorum. Quod etiam in præſenti ſæculo animabus ſanctorum conceditur, dicente Pſalmiſta, *Exultaverunt filiæ Judæ propter judi-* *Pſal. 96. 8.*
cia tua Domine. Non ergo propter perditionem cujuſquam, ſed propter divinæ æquitatis juſtitiam. Hoc ſenſu accipi poteſt & illud, *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam*. & illud in *Pſal. 57. 11.*
Salomone, *Et in perditione impiorum erit laudatio*. Lætatur autem omnipotens Deus, vel be- *Prov. 11. 10.*
nefaciens juſtis, vel mala retribuens pravis. Non quod ipſe diverſa affectione mutetur, atque varietur, cujus gaudere, ſicut & eſſe, æternum atque incommutabile eſt, apud quem non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio. Sed ſicut ſpiritus patris dicitur loqui in eis quos loquentes facit, quos ad teſtificationem veritatis inſtruit & informat: qui etiam poſtulare pro ſanctis, & gemere ac deſiderare dicitur, quia eis quos rep everit affectum poſtulandi & gemendi & deſiderandi inſpirat. Ita & ipſe lætatur in ſanctis in quibus habitare dignatur, quia eos proculdubio lætantes facit, ſive in donis gratiæ quæ largitur piis, ſive in judiciis & æquitatibus, quibus impios punit. Pro quibus etſi humano affectu, ſicut Apoſtolus dicit de ſe, tanquam homines contriſtantur: tamen divino ſpiritu regente atque inluſtrante, juſta Dei judicia laudare & glorificare non ceſſant. Cum igitur tam magna, & ineffabiliter majori cautela, ut aliquatenus intelligi poſſint, divina verba indigeant, non facile a quoquam proferenda ſunt velut pro ſe, ne forſitan bene tractata inveniantur contra ſe.

Septimo loco, duo prorſus gravia mala in tuis nobis moribus plurimum diſplicuerunt. Unum, quod ſacerdotes Dei, & rectores Eccleſiarum, tantis injuriis & conviciis & maledictis laceras, tanto diſpectu & contumacia conculcas, utique ſpiritu erroris & ſuperbiæ miſerabiliter deceptus, ut omnino nihil Chriſtianæ patientiæ, nihil Chriſtianæ reverentiæ habere videaris. Nam inter cetera, omnes qui inſaniæ ſenſuum tuorum zelo fidei reſiſtunt hæreticos appellare non metuis, eoſque a bono & erudito viro atque Catholico Epiſcopo Rhabanicos nuncupare præſumis. Nec times Deum, quod in tales & tantos diaboli laqueos, per vanam inſtabilitatem mentis & corporis, & vaniorem curioſitatem atque arrogantiam incidiſti. Nec erubeſcis, quod in tot erroribus & mendaciis ab omnibus ubique deprehenderis & confutaris. Nec doles, quod ecce tot annis a corpore Eccleſiæ, juſtæ ſeveritatis damnatione præciſus, atque omni bonorum contubernio ac ſolatio defraudatus, remanſiſti velut ſtirps inutilis, & palmes aridus igni deſtinatus. Sed adhuc inſuper os tuum maledictione & amaritudine plenum eſt. & converſus in arcum pravum, non pro Domino, ut putas, ſed Eccleſiam matrem tuam, ejuſque Præſules patres tuos, ſacrilega audacia contemnens, adverſus Dominum jacularis. Alterum vero malum eſt in moribus tuis, quod in omnibus quæ dicis & ſentis, ſicut ſcriptura tua declarat, nullum omnino, hominum more bonorum, pie, & humiliter deprecaris, nullius te ſenſui & auctoritati ſummittis, nec dicis, quod

rio autem malos, & præſcivit per propriam malitiam malos futuros, & præſcivit per ſuam juſtitiam æterna ultione damnandos. Sicut præſciebat de Juda proditore quod eum eſſet traditurus,
Joan. 6. 72. ſicut Evangelium dicit, *Cum eſſet unus de duodecim*. Præſciebat etiam æternam ejus damnationem, cum diceret,
Matth. 26. 24. *Væ homini illi per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*. Sic & de impiis Judæis, præſciebat ſine dubio eorum impietatem futuram, de
Pſal. 68. 22. qua prædixit in Pſalmo, *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto*. Præſciebat & ſubſequentem ipſorum damnationem, de qua in eodem Pſalmo ſubjunxit,
Ibid. 29. *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur*. Sed in his, & in omnibus iniquis, illud prius ex propria eſt pravitate, iſtud ſequens ex divina æquitate. Hoc modo & de prædeſtinatione Dei omnino ſentiendum eſt. quia in bonis prædeſtinavit, & ipſam eorum bonitatem futuram ex dono gratiæ ſuæ, & pro eadem bonitate æternam ipſorum remunerationem, ut ipſius dono fierent boni, ipſius dono eſſent remunerati. Unde ait Apoſtolus, *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem fi-*
1. Cor. 2. 7. *liorum per Jeſum Chriſtum in ipſum*. & alio loco, *Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri ima-*
Rom. 8. 29. *ginis filii ſui*. Prædeſtinavit utique electos ſuos, ut & nunc aſſumerentur in adoptionem filiorum Dei per gratiam baptiſmi, & in futuro efficiantur conformes imaginis filii Dei, per eandem Dei gratiam ſecundum imaginem ejus renovati & glorificati. Prædeſtinavit omnino, ut & hi eſſent boni, non ex ſe, ſed ex illo, & illi beati, non per ſe, ſed per illum. In utroque ergo bona ſua in eis & de eis futura præſcivit & prædeſtinavit. In malis vero & impiis, non prædeſtinavit omnipotens Deus malitiam & impietatem, id eſt, ut mali & impii eſſent, & aliud eſſe non poſſent: ſed quos præſcivit & prævidit malos atque impios futuros proprio vitio, ipſe eos prædeſtinavit ad æternam damnationem juſto judicio. Non quia aliud eſſe non potuerunt, ſed quia aliud eſſe noluerunt. Ipſi igitur ſibimetipſis extiterunt cauſa perditionis: Deus autem juſtus judex & ordinator juſtus ipſius damnationis. Non enim prædeſtinavit injuſta, ſed juſta: prædeſtinat tamen & coronas juſtis, & pœnas injuſtis, quia utrumque eſt juſtum. Quam juſti-
Rom. 3. 5. tiam ejus commendans nobis Apoſtolus, ait, *Nunquid iniquus Deus, qui infert iram? abſit*. Et quia modo omnibus prærogat patientiam, ut convertantur ad pœnitentiam, & qui pereunt, ſuo contemptu & duritia pereunt, quia tantam Dei patientiam contempſerunt iterum alio loco dicit,
Rom. 2. 4. *An divitias bonitatis & patientiæ & longanimitatis ejus contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Secundum duritiam autem ſuam, & cor impœnitens, theſaurizat ſibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ſua. Hinc etiam alia Scriptura teſtatur,
Sap. 1. 13. & 16. dicens, *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum: impii autem manibus & verbis accerſierunt illam, & æſtimantes amicam defluxerunt & ſponſiones poſuerunt ad illam, quoniam digni ſunt qui ſint ex parte illius* Non ergo omnipotens Deus ulli hominum cauſa mortis vel perditionis extitit. ſed ipſam mortem & perditionem manibus & verbis ipſi impii ſibi accerſiunt, dum nequiter operando, & nequius aliis ſuadendo, & ſibi & illis damnationem adducunt: dum viam iniquitatis & perditionis amantes a recto itinere deflectunt, & ad perpetuam damnationem,

A tanquam datis inter ſe dextris, pari conſenſu nequitiæ, quaſi ex voto & ſponſione feſtinant. Fœderati mortis, & vitæ æternæ inimici: ipſi ſecundum duritiam ſuam, & cor impœnitens, theſaurizant ſibi iram in die iræ. In qua die juſti judicii Dei, quia unuſquiſque ſecundum opera ſua recipit, nemo ex Dei præjudicio, ſed ex merito propriæ iniquitatis, condemnatur. Non enim ille aliquem prædeſtinavit ut malus eſſet, ſed vere omnem malum prædeſtinavit ut impunitus non eſſet. Quia & unaquæque lex juſta crimen non jubet, ne ſit injuſta, & tamen criminoſum punit, ut vere ſit juſta. Qui ergo dicit, quod hi qui pereunt prædeſtinati ſunt ad perditionem, &
B ideo aliter evenire non poteſt: ſimiliter quoque & de juſtis, tanquam & ipſi ideo ſalventur, quia prædeſtinati ad ſalutem aliud eſſe non potuerunt: qui ergo hæc tam confuſe & inſulſe dicit, & illis tollit meritum damnationis, & iſtis meritum ſalutis. ac per hoc quid aliud agit, niſi ut & pereuntibus ſecundum illum ſit impoſita neceſſitas perditionis, & his qui ſalvantur, ſit impoſita neceſſitas ſalutis? atque ideo nec illi juſte damnentur, qui juſti eſſe non potuerunt, nec iſti juſte remunerentur, qui aliud quam juſti eſſe nequiverunt, ut in utraque parte & perditio & ſalus non ſit ex judicio propriæ actionis, ſed ex præjudicio divinæ præordinationis? Et ubi erit illud, *Qui reddet unicuique ſecundum opera ſua?* Rom. 2. 6.
C & iterum, *Nunquid iniquus Deus qui infert iram? abſit*. Aperte namque cauſa perditionis illorum Rom. 3. 5. qui pereunt in Deum refertur, ſi ipſe eos ita ad interitum prædeſtinavit, ut aliud eſſe non poſſent. Quod ſentire vel dicere horribilis blaſphemia eſt. Sed Eccleſiæ Catholicæ fides, cujus filii & ſectatores eſſe debemus, ita nobis firmiſſime tenendum inſinuat, ut ſuperius juxta Scripturæ ſanctæ auctoritatem breviter deſignamus. Videlicet omnipotentem Deum, in malis ipſorum malitiam præſciſſe, quia ex ipſis eſt, non prædeſtinaſſe, quia ex illo non eſt: pœnam vero illorum & præſciſſe, quia Deus eſt, & prædeſtinaſſe quia juſtus eſt. ut & in illis ſit meritum ſuæ
D damnationis, & in illo poteſtas & judicium juſtæ damnationis. Non enim prædeſtinat Deus, niſi quæ ipſe facturus eſt: præſcit vero multa quæ ipſe facturus non eſt, ſicut omnia mala, quæ utique mali faciunt, non ille. Ipſos quoque malos non ideo perire, quia boni eſſe non potuerunt, ſed quia boni eſſe noluerunt, & ſuo vitio vaſa iræ apta in interitum perſeveraverunt, & in maſſa damnationis, vel originali, vel actuali meritò permanſerunt. In bonis autem, omnipotens Deus, ſicut ſupra ſatis oſtenſum eſt, utrumque præſcivit & prædeſtinavit, ut & in præſenti vita per ſuam gratiam exiſterent boni, & in futura etiam beati. Utriuſque enim boni eorum, id eſt præſentis & futuri, ipſe eſt auctor, & idcirco ſine
E dubio utriuſque præcognitor & prædeſtinator. Quare & ipſi ex ſeipſis non ſolum aliud eſſe potuerunt, ſed etiam aliud fuerunt, antequam per eum, qui juſtificat impium, ex impiis juſti efficerentur. Sive autem in illis qui ſalvantur, ſive in illis qui pereunt, voluntas propria remuneratur, voluntas propria damnatur. Sed in illis, quia per gratiam Domini Salvatoris eſt ſanata, ut ex mala & prava fieret bona & recta, eſt proculdubio digniſſime coronata: in iſtis autem, quia non adquieſcit per Salvatorem recipere ſanitatem, juſtiſſime per eumdem judicem ſentiet perpetuam damnationem. Et hoc eſt breviter totum, quod de libero arbitrio juxta veritatem Catholicæ fidei eſt tenendum. Quod ſcilicet omnem

Rom. 11, 29. catione dictum eſt, *Sine pœnitentia enim ſunt*, id eſt ſine mutatione, *dona & vocatio Dei*. Oportet itaque ut credamus, ipſum bonum perſeverantiæ ſanctorum, non ſolum donum, ſed etiam magnum & præcipue neceſſarium Dei donum. Quid enim prodeſt in his bonis eſſe cœpiſſe, & ea ante finem vitæ vel in fine perdidiſſe?

Oportet etiam ut credamus, liberum & rectum voluntatis arbitrium, ab initio homini a Deo naturaliter inſitum, ita primæ prævaricationis merito eſſe vitiatum, infirmatum, & depravatum, ut ad amorem veritatis & juſtitiæ aſſurgere non poſſit, niſi per donum Chriſti fuerit excitatum, ſanatum, ac vegetatum, & a ſuæ pravitatis vi-
Eccl. 7. 30. tio liberatum. Hinc enim Scriptura dicit, *Creavit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus*. Et poſt hunc humanæ depra-
Gen. 8. 21. vationis lapſum quid ſubjectum ſit, eadem Scriptura ſic dicit: *Senſus enim & cogitatio humani cordis prona eſt ad malum*. Hunc itaque liberi arbitrii languorem, quo ſenſus hominis & cogitatio, ex vitio damnatæ originis, prona & intenta eſt ad malum, & ipſum liberum arbitrium tenetur captivum, ſolus ille ſanat medicus, ſolus ille liberat, & reddit liberum liberator, qui de ſeipſo
Matth. 9. 12. ait, *Non eſt opus ſanis medicus, ſed male haben-*
Joan. 8. 36. *tibus*. & iterum: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*. Ipſe liberum arbitrium reddit ſua gratia liberatum: ut ſicut erat pronum & promptum ad malum, multo attentius & delectabilius efficiatur pronum & promptum ad bonum.
2. Cor. 3. 17. De qua libertate Apoſtolus ait, *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas*.

Hæc igitur gratia, & præſcientia, & prædeſtinatio, & electio, & vocatio, ſed & liberi arbitrii dejectio & inſtauratio tam clare adnuntiata in Scripturis, fideliſſime & firmiſſime debent teneri a nobis. Quæ non ad hoc adnuntiantur, ut hominem fidelem a ſpe & fiducia ſalutis dejiciant, aut frangant: ſed ut humiliata omni humana ſuperbia, & omni de ſuis viribus præſumptione depoſita, ſubjiciat ſe unuſquiſque & commendet fideliter Deo regendum, & ejus virtute protegendum, ejus bonitate juvandum, ejus gratia conſervandum & perficiendum. quæ nulla eſt alia, niſi miſericordia & benignitas redemptoris, cujus morte vivificamur, cujus ſanguine redimimur, cujus juſtitia abſolvimur, cujus cruce ſalvamur, ut fiat in nobis, non ad deſperationem, ſed ad ſalutem, quod Apoſto-
2. Cor. 1. 9. lus ait dicens, *Sed ipſi in nobis ipſis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis, ſed*
1. Cor. 1. 30. *in Deo, qui vivificat mortuos*. & alio loco, *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*. Quatenus totum ipſe nobis ſit, & nos toti ejus ſimus, non ex parte de nobis, & ex parte de illo fidentes, & unuſquiſque noſtrum dicat
Pſal. 118. 94. ei fideliter cum Pſalmiſta, *Tuus ſum ego, ſalvum me fac*. Quid eſt enim, quod ita ſe quodammodo familiarius Deo commendandum putavit, ut diceret, *Tuus ſum ego*? niſi intelligi volens, quod malo ſuo ſuus eſſe voluerit, quod eſt inobedientiæ primum & maximum malum. Ideo tanquam dicens, Meus eſſe volui, & perditum me feci, *Tuus ſum*, inquit, *ſalvum me fac*. Conſtanter utique fidelis quiſque Chriſto crede, eique te totum committe, quantum poteſt. Nolli velle eſſe quaſi proprius, & in tua poteſtate, ſed ejus clementiſſimi & utiliſſimi domini te ſervum eſſe profitere. Ita enim te ad ſe ſublevare non deſinet, nihilque tibi evenire permittet, niſi quod tibi proſit, etiamſi neſcias. Ipſa eſt namque Dei ſapientia

A quæ loquitur & admonet dicens, *Ego mater pul-* Eccli. 24. 42. *chræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. in me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & favum. Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt*. Pro hac vir ſapiens orat dicens: *Mitte illam* Sap. 9. 10. *de ſanctis cælis tuis, & a ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret, & ſciam quid acceptum ſit apud te*.

Neque contrarium putari debet, quod in dictis S. Auguſtini, forſitan & aliorum Catholicorum Doctorum, aliquotiens inveniri ſolet, Impios quo-
B que ad æternam damnationem, ſive ad æternum interitum prædeſtinatos. Quia omnipotens Deus, quos in peccato ſuo, ſive originali, ſive etiam actuali, atque in impietate prævidit eſſe perituros, non eos ſua divina poteſtate, quaſi præjudicando prædeſtinavit ad malum, ut eos velut ipſa prædeſtinatione cogeret malos eſſe, atque ad æterna mala toleranda pervenire: ſed quos vel ex juſte in Adam damnata origine, vel etiam propria impietate, perpetuæ damnationis reos futuros eſſe præſcivit, juſto eos judicio, tanquam omnium præſcius, ad æternum interitum præordinavit, & præordinando utique prædeſtinavit. Sed jam audiamus B. Auguſtinum, quomodo & ipſe, poſt Apoſtolum
C præcipuus prædeſtinationis & gratiæ prædicator, hortetur fideles ad ſtudia pietatis, & inſtantiam orationis, ut mereantur accipere præmium vocationis. O ſi cor eſſet, inquit, qualitercumque ſu- » Tract. 30 in
ſpirans in illam ineffabilem gloriam! o ſi peregri- » Joan. in fine
nationem noſtram in gemitu ſentiremus, & ſæcu- »
lum non amaremus, & ad eum qui nos vocavit »
pia mente perpetuo pulſaremus! Deſiderium ſinus »
cordis eſt. capiemus, ſi deſiderium quantum poſ- »
ſumus extendamus. Hoc nobiſcum * ait & ſcrip » * agit.
tura divina, hoc congregatio populorum, hoc ce- »
lebratio ſacramentorum, hoc baptiſmus ſanctus, »
hoc cantica laudis Dei, hoc iſta noſtra diſputa- »
tio, ut hoc deſiderium non ſolum ſeminetur & »
germinet, verum etiam in modum tantæ capaci- »
D tatis augeatur, ut idoneum ſit ſumere, quod o- »
culus non vidit, nec auris audivit, nec in cor ho- »
minis aſcendit. Sed amate mecum. Non multum »
amat nummum, qui amat Deum. (Et ego palpa- »
vi infirmitatem. Non ſum auſus dicere, non a- »
mat nummum, ſed, non multum amat nummum: »
quaſi amandus ſit nummus, ſed non multum.) »
O ſi Deum digne amemus! nummos omnino non »
amabimus. Erit tibi nummus inſtrumentum pere- »
grinationis, non irritamentum cupiditatis: quo u- »
taris ad neceſſitatem, non quo fruaris ad delecta- »
tionem: Deum ama, ſi aliquid in te egit quod au- »
dis & lauda. Utere mundo, non te capiat mun- »
E dus. Quod intraſti iter agis. Exiturus veniſti, non »
remanſurus. Iter agis, ſtabulum eſt hæc vita. Ute- »
re nummo, quomodo viator in ſtabulo utitur men- »
ſa, calice, urceo, lectulo, dimiſſurus, non perman- »
ſurus. Si tales fueritis, erigite cor qui poteſtis, »
& audite me: Si tales fueritis, ad ejus promiſſa ve- »
nietis. Non enim multum eſt ad vos, quia magna »
eſt manus ejus qui vos vocavit. Vocavit, invoce- »
tur. Dicatur illi, Vocaſti nos, invocamus te. Ec- »
ce audivimus vocantem: audi invocantes. Perduc »
quo promiſiſti, perfice quod inchoaſti. Noli deſe- »
rere munera tua, noli deſerere agrum tuum. Ger- »
mina tua intrent in horreum. Abundant tentatio- »
nes in mundo, ſed major eſt qui fecit mundum. »
Abundant tentationes, ſed non deficit qui in illo »
ſpem ponit, in quo defectus nullus eſt.

LECTORI.

PRopter illos, quibus de prædeſtinatis hæreticis nondum perſuaſum eſt, coronidis vice hoc loco adjici placuit Fragmentum Homiliæ, vel Cæſarii Arelatenſis, cujus titulo hactenus vulgata eſt, vel, quod potius reor, Fauſti Regienſis, in quo iidem ipſi apertiſſime, tacito licet nomine, deſignantur, refelluntur.

PRÆDESTINATORUM
REFUTATIO.

Ex Homilia quinta S. Cæſarii, cujus initium Hodiernæ diei ſacro-ſancta ſolemnitas, &c. *Tomo ſecundo Bibliothecæ SS. Patrum.*

Poſt alia.

UBi ſunt qui dicunt eſſe geneſim vel ſatum, per quod in peccatum tranſire pars hominum violenta neceſſitate cogatur? Ubi ſunt qui dicunt eſſe animas, quæ cum damnatione natæ, ad mortem cogente malæ naturæ præfinitione rapiantur? Jam primum ſi ita eſt, quare malos & humana lex & divina condemnat, niſi quia vitium voluntatis in culpa eſt? Juſtitia enim non punit quod natura compellit. Sed etſi aliquis deputatus fuerit perditioni præjudicata ſorte naſcendi, ecce deſcenditur in fontem tanquam in ſepulcrum. Etiamſi mala fuiſſet natura, utique evanuiſſet in nihilum, accepiſſet deterior origo terminum, quia ſumebat melior vita principium. Hic jam videamus, quomodo nos Deus noſter de manu redemit inimici. Totus homo diluitur, abſolvitur, innovatur. Cum venerit diabolus, jam non agnoſcit ſuum, quem exinanitur expoſita natura in adoptionem Chriſti emancipavit, & in gremium patris de mali pervaſoris jure transfudit. Abſtulit ſine dubio renaſcentis gratia libertatis antiquæ opprobrium ſervitutis: nec jam obnoxii eſſe poſſumus primæ origini ſecunda nativitate nati. Quid mihi nunc, quicumque ille es, ingeris naturale Adæ vinculum, cum me in Chriſto agnoſcas renatum. Quid mihi inquam peccatum opponis alienum, ubi mihi remitti profiteris & proprium? Quid opponis mihi veteris chirographi debitum, cum illud videas nova cautione vacuatum? Cautionem enim & pactum cum Chriſto in baptiſmo fecimus, ut homo illi ſervaret A innocentiam, & ille homini redderet gloriam famulus ſervitium offeret, & Dominus regnum pararet. Quid agat inter hæc familiæ pervaſor alienæ? Videt ſervos quondam ſuos, inique a ſe occupatos, per agnitionem Chriſti ingenuitati redditos & ſe cauſæ præjudicio cecidiſſe, & plus petendi incurriſſe diſcrimen. Quomodo plus petendi? Siquidem, cum ei homo per peccati obedientiam deberetur, ille Deum ſpecie hominis deceptus appetiit, & in ipſum cæli dominatorem parricidales manus inſerre præſumpſit. & ſubito per tantum nefas etiam crimen majeſtatis incurrit, ac ſic hominem, quem violentus tenebat, proſcriptus amiſit. Proſcriptus inquam. Nam ſtatim in ipſo homine, quem redemptio in ejus originem revocavit, titulos B ſuos Chriſtus affixit. Hæc eſt illa crux, quam in poſtibus regiis, id eſt in ſignata fronte geſtamus, quam juſtiſſime in poſſeſſionem receptam dominus cardinalis & imperator legitimus impreſſit, ut nos vere dici domus divina poſſimus. Ad hominem enim per Apoſtolum ſuum 1. Cor. 3. 16. Deus loquitur, *Vos eſtis templum Dei, & ſpiritus Dei habitat in vobis*. His de cauſis præpotens & ſuperbus proſcribi meruit, qui jam ſecundo reus, ut dictum eſt, majeſtatis apparuit. Nam in excelſis factori ſuo carus, tunc divinitatis conſortium factoris immemor concupivit: nunc jam in auctorem rerum cruentas manus conſuetudine impietatis extendit. Ac ſic prædonis juſta damnatio, gratuita captivi facta eſt manumiſſio.

SANCTI AUGUSTINI SENTENTIÆ

DE PRÆDESTINATIONE ET GRATIA DEI
& de libero hominis Arbitrio,

Ante annos DCCC. *ex ejus libris collectæ,*
ac ſtudio & opera JACOBI SIRMONDI *Societatis Jeſu Presbyteri primum editæ*
anno M DC XLIX.

L E C T O R I.

*E*CLOGEM *hanc ſententiarum idem nobis vetus codex protulit, qui Amolonis nuper Epiſtolam ad Gotheſcalcum: ac niſi nos conjectura fallit, idem ipſe Amolo, qui Epiſtolæ eſt auctor, hujus quoque auctor eſt Collectionis. Cujus tu operis duplicem,* LECTOR, *pro ſolertia tua ſtatim agnoſces gratiam. Unam, quod plurimis & maximis de rebus, quæ in controverſia nunc verſantur, quid ſenſerit & docuerit Auguſtinus, ipſius Auguſtini verbis quod erat optandum patefaciet. alteram, quod verborum Auguſtini, ne malos interpretes audiamus, veram utilemque intelligentiam depromet. Sunt enimvero, ſicut olim fuerunt, qui ſub Auguſtini titulo incautos circumveniant. Neque enim cautior ille aut felicior eſſe potuit, quam Prophetæ, quam Apoſtoli & Evangeliſtæ, quorum verbis hæretici aliquando ad defendendos errores ſuos abuſi ſunt. Cæterum liceat quibus hos ſequi libet, vel Auguſtinum cum Adrumetinis monachis non intelligere, vel falſa illi affingere cum Prædeſtinatis. Nos Amolone duce Auguſtini ſententias in eam partem accipiemus, quæ Eccleſiæ placitis maxime congruat, quæ fidem fiduciamque noſtram ædificet; quæ nos Deo divinaque providentiæ totos dedat, exploſis iis, qui cum ab Auguſtino procul abſint, Auguſtini tamen nomine gloriari, ſuumque illum dicere cum Gotheſcalco non erubeſcunt.*

PRÆFATIO
OPUSCULI SEQUENTIS

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Legat fidelis quiſque fideliter ſubnexas bea-*
ti Auguſtini ſententias, quas ex libris ejus ſtudioſe collectas, & eodem Domino adju-
vante ſalubriter ordinatas, in hoc libello avide carpendas ac dulciter proponimus rumi-
nandas, ut devotus & ſimplex Lector, ne magnis & multiplicibus prædicti Patris di-
ſputationibus fatigetur, vel etiam profunditate ac perplexitate tantarum quæſtionum de-
terreatur aut perturbetur, brevi compendio diſcat unde fidem ſuam fideliter ædificet, &
actionem ſalubriter informet. Sumat itaque hæc velut alimenta ſalutis, & utatur ve-
lut unguentis ſuavitatis, quatenus ipſo uſu pietatis & devotæ ſupplicationis magis ma-
giſque quotidie experiatur quam veraciter omnibus Deum fideliter quærentibus & invo-
cantibus ſcriptura dicat, Quærite Deum, & vivet anima veſtra. *Et iterum:* *Pſal. 68. 33.*
Quærite bonum & non malum, ut vivatis: & erit Dominus exercituum *Amos. 5. 14.*
vobiſcum ſicut dixiſtis. *Et alio loco*, Lætetur cor quærentium Dominum. *1. Par. 16. 10*
quærite Dominum & confirmamini: quærite faciem ejus ſemper. *Itemque* *Pſal. 104. 4.*
alibi ipſe Dominus: Et ibitis, *inquit*, & orabitis me, & exaudiam vos. Quæ- *Hier. 29. 12.*
retis me, & invenietis, cum quæſieritis me in toto corde veſtro: & inve-
niar a vobis, dicit Dominus. *Quoniam ut Pſalmiſta ait*, Prope eſt Dominus
omnibus invocantibus eum in veritate. *Abſit enim ut doctor pietatis ideo ali-* *Pſal. 144. 18.*
quem ad hæſitationem vel diffidentiam impellere videatur, quia juxta ſcripturæ ſanctæ
fidem omnes docet, omnes hortatur, non in ſeipſis, ſed in Deo ſpem ponere, cum ſcri-
ptum ſit, Maledictus homo, qui ſpem ſuam ponit in homine. *& poſt pau-* *Hier. 17. 5.*
ca, Erit quaſi myricæ in deſerto, & non videbit cum venerit bonum. *E*
contrario autem, Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus *Hier. 17. 7.*
fiducia ejus. Et erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod
ad humorem mittit radices ſuas, *&c. Unde & in Pſalmo canitur*, Mihi au- *Pſal. 72. 28.*
tem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. *Au-*
diamus itaque fideliter, & diligentiſſime diſcamus in his breviſſimis & ſuaviſſimis
beatiſſimi patris dictis, videlicet quid ſentiendum & tenendum ſit, juxta certiſſimam
fidei Catholicæ regulam, de originali delicto ex Adam in omne humanum genus tranſ-
fuſo, de libero arbitrio in Adam vitiato & per Chriſtum ſanando, de gratia Dei
qua genus ſalvatur humanum, de modo juſtitiæ fidelium in hac vita, de utilitate
correptionis & exhortationis, de prædeſtinatione, electione, & vocatione ſanctorum,
de dono perſeverantiæ uſque in finem, quo pervenitur ad bonum quod non habet fi-
nem. Quantum etiam inter hæc adjuvetur apud Deum, & proficiat atque firmetur
vita fidelium orationibus, eleemoſynis, & ceteris ſtudiis pietatis, ut alleventur pro-
ſtrati, curentur ſaucii, erigantur eliſi, ut petendo accipiatur, quærendo inveniatur,
pulſando intretur, atque ita cooperante Dei gratia bonum certamen certetur, curſus
conſummetur, fides ſervetur, adventus Domini diligatur, & qui legitime certave-

SENTENTIÆ B. AUGUSTINI, EX LIBRIS

quos de præfatis rebus condidit ſumptæ, & in unam ſeriem diſtinctis Capitulis ordinatæ.

CAPUT PRIMUM

Ex Libro de perfectione juſtitiæ hominis, ad Eutropium & Paulum Epiſcopos.

SENTENTIA I.

A *Spe ſalvi facti ſumus. Spes autem quæ videtur* III. *non eſt ſpes. quod enim videt quis, quid ſpe-* Rom. 8. 24. *rat? Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus.* Tunc ergo erit plena juſtitia quando plena ſanitas, tunc plena ſanitas quando plena caritas. plenitudo enim legis eſt caritas. Tunc autem plena caritas, quando videbimus eum ſicuti eſt. Neque enim erit quod addatur ad dilectionem, cum fides pervenerit ad viſionem.

II.

IV. Per arbitrii libertatem factum eſt ut eſſet homo cum peccato: ſed jam pœnalis vitioſitas ſubſecuta, ex libertate fecit neceſſitatem. Unde ad Deum fidelis clamat, *De neceſſitatibus meis educ me.* Sub Pſal. 24. 17. quibus poſiti, vel non poſſumus quod volumus intelligere; vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere. Nam & ipſa libertas credentibus a liberatore promittitur. *Si vos*, inquit, *filius li-* Joan. 8. 36. *beraverit, tunc vere liberi eritis.* Victa enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura. Hinc alia ſcriptura dicit, *A quo enim quis de-* 2. Pet. 2. 19. *victus eſt, huic & ſervus addictus eſt.* Sicut ergo Matth. 9. 12. non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus, ita non eſt opus liberis liberator, ſed ſervis, ut ei Pſal. 30. 8. dicat gratulatio libertatis, Salvam feciſti de neceſſitatibus animam meam. Ipſa enim ſanitas eſt vera libertas, quæ non periſſet, ſi bona permanſiſſet voluntas. Quia vero peccavit voluntas, ſecuta eſt peccantem peccatum habendi dura neceſſitas, donec tota ſanetur infirmitas, & accipiatur tota libertas, in qua ſicut neceſſe eſt permaneat beate vivendi voluntas, ita ſit etiam bene vivendi, & nunquam peccandi, voluntaria felixque neceſſitas.

III.

V. Dominus, qui verbum conſummans & brevians Rom. 9. 28. fecit ſuper terram, in duobus præceptis dixit le- Matt. 22. 40. gem prophetaſque pendere, ut intelligeremus quicquid aliud divinitus præceptum eſt, in his duobus habere finem, & ad hæc duo eſſe referendum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex* Ibid. 37. *tota anima tua, & ex tota virtute tua. & Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. In his*, inquit, *duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ.* Quicquid ergo Dei lege prohibemur, & quicquid jubemur facere, ad hoc prohibemur & jubemur ut duo iſta compleamus. Et forte generalis prohibitio eſt, Exod. 20. 17. Non concupiſces, & generalis juſſio, Diliges. Un- Deut. 6. 5. de breviter & Apoſtolus Paulus quodam loco utrumque complexus eſt. Prohibitio eſt enim, *No-* Rom. 12. 2. *lite conformari huic ſæculo:* juſſio autem, *ſed reformamini in novitate mentis veſtræ.* Illud pertinet ad non concupiſcere, hoc ad diligere. illud ad continentiam, hoc ad juſtitiam: illud ad declinandum a malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupi- Sap. 8. 21. ſcendo enim vetuſtate expoliamur, & novitate induimur diligendo. Sed nec quiſquam poteſt eſſe continens, niſi Deus det: & caritas Dei diffundi- Rom. 5. 5. tur in cordibus noſtris, non per nos ipſos, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Hoc autem Philip. 3. 13. fit de die in diem in his qui volendo, & credendo, & invocando proficiunt, & præterita obliviſcentes in ea quæ ante ſunt extenduntur. Ad hoc enim lex iſta præcipit, ut cum in his implendis homo defecerit, non ſe extollat ſuperbia tumidus, ſed ad gratiam confugiat fatigatus: ac ſic eum lex terrendo ad Chriſtum diligendum pædagogi perducat officio.

IV.

VIII. Sic curramus ut comprehendamus. Omnes enim qui recte currunt comprehendent. non ſicut in ago- 1. Cor. 9. 24. ne theatrico, omnes quidem currunt, ſed unus accipit palmam. Curramus credendo, ſperando, B deſiderando. Curramus corpus caſtigando, & eleemoſynas, in bonis dandis, maliſque ignoſcendis, hilariter & ex corde faciendo, & currentium vires ut adjuventur orando. Et ſic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem caritatis.

V.

X. Quis neſciat, cum præceptum generale ſit caritas, quia finis præcepti eſt caritas, & plenitudo le- 1. Tim. 1. 5. gis eſt caritas, grave non eſſe quod diligendo fit, Rom. 13. 10. non timendo? Laborant autem in Dei præceptis, 1. Joan. 4. 18. qui ea timendo conantur implere. ſed perfecta caritas foras mittit timorem, & facit præcepti ſarcinam levem; non ſolum non prementem onere ponderum, verum etiam ſublevantem vice pennarum. C Quæ tamen caritas ut habeatur, etiam tanta, quanta in corpore mortis hujus haberi poteſt, Rom. 7. 25. parum eſt noſtræ voluntatis arbitrium, niſi adjuvet gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum no- Rom. 5. 5. ſtrum. Diffunditur quippe in cordibus noſtris, quod ſæpe dicendum eſt, non per nos ipſos, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Nec aliam ob cauſam ſcriptura commemorat, non eſſe gravia præcepta divina, niſi ut anima, quæ illa gravia ſentit, intelligat nondum ſe accepiſſe vires, quibus talia ſint præcepta Domini, qualia commendantur, levia ſcilicet atque ſuavia, & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facilitatis. Qui enim dicit, *Fiat cor meum immaculatum.* &, *Iti-* Pſal. 118. 80. & 133. D *nera mea dirige ſecundum verbum tuum, ne dominetur mihi omnis iniquitas.* &, *Fiat voluntas tua* * edit. Aug. & ne. *ſicut in cælo ita & in terra.* & *Ne nos inferas in tentationem*, & cetera hujuſmodi, quæ comme- Matth. 6. 10 & 13. morare longum eſt, hoc utique orat, ut præcepta Dei faciat. Quæ ut fierent nec juberetur, ſi nihil ibi noſtra voluntas ageret, nec oraretur, ſi ſola ſufficeret. Commendantur ergo non eſſe gravia, ut cui gravia ſunt, intelligat nondum ſe accepiſſe donum, quo gravia non ſint, nec arbitretur ea ſe * edit. Aug. quando. perficere, * quoniam ita facit ut gravia ſint. *Hila-* 2. Cor. 9. 7. *rem enim datorem diligit Deus.* Nec tamen cum ea

gravia ſentit, deſperando frangatur, ſed ad quærendum, petendum, pulſandumque cogatur.

V I.

X I. Aliud eſt eſſe ſine peccato, quod de ſolo in hac vita Unigenito dictum eſt: aliud eſſe ſine querela, quod de multis juſtis etiam in hac vita dici potuit. Quoniam eſt quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in iſta humana converſatione juſta querela eſſe non poſſit. Quis enim juſte queritur de homine, qui nemini male vult, & quibus poteſt fideliter conſulit, nec contra cujuſquam injurias tenet libidinem vindicandi, ut veraciter dicat, *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*? (Matth. 6. 12.) Et tamen eo ipſo quod verum dicit, Dimitte ſicut & nos dimittimus, ſine peccato ſe non eſſe declarat.

V I I.

Cuſtodit vias Dei, qui non ſic exorbitat, ut eas relinquat; (Ibid.) ſed in eis currendo proficit, etſi aliquando ut infirmus offendit aut titubat. Proficit autem minuendo peccata, donec perveniat ubi ſine peccato ſit. Non enim aliter poteſt eo modo proficere, niſi cuſtodiendo vias ejus. Declinat autem a mandatis Domini atque diſcedit apoſtata, non ille, qui etiamſi habet peccatum, confligendi tamen cum eo perſeverantiam non relinquit, donec eo perveniat ubi nulla cum morte contentio remanebit.

V I I I.

X I I. Abſtinet ſe ab omni re mala, qui peccato, ſine quo non eſt, vel nunquam omnino conſentit, vel ſi aliquando premitur, non opprimitur. ſicut luctator fortior, etſi aliquando tenetur, non ideo perdit quo ſuperior invenitur. Legitur ſane homo ſine crimine, legitur ſine querela, * & (* edit. Aug. at.) non legitur ſine peccato, niſi filius hominis, unus idemque Dei filius unicus.

I X.

X I I I. Veriſſime tunc erunt homini multa bona, cum receſſerit ab omni peccato. Tunc enim nulla erunt mala, ut non opus habeat dicere, *Libera nos a malo*. (Matth. 6. 13.) Quamvis & nunc omnis qui proficit, recta intentione proficiens, recedit ab omni peccato, & tanto inde * longinquior, quanto (* edit. Aug. ſit.) plenitudini juſtitiæ perfectionique fit propinquior. quia & ipſa concupiſcentia, quod eſt peccatum habitans in carne noſtra, etſi manet adhuc in membris mortalibus, minui tamen non deſinit in proficientibus. Aliud eſt ergo recedere ab omni peccato, quod nunc in opere eſt, aliud receſſiſſe ab omni peccato, quod in illa perfectione tunc erit.

X.

Quomodo dictum eſt, *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*, (Ibid. Pſal. 13. 3.) niſi quia populum quendam Pſalmus ille culpat, in quo nec unus erat qui faceret bonum, dum volunt remanere filii hominis, & non eſſe filii Dei, cujus gratia homo fit bonus ut faciat bonum? De illo enim bono dictum hic debemus accipere, quod ibi ait, *Deus de cælo reſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum*. (Ibid. 2.) Hoc ergo bonum, quod eſt requirere Deum, non erat qui faceret, non erat uſque ad unum, ſed in eo genere hominum, quod prædeſtinatum eſt ad interitum. Super hos enim reſpexit Dei præſcientia, protulitque ſententiam.

X I.

X I V. *Nemo bonus niſi unus Deus*. (Marc. 10. 18.) Sive quia omnia quæ creata ſunt, quamvis ea Deus fecerit bona valde, creatori tamen comparata, nec bona ſunt, cui comparata nec ſunt. altiſſimo quippe & proprio modo quodam de ſe ipſo dixit, *Ego ſum qui ſum*. (Exod. 3. 14.) Sic dictum eſt, *Nemo bonus*

A *niſi unus Deus*, quemadmodum de Joanne dictum eſt, *Non erat ille lumen*, (Joan. 1. 8.) cum Dominus eum dicat eſſe lucernam, (Joan. 5. 35.) ſicut diſcipulos quibus dixit, *Vos eſtis lumen mundi*. (Matth. 5. 14.) Sed in comparatione luminis illius, quod eſt lumen verum inluminans omnem hominem venientem in hunc mundum, (Joan. 1. 9.) non erat ille lumen. Sive quia etiam ipſi filii Dei, comparati ſibi ipſis, quales in illa perfectione æterna futuri ſunt, ita boni ſunt, ut adhuc & mali ſint, quod de illis dicere non auderem; quis enim audeat dicere malos eſſe quorum pater eſt Deus? niſi ipſe Dominus diceret, *Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis*, & reliqua. (Matth. 7. 11.) Cum ait utique *pater veſter*, filios Dei jam eſſe monſtravit, B quos tamen adhuc malos eſſe non tacuit. Unde eſt ille admonitus, qui interrogaverat quid boni faceret, ut illum quæreret, cujus gratia bonus eſſet, cui bonum eſſe hoc eſt ipſum eſſe, qui incommutabiliter bonus, non poteſt omnino malus eſſe.

X I I.

X V. Si cor noſtrum nos non reprehendat, fiduciam habemus ad Deum, & quæcumque petierimus accipiemus ab eo. (1. Joan. 3. 21.) Hoc enim agitur voluntate, credendo, ſperando, diligendo, corpus caſtigando, eleemoſynas faciendo, injurias ignoſcendo, inſtanter orando, & proficiendi vires precando, veraciterque dicendo, *Dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus*. (Matth. 6. 13.) C & *Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos a malo*. Hoc prorſus agitur, ut cor mundetur, & peccatum omne tollatur, & quod judex juſtus, cum in throno ſederit, occultum invenerit, minuſque mundatum, ejus miſericordia remittatur, ut Deo * vivendo (* edit. Aug. videndo.) totum ſanum mundumque reddatur. *Judicium enim ſine miſericordia*, ſed *illi qui non fecit miſericordiam. Superexaltat autem miſericordia judicio*. (Jac. 2. 13.) Quod ſi non eſſet, quæ ſpes eſſet? Quandoquidem cum rex juſtus ſederit in throno, quis gloriabitur ſe caſtum habere cor? aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe a peccato? Tunc ergo per ejus miſericordiam juſti, plene perfecteque D mundati, fulgebunt in regno patris ſui ſicut ſol.

X I I I.

Mundat Chriſtus Eccleſiam nunc lavacro aquæ in verbo, (Ibid. Epheſ. 5. 26.) abluens peccata præterita, & pellens ab ea dominationem malorum Angelorum. Deinde perficiens ejus ſanitates, facit eam occurrere in illam glorioſam, non habentem maculam, neque rugam. Quos enim prædeſtinavit, illos & vocavit, & quos vocavit, ipſos & juſtificavit, (Rom. 8. 30.) quos autem juſtificavit, illos & glorificavit. In hoc myſterio dictum arbitror, *Ecce ejicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſummor*, (Luc. 13. 32.) id eſt perficior. Dixit enim hoc ex perſona corporis ſui, quod eſt Eccleſia. diſponens pro diſtinctis ordinatiſque temporibus, E quod in ſua reſurrectione ſignificavit in triduo.

X I V.

Avertat ſe homo a delicto, cum proficiendo inde diſcedit, & renovatur de die in diem: & (Ibid.) rigat in opus miſericordiæ, & ab omni delicto mundet cor ſuum: miſereatur, ut quod reſtat per veniam dimittatur, Hoc enim ſalubriter, & ſine vana inanique jactantia, bene intelligitur in eo quod dixit S. Joannes, *Si cor noſtrum nos non reprehendat, fiduciam habemus ad Dominum, & quæcumque petierimus accipiemus ab eo*. (1. Joan. 3. 21.) Hoc enim videtur iſto loco admonuiſſe, ne cor noſtrum nos in ipſa oratione & petitione reprehendat. hoc eſt, ne forte cum cœperimus dicere, *Dimitte nobis ſicut & nos dimittimus*, compungamur non facere quod dicimus, aut etiam non audeamus

dicere quod non facimus, & fiduciam petendi amittamus.

X V.

Quomodo verum eſt, *Omnis qui peccat non*
XVIII. 1. Joan. 3.6. *vidit eum, neque cognovit eum*, cum ſecundum viſionem & cognitionem quæ erit in ſpecie, nemo eum in hac vita videat atque cognoſcat: ſecundum viſionem autem & cognitionem, quæ eſt in fide, multi * ſunt qui peccent, certe ipſi
* *edit. Aug.* ſint. apoſtatæ, qui tamen in eum aliquando crediderunt, ut de nullo eorum dici poſſit, ſecundum viſionem & cognitionem quæ adhuc in fide eſt, *non vidit eum, neque cognovit eum?* Sed intelligendum arbitror, quia renovatio perficienda videt & cognoſcit: infirmitas vero abſumenda, nec videt, nec cognoſcit eum. In cujus quantiſcumque reliquiis interius conſtitutis, ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.

X V I.

Ibid. Cum per gratiam renovationis filii Dei ſumus, tamen propter reliquias infirmitatis nondum apparuit quod erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam vi-
1. Joan. 3. 2. debimus eum ſicuti eſt. Tunc peccatum nullum erit, quia infirmitas nec interior nec exterior ulla remanebit. & omnis qui habet hanc ſpem in eum, ſanctificat ſe ſicut & ipſe ſanctus eſt. Sanctificat enim ſe, non per ſeipſum, ſed credendo in illum, & invocando illum, qui ſanctificat ſanctos ſuos. Cujus ſanctificationis perfectio, quæ nunc proficit, & creſcit de die in diem, omnes infirmitatis reliquias ablatura eſt.

X V I I.

XIX. Dei gratiam vel miſericordiam volumus im-
Matth. 6. 10. 13. petrare, cum dicimus, *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, ita & in terra*: vel, *Ne nos inferas in*
Rom. 9. 16. *tentationem, ſed libera nos a malo*. Ut quid enim iſta orando tanto gemitu petimus, ſi volentis hominis & currentis, non miſerantis eſt Dei? Non quia hoc ſine volutate noſtra agitur, ſed quia voluntas non implet quod agit, niſi divinitus adjuvetur. Hæc eſt fidei ſanitas, quæ nos
Luc. 11. 9. facit orare, quærere ut inveniamus, petere ut accipiamus, pulſare ut aperiatur nobis. Contra iſtam qui diſputat, contra ſeipſum claudit oſtium miſericordiæ Dei. Nolo plura dicere de re tanta, quia melius eam committo fidelium gemitibus, quam meis ſermonibus.

XVIII.

Ibid. Voluntarium noſtrum bonum eſt, cum Deus operatur in nobis & velle & operari pro bona
Philipp. 2. 13. voluntate. In Deuteronomio ſcriptum eſt, *Vitam*
Deut. 30. 15. & 19. *& mortem dedit ante faciem hominis, bonum & malum, & admonuit ut eligeret vitam*. Sed & ipſa admonitio de miſericordia venit, nec aliquid prodeſſet eligere vitam, niſi Deus eligendi caritatem inſpiraret, & electam habere præſtaret. Deo eo dictum eſt, *Quoniam ira in indi-*
Pſal. 29. 6. *Eccli.* 15. 16. *gnatione ejus, & vita in voluntate ejus*. Item dictum eſt, *Si velis præcepta, ſervabunt te*. Sed debet Deo agere gratias, quia præcepta voluit, qui deſertus omni lumine veritatis hæc velle non poſſet. Poſitis ante hominem igne & aqua, quo vult quidem porrigit manum: ſed altior eſt qui vocat altius quam omnis humana cogitatio.

X I X.

Ibid. Lex prævaricationis gratia poſita eſt, donec
Gal. 3. 19. *Rom.* 5. 20. veniret ſemen cui promiſſum eſt. Unde ſubintravit ut abundaret delictum: & ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia. Id eſt, ut acciperet homo præcepta, ſuperbe de ſuis viribus fidens. in quibus deficiens, & factus et-

A iam prævaricator, liberatorem ſalvatoremque requireret: atque ita eum timor legis humilem factum, tamquam pædagogus ad fidem gratiamque perduceret. Ita multiplicatis infirmitatibus *Pſal.* 15. 4.
poſtea acceleraverunt, quibus ſanandis opportune Chriſtus advenit. In cujus gratiam etiam juſti antiqui crediderunt, eadem ipſa gratia ejus adjuti, ut gaudentes eum prænoſcerent, & quidam etiam prænuntiarent eſſe venturum, vel in illo populo Iſrael, ſicut Moyſes, & Jeſu Nave, & Samuel, & ceteri tales, vel extra ipſum populum, ſicut Job, vel ante ipſum populum, ſicut Abraham, ſicut Noe, & quicumque alii ſunt, quos commemorat vel tacet divina ſcriptura.
B Unus enim Deus, & unus mediator Dei & ho- 1. *Tim.* 2. 5.
minum homo Chriſtus Jeſus, ſine cujus gratia nemo a condemnatione liberatur, ſive quam traxit ex illo, in quo omnes peccaverunt, ſive quam poſtea ſuis iniquitatibus addidit.

X X.

Dicitur, *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me.* XX.
non utique ad corporalia bona capeſſenda, & *Pſal.* 26. 9.
mala cavenda; ſed ad gerendam, perficiendamque juſtitiam. propter quod dicimus, *Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos a malo*. Nec adjuvatur, niſi qui & ipſe aliquid agit: adjuvatur autem ſi invocat, ſi credit, ſi ſecundum *Rom.* 8. 29.
propoſitum vocatus eſt. Quomodo quos ante præſcivit & prædeſtinavit conformes imaginis filii
C ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit, illos & vocavit. quos vocavit, illos & juſtificavit. quos autem juſtificavit, illos & glorificavit. Currimus ergo cum proficimus, dum ſanitas noſtra in proficientibus currit: ſicut etiam cicatrix currere dicitur, quando bene vulnus diligenterque curatur. ut omni ex parte perfecti, ſine ulla ſimus omnino infirmitate peccati. quod non ſolum vult Deus, verum etiam ut impleatur facit atque adjuvat. Et hoc nobiſcum agit gratia Dei per Criſtum Jeſum Dominum noſtrum, non ſolum præceptis, ſacramentis, exemplis, ſed etiam Spiritu ſancto, per quem *Rom.* 5. 21.
latenter diffunditur caritas in cordibus noſtris. *Ibid.* 5.
D qui interpellat gemitibus inenarrabilibus, donec *Rom.* 8. 26.
in nobis ſanitas perficiatur, & Deus ſicuti eſt, videndus in æterna veritate monſtretur.

X X I.

Quiſquis fuiſſe vel eſſe in hac vita aliquem XXI.
hominem, vel aliquos homines putat, excepto uno mediatore Dei & hominum, quibus neceſſaria non fuerit remiſſio peccatorum, contrarius eſt divinæ ſcripturæ, ubi Apoſtolus dicit, *Per*
unum hominem peccatum intravit in mundum, & *Rom.* 5. 12.
per peccatum mors. & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Et neceſſe eſt, ut impia contentione afferat, eſſe poſſe homines, qui ſine mediatore Chriſto, liberante atque ſalvante, ſint liberi ſalvique a peccato: cum il-
E le dixerit, *Non eſt opus ſanis medicus, ſed male* *Matth.* 9. 12.
habentibus. Non veni vocare juſtos, ſed peccato- *Luc.* 5. 32.
res.

XXII.

Quiſquis autem dicit, poſt acceptam remiſſio- *Ibid.*
nem peccatorum, ita quemquam hominem juſte vixiſſe in hac carne, vel vivere, ut nullum habeat omnino peccatum, contradicit Apoſtolo Joanni, qui ait, *Si dixerimus quia peccatum* 1. *Joan.* 1. 8.
non habemus nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Non enim ait habuimus, ſed habemus. Quod ſi quiſquam aſſerit de illo peccato dictum, quod habitat in carne noſtra mortali, ſecundum vitium quod peccantis primi hominis voluntate contractum eſt, cujus pec- *Rom.* 6. 12.

cati deſideriis ne obediamus Paulus Apoſtolus
præcipit : non autem peccare , qui eidem peccato , quamvis in carne habitanti , ad nullum
opus malum omnino conſentit , vel facti , vel
dicti, vel cogitati, quamvis ipſa concupiſcentia
moveatur, quæ alio modo peccati nomen accepit , quod ei conſentire peccare ſit , nobiſque
moveatur invitis : ſubtiliter quidem iſta diſcernit , ſed videat quid agatur de dominica oratione, ubi dicimus, *Dimitte nobis debita noſtra*.
Quod, niſi fallor, non opus eſſet dicere, ſi nunquam , vel in lapſu linguæ, vel in oblectanda
cogitatione , ejuſdem peccati deſideriis aliquantulum conſentiremus . Sed tantummodo dicendum eſſet , *Ne nos inferas in tentationem* , *ſed*
Jac. 3. 2. *libera nos a malo* . Nec Jacobus Apoſtolus diceret , *In multis offendimus omnes* . Non enim
offendit , niſi cui mala concupiſcentia contra
juſtitiæ rationem , appetendo ſeu vitando, faciendum vel dicendum vel cogitandum aliquid,
quod non debuit , ſive fallens , ſive prævalens
perſuadet . Sed plane quiſquis negat nos orare
debere, ne intremus in tentationem (negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non eſſe homini neceſſarium ,
ſed ſola lege accepta humanam ſufficere voluntatem) ab auribus omnium removendum, & ore
omnium anathemandum eſſe non dubito.

CAPUT II.

Ex Libro de Natura & Gratia , ad Timaſium & Jacobum.

SENTENTIA I.

I. JUſtitiam Dei, non in præcepto legis, qua timor incutitur, ſed in adjutorio gratiæ Chri-
Gal. 3. 24. ſti , ad quam ſolam utiliter legis , velut pædagogi, timor ducit, conſtitutam eſſe qui intelli-
Gal. 2. 21. git, ipſe intelligit quare ſit Chriſtianus . Nam
ſi per legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt . Si autem non gratis mortuus eſt, in
Rom. 4. 5. illo ſolo juſtificatur impius, cui credenti in eum
qui juſtificat impium , deputatur fides ad juſti-
Rom. 3. 23. tiam. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei*, juſtificati gratis per ſanguinem ipſius.

II.

III. Natura hominis primitus inculpata , & ſine
ullo vitio creata eſt. Natura vero iſta hominis,
qua unuſquiſque ex Adam naſcitur, jam medico indiget , quia ſana non eſt . Omnia quidem
bona , quæ habet in formatione, vita , ſenſibus ,
mente , a ſummo Deo habet creatore & artifice ſuo. Vitium vero, quod iſta naturalia bona
contenebrat & infirmat, ut inluminatione & curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum eſt , ſed ex originali peccato ,
quod commiſſum eſt libero arbitrio: ac per hoc
natura pœnalis ad vindictam juſtiſſimam pertinet.

* ſ. etſi. III.
Ibid. * Si enim jam ſumus in Chriſto nova crea-
2. Cor. 5. 17. tura, tamen *eramus natura filii iræ, ſicut & ce-*
Epheſ. 2. 3. *teri*. Deus autem, qui dives eſt in miſericordia,
propter multam dilectionem , qua nos dilexit ,
& eum eſſemus mortui delictis, convivificavit
nos Chriſto , cujus gratia ſumus ſalvi facti .

IV. Hæc * igitur Chriſti gratia, ſine qua nec in-
* edit. Aug. fantes , nec ætate grandes , ſalvi fieri poſſunt,
autem. non meritis redditur , ſed gratis datur , pro-
Rom. 3. 24. pter quod gratia nominatur. *Juſtificati*, inquit,
gratis per ſanguinem ipſius. Unde hi qui per illum non liberantur, ſive quia obedire noluerunt,
ſive etiam, cum per ætatem audire non poſſent,
lavacrum regenerationis, quod accipere poſſent ,
per quod ſalvi fierent , non acceperunt , juſte
utique damnantur, quia ſine peccato non ſunt,
vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis
moribus addiderunt . Omnes enim peccaverunt,
ſive in Adam, ſive in ſeipſis, & egent gloria Dei.

Univerſa igitur maſſa pœnas debet; & ſi om- V.
nibus debitum damnationis ſupplicium redderetur,
non injuſte proculdubio redderetur. Qui ergo inde
per gratiam liberantur , non vaſa meritorum ſuo-
rum , ſed vaſa miſericordiæ nominantur . Cujus Rom. 9. 23. 1. Tim. 1. 15.
miſericordiæ, niſi illius, qui Chriſtum Jeſum mi- Rom. 8. 29.
ſit in hunc mundum peccatores ſalvos facere ,
quos præſcivit & prædeſtinavit , & vocavit, &
juſtificavit, & glorificavit? Quis igitur uſque adeo dementiſſime inſaniat , ut non agat ineffabiles gratias miſericordiæ quos voluit liberantis,
qui recte nullo modo poſſet culpare juſtitiam univerſos omnino damnantis?

IV.

Si ſecundum ſcripturas ſapiamus, non cogimur VI.
contra Chriſtianam gratiam diſputare, & ea dicere, quibus demonſtrare conemur, naturam humanam, neque in parvulis medico indigere, quia
ſana eſt, & in majoribus ſibi ipſam ad juſtitiam,
ſi velit, poſſe ſufficere. Acute quippe videntur 1. Cor. 1. 17.
hæc dici , ſed in ſapientia verbi , qua evacua- Jac. 3. 15.
tur crux Chriſti. nec eſt iſta ſapientia de ſurſum deſcendens.

V.

In ſcripturis novi Teſtamenti diſcimus, hanc XII.
eſſe intentionem legis arguentis, ut propter illa
quæ perperam fiunt , confugiatur ad gratiam
Domini miſerantis , velut pædagogo concluden- Gal. 3. 23.
te in eadem fide, quæ poſtea revelata eſt , ubi
& remittuntur quæ male fiunt, & eadem gratia juvante non fiunt .

VI.

Quantum eſt in homine linguæ malum , ut a
nullo homine domari poſſit, cum ab hominibus XV.
domentur & beſtiæ? Neque hoc ideo dixit Apoſtolus, ut hujus in nos mali dominationem per
negligentiam permanere patiamur : ſed ut ad
domandam linguam divinæ gratiæ poſcamus auxilium. Non enim ait, *Linguam nullus domare* Jac. 3. 8.
poteſt , ſed *nullus hominum*, ut cum domatur,
Dei miſericordia, Dei adjutorio, Dei gratia fieri fateamur . Conetur ergo anima domare linguam, & dum conatur petat auxilium, & oret
lingua ut dometur lingua, donante illo qui dixit ad ſuos, *Non enim vos eſtis qui loquimini*, Matt. 10. 20.
ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis .
Itaque præcepto facere commonemur , quod conantes , & noſtris viribus non valentes , adjutorium divinum precemur.

VII.

Si quis autem veſtrum indiget ſapientia , *po-* XVI.
ſtulet a Deo, *qui dat omnibus affluenter* , *& non* Jac. 1. 5.
improperat , *& dabitur ei* . *Poſtulet in fide nihil hæſitans* . Hæc eſt fides , ad quam præcepta
compellunt, ut lex imperet , fides impetret.

VIII.

Oratio Dominica utrumque petendum eſſe XVIII.
* commemorat, & ut dimittatur nobis debita no- * edit. Aug.
ſtra , & ut non * inducamur in tentationem . eum com-
Illud, ut præterita expientur, hoc ut futura vi- moneat.
tentur . Quod licet non fiat , niſi voluntas ad- * edit. Aug.
ſit, tamen ut fiat voluntas ſola non ſufficit . Ideo inferamur.
pro hac re nec ſuperflua , nec impudens Domino
immolatur oratio. Nam quid ſtultius, quam orare ne facias quod in poteſtate habeas?

IX.

XXII. Prævaricatorem legis digne lux deſerit veritatis. qua deſertus utique cæcus, & plus neceſſe eſt offendat, & cadendo vexetur, vexatuſque non ſurgat. Ut ideo tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.

X.

XXIII. Moleſtiis exercitata vita juſtorum ſplendidius enituit, & eas per patientiam ſuperando majorem gloriam comparavit. ſed adjuta gratia Dei, adjuta ſpiritu Dei, adjuta miſericordia Dei. non ſuperba voluntate ſe extollens, ſed humi-
Pſal.70.5. li confeſſione fortitudinem promerens. Noverat enim Deo dicere, *Quoniam tu es patientia mea*.

XXV. XI.

Utinam non fuiſſet miſeria, ne iſta eſſet miſericordia neceſſaria. Sed iniquitatem peccati, tanto graviorem, quanto facilius homo non peccaret, quem nulla adhuc tenebat infirmitas, pœna juſtiſſima ſubſecuta eſt, ut mercedem mu-
Rom.7.23. tuam peccati ſui in ſemetipſo reciperet, amittens ſub ſe poſitam ſui corporis quodammodo obedientiam, quam præcipuam ſub dominio ſuo ipſe contempſerat. Et quod nunc eadem lege peccati naſcimur, quæ in membris noſtris repugnat legi mentis, neque adverſus Deum murmurare, neque contra rem manifeſtiſſimam diſputare, ſed pro pœna noſtra illius miſericordiam quærere & orare debemus.

XII.

XXVI. Sicut vulnere, verbi gratia, claudicans ideo curatur, ut ſanato malo præterito, futurus dirigatur inceſſus: ſic mala noſtra non ſolum ad hoc ſupernus medicus ſanat, ut illa jam non ſint, ſed ut de cetero recte ambulare poſſimus. Quod quidem etiam ſani non niſi illo adjuvante poterimus.

XIII.

Ibidem. Medicus homo cum ſanaverit hominem, jam de cetero ſuſtentandum elementis & alimentis corporalibus, ut eadem ſanitas apto ſubſidio convaleſcat, atque perſiſtat, Deo dimittit, qui præbet iſta in carne viventibus, cujus erant etiam illa, quæ dum curaret adhibebat. Non enim quemquam medicus ex his rebus quas ipſe creaverit ſanat, ſed ex illius opibus qui creat omnia neceſſaria ſanis atque vitioſis. Ipſe
1.Tim.2.5. autem Deus, cum per mediatorem Dei & ho-
* edit. Aug. ſpiritualiter. minum hominem Jeſum Chriſtum * ſpiritalem ſanat ægrum, vel vivificat mortuum, id eſt,
* edit. Aug. cum. juſtificat impium, & * eum ad perfectam ſanitatem, hoc eſt ad perfectam vitam juſtitiamque perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, ut pie ſemper juſteque vivatur. Sicut enim oculus corporis, etiam pleniſſime ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere; ſic homo etiam perfectiſſime juſtificatus, niſi * æterna luce
* edit. Aug. æternæ juſtitiæ luce. divinitus adjuvetur, recte non poteſt vivere.

XIV.

XXVII. Propter voluntatem noſtram, ſine qua bene non poſſumus operari, cito poteſt ſubrepere animo humano, ut quod bene operatur, ſuum tantummodo exiſtimet, & dicat in abundantia ſua,
Pſal. 29.7. Non movebor in æternum. Ideo qui in voluntate ſua præſtiterat decori ejus virtutem, avertit faciem ſuam paululum, ut qui hoc dixerat
* edit. Aug. ipſis. fieret conturbatus. quoniam * ipſe eſt ille tu-
XXVIII. mor ſanandus doloribus. Non itaque dicitur homini, neceſſe eſt peccare, ne pecces; ſed dicitur homini, deſerit aliquantum Deus, unde ſuperbis, ut ſcias non tuum, ſed ejus eſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe.

A

XV.

Vitium quo peccatum committitur, nondum XXX.
omni ex parte ſanatum eſt. Quod quidem ut inoleſceret, de non recte uſa ſanitate deſcendit. Ex quo vitio jam male valens, vel infirmitate, vel cæcitate plura committit. Pro quo ſupplicandum eſt ut ſanetur, * ut deinceps in * edit. Aug. &
perpetua ſanitate vivatur: non ſuperbiendum, quaſi homo eadem poteſtate ſanetur, qua poteſtate vitiatus eſt.

XVI.

Ipſam ſuperbiam, quæ in recte factis animo XXXI.
inſidiatur humano, non cito Deus ſanat. Pro qua ſananda illi piæ animæ cum lacrymis & magnis gemitibus ſupplicant: ut ad eam ſuperandam,

B

& quodammodo calcandam & obterendam, dexteram conantibus porrigat. cum extrema ejus umbra illo meridie quantum arbitror abſorbebitur. Qui meridies ſcriptura dicen- Pſal. 36. 6.
te promittitur, *Et educet quaſi lumen juſtitiam tuam, & judicium tuum ſicut meridiem*, ſi fiat * edit. Aug.
quod ſupra ſcriptum eſt, *Revela * Domino viam* ad Dominum.
tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet.

XVII. Pſal.36.5.

Operamur & nos, ſed Deo operante cooperamur: quia miſericordia ejus prævenit nos. Ibidem.
Prævenit autem ut ſanemur, quia & ſubſequetur ut etiam ſanati vegetemur. Prævenit ut vocemur, ſubſequetur ut glorificemur. Prævenit ut pie vivamus, ſubſequetur ut cum illo ſemper vi-

C

vamus; quia ſine illo nihil facere poſſumus. U- Pſal.58.11.
trumque enim ſcriptum eſt, &, *Deus meus, mi-* Pſal. 22.6.
ſericordia ejus præveniet me: &, *Miſericordia tua ſubſequitur me per omnes dies vitæ meæ*.

XVIII.

Revelemus ad Dominum viam noſtram con- Ibidem.
feſſione, non defenſione laudemus. Si enim non eſt ipſius via ſed noſtra, proculdubio non eſt recta. Revelemus eam confitendo, quia non eum latet, etiamſi operire conemur. Bonum eſt autem confiteri Domino. Ita enim quod ei pla- Pſal.91.2.
cet dabit nobis, ſi quod ei diſplicet in nobis, XXXII.
diſpliceat & nobis. *Avertet*, ſicut ſcriptum eſt,
ſemitas noſtras a via ſua, & noſtram faciet eſſe Pſal.43.19.

D

quæ ſua eſt: quoniam ab ipſo præbetur credentibus in eum, & ſperantibus in eum, ut ipſe faciat.

XIX.

Non debemus ſic laudare creatorem, ut co- XXXIV.
gamur dicere, immo * vere convincamur dicere * Aug. M. S. vero.
ſuperfluum ſalvatorem. Naturam itaque hominis dignis laudibus honoremus, eaſque laudes ad creatoris gloriam referamus. Sed quia nos creavit, ita ſimus grati, ut non ſimus quia ſanat ingrati. Vitia ſane noſtra quæ ſanat, non divino operi, ſed humanæ voluntati, juſtæque illius vindictæ tribuamus. Sed ut in no-

E

ſtra poteſtate fuiſſe ne * accederent confitemur, * edit. Aug. acciderent
ita, ut ſanentur in illius magis eſſe miſericordia, quam in noſtra poteſtate fateamur.

XX.

Quorumdam exempla, quos peccaſſe legimus, XXXV.
non ideo ſcripta dicit qui ſanum ſapit, ut ad deſperationem non peccandi valeant, & ſecuritatem peccandi nobis quodammodo præbere videantur: ſed ut diſceremus, vel pœnitendi humilitatem, vel etiam in talibus lapſibus non deſperandam ſalutem. Quidam enim in peccata prolapſi deſperatione plus pereunt. nec ſolum pœnitendi negligunt medicinam, ſed ad explenda inhoneſta & nefaria deſideria ſervi libidinum & ſceleratarum cupiditatum fiunt. quaſi perdant, ſi non fecerint quod inſtigat libido, cum

eos jam maneat certa damnatio. Adverſus hunc morbum, nimium periculoſum & exitiabilem, valet commemoratio peccatorum, etiam in quæ juſti ſanctique prolapſi ſunt.

XXI.

Ibidem. Non fruſtra etiam juſtos in oratione dicere,
Matth. 6. 12. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, Dominumque Chriſtum, eum eandem orationem docendo expliculſſet, veraciſſime ſubdidiſſe, *Si enim dimiſeritis homini-*
Matth. 6. 14. *bus peccata, dimittet vobis pater veſter peccata veſtra*. Per hoc enim quotidianum ſpiritale quodammodo incenſum, quod ante Deum in altare cordis, quod ſurſum habere admonemur, infertur, etiamſi non hic vivatur ſine peccato, licet mori ſine peccato, dum ſubinde venia deletur, quod ſubinde ignorantia vel infirmitate committitur.

XXII.

XLIII. Deus tam bonus, quam juſtus, talem hominem fecit, qui peccato carere ſufficeret, ſed ſi voluiſſet. Quis enim eum neſcit ſanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad juſte vivendum poteſtate libera conſtitutum? Sed nunc de illo agitur, quem ſemivivum la-
Luc. 10. 30. trones in via reliquerunt. Qui gravibus ſaucius confoſſuſque vulneribus, non ita poteſt ad juſtitiæ culmen aſcendere, ſicut potuit inde deſcendere, qui etiamſi jam in ſtabulo eſt, adhuc curatur. Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.

XXIII.

XLIV. Ea fides juſtos ſanavit antiquos, quæ ſanat & nos, id eſt, mediatoris Dei & hominum hominis Chriſti Jeſu. Fides ſanguinis ejus, fides mortis ejus, & reſurrectionis ejus. *Habentes er-*
1. Cor. 2. 2. *go eundem ſpiritum fidei, & nos credimus, propter quod & loquimur*.

XXIV.

LV. Dimitte hominem, clamet quod clamabat. Non enim tantum deſiderat, ut per indulgentiam fit de præteritis impunitus, ſed etiam ut ſit de cætero ad non peccandum fortis & vali-
Rom. 7. 22. dus. Condelectatur enim legi Dei ſecundum interiorem hominem. Videt autem aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ. Videt eſſe, non recolit fuiſſe. præſentibus urgetur, non præterita reminiſcitur. Nec tantum repugnantem videt, verum etiam captivantem ſe in lege peccati, quæ eſt in membris ejus, non quæ fuit. Hinc eſt quod clamat, *Infelix*
Rom. 7. 24. *homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Sinatur orare, ſinatur adjutorium medici potentiſſimi flagitare: quid contradicitur? quid obſtrepitur? quid miſer miſericordiam Chriſti petere prohibetur?

XXV.

LXVII. Adjutorium poſtulamus dicentes, *Ne nos in-*
Matth. 6. 13. *feras in tentationem*. Quod adjutorium non poſceremus, ſi reſiſti nullo modo poſſe crederemus. Poteſt peccatum caveri, ſed opitulante illo, qui non poteſt falli. Nam & hoc ipſum ad cavendum peccatum pertinet, ſi veraciter dicimus, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Duobus enim modis etiam in corpore cavetur morbi malum. & ut non accidat, & ut ſi acciderit, cito ſanetur. Ut non accidat caveamus dicendo, *Ne nos inferas in tentationem*: ut cito ſanetur, caveamus dicendo, *Dimitte nobis debita noſtra*.

XXVI.

Ibidem. Recte enim fortaſſe quererentur homines, ſi

A erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret. Cum vero ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis.

XXVII.

Valde bona ſunt præcepta, ſi legitime his LXIX.
utamur. Eo quippe ipſo, quo firmiſſime credi- 1. Tim. 1. 8.
tur, Deum juſtum & bonum impoſſibilia non
B potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia caritati, cui uni Chriſti ſarcina levis eſt, aut ea una eſt ſarcina ipſa quæ levis eſt. Secundum hoc dictum
eſt, *& præcepta ejus gravia non ſunt*, ut cui gra- 1. Joan. 5. 3.
via ſunt, conſideret non potuiſſe divinitus dici, *gravia non ſunt*, niſi quia poteſt eſſe cordis affectus cui gravia non ſint, & petat quo deſtituitur, ut impleat quod jubetur.

XXVIII.

Quomodo dicitur, *Propter verba labiorum* Ibidem
tuorum ego cuſtodivi vias duras, niſi quia ut- Pſal. 16. 4.
umque verum eſt? Duræ timori ſunt, leves
amori. Caritas ergo inchoata, inchoata juſtitia LXX.
C eſt: caritas provecta, provecta juſtitia eſt: caritas magna, magna juſtitia eſt: caritas perfecta, perfecta juſtitia eſt. Sed caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. quæ tunc maxima eſt in hac vita, quando pro illa ipſa contemnitur vita.

CAPUT III.

Ex epiſtolis & libro de Gratia & libero arbitrio, ad Valentinum monachum.

SENTENTIA I.

PRimo Dominus Jeſus, ſicut ſcriptum eſt in
D Evangelio Joannis Apoſtoli, non venit ut Epiſt. I.
judicaret mundum, ſed ut ſalvaretur mundus
per ipſum. Poſtea vero, ſicut ſcribit Paulus
Apoſtolus, judicabit Deus mundum, quando Joan. 3. 17.
venturus eſt, ſicut tota Eccleſia in ſymbolo
confitetur, judicare vivos & mortuos. Si ergo 2. Tim. 4. 1.
Dei gratia non eſt, quomodo ſalvat mundum? Rom. 3. 6.
& ſi non eſt liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?

II.

Soli parvuli, qui nondum habent opera pro- Epiſt. II.
pria, vel bona, vel mala, ſecundum ſolum originale peccatum damnabuntur, quibus per lava-
E crum regenerationis non ſubvenit gratia ſalvatoris. Ceteri autem omnes, qui jam utentes libero arbitrio, ſua propria peccata originali peccato inſuper addiderunt, ſi de poteſtate tenebrarum per gratiam Dei non eruantur, nec transferantur ad regnum Chriſti, non ſolum ſecundum originis, verum etiam ſecundum propriæ voluntatis merita, judicium reportabunt. Boni vero etiam ipſi quidem ſecundum bonæ voluntatis ſuæ merita præmium conſequentur: ſed etiam ipſam bonam voluntatem per Dei gratiam conſecuti ſunt. Ac ſic * implebitur quod
ſcriptum eſt, *Ira & indignatio, tribulatio & an-* * edit. Ant. impletur.
guſtia in omnem animam hominis operantis malum, Rom. 2. 8.
Judæi primum & Græci.

III.

Ibidem. Fides ſane Catholica, neque liberum arbitrium negat, ſive in vitam malam, ſive in bonam: neque tantum ei tribuit, ut ſine Dei gratia valeat aliquid, ſive ut ex malo convertatur in bonum, ſive ut in bono perſeveranter proficiat, ſive ut ad bonum ſempiternum perveniat, ubi jam non timeat ne deficiat

IV.

Ibidem. Hebr.12.13. Prov.4.26. Sic intellige quod tibi præceptum eſt, *Rectos curſus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige*, ut noveris, cum hoc facis, a Domino Deo tibi præſtari ut hoc facias, & non declinabis ad dexteram, quamvis ambules in viis dextris, non confidens in virtute tua, & ipſe erit virtus tua, qui rectos faciet curſus tuos, & itinera tua in pace producet. Quapropter quicumque dicit, Voluntas mea mihi ſufficit ad facienda opera bona, declinat in dexteram. Sed rurſus illi qui putant bonam vitam eſſe deferendam, quando audiunt ſic Dei gratiam prædicari, ut credatur & intelligatur voluntates hominum ipſa ex malis bonas facere, ipſa etiam quas fecerit cuſtodire, in ſiniſtram declinant.

V.

II. *Ex libro de gratia, & Libero arbitrio.*

Solet dicere humana ſuperbia, ſi ſciſſem, feciſſem: ideo non feci, quia neſcivi. aut ſi ſcirem, facerem: ideo non facio, quia neſcio. Hæc eis excuſatio tollitur, quando præceptum datur, vel ſcientia non peccandi manifeſtatur. Sed ſunt homines, qui etiam de ipſo Deo ſe excuſare conantur. Quibus dicit Apoſtolus Jacobus, Jac.1.13. *Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentor. Deus enim intentator malorum eſt. ipſe autem neminem tentat. unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Dein concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Item de ipſo Deo ſe excuſare volentibus, reſpondit liber Proverbiorum Salomonis, Prov.19.3. *Inſipientia viri violat vias ejus. Deum autem cauſatur in corde ſuo.* Et liber Eccleſiaſticus dicit, *Ne dixeris quia propter Dominum receſſi: quæ enim odit ne* Eccli.15.11. *facias. Ne dixeris quia ipſe me induxit: Non enim opus habet viro peccatore. Omne execramentum odit Dominus, & non eſt amabile timentibus illum. Ipſe ab initio fecit* illum, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Si volueris, ſervabit mandata, & fidem bonam placiti.*

* edit. Aug. hominem.

VI.

Ibidem. Nemo Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque cum peccat. neque cum aliquid ſecundum Deum operatur, alienet hoc a propria voluntate. Quando enim volens facit, tunc dicendum eſt opus bonum, tunc ſperanda eſt boni operis merces ab eo, de quo dictum eſt, Rom.2.6. *Qui reddet unicuique juxta opera ſua.*

VII.

III. Gravius peccare hominem ſcientem, quam neſcientem, Nec tamen ideo confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras ut in eis quiſque requirat Pſal.35.4. excuſationem. Aliud eſt enim neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe. Voluntas quippe arguitur in eo de quo dicitur, *Noluit intelligere ut bene ageret.* Sed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non Pſal.78.6. audivit omnino quid crederet: ſed fortaſſe ut mitius ardeat. Non enim ſine cauſa dictum eſt, *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt.* & 2.Theſſ.1.8. illud quod ait Apoſtolus, *Cum venerit in flamma* A *ignis dare vindictam in eos qui ignorant Deum.*

VIII. IV.

Metuendum eſt, ne divina teſtimonia in defenſione liberi arbitrii ſic intelligantur, ut ad vitam piam & bonam converſationem, cui merces æterna debetur, adjutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur. ut audeat miſer homo, quando bene vivit & bene operatur, vel potius bene vivere & bene operari ſibi videtur, in ſeipſo non in Domino gloriari, & ſpem recte vivendi in ſeipſo ponere. ut ſequatur eum maledictum Hier.17.5. Hieremiæ Prophetæ dicentis, *Maledictus homo qui ſpem habet in homine, & firmat carnem brachii ſui, & a Domino diſcedit cor ejus.* B Quia enim non dixit Propheta, Maledictus homo qui ſpem habet in ſeipſo, poſſet alicui videri, ideo dictum eſſe, Maledictus homo qui ſpem habet in homine, ut nemo habeat ſpem in altero homine, ſed in ſe. Ut ergo oſtenderet, ſic ſe admonuiſſe hominem, ut nec in ſeipſo haberet ſpem, propterea cum dixiſſet, Maledictus homo qui ſpem habet in homine, mox addidit, *& firmat carnem brachii ſui.* Brachium pro potentia poſuit operandi: in nomine autem carnis intelligenda eſt humana fragilitas. Ac per hoc firmat carnem brachii ſui, qui potentiam fragilem atque invalidam, id eſt humanam, ſufficere ſibi ad bene operandum putat, nec adjutorium ſperat a Domino. Propter hoc C enim ſubjecit, *& a Domino diſcedit cor ejus.* Nos ergo ad bene operandum ſpem non habeamus in homine, firmantes carnem brachii noſtri: Pſal.26.9. nec a Domino diſcedat cor noſtrum, ſed ei dicat, *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus.*

IX. Ibidem. 1.Cor.15.57.

Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Ergo & victoria, qua peccatum vincitur, nihil eſt aliud quam Dei donum, in iſto certamine adjuvantis liberum arbitrium.

X. Ibidem.

Dicat cæleſtis magiſter, *Vigilate, & orate ne* Matth.26.41. *intretis in tentationem.* Ergo unuſquiſque contra D ſuam concupiſcentiam dimicans, oret ne intret in tentationem, id eſt, ne ſit ab illa abſtractus & illectus. Non autem intrat in tentationem, ſi voluntate bona vincat concupiſcentiam malam. Nec tamen ſufficit arbitrium voluntatis humanæ, niſi a Domino victoria concedatur oranti ne intret in tentationem. Quid vero evidentius, quam Dei oſtenditur gratia, ubi quod oratur accipitur? Si enim dixiſſet ſalvator noſter, Vigilate ne intretis in tentationem, admonuiſſe tantummodo videretur hominis voluntatem: cum vero addidit *& orate*, oſtendit E Deum adjuvare ne intretur in tentationem.

XI. V.

Niſi Dei donum eſſet etiam ipſa ad Deum noſtra converſio, non ei diceretur, *Deus virtutum converte nos*, Pſal.79.8. &, *Deus tu convertens vivificabis nos*, Pſal.84.7. &, *Converte nos Deus ſanitatum noſtrarum*, Pſal.84.5. & hujuſmodi alia, quæ commemorare longum eſt. Nam & venire ad Chriſtum, quid eſt aliud, niſi ad eum credendo converti? & Joan.6.66. tamen ait, *Nemo poteſt venire ad me, niſi datum fuerit a Patre meo.*

XII. VI.

Probatur gratia Dei non ſecundum merita noſtra dari, quandoquidem non ſolum nullis bonis, verum etiam multis meritis malis præcedentibus videmus datam, & quotidie videmus dari. Sed plane cum data fuerit, incipiunt

eſſe etiam merita noſtra bona. per illam tamen.
Nam ſi ſe illa ſubtraxerit, cadit homo, non
erectus, ſed præcipitatus libero arbitrio. Qua-
propter nec quando cœperit homo habere merita
bona, ſibi debet tribuere illa, ſed Deo cui dici-
Pſal. 26. 9. tur, *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me.*

X I I I.

Ibidem. Neceſſarium eſt homini, ut gratia Dei non
ſolum juſtificetur impius, id eſt ex impio fiat
juſtus, cum redduntur ei bona pro malis: ſed
etiam, cum fuerit jam juſtificatus ex fide, am-
bulet cum illo gratia, & incumbat ſuper ipſam
ne cadat. Propter hoc ſcriptum eſt in Cantico
Cant. 8. 5. canticorum de ipſa Eccleſia, *Quæ eſt iſta, quæ
aſcendit dealbata, incumbens ſuper fratruelem ſu-
um?* Dealbata eſt enim, quæ per ſeipſam alba eſ-
ſe non poſſet. Et a quo dealbata eſt, niſi ab illo,
Eſa. 1. 18. qui per Prophetam dicit, *Si fuerint peccata veſtra
ut phœnicium, ſicut nivem dealbabo?* Quando er-
go dealbata eſt, nihil boni merebatur. Jam ve-
ro alba facta, bene ambulat. ſed ſi ſuper eum, a
quo dealbata eſt, perſeveranter incumbat. Pro-
pter quod & ipſe Jeſus, ſuper quem incumbit
Joan. 15. 5. dealbata, dixit diſcipulis ſuis, *Sine me nihil
poteſtis facere.*

X I V.

Ibidem. Dona ſua coronat Deus, non merita tua, ſi
tibi a te ipſo, non ab illo, ſunt merita tua.
Hæc enim ſi talia ſunt, mala ſunt, quæ non co-
ronat Deus. ſi autem bona ſunt, Dei dona ſunt:
Jac. 1. 17. quia ſicut dicit Apoſtolus Jacobus, *Omne da-
tum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum
eſt, deſcendens a patre luminum.* Unde dicit &
Joan. 3. 27. Joannes præcurſor Domini noſtri, *Non poteſt ho-
mo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cæ-
lo.* Utique de cælo, unde etiam venit ſpiritus,
quando Jeſus aſcendit in altum, captivavit ca-
ptivitatem, dedit dona hominibus.

X V.

VIII. Vita bona noſtra nihil eſt aliud quam Dei gra-
tia. Sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ
redditur, Dei gratia eſt. Et ipſa enim gratis
datur, quia gratis data eſt illa cui datur. Sed
illa cui datur tantummodo gratia eſt: hæc autem
quæ illi datur, quoniam præmium ejus eſt, gratia
eſt pro gratia, tanquam merces pro juſtitia.

X V I.

XI. Quando ſpiritu actiones carnis mortificatis ut
vivatis, illum glorificate, illum laudate, illi gra-
XII. tias agite, cujus ſpiritu agimini, ut iſta valeatis,
Rom. 8. 14. & vos filios Dei eſſe monſtretis. *Quotquot enim
ſpiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei.* Quotquot
ergo adjuncto ſolo adjutorio legis, ſine adjuto-
rio gratiæ, confidentes in virtute ſua ſuo ſpiri-
tu aguntur, non ſunt filii Dei.

X V I I.

XIV. Neque ſcientia divinæ legis, neque natura,
neque ſola remiſſio peccatorum, eſt illa gratia
quæ per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum da-
tur: ſed ipſa facit, ut lex impleatur, & natu-
ra liberetur, ne peccatum dominetur.

X V I I I.

Ibidem. Quod lex jubet facere non valemus, niſi per
fidem rogando impetremus ut facere valeamus.
Nam ſi fides liberi eſt tantummodo arbitrii,
nec datur a Deo, propter quid pro eis qui no-
lunt credere, oramus ut credant? Quod prorſus
faceremus inaniter, niſi rectiſſime crederemus,
etiam perverſas, & fidei contrarias voluntates,
omnipotentem Deum ad credendum poſſe con-
vertere.

X I X.

X V. Meminerimus Deum dicere, *Convertimini, &*
A *vivetis*, cui dicitur, *Converte nos Deus*. Memi- Pſal. 84. 5.
nerimus Deum dicere, *Projicite a vobis omnes
impietates veſtras*, cum ipſe juſtificet impium. Ezech. 18. 31.
Meminerimus ipſum dicere, *Facite vobis cor no-
vum & ſpiritum novum*, qui dicit, *Dabo vobis
cor novum, & ſpiritum novum dabo vobis*.
Quomodo ergo* quod dicit, *facite vobis*, hoc Ezech. 36. 26
dicit *dabo vobis?* quare jubet, ſi ipſe daturus * edit. Aug.
eſt? quare dat, ſi homo facturus eſt? niſi quia dat qui,
quod jubet, cum adjuvat ut faciat cui jubet.

X X.

Semper eſt in nobis voluntas libera, ſed non Ibidem
ſemper eſt bona. Aut enim a juſtitia libera eſt
quando ſervit peccato, & tunc eſt mala: aut
B a peccato libera eſt quando ſervit juſtitiæ, &
tunc eſt bona. Gratia vero Dei ſemper eſt bona.
per hanc fit ut ſit homo voluntatis bonæ, qui prius
fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut
ipſa bona voluntas, quæ jam eſſe cœpit, au-
geatur, & tam magna fiat, ut poſſit implere
divina mandata quæ voluerit, cum valde per-
fecteque voluerit. Ad hoc enim valet quod ſcri-
ptum eſt, *Si volueris, conſervabis mandata*, ut
homo qui voluerit & non potuerit, nondum Eccli. 15. 16.
ſe plene velle cognoſcat, & oret ut habeat
tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implen-
da mandata. Sic quippe adjuvatur ut faciat
quod jubetur.

X X I.

C Non juberet Deus quod ſciret non poſſe ab
homine fieri, quis hoc neſciat? Sed ideo jubet XVI.
aliqua quæ non poſſumus, ut noverimus quid
ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides,
quæ orando impetrat quod lex imperat.

X X I I.

Certum eſt nos mandata ſervare ſi volumus.
Sed quia præparatur voluntas a Domino, ab il- Ibidem.
lo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum
ſufficit ut volendo faciamus. Certum eſt nos Prov. 8.
velle cum volumus. Sed ille facit ut velimus
bonum, de quo dictum eſt quod paulo ante po-
ſui, quod præparatur voluntas a Domino. de
quo dictum eſt, *A Domino greſſus hominis diri-
gentur, & viam ejus volet.* de quo dictum eſt, Pſal. 36. 23.
D *Deus eſt qui operatur in vobis & velle.* Certum eſt Philipp. 2. 13.
nos facere cum facimus. Sed ille facit ut facia-
mus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui
dixit, *Faciam ut in juſtificationibus meis ambule-
tis, & judicia mea obſervetis & faciatis.* Cum di- Ezech. 36. 27.
cit, faciam ut faciatis, quid aliud dicit, niſi au-
feram a vobis cor lapideum unde non faciebatis,
& dabo cor carneum unde faciatis? Et hoc quid
eſt, niſi, auferam cor durum unde non facie- Ezech. 0. 19. & 36. 26.
batis, & dabo cor obediens unde faciatis? Ille
facit ut faciamus, cui dicit homo, *Pone Domi-
ne cuſtodiam ori meo.* Hoc eſt enim dicere, fac ut
ponam cuſtodiam ori meo. Quod beneficium Dei Pſal. 140. 3.
jam fuerat conſecutus qui dixit, *Poſui ori meo
E cuſtodiam.* Pſal. 38. 2.

X X I I I.

Omnipotens Deus cooperando perficit quod
operando incipit. quoniam ipſe ut velimus ope- XVII.
ratur incipiens, qui volentibus cooperatur per-
ficiens. Propter quod ait Apoſtolus, *Certus ſum,
quoniam qui operatur in vobis opus bonum, per-
ficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.* Ut ergo veli- Philip. 1. 6.
mus, ſine nobis operatur: cum autem volumus,
& ſic volumus ut faciamus, nobiſcum coopera-
tur. Tamen ſine illo, vel operante ut velimus,
vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis
opera nihil valemus.

X X V. XVIII.

Cur dictum eſt, *Diligamus invicem, quia* 1. Joan. 4. 7.
di-

dilectio ex Deo eſt*, niſi quia præcepto admonitum eſt liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum? Quod quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi quæreret unde quod jubebatur impleret. cum dicitur, *Diligamus invicem*, lex
Prov. 3. 16. eſt. cum dicitur, *quia dilectio ex Deo eſt*, gratia eſt. Sapientia quippe Dei legem & miſericordiam in lingua portat. Unde ſcriptum eſt in Pſal-
Pſal. 83. 8. mo, *Etenim benedictionem dabit qui legem dedit*.

XXV.

XIX. Quid eſt amentius, & ab ipſa ſanctitate caritatis alienius, quam confiteri ex Deo eſſe ſcientiam, quæ ſine caritate inflat, & ex nobis eſſe caritatem quæ facit ut ſcientia inflare non poſſit? Item cum dicit Apoſtolus, *Supereminentem*
Epheſ. 3. 19. *ſcientiæ caritatem Chriſti*, quid eſt inſanius, quam putare ex Deo eſſe ſcientiam, quæ ſubdenda eſt caritati, & ex hominibus caritatem, quæ ſupereminet ſcientiæ? Fides autem vera & doctrina ſana, ambas eſſe dicit ex Deo, quia ſcriptum eſt, *A facie ejus ſcientia & intellectus procedit*,
Prov. 2. & ſcriptum eſt, *Caritas autem ex Deo eſt*. &
1. Joan. 4. 7. legimus ſpiritum ſcientiæ & pietatis, legimus
2. Tim. 7. ſpiritum virtutis & caritatis, & continentiæ. Sed majus eſt donum caritatis, quam ſcientiæ. Nam ſcientia quando eſt in homine, caritas eſt neceſſaria, ne infletur: caritas autem non æmu-
1. Cor. 8. 1. & 13. 4. latur, non agit perperam, non inflatur.

XXVI.

Gratia Dei voluntas humana non tollitur,
XX. ſed ex mala mutatur in bonam, & cum bona fuerit, adjuvatur.

XXVII.

Fixum debet eſſe, & immobile in corde ve-
XXI. ſtro, quia non eſt iniquitas apud Deum. Ac per
Rom. 9. 14. hoc, * quod legitis in literis veritatis, a Deo ſe-
* edit. Aug. quando. duci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare, præceſſiſſe mala merita eorum, ut juſte iſta paterentur: ne * incurra-
* edit. Aug. incurratis. mus in illud Proverbium Salomonis, *Inſipientia viri violat vias ejus, Deum autem cauſatur in*
Prov. 19. 3. *corde ſuo*.

XXVIII.

Ibidem. Gratia non ſecundum merita hominum datur. alioquin gratia jam non eſt gratia: quia ideo gratia vocatur quia gratis datur.

XXIV.

Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum.
XXII. *ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit*
Rom. 5. 20. *gratia*. Sed utique gratia id agitur, ut jam fiant bona ab eis qui fecerant mala, non ut perſeverent in malis, & reddi ſibi exiſtiment bona. Non itaque debent dicere, Faciamus mala ut
Rom. 3. 8. veniant bona; ſed, fecimus mala & venerunt bona: jam faciamus bona, ut in futuro ſæculo recipiamus pro bonis bona, qui in hoc ſæculo recepimus pro malis bona.

XXX.

Quando auditis dicentem Dominum, *Ego Do-*
XXIII. *minus ſedux prophetam illum*, & quod ait Apoſto-
Ezech. 14. 9. lus, *Cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat*,
Rom. 9. 18. in eo quem ſeduci permittit vel obdurari, mala ejus merita credite: in eo vero cujus miſeretur, gratiam Dei, non reddentis mala pro malis, ſed bona pro malis, fideliter & indubitanter agnoſcite. Nec ideo auferatis a Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus, Ego induravi Pharaonem, vel induravi aut indurabo cor Pharaonis. Non enim propterea ipſe Pharao non induravit cor ſuum. Nam & hoc de illo legitur, quando ablata eſt de Ægypto cynomyia, dicente Scriptura, *Et ingravavit Pharao cor ſuum & in iſto tempore, & noluit dimit-* Exod. 8. 32.
tere populum. Ac per hoc & Deus induravit per juſtum judicium, & ipſe Pharao per liberum arbitrium.

XXXI.

Certi eſtote, quia non erit inanis labor ve- Ibidem.
ſter, ſi in bono propoſito proficientes perſeveretis uſque in finem. Deus enim, qui modo illis quos liberat non reddit ſecundum opera eorum, tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus. Reddet omnino Deus, & mala pro malis, quoniam juſtus eſt, & bona pro malis, quoniam bonus eſt, & bona pro bonis, quoniam bonus & juſtus eſt. Tantummodo mala pro bonis non reddet, quoniam injuſtus non eſt. Reddet ergo mala pro malis, pœnam pro injuſtitia. & reddet bona pro malis, gratiam pro injuſtitia. & reddet bona pro bonis, gratiam pro gratia.

CAPUT IV.

Ex Libro de Correptione & Gratia, ad præfatum Valentinum.

SENTENTIA I.

Dominus non ſolum oſtendit nobis, a quo I.
malo declinemus, & quod bonum faciamus, quod ſolum poteſt legis litera: verum etiam adjuvat nos, ut declinemus a malo, & faciamus bonum, quod nullus poteſt ſine ſpiritu gratiæ. Quæ ſi deſit, ad hoc lex adeſt, ut reos faciat, & occidat. Propter quod dicit Apoſto-
lus, *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat*. Qui 2. Cor. 3. 6.
ergo legitime lege utitur, diſcit in ea bonum & malum, non confidens in virtute ſua, confugit ad Dei gratiam, qua præſtante declinet a malo, faciat bonum. Qui autem confugit ad gratiam, niſi cum a Domino greſſus hominis Pſal. 36. 23.
diriguntur, & viam ejus volet? ac per hoc & deſiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ eſt, de quo ait ille, *Et dixi, nunc cœpi. hæc eſt* Pſal. 76. 11.
mutatio dexteræ excelſi.

II.

Liberum arbitrium & ad malum & ad bonum Ibidem.
faciendum confitendum eſt, nos habere. ſed in malo faciendo liber eſt quiſque juſtitiæ, ſervuſque peccati: in bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo qui dixit, *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*. Joan. 8. 36.
Nec ita ut cum quiſque fuerit a peccati dominatione liberatus, jam non indigeat ſui liberatoris auxilio: ſed ita potius, ut ab illo audiens,
Sine me nihil poteſtis facere, dicat ei & ipſe, *Ad-* Joan. 15. 5.
jutor meus eſto, ne derelinquas me, & cetera. Pſal. 26. 9.

III.

Non ſe fallant qui dicunt, Ut quid nobis II.
prædicatur atque præcipitur ut declinemus a malo & faciamus bonum, ſi hoc nos non agimus, ſed id velle & operari Deus operatur in no- Philip. 2. 13.
bis? Sed potius intelligant, ſi filii Dei ſunt, ſpiri- Rom. 8. 14.
tu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt agant: & cum egerint, illi a quo aguntur gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil agant. & ad hoc eis oſtenditur quid agere debeant, ut quando id agunt ſicut agendum eſt, id eſt, cum dilectione & delectatione juſtitiæ, ſuavitatem quam dedit Dominus, ut terra ejus daret Pſal. 84. 13.
fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant: quando autem non agunt, ſive omnino non faciendo, ſive non ex caritate faciendo, orent ut quod nondum habent accipiant. Quid enim habebunt, quod non accepturi ſunt, aut quid habent quod non acceperunt.

IV.

III. Doctores Eccleſiarum Apoſtoli omnia faciebant, & præcipiebant quæ fierent, & corripiebant ſi non fierent, & orabant ut fierent. Præcepit Apoſtolus dicens, *Omnia veſtra in caritate fiant*. corripit dicens, *Jam quidem omnino delictum eſt in vobis, quia judicia habetis vobiſcum. Quare enim non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini? Sed vos iniquitatem facitis, & fraudatis, & hoc fratres.* * *An neſcitis quia injuſti regnum Dei non poſſidebunt?* Audiamus & orantem. *Vos autem*, inquit, *Dominus multiplicet, ut abundare faciat in caritate in invicem, & in omnes*. Præcipit ut habeatur caritas, corripit quia non habetur caritas, orat ut abundet caritas. O homo, in præceptione cognoſce quid debeas habere. in correptione cognoſce tuo te vitio non habere. in oratione cognoſce unde accipias quod vis habere.

1. Cor. 16. 14. 1. Cor. 6. 7. * edit. fratribus. 1. Theſſ. 3. 12.

V.

V. Quod vult pro ſe fieri qui corripi non vult, & dicit, Ora potius pro me, ideo corripiendus eſt, ut faciat etiam ipſe pro ſe. Dolor quippe ille, quo ſibi diſplicet quando ſentit correptionis aculeum, excitat eum in majoris * orationis affectum, ut Deo miſerante incremento caritatis adjutus, deſinat agere pudenda & dolenda, & agat laudanda atque gratanda.

* ſ. majorem.

VI.

Ibidem. Correptionis utilitas, quæ nunc major, nunc minor, pro peccatorum diverſitate ſalubriter adhibetur, tunc eſt ſalubris, quando ſupernus medicus reſpicit. Non enim aliquid proficit, niſi cum facit ut peccati ſui quemque pœniteat. Et quis hoc dat, niſi qui reſpexit Apoſtolum Petrum negantem, & fecit flentem? Luc. 22. 61.

VII.

Ibidem. Poteſt Deus quem vult etiam nullo homine corripiente corrigere, & ad dolorem ſalubrem pœnitentiæ occultiſſima & potentiſſima medicinæ ſuæ poteſtate perducere. Et ſicut non eſt ab oratione ceſſandum pro eis quos corrigi volumus, etiamſi nullo hominum orante pro Petro, Dominus reſpexit eum, & fecit eum ſuum flere peccatum: ita non eſt negligenda correptio, quamvis Deus quos voluerit, etiam non correptos, faciat eſſe correctos. Tunc autem correptione proficit homo, cum miſeretur atque adjuvat qui facit quos voluerit etiam ſine correptione proficere.

VIII.

VI. Corripiatur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur, ſi tamen qui corripitur filius eſt promiſſionis, ut ſtrepitu correptionis forinſecus inſonante, ac flagellante, Deus in illo intrinſecus occulta inſpiratione operetur & velle. Si autem jam regeneratus & juſtificatus in malam vitam ſua voluntate relabitur, certe iſte non poteſt dicere, Non accepi, qui acceptam Dei gratiam ſuo in malum libero amiſit arbitrio. Qui ſi correptione compunctus ſalubriter ingemit, & ad ſimilia bona opera, vel etiam ad meliora * convertitur, nempe hic apertiſſime utilitas correptionis apparet. Sed per hominem correptio, ſive ex caritate ſit, ſive non ſit, tamen ut correpto proſit, non niſi per Deum fit.

* edit. Aug. revertitur.

IX.

Ibidem. Si dixerimus perſeverantiam tam laudabilem tamque felicem ſic eſſe hominis, ut ei non ſit ex Deo, illud primitus evacuamus, quod ait Dominus Petro, *Rogavi pro te ne deficiat fides tua*. Quid enim ei rogavit, niſi perſeverantiam uſque in finem? Quæ profecto ſi ab homine homini eſſet, a Deo poſcenda non eſſet. Deinde cum dicat Apoſtolus, *Oramus autem ad Deum ne quid faciatis mali*, proculdubio perſeverantiam eis orat ad Deum. Neque enim nihil mali facit qui bonum deſerit, & a quo declinare * non debet, inclinatur in malum non perſeverans in bono.

Luc. 22. 32. 2. Cor. 13. 7. * in Aug. MSS. abeſt non.

X.

VII. Electi ſunt, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt. Propoſitum autem, non ſuum, ſed Dei, de quo alibi dicit, *Ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori*. & alibi, *Non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam*.

Rom. 9. 11. 2. Tim. 1. 9.

XI.

Ibidem. *Multi vocati, pauci electi*. Quicumque enim electi, ſine dubio etiam vocati: non autem quicumque vocati, conſequenter electi. Illi ergo electi, ut ſæpe dictum eſt, qui ſecundum propoſitum vocati, qui etiam ſunt prædeſtinati atque præſciti. Matt. 20. 16.

XII.

X. Si nos de ſcripturis ſanctis noſſe potuimus, ſanctos Angelos jam nullos eſſe caſuros, quanto magis hoc ipſi revelata ſibi ſublimius veritate noverunt? Nobis quippe beata ſine fine vita promiſſa eſt, & æqualitas Angelorum. Ex qua promiſſione certi ſumus, cum ad illam vitam poſt judicium venerimus, non inde nos eſſe lapſuros. Matth. 22. 30. Quos ſi de ſeipſis Angeli neſciunt, non æquales ſed beatiores erimus. Veritas autem nobis eorum promiſit æqualitatem. Certum eſt igitur hoc eos noſſe per ſpeciem, quod nos per fidem, nullam ſcilicet ruinam cujuſquam ſancti Angeli jam futuram.

XIII.

XI. Dei unigenitus filius, æqualis patri & coæternus, pro nobis homo factus, & ſine ullo vel originali, vel proprio peccato, ab hominibus peccatoribus crucifixus. Qui quamvis die tertio reſurrexerit nunquam moriturus ulterius, pertulit tamen pro mortalibus mortem. qui mortuis præſtitit vitam, ut redempti ejus ſanguine, tanto ac tali pignore accepto dicerent, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum: quomodo non & cum illo omnia nobis donavit?* Rom. 8. 31.

XIV.

Ibidem. Deus naturam noſtram, id eſt animam rationalem, carnemque hominis * Chriſtus ſuſcepit, ſuſceptione ſingulariter mirabili, vel mirabiliter ſingulari, ut nullis juſtitiæ ſuæ præcedentibus meritis, filius Dei ſic eſſet ab initio quo eſſe homo cœpiſſet, ut ipſe & verbum, quod ſine initio eſt, una perſona eſſet. Neque enim quiſquam tanta rei hujus & fidei cæcus eſt ignorantia, ut audeat dicere, quamvis de Spiritu ſancto & virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene vivendo, & ſine peccato bona opera faciendo, meruiſſe ut eſſet Dei filius, reſiſtente Evangelio atque dicente, *Verbum caro factum eſt*. Nam ubi hoc factum eſt, niſi in utero virginali, unde fuit initium hominis Chriſti? Itemque Virgini requirenti quomodo fieret quod ei per Angelum nuntiabatur, Angelus reſpondit, *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Propterea quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei*. Propterea inquit, non propter opera, quæ nondum nati utique nulla ſunt, ſed propterea, quia Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Iſta nativitas profecto gratuita

* aliqua edit. Aug. Chriſti. Joan. 1. 14. Luc. 1. 35.

conjunxit in unitatem perſonæ hominem Deo, carnem verbo. Iſtam nativitatem bona opera ſecuta ſunt, non bona opera meruerunt. Neque enim metuendum erat, oe iſto ineffabili modo in uoitatem perſonæ a verbo Deo natura humana ſuſcepta, per liberum voluotatis peccaret arbitrium, cum ipſa ſuſceptio talis eſſet, ut natura homiois a Deo ita ſuſcepti, nullum in ſe motum malæ voluntatis admitteret. Per hunc mediatorem Deus oſtendit, eos quos ejus ſanguine redimit, facere ſe ex malis deinceps in æternum booos. Quem ſic ſuſcepit, ut nunquam eſſet malus, * nec ex malo factus ſemper eſſet boous.

* *aliqua edit. Aug.* ne ex malo factus non ſemper &c.

XV.

Ibidem. Nec ipſum Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quem reliquit in ejus libero arbitrio. quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono. Quod adjutorium ſi homo ille per liberum oon deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam: ſed hac potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt eoim, qua fit ut habeat homo juſtitiam ſi velit. Secunda ergo plus poteſt, qua etiam fit ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat. Nec illa quidem parva erat, * quæ demonſtrata eſt etiam potentia liberi arbitrii. quoniam ſic adjuvabatur, ut ſine hoc adjutorio in bono non maoeret, ſed hoc adjutorium ſi vellet deſereret. Hæc autem tanto major eſt, ut parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem, parum ſit denique, non poſſe ſine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere io booo ſi velit, niſi etiam efficiatur ut velit. Tunc ergo dederat Deus homini bonam voluntatem. in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum. dederat adjutorium, ſine quo in ea non poſſet permanere ſi vellet, ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Sed quia noluit permanere, profecto ejus eſt culpa, cujus meritum fuiſſet ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus manſionis debitam mercedem recipere meruerunt. tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſſimum ſit ſemper ſe in illa eſſe manſuros. Si autem hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti ſunt defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent. Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſeot. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum. & tanto amplius datur per Jeſum Chriſtum Dominum ooſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolum adſit, ſine quo permanere noo poſſumus, etiamſi velimus, verum etiam tantum ac tale ſit ut velimus. Fit quippe in nobis per haoc Dei gratiam in bono recipiendo & perſeveranter tenendo, non ſolum poſſe quod volumus, verum etiam velle quod poſſumus.

* *edit. Aug.* qua.

XVI.

XII. Prima libertas voluntatis erat, poſſe non peccare: ooviſſima erit multo major, noo poſſe peccare: Prima immortalitas erat, poſſe noo mori: noviſſima erit multo major, noo poſſe mori. Prima erat perſeverantiæ poteſtas, bonum poſſe oon deſerere: noviſſima erit perſeverantiæ felicitas, bonum non poſſe deſerere. Numquid quia erunt bona noviſſima potiora atque meliora, ideo fuerunt illa prima vel nulla vel parva?

XVII.

Cum homines per correptionem in viam juſtitiæ ſeu veniunt, ſeu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum ſalutem, niſi ille qui quolibet plantante & rigante, & quolibet in agris vel arbuſculis operante, dat incrementum Deus? XIV.

XVIII.

Nec gratia prohibet correptionem, nec correptio negat gratiam. Et ideo ſic eſt præcipienda juſtitia, ut a Deo gratia, qua id quod præcipitur fiat, fideli oratione poſcatur: & hoc utrumque ita faciendum eſt, ut neque juſta correptio negligatur. Omnia vero hæc cum caritate fiant, quoniam caritas nec facit peccatum, & cooperit multitudinem peccatorum. XVI.

XIX.

Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt quem debemus ſitire in hac eremo, ut ex eo quaſi guttis quibuſdam inrorari non deficiamus in via. *Ex Tract. v. in Joan.*

CAPUV V.

*Ex ſermone * LI. expoſitionis Evangelii ſecundnm Joannem.* * LIII.

SENTENTIA I.

DOminum præſcium futurorum per prophetam prædixiſſe infidelitatem Judæorum. prædixiſſe tamen, non feciſſe. Non enim propterea quemquam Deus cogit ad peccandum, quia futura hominum peccata jam novit. Ipſorum enim præſcivit peccata, non ſua, non cujuſquam alterius, ſed ipſorum. Quapropter ſi ea quæ ille præſcivit ipſorum, non ſunt ipſorum, non vere illa præſcivit. Sed quia illius præſcientia falli non poteſt, ſine dubio non alius ſed ipſi peccant, quos Deus peccaturos eſſe præſcivit. Fecerunt ergo peccatum Judæi, quod eos facere non compulit cui peccatum non placet, ſed facturos eſſe prædixit quem nihil latet. Et ideo ſi non malum, ſed bonum facere voluiſſent, non prohiberentur, & hoc facturi præviderentur ab eo qui oovit quid ſit quiſque facturus, & quid ei ſit pro ejus opere redditurus.

II.

Malam Judæorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit ille cui abſcondi futura oon poſſuot. Sed aliam cauſam, inquis, dicit Propheta, non voluntatis illorum. Quam cauſam dicit Propheta? *Quia dedit illi Deus ſpiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, & excæcavit oculos eorum, & obduravit cor eorum.* Rom. 11. 8. Etiam hoc eorum voluntatem meruiſſe reſpondeo. Sic enim excæcat, ſic obdurat Deus, deſerendo & non adjuvando. quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt. Hoc omnino pietas religioſorum iocoocuſſum debet ioviolatumque ſervare. Sicut Apoſtolus, cum eandem ipſam tractaret difficillimam quæſtionem, *Quid ergo dicemus,* Rom. 9. 14. inquit, *numquid iniquitas apud Deum? abſit.* Sic ergo abſit ut ſit iniquitas apud Deum. Sive quando adjuvat, miſericorditer facit: ſive quando non adjuvat, juſte facit, quia omnia non temeritate, ſed judicio facit.

III.

Si judicia ſanctornm juſta ſunt, quanto ma-

gis juſtificantis & ſanctificantis Dei? Juſta ergo ſunt, ſed occulta. Ideo cum quæſtiones hujuſmodi in medium venerint, quare alius ſic, alius autem ſic, quare ille Deo deſerente excæcetur, ille Deo adjuvante illuminetur, non nobis judicium de judicio tanti judicis uſurpemus, ſed [Rom. 11. 33.] contremiſcentes exclamemus cum Apoſtolo, *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* [Pſal. 35. 7.] Unde & in Pſalmo, *Judicia tua ſicut abyſſus multa.*

IV.

[Eccl. 3. 22.] Audiamus admonentem Scripturam atque dicentem, *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* Non quia iſta negata ſunt [Matth. 10. 26.] nobis, cum Deus magiſter dicat, *Nihil eſt occultum quod non reveletur.* [Philip. 3. 16.] Sed ſi *in quod pervenimus in eo ambulemus,* ſicut dicit Apoſtolus, non ſolum quod neſcimus & ſcire debemus, ſed [Ibid. 15.] etiam *ſi quid aliter ſapimus, id quoque nobis Deus revelavit.* Pervenimus autem in viam fidei, hanc perſeverantiſſime teneamus. Ipſa * perducit [* edit. Aug. perducet.] ad cubiculum regis, *in quo omnes ſunt theſauri* [Coloſſ. 2. 3.] *ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Ambulandum eſt, proficiendum eſt, creſcendum eſt, ut ſint corda noſtra capacia earum rerum, quas capere modo non poſſumus. Quod ſi nos ultimus dies proficientes invenerit, ibi * diſcimus quod hic non potuimus. [* edit. Aug. diſcemus.]

V.

Ne audeat quiſquam liberum arbitrium ſic defendere, ut nobis orationem qua dicimus, [Matth. 6. 13.] *Ne nos inferas in tentationem*, conetur auferre. Rurſus ne quiſquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excuſare peccatum. Sed audiamus Dominum, & præcipientem, & opitulantem, & jubentem quid facere debeamus, & adjuvantem ut implere poſſimus.

VI.

Quoſdam nimia ſuæ voluntatis fiducia extulit in ſuperbiam, & quoſdam nimia ſuæ voluntatis diffidentia dejecit in negligentiam. Illi dicunt, ut quid rogamus Deum ne vincamur tentatione, quod in noſtra eſt poteſtate? iſti dicunt, ut quid conamur bene vivere, quod in Dei eſt poteſtate? o Domine, o pater qui es in cælis, ne nos inferas in quamlibet iſtarum tentationum, ſed libera nos a malo. Audiamus Dominum di- [Luc. 22. 32.] centem, *Rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua*, ne ſic exiſtimemus fidem noſtram eſſe in libero arbitrio, ut divino non egeat adjutorio. [Joan. 1. 12.] Audiamus & Evangeliſtam dicentem, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, ne omnino exiſtimemus in noſtra poteſtate non eſſe quod credimus. Veruntamen in utroque illius beneficia cognoſcamus. Nam & agendæ ſunt gratiæ, quia data eſt poteſtas, & orandum, ne ſuccumbat infirmi- [Gal. 5. 6.] tas. Ipſa eſt fides, quæ per dilectionem operatur, ſicut ejus menſuram Dominus cuique partitus [1. Cor. 1. 31.] eſt, ut qui gloriatur, non in ſeipſo, ſed in Domino glorietur.

VII.

Quotquot tam ſuperbe ſapiunt, ut ſuæ voluntatis viribus tantum exiſtiment eſſe tribuendum, ut negent ſibi neceſſarium divinum adjutorium ad bene vivendum, non poſſunt credere in Chriſtum. Non enim aliquid proſunt ſyllabæ nominis Chriſti, & ſacramenta Chriſti, ubi reſiſtitur [Rom. 4. 5.] fidei Chriſti. Fides autem Chriſti eſt, credere in eum qui juſtificat impium, credere in mediatorem, ſine quo interpoſito non reconciliamur Deo, credere in ſalvatorem, qui venit quod perierat quærere atque ſalvare, credere in eum qui di- A xit, *Sine me nihil poteſtis facere.* [1. Joan. 15. 5.] Quia ergo ignorans Dei juſtitiam qua juſtificatur impius, ſuam vult conſtituere qua convincatur ſuperbus, in hunc non poteſt credere. non quia mutari homines in melius non poſſunt, ſed quandiu talia ſapiunt, non poſſunt credere. Hinc excæcantur & indurantur, quia negando divinum adjutorium non adjuvantur.

CAPUT VI.

Ex libro de Prædeſtinatione Sanctorum, itemque de dono perſeverantiæ, ad Proſperum & Hilarium.

B

SENTENTIA I.

INter gratiam & prædeſtinationem hoc tantum intereſt, quod prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio, gratia vero jam ipſa donatio. Quod itaque ait Apoſtolus, *Non ex operibus, ne forte quis extollatur, ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis*, gratia eſt: quod autem ſequitur, *quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*, prædeſtinatio eſt. quæ ſine præſcientia non poteſt eſſe, poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit quæ fuerat ipſe facturus, unde dictum eſt, Fecit quæ futura C ſunt. Præſcire autem poteſt etiam ipſe quæ non facit, ſicut quæcumque peccata. quia etſi ſunt quædam, quæ ita peccata ſunt, ut pœnæ ſint etiam peccatorum, unde dictum eſt, *Tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciat quæ non conveniunt*, non ibi peccatum Dei eſt, ſed judicium. Quocirca prædeſtinatio Dei, quæ in bono eſt, gratiæ eſt, ut dixi, præparatio; gratia vero eſt ipſius prædeſtinationis effectus. X. [Epheſ. 2. 9.] [Eſa. 45. 7.] [Rom. 1. 28.]

II.

Cum Apoſtolus dicat, *Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio*, mirum eſt homines infirmitati ſuæ ſe malle committere, quam firmitati promiſſionis Dei. Sed incerta eſt mihi, inquis, de meipſo voluntas Dei. Quid ergo? D tuane tibi voluntas de teipſo certa eſt, nec times, *Qui videtur ſtare, videat ne cadat?* Cum igitur utraque incerta ſit, cur non homo firmiori fidem ſuam, ſpem, caritatemque committit? XI. [Rom. 4. 16.] [1. Cor. 10. 12.]

III.

Eſt etiam præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe ſalvator, ipſe mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus. Ille enim homo, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem perſonæ aſſumptus filius Dei unigenitus eſſet, unde hoc meruit? quod ejus bonum qualecumque præceſſit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Faciente ac ſuſcipiente verbo, ipſe homo, ex quo eſſe cœpit, filius Dei unicus eſſe E cœpit. Filium Dei unicum femina illa * gratia [* edit. Aug. gratia plena.] concepit. de Spiritu ſancto & Virgine Maria Dei filius unicus natus eſt, non carnis cupidine, ſed ſolo Dei munere. Libera in illo voluntas erat, ac tanto magis erat, quanto magis ſervire peccato non poterat. Apparet itaque nobis in noſtro capite ipſe fons gratiæ, unde ſecundum uniuſcujuſque menſuram ſe per cuncta ejus membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus. de ipſo ſpiritu & hic renatus, de quo eſt ille natus: eodem ſpiritu fit in nobis remiſſio peccatorum, quo ſpiritu factum eſt ut nullum haberet ille pec- XV.

catum. Hæc ſe Deus eſſe facturum profecto præſcivit. Ipſa eſt igitur prædeſtinatio ſanctorum, quæ in ſancto ſanctorum maxime claruit.

IV.

De dono Perſeverantiæ.

Cap. I. Donum Dei eſſe perſeverentiam, qua uſque in finem perſeveratur in Chriſto, finem autem quo vita iſta finitur, in qua tantummodo periculum eſt ne cadatur. Itaque utrum quiſque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit incertum eſt. Si enim priuſquam moriatur cadat, non perſeveraſſe utique dicitur, & veriſſime dicitur. Quomodo ergo perſeverantiam qui non perſeveravit accepiſſe vel habuiſſe dicendus eſt?

V.

Ibidem. Si habeat aliquis continentiam, & ab ea decidat, atque incontinens fiat, ſi juſtitiam ſimiliter, ſi patientiam, ſi ipſam fidem, recte dicitur habuiſſe, & non habere. Continens enim fuit, vel juſtus fuit, vel patiens, vel fidelis fuit quandiu fuit; cum vero eſſe deſtitit, non eſt quod fuit. Qui vero non perſeveraverit, quomodo perſeverans fuit, cum perſeverando quiſque oſtendat ſe perſeverantem, quod iſte non fecit?

VI.

Ibidem. Perſeverantiam, qua in Chriſto perſeveratur uſque in finem, nullo modo habuiſſe dicendum eſt, qui non perſeveraverit uſque in finem. potiuſque hanc habuit unius anni fidelis, & quantum infra cogitari poteſt, ſi donec moreretur fideliter vixit, quam multorum annorum, ſi exiguum temporis ante mortem a fidei ſtabilitate defecit.

VII.

II. Oratio quæ dominica nuncupatur, quia eam Dominus docuit, quando oratur a ſanctis, nihil pene aliud quam perſeveranria poſci intelligitur.
Cyprian. de Dominica Orat. „ Dicimus enim, *Sanctificetur nomen tuum*. non
„ quod optemus Deo ut ſanctificetur orationibus
„ noſtris, ſed quod petamus ab eo, ut nomen ejus
„ ſanctificetur in nobis. Ceterum a quo Deus ſan-
„ ctificatur, qui ipſe ſanctificat? Sed quia ipſe di-
Levit. 19. 2. „ xit, *Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum*,
„ id petimus & rogamus, ut qui in baptiſmo ſan-
„ ctificati ſumus, in eo quod eſſe cœpimus perſe-
„ veremus. Hæc itaque ſanctificatio ut in nobis
„ maneat oramus. Et quia Dominus & judex no-
„ ſter ſanaro a ſe & vivificato comminatur, non
Joan. 5. 14. „ delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc con-
„ tinuis orationibus precem facimus, hoc diebus
„ ac noctibus poſtulamus, ut ſanctificatio & vivi-
„ ficatio, quæ de Dei gratia ſumitur, ipſius pro-
„ tectione ſervetur. Quid cum dicimus, *Adveniat regnum tuum*, num aliud poſcimus, niſi ut veniat & nobis, quod eſſe venturum non dubitamus omnibus ſanctis? Ergo & hic qui jam ſancti ſunt quid orant, niſi ut in ea ſanctitate quæ illis data eſt perſeverent? Neque enim aliter veniet regnum Dei, quod non aliis ſed his qui perſeverant uſque in finem certum eſt eſſe venturum.
III. Matth. 6. 10. *Fiat voluntas tua in cælo & in terra*. vel quod in pleriſque codicibus legitur, magiſque ab orantibus frequentatur, *ſicut in cælo & in terra*. Quod plerique intelligunt, ſicut ſancti Angeli, & nos faciamus voluntatem tuam, ut terra ſcilicet imitetur cælum, id eſt, ut homo Angelum, vel infidelis fidelem. Quantalibet enim homines ſanctitate præpolleant, nondum ſunt æquales Angelis Dei. nondum ergo ſicut in
IV. cælo in eis fit voluntas Dei. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Hunc panem autem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum

A ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti & non communicantes a cæleſti pane prohibemur, a Chriſti corpore ſeparemur. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut &*
nos dimittimus debitoribus noſtris. Quam neceſ- “ V. Cyprian. de Dominica Orat.
ſarie autem, quam providenter & ſalubriter ad- “
monemur quod peccatores ſumus, qui pro pec- “
catis rogare compellimur? ut dum indulgentia “
de Deo petitur, conſcientiæ ſuæ animus recor- “
detur. Ne quis ſibi quaſi innocens placeat, & “
ſe extollendo plus pereat, iſtruitur & docetur “
peccare ſe quotidie, dum quotidie pro peccatis “
jubetur orare. Sic denique & Joannes in epiſto- “
la ſua ponens dixit, *Si dixerimus quia peccatum* “ 1. Joan. 1. 8.
B *non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in* “
nobis non eſt. Jam vero cum dicunt ſancti, *Ne* “
nos inferas in tentationem, ſed libera nos a malo, quid aliud quam ut in ſanctitate perſeverent precantur? Nam profecto conceſſo ſibi iſto Dei dono, quod eſſe Dei donum cum ab illo poſcitur ſatis aperteque monſtratur: iſto ergo conceſſo ſibi Dei dono ne inferantur in tentationem, nemo ſanctorum non tenet uſque in finem perſeverantiam ſanctitatis. Neque enim quiſquam in propoſito Chriſtiano perſeverare deſiſtit, niſi in tentationem primitus inferatur. Si ergo concedatur ei quod orat, ut non inferatur, utique in ſanctificatione quam Deo donante percepit, Deo donante perſiſtit.

VIII.

C Non dicant homines perſeverantiam cuiquam datam uſque in finem, niſi cum ipſe venerit finis, & perſeveraſſe cui data eſt repertus fuerit uſque in finem. VI. Dicimus quippe caſtum, quem novimus caſtum, ſive ſit, ſive non ſit in eadem caſtitate manſurus. & ſi quid aliud divini muneris habeat, quod teneri & amitti poteſt, dicimus eum habere quamdiucumque habet, & ſi amiſerit, dicimus habuiſſe: perſeverantiam vero uſque in finem, quoniam non habet quiſquam niſi qui perſeveret uſque in finem, multi eam poſſunt habere, nullus amittere. Neque enim
D metuendum eſt, ne forte cum perſeveraverit homo uſque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perſeveret uſque in finem. Hoc ergo Dei donum ſuppliciter emereri poteſt: ſed cum datum fuerit, amitti contumaciter non poteſt. cum enim perſeveraverit quiſque uſque in finem, neque hoc donum poteſt amittere, nec alia quæ poterat ante finem.

IX.

Imperavit Deus, ut & ſancti ejus dicant orantes, *Ne nos inferas in tentationem*. Ibidem. Quiſquis igitur exauditur hoc poſcens, non infertur in contumaciæ tentationem, qua poſſit vel dignus ſit perſeverantiam ſanctitatis amittere. Atenim voluntate ſua quiſque deſerit Deum, ut merito
E deſeratur a Deo, quis hoc negaverit? Sed ideo petimus ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat. Et ſi exaudimur, utique non fit, quia Deus non permittit ut fiat. Potens enim eſt, & a malo in bonum flectere voluntates, & in lapſum pronas convertere, ac dirigere in ſibi placitum greſſum, cui non fruſtra dicitur, *Deus* Pſal. 84. 7.
tu convertens vivificabis nos, non fruſtra dicitur, *Ne des ad movendum pedem meum*. non Pſal. 65. 9.
fruſtra dicitur, *Ne tradas me Domine a deſiderio meo peccatori*. Pſal. 139. 9.
poſtremo non fruſtra dicitur, *Ne nos inferas in tentationem*, Nam quiſquis in tentationem non infertur, profecto nec in tentationem ſuæ malæ voluntatis infertur, & qui in tentationem ſuæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorſus infertur,

X.

Ibidem. Tutiores vivimus, ſi totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte com-

Cyprian. Ibid. » mittimus. Quando enim rogamus ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis noſtræ, dum ſic rogamus, ne quis ſe inſolenter extollat, ne quis ſibi ſuperbe aut arroganter alliquid aſſumat, ne quis aut confeſſionis, aut paſſionis gloriam ſuam dicat, cum

Matt. 26. 41. Dominus ipſe humilitatem docens dixerit, *Vigilate & orate ne veniatis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* ut dum præcedit humilis & ſummiſſa confeſſio, & datur totum Deo quidquid ſuppliciter cum timore Dei petitur, ipſius pietate præſtetur.

XI.

VII. Poſt caſum hominis, non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. Hanc

Ephes. 1. 11. gratiam poſuit in *illo in quo ſortem conſecuti ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus qui univerſa operatur:* ac per hoc ſicut operatur ut accedamus, ſic operatur ne diſcedamus.

XII.

Ibidem. Prorſus in hac re non operoſas diſputationes expetat Eccleſia, ſed adtendat quotidianas orationes ſuas. Orat ut increduli credant, Deus ergo convertit ad fidem: orat ut credentes perſeverent, Deus ergo donat perſeverantiam uſque in finem. Hæc Deus ſe facturum eſſe præ-

Ephes. 1. 4. ſcivit. Ipſa eſt prædeſtinatio Sanctorum, quos elegit in Chriſto ante conſtitutionem mundi.

XIII.

XIV. Cum conſtet alia Deum dare etiam non orantibus, ſicut initium fidei, alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam, profecto qui ex ſeipſo hanc habere ſe putat, noo orat ut habeat. Cavendum eſt igitur, ne dum timemus ne tepeſcat hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio.

XIV.

XVII. Sua dona quibuſcumque Deus donat, proculdubio ſe donaturum eſſe præſcivit, & in ſua præſcientia præparavit. Quos ergo prædeſtinavit, ipſos & vocavit, vocatione illa, quam ſæpe commemorare non piget. de qua dictum eſt,

Rom. 11. 29. *Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei.* Namque in ſua, quæ falli mutarique non poteſt præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omnino, nec alind quicquam eſt prædeſtinare.

XV.

XXI. Intereſt quantum & in quibus rebus erretur, & quam facile * quiſquam corrigat, vel quanta pertinacia ſuum defendere conetur errorem. Bonæ quippe ſpei eſt homo, ſi eum ſic proficieotem dies ultimus vitæ hujus invenerit, ut adiciantur ei quæ proficieoti defuerunt, & perficiendus quam puniendus potius judicetur.

* edit. Aug. quiſque.

XVI.

Ibidem. Quiſquis dicere gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, ſicut Catholicus fidelis exhorret, nec ipſam fidem ſubtrahat Dei gratiæ, quia miſericordiam conſecutus eſt ut fidelis eſſet. Ac per hoc gratia Dei tribuat perſeverantiam quoque uſque in finem, quia miſericordiam conſequitur, quam poſcit quotidie, ne inferatur in tentationem. Inter initium autem fidei, & perfectionem perſeverantiæ, media ſunt illa quibus recte vivimus. Hæc itaque omnia, initium ſcilicet fidei, & cetera uſque in finem, dona ſua Deus largiturum ſe vocatis ſuis eſſe præſcivit.

A XVII.

An vero timendum eſt, ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes ejus ponenda demonſtratur in Deo, non autem deſperaret, ſi eam in ſeipſo ſuperbiſſimus & infeliciſſimus poneret? XXII. Atque utinam tardi corde, & infirmi, qui non XXIII. poſſunt, vel nondum poſſunt, ſcripturas nec earum expoſitiones intelligere, ſic audirent vel non audirent in hac quæſtione diſputationes noſtras, ut magis intuerentur orationes ſuas, quas ſemper habuit & habebit Eccleſia ab exordiis ſuis, donec finiatur hoc ſæculum. Quando enim non oratum eſt in Eccleſia pro infidelibus atque inimicis ejus, ut crederent? Quando fidelis quiſquam amicum, proximum, conjugem habuit

B infidelem, & non ei petivit a Domioo mentem obedientem in Chriſtianam fidem? Quis autem ſibi unquam non oravit, ut in Domino permaneret? aut quis ſacerdotem ſuper fideles Dominum invocantem, ſi quando dixit, Da illis, Domine, in te perſeverare uſque in finem, non ſolum voce auſus eſt, ſed ſaltem cogitatione reprehendere, ac noo potius ſuper ejus talem benedictionem, & corde credente, & ore confitente reſpondit, Amen? cum aliud in ipſa oratione Dominica non orent fideles, dicentes maxime illud, *Ne nos inferas in tentationem*, niſi ut in ſancta obedientia perſeverent? Sicut ergo in his orationibus, ita & in hac fide nata eſt & crevit & creſcit Eccleſia, qua fide

C creditur, gratiam Dei non ſecundum meritum accipientium dari. Quandoquidem non oraret Eccleſia ut daretur infidelibus fides, niſi Deum crederet & averſas & adverſas hominum ad ſe convertere voluntates. nec oraret Eccleſia ut perſeveraret in fide Chriſti, non decepta vel victa tentationibus mundi, niſi crederet Dominum ſic in poteſtate habere cor noſtrum, ut bonum quod non tenemus niſi propria voluntate, non tamen teneamus niſi ipſe in nobis operetur & velle. Nam ſi hæc ab ipſo quidem poſcit Eccleſia, ſed a ſeipſa ſibi dari putat, non veras ſed perfunctorias orationes habet, quod abſit a nobis. Quis enim veraciter gemat deſi-

D derans accipere quod orat a Domino, ſi hoc a ſeipſo ſe ſumere exiſtimet, non ab illo?

XVIII.

Quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe Ibidem. *ſpiritus*, ait Apoſtolus, *interpellat pro nobis ge-* Rom. 8. 26. *mitibus inenarrabilibus*. Quid eſt ipſe ſpiritus interpellat, niſi interpellare facit gemitibus inenarrabilibus, ſed veracibus, quoniam veritas eſt ſpiritus? Ipſe eſt enim de quo alio loco dicit, *Miſit Deus ſpiritum filii ſui in corda noſtra cla-* Gal. 4. 6. *mantem, Abba, pater*. Et hic quid eſt *clamantem*, niſi clamare facientem? ubi intelligimus & hoc ipſum eſſe donum Dei, ut veraci corde & ſpiritaliter clamemus ad Deum. Falluntur ita-

E que qui putant eſſe a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, atque pulſemus. Accepimus enim ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.

XIX.

Quæ poſcit a Domino, & ſemper ex quo eſ- Ibidem. ſe cœpit popoſcit Eccleſia, ita Deus vocatis ſuis daturum ſe eſſe præſcivit, ut in ipſa prædeſtinatione jam dederit. quod Apoſtolus ſine ambiguitate declarat. Scribens quippe ad Timotheum, *Conlabora*, inquit, *Evangelio ſecundum verita-* 2. Tim. 1. 8. *tem Dei, ſalvos nos facientis, & vocantis vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora æterna*,

maniſeſtata autem nunc per adventum ſalvatoris A
* edit. Aug. Jeſu Chriſti. *noſtri * in Chriſto Jeſu*. Ille itaque dicat Eccleſiam aliquando in fide ſua non habuiſſe veritatem prædeſtinationis hujus & gratiæ, qui dicere audet, aliquando eam non oraſſe, vel non veraciter oraſſe, ſive ut crederent infideles, ſive ut perſeverarent fideles. Quæ bona ſi ſemper oravit, ſemper ea Dei dona eſſe utique credidit, nec ab illo eſſe præcognita unquam ei negare fas fuit, ac per hoc prædeſtinationis hujus fidem nunquam Eccleſia Chriſti non habuit.

XX.

XXIV. Et hoc Dei præceptum eſt, & hoc præce-
1. Cor. 1. 31. ptum obedienter audire, id eſt, *ut qui glorietur in Domino glorietur*, ſimiliter ut cetera Dei donum eſt. Quod donum qui non habet, non dubito dicere, alia quæcumque habet, inaniter habet.

XXI.

Ibidem. Oramus ut Deus gratiæ det nobis intelligere & confiteri, poſt ingentem & ineffabilem ruinam, qua in uno omnes cecidimus, neminem niſi Dei gratia liberari, eamque non ſecundum merita accipientium tamquam debitam reddi, ſed tamquam veram gratiam nullis meritis præcedentibus gratis dari.

XXII.

Ibidem. Nullum eſt inluſtrius prædeſtinationis exemplum, quam ipſe mediator. quiſquis vult eam fidelis bene intelligere, adtendat ipſum, atque in illo inveniat & ſeipſum. Fidelis, inquam, qui in eo veram naturam credit & confitetur humanam, id eſt noſtram, quamvis ſingulariter, ſuſcipiente Deo verbo, in unicum Dei filium ſublimatam, ita ut qui ſuſcepit & quod ſuſcepit, una eſſet in Trinitate perſona. Neque enim homine aſſumpto quaternitas facta eſt, ſed Trinitas manſit, aſſumptione illa ineffabiliter faciente perſonæ unius in Deo & homine veritatem. Quoniam non Deum tantum dicimus Chriſtum, ſicut hæretici Manichæi, nec hominem tantum, ſicut hæretici Photiniani, nec ita hominem, ut aliquid minus habeat, quod ad humanam naturam pertinere certum eſt, ſive animam, ſive in ipſa anima mentem rationalem, ſive carnem non de femina ſumptam, ſed factam de verbo in carnem converſo atque mutato. quæ omnia tria falſa & vana hæreticorum Apollinariſtarum tres partes varias diverſaſque fecerunt. Sed dicimus Chriſtum Deum verum, natum de Deo patre, ſine ullo initio temporis, eundemque hominem verum, natum de homine B matre, certa plenitudine temporis. Nec ejus humanitatem, qua minor eſt patre, minuere aliquid ejus divinitati, qua æqualis eſt patri. Hoc autem utrumque unus eſt Chriſtus, qui & ſecundum Deum veriſſime dixit, *Ego & pater unum* Joan. 10. 30
ſumus, & ſecundum hominem veriſſime dixit, *Pater major me eſt*. Qui ergo hunc fecit ex fe- Joan. 14. 28
mine David hominem juſtum, qui nunquam eſſet injuſtus, ſine ullo merito præcedentis voluntatis ejus, ipſe ex injuſtis facit juſtos ſine ullo merito præcedentis voluntatis ipſorum, ut ille caput, hi membra ſint ejus. Qui ergo fecit illum hominem ſine ullis ejus meritis præcedentibus, nullum quod ei dimitteretur, vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum, ipſe nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum. C Qui fecit illum talem ut nunquam habuerit habituruſque ſit voluntatem malam, ipſe facit in membris ejus ex mala voluntate bonam. Et illum ergo & nos prædeſtinavit, quia & in illo ut eſſet caput noſtrum, & in nobis, ut ejus corpus eſſemus, non præceſſura merita noſtra, ſed opera ſua futura præſcivit.

Digitized by Google

SERVATI LUPI PRESBYTERI DE TRIBUS QUÆSTIONIBUS LIBER.

Cum ceteris adnexis anno MDCXLVII. *excuſus, demum editus cura & ſtudio* JACOBI SIRMONDI *Societatis Jeſu Presbyteri anno* MDCL.

L E C T O R I.

De ſingulis operibus, quæ in hoc volumine continentur, & de nomine Auctoris.

De auctoris nomine hoc primo, LECTOR, *ſtatuendum eſt, non Lupum Servatum, ut cum Sigeberto & Trithemio plerique hodie vocant: ſed Servatum Lupum, quod veteres libri & aliorum exempla docent, dici oportere. Quemadmodum enim in Cæcilio Cypriano, Euſebio Hieronymo, Aurelio Auguſtino, Sulpitio Severo, & ſimilibus, nemo ambigit quin id verum ac proprium cujuſque ſit nomen, quod poſteriore loco ponitur, ſic in hoc Lupi nomen idcirco poſtponendum eſſe quia proprium eſt. Qua de re dictum aliquando a nobis eſt in Notis ad Sidonium, nec repeti eſt opus.*

Libri ergo de tribus quæſtionibus, qui primum hic locum tenet, tria in manus noſtras venerunt vetera exemplaria. unum Virdunenſe, quod penes nos eſt, alterum Metenſe S. Arnulfi, tertium S. Victoris Pariſienſis. quarti apographum tantum vidimus e Silviniacenſi Cluniacenſium Monaſterio. Sed quod mireris, in Metenſi non Lupo, ſed Hincmaro Epiſcopo tribuebatur, in Silviniacenſi adſcriptum erat nomen Amalarii, ex eo, ut opinor, quod in eodem codice poſt Amalarii opera ſequebatur. In Virdunenſi autem & in Victorino vera fuit inſcriptio, Servati Lupi de tribus Quæſtionibus Liber.

Collectanei de iiſdem quæſtionibus cum unicum exemplar idque anepigraphum & mutilum haberemus ex Bibliotheca Corbeienſi, quod in ceteris omnibus deſideraretur, commode ad nos V. C. & humaniſſimus J. Bouherus Senator Divionenſis integrum alterum ex ſua deprompum miſit hac inſcriptione, Colectaneum Servati Lupi de tribus Quæſtionibus. *Quo nos freti argumento, cum ante triennium editionem hanc curaremus, uni eidem Lupo utrumque opus, etſi exploratum non erat, adſcribi paſſi ſumus.*

De duabus Epiſtolis quæ reſtant, quarum quæ ad Hincmarum ſcripta eſt, in Virdunenſi codice atque in Elnonenſi priorem locum obtinet, altera vero, quæ ad Carolum Regem, in Codice Corbeienſi Collectaneum antecedit, in Divionenſi ſubſequitur, cum in utraque auctor Lupum tantummodo ſe nominet, ſi quis has ad Lupum Ferrarienſem potius referendas contendat, cujus ad eoſdem aliæ extant Epiſtolæ, prima & poſtrema compellatione non abſimiles, liberum per nos erit judicium.

Quinimmo, ut dicam quod ſentio, ad Lupum eundem ſuperiora quoque Opuſcula pertinere, noſtra dudum conjectura fuit. quam nunc etiam id maxime confirmat, quod Servato huic prænomen fuiſſe docet ipſius ad Nicolaum Papam epiſtola, VVenilonis, ut apparet, Senonenſis Epiſcopi nomine ſcripta de Herimanno Nevernenſi. quæ nimirum in Floriacenſi codice ſic habet:

S C R I P T U M S E R V A T I L U P I
ad Papam Nicolaum.

Vide Reſcriptum Nicolai, Tom. 3. Conc. Gall. pag. 187

SUggerimus manſuetiſſimæ paternitati veſtræ, in noſtra diœceſi, in oppido quod Nevernum dicitur, eſſe quendam Epiſcopali officio præditum nomine H. qui frequenter admonitus, & diu expectatus ut revaleſceret, implere non ſufficit ipſum officium mente non integra. Dicitur autem Melchiades Papa decreviſſe, ne quis unquam Pontifex ſine conſenſu Papæ Romani deponeretur. Unde ſupplicamus, ut ſtatuta illius integra, ſicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini. ut hinc dictis ipſius confirmati, aut ſicut beatus Gregorius doctor fecit de Ariminenſi Epiſcopo incommodo ſimili laborante ſequamur, aut ſicut ſanctus Gelaſius docet, removendus ſit mente percuſſus. Quo verum abſque dubietate ſciamus, expetimus & expectamus veſtrum judicium: ne in temeritatis calumniam aliquatenus incidamus, ſed veſtro inſtituti moderamine, veritatis & rectitudinis tramitem nullatenus deſeramus.

GOTHESCALCI

DE LUPI LIBRO JUDICIUM,

ex ejus epiſtola ad Ratramnum Monachum Corbeienſem.

Nempe tribus horum ſtudui proprium indere ſenſum,
Mateaudo, Jonæ, atque Lupo rutilantibus ore.
Poſcens obnixe ſatagant ut vera referre.
Nemo ſed excepto quid adhuc mihi reddidit uno,
Qui cum ſit cautus ſimul & catus, eſt moderatus,
Sic jam terna ſui librans reſponſa libelli,
Ut dempto neutri pleno diſcrimine parti
Congruat.

SIRMOND. (Lupi enim librum taxat ut ancipitem & neutri parti congruentem. Quippe qui inter cetera, cum de Chriſti ſanguine quod non pro omnibus fuſus ſit probaſſe in quæſtione III. videretur, mox retractans, pro omnibus fuſum Pauli teſtimonio doceat, & Chryſoſtomi. Ex quo ſane apparet, Lupo ac ſi partium ſuarum fruſtra gloriari Gotheſcalci fautores, quem Gotheſcalcus ipſe ſibi in hoc libro non ſatisfeciſſe ſignificat.)

Sigebertus de Eccleſiaſticis Scriptoribus, cap. xciv.

Lupus Servatus librum compoſuit de tribus quæſtionibus, id eſt de libero arbitrio, de prædeſtinatione bonorum & malorum, de ſanguinis Chriſti quadam ſuperflua taxatione vel redemptione uſque ad ſalutem impiorum. Nam ſuper hac re orta eſt quædam fidei turbatio anno Domini octingenteſimo quadrageſimo nono.

Joannes Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Lupus Servatus Presbyter, ad quem Rabanus Abbas Fuldenſis octo libros in Epiſtolam Pauli Apoſtoli ad Romanos ſcripſiſſe legitur, vir in divinis ſcripturis ſtudioſus & doctus, atque in ſæcularibus juxta ætatem ſui temporis copioſe peritus, ſcripſit nonnulla ingenii ſui opuſcula. Extat ejus volumen de tribus Quæſtionibus, & quædam epiſtolæ, & alia.

SERVATI LUPI PRESBYTERI DE TRIBUS QUÆSTIONIBUS LIBER.

QUæ nobis utilia judicamus, ſi communicamus cum aliis, Deum nullo renitente promeremur, cujus præcepto devoto reſpondemus obſequio: & ſi quod jam accepimus ſincera benevolentia impertimur, quæ necdum accepimus ejus munere conſequemur. Hæc mecum reputans, cum poſt devictas perſecutiones & falſas opiniones jam inde ab initio incarnationis Domini exortas, octingenteſimum quadrageſimum nonum ab eadem incarnatione agente annum Eccleſia in pace quam ei reliquit Salvator, cum ea futurus juxta ſuæ pollicitationis fidem uſque ad conſummationem ſæculi, comperiſſem primum in Italia, deinde in Gallia, ſi non concuti fidem, turbari certe quorumdam intentionem, quod de libero arbitrio, & de prædeſtinatione bonorum & malorum, ac de ſanguinis Domini taxatione, vulgo quædam inaudita jactarentur, harum rerum qui per ſe non poſſent optavi ut per me fierent certiores. * Hic in auxilium invocato Deo, a quo non eſſe ſolum, ſed etiam noſſe percepimus, ad ejus primum auctoritates, quibus omnium conſenſus fidelium adquieſcit, me contuli. Deinde quid earumdem clariſſimi tractatores & defenſores invictiſſimi ſuper memoratis quæſtionibus ſenſiſſent, anxie diuque ſcrutatus ſum. Quorum ſole clariora opera, divinis irradiata eloquiis, ſi omnes vel intelligerent vel haberent, jure deberem ſuperfluitatis aut arrogantiæ argui, qui vel eadem verbis aliis ingeſſiſſem, vel quod ipſi non valuiſſent, me implere poſſe confiderem. Cum vero utrumque multis, alterutrum quibuſdam, neutrum forte nonnullis obtigerit, alterum vel neutrum habentibus ſic adeſſe contendam, ut utrumque poſſidentes, ſi tamen ſua cognitione hæc mea, qualiacumque ſunt, digna duxerint, non offendam. Itaque mihi nihil, Deo plurimum confidens, quod propoſui hinc expedire conabor.

*aliqui MSS. Hinc.

Rerum omnium opifex Deus, loci temporiſque ac per hoc totius mutabilitatis expers, (neque enim concluditur loco qui continet omnia, nec * vero acceſſu temporis augetur, qui nequaquam temporali primordio cohibetur,) omnis creaturæ rationes ſempiterna apud ſe immutabilitate cuſtodiens, ſpiritalem creaturam tantum tempori, corporalem autem non tempori modo, verum etiam loco fecit obnoxiam. Siquidem ſubjectam ſe tempori ſpiritalis natura oſtendit, quæ bene utpote a bono Deo condita, partim ſuo ſe vitio depravans in veritate non ſtetit, atque ideo corruit, partim conditori pia ſubjectione adhærens, & quod lapſus eſſet capax aperuit, & ne ultra laberetur compos tantæ felicitatis accepit. Namque redemptor, cum in reſurrectione opinionem conjugalis commercii removiſſet, nequaquam nobis Angelorum ſpopondiſſet æqualitatem, ſi in eis peccandi * aut conſequenter cadendi ſuſpicio remanſiſſet. Qui enim feliciore quam nunc ſumus donaremur con- A ditione, niſi emenſo mortalis vitæ diſcrimine, in tanta beatitudinis collocaremur ſecuritate, ut ultra nec peccare poſſemus, nec velle peccare? Porro corporalis natura, & cœpit ex tempore, & augmentis decrementiſque, ſive converſionis in alia facultate, mutabilitatis vices, quæ cuncta fiunt in tempore, confitetur. Loco vero ſubjectam non dubitat, qui omne corpus longitudine, latitudine, atque altitudine conſtans, quod ſolidum appellatur, non niſi loco ſemper contineri conſiderat. Utriuſque autem naturæ, hoc eſt & ſpiritalis & corporalis, proprietatibus Deus artifex obſervatis, hominem ex anima compegit & corpore, ſicut eodem revelante qui fecit accepimus. Verum animam illi fecit ad imaginem ſuam. quia tametſi cœpit ex B tempore ut creatura, ſempiterna tamen ut Deus pro ſuo modulo permanebit. vel quia rationis ei & intellectus participium quemadmodum ſanctis Angelis contulit: corpus autem non uſquequaque cæteris animalibus formavit diſſimile, niſi quod illa in alvum prona, id autem erectum inſtituit, cujus fido ſervitio ad capeſſenda ſuperiora auctoris ſui nutibus obediens anima uteretur. Quantum vero præſtet corpori anima etiam gentilis auctor conatur exprimere, cum de utroque loquens, alterum nobis, inquit, cum Diis, alterum cum beluis commune eſt. Ita factum hominem primum Adam cum Eva conju- C ge, quam mirabile dictu de coſta illi dormienti ſubtracta Deus produxit, in paradiſo voluptatis, ut ſacræ literæ teſtantur, conſtituit, eumque, ſuppetentibus omnibus ad uſum neceſſariis, non moleſto labore damnavit, ſed otiandi tædium oblata ei facultate operandi removit. Ne autem neſciret homo ei ſe debere ſubjectionis & obedientiæ vicem, a quo & eſſe acceperat, & bene eſſe nullis contra votum reluctantibus animæ corporiſve motibus feliciter capiebat. Conceſſis ei Deus ad eſcam univerſis pomorum paradiſi generibus, uno prohibuit ligno, quod ſcientiæ boni & mali nominavit. Et quoniam ſpes impunitatis magna eſt peccandi illecebra, præcepto interminationem pœnæ addidit, mo- D riendum eis * confirmans qua die ex ligno quod vetuerat comediſſent. Summa erat obſervandi juſſum facilitas, quando ad id violandum nec ulla neceſſitas invitabat, nec hoſtis qui ſolus diabolus erat, vim ullam inferendo impellere poterat. Jam ipſe ſuperbiendo ceciderat, jam quod ipſe merito perdiderat, hominibus poſſe contingere invidebat. Quid faceret qui nec ſemel conceptam malitiam deponere, nec hominem niſi adquieſcentem, niſi conſentientem, niſi volentem poſſet deicere? Auctor mali proprii, repertor alieni, ſerpente induitur, & cum divinæ juſſionis non cauſa ſcrutanda ſit, ſed executio maturanda, quod ſe quærere ſimulat, rudes quærere inſtigat, cur videlicet eis omnium pomorum Deus uſum non permiſiſſet promiſcuum.

*Virdun. MS. vario.

*Victor. MS. ac.

Saluſt. in Catilin.

*Virdun. M.S. affirmans.

Reſpondente muliere, quam faciliorem falli callidus explorator deprehenderat, ne forte morerentur, incautam a vera ſententia deduxit, & in falſam quod nun eſſent morituri protinus induxit. adjecto eo, ſcire Deum, quod ſi comediſſent unde prohibiti eſſent, mox aperirentur oculi eorum, ſimileſque Diis exiſterent. Scilicet ut numeroſitate Deorum ſaltem eorum fidem corrumperet, ſi ad inobedientiam tentati gulæ vitio non ceſſiſſent. Capta mulier, cum hoſtis male dulcoratis alloquiis, tum etiam interdicti pomi immodica venuſtate, prior comedit, & viro ut comederet perſuaſit. Mox uterque non anima ſolum, ſed & corpore occidit, quando inevitabilem moriendi neceſſitatem contraxit. Et quia peccati mortem, unde liberum ei fuerat abſtinere, non exhorruit, ad perſolvendam mortem corporis nolens quandoque pervenit. Mortuum ſane hominem ſtatim ut vetitum præſumpſit non mirabitur, qui ferali vulnere ſaucium, vel inremediabiliter veneni contagio jam corruptum, non perperam dici mortuum recordetur. propterea quod tam certa mors impendeat ſic affecto ut nulla ſpes effugii valeat inveniri. Iſtius quoque ſententiæ Apoſtolus auctor eſt qui ait, *Corpus mortuum eſt propter peccatum*. Habet ſcilicet moriendi neceſſitatem, quam non habuit ante peccatum. Ita quippe conditus fuerat Adam, ut poſſet non peccare ſi vellet, & poſſet non mori niſi peccaret. Verum ubi ei ſolum non ſuffecit bonum, niſi etiam mali caperet experimentum, & voluntatem ad peccandum convertit, poſſe non mori amiſit, & non poſſe non mori incurrit. Ita ſero ſcientiam boni obedientiæ quam ſponte deſeruit ſenſit, & ſcientiam mali quam impia curioſitate affectavit invenit. Quod nunquam enim veritus fuerat, ultricem comitemque peccati concupiſcentiam ſenſit, membrorum ſcilicet genitalium appetitum. quem ita exhorruit, ut ad pudoris remedium velamen quæreret foliorum: ita adamavit, ut ad juſtum damnationis * judicium importunam ejus illecebram nec ſi vellet vitare ſufficeret. Quod itaque peccare poſſet ſi vellet, peccando publicavit, quod vero poſſet etiam non peccare ſi vellet, conditor pateſecit, qui comminatus pœnam ne peccaret præmonuit. Habuit ergo Adam liberum voluntatis arbitrium & ad bonum & ad malum: ſed ad bonum divino munere adjuvandum, ad malum autem divino judicio deſerendum. Quemadmodum enim non adjuvaretur in bono ab eo qui vita eſſet animæ ejus, ut anima corporis ejus? Denique ſi *anima quæ peccaverit ipſa morietur*, ut prophetica præſcribit auctoritas, conſequens eſt ut vivat quæ bene geſſerit vivificante * Deo vita ipſius. Liberum autem hominis arbitrium in malo idcirco fuerat divino judicio deſerendum, quia cum illi æqua facultas boni malique conſtaret, nulla indigentia, nulla violentia, voluntatem ad malum inflexit, dum præceptum Dei ſui obſervatu facillimum, a quo ſe tanta bona percepiſſe videbat, ſacrilega impietate quaſi ſuſpectum contempſit, & hoſtis ignoti, cujus in nullo penitus indigebat, incitamentum, non ſolum ed examen Dei non retulit, verum audaci temeritate quaſi profuturum excepit. Juſtiſſime igitur in illo hæſit quod ſponte elegit. Et quia ut Apoſtolus aſſerit, *in eo omnes peccaverunt*, in omnibus ejus vitiata eſt natura ex utroque ſexu progenitis. ut ad male agendum, quatenus tamen progredi permittimur, ſit nobis ut illi liberum arbitrium,

Rom. 8. 10.
* duo MSS. indicium.
Ezech. 18.4.
* Virdun. MS. ſe Deo.
Rom. 5.12.

A ad bene autem operandum nequaquam ſit liberum, niſi fuerit Dei gratia liberatum. In primo parente noſtro, qui utinam ſtetiſſet, omnes peccando cecidimus, & omnes communi merito atrociſſima quidem ſumus ſed juſtiſſima pœna damnati. Non fuiſſet homo ingratus ei qui ſe fecerat, obtemperaſſet conditori, non ſeductori, noluiſſet eſſe niſi quod vellet qui eum potentia fecerat, clementia gubernabat. Verba hoſtis, quæ forinſecus per ſerpentem ſonuerunt, ſacra revelante ſcriptura cognovimus: quæ vero intrinſecus menti humanæ ſuggeſtionis molimina admoverit, tametſi indubitanter non valemus comprehendere, tamen probabili conjectura poſſumus æſtimare. Siquidem diabolus miſit in cor ut traderet Dominum Judas, B non palam vocibus perſtrependo, verum clandeſtinis avaritiæ facibus miſerum accendendo. Celſitudinem ſimilitudinis Dei ſuperbiendo Diabolus concupierat, jamque alieni appetens, ſui gradus dignitate deciderat. Dumque hanc nec vellet recuperare, nec poſſet, habituro invidit, & fortaſſe priuſquam verba ederet, incautum qua perierat peſte corrupit. Quomodo enim ad capiendum cibum exterius tam cito adquieviſſet, niſi ad obtinendam propriam libertatem tumuiſſet ante interius? Quomodocumque contigerit, auctor noſtri generis ſuo ut palam eſt vitio cecidit. Et quoniam in eo omnes peccavimus, omnes nos in lapſum ejus ruina proculdubio ſecum traxit. Atque cuilibet ſicut poſſibile eſt cum voluerit in foveam ſe præcipitare, quæ ſit am- C pla nec ſcabra tamen crepedine, cum vero egredi voluerit non valebit, niſi extrariis niſibus adjuvetur: ita primus homo ſponte quidem cecidit, in quo ipſi originaliter lapſi ſumus, ſed cæno peccati nos etiam ſi volumus expedire non poſſumus ut reſurgamus, niſi proſtratos extrahat & erigat gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Voluntarii criminis tantum malum non hominem primum modo, ſed univerſam etiam ejus ſobolem, ſexus utrinſque copula manantem, merito damnationis obſtrinxit. quam, cum eadem cauſa ſit omnium, communiter omnes paterentur, quippe qui non Deo, ſed Diabolo auſcultavarint omnes. Nec hinc oriretur juſta conqueſtio æquitate ſervata, præterquam quod mererentur nullis recipientibus, D niſi eſſet Deus, quemadmodum incomparabiliter juſtus, ita ineffabiliter pius, immo ut verbo noſtrarum ſcripturarum utamur, quo colligimur, quo ſalvamur, miſericors. Cum itaque ſuo merito pereundum eſſet omnibus, plures divina bonitate ſalvantur. In his agnoſcamus & amplectamur miſericordiam ejus: & ut his aggregari mereamur ſupplici obſervantia mandatorum ipſius, & precibus aſſiduis flectamus indulgentiam ejus. Cum vero itidem plures damnantur, non reprehendamus, quia merito ſuo juſte damnantur; ſed pertimeſcamus judicium ejus, qui eſt *terribilis in conſiliis ſuper* Pſal. 65.5. E *filios hominum*, noſque paria merentes miremur potuiſſe ſalvari. ut horum conſideratione ferventius accendamur ad amandam, laudandam, prædicandam miſericordiam ejus. His conſtitutis, & fideli aſſenſu retentis, nemo ſobrie ſapientium erit neſciens non eſſe Deum auctorem cauſamque perditionis homini, quem & rectum condidit, & poſſe ſi vellet in ſuo ſtatu manere, monendo monſtravit. Namque necdum erat ejus vitiata natura, ut vel ſcienda neſciret, vel impediente difficultate cognita implere non poſſet. Nimirum ſibimet

ipſi homo, aut ex ſeipſo, aut ex diabolo, ma-
lum concepit & peperit , dum a ſe divioam
amoliendo reverentiam deceptori credidit , &
cibum uſurpando illicitum capitale crimeo com-
miſit. Iſtud, iſtud plane mortalium generi om-
nium cauſa fuit malorum. Peccatum ſiquidem
pœna conſequitur, & quicquid non conſumit re-
mittendo præſens miſericordia, rependit ulciſcen-
do quandoque repræſeotata juſtitia. Sed inſur-
gat aliquis ex numero mordaciter querulorum,
& dicat , Non feciſſet Deus hominem , quem
peccaturum ſciebat. Quaoto rectius diceret ,
Non feciſſet homo quod ſumma facilitate vita-
re poterat peccatum, quo ſe, ſi verbis Dei fi-
dem habebat, cognoverat moriturum. quamquam
eſſet divinæ bonitati non congruens, hominem,
quem bonum poſt lapſum, aut etiam ex quo bo-
num facere poſſet, non condere. Aut talem fe-
ciſſet, ſubjiciat, qui peccare non poſſet. Quid
ita non queratur, Cur homo, cum talis factus
eſſet, ut poſſet non peccare ſi vellet , in hoc
ſtatu maoere noluit, ut quandoque tantum de
Deo mereretur obediendo, ne peccare vellet aut
non poſſet? Verum cur homini oegaretur illa
voluntas, qua vel bene utens expectaret præ-
mium, vel male excedens præmonſtratum pati
cogeretur tormentum? Conſtanter dixerim, nul-
lam Deum creaturam, quæ mala peccando fu-
tura eſſet, facturum fuiſſe, niſi aut eam iterum
bonam, aut ex ea boni aliquid facere decreviſ-
ſet. Maluit enim ex malis bonos vel bona fa-
cere, quam mala nulla eſſe permittere. Et ho-
mioum quidem pleroſque, vel originali vel pro-
prio vitio malos, reformat in bonos, nulla eis
imputata iniquitate ſua, quod firmiſſime tenen-
dum eſt, gratuita bonitate : ſpirituum autem
immuodorum oeminem hac dignatur gratia,
quorum pertioaci ſuperbiæ nullo veniæ ſubveni-
re decrevit remedio. Horum tamen , eorumque
participum hominum perditorum , quamquam
ipſis oolentibus, bene utitur famulatu: dum his
vel aperte ſævientibus , vel occulte inſidianti-
bus, exercet Saoctorum patientiam ſempiterno
quondam præmio coronandam. Nec minus ex
malis bonum agit, cum ſingulis eis meritum re-
penſat ſupplicium. Bonum enim eſt malos non
converſos puniri ; ut comprimatur ſuperborum
elatio, creſcat humilium devotio, augeatur ex
utriſque divina laudatio. Invicta, ut opinor ,
ſuperiorum ratiooe colligitur, hominem tam ani-
ma quam corpore fuiſſe damnatum , nec infor-
tunium damnationis ejus alii quam ipſi & ſedu-
ctori ejus aliquatenus imputandum. Illud etiam
claruit, potuiſſe ſuis viribus hominem peccando
cadere : verum non poſſe unquam ſua virtute
reſurgere. Proinde pius artifex, quod homo non
poſſet ut ipſe perficeret, filium ſibi coæternum,
æqualitate voluntatis & poteſtatis conſimilem,
non ex mare & femina, ſed ex Spiritu ſancto
& Maria Virgine, novo naſceodi privilegio, ho-
minem abſque peccato inſtituit, ut per eum qui
obumbrante Spiritu ſaocto non fuiſſet conceptus
æſtu libidinis , eorum qui in peccatis concepti
eſſent aboleret omne peccatum. Hic virgine fa-
ctus, virgine natus, ut abſque delicto conceptus
& ortus, ſic abſque ulla offenſæ macula con-
verſatus, poſtquam diſpenſationem noſtræ ſalu-
tis docendo ſufficienter exercuit , Deus verus ,
homo verus, utrumque unus, hoc eſt in utroque
& ex utroque uous, dignatione mirabili , mor-
tem, quæ peccato debetur , totius expers con-
tagii ſponte pertulit, & nos peccatores æterna
morte liberavit. Tum intra triduum reſurgens,
ſpem noſtram in cælum ſuſtulit , & paulatim
priſtini lapſus veritatem, & noſtræ inſtau atio-
nis integritatem expoſuit , non ſuis verbis ſo-
lum, verum etiam diſcipulorum & verbis & ſcri-
ptis. quamquam & ſanctæ literæ, quæ dicuntur
veteris teſtamenti, alterum mira proprietate ex-
preſſeruot , alterum myſtica præfiguratione ſi-
gnarunt. Nam & primi parentis p catum ipſæ
prodiderunt, & futurum ut per dominum Je-
ſum repararetur geous humanum , cum multis
aliis locis, tum in illo ſumme atque clariſſime,
Dominabitur a mari uſque ad mare, & a flu- Pſal. 71. 8.
mine uſque ad terminos orbis terrarum. Subtili-
ter igitur expendat fidelis examinator & pius ,
quanta fuerit hominis iniquitas, quam nec quiſ-
quam hominum , nec quilibet Aogelorum , niſi
Dei ſolius ſanguis valuit expiare. nec ſe mereri
aliud quam ſupplicium credat homo , qui poſt
purgationem baptiſmatis, qua etiam parvulis re-
gni cæleſtis janua aperitur, tametſi quædam di-
gna venia ſuſpicatur ſe geſſiſſe magis quam no-
vit. multa ſuot tamen plura, ſuper quibus di-
vini judicii ſeveritatem formidet . Quamquam
etiam de beoe geſtis timendum eſt, cum tantus Eſa. 64. 6.
vir dicat , *omnes juſtitiæ noſtræ quaſi pannus men-
ſtruatæ*. Juſtitia enim noſtra, licet interdum co-
ram hominibus ſplendeat opere & ſermone , in
conſpectu Dei ſordeſcit prava cogitatione. Ha-
bemus autem, ut ſupra relatum eſt, ex Adam
liberum arbitrium, non ad bonum & malum ,
quale ipſe a conditore accepit , ſed quale ipſe
ſponte io ima vergens elegit, & peccando com-
meruit. hoc eſt ad malum liberum, ad bonum
autem, ſi tamen id nobis divino munere conti-
gerit, ut ſupra jam diximus , Dei gratia libe-
randum. Mentior niſi hoc primus liber divinæ
auctoritatis oſtendit his verbis: *Senſus & cogita-* Gen. 8. 21.
*tio humani cordis ad malum prona ſunt ab adoleſcen-
tia ſua*. Secretorum etiam cæleſtium fidus inter-
pres Paulus , jam baptizatus , jam forſitan ad Rom. 7. 22.
tertium cælum evectus, *Condelector*, inquit, *le-
gi Dei ſecundum interiorem hominem*, illi profecto
quæ ſanxit, Non concupiſces , *video autem aliam
legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,
& captivum me ducentem in lege peccati, quæ eſt
in membris meis*. Legem in membris concupiſceo-
tiam vocat, quam poſt peccatum in membris
genitalibus primi ſenſerunt parentes, quam ſibi
adverſantem divino freti adjutorio etiam con-
tinentes quique repellunt, ſed penitus nunquam
reverſuram, dum hic mortaliter vivunt, exclu-
dere nequeunt. Dominus quoque Jeſus, qui ſin-
gulariter ut conditor ſciebat quid eſſet io ho- Joan. 15. 5.
mine, imbecillitatis noſtræ nos admoneos , *Sine
me*, inquit, *nihil poteſtis facerre*. nihil ſcilicet
boni, nihil ſaluti conducibile . Nec indignetur
ſalvatus, & ſalvandus, ſine ſalvatore ſe nihil
poſſe facere, qui pollicetur, *Si vos filius liberave-* Joan. 8. 36.
rit, tunc vere liberi eritis. Et cur , dicat ali-
quis, velut poſſibile præcipitur, quod poſtea im- Matth. 22.
poſſibile demonſtratur? *Diliges Dominum Deum* 37. & 39.
*tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,
& ex tota mente tua*, &, *Diliges proximum tuum
tanquam teipſum*, &, *Diligite inimicos veſtros ,
bene facite his qui vos oderunt*, &, *Qui vult poſt* Matth. 5. 44.
me venire, abneget ſemetipſum , & tollat crucem Luc. 9. 23.
ſuam, & ſequatur me. & alia multa, quæ nuoc
ioſtruunt fidem, nunc vires informant. Profecto
ut dum conatur quis, nec ſufficit quæ jubentur
implere, illuc fatigatione humiliatus recurrat ,
unde petendo, quærendo , pulſando , accipiat
quod deſiderat, & non in ſe, ſed in Domino
de omnibus ejus beneficiis glorietur. Nec ſibi

A nervos fortitudinis detrahi opinetur ſubjecte Deo
devotus, cum per ſe nihil boni poſſe facere tam
evidentibus inſtruatur teſtimoniis. Nec vero
meritum minui: quoniam ſolum hominem præ-
ſtantius quam Deo cooperante poſſe aliquid a-
gere, ne dicam opinari, vel ſomniare, non tam
ſuperbientis eſt hominis, quam amentis. & de
cujus plenitudine omnes accepimus gratiam pro
gratia, pro gratia quam impendit laborioſæ bo-
nitatis gratiam rependit beatæ retributionis.
Non habere hominem in bono liberum arbitri-
um etiam Hieremias propheta non dubitans, *Scio,*
Hier. 10.23. inquit, *Domine quia non ſit hominis via ejus.*
nec eſt ut ambulet & dirigat greſſus ſuos. Pro-
inde mox adjutorium flagitat: *Corripe me Domi-*
ne, verumtamen in judicio, & non in furore
tuo. Hoc eſt, quia non eſt meæ virtutis ut me-
B am pravitatem corrigam, & juſtitiæ tuæ ap-
prehendam & teneam rectitudinem, tu adhibe
correctionem judicii, cujus terrore ſalubriter ſa-
nas infirmos, non correptionem furoris cujus ſe-
veritate horribiliter damnas ſuperbos: ut muta-
ta & confirmata voluntate faciam, te coope-
rante, quod meis viribus implere non valeo.
Vates præterea clariſſimus Iſaias totum Deo ni-
hil nobis penitus tribuendum confirmans, *Domi-*
ne, inquit, *pacem da nobis: omnia enim opera*
Eſa. 26. 12. *noſtra operatus es nobis.* Namque ſi nobis teme-
re ſanitatem liberi arbitrii arrogamus, fruſtra
diu multa conati, ſic impoſſibilitate, ut hoſte
acerrimo confundimur, moleſtoque bello labo-
ramus, quouſque defeſſi ad divinum recurramus
C auxilium. Quo impetrato, pacem de qua dici-
Pſ. 118. 165. tur: *Pax multa diligentibus legem tuam* con-
ſequimur. dum per bonum affectum in Deo mens
noſtra velut in munitione tutiſſima requieſcit,
& jam ſalutaria præcepta fiducialiter operatur,
quandoquidem ea ipſe qui præcipit exercet. Mi-
retur aliquis, ne parva quidem bona opera no-
bis a nobis, ſed ipſa quoque a Deo eſſe, niſi
cognoverit ipſas cogitationes bonas, & initium
ac perfectionem fidei non a nobis procedere, ſed
a Deo inſpirari habentibus atque firmari. Do-
ctor hæc gentium, immo per eum Dei ſpiritus
publicans, *Non quaſi ſufficientes ſimus,* inquit,
2. Cor. 3. 5. *cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed*
ſufficientia noſtra ex Deo eſt. hoc eſt, quod ad
ſanctitatem religionis pertineat: nos quidem ni-
hil ſufficimus cogitare: ſed ut ſufficiamus, ip-
D ſas a Deo cogitationes bonas accipimus. Item
de initio fidei, *Sed miſericordiam conſecutus*
1. Cor. 7. 25. *ſum,* ait, *ut fidelis eſſem.* Non enim ait, quia
fidelis fui miſericordiam conſecutus ſum, ſed
miſericordiam conſecutus ſum ut fidelis eſſem.
De perfectione autem fidei: *Gratia ſalvi facti*
Epheſ. 2. 8. *eſtis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim*
donum eſt. Itemque non de fide ſolum, ſed de
Philip. 2.13. ipſa bona voluntate, *Deus eſt,* inquit, *qui ope-*
ratur in vobis & velle & perficere. Quod ve-
ro in bonis actibus perſeverantia Dei donum, ac
per hoc gratia Dei ſit, facile illo ſatis idoneo
Philip. 1. 6. teſtimonio comprobatur, *Confidimus in Domino*
E *Jeſu, quia qui cœpit in vobis opus bonum, per-*
ficiet uſque in diem Chriſti Jeſu. Hoc eſt Deus,
qui cœpit in vobis agere quod præcepit, tam-
diu operabitur, quouſque excedentibus vita ſin-
gulis adveniens incipiat reddere quod promiſit.
His omnibus erudimur ne ſpem in nobis collocе-
mus opinione gravius delinquentes, ſed ſtatum
noſtrum munientes, totius noſtræ ſpei plenitudi-
nem transferamus in illum, qui propterea nos
ad ſe vocat ut fulciat, idcirco profutura nos pe-
tere invitat ut tribuat, ideo ne nobis confida-
mus terret, ne deſerat. Namque maledictus ho-
mo eſt qui ſpem ponit in homine; qui autem
eam in ſeipſo ponit, in homine ponit. maledi-
ctus igitur eſt. Sane Dei bonitas præclare com-
mendatur, cum benedictus eſſe vir aſſeritur qui
confidit in Domino, & ſolus interdum confiden-
tis affectus præmium jam benedictionis aſſequi-
tur. Amant autem immundi ſpiritus, decipien-
di haſtu ſpem hominum in ſe transferre, quod
in ſuis cultoribus effecerunt, vel ex quodam
colludio falſas opiniones mentibus eorum inſere-
re: quaſi propter naturæ dignitatem atque præ-
ſtantiam tutiſſimum ſit eis in ſeipſis ſpem ali-
quatenus collocare. Quod eſt ex eorum ſcriptis
oſtendere, qui divinæ vacui notitia mundanæ ſa-
pientiæ claruerunt. Tullius facit non Lælium
vel Scipionem, quæ poſſet eſſe dubia, ſed M.
Catonem ſenem certa, hoc eſt ſua, dicere ſen-
tentia. Quibus nihil eſt in ipſis opis ad bene
beateque vivendum, his omnis ætas gravis eſt: De Sen. n. 4.
qui autem omnia bona a ſe ipſis petunt, his ni-
hil malum poteſt videri, quod naturæ neceſſitas
afferat. Omnia bona a vero Deo non a ſe ipſis
petunt, Marce Tulli, dixiſſes, & nobis non tam
ſplendore verborum, quam ſententiæ veritate pla-
cuiſſes. Virgilius etiam, ut hominem decuit poe-
tica figmenta tractantem, aliud agens tale quid
ſignificavit potius quam expreſſit, *Spes ſibi quiſ-*
que. O utinam dixiſset, cuique Deus verus ſpes, Æneid. 11. v. 309.
& credidiſſet: nec de Mecenate adulando, ſed
de eodem vero & ſolo Deo probe ſummeque
canendo protuliſſet. *Te ſine nil altum mens in-*
eboat. Noſtri autem auctores, facile ſapientia Georg. l. 3. v. 42.
ſuperiores, quia divina eloquentia pares, quam
cum volunt exerunt, cum volunt abſcondunt;
Cyprianum loquor, Auguſtinum, Hieronymum,
Ambroſium, & quoſdam alios, & mentem divi-
norum eloquiorum penitus inſpexerunt, & no-
bis ſalubriter expreſſerunt. Scilicet egere nos in
bonum arbitrio liberando, & Dei gratiam non ſe-
cundum merita noſtra dari. Itaque glorioſiſſi-
mus martyr Cyprianus, & doctor ſuaviſſimus;
omnia noſtris viribus adimens, Deo aſſignans,
breviſſime omnia genera meritorum complexus,
ait * in nullo gloriandum, quando noſtrum ni-
hil ſit. Ambroſius autem ſcribens, * non eſt in *l. 3. Teſtim. ad Quirinum c. 4.
noſtra poteſtate cor noſtrum & noſtræ cogitatio-
nes, etiam ipſa facta & dicta comprehendit, quæ *lib. de fuga
profecto ex corde & cogitatione procedunt. Hie- ſæculi c. 8.
ronymus divina & ſæculari doctrina præcipuus,
& velut quidam parens cum Auguſtino Eccle-
ſiaſticæ philoſophiæ, quæ humanam nec multum
appetit, nec in omnibus contemnit, Pelagianam
hæreſin recens exortam potenter debellans, Si
inquit, in eo tantum Dei gratia eſt, quod pro- Hier. t. 2. adv. Pelagium.
priæ nos condidit voluntatis, & libero arbitrio & Cteſiphon-
contenti ſumus; nec ultra * ejus indigemus, ne tem.
ſi indiguerimus, liberum frangatur arbitrium, * in edit. ejus indigemus auxilio.
ergo neque ultra orare debemus, nec illius cle-
mentiam precibus flectere, ut accipiamus quoti-
die quod ſemel acceptum in noſtra eſt poteſta-
te. Item poſt aliquanta, Agamus ſemper gra-
tias largitori, ſciamuſque nos nihil eſſe, niſi
quod donavit in nobis ipſe ſervaverit. Item a-
libi in Deuteronomio perſpicue demonſtratur,
non operibus noſtris atque juſtitia, ſed Dei nos
miſericordia conſervari. *Non juſtitia tua domi-*
nus Deus tuus dabit tibi terram optimam, ut Deut. 9. 6.
poſſideas eam, quia populus duræ cervicis es tu.
Item poſt aliquanta: *Pro nihilo ſalvos facies* Pſal. 55.
eos, haud dubium quin juſtos, quia non pro-
prio merito, ſed Dei ſalvantur clementia. Item
alibi in expoſitione ſententiæ: *Non glorietur*
ſapiens

ſapiens in ſapientia ſua , & non glorietur fortis in A
fortitudine ſua , & non glorietur dives in divitiis ſu.s,
ſed in hoc glorietur qui gloriatur , ſcire & intelligere
& noſſe me , quia ego ſum Dominus , qui facio miſeri-
cordiam & judicium , & juſtitiam in terra . Ubi
ſuot, ioquit, qui dicunt proprio hominem regi ar-
bitrio? ſic datam liberi arbitrii poteſtatem, ut Dei
miſericordia tolleretur atque juſtitia? Ipſe autem
Auguſtinus, quem neſcias utrum rerum inventiooe
* *Virdum. M. S.* facili- tate. magis aodicendi * felicitate mireris, de libero ar-
bitrio & gratia Dei tanta diſſeruit, ut poſſint vix ab
aliquo legi, omnia vero, ut mea fert opinio, quam-
quam ſint clariſſima & utiliſſima, a nemine memo-
ria contineri. Quid enim ſentiendum ſit de libero
arbitrio & gratia Dei, ſicut nemo tam laborioſa in-
B dagioe veſtigavit, nemo ut ille tamdiu verſavit;
ita, ut pace cunctorum dixerim, nullus utrumque
tanta varietatis proprietate invenit, nullus tanta
eloquentiæ ubertate aſſeruit, nullus inexpugnabi-
lium argumeotorum copia tanta defendit. Proin-
de, cum eſſent illius omnia optima, & pene innu-
mera, hæſitaremque quid potiſſimum eſſet eligeo-
dum, ſtatui ſtudioſum ad illorum iovitare lectio-
nem, quæ noſtris præcognitis facilius poterit pene-
trare, quam paucis poſitis, ſimilibus melioribuſve
fraudare. Hoc uoum tamen occultare oon paſſus
ſum, quod inter alia de libero arbitrio acutiſſime
Aug. lib. operis imperfecti contra Julianum, cap. xi. deprehcodit. Liberum, ioquit, arbitrium conge-
nitum, & omoioo inamiſſibile ſi quærimus, illud
C eſt quo beati eſſe volunt etiam hi qui ea nolunt quæ
ad beatitudinem ducunt. Nec arbitretur aliquis,
aut taotos viros, aut nos, bona quæ dono Dei coo-
ſequimur, ſic dona ejus aſſerere, ut non ſint etiam
noſtra. Sunt profecto Dei ac priocipaliter, quia ab
illo donantur: ſunt conſequeoter & bona noſtra,
quia nobis ab illo eſſe credontur. & cum aliquid bo-
ni molimur vel agimus, eſt in nobis liberum arbi-
trium, quia peccati affectu Dei gratia liberatum:
Idemque opus & Dei eſt, qui operatur in nobis; &
noſtrum eſt, quia voluntate facimus quod præce-
ptum eſt nobis. Cogitationes bonæ Dei ſunt, quia
1. Cor. 3. 5. oobis donantur ab illo, ut Apoſtolico ſuperius con-
D ſtitit documento, *Non quod ſufficientes ſimus cogi-*
tare aliquid a nobis quaſi ex nobis , ſed ſufficientia
noſtra ex Deo eſt : & eædem noſtræ ſunt, quia Spiri-
tus Dei admonet, *Jacta cogitatum tuum in Domino ,*
Pſal. 54. 23. *& ipſe te enutriet*. Converſio noſtra Dei eſt, cui
ſupplicatur, *Converte nos Deus ſalutaris noſter*; &
Pſal. 84. 5. eadem noſtra eſt, quia divinitus jubetur, *Conver-*
timini ad me in toto corde veſtro. Inclinatio cordis
Joel. 2. 12. noſtri ad præcepta Dei, & ipſius Dei eſt, quem pla-
camus his ab eodem docti precibus: *inclina cor me-*
um in teſtimonia tua. & eadem inclinatio oostra eſt,
Pſal. 118. 36. quia volentibus nobis eſt. uode non falſo gloriamur:
Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas
in æternum. Poſtremo omnia opera noſtra bona, &
E Dei ſuot qui dicit, *Sine me nihil poteſtis facere* , &
Ibid. 112. eadem noſtra ſunt, quia illi prophetice dicitur, *Do-*
mine pacem da nobis , omnia enim opera noſtra opera-
Joan. 15. 5. *tus es nobis* . Noſtrorum autem omnium bonorum
Dei gratia auctor & cauſa eſt. Nam poſt peccatum
Eſa. 26. 12. Adæ, io quo omnes peccavimus, & juſte damnati
ſumus, (rectus eſt enim Dominus Deus noſter, &
non eſt iniquitas in eo) quid mereatur totius gene-
* viciata, ris humani ſeries * uſitata, & propter originale
peccatum damnata, & propter propria addita,
ſi ad activam ætatem acceſſerit, damoanda, niſi
ſempiterna ſupplicia?

II. Quæſt. *De Prædeſtinatione.* Hæc plane, ut ſupra relatum eſt, peccato vi-
tiata tota ſtirps hominum perpeti cogeretur, niſi
ex eadem ſtirpe eandem cauſam damnationis haben-
te, alii occulto judicio Dei quamquam rectiſſimo
per juſtitiam ejus in damoatiooe debita relinque-
A rentur, alii vero maoiſeſta gratia per ejus miſeri-
cordiam ſalvarentur. Non eſt unde inſlentur libe-
rati, quia quod ooo meruerant acceperunt: non eſt
unde querantur damoati, quia nihil niſi quod me-
ruerant perferre coacti ſuot. Cur autem iſtos noo
illos ſalvet Deus, aut cur non potius iſtos, quam
illos, jam hoc ſupra hominem eſt, nec ſecreti Dei,
præſertim taoti, cauſa expectari debet ab ho-
mine. *Quis cognovit ſenſum Domini , aut quis* *Rom. 11. 34.*
conſiliarius ejus fuit? Igitur, ut idem ait, *cujus*
vult miſeretur, & quem vult indurat: miſeretur
exuberante bonitate, indurat nulla intercedeo- *Rom. 9. 18.*
te iniquitate. Indurat autem, oon ad pecca-
tum impellendo, Deus enim intentaror malo-
rum eſt, ſed in peccato deſerendo, quia ipſe
B quorum vult ſolum liberator eſt. Et utique ut
eſt quorumdam, ſi voluiſſet eſſe potuiſſet & om-
nium. omnia enim quæcumque voluit Dominus
fecit in cælo & in terra. Sed ita voluit exercere
miſericordiam, ne in aliquo infirmaret juſtitiam.
Nam quod venerabilis Paulus ait: *Qui vult om-* *1. Tim. 2. 4.*
nes homines ſalvos fieri , non ſic accipiendum
eſt, quaſi cum Deus velit generaliter omnes fie-
ri ſalvos, quibuſdam impedientibus impotentiſ-
ſimis, non valeat omnipoteotiſſimus implere
quod velit: ſed ita potius, quod illi ſive volen-
tibus, ſive nolentibus, nam plures io infantili
ætate baptizati, horum ooo habentes diſcri-
men, mox vita excedentes transferuntur ad glo-
C riam. ſalvantur omoes quoſcumque ille ſalvare
voluerit. Omnes ergo vult ſalvos fieri homines,
ſed oon alios quam qui ſalvantur. Quo elocu-
tionis geoere uſus eſt Evangeliſta Joannes his
verbis: *Qui illuminat omnem hominem venien-*
tem in hunc mundum: ooo quo fidei luce om- *Joan. 1. 8.*
nes in hunc mundum veoieotes illuminet, quod
ſentire perquam abſurdum eſt. quandoquidem
plures infidelitatis teoebris obſcurentur: ſed eos
videlicet qui illuminantur, dum non ab alio
niſi ab illo illuminantur. Omnes autem non
ſemper univerſitatem generaliter, verum ali-
quando exceptionem quandam particulariter com-
D prehendere, etiam ipſe Apoſtolus, de cujus de-
liberatur ſenteotia, idoneus auctor eſt ubi ait:
Sicut ego per omnia omnibus placeo . Namque *1. Cor. 10. 33.*
ut taceam de majore adhuc infidelium parte,
quibus profecto placere non poterat, non pla-
cebat his a quibus cædebatur, ooo placebat his
a quibus obruebatur lapidibus, non placebat his
denique a quibus urbe velut mortuus pelleba-
tur. Placebat autem ſolis fidelibus, qui tot
eraot ut merito dici poſſent omnes, quique io
illo glorificabaot Deum quod perſecutionem præ-
dicatiooe mutaſſet. Poſſumus etiam, *qui vult* *1. Tim. 2. 4.*
omnes homines ſalvos fieri, ſic ſano ſenſu intel-
ligere, quod ex omni genere hominum colligat
ad ſalutem, hoc eſt quoſdam Judæorum atque
E gentilium, quoſdam utriuſque ſexus, ooonullos
magiſtratuum & privatorum. aliquos domioo-
rum atque ſervorum. alios ingenioſorum atque
hebetum, & quarumcumque differentiarum ho-
mines poſſunt a ſubtiliter contemplantibus de-
prehendi, qui omoium vocabulo non immerito
cenſeantur. Siquidem eadem notione idem no-
men in Evangelio Lucas poſuit: *Væ vobis Pha-*
riſæi , qui decimatis mentam & rutam, & om- *Luc. 11. 43.*
ne olus . Neque enim omoium generum olus
per omoem terræ amplitudioem Phariſæi deci-
mabant: ſed omne olus, omne genus olerum
quod habebant eſt abſque ſcrupulo ſentien-
dum. Nec ille ſenſus abhorret a vero, ut
qui vult omoes homines ſalvos fieri, qui vel-
le nos facit omoes homines ſalvos fieri ſi-

 Vuu

gnificare voluerit . ut qui ſcimus multos vocatos , paucos autem electos nullo diſcrimine ſeparare valeamus, omnes indifferenter velimus fieri ſalvos. Nam & in eundem modum inve-
Rom. 8. 26. nimus apud Apoſtolum: *Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, hoc eſt poſtulare nos facit. Hanc autem gratiam , qua nos omnes qui ſalvamur gratis eripimur , pluribus relictis in damnatione quam nos quoque merui-
Ephes. 1. 4. mus, commendans vas electionis , *Sicut elegit nos*, inquit, *in ipſo ante mundi conſtitutionem , ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in caritate. qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum*. Ne adverſus Deum ex ejus munere inflaremur , antequam oreretur ſuperbiæ morbus, quam efficax eſt remedium procuratum. Elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem , non quia eramus ſancti & immaculati , aut quia futuri eramus ſancti & immaculati, alioquin non tam ſuæ gratiæ donum largiretur, quam noſtro merito vel præſenti vel futuro præmium velut ex debito referret. Sed elegit nos ante conſtitutionem mundi, ut eſſemus ſancti & immaculati. hoc eſt eligendo præſtitit ut eſſemus ſancti & immaculati , qui niſi vellet , nec ulli quidem eſſe poſſemus. Ceterum ubicumque de electione vel præſcientia ſive prædeſtinatione Apoſtoli loquuntur , quicumque Deum propterea elegiſſe, præſciſſe, aut prædeſtinaſſe quoslibet aſſerunt, quod præſcierit eos devotos ſibi futuros, & in eadem devotione manſuros , tametſi ſint in aliis magnæ auctoritatis , in hac ſententia non ſunt penitus audiendi, ne evacuetur divinæ gratiæ donum , ſi ſecundum humanum quamquam futurum meritum diſpenſetur . Nec indignentur his præponi Apoſtolum quicumque non neſciunt in hoc loqui potius Chriſtum, qui ſe quemadmodum eſt veritatem eſſe teſtatur. Hi ſola gratia prædeſtinati ſunt omnes ,
Joan. 6. 43. de quibus ait Salvator: *Omnis qui audivit a patre & didicit venit ad me*. Hæc autem ſalutis doctrina, qua venitur ad gratiam ſalvantis , valde remota eſt a ſenſibus corporis. Non auribus apprehenditur ſonantibus verbis , ſed mentibus creatoris inſtinctu, etiam in eis abſque ſtrepitu quod placuerit operantis , vel miſericordiam ut vocati liberentur, vel judicium ut relicti damnentur. Operatur plane in mentibus piorum , adjuvando ut ſalutaria velint, & in eis proficiant: operatur in mentibus impiorum deſerendo, ne niſi noxia velint, & in pejora labantur.
Psal. 118. 117. Id Propheta intelligens orat, *Adjuva me & ſalvus ero*. De reprobis vero ſponte peccantibus , & deſerente judicio Dei ad deteriora ruentibus
Rom. 1. 28. ait Apoſtolus, *quia non probaverunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant quæ non conveniunt*. Utroſque diſcernit voluntas, vel miſericordia Dei adjuta, vel judicio non adjuta. Deum itaque, qui adjuvat ut bona ſit voluntas, & voluntatis ipſius, & omnium quæ ex ea prodeunt bonorum, nec non & quæ hæc nullo dubitante conſequuntur præmiorum, nemo eſt tam ingratus , qui non credat & confiteatur auctorem . Perditorum vero malæ voluntatis eum eſſe auctorem , nemo niſi inſanus & perditus opinari audebit . Neque enim cujus voluntas ſumme bona eſt , malam eſſe facit alterius . Auctor itaque ſicut non eſt malæ voluntatis impiorum, ita nec aliorum quorumlibet peccatorum quæ ex ea procedunt . Verum qui non eſt auctor ullius omnino reatus, eſt profecto cenſor & judex . Ut autem reus majeſtatis damnatus, non recte niſi ſibi

A aut ſociis criminis imputat quod punitur , ita judicio Dei damnatus, non recte poteſt in eum ſupplicii ſui retorquere invidiam , cui nequaquam valet objicere peccati ſponte a ſe commiſſi calumniam. Imputet igitur ſibi homo, vel ſi placet, diabolo, cui temere credidit, & peccatum & vindictam peccati , hoc eſt & cauſam damnationis, & ipſam damnationem: Deo vero & bonum opus, & ipſum boni operis præmium. Ad hoc bonum nemo malus niſi diſceſſurus acceſſit: ad hoc bonum nemo bonus niſi tractus pervenit. Siquidem quam verum eſt , *ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis*, tam verum , 1. Joan. 2. 20.
nemo venit ad me, niſi pater qui miſit me traxerit Joan. 6. 44.
B *eum*. Ubi pravitas noſtræ naturæ, quam tamen tranſlato vocabulo, id eſt improprio utentes, naturam juxta Apoſtolum dicimus, qui ait, *Eramus nos aliquando natura filii iræ, ſicut & cæteri*, vo- Ephes. 2. 3.
cans naturam quæ habeat jam peccatum quod ſit contra naturam, cum vere & proprie natura dicatur incorrupta , in qua conditus eſt Adam: pravitas, inquam, noſtræ naturæ oſtenditur, quæ ut alibi declaratur *ſenſu & cogitatione cordis ad malum prona ab adoleſcentia* , hoc eſt ex quo poteſt diſcretionis habere judicium , ad virtutem reluctans trahitur & invita . Sed ut ad propoſitum revertamur, ad bonum , & ad boni præmium, nemo niſi ante mundi conſtitutionem gratia electus, gratia præſcitus, gratia prædeſtinatus,
C intromiſſus eſt , ſicut divino ſpiritu pandente comperimus. Electio non omnium, ſed quorumdam confitetur ſalutem. præſcientia futurorum , nobis duntaxat, nam Deo ſimul præſto ſunt omnia , prænotionem inſinuat . Prædeſtinationem autem, in bono poſitam, didicimus oſtendere in ſanctis literis gratiæ præparationem . Gratiam vero ipſam exprimere donationem . Præſcit Deus quæcumque aut facturus eſt, aut permiſſurus. utraque nulla neceſſitate, alterum communione injuſtitiæ nulla . prædeſtinat quæcumque immutabiliter facere ſtatuit , immo omnia quæ facturus erat tunc prædeſtinavit , quando cuncta quæ factura erant fecit. Proinde prædeſtinatio nunquam eſt ſine præſcientia . nihil enim
D quod neſciat ſe facturum Deus prædeſtinat. Præſcientia vero eſt & plerumque ſine prædeſtinatione: quia crimina perverſorum præſcit Deus, quæ utique ut ſe facturum non prædeſtinavit , ita nec fecit. Verum enimvero præfixit numerum electorum, cui nullus poſſit augeri, nulluſque ſubtrahi, ne videretur Deus, quod nefas eſt opinari, in veritate ſuæ prædeſtinationis erraſſe. Si quis vero hinc forte confirmari deſiderat, inſtruetur Baptiſtæ Joannis quæ in Evangelio re- Luc. 3. 8.
fertur illa ſententia: *Facite fructum dignum pænitentiæ, & nolite dicere apud vos , patrem habemus Abraham. potens eſt enim Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*. Qua ſatis oſtendit ,
E ſic iſtos niſi fructum fecerint præcidendos , ut ſubſtituantur alii, vel carne vel tantum imitatione filii Abrahæ: ne nutante promiſſionis Dei fide poſſit aliquis certæ ſummæ deeſſe. & adhuc apertius in Apocalypſi, ubi præcipitur: *Tene quod* Apoc. 3. 11.
tenes, ne alius accipiat coronam tuam . Si enim alius non eſt accepturus, niſi iſte perdendo locum vacuum fecerit ſucceſſuro , certus eſt numerus electorum. Ut autem etiam perſeveraturis perinde iſta dicantur , velut eos perſeveraturos habeatur incertum, hæc ratio eſt, quod metus eſt neceſſarius, quibus adhuc poteſt ſubripere ſuperbiæ morbus: & tanta ſubeſt his adhuc infirmitas, quæ non ſecuritate fovenda , ſed alia ſit infirmitate ſedanda . Veniat nobis in mentem

A Apoſtolus, cui corporis incertum ac mentis incommodo laboranti, & remedium flagitanti, cæleſtis medicus, qui ſciret quam ipſe melius, quid ei competeret, infirmitatis antidotum convenire monſtravit hanc prædeſtinationem, quia Deus evolvens gratiam facit ſanctos, non invenit, & poſt excurſum inſtantis vitæ perficit & coronat. Hanc inquam prædeſtinationem, quæ illuſtribus divini eloquii teſtimoniis & inexpugnabilibus argumentis adſtruitur, fideles quique paſſim ſuſcipiunt, conſtanter defendunt, in hac ut par eſt ſuſpenſi ſpem ſuæ ſalutis pio conſenſu reponunt, nec immerito. Siquidem nulla via ſalutis humanæ poteſt inveniri, præter hanc quam quæ præſtitit divina gratia demonſtravit. Hac excluſis nullus omnino patet reditus ad ſalutem. De his prædeſtinationem Dei dici horrent plerique atque refugiunt. in quibus & quædam præclara Præſulum lumina. Scilicet ne credatur Deus libidine puniendi aliquos condidiſſe, & injuſte damnare eos qui non valuerint peccatum, ac per hoc nec ſupplicium declinare. Qui ſi adtenderent, ſicut in Adam illo voluntate peccante omnes peccaverunt, ita prius illo abſque vitio exiſtente omnes abſque vitio extitiſſe: Deum autem non homini neceſſitatem caſus intuliſſe, poteſtatem tamen permiſiſſe, ipſum vero ut pote qui fecit quæ futura ſunt, & qui vocat quæ non ſunt, tamquam *ea quæ* ſunt, & caſum præſciſſe, & quid caſum ſequeretur conſtituiſſe, ut videlicet genus humanum ſua ſponte corruptum, nec totum propter miſericordiam damnaretur, nec totum propter juſtitiam ſalvaretur, nullam patientur caliginem, Deum quos rectos origine condidit, voluntas propria vitiavit, quos non liberat clementia, ſic punire judicio, ut non ipſe, verum ipſi convincantur ſuæ damnationis auctores. Hic aliquis, unde placari debuit, forſan irritatior dicat, Etſi mihi ſemel pereundum eſt, cur hujus vitæ perdo compendia? cur cum mihi alibi ſemper futurum eſt male, non ſit hic aliquandiu bene? quare non omnes voluptatis effundo habenas, totumque quod delectat perficio? Averterit Deus hanc ab omni Chriſtiano inſaniam, ut ſe aliquis de numero perditorum credat, ſe a malo reverti non poſſe conjiciat, ſe inæſtimabili Dei clementia ſalvari poſſe diffidat. Hoc eorum eſt, qui tranſeunt in affectum cordis. hoc eſt, qui malum amore inſatiabili diligunt, & in eo durare obſtinatiſſima intentione decreverunt, & in deſperationis barathrum irrevocabili ſe impietate merſerunt. Qui vero ſe redemptum Chriſti ſanguine tanto pretio meminit, initiatum baptiſmate tanto ſacramento non neſcit, pœnitentiæ aditum ſuæ ſalutis argumentum patere non dubitat, cur quæſo potitus tantis beneficiis nullo ſuo merito niſi malo, non indefeſſus implorat, ut etiam & bonum meritum a Deo, & quæ bonum meritum conſequuntur accipiat? Cur ſe regreſſum habere dum hic vivit deſperat, cum potius de bonitate Dei præſumere debeat, quod ideo vivat ut ſemetipſum tandem aliquando corrigat? Quis integre unquam ſperare in Domino potuit, nec potuit ad veniam pervenire? Immo ſuo quiſque judicio damnatus fugiat a Deo ad Deum, ab irato dum peccat ad placatum dum
Pſ.36.5. pœnitet. Revelet Domino viam ſuam, & ſperet in eum, & ipſe faciet, ſcilicet ut mala plene deſerat, & bona jam ardenter ac delectabiliter apprehendat. Ille non poteſt Dei miſericordiam
Pſ.31.10. conſequi, qui in illo ſperare non poteſt. Nam *ſperantem in Domino*, ut ipſe aperit, *miſericordia circumdabit*. O quam tutum eſt nobis in Dei pietate perfugium! Paratus eſt Deus, parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos. his qui relinquunt culpam, & lacrymabiliter poſtulant veniam, facilis eſt præſtare indulgentiam. Quis non hunc multum diligat, ut ſibi dimitti peccata multa diligendo obtineat? Feſtinus ergo quiſque ad pœnitentiæ portum confugiat, ſecurus adprehendat & teneat. Proponat ſibi quiſque æmula pietate David Regem, & Petrum Apoſtolum: quorum unus de adulterio & homicidio increpatus, ut par fuit, inſigni dolore, *peccavi Domino* dixit, 2.Reg.12.13.
& translatum mox peccatum, nec ſe moriturum, audire meruit: alter vero reſpectus ab eo qui pauliſper averterat ab eo faciem ſuam, & Pſ.29.8.
B propterea factus fuerat conturbatus, reſpectus inquam, id eſt in affectum pœnitentiæ excitatus, negationis Dei maculam, tantum nefas, dicto citius amaris lacrymis diluit, abolevit. At ſi quis tantorum virorum contemplatione deſperationem magis quam imitationem concipit, quod hi, quamquam maxima crimina, virtutum copia propulſaverint atque oppreſſerint, ſe autem ſolis ſcatere vitiis ingemiſcat, ſaltem illum latronem adſpiciat, qui ſupplicium crucis haud dubie ſceleratis actibus meruit, & per ſolam fidem, quæ ſubito confeſſionem peperit atque ſpem, in media morte vitam invenit. Poſtremo, ſi ſciret ſe aliquis tam infeliciter addictum, ut abſque ulla dubietate damnandus eſſet, cur non
C temperaret a vitiis? cur non etiam elaboraret ſectari bona quæ poſſet, ut ſaltem eum levior pœna poſtea plecteret? Quis hujus vitæ pœnis torquendus, ſi facultas detur, non minores eligat, majores declinet? Minores autem pœnas minoribus, majores peccatis majoribus rependi divina ſcriptura conſulta reſpondet. *Reddes*, inquit Pſal.61.13.
Propheta, *unicuique juxta opera ſua*. pro qualitate ſcilicet bonorum, ſive malorum, præmia quibuſque digna reſtituet. Sed ſi jam aliquid in perſuadenda bona ſpe favore divino promovimus, ſitne malorum prædeſtinatio ſentienda, poſt ratiocinationem quam præmiſimus, beati Auguſtini aſſertione pandamus. Hic auctor certiſſimus,
D quia divinarum ſcripturarum obſervantiſſimus, ſcribendo profecit. unde culpat quoſdam in libro de prædeſtinatione Sanctorum, quod ſicut Cap. 10.
ſtuduiſſent ipſius libros legere, non etiam curaſſent cum ipſo proficere.) & proficienter ſcripſit, nec tamen ſuo judicio ad perfectionem pervenit. Tenebat enim, quod etiam in ſuo mirabili de Grammatica opere Priſcianus intelligit, nihil perfectum ex omni parte in humanis inventioni- In Præfat. lib. 1.
bus inveniri poſſe. Immo quod noſter ait Apoſtolus, *ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus*. Hoc in exactiſſimo libro de bono perſe- 1.Cor.13.9.
verantiæ, quem poſt vel inter libros Retractationum edidit, dignatur ingenue confiteri. In libris autem retractationum, quibus non erubuit
E publicare in quibuſcumque ſe deprehendit erraſſe, & cenſoria ſeveritate damnare, & adhibita ubicumque potuit norma divinæ auctoritatis, & acumine cautiſſimæ argumentationis corrigere, eo uſque profecit, ut ſtudioſus quiſque ſingularem ejus doctrinam ſecurus haurire debeat, malitioſus non inveniat in eo quod juſte reprehendat. Quis illo preſſius vitia reſecuit? quis ad virtutes potentius inſtigavit, immo ut verius eloquar, impulit? quis illo felicius quod voluit perſuaſit? Cumque ſit, ut ait Tullius, minimum de arte loqui, multo maximum ex arte dicere, ex arte quotiens voluit perfecte loquens oratorem implevit: de arte autem præclara ad jumen-

ta, vim ejus aperiens, in quarto de doctrina Chriſtiana libro capacibus præſtitit. Quis hoc ſit ſanctior? quis cautior? quis acutior? Hic itaque tot divinis ornatus muneribus, non dubitando, non quærendo, non argumentando, ſed plane velut profeſſum docendo, malorum prædeſtinationem eſſe inſinuat. Verba ejus poſui ex libro quem Enchiridion dixit, cui in retractatione cum vellet ſupremam imponere, ut aiunt, manum, nihil quod adiceret, nihil quod detraheret, nihil quod mutaret invenit. Hæc ſunt *Enchirid. c. 100.* *magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus*, *Pſal. 110. 2.* & tam ſapienter exquiſita, ut cum Angelica & humana creatura peccaſſet, id eſt, non quod ille, ſed quod voluit ipſa feciſſet, B etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum eſt quod creator noluit, impleret ipſe quod voluit, bene utens & malis tamquam ſumme bonus, ad eorum damnationem, quos juſte prædeſtinavit ad pœnam, & ad eorum ſalutem, quos benigne prædeſtinavit ad gloriam.* Et ne hoc illi excidiſſe arbitreris, ac non pro comperto & certiſſimo comprobatum, cum ex multis librorum ejus locis, tum ex illius cujus feci paulo ante mentionem, qui inſcribitur, De bono perſeverantiæ, quem ætate matura firmoque judicio exercitatiſſimus edidit, poterit confirmari. Quibus, inquit, non vult ſubvenire *Cap. 11.* non ſubvenit, de quibus in ſua prædeſtinatione, occulte quidem, ſed juſte, aliud judicavit. C *Rom. 9. 14.* Non eſt enim iniquitas apud Deum.) Huic non diſſimilia S. Gregorius Papa, Fulgentius, Iſidoruſque ſenſerunt. quorum ego teſtimonia ponere ſuperſedi, ne diu aliorum ſcriptis extentus eſſet noſter labor ingratior. Cujus autem ſit *Epiſt. 8. ad Epiſcopos Galliarum.* momenti Auguſtinus, Cæleſtino Papa docente diſcamus. Auguſtinum, inquit, ſanctæ recordationis virum pro vita ſua atque meritis, in noſtra communione ſemper habuimus, nec unquam ſiniſtræ ſuſpicionis rumor aſperſit. Quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter * magiſtros etiam a meis ſemper deceſſoribus habe- D retur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt, ut pote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori. Verum ne, quod cavendum etiam ſæcularibus literis dum imbueremur cognovimus, amore doctorum amplecti judicemur errores eorum, (unde probe idem Auguſtinus dehortatur in memorato de bono perſeverantiæ *Cap. xxi.* libro his verbis, Quamquam neminem velim ſic amplecti omnia mea ut me ſequatur, niſi in his in quibus me non * errare perſpexerit,) ac non potius unde potiſſimum quærendum eſt veſtigare veritatem,) procedat Paulus in medium, cui audeat reſiſtere nemo niſi qui in ipſo loquenti contradixerit Chriſto, ut detegat *Rom. 9. 22.* hoc tandem ſuo ſermone ſecretum. E *Volens*, inquit, *Deus oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam, attulit in multa patientia vaſa iræ, quæ perfecta ſunt in perditionem, ut notas faciat divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam*. Ecce vaſa iræ perfecta confirmat doctor gentium in perditionem. Et certe, quantum ad humanam ſpectat opinionem, *Iſay. 45. 11.* preſſius eſt dicere perfectum aliquid eſſe quam prædeſtinatum. Quantum enim ad humanorum caſuum varietatem, perfectum infectum eſſe non poteſt, prædeſtinatum autem mutari aliquando poteſt: quantum autem ad Dei pertinet continentem omnia majeſtatem, idem illi & perfectum eſt, quia fecit quæ futura ſunt, & prædeſtinatum, quia eſt immutabili veritate complendum. Iram vero illam appellat qua re-

** in edit. prædeſtinavit ad gratiam.*

** in ed. Epiſt. Cæleſt. magiſtros optimos,*

** in M. S S. erraſſe.*

A probi puniuntur, quæ talibus verbis in Evangelio terminatur: *Qui incredulus eſt filio non videbit vitam: ſed ira Dei manet ſuper eum.* *Joan. 3. 36.* Hanc ut evitaret orabat Propheta, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* *Pſal. 37. 1.* Sed forte nec ex hoc loco diverſa ſentientium ſopiatur intentio, quia pleraque exemplaria, non vaſa iræ perfecta in perditionem habent, ſed vaſa iræ apta in interitum. Quaſi *Rom. 9. 22.* vero propterea non poſſint vaſa iræ prædeſtinari in perditionem, quod apta ſint in interitum. Accedat ergo Dominus Jeſus, & nodum quæſtionis ipſe diſſolvat. Denique ipſe dicit in Evangelio: *Matth. 13. 11.* *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni cælorum, illis autem non eſt datum.* Vobis datum eſt, B diſcipulis loquitur, illis autem non eſt datum, hoc eſt de undequaque confluentibus turbis. Si bene docentem capio, eos quibus datum eſt miſericordia colligit, quibus non eſt datum, judicio repellit, hoc eſt non adjuvando relinquit. Prædeſtinati autem ſunt electi, quibus datum eſt, quorum certus eſt numerus. Neque enim Deus prædeſtinaret eos, quorum ſummam neſciret. Igitur cum ad eorum numerum adſpirare non poſſint reprobi, quia ut ſalventur non eſt eis datum, quis poſſit oſtendere, quis audeat affirmare, ut damnentur non eſſe prædeſtinatum? Item in Evangelio immutabili ſententia præſcribitur, *Qui non credit jam judicatus eſt*. *Joan. 3. 18.* ad C quid arbitraris, niſi ad puniendum? cur quæſo, niſi quia in Adam ſua ſponte peccante peccavit, nec hunc Dei gratia liberavit? An & inde cumulum ſibi damnationis conſcivit, quod in infidelitate permanere delegit? Ita vero eſt. Sed cur credere noluit? quia ut ſcriptum eſt, *non omnium eſt fides*. *2. Theſſ. 3. 2.* At cur non ſit fides omnium, certus eſt limes, quem niſi impius excedere nullus audeat. quia illis non eſt datum. Si quidem cur eis non ſit datum, illius eſt ſolius conſilii, cujus quamquam ſit ſubinde occultum, nunquam tamen eſt injuſtum judicium. Hanc ſeveritatem veriſimile eſt illam quoque ſonare ſententiam, *Eccle. 7. 14.* D *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit*. quod ſcilicet vas iræ aptum in interitum, vel perfectum in perditionem, malus obſtinate in malo ſemper hæreat, & ſi videatur ad tempus correctionem ſimulare, ſicut canis ad vomitum, ſic ipſe ad peccatum conſciſcendo ſibi mortem recurrat. In eadem ſententia ſtudioſi, qui cultu orationis plurimum delectantur, recognoſcant licet, non eloquentiæ nitorem ſolum, ſed etiam clauſulam numeroſe cadentem. Jam ergo, cum res in tuto ſit, ponamus verborum controverſias, ne puerili animoſitate contra invicem pro inani victoriæ jactantia litigantes corripiamur ab Apoſtolo dicente, *Noli verbis contendere, ad nihil enim utile eſt,* *1. Tim. 2. 14.* E *niſi ad ſubverſionem audientium*. Nam cum ſit nobis unus magiſter cæleſtis, qui eſt verus & ve- *Matth. 23. 8.* ritas, unde accipitur, & quo referenda eſt omnis veritas, cur pro noſtris inventis dimicemus? ut idipſum dicamus omnes, quod noſtrum non ſit commentum, ſed illius documentum, pacifice atque humiliter quid ſit rectiſſimum requiramus. Si qui vero tantis moventur auctoritatibus, ſeque non noſtra aſſertione verum perſpicua ſuperatos intelligunt veritate, non dedignentur ſuam mutare ſententiam, quia non tam erubeſcendum eſt homini erraſſe, quam cognitum errorem nolle vitare. Quod utiliter ampliſſimus orator Tullius ſuo propoſito ſubtiliter monſtrat exemplo. Si temere, inquit, aliquid alicujus præteriſſe, aut non ſatis eleganter ſecuti videbimur

docti ab aliquo facile & libenter ſententiam com-
mutabimus. Non enim parum cognoviſſe, ſed in
parum cognito ſtulte & diu perſeveraſſe turpe
eſt. propterea quod alterum communi hominum
infirmitati, alterum ſingulari uniuſcujuſque vi-
III. tio eſt attributum.
De ſangui- Quæſtionibus duabus, hoc eſt de libero arbi-
nis Domini trio, & de prædeſtinatione, non ut voluimus,
taxatione. ſed ut valuimus, pertractatis, ad tertiam, ſci-
licet de redemptione quanta ſit ſanguinis Chri-
ſti, quæ eſt ultima, veniamus. Et unde melius
conſiderandi capiemus exordium, quam ab ejus
verbis, qui quod poſtea ſicut homo implevit,
antea ſicut Deus prædixit? Sunt hinc ejus ver-
Joan. 12.32. ba: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad
meipſum?* In hac exaltatione, quam ſe humi-
liando ut nos exaltaremur perpeſſus eſt, ſanguis
ille pro multis effuſus eſt in remiſſionem pecca-
Matth. 1.21. torum. Sic enim idem Jeſus, hoc eſt noſtra lin-
gua Salvator, ſalvum fecit populum ſuum a pec-
catis eorum. Denique non aliquam ſolam gen-
tem elegit, quam ſingulari privilegio totam ſal-
varet: ſed ut non ſuo merito, verum forſitan
commendandæ dignitatis pontificalis gratia, Cai-
Joan. 11. 50. phas prophetavit, mortuus eſt Jeſus, non tan-
51. &c. tum pro Judæorum gente, unde genus ducebat,
ſed ut filios Dei qui erant diſperſi congregaret
in unum. Non quod adhuc eſſent filii Dei, ſed
quia inter congregandum facti ſunt filii Dei,
cum unitati fidei acceſſerunt. Non incongruen-
ter igitur, ſicut prædixit, ad ſe omnia traxit,
qui ex omni genere hominum elegit quoſcum-
que ſalvare decrevit. Qui multi dicti ſunt, quia
plures utique ſalvantur: omnes autem, quia ex
omni genere hominum colliguntur. Pro his ſu-
Joan. 1.14. ſum eſſe ſanguinem Dei, quia *Verbum caro fa-
ctum eſt*, hoc eſt Deus homo factus eſt, a par-
te totum ſignificante ſcriptura, ſicut alibi, *Et
Luc. 3. 6. videbit omnis caro ſalutare Dei*, hoc eſt omnis
homo, & quia Deus, dum integram naturam
noſtram aſſumpſit, ſuam incorruptam certe re-
tinuit, univerſalis confitetur Eccleſia per totum
orbem terræ diffuſa. quæ neceſſitate conſtringi-
tur in accepta ſanctificatione manendi, ſic Apo-
ſtolo explanante, *Empti eſtis pretio magno, glo-
1. Cor. 6. 20. rificate & portate Deum in corpore veſtro*, Item-
que ſe annumerato de omnibus dicit idem Apo-
ſtolus: *Proprio filio*, haud dubium quin Deus *non
Rom. 8. 32. pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*.
Item de his omnibus in epiſtola quæ præſcribi-
Heb. 2. 9. tur ad Hebræos, *Vidimus Jeſum propter paſſio-
nem mortis gloria & honore coronatum, ut gra-
tia Dei pro omnibus guſtaret mortem*. Et aperiens
qui ſunt iſti homines, mox intulit: *Decebat enim
Ibid. v. 10. eum propter quem omnia, & per quem omnia,
qui multos filios in gloriam adduxerat, aucto-
rem ſalutis eorum per paſſionem conſummare*. De-
cebat quippe Deum patrem, propter quem om-
nia, hoc eſt cujus bonitate ſunt omnia, & per
quem omnia, quia ab illo coæternus ei ortus eſt
Pſal. 103. 24. filius per quem facta ſunt omnia, *Omnia enim
in ſapientia feciſti*, dicit ſacer Pſalmus. qui, hoc
eſt pater, multos filios in gloriam adduxerat.
cum ſcilicet nemo veniſſet ad filium, niſi quem
Joan. 6. 43. pater ipſe traxiſſet, auctorem ſalutis eorum, hoc
eſt auctorem ſalvatorum, per paſſionem conſum-
Act. 1. 1. mare, ut de quo dicitur, quæ cœpit Jeſus fa-
cere & docere, quod docendum in mundo ipſe
docuerat, primus impleret, hoc eſt, *majorem ca-
Joan. 15. 13. ritatem nemo habet, quam ut animam ſuam po-
nat quis pro amicis ſuis*, & ita eum per paſſio-
nem conſummaret pater, id eſt conſummatum
perfectumque oſtenderet. cum quod ipſe bene do-

A cuiſſet, non ſolum implere quamquam arduum
non recuſaſſet, verum etiam ſuo exemplo cete-
ros excitaſſet. Intuendum quod quos dicit om-
nes in eo quod paulo ante poſuit, qualiter gra-
tia Dei pro omnibus guſtaverit mortem, eoſdem
paulo poſt nuncupat multos, inferens, qui mul-
tos filios in gloriam adduxerat. Hæc divinorum
eloquiorum auctoritas intelligenter expenſa, pro Hebr. 2. 10.
omnibus Dei filium guſtaſſe mortem ſic accipi
poſſe inſinuat, quemadmodum Deum velle om-
nes fieri ſalvos. Ut enim ſalvos fieri vult om-
nes quicumque ſalvantur, ita redimit omnes qui-
cumque redimuntur. Non autem ſalvantur om-
nes, nec vero redimuntur. Non itaque vult
B ſalvari alios omnes aut redimi, niſi qui redimun-
tur atque ſalvantur. In hoc ſenſu B. Auguſti-
nus invenitur in libro, cujus jam ſupra memi-
nimus, qui Enchiridion dicitur. Locus hic eſt. Cap. lxi.
Hæc quæ in ſanctis Angelis & virtutibus dici-
tur Eccleſia, tunc nobis ſicuti eſt innoteſcet,
cum ei conjuncti fuerimus in finem ad ſimul ha-
bendam beatitudinem ſempiternam. Iſta vero,
quæ ab illa peregrinatur in terris, *& nobis no- * edit. Aug.
tior eſt, * quo in illa ſumus, & quia hominum eo.
eſt, quod & nos ſumus, hæc ſanguine mediato- * quod.
ris nullum habentis peccatum ab omni eſt re-
dempta peccato. Ejus vox eſt, *Si Deus pro no-
bis, quis contra nos? qui filio proprio non peper-* Rom. 8. 31.
cit, ſed pro omnibus tradidit eum. In Eccleſia
C enim, quæ ſanguine mediatoris, nullum haben-
tis peccatum, ab omni eſt redempta peccato, in-
telligit eſſe omnes, qui Apoſtolico teſtimonio com-
prehenduntur, quod eſt, pro nobis omnibus tra-
didit eum. Curioſos tamen divinorum eloquio-
rum non fugiat, probabiliter dici poſſe mortuum
pro omnibus Chriſtum, qui ejus fidei ſacramen-
ta, ſive ſervaturi, ſive non ſervaturi ſuſcipiunt.
Pro ſervaturis quidem nulli poteſt eſſe ambiguum,
pro non ſervaturis Apoſtolus idoneus auctor eſt
illo teſtimonio, *Peribit in tua ſcientia frater*,
propter quem Chriſtus mortuus eſt. Nec mirum, 1. Cor. 8. 11.
cum fides ſine operibus otioſa ſit, & multi vo- Jac. 2. 17. 20. 26.
cati, pauci vero doceantur electi. Verum hoc
D quidam velut blaſphemum vehementer execran-
tur & damnant, quod derogetur plurimum re-
demptori, niſi generaliter omnes homines rede-
merit. Nos autem ſalva fide, hoc eſt quod ſuo
ſanguine Deus redemerit omnes quos voluerit,
& nulli ſint redempti, niſi quos ipſe redemerit,
ita cauſam in medio relinquimus, ut ſi quili-
bet eundem ſanguinem redemptoris prodeſſe ali-
quid etiam perditis valeant demonſtrare, non
ſolum reſiſtamus nihil, verum etiam libenter in
eorum ſententiam tranſeamus. Nam ſi Sol cæ-
cos, quamquam non illuminet, tamen fovet,
cur non potentior Sol, etſi non ſalvat ſuo me-
rito excæcatos atque damnatos, tanti pretii me-
rito minus puniat? Si tamen hoc admittat con-
E filii ejus benevolentia, cui canitur: *Suavis Do-* Pſal. 144. 9.
*minus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia
opera ejus*. Sed huic opinioni videtur Apoſtolus
refragari, ubi ait: *Ego Paulus dico vobis, quia ſi* Gal. 5. 2.
circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Nam
ſi nihil proderit Chriſtus baptizatis, qui etiam Spi-
ritum ſanctum acceperint, ſicut idem Apoſtolus de-
clarat his verbis, *Ex operibus legis ſpiritum accepi-
ſtis, an ex auditu fidei*? ſi inquam nihil proderit Gal. 3. 2.
Chriſtus talibus baptizatis a fide reſilientibus, quem-
admodum proderit aliquid baptizatis, & relap-
ſis in crimina nec correctis, & quibuſque in in-
fidelitate defunctis? Verum ne me irridendum
& reſpuendum pronuntient, quibus placet om-
nes ſive bonos ſive malos indifferenter a Chriſto

redemptos, ponam unum quod cum eis faciat teſtimonium, & eos omnes ut opinor in gratiam reduxero. Joannes Conſtantinopolitanus, doctrina & ſanctitate juxta inſignis Epiſcopus, ut gratia Dei pro omnibus guſtaverit mortem, quod ſupra jam poſui, ſic expoſuit, qualiter gratia Dei pro omnibus guſtaverit mortem, non pro fidelibus tantum, ſed pro mundo univerſo. Et ipſe quidem pro omnibus mortuus eſt. quid autem ſi non omnes credunt? ille quod ſuum erat implevit.) Eligat ſane ſuperioribus acute

Homil. 4. In Epiſt. ad Heb. c. 2, 9.

A confideratis unuſquiſque quod optimum ei Deus occulta inſpiratione ſuggeſſerit, aut magiſtra ejus ſcriptura manifeſta ratione protulerit. Hæc habui quæ de tribus non ſpernendis quæſtionibus dicerem. atque utinam tam proficue, quam prolixe. Quæ ſi cognoſcere non faſtidierint ſtudioſi; quamquam approbare non poſſint obtuſam incultamque meam diſputationem, tamen quando volentibus quod utile putavi benivole cognoſcendum expoſui, non improbabunt, credo, talem ſcilicet volentem prodeſſe devotionem.

SERVATI LUPI COLLECTANEUM
DE TRIBUS QUÆSTIONIBUS.

MUltis laudabiliter ſtudioſis deſiderantibus cognoſcere ipſis auctorum verbis, quem exitum habeant quæſtiones de prædeſtinatione ac libero arbitrio, nec non de redemptione ſanguinis Chriſti, fideliter morem geſſi, ut & pie quærentium eruditio largiente Dei gratia capiat incrementum, & diverſa ſentientium contradictio mitigetur. Nec aſpernabitur benivolus & prudens Lector, ſi deſeram per quos profeci & proficio doctores, vel ſi eorum aſſignatis obſcurioribus ſententiis aliquid lucis infundam, cum eorum honoris mecum habere debeat conſiderationem, & facillime poſſit advertere, non oſtentationis vanitate, ſed oſtendendæ veritatis voto, me deprehenſa monſtrare. Jam itaque narratio propoſitum exequatur.

I. De prædeſtinatione. *Epiſt. 8. ad Epiſcopos Galliarum.*

Cæleſtinus Papa beatum Auguſtinum his verbis commendat. Auguſtinum ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua atque meritis, in noſtra communione ſemper habuimus, nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit. Quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros etiam a meis deceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt, ut pote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori.) Hic clariſſimus doctor, ſedis Apoſtolicæ tanto præconio laudatus, in libro ad Laurentium de fide, ſpe, & caritate, quem jam Epiſcopus & ſenex edidit, prædeſtinatos bonos & malos ita inſinuat. Hæc ſunt, inquit, *magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus*, & tam ſapienter exquiſita, ut cum Angelica & humana creatura peccaſſet, id eſt, non quod ille, ſed quod voluit ipſa feciſſet, etiam per eamdem creaturæ voluntatem, qua factum eſt quod creator noluit, impleret ipſe quod voluit, bene utens & malis, tamquam ſumme bonus, ad eorum damnationem, quos juſte prædeſtinavit ad pœnam, & ad eorum ſalutem, quos benigne prædeſtinavit ad * gloriam.)

Enchiridii cap. 100. Ps. 110.

** in edit.* ad gratiam.

Idem in ultimo de Civitate Dei libro, quem jam Epiſcopus compoſuit, expreſſerat. Hæc, inquit, omnia miſerorum ſunt damnatorumque ſolatia, non præmia beatorum. Quæ igitur illa ſunt, ſi tot & talia ac tanta ſunt iſta? quid dabit eis, quos prædeſtinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis quos prædeſtinavit ad mortem?) In penultimo autem ejuſdem tam elaborati & mirandi operis libro ſic docuerat. Hæc cauſa, quæ fit ut nunc Eccleſia non oret pro malis Angelis, quos ſuos novit eſſe inimicos, eadem ipſa cauſa eſt, qua fiet ut in illo tunc judicio, etiam pro hominibus æterno igni cruciandis,

Lib. xxii. cap. 24. ſub finem.

Lib. xxi. c. 24. ſub initium.

B quamvis perfecta ſit ſanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus eſt pœnitentiæ fructuoſæ. Nam quid maxime pro eis orat, niſi *ut det illis Deus*, ſicut dicit Apoſtolus, *pœnitentiam, & reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ſecundum ipſius voluntatem?* Denique ſi de aliquibus ita Eccleſia certa eſſet, ut qui ſunt illi etiam noſſent, qui licet adhuc in hac vita ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipſo. Sed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis ſuis in hoc corpore conſtitutis; nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim ſolis exauditur, qui etſi adverſantur Eccleſiæ, ita ſunt tamen prædeſtinati, ut pro eis exaudiatur Eccleſia, & filii efficiantur Eccleſiæ. Si qui autem uſque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, numquid jam pro eis, id eſt pro talium defunctorum ſpiritibus orat Eccleſia? * Non. cur ita, niſi quia in parte jam diaboli computatur, qui cum eſſet in corpore non eſt tranſlatus ad Chriſtum? Eadem itaque cauſa eſt, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ cauſa eſt ut neque nunc, neque tunc, oretur pro Angelis malis. quæ itidem cauſa eſt, ut quamvis pro hominibus nunc vivis oretur etiam malis, tamen jam nec nunc oretur pro infidelibus impiiſque defunctis. Nam pro defunctis quibuſdam, vel ipſius Eccleſiæ, vel quorumdam piorum exauditur oratio; ſed pro his, quorum in Chriſto regeneratorum, nec uſque adeo vita in corpore male geſta eſt, ut tali miſericordia judicentur digni non eſſe, nec uſque adeo bene, ut talem miſericordiam reperiantur neceſſariam non habere.)

2. Tim. 2, 25.

** in edit. Aug. abeſt* non.

Item in ſecundo ad Marcellinum libro, malos prædeſtinatos jam Epiſcopus ita ſcribit. Ut innoteſcat, inquit, quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo, ſive damnandi * vel prædeſtinati ſunt propter iniquitatem ſuperbiæ, ſive contra ipſam ſuam ſuperbiam judicandi, ut eruditi filii ſint miſericordiæ.)

Cap. xvii.

** in edit. Aug. abeſt.* vel,

Item malos prædeſtinatos in libro De bono perſeverantiæ, quem inter vel poſt libros Retractationum edidit, ſic ſentit: Quibus non vult ſubvenire non ſubvenit, de quibus in ſua prædeſtinatione, occulte quidem, ſed juſte, aliud

Cap. xi.

Rom. 9. 14. judicavit. non eſt enim iniquitas apud Deum.)
In eodem libro nomine præſcientiæ ſignificari
prædeſtinationem Apoſtolico teſtimonio confirma-
vit. *Non repulit*, inquit, *Deus plebem ſuam*
Cap. xviii. Rom. 11. 2. *quam præſcivit*. Hoc quod ait præſcivit, non
recte intelligitur niſi prædeſtinavit.) Quid au-
tem ſit prædeſtinare, in ſuperioribus ejuſdem li-
bri taliter definierat, quod fideli eſt memoria
Cap. xvii. continendum. *Sine pœnitentia*, inquit, *ſunt do-*
Rom. 11. 29. *na & vocatio Dei*. Namque in ſua quæ falli
mutarique non poteſt præſcientia, opera ſua fu-
tura diſponere, id omnino nec aliud quicquam
eſt * quam prædeſtinare.) De utrorumque præ-
**in edit. Aug. abeſt* quam. deſtinatione, hoc eſt bonorum & malorum, non
dubitavit palam in populo prædicare. *Quia di-*
Joan. 17. 24. *lexiſti*, inquit, *me ante mundi conſtitutionem* :
Aug. Tract. cxi. in Joan. in illo enim dilexit & nos ante conſtitutionem
mundi, & jam prædeſtinavit quid in fine factu-
rus eſt mundi. *Pater*, inquit, *juſte*, *mundus te*
Joan. 17. 25. *non cognovit :* quia juſtus es, ideo te non co-
gnovit. mundus quippe ille damnationi præde-
ſtinatus merito non cognovit : mundus vero,
quem per Chriſtum reconciliavit ſibi, non meri-
to, ſed gratia cognovit.)

In opere autem, quod ut * Proſper teſtis eſt,
In Chron. ad an. 433. ultimum contra Juliani libros, inter impetum
Wandalorum in ipſo dierum ſuorum fine com-
poſuit, glorioſe in defenſione Chriſtianæ gratiæ
perſeverans, ſic loquitur. Quid te adjuvat quod
Oper. imperf. l. v. cap. lxiii. eos mihi objeciſti, quos expectat Dei patientia
per pœnitentiam corrigendos, & ideo ſuper il-
los oriri ſolem ſuum facit & pluit, cum ego
tibi hœdos ſiniſtræ partis objecerim, quos uſque
Matth. 5. 45. & 25. 32. in finem, ſine pœnitentia victuros in impieta-
te & ſceleribus ſuis, ac per hoc æterno ſup-
plicio puniendos ignorare non poteſt præſcius
omnium futurorum, nec ab eis abſtinet bonum
creationis ſuæ quibus nec naſci expediret, nec
bonum nutritionis & vivificationis ſuæ, quan-
tum ei placuerit diuturnæ, quibus mori quan-
Matt. 26. 24. tocius expediret ? inter quos ſunt certe pluri-
mi, qui ſi ex hac vita abriperentur infantes ;
ſecundum falſam veſtram hæreſim, penitus ab
omni, ſecundum autem catholicam fidem, a
damnatione graviſſima tollerentur. Quid dein-
de illud eſt, quod in his ſiniſtræ partis hœdis,
in Dei præſcientia, quæ falli non poteſt, igni
perpetuo deſtinatis, multi ſunt qui lavacro re-
generationis abluti, poſtea vel apoſtaſia pereunt,
vel tam facinoroſe flagitioſeque vivunt, ut ei-
Sap. 4. 11. dem ſiniſtræ ſine dubio deputentur, nec rapiun-
tur ſicut quidam, ne malitia mutet intellectum
eorum, nec ut hoc eis Deus tam magnum be-
neficium non conferat, fatali neceſſitate pro-
hibetur, neque ut aliis conferat perſonarum acce-
ptione mutatur.)

Hæc de prædeſtinatione ſanctus Auguſtinus.
Sed ne forte quis audiens malos prædeſtinatos,
arbitretur Deum auctorem perditionis eorum,
ſicut eſt auctor ſalutis eorum quos prædeſtina-
vit ad gloriam, conſideret quod idem Deus
Eccl. 7. 30. Adam rectum fecit, & in eo originaliter re-
ctos nos omnes condidit. Fuit enim Adam, ut
Lib. 7. in Luc. c. 15. v. 24. & apud Aug. oper. imperf. l. 1. cap. xlvii. & xlviii. ait beatus Ambroſius, & in eo fuimus omnes:
periit Adam, & in illo omnes perierunt.) Cum
itaque omnes recti eſſemus in Adam, illo abſ-
que ulla neceſſitate peccante, ſine dubio cor-
rupti ſumus peccato, & divino damnati judi-
cio. Ex hac totius generis humani maſſa me-
rito damnata, cum fiunt vaſa in honorem, hoc
eſt cum formantur electi, exuberat Dei miſeri-
Rom. 9. 2. cordia, & ſola ejus gratia corrupta ſalvatur
natura. Ergo & quod creantur, & quod ſal-

A vantur Dei eſt, quorum alterum opificio, al-
terum ejus beneficio deputatur. Cum vero ex
eadem maſſa fiunt vaſa in contumeliam, hoc
eſt non ſalvandi producuntur, nihil mirum vi-
deri debet, quia ſpontanei peccati merito dam-
nata eſt maſſa unde creantur. Quod ergo
creantur Dei eſt, quod damnantur ipſorum. Et
quis neſciat creationem cujuslibet rei, nedum
hominis, bonam eſſe, ſponte vero commiſſæ
culpæ ultionem juſtam exiſtere? Cum itaque bo-
nos prædeſtinatos audimus, creantem Deum,
& ex merito damnata maſſa, eos ſua gratia li-
berantem intueamur: cum vero malos prædeſti-
natos, item creantem eos Deum, & in merito
B damnata maſſa judicio relinquentem conſidere-
mus. & ſic utriſque creationis bonum ſemper
nobis conſtabit, & vel in aſſumptis miſericor-
dia, vel in relictis juſtitia eminebit. Neque
enim Deus quos condidit in perditionem impel-
lit, ſed quos non liberat a perditione per gra-
tiam, relinquit in perditione, quam vel na-
ſcendo, vel poſtea vivendo meruerunt, per oc-
cultam, nec tamen reprehendendam juſtitiam.
Ita Deus, juxta beatum Apoſtolum, *cujus vult* *Rom. 9. 18.*
miſeretur, *& quem vult obdurat*, qui omnia *Pſ. 134. 6.*
quæcumque voluit fecit in cælo & in terra. Re- *Pſ. 91. 16.*
ctus eſt autem Dominus Deus noſter, & non eſt
iniquitas in eo. De his qui liberantur dictum eſt,
Nolite timere puſillus grex, *quia complacuit pa-* *Luc. 12. 32.*
C *tri veſtro dare vobis regnum*. de his autem qui *Pſal. 80. 13.*
relinquuntur, *dimiſit eos ſecundum deſideria cor-*
dis eorum : ibunt in adinventionibus ſuis.

Hunc ſenſum beatus Auguſtinus in memora-
to libro, quem ut oſtendi ultimum fecit, his *Lib. 1. c. 128.*
verbis ſatis aperuit. Cum dicuntur, inquit, *Rom. 5. 16.*
omnes ex uno in condemnationem, ipſa maſſa
ſignificatur, ex qua fiunt a figulo alia vaſa in *Rom. 9. 21.*
honorem, id eſt quæ aſſumuntur in gratiam,
alia in contumeliam, id eſt quæ ad luendum
debitum relinquuntur. Ut filii gratiæ id ſibi
donari ſciant, quod ſi exigeretur non eſſet inju-
ſtum, ac ſic non in ſe ipſis, ſed in Domino
glorientur.) Et poſt paululum, refutans id quod
D Julianus ſcripſerat, *Pietas explanavit & ratio*, *Ibid. c. 129.*
Deum meum neminem in contumeliam formare,
Si Deus tuus, inquit, in contumeliam neminem
format, non eſt ipſe Pauli Apoſtoli Deus. ille
quippe de Deo vero dicebat, *O homo*, *tu quis* *Rom. 9. 20.*
es qui reſpondeas Deo? numquid dicit figmentum
ei qui ſe finxit, *quid me feciſti ſic? an non ha-*
bet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa aliud
quidem vas facere in honorem, *aliud in contu-*
meliam ? Sed tu videlicet artifex magnus pro-
fers ex officina Pelagiana meliorem Deum, qui
nullum vas fecit in contumeliam.) Item poſt ali- *Cap. 130.*
quanta. Non abſtinet Deus bonum formationis
ſuæ etiam ab ſtirpe damnata. Sed ſi tibi diſpli-
cet Deum creare quos damnet, contradic ei ſi
E potes, ne creet eos quos malos futuros, & in
malignitate uſque in finem perſeveraturos, &
ob hoc ſine dubitatione damnandos eſſe præſci-
vit, aut ei ſuggere ſi videtur ; ut tot millia
parvulorum non baptizatorum, quos novit per-
dite eſſe victuros, & in æternum ignem dam-
nante ipſo cum diabolo ituros, rapi vetet ex hac
vita dum ſunt innocentes & boni.) Et paucis
interpoſitis, Cum enim, inquit, te invidioſe
dicere putaveris Deum creare quos damnet, co-
gita quanto invidioſius poſſit dicere alius ſimi-
liter, vane Deum regenerare quos damnet, cum
ſit in ejus omnipotentiæ poteſtate, antequam
damnabiles fiant, eos de tentationibus morta-
lis vitæ hujus auferre. Si autem non potes iſta

dicere, nec Deo contradicere, nec illi ſapientiæ tuum præbere conſilium, *quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* deſine nobis introducere alterum figulum, qui non facit vaſa in contumeliam, & ab iſto qui ea facit reprehendendo cohibe te, & agnoſce te, quia ut te non implices hoc ſacrilegio, ideo tibi dicit Apoſtolus, *O homo, tu quis es ut reſpondeas Deo?*) Recurramus poſita contentione ad Apoſtolum Paulum, & obſcurum locum ejus tanto auctore illuſtrante ſalubriter intelligamus. *Quod ſi volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam.*

Rom. 11. 34. — Rom. 9. 20. — Rom. 9. 22.

Nam de his vaſis iræ, & vaſis miſericordiæ, & ſæpe alias, & in epiſtola ad Optatum Epiſcopum, quid ſit ſentiendum, idem auctor luculenter expreſſit. Cur autem, inquit, creantur etiam illi quos creator novit ad damnationem, non ad gratiam pertinere, beatus Apoſtolus tanto ſuccinctiori brevitate, quanto majore auctoritate commemorat. Deum enim dicit, volentem oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam, attuliſſe in multa patientia vaſa iræ, quæ perfecta ſunt in perditionem, ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quem ſuperius dixerat, tamquam figulum luti, ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Merito autem videretur injuſtum, quod fiunt inde vaſa iræ ad perditionem, ſi non eſſet ipſa univerſa ex Adam maſſa damnata. Quod ergo fiunt inde naſcendo vaſa iræ, pertinet ad debitam pœnam: quod autem fiunt renaſcendo vaſa miſericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam. Oſtendit ergo Deus iram ſuam, non utique animi perturbationem, ſicut eſt quæ ira hominis nuncupatur, ſed juſtam fixamque vindictam, * quod de ſtirpe inobedientiæ ducitur propago peccati atque ſupplicii; & *homo natus ex muliere*, ſicut in libro Job ſcriptum eſt, *brevis eſt vitæ, & plenus iracundiæ*. ejus enim rei vas eſt qua plenus eſt, unde vaſa iræ dicuntur. Oſtendit & potentiam ſuam, qua bene utitur etiam malis, multa in illis naturalia & temporalia bona largiens, eorumque malitiam ad exercendos, & comparatione admonendos bonos accommodans: ut in eis diſcant agere gratias Deo, quod ab eis non ſuis meritis, quæ * in eadem paria fuerunt, ſed illius miſeratione diſcreti ſunt. Quod maxime apparet in parvulis, de quibus cum per Chriſti gratiam renaſcuntur, & iſtam vitam in illa tenera ætate finientes in æternam tranſeunt & beatam, dici non poteſt quod libero diſcernuntur arbitrio ab aliis infantibus, qui ſine hac gratia in ipſius maſſæ damnatione moriuntur. Si autem hi ſoli crearentur ex Adam qui eſſent per gratiam recreandi, & præter illos qui in Dei filios adoptantur, nulli alii homines naſcerentur; lateret beneficium quod donaretur indignis, quia nullis ex eadem damnabili ſtirpe venientibus debitum ſupplicium redderetur. Cum vero attulit in multa patientia vaſa iræ quæ perfecta ſunt in perditionem; non ſolum oſtendit iram, & demonſtravit potentiam ſuam, redhibendo vindictam, & bene utendo non bonis; ſed etiam notas fecit divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Ita enim quid ſibi præſtetur diſcit gratis juſtificatus, dum non ſuo merito, ſed gloria largiſſimæ Dei miſericordiæ diſcernitur a damnato, cum quo eadem juſtitia fuerat & ipſe damnandus. Tam multos autem creando naſci voluit, quos ad ſuam gratiam non pertinere præſcivit, ut multitudine incomparabili plures ſint eis, quos in ſui regni gloriam filios promiſſionis prædeſtinare dignatus eſt; ut etiam ipſa rejectorum multitudine oſtenderetur, quam nullius momenti ſit apud Deum juſtum, quantalibet numeroſitas juſtiſſime damnatorum. Atque ut hinc quoque intelligant qui ex ipſa damnatione redimuntur, hoc fuiſſe debitum maſſæ illi univerſæ, quod tam magnæ parti ejus redditum cernerent, non ſolum in eis qui originali peccato multa addunt malæ voluntatis arbitrio, verum etiam in tam multis parvulis, qui tantummodo vinculo peccati originalis obſtricti, ſine gratia mediatoris ex hac luce rapiuntur. Tota quippe iſta maſſa juſtæ damnationis reciperet debitum, niſi ex ea faceret, non ſolum juſtus, ſed etiam miſericors figulus, alia vaſa in honorem, ſecundum gratiam, non ſecundum debitum, dum & parvulis ſubvenit, quorum nulla merita dici poſſunt, & majores prævenit, ut habere aliqua merita poſſint.)

Epiſt. clvi. cap. 3. — *Rom. 9. 22.* — * *edit. Aug.* quia. — *Job. 14. 1. ſec. lxx.* — * *aliq. edit. Aug.* in eadem maſſa.

Prædeſtinatos malos in opere beati Auguſtini ad Marcellinum clariſſimus auctor Hieronymus legit, & id opus non ſolum non reprehendit, verum etiam magnis laudibus extulit. Verba ejus hæc ſunt. Scripſit dudum vir ſanctus & eloquens Epiſcopus Auguſtinus ad Marcellinum, qui poſtea ſub invidia tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis innocens cæſus eſt, duos libros de infantibus baptizandis contra hæreſim veſtram, per quam vultis aſſerere baptizari infantes, non in remiſſionem peccatorum, ſed in regnum cælorum. Tertium quoque ad eundem Marcellinum, contra eos qui dicunt idem quod vos, poſſe hominem ſine peccato eſſe, ſi velit, abſque Dei gratia. Unde ſuperſedendum huic labori cenſeo, ne dicatur mihi illud Horatii

—— *in ſilvam ne ligna feras.*

Aut enim eadem dicemus ex ſuperfluo, aut ſi nova voluerimus dicere, a clariſſimo ingenio occupata ſunt meliora.)

Adverſus Pelagianos libro III. in fine.

a * Idem doctor alio verbo ſenſum prædeſtinationis expreſſit in explanatione primi Pſalmi: *Qui autem non credit*, inquit, *jam judicatus eſt*. jam enim præjudicatus ad pœnam eſt.) Et poſt pauca. *Non reſurgunt*, inquit, *impii in judicio*. non reſurgunt ut judicentur, quia jam judicati ſunt. qui enim non credit in me jam judicatus eſt.)

Item in Dialogo. Aliud eſt cædere magiſtri & parentis affectu, aliud contra adverſarios crudeli animo deſævire. Quam ob cauſam & in primo Pſalmo canit, quoniam non reſurgunt impii in judicium. jam enim in judicium præjudicati ſunt.) Idem in explanatione Eſaiæ Prophetæ, Pro diſſipata terra LXX. corruptum orbem interpretati ſunt. & pro afflicta facie il-

Lib. I. adverſus Pelagianos poſt medium. — *Cap. 24. 1.*

a * *Idem doctor*) Hæc ſententia in commentariis in Pſalmos quæ aliqui poſt Servatum Lupum Hieronymo adſcripſerunt, ita legitur, *non dixit quia non reſurgunt, ſed quia in judicio non reſurgunt; jam enim de his præjudicatum eſt.*

lius,

lius, id eſt terræ, iidem tranſtulerunt, & revelabit faciem ejus, ut procedant mortui de ſepulcris ſuis: ſive nudabit eam, ut omnia opera ejus proferantur in publicum, & diſpergantur habitatores in diverſa loca, præmiis vel ſuppliciis deſtinati.)

Philippus. *Job. 15. 32.*

Non contemnendus auditor ejuſdem Hieronymi Philippus, in expoſitione ſententiæ beati Job, *Antequam dies ejus impleantur peribit*. Tunc dies, inquit, uniuſcujuſque impleri dicitur, cum bonorum hominum ac malorum retributio venerit. Hic ergo homo, ſive diabolus, ante perſpicuæ ſententiæ diem, quam [a] ei Dominus in futuro judicio daturus eſt, præſcitus in prædeſtinatione peribit, ſicut & de incredulis Propheta dicit, *non reſurgent impii in judicio*, vel Dominus ait in Evangelio, *qui autem non credit jam judicatus eſt*.)

Lib. xxxiv. cap. 11.

Sanctus Papa Gregorius prædeſtinatos malos preſſiore adhuc verbo inſinuat. Leviathan, inquit, ille, qui cum membris ſuis æternis eſt cruciatibus deputatus, & dolus in manu ejus dirigitur, & in collo ejus fortitudo demoratur, hoc quod temporaliter perverſa contra bonos voluntate deſiderat, perverſiore facultate conſummat: ut tanto ei de adverſitate in præſenti nihil obſtet, quanto ei in poſterum de proſperitate nihil remanet.) Eadem tamen prædeſtinatio vel deputatio, quemadmodum ſit intelligenda exponens in Moralibus, *Non quaſi*, inquit, *crudelis ſuſcitabo eum. quis enim reſiſtere poteſt vultui meo, & quis ante dedit mihi ut reddam ei*? aperte inſinuat. Non eum, inquit, quaſi crudelis ſuſcito, quia de ejus fortitudine, & electos meos potenter eripio, & rurſum reprobos non injuſte ſed rationabiliter damno, id eſt, & eos quos benigne eligo eripere mirabiliter poſſum, & eos quos reſpuo non injuſte derelinquo.) Et poſt aliquanta, Miro modo, inquit, æquus omnibus conditor, & quoſdam prælegit, & quoſdam in ſuis reprobis moribus juſte derelinquit.) Item in Moralibus exponens, *Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet. ſi incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat*. Omnipotens, inquit, Deus humanum cor deſtruit cum relinquit, ædificat dum replet. Neque enim humanam mentem debellando deſtruit, ſed recedendo, quia ad perditionem ſuam ſufficit ſibi dimiſſa.) Item poſt aliquanta. *Si incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat*. quia ſicut nemo obſiſtit largitati vocantis, ita nullus obviat juſtitiæ relinquentis. Includere itaque Dei, eſt clauſis non aperire. Unde & ad Moyſem dicitur de Pharaone, *ego obdurabo cor ejus*. Obdurare quippe per juſtitiam dicitur, quando cor reprobum per gratiam non emollit.)

Lib. xxxiii. cap. xx. *Cap. eod.* *Job. 12. 14. Moral. lib. 11. cap. 9.* *Cap. eod.*

Homil. 10. in Evang. Matth. 10. 5.

Idem in explanatione Evangelicæ ſententiæ, *In viam gentium ne abieritis*. Subtili, ait, occultoque judicio a quorumdam auribus prædicatio ſancta ſubtrahitur, quia ſuſcitari per gratiam non merentur. Unde neceſſe eſt, fratres cariſſimi, ut in omni quod agimus, omnipotentis ſuper nos Domini conſilia occulta timeamus: ne dum mens noſtra exterius fuſa a ſua ſe voluntate non revocat, intus contra eam judex terribiliter adverſa diſponat. Quod bene Pſalmiſta intuens ait, *Venite & videte opera Domini, quam terribilis in conſiliis ſuper filios hominum*. Vidit namque, quod alius miſericorditer vocatur, alius juſtitia exigente repellitur. Et quia alia parcendo Dominus, alia iraſcendo diſponit, expavit quod penetrare non potuit, & quem non ſolum inveſtigabilem in quibuſdam ſuis ſententiis, ſed etiam inflexibilem vidit, terribilem in conſiliis eſſe memoravit.)

Pſal. 65. 5.

Gen. 19. 14. *Joan. 10. 23.* *2. Tim. 2. 19.*

[b] Beda divinis literis impenſe doctus, bonos maloſque prædeſtinatos, exponens illud Geneſis, *Surgite, egredimini de loco iſto: quia delebit Dominus civitatem hanc. Et viſus eſt eis quaſi ludens loqui*, indubitanter aſſeruit. Quod oſtium, inquit, Loth occluſerunt Angeli, ne vel ipſum, vel aliquem de domo ipſius poſſent ad perdendum rapere Sodomitæ, patenter inſinuat, quia nulllum de electis Dei perditura eſt impietas & perſecutio reproborum, dicente Domino de ovibus ſuis, *Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea*: Quod item Loth, facultate ab Angelis data, nullum de civibus perfidis, ne de ſuis quidem cognatis, ſive amicis, tametſi multum conatus, potuit ad ſalutem revocare, ſignificat quod nullius labor hominis ad numerum prædeſtinatorum, qui ante conſtitutionem mundi electi ſunt a Domino, vel unam poſſit animam adjicere. Novit enim Deus qui ſunt ejus. Verum etſi noſtram fragilitatem qui ad electorum ſortem pertinent latet, non tamen ab agenda cura noſtræ ſalutis ceſſandum, nec ab inſtruendis proximis lingua eſt continenda: ſed ad exemplum beati Loth, & nobis caſte vivendum, & errantium quoque correctioni officium pietatis impendendum. Conſtat enim, quod etſi prædeſtinatos ad interitum ſalvare nequimus, noſtræ tamen benignitatis, quam erga illorum ſalutem impendimus, mercedem non perdimus.)

S. Fulgentius.

Sanctus Fulgentius, Ruſpenſis Provinciæ Africanæ Epiſcopus; ut ſcribit Joannes Romanæ Eccleſiæ Diaconus; in libro ad Petrum de regula veræ fidei, de prædeſtinatis hoc modo diſſeruit. Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, omnes quos vaſa miſericordiæ gratuita bonitate Deus facit, ante conſtitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædeſtinatos a Deo. neque perire poſſe aliquem eorum quos Deus prædeſtinavit ad * regnum, nec quemquam eorum quos Deus non prædeſtinavit ad vitam, ulla poſſe ratione ſalvari. Prædeſtinatio enim illa gratuitæ donationis eſt præparatio, qua nos Apoſtolus ait prædeſtinatos in adoptionem filiorum Dei per Jeſum Chriſtum in ipſum.

De fide ad Pet. c. 35. edit. an. 1684. * *edit.* regnum cælorum.

Lib. 1. cap. 7.

Item Fulgentius in libro ad Monimum, ſenſum beati Auguſtini de prædeſtinatis ad interitum his verbis expreſſit. Nihil aliud, inquit, accipiendum exiſtimo in illo ſancti Auguſtini ſermone, quo ad interitum quoſdam prædeſtinatos firmat, niſi ad interitum ſupplicii, non delicti: neque ad malum quod injuſte admittunt, ſed ad cruciatum quem juſtiſſime patientur; nec ad peccatum, quo primæ reſurrectionis beneficium, aut non accipiunt, aut amittunt, ſed ad tormentum quod illis propria iniqui-

a * *Quam ei Dominus*) In edit. Philippi ita legitur, *quam eis dominus in judicio futuro daturus eſt, præſciti in prædeſtinatione perierunt*.

b * *Beda divinis literis doctus*) Hoc idem teſtimonium auctor libri de tribus epiſtolis, cap. vii. recitat integrum, & attribuit ſancto Eccleſiæ doctori Bedæ presbytero exponenti locum Geneſis cap. xix. de ereptione Loth ex interitu Sodomorum: non reperitur tamen in ea quæ nunc extat Bedæ expoſitione ſeu commentario in illud caput Geneſis.

Jac. 1. 14. tas male parit , & æquitas divina bene retribuit : nec ad mortem animæ primam , in qua naſcuntur parvuli , vel in quam , ſicut beatus Jacobus dicit , concupiſcentia ſua abſtracti & illecti recidunt criminoſi , ſed ad mortem ſecundam , quam neceſſe eſt patiantur , retribuente juſtiſſimo judice , ſeu qui ante perceptam gratiam 2. Cor. 6. 1. baptiſmi diſcedunt de ſæculo, ſive qui in vacuum gratiam Dei recipientes, poſt acceptum baptiſmum, uſque in finem præſentis vitæ, malunt ſervi eſſe peccati , nec volunt dum tempus eſt acceptabile, & dies ſalutis , converti a via ſua mala ut vivant : & ignorantes quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam eos adducit , Rom. 2. 4. ipſi ſecundum duritiam ſuam , & impœnitens cor , theſaurizant ſibi iram in die iræ , & revelationis juſti judicii Dei .)

a Joannes Diaconus E. R. Cap. 1. 9.

ᵃ Item Joannes Eccleſiæ Romanæ Diaconus , prædeſtinatos malos, ſermonibus beati Auguſtini expreſſit, volens oſtendere, quid ſignificet illud Geneſis , *Congregentur aquæ quæ ſub cælo ſunt in locum unum , & appareat arida* . Quid eſt, inquit , arida? In Eccleſia arida vocatur omnis anima ſitiens Dominum. Segregatæ ſunt enim aquæ, & apparuit arida. Mare hoc ſæculum eſt, & aquæ quæ ſunt amaræ ſegregatæ ſunt , & congregatæ in congregatione una, id eſt prædeſtinatæ in unum finem, quo dirigit Deus omnipotens quos ſeparat a ſanctis .)

Iſidorus Lib. II. c. VI.

Iſidorus Epiſcopus in libro ſententiarum. Gemina eſt , inquit , prædeſtinatio , ſive electorum ad requiem, ſive reproborum ad mortem .) Hunc tamen quidam reprehendendum putant . quod geminam, hoc eſt duplicem prædeſtinationem ſolus introduxerit , cum ſimplex Dei natura ſimplici , hoc eſt una , prædeſtinatione ſecundum eos bonos maloſque complexa ſit . Qui ſi intueantur , alios eſſe qui ad dexteram gratia ſtatuuntur, alios qui ad ſiniſtram juſtitia relinquuntur , tametſi ſit ut volunt ſimplex prædeſtinatio , duplicem ejus non negabunt effectum : cum aliud ſit debitam pœnam luere , aliud gratuitam gloriam reportare . nec docto viro verbi calumniam ulterius niſi contentione impudentiſſima commovebunt . A qua tamen ut tandem aliquando conquieſcant, & docturi prius ad doctores accedant , docendi non judicaturi, Job. 38. 33. recenſeant ſententiam Dei ad beatum Job, *Numquid noſti*, inquit , *ordinem cæli & pones rationem ejus in terra* ? Moral. lib. xxix. cap. xxiii. & beatum Gregorium , & ſumme doctum , & mire facundum, in ejus explanatione prædeſtinationes plurali numero poſuiſſe invenient . Ordinem, inquit, cæli noſſe , eſt ſupernarum diſpoſitionum occultas prædeſtinationes videre: rationem vero ejus in terra ponere, eſt ante humana corda talium ſecretorum cauſas aperire.)

II. De libero Arbitrio.

De libero arbitrio , beatus Auguſtinus in libro ad Laurentium , quid ſit ſentiendum his verbis oſtendit. Libero arbitrio male utens homo , In Enchiridio cap. xxx. & ſe perdidit, & ipſum . Sicut enim qui ſe occidit, utique vivendo ſe occidit, ſed ſe occidendo non vivit , nec ſeipſum poterit reſuſcitare cum occiderit : ita cum libero * peccaret arbitrio, victore peccato amiſſum eſt & liberum arbitrium. 2. Petr. 2. 19. *A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt*. Petri certe Apoſtoli eſt iſta

* edit. Aug. Peccaretur.

A ſententia , quæ cum vera ſit , qualis quæſo poteſt ſervi addicti eſſe libertas, niſi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim ſervit qui ſui domini voluntatem libenter facit , ac per hoc ad peccandum liber eſt qui peccati ſervus eſt . unde ad juſte faciendum liber non erit , niſi a peccato liberatus , eſſe juſtitiæ cœperit ſervus . Ipſa eſt vera libertas propter recti facti * licentiam, ſimul & pia ſervitus propter præcepti obedientiam . Sed ad bene faciendum iſta libertas unde erit homini addicto & vendito , niſi eum redimat cujus illa vox eſt, *ſi vos filius liberaverit , tunc vere liberi eritis* . Joan. 8. 36. Quod antequam fieri in homine incipiat , quomodo quiſquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere , B qui nondum eſt liber ad operandum bene? Niſi ſe vana ſuperbia inflatus extollat , quam cohibet Apoſtolus dicens : *Gratia ſalvi facti eſtis per fidem* . Ephes. 2. 8. Cap. xxxi. Et ne ipſam ſibi ſaltem fidem ſic arrogarent , ut non intelligerent divinitus eſſe donatam, ſicut idem Apoſtolus alio loco ſe dicit ut fidelis eſſet miſericordiam conſequutum; 1. Cor. 7. 25. hic quoque adjunxit atque ait , *& hoc non ex vobis , ſed Dei donum eſt , non ex operibus , ne forte quis extollatur* . & ne putarentur fidelibus bona opera defutura , rurſus adjecit , Ephes. 2. 10. *ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis , quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus* : Tunc ergo efficimur vere liberi, C cum Deus nos fingit, id eſt format & creat , non ut homines quod jam fecit , ſed ut boni homines ſimus, quod nunc gratia ſua facit, ut ſimus in Chriſto Jeſu nova creatura , Galat. 6. 15. ſecundum quod dictum eſt, *cor mundum crea in me Deus* . Pſal. 50. 12. Neque enim cor ejus, quantum pertinet ad naturam cordis humani , non jam creaverat Deus. Item ne quiſquam, etſi non de operibus, de ipſo glorietur libero voluntatis arbitrio, Cap. xxxii. tamquam ab ipſo incipiat meritum , cui tamquam debitum reddatur præmium bene operandi ipſa libertas, audiat eundem gratiæ præconem dicentem : *Deus enim eſt qui operatur in vobis &* Philip. 2. 13. D *velle & operari pro bona voluntate* . Rom. 9. 16. & alio loco , *Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei* . cum procul dubio , ſi homo ejus ætatis eſt ut ratione jam utatur, non poſſit credere , ſperare , diligere , niſi velit , nec pervenire ad palmam ſupernæ vocationis Dei , niſi voluntate cucurrerit. quomodo ergo *non volentis , neque currentis*, niſi quia & ipſa voluntas , ſicut ſcriptum eſt , a Deo præparatur ?)

* f. libentiam.

Item in libro de correptione & gratia. Cap. 1. Liberum , inquit , arbitrium , & ad malum , & ad bonum faciendum, confitendum eſt nos habere, E Sed in malo faciendo liber eſt quiſque juſtitiæ ſervuſque peccati: in bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo qui dixit, *ſi vos filius liberaverit , tunc vere liberi eritis* . Joan. 8. 36. Nec ita ut cum quiſque fuerit a peccati dominatione liberatus, jam non indigeat ſui liberatoris auxilio: ſed ita potius ut ab illo audiens , *Sine me nihil poteſtis facere* , Joan. 15. 5. dicat ei & ipſe , *Adjutor meus eſto , ne derelinquas me* . Pſal. 26. 9.) Item poſt multa, Liberum, inquit, arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parvum eſt, niſi adjuvetur ab omnipotente bono .)

Item in libro De bono perſeverantiæ : Cap. vii.

a * *Item Joannes*) Hinc ſatis videtur conſtare , uti notavit v. c. Baluzius, hujus Joannis eſſe Expoſitionem in Heptateuchum nondum typis editam, de qua Sirmondus in præfatione ad Rufini librum *de fide* .

Qui non infertur in tentationem, non diſcedit a Deo. non eſt hoc omnino in viribus liberi arbitrii quales nunc ſunt, peccato reſiſtere, * quod tamen fuerat in homine antequam caderet.)

**in edit. Aug. abeſt* quod tamen.

Oper. imperf. lib. IV. cap. XI.

Idem auctor in memorato opere contra Julianum. Hominis, inquit, liberum arbitrium congenitum, & omnino inamiſſibile, illud eſt quo beati eſſe omnes volunt, etiam ii qui ea nolunt quæ ad beatitudinem ducunt. Item poſt multa. Quid ſic fugit natura ut miſeriam? quid ſic appetit ut beatitudinem? Denique liberum arbitrium quod de hac re habemus, ita nobis naturaliter inſitum eſt, ut nulla miſeria nobis poſſit auferri, quod miſeri eſſe nolumus, & volumus eſſe beati: uſque adeo ut etiam ipſi qui male vivendo ſunt miſeri, male vivere quidem velint, nolint tamen eſſe miſeri, ſed beati. Hoc eſt illud arbitrium in noſtris mentibus immobiliter fixum, non quo bene agere volumus; nam id humana iniquitate potuimus amittere, & gratia poſſumus divina recipere; ſed liberum arbitrium, quo beati eſſe volumus, & miſeri nolumus, nec miſeri poſſunt amittere, nec beati. Item poſt pauca. Hoc arbitrium liberum adjuvatur per Dei gratiam, ut quod naturaliter volumus, hoc eſt beate vivere, bene vivendo habere poſſimus.) Quod reatus peccati regeneratione, hoc eſt baptiſmate ſolvatur, conflictus tamen ejus adhuc maneat, in eodem opere memoratus auctor expreſſit. Quid litigas, inquit, de concupiſcentia litigante, hoc eſt de lege in membris repugnante legi mentis? Lex peccati dicitur, quia ſuadet peccata, atque, ut ita dixerim, jubet, & ſi ei mente ſerviatur, ſine excuſatione peccatur. Peccatum dicitur ipſa concupiſcentia, quia peccato facta eſt, appetitque peccare. Reatus ejus regeneratione ſolutus eſt, conflictus ejus ad agonem relictus eſt. Malum ejus clarum eſt. non viribus noſtræ voluntatis, ut putas, huic obſiſtimus, niſi divinitus adjuvemur. Debellandum hoc malum eſt non negandum, vincendum eſt non defendendum.) Item poſt rerum aliarum ampliſſimam diſputationem. Tam, inquit, malignum eſt hoc ſæculum, ut niſi exitum hinc fuerit, promiſſa requies nobis adeſſe non poſſit. Quamvis per prævaricationem primi hominis, labor poſteris ejus advenerit, tamen etiam reatu prævaricationis illius quem traximus jam ſoluto, ut fidei exerceatur examen, labor remanet ad certamen. Oportet enim nos certare cum vitiis, & in ipſo certamine laborare, donec donetur nobis adverſarium non habere. Quapropter ut boni præliatores perducantur ad præmia, ſupplicia vertuntur in prælia. Parvulorum quoque ſoluto reatu originaliter, propterea labores manent, quamvis ex ipſo reatu doceantur exorti, quia etiam ſic Deo placuit fidem probare majorum. A quibus enim offeruntur ut regenerentur, qualis & quanta fides eſſet rerum inviſibilium, ſi viſibilis remuneratio continuo ſequeretur, ac non potius, dilata requie quæ promittitur, ageretur fidei negotium cum corde, non cum oculis, ac ſic futurum ſæculum, ubi nulli labores erunt, quod nondum videtur, & crederetur ſincerius & deſiderabilius quæreretur? ac per hoc Deus labores noſtros, id eſt pœnas noſtras, ad utilitates noſtras mirabili benignitate convertit.) Item in eodem opere. Quoniam poſt priſtinam ruinam, inquit, tam gravem, ut in hujus mortalitatis miſeriam caderemus, prius Deus nos certare voluit, donans nobis ut ejus agamur ſpiritu, & mortificemus opera carnis, atque ipſo dante victoriam per dominum noſtrum Jeſum Chriſtum

Lib. VI. cap. XXVI. — *Lib. I. c. LXXI.* — *Lib. VI. cap. XXIX.* — *Lib. VI. c. XV.*

A in æterna cum illo poſtea pace regnemus: profecto niſi Deus adſit, nemo eſt idoneus certare cum vitiis, ne ſine certamine pertrahatur ab eis, aut ne jam certans in ipſa eorum conflictatione vincatur. Ideo in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare quam viribus, quia & ipſas vires, quantas hic habere nos competit, ipſe ſubminiſtrat certantibus quem rogamus. Si ergo ii, quorum contra carnem jam ſpiritus concupiſcit, ad ſingulos actus indigent Dei gratia ne vincantur, qualem libertatem voluntatis habere poſſunt, qui nondum de poteſtate eruti tenebrarum, dominante iniquitate, nec certare cœperunt, aut, ſi certare voluerunt, nondum li-
B beratæ voluntatis ſervitute vincuntur?) Item in libro Retractationum priore: Perfectio, inquit, boni eſt, ut nec ipſa concupiſcentia peccati ſit in homine. cui quidem, quando bene vivitur, non conſentit voluntas, verumtamen non perficit bonum, quia ineſt adhuc concupiſcentia cui repugnat voluntas. Cujus concupiſcentiæ reatus in baptiſmate ſolvitur, ſed infirmitas manet, cui, donec ſanetur, omnis fidelis qui bene proficit ſtudioſiſſime reluctatur.)

Cap. 3.

Alterum lumen tractatorum Hieronymus in Dialogo, Non ideo, inquit, peccavit Adam, quia Deus hoc futurum noverat, ſed præſcivit Deus quaſi Deus, quod ille erat propria voluntate facturus.) Item poſt aliquanta. Dominus,
C inquit ad diſcipulos, *Ego ſum vitis, vos rami. qui manet in me, & ego in eo, iſte * afferet fructum multum; quia ſine me nihil poteſtis facere.* Sicut rami & folia vitium ilico contabeſcunt cum fuerint a matrice præciſa, ita omnis hominum fortitudo marceſcit & deperit, ſi a Dei auxilio deſeratur. *Nemo*, inquit, *poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me traxerit eum.* Quando dicit, nemo poteſt venire ad me, frangit ſuperbientem arbitrii libertatem, quod etiam ſi velit ad Chriſtum pergere, niſi fiat illud quod ſequitur, pater meus cæleſtis traxerit eum, nequicquam cupiat & fruſtra nitatur. Simul & hoc animadvertendum, quod qui trahitur non ſponte
D currit, ſed aut retractans, aut tardus, aut invitus adducitur. Qui non poteſt ſuis viribus & labore venire ad Jeſum, quomodo poteſt omnia ſimul peccata vitare, & vitare in perpetuum?)

L. 3. adverſus Pelagianos, ante med. — *Joan. 15. 5.* — **edit. Hieron.* affert. — *Joan. 6. 44.*

Cæleſtinus etiam Papa, magnis annumerandus doctoribus, de libero arbitrio, ut tantum Pontificem decuit, univerſos inſtituit. Ex ejus decretis verba hæc ſunt: In prævaricatione, inquit, Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem & innocentiam perdidiſſe clarum eſt, * & neminem de profundo illius ruinæ poſſe conſurgere, niſi eum gratia miſerentis Dei erexerit.) Item. Neminem etiam, inquit, baptiſmatis gratia renovatum idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad vincendas carnis concupi-
E ſcentias, niſi per quotidianum adjutorium Dei perſeverantiam bonæ converſationis acceperit.) Item, quod nemo niſi per Chriſtum libero bene utatur arbitrio. Hinc & Innocentium Papam adhibet teſtem poſita ejus ſententia. Adverte tandem, o praviſſimarum mentium perverſa doctrina, quod primum hominem ita libertas ipſa decepit, ut dum indulgentius frænis ejus utitur, in prævaricationem præſumptione conciderit. Nec ex hac potuit erui, niſi ei providentia regenerationis ſtatum priſtinæ libertatis Chriſti Domini reformaſſet adventus.) Item Cæleſtinus, quod omnia ſtudia, & omnia opera ac merita Sanctorum, ad Dei gloriam laudemque referenda ſunt, quia nemo ei aliunde placet,

Poſt epiſt. Cæleſtini c. 1. — **Hic additur* clarum eſt. — *Cap. III.* — *Cap. IV. Innocentius in epiſt. ad Milevitanum Concilium.* — *Cap. VI.*

niſi ex eo quod ipſe donaverit.) Item, quod
Cap. VI. ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operetur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit, quia non niſi per Illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus.) Item,
Cap. VII. Quiſquis dixerit, ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere jubemur per liberum arbitrium, facilius poſſimus implere per gratiam, tanquam etſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſemus etiam ſine illa implere divina mandata, anathema ſit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, ſine me difficilius poteſtis, ſed ſine me nihil poteſtis facere.)

Carthaginenſis ſynodi decret. c. III.

Sanctus quoque Papa Gregorius, bonis omnibus, Latini ſermonis capacibus, ſuæque doctrinæ pie ſtudioſis, plurimum collaturus, humani arbitrii proprietatem ſubtiliter, ac ſuavitate ſolita, Homilia nona in Ezechielem expreſſit: *Audivi*, inquit, *vocem loquentis, & dixit ad me, Filii hominis, ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum.* ubi adhuc ſubditur, *Et ingreſſus eſt in me Spiritus poſtquam locutus eſt mihi, & ſtatuit me ſuper pedes meos.* Ecce divina vox jacenti Prophetæ juſſit ut ſurgeret. Sed ſurgere omnino non poſſet, niſi in hunc omnipotentis Dei ſpiritus intraſſet. quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem poſſumus, ſed hæc implere non poſſumus, ſi ipſe non adjuvat qui jubet. Sic Paulus cum diſcipulos admoneret dicens, *Cum metu & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini*, ilico quis in eis hæc ipſa bona operaretur adjunxit dicens, *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Hinc eſt quod ipſa veritas diſcipulis dicit, *ſine me nihil poteſtis facere.* Sed in his conſiderandum eſt, quia ſi bona noſtra ſic omnipotentis Dei dona ſunt ut in eis aliquid noſtrum non ſit, cur nos quaſi pro meritis æternam retributionem quærimus? ſi autem ita noſtra ſunt, ut dona Dei omnipotentis non ſint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias agimus? Sed ſciendum eſt, quod mala noſtra ſolummodo noſtra ſunt, bona autem noſtra, & omnipotentis Dei ſunt, & noſtra: quia ipſe adſpirando nos prævenit ut velimus, qui adjuvando ſubſequitur ne inaniter velimus, ſed poſſimus implere quæ volumus. Præveniente ergo gratia, & bona voluntate ſubſequente, hoc quod omnipotentis Dei donum eſt fit meritum noſtrum. quod bene Paulus brevi ſententia explicat dicens: *Plus illis omnibus laboravi.* qui ne ſuæ videretur virtuti tribuiſſe quod fecerat, adjunxit, *non autem ego, ſed gratia Dei mecum.* Quia enim cæleſti dono præventus eſt, quaſi alienum ſe a bono ſuo opere agnovit dicens, *non autem ego*: ſed quia præveniens gratia liberum in eo arbitrium fecerat * in bono, quo libero arbitrio eamdem gratiam eſt ſubſequutus in opere, adjunxit, *ſed gratia Dei mecum.* ac ſi diceret, in bono opere laboravi, non ego, ſed & ego. In eo enim quod ſolo Domini dono præventus ſum, non ego: in eo autem quod donum voluntate ſubſecutus ſum, & ego.)

In principio. Ezech. 2. 1. — *Philip. 2. 12.* — *Joan. 15. 5.* — *1. Cor. 15. 10.* — * *edit. Greg.* in bonum.

III. De Sanguine Chriſti. *In Enchiridio cap. LXI.*

Pro quibus effuſus ſit & quos redemerit ſanguis Domini, ſanctus Auguſtinus in libro ad Laurentium his verbis declarat. Hæc quæ in ſanctis Angelis & virtutibus Dei eſt Eccleſia, tunc nobis ſicuti eſt innoteſcet, cum ei conjuncti fuerimus in finem, ad ſimul habendam beatitudinem ſempiternam. Iſta vero quæ ab illa peregrinatur in terris, eo nobis eſt notior, quod in illa ſumus, & quia hominum eſt, quod & nos ſumus. Hæc ſanguine mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni eſt redempta peccato. Ejus vox eſt, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum.*) In Eccleſia enim quæ ſanguine mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni eſt redempta peccato, intelligit eſſe omnes, qui Apoſtolico teſtimonio comprehenduntur, quod eſt pro nobis omnibus tradidit eum.

Rom. 8. 31.

Item idem auctor in opere memorato contra Julianum. Redimuntur, inquit, quicumque redimuntur ab eo qui venit quærere quod perierat, qui & antequam veniret in carne, per ipſam fidem redemit, qua credebatur eſſe venturus. Redimuntur autem in libertatem beatitudinis ſempiternam, ubi peccato jam ſervire non poſſint.) Et manifeſtiſſime explanans populo ſancti Evangelii locum ſecundum Joannem, *vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.* Quomodo, ait, iſtis dixit, *non eſtis ex ovibus meis?* quia videbat eos ad ſempiternum interitum prædeſtinatos, non ad vitam æternam ſui ſanguinis pretio comparatos.)

Lib. VI. c. XI. — *Tractatu 48. in Joan.* — *Joan. 10. 26.*

Item ad Pollentium libro priore. Sicut omnis, inquit, qui Chriſti ſanguine redemptus eſt homo eſt, non tamen omnis qui homo eſt etiam ſanguine Chriſti redemptus eſt: ita omne quod non licet, non expedit, nec tamen omne quod non expedit, etiam non licet.). Beatus quoque Hieronymus commentario in Matthæum, ſe idem ſentire manifeſtat his verbis. *Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Nota quod crebro diximus, eum qui miniſtrat filium appellari hominis, & dare animam ſuam redemptionem pro multis, quando formam ſervi accepit, ut pro mundo ſanguinem funderet. Et non dixit dare animam ſuam redemptionem pro omnibus, ſed pro multis, id eſt pro his qui credere voluerint.) Quod cautiſſime doctor celeberrimus vidit de qualibuſcumque fidelibus intelligendum, propter illud, *peribit in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt.* propter illud etiam: *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus:* Necnon & propter illud: *Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit in quo ſanctificatus eſt?* Et quæcumque ſimilia ſcrutatores pii valent in divinis eloquiis invenire. Senſum Hieronymi Beda in explanatione Marci verbis ipſius ponit, nam & *filius hominis non venit ut miniſtraretur ei, ſed ut miniſtraret.* Nota, inquit, quod crebro diximus, eum qui miniſtraret filium appellari hominis, & dare animam ſuam redemptionem pro multis, quando formam ſervi accepit, ut pro mundo ſanguinem funderet. Et non dixit, dare animam ſuam redemptionem pro omnibus, ſed pro multis, id eſt, pro his qui credere voluerint.) Item Hieronymus ediſſerens illud Pſalmi, *Vendidiſti populum tuum ſine pretio.* Uſque nunc, inquit, de ſe locuti ſunt martyres, nunc de Judæorum populo dicunt, quibus dictum eſt in peccatis veſtris venditi eſtis. & ideo ſine pretio, quia non eſt effuſus agni ſanguis pro eis.

De conjugiis adulterinis, cap. XV. — *Matt. 20. 28.* — *1. Cor. 8. 11.* — *Rom. 6. 3.* — *Hebr. 10. 28.* — *Lib. 10. c. X.* — *Marc. 10. 45.* — *Pſal. 43. 23.*

Sanctus Gregorius Papa in Moralibus exponens locum illum, *non computetur in diebus anni*, eundem ſenſum aſſerit his verbis. Annum prædicationem ſupernæ gratiæ non inconvenienter accipimus: quia ſicut in anno congeſtis diebus tempus perficitur, ita in ſuperna gratia virtutum multiplex vita completur. Poteſt per annum etiam multitudo intelligi redemptorum: quia

Lib. IV. c. XI. — *Job. 3. 6.*

A ſicut ex dierum multitudine annus ducitur, ita ex collectione bonorum omnium illa electorum innumerabilis univerſitas expletur.)

Nec mirandum, duo clariſſima lumina doctorum, beatum Auguſtinum & Hieronymum, & poſt illos Gregorium & Bedam, in hoc ſenſu inveniri, cum eorum doctrina ex Evangelica pendeat auctoritate. In qua qnidem apud Matthæum ſic invenitur: *Bibite ex hoc omnes. hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* (*Matt. 26. 28.*) Apud Marcum autem, *hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis fundetur.* (*Marc. 14. 24.*)

B Apud Lucam vero, *hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Unde concordantes Lucæ, cum rem divinam agimus, in prece, hic eſt calix ſanguinis mei novi & æterni teſtamenti myſterium fidei qui pro vobis, concinentes autem Matthæo & Marco addimus, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Joannes tamen Conſtantinopolitanus Epiſcopus, explanans locum illum epiſtolæ ad Hebræos, qualiter gratia Dei pro omnibus guſtaverit mortem, (*Homil. 4. in Hebr. 2. 9.*) Non pro fidelibus tantum, inquit, ſed pro mundo

C univerſo. & ipſe quidem pro omnibus mortuus eſt: quid autem ſi non omnes credunt? ille quod ſuum erat implevit.) Verum hanc intelligentiam divinis non roboravit eloquiis. Fauſtus etiam quidam, ex Abbate Lerinenſis Regenſis Galliæ Epiſcopus, de his rebus, hoc eſt

A de Prædeſtinatione, & libero arbitrio; & ſanguinis Chriſti redemptione, longe diverſa ſuperioribus præcellentiſſimis auctoribus ſcripſit. Sed intelligentius inſpecta divinorum eloquiorum integritas errandi occaſionem penitus abſtulit, & reverentiſſimus Papa Gelaſius cum xx. Epiſcopis viris eruditiſſimis ſtatuens qui ſcriptores eſſent vel non eſſent recipiendi, poſt approbationem Auguſtini, & ampliſſimas laudes Hieronymi, memoratum Fauſtum ab auctoritate his verbis removit, Opuſcula Fauſti Regenſis Galli apocrypha.

B Nos igitur incorruptum ſanctarum ſcripturarum ſequentes intellectum, & Apoſtolicæ ſedis gravitatem ſuſpicientes, quid aliud dicamus, niſi, taceat Fauſtus, & ſimiliter ſentientes loquantur cum ſuis conſortibus Hieronymus & Auguſtinus? Scilicet illius proverbii recordantes, conticeſcant ranæ dum cælum tonat. Atque ut hunc noſtrum laborem fructuoſum ceteris relinquamus, illud ſemper memoria tenendum de reprobis monemus, *Qui elongant ſe a te peribunt*: de electis vero, *in omni gente qui timet Deum, & facit voluntatem ejus, acceptus eſt illi*.

C Et ut ab illis Dei gratia ſeparati, iſtis eadem Dei gratia ſociemur, aſſiduis precibus communiter implorandum. Nam qui parvulis regeneratis, moxque vita excedentibus, ineffabili pietate beatitudinem largitur, etiam eorum ſaluti benigne proſpexit, quibus perfecte in ſe ſperare donavit.

SERVATI LUPI
AD CAROLUM CALVUM REGEM
EPISTOLA.

Domino glorioſo Regi Carolo ſincere fidelis Lupus.

DUdum in urbe Biturigum quæſiſtis de prædeſtinatione, & libero arbitrio, ac redemptione ſanguinis Chriſti quid ſentirem: & ego quæ in divinis literis didiceram, & in maximis auctoribus inveneram, veſtræ majeſtati ſtrictim aperui. Et quoniam aliter videtur quibuſdam, qui me putant de Deo non pie fideliterque ſentire; ipſo Deo, cui ab intelligibili ætate plurimum confiſus ſum, ſenſum & ſtilum meum regente, memoratas quæſtiones, quas audacter multi ventilant, intelligenter pauci capiunt, breviter, veraciter, perſpicueque diſſolvam. Neque enim longa diſputatione vos tenere debeo, aut in aliquo fallere, aut obſcuritatibus retardare, cum veſtras occupationes in diſponenda republica non ignorem, vobiſque poſt Deum fidem debeam ſingularem.

I. De prædeſtinatione.

Deus Adam rectum condidit, ut ſancta ſcriptura docet, & originaliter in eo nos omnes rectos creavit. Hic parens humani generis, rectitudinem deferens naturalem, nullo cogente peccavit, tam granditer, ut & ſeipſum perderet, & in ſe omnes utroque ſexu natos condemnaret. Deus ergo fecit excellenter bonam hominis naturam, ſed eandem ipſe homo vitiavit miſerabiliter per ſpontaneam culpam. Denique fuit Adam, ut ait beatus Ambroſius, & in eo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt. (*Lib. 7. in c. 15 Lucæ, & apud Aug. oper. imp. perf. l. 1. c. 48.*) Laudemus igitur Dei opificium, & cognoſcamus culpæ noſtræ nihil aliud deberi niſi ſupplicium.

D Sed Deus, cui præterita, præſentia, & futura, æque præſto ſunt, (ipſe eſt enim qui eſt, nec ſcientiæ illius accedit aliquid aut decedit,) (*Exod. 3. 14.*) cum ſciret in Adam maſſam totius humani generis peccato corrumpendam; non abſtinuit ab ea bonum ſuæ creationis, bene uſurus etiam malis. & ante conſtitutionem mundi elegit ex ea quos a debita pœna per gratiam liberaret, ut ait Apoſtolus, *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* (*Epheſ. 1. 4.*) Ceteros autem, quibus non hanc gratiam miſericordia impendit, in damnatione quam ipſi peccando meruerant juſto judicio derelinquit. & hoc modo, ut docet Apoſtolus, *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* (*Rom. 9. 18.*)

E Miſeretur eorum quos aſſumit per gratiam; indurat illos quos per eandem gratiam non emollit, ſed quamvis occulto, juſto tamen judicio derelinquit. (*Aug. Enchirid. c. 100.*) Hi ergo quorum miſeretur prædeſtinati ſunt ad gloriam, ſecundum illud Apoſtoli, *quos præſcivit & prædeſtinavit.* (*Rom. 8. 29.*) & appellantur vaſa in honorem. (*Rom. 9. 21.*) Hi debent Deo totum quod ſunt, & quod habent: ſi quidem ejus bonitate facti ſunt cum non eſſent, ejus benignitate ſalvati ſunt cum perditi eſſent. (*Aug. de Civit. Dei, lib. 15. c. 1. lib. 21. c. 24. lib. 22. c. 24.*) Illi vero quos indurat, hoc eſt non emollit, qui in damnatione relinquuntur, quam originaliter, vel actualiter meruerunt, dicuntur vaſa in contumeliam, perfecta vel apta in interitum. (*De perfect. Juſt. c. 13.*) Hi quod creantur, Dei donum eſt: quod puniuntur, malum ipſorum. (*De peccat. merit. l. 2. c. 17.*) Hos beatus Auguſtinus in multis (*De anima & ejus origine,*)

l.4. c. 11. libris, & in eo quem fecit ultimum, non du-
In Eptateuc. 7. quæſt. 9. bitat dicere prædeſtinatos ad pœnam. non in-
Tractatu in Joan. 14. cap. 43. 45. &c. telligens fatalem periturorum neceſſitatem, ſed
immutabilem relictorum deſertionem. Legebat
enim de Deo, *Si concluſerit hominem, nullus eſt*
Job. 12. 14. *qui aperiat:* itemque, *Conſidera opera Dei, quod*
nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit: illud
Eccl 7. 14. etiam, *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eo-*
rum: ibunt in adinventionibus ſuis. Et, ut opi-
Pſal. 80. 13. nor, dirigebat eum in hunc ſenſum, illud ma-
xime teſtimonium de Deo, qui fecit quæ futura
ſunt. Cui & dicitur, *Reddes unicuique ſecundum*
Pſal. 61. 13. *opera ſua.* Quod nimirum facturus eſt omnibus,
Pſal. 31. 1. niſi quos fecerit beatos remittendo iniquitates eo-
rum, & tegendo peccata. Qui gratiam ipſius Dei
ſummis efferentes præconiis dicere poſſunt, non
Pſal. 102. 10. ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſe-
cundum iniquitates noſtras retribuit nobis. Con-
ſentiunt Auguſtino verbis aliis Hieronymus &
Gregorius: eodem autem verbo Beda & Iſido-
rus. quod ex ipſis auctoribus, ſi veſtræ placue-
rit celſitudini, facile potero demonſtrare.

II. De libero arbitrio.

Liberum ſane arbitrium in bono quod con-
tempſit, primus homo peccans perdidit, in ma-
lo autem quod elegit retinuit. Quemadmodum
vero ſi velit quis, vel ſubtrahendo ſibi cibum,
ſe poteſt perimere, peremptum autem non po-
teſt vivificare: ita potuit homo voluntate de-
linquens, uſum in bono liberi arbitrii perdere,
ſed id etiamſi velit non poteſt ſuis viribus re-
ſumere. Non erit igitur in bono liberum illi
arbitrium, niſi fuerit divina gratia liberatum.
Dominus Jeſus qui *ſciebat*, ut ſcriptum eſt,
Joan. 2. 25. *quid eſſet in homine*, id ſalubriter aperiens, *Si-*
Joan. 15. 5. *ne me*, inquit, *nihil poteſtis facere.* nihil ſcili-
cet boni. Nam ipſe mali auctor & cooperator
eſſe non poteſt, qui, ut Joannes ait Baptiſta,
Joan. 1. 29. *Agnus Dei eſt, qui tollit peccata mundi*, & quæ
ſcilicet facta ſunt, & ne fiant. Item alibi Do-
minus, *ſi vos filius liberaverit, tunc vere libe-*
Joan. 8. 36. *ri eritis.* Sanctus Cyprianus, martyr glorioſiſſi-
Ad Quirinum lib. 3. c. 4. mus, & doctor ſuaviſſimus, bene expendens ver-
ba Apoſtoli, *Quid habes quod non accepiſti? ſi*
autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acce-
1. Cor. 4. 7. *peris?* ſtatuit in nullo gloriandum, quando no-
ſtrum nihil ſit: Unde bona quoque voluntas
præparatur a Domino, ut memoratus Apoſtolus
docet. Deus eſt qui operatur in nobis & velle
& perficere opus bonæ voluntatis: propter quod
Philip. 2. 13. ſubjungit, *& perficere pro bona voluntate.* Ip-
ſam etiam bonam cogitationem a Deo nobis eſ-
2. Cor. 3. 5. ſe doctor gentium manifeſtans, *Non quaſi ſuffi-*
cientes ſimus, inquit, *cogitare aliquid a nobis*,
Pſal. 58. 11. *quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo*
eſt. Dei gratia nos prævenit, propter quod ſcri-
ptum eſt, *Deus meus, miſericordia ejus præve-*
niet me, ut bona velimus & inchoemus. Dei
gratia nos ſubſequitur, ut ſcriptum eſt, *& mi-*
Pſal. 22. 6. *ſericordia tua ſubſequetur me*, ne fruſtra veli-
mus & cœperimus. Hæc principaliter Dei ſunt,
ut præmiſſis teſtimoniis claruit, & conſequen-
Iſa. 26. 12. ter noſtra, quia voluntate a nobis fiunt. Et
ſcriptum eſt, *Domine pacem da nobis, omnia*
enim opera noſtra operatus es nobis. Reatus
quidem peccati in baptiſmate ſolvitur, ſed con-
flictus ejus propter exercendam fidem ſervatur:
ita ut adjutorio Dei ſemper, & comprimendis
vitiis, & obtinendis virtutibus egeamus. Hoc
& unuſquiſque Deo pie militans in ſemetipſo
ſentit, & Apoſtolus, jam Chriſti ſacramentum
conſecutus, ſic humiliter confitetur: *Condele-*
Rom. 7. 22. *ctor legi Dei ſecundum interiorem hominem. Vi-*
deo autem aliam legem in membris meis repu-

A *gnantem legi mentis meæ, & captivum me du-*
centem in lege peccati, quæ eſt in membris meis.
De libero arbitrio concorditer ita ſenſerunt qui-
cumque mentem divinorum eloquiorum probabi-
liter perceperunt.

Poſtremo quos redemerit Dominus ſanguine III. De morte Chriſti.
ſuo, Evangelica lectione colligitur apud Mat-
thæum. *Bibite*, inquit Dominus, *ex hoc omnes,* Matth. 26. 28.
hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui
pro multis effundetur in remiſſionem peccato-
rum. Apud Marcum: *Hic eſt ſanguis meus no-*
vi teſtamenti, qui pro multis effundetur. Apud
Lucam vero: *Hic eſt calix novum teſtamentum* Marc. 14. 24.
in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur. Duo
B ergo Evangeliſtæ ponunt pro multis, unus pro Luc. 22. 20.
vobis, quia & diſcipuli multis annumerantur,
nullus pro omnibus. Et ne id ego temere ſcru-
tatus exiſtimer, ſanctus Hieronymus explanans
locum Evangelii, *Sicut filius hominis non ve-* Matt. 20. 28.
nit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam
ſuam redemptionem pro multis, quando, inquit,
formam ſervi accepit, ut pro mundo ſangui-
nem funderet: & non dixit dare animam ſuam
redemptionem pro omnibus, ſed pro multis,
id eſt pro his qui credere voluerint.) Qua
expoſitione, juxta fidem catholicam, docuit ſo-
los fideles eſſe intelligendos, ſive in gratia
permanſuros, ſive ab ea ſuo vitio receſſuros.
C Item beatus Auguſtinus, aperiens populo ſen-
tentiam Evangelii, *Vos non creditis, quia non* Tractatu 48. in Joan.
eſtis ex ovibus meis, Quomodo ait iſtis dixit,
non eſtis ex ovibus meis? quia videbat eos ad
ſempiternum interitum prædeſtinatos, non ad Joan. 10. 26.
vitam æternam ſui ſanguinis pretio compara-
tos.) His tam claris luminibus doctrinam
ſuam Evangelico ſenſu roborantibus qui au-
deant contradicere, niſi qui erubeſcunt ſine
luminibus apparere? Ut pace tamen & reve-
rentia tanti viri dictum ſit, hunc intellectum
Evangelico fonte manantem, non videns Joan-
D nes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cum ex- Homil. 4. ad Hebr.
poneret illud Apoſtoli, qualiter gratia Dei pro
omnibus guſtaverit mortem, Non pro fidelibus
tantum, inquit, ſed pro mundo univerſo, &
ipſe quidem pro omnibus mortuus eſt. quid
autem ſi non omnes credunt? ille quod ſuum
erat implevit.) Verum cur hoc ſenſerit nul-
lo divino teſtimonio comprobavit. Quod ſi
quis (excellentiæ culminis veſtri oſtendit aut
oſtenderit Fauſtum quemdam de his longe di-
verſa ſcribentem, ne adquieveritis erranti,
quoniam doctus Papa Gelaſius cum LXX. Epiſ-
copis viris eruditiſſimis, qui ſcriptores eſſent,
vel non eſſent recipiendi, ſtatuens primo com-
mendationem Auguſtini, & ſingulares laudes
Hieronymi, memorati Fauſti ſcripta his verbis
exauctoravit, Opuſcula Fauſti Regenſis Galli
E apocrypha. Hanc fidem, quam expreſſi in ſu-
pradictis quæſtionibus, tenuerunt Eccleſiæ ca-
tholicæ invictiſſimi defenſores. hanc ego mini-
mus omnium cuſtodio, hanc volentibus abſque
invidia oſtendo: nolentibus meæ mediocritatis
conſcius non ingero. Nec, ut quidam ſuſpi-
cari ſe ſimulant, inaniter hoc eſt vanæ glo-
riæ ſtudio cupio innoteſcere, cum terreat me
plurimum illa de ſcribis & Phariſæis Domini
ſententia: *Omnia opera ſua faciunt, ut vi-* Matth. 23. 5.
deantur ab hominibus. & de hypocritis: *A-*
men dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Matth. 6. 5.
Sed aſſerendæ veritatis intuitu, quod in divi-
nis auctoritatibus, earumque ſenſum ſequenti-
bus præcellentiſſimis auctoribus, Deo inſpiran-
te deprehendi, quærentibus abſque contentio-

nè manifeſto. Veſtræ igitur opinatiſſimæ prudentiæ ſit jam ſatisfactum eſt gaudeo. Sin autem, vel nunc, vel cum Deus noſter optatam vobis quietem contulerit, propter alia etiam negotia Eccleſiaſtica, evocatis ad conventum doctioribus
A quibuſque, rectène perperàmve ſentiam, ſubtilior plurium tractatus poterit invenire. Sic Deus vos opto & oro diu feliciterque faciat regnare, ut ſecum vos in æternum regnare concedat.

SERVATI LUPI
AD HINCMARUM REMENSEM
EPISTOLA.

Reverentiſſimo Præſuli Hincmaro, Lupus perpetuam in Domino ſalutem.

SCrutanti mihi diu multumque de prædeſtinatione, de qua in pace, in qua vocati ſumus a Deo, quærimus & deliberamus, quid probabiliter eſſet ſentiendum, ne illud Apoſtoli,
Rom. 8. 28. *quos præſcivit & prædeſtinavit* pateat, illud
Rom. 9. 22. vero, *vaſa iræ perfecta, ſive parata, ſive apta in interitum*, & illud quod divinitus alibi ſcribitur, *neſcit homo utrum amore an odio dignus*
Eccl. 9. 1. *ſit*: itemque, *Conſidera opera Dei, quod ne-*
Ibid. 7. 14. *mo poſſit corrigere quem ille deſpexerit*, & ſimilia ſparſim in divinis reperta eloquiis, dignum non habeant exitum, hæc veriſſima videtur ſententia, ut prædeſtinatio ſit in bonis, juxta intellectum doctiſſimi Auguſtini, gratiæ præparatio: prædeſtinatio autem in malis, ſecundum noſtram capacitatem, gratiæ ſubtractio. De quibus idem certiſſimus auctor ita ſcribit, (Quibus non vult ſubvenire non ſubve-
Lib. De dono perſev. c. 2. nit, de quibus in ſua prædeſtinatione aliud judicavit.) Ita tamen, ut in utriſque creator æquiſſimus inveniatur, dum & illis gratiam miſericordia impertitur, & iſtis eandem gratiam, quamquam occulto, juſto tamen judicio non largitur: Dumque in Adam omnes recti creati ſumus, & libertatem arbitrii abſque ullius difficultatis impedimento & interpellatione accepimus, ſponte autem peccante Adam, *in quo*, ut Apoſtolus teſtis eſt, *omnes peccaverunt*,
Rom. 5. 12. omnes, ex eo duntaxat utroque ſexu progeniti, conditionis dignitatem amiſimus, & pœnam peccati, hoc eſt concupiſcentiam, & mortem, non animæ ſolum, verum etiam corporis, merito noſtro incurrimus: hinc eſt quod qualis Adam a Deo creatus eſt non naſcimur, ſed originaliter peccatores, damnatique pœna peccati. quorum alterum fecit ſpontanea culpa noſtri primi parentis, alterum culpam puniens tremenda ſeveritas juſtiſſimi judicis. Cum ergo communiter omnes damnati ſimus, cujus noſtrum vult Deus miſeretur, & quem vult indu-
Rom. 9. 18. rat, hoc eſt in propria duritia derelinquit: miſeretur magna bonitate, indurat nulla iniquitate. Sic itaque hos quos indurat prædeſtinat, non ad ſupplicium impellendo, ſed a peccato quod metetur ſupplicium non retrahendo. quemad-
B modum induravit cor Pharaonis, non ad cul- Exod. c. 7. 3. c. 9. 16.
pam urgendo, ſed gratia emollitum a culpa non revocando. Sic recte poſſumus dicere, induci a Deo in tentationem qui non exaudiuntur orantes, *Et ne nos inducas in tentationem*. non Matth. 6. 79.
quod ipſe inducat in malorum tentationem, quod utique, ut alibi docetur, *intentator malorum eſt*. Sed quodam locutionis genere inducere dicitur, cum judicio deſertos patitur in tentatio- Jac. 1. 13.
nem induci, quos a tentatione gratia non educit. Nemo tamen opinetur, aut juſtis, aut in-
C juſtis reprobis, prædeſtinationis veritate fatalem neceſſitatem induci, cum in utriſque ſuſpicionem neceſſitatis libertas excludat voluntatis. Siquidem electi, accipientes a Deo & velle & perficere, libenter agunt unde ſempiternum præmium conſequantur, perverſi autem, deſerti ab eodem Deo, non inviti, ſed & libenter agunt, unde in æternum merito puniantur. Quis vero, niſi ut mitius loquar tardus ſit, ibi afferat neceſſitatem, ubi videat regnare voluntatem, vel adjutam miſericordia, vel deſertam
D divino judicio? Bonorum ergo voluntatem ſic divina commendant eloquia: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*. Por- Pſal. 111. 1.
ro malorum voluntatem talem inſinuant: *Noluit intelligere ut bene ageret: iniquitatem medita-* Pſal. 35. 4.
tus eſt in corde ſuo. adſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit. Permiſſus eſt ergo injuſtus agere quod elegit, ut de malo bene operante Deo clareſceret quid eſſet inter ſervientem ei & non ſervientem, & ſalvati quantas habere & agere deberent ipſi Deo gratias agnoſce-
E rent, dum eandem habentes damnationis cauſam, in iſto aſpicerent quod liberatoris gratia evaſiſſent. Hæc aſſertio voluntatis ne in recens quidem natis nutat infantibus. Nam aut percepta baptiſmatis gratia ſi decedunt, voluntate Dei ſalvantur: aut eadem gratia ejuſdem Dei judicio fraudati, hereditarii peccati merito paterna commiſſi voluntate damnantur. Ego quod ſentio ſimpliciter vobis aperui. vos viciſſim, ſi in aliquo diverſi eſtis, ne gravemini reſerare. Simile Pardulo noſtro direxi. Cupio vos valere feliciter.

TESTIMONIA PATRUM GRÆCORUM

Quod Chriſtus pro omnibus paſſus ſit.

Athanaſius in Oratione de paſſione & cruce Domini.

A ΠΑΣΧΩΝ γὰρ αὐτὸς ἐβλάπτετο μὲν οὐδ' ὅλως· ἐχαρίζετο δὲ μᾶλλον. καὶ ἀποθνήσκων οὐκ ἔμενε νεκρὸς, ἀλλὰ μᾶλλον καὶ τοὺς νεκροὺς ἐζωοποίει. καὶ σφαγιαζόμενος δὲ οὐκ ἀπώλετο, ἀλλὰ τῷ αἵματι τῆς σφαγῆς πάντας ἁπλῶς ἐλυτροῦτο, καὶ αὐτὸς ἔμενεν ἀπαθής.

Ipſe autem cum pateretur nihil detrimenti ſentiebat, ſed potius dona largiebatur: non moriens mortuus remanſit, ſed potius mortuos vivificabat: nec immolatus periit, ſed immolationis ſuæ ſanguine omnes prorſus liberavit, ipſeque remanſit impatibilis.

B

Baſilius in Pſalmum LIX.

Ἐστι δὲ ἀπαξαπλῶς περὶ παντὸς τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων νοῆσαι, ὁ Θεὸς ᾠκτείρησας ἡμᾶς, ὅτε τὸν μονογενῆ σου προέθου ἱλαστήριον ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ἵνα ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ τὴν ἀπολύτρωσιν εὕρωμεν. Μωϋσῆς μὲν τὰς φλιὰς τῶν Ἰσραηλιτῶν τῷ αἵματι τοῦ προβάτου κατεσημήνατο· σὺ δὲ ἔδωκας ἡμῖν σημείωσιν αὐτὸ τὸ αἷμα τοῦ ἀμώμου ἀμνοῦ τοῦ σφαγιασθέντος ὑπὲρ τῆς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου.

C

Pſalmum autem univerſe de toto genere humano interpretari licet, Deus miſertus es noſtri, quando unigenitum tuum pro peccatis noſtris propitiationem propoſuiſti, ut in ejus ſanguine redemptionem inveniamus. Moyſes enim Iſraelitarum poſtes ovis ſanguine obſignarat: tu vero ſignum dediſti nobis ſanguinem ipſum agni qui pro mundi peccato immolatus eſt.

D

Gregorius Nazianzenus Oratione II. in Paſcha.

Ἀλλὰ τὸ μέγα καὶ ἄθυτον ἱερεῖον, ἵν' οὕτως εἴπω, ὅσον ἐπὶ τῇ πρώτῃ φύσει, ταῖς νομικαῖς θυσίαις ἐγκαταμέμικται· καὶ οὐ μικροῦ μέρους τῆς οἰκουμένης, οὐδὲ πρὸς ὀλίγον, ἀλλὰ παντὸς τοῦ κόσμου καὶ διαιωνίζον καθάρσιον.

Verum magna illa, & quantum ad primam naturam immactabilis, ut ita loquar, victima legalibus ſacrificiis immixta eſt: illa inquam non exiguæ cujuſdam partis orbis terrarum, nec ad exiguum tempus, ſed totius mundi nunquam intermoritura expiatio.

Joannes Chryſoſtomus Oratione XV. in Epiſtolam ad Hebræos.

Καὶ πάλιν ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ φησι, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσεν· ὅπως χάριτι Θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. οὐχὶ τῶν πιστῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης. αὐτὸς μὲν γὰρ ὑπὲρ πάντων ἀπέθανε. τί δὲ εἰ μὴ πάντες ἐπίστευσαν; αὐτὸς τὸ ἑαυτοῦ πεπλήρωκε.

Et iterum in Epiſtola ad Romanos dicit, *Multo magis gratia Dei & donum unius hominis Jeſu Chriſti in multos abundavit*, qualiter gratia Dei pro omnibus guſtaverit mortem. non pro fidelibus tantum, ſed pro mundo univerſo. Et ipſe quidem pro omnibus mortuus eſt. Quid autem ſi non omnes credunt? Ille quod ſuum erat implevit. Rom. 5. 15.

Theodoretus in epiſtolam I. ad Timotheum.

Δείκνυσι δὲ καὶ τὸ δεσποτικὸν πάθος ὑπὲρ ἁπάντων γεγενημένον. ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. Πάντων γὰρ ὑπὸ τὴν τοῦ θανάτου δυναστείαν γεγενημένων, αὐτὸς, οὔτε ὡς θεὸς ὑποκείμενος θανάτῳ· ἀθάνατον γὰρ ἔχει τὴν φύσιν· οὔτε μὴν ὡς ἄνθρωπος· ἁμαρτίαν γὰρ οὐκ ἐποίησε τοῦ θανάτου τὴν πρόξενον· οἷόν τι λύτρον ἑαυτὸν δέδωκε, καὶ τῆς ἐκείνου δουλείας ἅπαντας ἠλευθέρωσε.

Oſtendit autem Domini quoque paſſionem fuiſſe pro omnibus ſuſceptam. *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*. Cum enim omnes redacti eſſent ſub mortis poteſtatem, ipſe, qui nec ut Deus fuit morti obnoxius, habet enim naturam immortalem, ſed nec ut homo, peccatum enim non fecit quod mortem affert, dedit ſeipſum veluti quoddam redemptionis pretium, & omnes ab ejus ſervitute liberavit. 1. Tim. 2. 6.

RABANI

RABANI ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI

DE PRÆDESTINATIONE DEI

ADVERSUS GOTHESCALCUM

EPISTOLÆ TRES.

Primum in lucem editæ cura & ſtudio JACOBI SIRMONDI *Societatis Jeſu Presbyteri, anno* M DC XLVII.

Digitized by Google

LECTORI.

DE HIS RABANI EPISTOLIS, quandonam ſcriptæ ſingulæ, & quibus ex locis depromptæ.

RAbani adverſus Gotheſcalcum etſi alia memorari opera non ignorabamus, nihil tamen hactenus in lucem prodierat præter epiſtolam Synodalem ad Hincmarum miſſam ex Synodo Moguntina. illa videlicet, in qua auctore ac præſide Rabano recens damnatus cum hæreſi ſua fuerat Gotheſcalcus. Ad hanc ergo tres aliæ nunc accedunt, una ad Hincmarum eundem, altera ad Notingum Veronenſem Epiſcopum, tertia ad Comitem Heberardum, de falſis Gotheſcalci aſſertionibus omnes, & de pravo ejus ingenio ac moribus. Sed in his, ſi ordo quæratur, præire debuerant duæ poſteriores, tum quippe ſcriptæ, cum Gotheſcalcus prima erroris ſui ſemina ſpargeret in Italia. Longo enim poſt intervallo, ut apparet, ſecuta eſt tertia ad Hincmarum, audito jam ſemel atque iterum damnatoque in Synodis Gotheſcalco, Moguntina quam diximus, & Cariſiaca. Quod igitur in his edendis primo loco eam poſuimus quæ poſtrema erat, ordinem ſecuti ſumus, non quo exaratæ fuerunt, ſed quo ad Hincmari manus, ac, ſi hoc quoque addi placet, ad noſtras pervenerunt. Epiſtolam enim ad Hincmarum multos ante annos habueramus ex Codice S. Mariæ Laudunenſis: duas reliquas, quarum in illa mentionem fieri videbamus, diu in Gallia fruſtra quæſitas, Romæ tandem proximo ab hinc anno adepti ſumus humaniſſimi viri Joannis Baptiſtæ Mari, S. Angeli in Foro piſcium Canonici beneficio, qui haſce ex Ciſtercienſi S. Salvatoris in Senenſi ditione monaſterio depromptas referebat. Fruere, LECTOR, *& vale.*

DE
GOTHESCALCO MONACHO,
duplicique ejus Synodica condemnatione.

GOTHESCALCUS monachus ex Orbacenſi monaſterio, quod provinciæ Remorum eſt in Sueſſionica diœceſi, gloriæ cupidus, ut teſtatur Hincmarus, quietiſque impatiens, veterem Prædeſtinatorum hæreſin renovare aggreſſus, relicto Monaſterio peragratiſque regionibus plurimis, quos potuit ſibi adjungere peſtiferæ doctrinæ labe corrupit. Moguntiam poſthæc veniens, & Rabano Archiepiſcopo libellum erroris ſui porrigens, in Synodo Moguntina damnatus, cum literis Synodalibus ad Remorum metropolim, cui Hincmarus præerat, eſt remiſſus, atque a Synodali conventu in Cariſiaco palatio iterum auditus ab Epiſcopis, & hæreticus comprobatus, Synodi ſententia honore presbyterali dejectus, virgis cæſus, & ne aliis noceret, ergaſtulo eſt retruſus in Altovillati cœnobio.

EPISTOLA SYNODALIS CONCILII MOGUNTINI

DE GOTHESCALCO.

Reverentiſſimo fratri & conſacerdoti Hincmaro Archiepiſcopo Rabanus ſervus Chriſti & ſervorum ejus in Domino ſalutem.

NOtum ſit dilectioni veſtræ, quod quidam gyrovagus monachus nomine Gotheſcalc, qui ſe aſſerit ſacerdotem in veſtra parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, novas ſuperſtitiones & noxiam doctrinam de prædeſtinatione Dei introducens, & populos in errorem mittens. dicens quod prædeſtinatio Dei ſicut in bono ſit, ita & in malo, & tales ſint in hoc mundo quidam, qui propter prædeſtinationem Dei, quæ eos cogat in mortem ire, non poſſint ab errore & peccato ſe corrigere, quaſi Deus eos feciſſet ab initio incorrigibiles eſſe, & pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habita ab eo audientes, & incorrigibilem eum reperientes, annuente atque jubente piiſſimo rege noſtro Hludouvico, decrevimus eum cum pernicioſa ſua doctrina damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis in veſtra parochia, unde primum inordinate receſſit, & non ſinatis eum amplius errorem docere, & ſeducere populum Chriſtianum. quia jam multos ſeductos, ut audivi, habet, & minus devotos erga ſuam ſalutem, qui dicunt, Quid mihi proderit laborare in ſervitio Dei? quia ſi prædeſtinatus ſum ad mortem, nunquam illam evadam: ſi autem male egero, & prædeſtinatus ſum ad vitam, ſine ulla dubitatione ad æternam requiem vado. Hæc ergo paucis vobis ſcripſimus, intimantes qualem ejus doctrinam reperimus. vos etiam valebitis de ore ejus quod ſentit plenius audire, & quid inde agendum juſte ſit decernere. Dominus omnipotens ſanctitatem veſtram bene valentem, & pro nobis orantem in æternum conſervare dignetur.

SENTENTIA SYNODI CARISIACÆ

ADVERSUS GOTHESCALCUM.

Eccleſiaſtica ſententia in pertinaciſſimum Gotheſcalcum, propter incorrigibilem obſtinationem illius, in Synodo apud Cariſiacum habita a duodecim Epiſcopis Eccleſiaſtico rigore prolata.

FRater Gotheſcalc, ſacroſanctum ſacerdotalis myſterii officium, quod irregulariter uſurpaſti, & in cunctis moribus ac pravis actibus atque perverſis doctrinis, eo hactenus abuti non pertimuiſti, judicio Spiritus ſancti, cujus gratiæ munus eſt ſacerdotale officium, per virtutem ſanguinis domini noſtri Jeſu Chriſti noveris tibi eſſe, ſi quo modo ſuſcepiſti, ſublatum, & ne ulterius eo fungi præſumas penitus interdictum. Inſuper, quia & Eccleſiaſtica & civilia negotia contra propoſitum & nomen monachi conturbare contemnens jura Eccleſiaſtica præſumpſiſti, duriſſimis verberibus te caſtigari & ſecundum Eccleſiaſticas regulas ergaſtulo retrudi auctoritate Epiſcopali decernimus, & ut de cetero doctrinale tibi officium uſurpare non præſumas, perpetuum ſilentium ori tuo virtute æterni Verbi imponimus.

VETERUM ALIQUOT EJUSDEM ÆVI SCRIPTORUM DE RABANO TESTIMONIA.

Einhardi Abbatis Epiſtola XVII.

REverentiſſimo Chriſti ſamulo Hrabano venerabili Abbati Einhardus peccator. Quidam homo veſter nomine Gundhartus, *&c.*

Lupi Abbatis Ferrarienſis epiſt. xl.

REverentiſſimo patri, eximioque præceptori Rabano Lupus plurimam ſalutem. *Poſt alia.* Conſenſu fratrum noſtrorum Cœnobium Ferrarienſe mihi commiſſum eſt, dominuſque noſter Carolus mira me dignatione fovens gratia ſua donavit. Veſtra igitur benevolentia me, unaque Congregationem mihi creditam, ſacris orationibus quæſo commendare dignetur, ut ſicut ſtudia mea plurimum eruditione adjuviſtis, ſic officii difficultatem aſſiduis precibus temperetis.

Walafridi Strabi Abbatis, in Epigrammate.

AD Maurum Rabanum Abbatem Fuldenſem magiſtrum ſuum. *Ejuſdem in Epitome Levitici.* Levitici breviſſimam adnotationem ego Strabus, tradente domino Rabano Abbate, viro in multis ſcientiæ divinæ eloquiis admirabiliter adornato, quantum tenuitas ingenii mei permittebat, abbreviare curavi.

Hincmari Remenſis Epiſtolarum ad Rabanum Index, ex Flodoardo lib. III. Hiſtoria Eccleſia Remenſis cap. XXI.

1. RAbano Moguntiæ Præſuli, ſuper Gotheſcalci, quem idem Pontifex a parochia ſua, ob hæreſum ſemina quæ ſpargebat, repulſum ad eundem cum quibuſdam complicibus ipſius direxerat, ſuſceptione vel diſcuſſione.

2. Item de hac eadem re, & quid poſt ſuſceptionem ipſius de eodem egerit, qualemve invenerit ipſius veſaniam, conſilium ab eo rationabilius, quid ſibi adverſus eum agendum ſit, expetens.

3. Item de doctrina & hæreſi ejuſdem, & quid in eum fecerit, poſtquam in Synodo hæreticus comprobatus fuerat, nec corrigi potuit. & quid ipſe contra doctrinam ejus ſentiat, damnationemque ipſius, quæve contra eumdem ſcripſerit, huic diſcutienda direxit. quærens etiam qualiter de Trinitatis fide ac prædeſtinatione diverſorum ſint intelligendæ ſententiæ. In qua epiſtola aſſerit hunc B. Rabanum ſolum tunc temporis de diſcipulatu beati Alcuini relictum.

Rudolfi presbyteri in vita Rabani, ubi ejus ſcripta commemorat.

AD Notingum quoque Epiſcopum Veronenſem, de præſcientia ac prædeſtinatione Dei, de gratia, & libero arbitrio ſcripſit librum unum, in quo quid recte ſentiendum eſſet oſtendit.

INDICULUS

eorum quæ in hoc volumine continentur.

RAbani Epiſtola I. ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem, 989
Rabani Epiſtola II. ad Notingum Epiſcopum Veronenſem, cum Libro de prædeſtinatione contra Gotheſcalcum 999.
Rabani Epiſtola III. ad Heberardum Comitem in Italia, 1019.

RABANUS SÆCULARI SCIENTIA AFFATIM ERUDITUS, FIDE CATHOLICA, SPIRITUALI SCIENTIA AD PLENUM EDOCTUS.

S. Odilo Abbas Cluniacenſis in Sermone de laude Crucis.

RABANI ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI

EPISTOLA PRIMA

AD HINCMARUM REMENSEM.

Reverentiſſimo & deſiderantiſſimo fratri, & merito rectæ fidei ac ſanæ profeſſionis ab omnibus Catholicis rite venerando, Hincmaro Pontifici, Rhabanus ſervorum Dei ſervus in Domino æternam optat ſalutem.

PRoximo vere, hoc eſt in Martio menſe, in diebus Quadrageſimæ, appropinquante Paſchali ſollenitate, veſter nuntius ad me veniens portavit veſtram epiſtolam, ſimul & Opuſculum quod feciſtis ad recluſos & ſimplices qui in veſtra parochia conſiſtunt, contra Gotheſcalci errorem. Adſerebat etiam ſecum aliorum ſcripta, qui propemodum memorati hæretici dogma ſequuntur, ſed non uſquequaque. Nam Prudentius Trecaſſinæ civitatis Epiſcopus, ad vos & ad Pardulum ſcribens, plura teſtimonia præteritorum patrum in quaternionibus ſuis collegit, in quibus aliquando noſtro ſenſui concordat, hoc eſt ubi dicit peccati auctorem Deum non eſſe, nec aliquem ad peccandum compellere, præmium vero juſtis immenſa gratia miſericorditer tribuere, pœnam autem condignam iniquis pro malis eorum operibus juſte reddere, quia juſtus eſt Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Sed quando dicit quod Deus, ſicut electos prædeſtinatione ſua ad præmium æternum perducit, ita prædeſtinatione ſua cogat peccatores in interitum ire; hoc mihi videtur in congregatione teſtimoniorum ſuorum facere velle, ut credamus & confiteamur, juxta traditionem Gotheſcalci, geminam eſſe prædeſtinationem. ſcilicet quod ſicut electos præſciendo & prædeſtinando Deus ducit ad vitam, ita reprobos præſciendo & prædeſtinando ducat ad pœnam. Sed quia hoc nuſquam in ſcripturis ſacris ita mixtim poſitum inveni, ejus traditionibus aſſentire non adquieſco. Singillatim autem cunctis propoſitionibus ejus per ſingula loca reſpondere, & ſententiis illis, quas ipſe ex multis libris congregavit, contrarias ſententias apponere non me permittit infirmitas corporis, nec ægritudo ſenectutis. Quæ autem de præſcientia & prædeſtinatione Dei in ſacris libris didici, & ſententias quas probatas a canonicis ſcriptoribus in divinis teſtamentis inveni, prout memoriæ tunc occurrebant, in Opuſculis meis inſerui, quæ ad Notingum Epiſcopum & Eberhardum Comitem præterito tempore contra Gotheſcalci errorem confeci. Quæ etiam Opuſcula, quæ dixiſtis quod memoratus Gotheſcalcus ea corrumperet ac vitiaret, vobis modo prout a me dictata ſunt ad legendum tranſmiſi, & ſi quid in eis emendandum ſit, veſtro judicio magis eligo corrigi quam hæretici. Pauca quidem adhuc teſtimonia de Apoſtolis & Prophetis hic inſerenda cenſui, quatenus tenent hi qui prædeſtinationem Dei in tam pravum ſenſum vertere volunt, ut Deum dicant prædeſtinatione ſua auctorem eſſe perditorum, utrum ex divina auctoritate ſuas inventiones adfirmare poſſent an non. Ego autem nuſquam prædeſtinationem in malo poſitam, quantum recordor, inveni, ſed ſemper in bonum. Nam beatus Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Romanos ita ſcripſit dicens: *Scimus autem quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit. Quos autem juſtificavit, illos & glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum. Quomodo ergo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* In epiſtola autem ſua ad Epheſios ita loquitur dicens, *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpiritali in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in caritate. qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, ſecundum divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis in omni ſapientia & prudentia. ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ ſecundum bonum placitum ejus quod propoſuit in eo in diſpenſationem plenitudinis temporum, inſtaurari omnia in Chriſto quæ in cælis & quæ in terra ſunt in ipſo, in quo & vos cum audiſſetis verbum veritatis evangelium ſalutis veſtræ, & credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ in redemptionem adquiſitionis in laudem gloriæ ipſius.* Quam ſententiam beatus Ambroſius atque Hieronymus ita expoſuerunt, ſcilicet hoc decreviſſe Deum, ut credentes in Chriſtum adoptarentur in filios Dei. Præſcius Deus omnium ſcivit qui credituri eſſent in Chriſtum, ſicut dicit ad Romanos, quos præſcivit & vocavit, nos non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex gentibus. Quos autem Deus dicitur vocare, perſeverant in fide. Hi ſunt quos elegit ante mundum in Chriſto, ut ſint incontaminati coram Deo in caritate, hoc eſt ut amor Dei ſanctam illis faciat converſationem.

Rom. 8. 28.

Epheſ. 1. 3.

A Quod autem ait, *in caritate prædeſtinavit nos*, dupliciter legendum, ut caritas, vel cum ſuperioribus, vel cum inferioribus copuletur. Cum ſuperioribus ita, *ut eſſemus ſancti & immaculati coram ipſo in caritate*, & poſtea ſequatur, *prædeſtinans nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum*. Cum inferioribus autem ſic, *in caritate prædeſtinans nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſo*, id eſt Chriſto, qui nunquam non fuit filius: nos vero non fuimus filii antequam prædeſtinati eſſemus cum ipſo. Hoc autem prædeſtinavit, ut haberet poteſtatem filius Dei fieri omnis qui credere voluiſſet in ipſum: quia nemo filius Dei fieri potuit, niſi fidem & caritatem, quæ per dilectionem operatur, habeat. Idcirco non eſt

B Deo, qui ſalutis humanæ & bonorum omnium auctor eſt, ſeductio hominis & deceptio deputanda, per quam in mortem cadat perpetuam: ſed magis ſibimetipſi, qui propriæ concupiſcentiæ, vel diaboli ſuggeſtioni conſentiens, peccatum committit, nec inde condignam pœnitentiam ante obitum agere voluerit. Quod Apoſtolus Jacobus oſtendit dicens: *Nemo cum tentatur dicat quoniam a Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat. unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: deinde concupiſcentia cum conceperit parit peccatum, peccatum vero cum conſummatum fuerit generat mortem*. Su-

Jac 1. 13.

C perius de tentationibus, quas permittente Domino exterius probandi gratia perpetimur diſputavit. Nunc incipit agere de illis quas interius inſtigante diabolo, vel etiam naturæ noſtræ fragilitate ſuadente, toleramus. Ubi primo illorum deſtruit errorem, qui ſicut bonas cogitationes a Deo nobis conſtat inſpirari, ita etiam malas ipſo inſtigante putant noſtra in mente generari. Nemo ergo cum tentatur dicat quoniam a Deo tentatur, illa videlicet tentatione, qua dives incedens in itineribus ſuis marceſcit. id eſt, nemo cum rapinam, furtum, falſum teſtimonium, homicidium, ſtuprum, vel cetera hujuſmodi commiſerit, dicat quoniam Deo

D cogente neceſſe habuerit hæc patrare, ideo nullatenus horum effectum declinare potuerit. Deus enim intentator malorum eſt, ſubauditur tentamentorum. Ipſe enim neminem tentat, ea videlicet tentatione, quæ decipit miſeros ut pereant. Duplex eſt autem genus tentationis. unum quod decipit, aliud quod probat. Secundum hoc quod decipit, Deus neminem tentat: ſecundum illud quod probat, Deus tentavit Abraham. de quo & Propheta poſtulat, *Proba me Domine & tenta me*. Unuſquiſque vero tentatus a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus abſtractus videlicet a recto itinere, & inlectus in malum. De hoc verſu Hieronymus contra Jovinianum, Sicut in bonis, inquit, operibus perfe-

Pſal. 25. 2.

E ctor eſt Deus, *non eſt enim volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*, & adjuvantis, ut pervenire valeamus ad calcem: ſic in malis atque peccatis, ſemina noſtra ſunt incentiva, & perfectio Diaboli. cum viderit nos ſuper fundamentum Chriſti ædificaſſe fœnum, ligna, ſtipulam, tunc ſupponit incendium.) Igitur non eſt æquum, ut Salvatorem noſtrum perditionis noſtræ aſſeramus auctorem, ſed ut miſericordem patrem amemus, & juſtum judicem timeamus, ipſumque aſſidue deprecemur, ut eruat nos a malis, & defendat ab omnibus inimicis. Qui in oratione Dominica juſſit patrem cæleſtem nos petere, ut dimittat nobis debita noſtra, ſicut & nos di-

Lib. 2. initio cap. 2.
Rom. 9. 15.
Matth. 16. 12.

mittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducat in tentationem, ſed liberet nos a malo. Non enim inducet nos in tentationem per quam decipiamur. ſed hoc petimus, ne nos induci permittat in tentationem noxiam, per quam incidamus in peccatorum ruinam; quin potius liberet nos a malo, hoc eſt diabolo, & ab æterno interitu. Igitur non per ſeipſum inducit Deus, ſed induci patitur eum, quem ſuo auxilio deſeruerit, ordine occultiſſimo ac meritis. Cauſis etiam ſæpe manifeſtis, dignum judicat illum quem deſerat, & in tentationem induci ſinat. Aliud eſt autem induci in tentationem. aliud eſt tentari. Nam ſine tentatione probatus eſſe nullus poteſt.... Non ergo hic oratur ut non tentemur, ſed ut non inferamur in tentationem: tanquam ſi quiſpiam, cui neceſſe eſt igne examinari, non oret ut igne non contingatur, ſed ut non exuratur. Vaſa enim figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis.) Multi autem in precando ita dicunt, ne nos patiaris induci in tentationem, exponentes videlicet quomodo dictum ſit inducas. Qua in parte oſtenditur nihil contra nos adverſarium poſſe, niſi Deus ante permiſerit: ut omnis timor noſter, & devotio, atque * obſervatio ad Deum convertatur, quando in tentationibus noſtris nihil malo liceat niſi poteſtas inde tribuatur.) Quod autem ille Corbeienſis monachus in epiſtola ſua vituperavit nos, non recte Fulgentii ſententiam expoſuiſſe ſcribendo de vobis ad amicum ſuum ita dicens, Nam quod ait dixiſſe Fulgentium, præparavit Deus malos ad luenda ſupplicia, pro eo quod eſt præparari permiſit, invenit quod diceret, non vero dixit quod debuit. & vos ſeductos eſſe aſſerit ſtilo cujuſdam libelli, qui fertur eſſe Hieronymi, de induratione cordis Pharaonis, ut diceretis non Deum induraſſe cor Pharaonis, ſed indurari permiſiſſe. non recte vos reprehendere mihi videtur: quia non Deus cujuſquam cor ſua factione indurat, ut ſemetipſum homo ab errore non corrigat, ſed juſto judicio indurari permittit, aut propria nequitia, aut diaboli malitia. quod manifeſtis indiciis probari poteſt. Nam Paulus Apoſtolus, cum in epiſtola ſua ad Romanos de Pharaone mentionem habuiſſet, ita adjecit dicens: *Dicit enim ſcriptura Pharaoni, quia ad hoc ipſum excitavi te ut oſtendam in te virtutem meam, & ut adnuntietur nomen meum in univerſa terra*. Vide enim quia non dixit, ad hoc ipſum te feci, alioqui ad conditorem referri culpa videretur: ſed ait, ad hoc ipſum te ſuſcitavi, ut per animi tui malitiam, quam tibi infrunite, & ſine Dei timore vivendo quæſiſti, & in alios irrogetur utilis ac fructuoſa correptio, & in te ipſum ad poſteritatis exemplum famoſiſſimus conferatur interitus.) Ad hoc enim ſervatus eſt Pharao, ut multa ſigna & plagæ oſtenderentur in illum quaſi jam mortuum. Suſcitatus autem dictus eſt, quia cum apud Deum mortuus eſſet, modicum tempus accepit ut vivere videretur. ut eſſet ad cujus pœnam & varia tormentorum genera uſque ad mortem ingererentur, & omnes qui ſine Deo erant, inde metu territi, hunc ſolum Deum eſſe cum admiratione maxima faterentur, a quo hæ vindictæ * ſunt. Hoc etiam genere antiqui medici in hominibus morte dignis, vel mortis ſententiam conſecutis, requirebant quomodo prodeſſent vivis, quæ in homine latebant, apertis; ut his cognoſcerent cauſas ægritudinis, * ut pœna morientis proficeret ad ſalutem viventis.)

Aug. de Sermone Domini in monte lib 2. cap. 9.
Eccli. 27. 6.
Cyp. de oratione Dominica.
* Cambronenſis codex obſecratio
Rom. 9. 17.
Orig. in epiſt. ad Rom. c. 9.
Ambroſ. in epiſt. ad Romanos, cap. 17.
* ſi. ſunt.
* al. &

Quod

Auguſt. in epiſt. ad Rom. propoſ. 62.

A

Quod ergo jam Pharao non obtemperabat præceptis Dei, jam de ſupplicio veniebat: Non autem quiſquam poteſt dicere obdurationem illam cordis immerito accidiſſe Pharaonis, ſed judicio Dei retribuentis incredulitati ejus debitam pœnam. Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; ſed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate. In his enim quos

Ibidem & 1. retract. 23. n. 3.

Deus juſte damnat, infidelitas & impietas inchoant pœnæ meritum, ut per ipſam pœnam etiam male operentur. ſicut & ſuperius idem dicit Apoſtolus, *Et quomodo non probaverunt Deum in notitia habere, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt*. Quapropter ita concludit Apoſtolus: *Ergo cui vult miſeretur, & quem vult indurat*.) Quod autem dicit, Ergo cui vult miſeretur, & quem vult indurat, ex his quæ in Exodo ſcripta ſunt videtur aſſumere. Ibi enim dicit, *Indurabo cor Pharaonis, ut ne dimittat populum*. Indurabatur autem cor Pharaonis hoc modo.

Rom. 1. 28.

B

Rom. 9. 18.

* *Orig. in epiſt. ad Rom. c. 9.*

Exod. 4. 21.

Noluit Deus ſubitam & plenam dare in eum vindictam. Quamvis enim eſſet conſummatæ malitiæ, tamen per patientiam ſuam Deus nec ipſi facultatem converſionis excluſerat. & ideo primo * lenioribus, tum etiam paulatim ingraveſcentibus in eum verberibus utitur. Sed quod Deus gerebat per patientiam, ex hoc ille indurabatur ad contemptum, majorem ſibi iram recondens, ita ut ad ipſum dici conveniat illud quod Apoſtolus ſcribit: *An divitias bonitatis ejus & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam patientia Dei te ad pœnitentiam adducit? ſecundum duritiam autem & cor impœnitens theſaurizas tibi ipſi iram in die iræ*. Non ergo quem vult Deus indurat, ſed qui patientiæ obtemperare noluerit induratur.)

* *in edit. Origen.* levioribus.

C

Rom. 2. 4.

Auguſt. in epiſt. ad Rom. propoſ. 62.

* *in edit.* bene

* male.

Cui enim miſeretur, facit eum * bonum operari, & quem obdurat, relinquit eum ut * mala operetur. ſed & illa miſericordia præcedenti merito fidei tribuitur, & iſta obduratio præcedenti impietati, ut & bona per donum Dei operemur, & mala per ſupplicium, cum tamen * non auferatur liberum voluntatis arbitrium, ſive ad credendum Deo, ut conſequatur nos miſericordia, ſive ad impietatem, ut conſequatur ſupplicium. Qua concluſione inlata, infert quæſtionem tamquam a contradicente. Ait enim, *Dicis itaque mihi, quid adhuc quæritur? Nam voluntati ejus qui reſiſtit?* Cui ſane inquiſitioni ſic reſpondet, ut intelligamus ſpiritalibus viris, & jam non ſecundum terrenum hominem viventibus, patere poſſe prima merita fidei & impietatis, quomodo Deus * præſcientia eligat credituros, & damnet incredulos nec illos ex operibus eligens, nec iſtos ex operibus damnans: ſed illorum fidei præſtans ut bene operentur, & iſtorum impietatem obdurans deſerendo, ut male operentur. Qui quoniam intellectus, ut dixi, ſpiritalibus patet, a carnali autem prudentia longe remotus eſt, ſic refellit inquirentem; ut intelligat ſe deponere debere prius hominem luti, ut iſta per ſpiritum inveſtigare mereatur. Itaque, inquit, *tu quis es qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quare ſic me feciſti? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem conſperſione vas facere aliud quidem in honorem, aliud in contumeliam?* Quamdiu figmentum es, inquit, & ad maſſam luti pertines, nondum perductus ad ſpiritalia, ut ſis ſpiritalis omnia judicans, & a nemine judiceris, cohibeas te oportet ab hujuſmodi inquiſitione, & non reſpondeas Deo, cujus conſilium quis ſcire cupiens, oportet ut prius in ejus amicitiam recipiatur, quod contingere niſi ſpiritalibus non poteſt; jam portantibus imaginem cæleſtis hominis. *Jam enim*, inquit, *non dicam vos ſervos*,

* *in edit. Aug.* homini non auferatur.

D

Rom. 9. 19.

* *edit. Aug.* præſcius.

E

Rom. 9. 20.

Joan. 15. 15.

ſed amicos. Omnia enim quæ audivi a patre meo nota feci vobis. Quamdiu itaque vas * figuli es, conterendum eſt hoc ipſum in te prius virga illa ferrea, de qua dictum eſt, *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*, ut corrupto exteriore homine, & interiore innovato, poſſis in caritate radicatus & fundatus comprehendere latitudinem, longitudinem, altitudinem, & profundum, cognoſcere etiam ſupereminentiam ſcientiæ caritatis Chriſti. Nunc itaque cum ex eadem conſperſione Deus alia vaſa in honorem facit, alia in contumeliam, non eſt tuum diſcutere, quiſquis ſecundum * eandem conſperſionem adhuc vivis, id eſt terreno ſenſu * carnaliter ſapis.) Subjungit enim hæc Apoſtolus ex perſona contraria ſentientis: *Dicis itaque mihi quid adhuc quæritur? Nam voluntati ejus quis reſiſtit? &c.* Voluntati quidem Dei certum eſt quod nullus * obſiſtere poſſit: ſed voluntatem ejus juſtam rectamque eſſe ſcire nos convenit. Ut boni enim aut mali ſimus, noſtræ voluntatis eſt. quod autem malus ad hujuſmodi verbera, & bonus ad hujuſmodi gloriam deſtinatur, voluntatis eſt Dei?) *O homo*, inquit, *tu quis es qui reſpondeas Deo?* Reſpondere Deo non poſſe convincitur qui homo nominatur; quia per hoc quod de humo ſumptus eſt, judicia ſuperna diſcutere dignus non eſt. Unde in Job legitur, *Vel quis dicere poteſt cur ita facis?* Auctoris facta ſemper indiſcuſſa veneranda ſunt, quia injuſta eſſe nequaquam poſſunt. Rationem quippe de occulto ejus conſilio quærere, nihil eſt aliud quam contra ejus conſilium ſuperbire. Cum ergo factorum cauſæ non deprehenduntur, reſtat ut ſub factis illius cum humilitate taceatur, quia nequaquam ſufficit ſenſus carnis, ut ſecreta penetret majeſtatis. Qui ergo in factis Dei rationem non videt, infirmitatem ſuam conſiderans cur non videat rationem videt. Unde per Paulum quoque ſubſequenter adjungitur: *Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quare me feciſti ſic?* Quo enim ſe cernit figmentum divini eſſe operis, eo ſemetipſum redarguit ne contra manum reſultet operantis. quia qui benigne quod non erat fecit, quod eſt injuſte non deſerat. Ad ſemetipſum ergo poſt percuſſionem mens redeat, & quod apprehendere non valet non requirat. ne ſi divinæ iræ cauſa diſcutitur, amplius diſcuſſa provocetur, & quem placare humiliter poterat, inextinguibiliter ſuperbia accendat.) His ergo ita ſe habentibus, bonum mihi videtur, ut humana fragilitas divina judicia indiſcrete diſcutere non præſumat, ſed magis venerari ſtudeat, quia in præcipiti pedem ponit, qui menſuratum ſuarum limitem non attendit. Solus enim Deus perfecte & per omnia ſuam voluntatem & poteſtatem novit. Ideo divina judicia, quæ ignota nobis ſunt, diſcutere nos non convenit. Tamen firmiter credere debemus, quod Deus mortem non fecit, nec lætetur in perditione morientium, & qui vult omnes homines ſalvos eſſe, & ad agnitionem veritatis venire, redimet animas ſervorum ſuorum, & non derelinquet omnes qui ſperant in ſe. Quod in ſcripturis ſacris, & in divinis Teſtamentis de prædeſtinatione ſcriptum legimus, firmiter teneamus; nec de noſtro aliquid adicere præſumamus. Satis ſit nobis quod Apoſtolus & doctor gentium de prædeſtinatione electorum docuit; nec illud quod ipſe de reproborum prædeſtinatione dicere noluit, nos noviter inferamus. Non enim oportet nos de voluntate & factis Dei ſine caritate diſputare, & præſumptione ad infirmorum ſcandalum invicem contendere: ne forte per hoc juxta veritatis ſententiam in æternum ſupplicium damnemur. Sufficit nobis ad ſalutem, & ad rectæ fidei ſobrieta-

* *edit. Aug.* fictile.

Pſal. 2. 9.

Epheſ. 3. 17.

* *edit. Aug.* hanc.

* *edit. Aug.* & carnaliter.

Orig. in epiſt. ad Rom. 9.

* *in edit. Orig.* obſiſtat.

Rom. 9. 20.

Greg. Moralium l. 1x. c. viii.

Job 9. 12.

Rom. 9. 20.

Sap. 1. 13.

1. Tim. 2. 4.

Pſal. 33. 23.

A tem, quod Apoſtolica doctrina nos docet, & ſtultas quæſtiones penitus deſeramus, ſecundum ejuſdem Apoſtoli præceptum, quod ad Timotheum

2. Tim. 2, 14. ſcribens ait. *Noli verbis contendere. in nihilo utile, niſi ad ſubverſionem audientium. Sollicite cura teipſum probabilem exhibere Deo operarium, inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis. Profana autem & inaniloqua devita, & verborum novitates. multum enim proficiunt ad impie-*

Ibid. 23. *tatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit.* Et rurſum: *Stultas*, inquit, *& ſine diſciplina quæſtiones devita, ſciens quia generant lites, ſervum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati. nequando det Deus illis* B *pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipſius voluntatem.* Oremus pro invicem ut ſalve-

1. Tim. 2, 1. mur, ſicut memoratus Apoſtolus nos facere docet dicens: *Obſecro igitur primo omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquilam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt & acceptum coram ſalvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo* C *Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro multis, teſtimonium temporibus ſuis, in quo poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus. veritatem dico, non mentior, doctor gentium in fide & veritate.* In commune pro omnibus debere eos ſol-

Raban. in epiſt. Pauli lib. 23. licitos eſſe præcepit. Nam is qui pro omnibus hominibus hæc facere jubetur, evidens eſt quoniam & pro omnibus ſollicitudinem expendere jubetur. Deinde ad illa quæ ſumma eſſe videntur inter homines tranſit. *Pro regibus*, inquit, *& omnibus qui in ſublimitate ſunt.* Et oſtendens quoniam & hoc lucrum ſit eorum: *ut quietam*, inquit, *& tranquillam vitam agamus cum* D *omni pietate & ſobrietate.* Si enim, ut conveniens eſt, in pace illi deguerint, poſſibile eſt & nos tranquillitatem facientes pietati intendere, & vitæ ſobrietati. Et ſuadens illis iſta ſic facere, ſicut ipſe præcepit, communem pro omnibus hominibus ſollicitudinem, qui per totum orbem eſſe videntur, expendere, & communia bona debere exiſtimari ea quæ univerſorum ſunt:

Ambr. *Hoc autem eſt bonum & acceptum coram ſalvatore Deo noſtro*: ſufficienter ſuaſit eos ſic ſapere, ſi quidem & Deo ſic placet. Unde & probationem faciens quod Deo iſta placent, adicit: *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire.* Nam quia Deus de omnibus hominibus iſta velit, nemo poterit contradicere. Evidens autem eſt, quoniam omnes vult ſalvari, quia & omnes tuetur. E Neceſſarium eſt ergo, ut nos ejus tuitionem erga omnes imitemur, ſi tamen ad plenum acceleramus ſimilia ſapere Deo. Et omni ex parte id oſtendens adicit, *Unus autem Deus eſt.* Hoc eſt, quia eſt omnium Deus, non aliorum quidem eſt Dominus, aliorum vero non eſt. Itaque non eſt poſſibile eum deſpicere aliquos quaſi

Auguſt. Confeſſ. lib. x. c. xlii. alienos ſibi exiſtentes: *Unus eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus.* Fallax itaque mediator, hoc eſt diabolus, quo per ſecreta judicia Dei ſuperbia hominum mereretur illudi, unum cum hominibus habet, id eſt peccatum: aliud videri vult habere cum Deo, ut quia carnis mortalitate non tegitur, pro immortali ſe oſtendat. Sed quia ſtipendium pec-

A cati mors eſt, hoc habet commune cum hominibus, unde ſimul * damnentur in mortem. Verax autem mediator eſt, quem ſecuta tua miſericordia, Domine, demonſtraſti humilibus, & miſiſti, ut ejus exemplo etiam ipſam diſcerent humilitatem. Mediator quippe ille Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, inter mortales peccatores & immortalem juſtum apparuit, mortalis cum hominibus, juſtus cum Deo, ut quoniam ſtipendium juſtitiæ vita & pax eſt, per juſtitiam conjunctam Deo evacuaret mortem * juſtificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem. Sic demonſtratus eſt antiquis ſanctis, ut ita ipſi per fidem futuræ paſ- B ſionis ejus, ſicut nos per fidem præteritæ, ſalvi fierent. In quantum enim homo, in tantum mediator: in quantum autem verbum, non medius, quia æqualis Deo, & Deus apud Deum, & ſimul cum Spiritu ſancto unus Deus.) Opportune vel maxime hoc in loco hominem eum vocavit, ut & a natura oſtenderet donationis communionem, omnibus neceſſario id confitentibus, quoniam univerſitatis pars exiſtens ſecundum naturam communem omnibus, poteſt per ſimilitudinem naturæ donationem præſtare. Unde illud quaſi jam in confeſſionem deductum hinc accipiens adicit, *qui dedit ſeipſum redemptionem pro omnibus teſtimonium temporibus ſuis.* C Nam & pro omnibus dedit ſeipſum. Nec enim pro aliquibus mortem ſubire adquievit. ſed omnibus volens in commune conferre beneficium, paſſionem ſuſcipere eſt dignatus, ſecundum illud tempus quo paſſus eſt. teſtimonium enim vocat paſſionem ipſam. Temporibus vero ſuis dicit, ut afferat ſecundum illud tempus quo paſſus eſt. Et ut paſſionem Chriſti omnibus neceſſariam eſſe demonſtraret, oſtendit illis quod conveniat in commune de omnibus hominibus ſollicitudinem impendere, eo quod & Deus omnibus curam adhibeat, & quod in commune ſit D omnium Dominus, & quod majus eſt, quoniam ipſe Chriſtus ſimiliter omnibus adpropinquare videtur proprietate naturæ. Nam & omnibus præbuit beneficium pro omnibus paſſionem ſuſcipiens. Comprobat vero illud de cetero etiam & de illis quæ ſecundum ſe ſunt. *In quo poſitus ſum*, inquit, *ego prædicator & Apoſtolus, veritatem dico, non mentior, doctor gentium in fide & veritate.* Pro his ergo & ego conſtitutus ſum Apoſtolus, ut & ipſam doctrinam ad omnium hominum notitiam deferam, & omnes ad fidem Chriſti accedere faciam, per quem iſta nobis retributa ſunt. Et quidem ad horum doctrinam & inſinuationem gentium creatus ſum Apoſtolus, ut prædicem omnibus hominibus qui in omni loco ſunt.)

* ediť. Aug. damnetur.

* MS. Benignianus juſtificandorum.

Ambr.

E Hæc ergo de præſcientia Dei & prædeſtinatione, & quod ipſe Deus omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis vult pervenire, Apoſtolicarum ſententiarum ſenſu juxta præcedentium patrum expoſitionem, prout potui, & adſidua infirmitas me ſinebat, juxta petitionem veſtram breviter & ſtrictim hic collegi: ſciens quod vos plura inde colligere poteſtis, ſicut eruditio veſtra & valetudo, meam imperitiam & infirmitatem per omnia excellens, vos agere permittit. Ego autem, quantum præſumo, vos admoneo, ut has contentiones noxias in populo Chriſtiano fieri prohibeatis, & ipſum Gotheſcalcum hujus erroris auctorem, nec ſcribendo, nec loquendo ultra tam multis nocere permittatis. Miror enim prudentiam veſtram, quod iſtum noxium virum, hoc eſt Gotheſcalcum;

A

qui in omnibus vituperabilis inventus eſt, quia nec monachi votum, nec ſacri ordinis ritum, ſed neque prædicandi officium legitime obſervavit, ſcribere aliquid permiſiſtis. In quo officio magis nocere potuit, quam viva voce loquendo. Unde etiam in plurimis locis, ut audivi, ſui veneni poculo non paucos inebriavit, & in erroris inſaniam vertit. quod nequaquam ita fieri oportet, ſicut in epiſtola quam ad Titum diſcipulum ſuum miſit ſcriptum continetur. *Hæreticum*, inquit, *hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita, ſciens quod ſubverſus eſt hujuſmodi, & delinquit proprio judicio condemnatus*. Quam ſententiam beatus Ambroſius ita expoſuit.

Tit. 3. 10. Raban. in epiſt. Pauli lib. 25.

B

Ambr.

Ad plenum, inquit, illum devita, qui ea quæ contraria ſunt pietati prælegit. hunc enim hæreticum vocat. Poſtquam enim ſemel & bis eundem inſtruxeris, & oſtenderis ei illa quæ conveniunt ejus ſaluti, ſuperfluum eſt diutius cum ejuſmodi diſputare, cum ſit manifeſtum quoniam nullam percipit correptionem, ex quibus ſemel & bis, illa quæ non conveniebant ſibi audiens, cognoſcere noluit veritatem. Relinque ergo eum qui talis eſt, ut juſtam expectet a judice pœnam, eo quod in ſua pertinacia perſiſtens, nullum ad correptionem ſuam ex inſtructione accipere vult conſilium. De quo & beatus Hieronymus ita ait.

Hier. in comment. epiſt. ad Titum c. 3.

C

Quare autem poſt primam & ſecundam correptionem devitandus ſit, reddit cauſas dicens quod ſubverſus eſt hujuſmodi & peccat, cum ſit in ſemetipſo depravatus. Qui enim ſemel biſque correptus, audito errore ſuo non vult corrigi, errare æſtimat corrigentem, & e contrario ſe ad jurgia & pugnas verborum parans, eum vult lucriſacere a quo docetur. Propterea vero a ſemetipſo dicitur eſſe damnatus, quia fornicator, adulter, homicida, & cetera vitia, per ſacerdotes de Eccleſia propelluntur, hæretici autem in ſeipſos ſententiam ferunt ſuo arbitrio de Eccleſia recedentes: quæ receſſio propriæ conſcientiæ videtur eſſe damnatio.

D

** edit. Hieron.* intereſſe.

Inter hæreſim & ſchiſma hoc* eſſe arbitrantur, quod hæreſis perverſum dogma habeat; ſchiſma propter Epiſcopalem diſſenſionem ab Eccleſia ſeparet. Quod quidem in principio ita eſſe aliqua ex parte intelligi poteſt. Ceterum nullum ſchiſma non ſibi aliquam confingit hæreſim, ut recte ab Eccleſia receſſiſſe videatur.) Unde bonum mihi videtur, ſi vobis placet, quod ſupra memorato hæretico, nulla detur occaſio atque licentia ſcribendi, atque cum aliquo diſputandi, antequam ſi poſſibile ſit ejus mens & ſenſus ad catholicam redeat doctrinam. Oretur autem pro ipſo, ut Dominus qui omnipotens eſt operetur ſalutem erga infirmum fratrem, ut tribuat cor docibile, & rectæ fidei conſentiens, quam fidem catholica per totum orbem cuſtodit Eccleſia;

E

& reſipiſcat a diaboli laqueis, a quo captus eſt ad ipſius voluntatem, & revertatur ad ſanctam matrem Eccleſiam, unumque cum ea ſentiat atque profiteatur, & ipſam unitatem pacis & rectæ fidei deinceps quamdiu vivat ſervet. Interim autem donec illud fiat, non laudo ut communio ei tribuatur, quia juxta teſtimonium Joannis Apoſtoli, omnis qui recedit & non manet in doctrina Chriſti Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic filium & patrem habet. *Si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. qui enim dicit illi ave, communicat operibus illius malignis*. Ecce prædixi vobis, ut in die Domini noſtri Jeſu Chriſti non confundamini. Recordamini qualiter doctor gentium de ſemetipſo dicit: *Si ea quæ deſtruxi iterum reædifico, prævaricatorem me conſtituo*.

2. Joan. 10.

Gal. 2. 18.

Et attendite quomodo vos ſine crimine poſſitis eſſe, qui in Synodo veſtra hanc ſectam nefandam ſimul cum hæretico damnaſtis, ſi ei modo incorrecto communicaveritis. Debetis enim correctores eſſe malorum, non ſecutores errantium: ut officium noſtrum atque doctrina ſine reprehenſione fiat, & tam Deo placeat quam hominibus. De cetero agnoſcat ſanctitas veſtra, quod illum libellum, quem ad ſimplices & recluſos in noſtra parochia conſiſtentes contra Gotheſcalci errorem dictaſtis, probatum habeo, & ſecundum id quod ibi ſcriptum reperi ſentio. De Gotheſcalci autem pertinaciſſimo & incorrigibili errore aliquid contra ſcribere ſuperfluum judico, quia nec præſentem eum a ſua nequitia avellere potui, nec modo poſt veſtram ſanam correptionem, aliquid ſanum in ejus ſenſu reperi, ſed ſuperbiam tantum. Superbus enim eſt Moab valde, & ſuperbia atque arrogantia ejus pluſquam fortitudo ejus.

Eſa. 16. 6.

Quid enim contra eum ſcribere habeo, qui totam Eccleſiam, quaſi aliquid ſpurcum & ſordidum, & indignum ſua adlocutione abicit, ſuam autem locutionem ad ſolum Deum in cælis præſidentem convertit, indignum ſua allocutione judicans quicquid in terra eſt? Quaſi fas ſit contemptis membris corporis Chriſti, ad ipſum caput verba dirigere. cum nullo modo caput a membris ſeparari poſſit. Nemo enim aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo filius hominis qui eſt in cælo, qui ad patrem ſuum orans, de diſcipulis ſuis ait, *Sanctifica eos in veritate. ſermo tuus veritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. & pro eis ego ſanctifico meipſum, ut poſſint & ipſi ſanctificari in veritate. Non pro his autem rogo tantum, ſed & pro his qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, & ut ipſi in nobis unum ſint: ut credat mundus quia tu me miſiſti. & ego claritatem quam dediſti mihi dedi eis, ut ſint unum ſicut & nos unum ſumus, ego in eis & tu in me, ut ſint conſummati in unum: ut cognoſcat mundus quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos ſicut & me dilexiſti. Pater, quos dediſti mihi volo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi*.

Joan. 17. 17.

Quiſquis enim ſanctæ Eccleſiæ ſalutiferam communionem habere poterit, quia ipſe ad electos ſuos in Evangelio ait: *Qui vos audit me audit. & qui vos ſpernit me ſpernit*.

Luc. 10. 16

Hoc autem quod idem erroneus, quaſi ad Deum loquens, petit examen ignis, ut per illud veritas ejus fidei, immo perfidiæ, comprobetur, magis mihi videtur ex elatione cordis prolatum eſſe, quam ex conſtantia fidei. Optat enim, poſt blaſphemiam quam impudenti ore protulit, ut coram undique collecta populorum multitudine, præſente etiam regni principe, ſimul cum pontificum & ſacerdotum, monachorumque ſive canonicorum agmine, ad probandam ſuam ſectam liceat ſibi, quatuor doliis uno poſt unum poſitis, atque ſingulatim repletis aqua ferventi, oleo pingui, & pice, & ultime accenſo igne copioſiſſimo, ad probandam traditionem tranſire, ut ſic probetur ejus profeſſionis veritas. quod neminem præter eum ita optaſſe legi. Nam tres pueri, de quibus in Daniele ſcriptum eſt, hoc eſt Sidrach, Miſac & Abdenago, non ſimili pertinacia examen ignis petierunt, ſed magis Dei judicio omnia

ſervantes reſponderunt regi Babylonis, qui eos ſtatuam auream quam fecit, adorare compulit
Dan. 3. 16. dicentes: *Non oportet nos de hac re reſpondere tibi. Ecce enim Deus noſter quem colimus poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis liberare. Quod ſi noluerit, notum tibi ſit, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream quam erexiſti non adoramus.* Sic enim illi ex fidei firmitate & profeſſionis humilitate de igne liberari meruerunt. pertinacia autem iſtius quem finem habeat ignotum adhuc conſtat. Faciat Dominus de hoc quod bonum ſit in oculis ejus, & liberet nos ab omni malo atque A defendat ab omni errore: deque nobis ſua gratia per fidem rectam & bona opera æternam beatitudinem in conſpectu ejus promereri, & vita perfrui ſempiterna. Hæc tibi, cariſſime frater, licet ruſtico ſtilo, tamen devoto animo dictata modo ſufficiant. Ceterum ſcias me, quamdiu vixero, ſemper paratum eſſe tuæ obtemperare bonæ voluntati, & ſanæ conſentire doctrinæ. Dominus omnipotens faciat nos, quamdiu hic ſumus, vobiſcum gratum ſervitium illi exhibere, & poſt hujus vitæ terminum in regno cæleſti perpetualiter gaudere.

RABANI EPISTOLA SECUNDA AD NOTINGUM,

cum libro de Prædeſtinatione Dei.

Viro venerabili & omni nomine digniſſimo Notingo electo Epiſcopo Hrabbanus in Chriſto ſalutem.

NUper, quando ad sereniſſimum Imperatorem Ludovicum in tranſitu expeditionis hoſtilis in pago Loganæ veniſti, & ibidem mecum locutus de hæreſi, quam quidam de prædeſtinatione Dei inique contendunt, errantes & alios in errorem mittentes, ſermonem habuiſti, convenit inter nos, ut e divinis ſcripturis, & de orthodoxorum patrum ſententiis, aliquod opuſculum conficerem, ad convincendum errorem eorum, qui de Deo bono & juſto tam nequiter ſentiunt, ut dicant ejus prædeſtinationem facere, quod nec homo ad vitam prædeſtinatus poſſit in mortem incidere, nec ad mortem B prædeſtinatus ullo modo ſe poſſit ad vitam recuperare: cum auctor omnium rerum & conditor naturarum Deus, nullius ruinæ atque interitus cauſa ſit, ſed multorum origo ſalutis. Proinde accipe nunc opuſculum, quod tibi rogaveras a noſtra exiguitate confici: & ſi quid in eo gratum atque catholico ſenſu explicitum repereris, ei hoc tribuas, a quo omne bonum eſſe noſti, meque noveris quicquid ejus gratia poſſum, tuæ caritatis utilitati conferre per omnia, & in omnibus paratum eſſe. Vale, & amantem te dilige, noſtræque parvitatis in ſacris orationibus memor fieri non omitte.

Explicit Præfatio

DE PRÆDESTINATIONE.

SI homo rationalis vim ſuæ agnoſceret naturæ, & creatoris ſui potentiam rite intelligeret, nequaquam ſtultis ſe implicaret quæſtionibus, & quæ Chriſtianæ religioni ſunt contraria, nec ſenſu teneret, nec voce proferret. Sed quia antiquus hoſtis, qui ab initio humanæ invidit ſaluti, nunquam deſinit in ſegete Chriſti ſuperſeminare zizania, ideo per vaniloquos non ſolum otioſa, ſed & noxia, & blaſphemiis plena profert eloquia. ita ut quidam eorum perditionis ſuæ conditorem aſſerant auctorem, dicentes, quod ſicuti qui per præſcientiam Dei ac prædeſtinationem vocati ſunt ad percipiendam gloriam æternæ vitæ, non poſſunt non ſalvari, ita & illi qui ad æternum interitum vadunt, prædeſtinatione Dei coguntur, & non poſſunt evadere interitum. Quod quam abſurdum ſit, etiam imperiti intelligere poſſunt. quia nullo modo ille, qui cuncta bona creavit, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum, atque vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, aliquem cogit interire, ſed magis facit recte credentem, ac benigne operantem, ad ſalutem æternam pervenire. Si enim, C ſecundum ipſos qui talia ſentiunt, Dei prædeſtinatio invitum hominem facit peccare, quomodo juſto judicio Deus damnat peccantem; cum ille non voluntate, ſed neceſſitate peccaverit? aut quomodo Deus judicabit mundum; qui eſt juſtus judex, & reddet unicuique ſecun- Matth. 6. 27.
dum opera ſua? judicabit orbem terræ in æqui- Pſal. 9. 3.
tate, & populos in veritate ſua? Si autem hujuſmodi ratiocinatione tollitur Deo ne judex juſtus ſit, conſequenter aufertur illi & regia dignitas, atque divina majeſtas. Sed e contrario ſcriptura clamat prophetica, *quoniam Deus ma-* Pſal. 94. 3.
gnus Dominus, & rex magnus ſuper omnes De-
D *os*: & item, *regnabit Dominus ſuper omnes gen-* Pſal. 46. 9.
tes, Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam. Igitur quod cum hac ratione perſpicue explicatur, reſtat ut qui talia ſenſit, ex eorum numero ſit, de quibus Pſalmiſta ait: *Dixit* Pſal. 13. 1.
inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in voluptatibus ſuis. Hunc autem errorem ſanctorum patrum multipliciter confutat doctrina, & convincit taliter ſentientes, nec ſcripturarum auctoritate, nec veraci inveniri ratiocina-

tione. Prædeſtinationis enim fides firmiſſima ſanctarum auctoritate ſcripturarum munita eſt, cui nullo modo fas eſt ea quæ ab hominibus male aguntur adſcribi, qui in proclivitatem cadendi, non ex conditione Dei, ſed ex primi patris prævaricatione venerunt. De cujus pœna nemo liberatur niſi per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, præparatam & prædeſtinatam in æterno conſilio Dei ante conſtitutionem mundi. *Proſper contra Gallos c. 2* Omnis homo, qui credens in patrem & filium & ſpiritum ſanctum regeneratur in baptiſmo, tam a propriis peccatis quæ mala voluntate & actione contraxit, quam ab originali quod a parentibus traxit, abſolvitur. Sed relapſum poſt baptiſmum ad infidelitatem & impios mores, qui negat originali peccato fuiſſe purgatum, tam falſa opinatur quam qui eumdem aſſerit, non æterna morte fuiſſe damnandum. (* *edit. Proſp.* eſſe.) Qui enim recedit a Chriſto, & alienus a gratia finit hanc vitam, cadens in perditionem non in id quod remiſſum eſt recidit, nec in originali peccato damnabitur: ſed propter poſtrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa quæ remiſſa ſunt debebatur. Quod quia Dei præſcientiam, nec latuit, nec ſefellit, ſine dubio talem nunquam elegit, nunquam prædeſtinavit, & periturum nunquam ab æterna perditione diſcrevit.) Igitur ſicut bona opera ad inſpirationem eorum, ita mala ad eos ſunt referenda qui peccat. Non enim relicti ſunt a Deo ut relinquerent Deum, ſed reliquerunt eum & relicti ſunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati ſunt, atque ob hoc, licet fuerint renati, licet fuerint juſtificati, ab eo tamen qui illos tales præſcivit, non ſunt prædeſtinati. Prædeſtinationem autem Dei, ſive ad bonum ſive ad malum, in omnibus operari ineptiſſime dicitur: nec verum eſt homines quædam neceſſitate implere, cum in bonis voluntas non ſit intelligenda ſine gratia. Quæ enim ratio eſt, ut ullus qui ſanum ſapit dicat, Non eſt neceſſe mihi ut laborem pro requie & ſalute mea, quia ſi prædeſtinatus ſum a Deo ad vitam æternam, velim nolim illuc perveniam: ſi autem prædeſtinatus non ſum, nihil mihi proficit bene operari, ac virtutibus operam dare, quia æternæ beatitudinis præmia non poſſidebo? Quaſi Deum tentando, ac promiſſa ipſius deſpiciendo, & non magis per fidem & dilectionem devote ſerviendo placere poſſim. *Hypomneſticon lib. 10. c. 1* Prius ergo ipſum nomen prædeſtinationis quid indicet exponamus: deinde eſſe apud Deum, qui ſine acceptione perſonarum eſt, prædeſtinationem divinarum ſcripturarum auctoritate probabimus. *Cap. 2.* Prædeſtinatio quippe a prævidendo, & præveniendo, vel præordinando futurum aliquid dicitur, & ideo Deus, cui præſcientia non accidens eſt, ſed eſſentia fuit ſemper & eſt, quicquid antequam ſit ſic præſcit, prædeſtinat; & propterea prædeſtinat, quia quale futurum ſit præſcit. Ideo & Apoſtolus: *Nam quos præſcivit*, inquit, *& prædeſtinavit*. *Rom. 8. 29.* Sed non omne quod præſcit prædeſtinat. Mala enim tantum præſcit, & non prædeſtinat: bona vero & præſcit & prædeſtinat. Quod ergo bonum eſt præſcientia prædeſtinat, id eſt priuſquam ſit in ſe præordinat: hoc cum ipſo auctore eſſe cœperit, vocat, ordinat, & diſponit. Unde & ſequitur, *Quos prædeſtinavit hos & vocavit, & quos vocavit illos & juſtificavit, quos autem juſtificavit illos & glorificavit*. Jam igitur apertius diſſeramus quod loquimur, quomodo erga humanum genus præſcientia ſua & prædeſtinatione Deus generaliter, in quo iniquitas non

A eſt, utatur. Maſſæ itaque humani generis, quæ in Adam & Evæ prævaricatione damnabilis mortaliſque facta eſt, non condemnatione divina generaliter, ſed ex debito pœna cruciatuſque gehennæ debetur; venia vero, non merito, ſed Dei juſti judicis miſericordiæ largitate confertur. Quia vero juſtus & miſericors Deus præſcius eſt futurorum, ex hac damnabili maſſa, non perſonarum acceptione, ſed judicio æquitatis ſuæ irreprehenſibili, quos præſcit miſericordia gratuita præparat, id eſt prædeſtinat ad vitam æternam, ceteros autem pœna, ut prædixi, debita punit. quos ideo punit, quia quid eſſent futuri præſcivit, non tamen puniendos ipſe fecit aut prædeſtinavit, ſed tantum ut dixi, in

B damnabili maſſa præſcivit. Quod ſi a me quæris ſcire, cur duas iſtas differentias Deus faciat, ſi perſonarum acceptur non eſt, quia generaliter aut punire debet juſtitia, aut miſericordia liberare, contende cum Paulo, immo ſi audes argue Paulum, qui dixit Chriſto in ſe loquente, *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, ut quid me ſic feciſti? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Ego autem hoc dico quod dixi, quia quicquid Deus agit, miſericorditer, juſte, ſancteque facit: quia ſolus ipſe præſciendo ſcit quod homo neſciendo neſcit. *Cap. 3.* *Rom. 9. 20.*

C Quis enim cognovit ſenſum Domini, quis inſtruxit eum, aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi & retribuitur ei? aut quis dicit ei quid feciſti? Non poteſt tantum juſtus dici Deus, aut ſolum miſericors, ſed juſtus & miſericors. Sic legimus, ſic credimus. Propterea quando illi cum David miſericordiam & judicium cantamus, cantamus metuentes, non interrogamus quæ ſit voluntas ejus, in judicio & miſericordia conquieſcentes.) Omnis enim lex divina hoc docet, ut per obedientiam mandatorum Dei perveniamus ad creatorem noſtrum: nec ullus ratione vigens ſine fide recta & bonis operibus Deo placere poteſt. Unde & prophetica atque Apoſtolica eloquia hoc reſonant, ad *Rom. 11. 34.* *Pſal. 100. 1.*

D hoc exhortantur, ut recto curſu ſanctæ converſationis perveniamus ad creatorem noſtrum. Denique ſic Moyſes ait, *Non tentabis Dominum Deum tuum, ſicut tentaſti in loco tentationis. Cuſtodi præcepta Domini Dei tui, ac teſtimonia, & ceremonias, quas præcepit tibi. & fac quod placitum eſt & bonum in conſpectu Domini, ut bene ſit tibi, & ingreſſus poſſideas terram optimam, de qua juravit Dominus patribus tuis, ut deleret omnes inimicos tuos coram te, ſicut loquutus eſt.* Nam Pſalmiſta hinc ait, *Quis eſt homo qui vult vitam, & cupit videre dies bonos? Coerceat linguam ſuam a malo, & labia ejus ne loquantur dolum. Divertat a malo, & faciat bonum,* *Deut. 6. 16.* *Pſal. 33. 12.*

E *inquirat pacem & ſequatur eam. Quia oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum. vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Hinc & per Eſaiam dicitur: *Hæc dicit Dominus: Cuſtodite judicium, & facite juſtitiam. quia juxta eſt ſalus mea ut veniat, & juſtitia mea ut reveletur. Beatus vir qui fecit hoc, & filius hominis qui apprehendit iſtud, cuſtodiens ſabbatum ne polluat illud, cuſtodiens manus ſuas ne faciat omne malum.* De quo & per Hieremiam dicitur: *Hæc dicit Dominus Iſrael. Maledictus vir qui non audierit verba pacti hujus, quod præcepi patribus veſtris in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea, dicens, Audite vocem meam, & facite omnia quæ* *Eſa. 56. 1.* *Hier. 11. 3.*

præcipio vobis, & eritis mihi in populum, & ego
ero vobis in Deum, & ſuſcitabo juramentum
quod juravi patribus veſtris daturum me eis ter-
Ezech. 33. 10. ram fluentem lacte & melle. Ad Ezechielem Do-
minus ait: Tu ergo fili hominis, dic ad domum
Iſrael, Sic loquuti eſtis dicentes, Iniquitates noſtræ
& peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos ta-
beſcimus. quomodo ergo vivere poterimus? Dic ad
eos. Hæc dicit Dominus Deus, Nolo mortem impii,
ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat.
Convertimini, convertimini a viis veſtris peſſimis,
& quare moriemini domus Iſrael? Tu itaque, fili
hominis, dic ad filios populi tui, Juſtitia juſti non
liberabit eum in quacumque die peccaverit, & im-
pietas impii non nocebit ei in quacumque die con-
B verſus fuerit de impietate ſua, & juſtus non poterit
vivere in juſtitia ſua in quacumque die peccaverit.
Etiamſi dixero juſto quod vita vivat, & confiſus
in juſtitia ſua fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ
ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate ſua quam
operatus eſt in ipſa morietur. Sin autem dixero im-
pio morte morieris, & egerit pœnitentiam a peccato
ſuo, feceritque judicium & juſtitiam, & pignus
reſtituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in
mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam
injuſtum, vita vivet & non morietur. omnia pec-
Dan. 4. 24. cata ejus quæ peccavit non imputabuntur ei. Ad
Nabuchodonoſor quoque Daniel propheta ſic ait:
O rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata
C tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſeri-
cordiis pauperum. forſitan ignoſcat Deus delictis
Oſee. 10. 12. tuis. Hinc & per Oſee dicitur. Seminate vobis in
juſtitia, & metite in ore miſericordiæ, innovate
* Dominum. vobis novale. tempus autem requirendi *, cum ve-
Cap. 14. 2. nerit qui docebit vos juſtitiam. Et item, Conver-
tere, inquit, Iſrael ad Dominum Deum tuum, quo-
niam corruiſti in iniquitate tua. Tollite vobiſcum
verba, & convertimini ad Dominum, & dicite ei,
omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, &
Joel. 2. 11. reddemus vitulos labiorum noſtrorum. Si quidem in
Joele ita ſcriptum eſt: Magnus enim dies Domini
& terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum? Nunc
ergo dicit Dominus, convertimini ad me in toto cor-
D de veſtro, in jejunio & in fletu & in planctu, &
ſcindite corda veſtra & non veſtimenta veſtra, &
convertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia be-
nignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſe-
ricordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. quis ſcit ſi
convertatur & ignoſcat & relinquat poſt ſe be-
nedictionem, ſacrificium & libamen Domino Deo
Amos 5. 14. noſtro? Hinc & per Amos dicitur: Quærite bo-
num & non malum ut vivatis, & erit Domi-
nus Deus exercituum vobiſcum ſicut dixiſtis. odi-
te malum, & diligite bonum, & conſtituite in por-
ta judicium, ſi forte miſereatur Dominus Deus exer-
Abd. 1. 15. cituum reliquiis Joſeph. Sic & Abdias propheta:
E Juxta eſt, inquit, dies Domini ſuper omnes gentes,
ſicut feciſti fiat tibi, retributionem tuam convertet
Jon. 3. 3. in caput tuum. Jonas quoque in Ninive civita-
te magna prædicavit pœnitentiam agendam, &
prædicaverunt Ninivitæ jejunium, & veſtiti ſunt
Ibid. v. 10. ſaccis a majore uſque ad minorem, & vidit
Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via
ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam
quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fe-
Mich. 6. 8. cit. Hinc & Michæas loquitur dicens: Indicabo
tibi, homo quid ſit bonum, aut quid Dominus Deus
tuus requirat a te: utique facere judicium & di-
ligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum
Naum. 1. 2. Deo tuo. Denique Naum ita prædicat dicens, Deus
æmulator & ulciſcens Dominus & habens furorem,
ulciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe
Abac. 2. 4. inimicis ſuis. De quo & Abacuc ait: Ecce quod

A incredulus eſt, non erit recta anima ejus in ſemeti-
pſo. juſtus autem in fidelitate ſua vivet. Et idem: Ibid. v. 9.
Væ qui congregat avaritiam malam domui ſuæ. ut
ſit in excelſo nidus ejus, & liberari ſe putat de ma-
nu mali. Et item: Væ qui ædificat civitatem in Ibid. v. 12.
ſanguinibus, & præparat urbem in iniquitate. Væ
qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum & Ibid. v. 15.
inebrians ut adſpiciat nuditatem ejus. repletus
eſt ignominia pro gloria. Væ qui dicit ligno ex-
pergiſcere, ſurge lapidi jacenti. Nunquid ipſe do- Ibid. v. 19.
cere poterit? Ecce iſte cooperatus eſt auro & ar-
gento, & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus ejus.
Dominus autem in templo ſancto ſuo, ſileat a facie
ejus omnis terra. Hinc & Sophonias ait: Quærite
B Dominum Deum veſtrum omnes manſueti terræ, Sophon. 2. 3.
qui judicium ejus eſtis operati: quærite juſtum,
quærite manſuetum, ſi quando abſcondamini in die
furoris Domini. Nam & Aggæus ita ait: Hæc di-
cit Dominus Deus exercituum, ponite corda ve- Agg. 1. 7.
ſtra ſuper vias veſtras, aſcendite in montem, por-
tate lignum, & ædificate domum, & acceptabi-
lis mihi erit, & glorificabor, dicit dominus. Reſ-
pexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus, &
intuliſtis in domum, & ſufflavi in illud. Quam ob
cauſam, dicit Dominus Deus exercituum? Quia
domus mea deſerta eſt, & feſtinaſtis vos unuſquiſ-
que in domum ſuam. Per Zachariam quoque Do- Zach. 7. 9.
minus ait: Judicate judicium verum & miſericor-
diam, & miſerationes facit unuſquiſque cum fratre
C ſuo, & viduam & pupillum, & advenam & pau-
perem nolite calumniari, & vir fratri ſuo non cogitet
malum in corde ſuo. Et item: Nolite timere. Hæc Cap. 8. 16.
ſunt ergo verba quæ facietis. Loquimini verita-
tem unuſquiſque cum proximo ſuo. Veritatem &
judicium pacis judicate in portis veſtris, & unuſ-
quiſque malum contra amicum ſuum ne cogitetis
in cordibus veſtris, & juramentum mendax ne di-
ligatis. Omnia ſunt enim hæc quæ odi, dicit Do-
minus. Per Malachiam quoque ait: Convertimini Malac. 3. 18.
& videbitis quid ſit inter juſtum & impium, & in-
ter ſervientem Deo, & non ſervientem. Ecce dies Cap. 4. 1.
veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſu-
D perbi, & omnes operantes iniquitatem, ſtipula, &
inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exer-
cituum, quæ non relinquet eis radicem & germen,
& orietur vobis timentibus nomen Domini ſol juſti-
tiæ, & ſanitas in pennis ejus, & egrediemini, &
ſalietis ſicut vituli de armento, & calcabitis im-
pios cum fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum
in die qua ego facio, dicit Dominus Deus exercituum.
Mementote legis Moyſi ſervi mei, qui mandavit
eis in Choreb ad omnem Iſrael præcepta & judicia.
Hinc & in Proverbiis Sapientia ita docet dicens:
Fili mi, ne obliviſcaris legis meæ, & præcepta mea Prov. 3. 1.
cuſtodiat cor tuum. Longitudinem enim dierum &
E annos vitæ, & pacem apponent tibi. Miſericordia
& veritas non te deſerant, & circumda eas gut-
turi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui, & in-
venies gratiam & diſciplinam bonam coram Deo
& hominibus. Similiter & Eccleſiaſtes docet di-
cens: Lætare ergo juvenis in adoleſcentia tua, Eccl. 11. 9.
& in bono ſit cor tuum in diebus juventutis tuæ,
& ambula in viis cordis tui, & in virtute ocu-
lorum tuorum, & ſcito quod pro omnibus his ad-
ducet te in judicium Deus. Aufer iram malam
de corde tuo, & amove malitiam a carne tua:
adoleſcentia enim & voluptas vana ſunt. Me- Ibid. 12. 1.
mento creatoris tuis in diebus juventutis tuæ, an-
tequam veniat tempus afflictionis, & appropin-
quent anni dierum de quibus dicas, Non mihi pla-
cent. antequam tenebreſcant ſol & luna & ſtellæ,
& revertantur nubes poſt pluviam. Hinc & liber Sap. 1. 1.
qui dicitur Sapientia, ſic inchoat: Diligite juſtitiam

A qui judicatis terram. *ſentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum, quoniam invenitur ab iis qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum. Perverſæ enim cogitationes ſeparant a Deo, probata autem virtus corripit inſipientes: quoniam in malevolam animam non introibit ſapientia, nec inhabitabit in corpore ſubdito peccatis. Sanctus enim ſpiritus diſciplinæ effugiet fictum, & aufert ſe a cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur*
Ibid. v. 11. *ſuperveniente iniquitate*. Et iterum. *Cuſtodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodeſt, & a detractione parcite linguæ. quoniam reſponſum obſcurum in vacuum non ibit: os autem quod mentitur occidit animam. Nolite zelare mortem in errore vitæ*
B *veſtræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum veſtrarum. quoniam Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum. Creavit enim ut eſſent omnia, & ſanabile facit nationes orbis terrarum, & non eſt in illis prædicamentum*
Eccli. 2. 8. *exterminii, nec inferorum regnum in terra*. Similiter & in libro Jeſu filii Sirac, Sapientia docet quid vitandum & quid faciendum ſit. *Qui timetis*, inquit, *Dominum credite illi, & in oblectatione veniet vobis miſericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra. Reſpicite filii nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis ejus & derelictus eſt, aut quis invocavit illum, & deſpexit eum? Quoniam pius & miſericors eſt Deus, & remittet in tempore tribulationis peccata, & protector eſt omnibus*
C *exquirentibus ſe in veritate. Væ duplici corde & labiis ſceleratis, & manibus male facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo, & ideo non proteguntur ab eo. Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas. & quid facietis cum inſpicere cœperit Dominus? Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius, & qui diligunt illum, conſervabunt viam illius. Qui timent Dominum inquirent quæ beneplacita ſunt illi, & qui*
D *diligunt illum replebuntur lege ipſius. Qui timent Dominum præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas. Qui timent Dominum cuſtodiunt mandata illius, & patientiam habent uſque ad inſpectionem illius*. Hæc ergo omnia regulam ſanæ fidei docent, aut peccatoribus pro malis operibus pœnas prædicunt, aut juſtis pro bene factis præmia ſpondent. Et quomodo quiſque præſumit dicere, non juſtos bona merita adjuvare, neque iniquos peccata lædere, ſed unumquemque prædeſtinationis neceſſitate aut coronari aut puniri? Videamus ergo quid de hoc novum Teſtamentum nobis inſinuet.
E Matt. 7. 13. Dicit enim ipſa veritas in Evangelio. *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam, quam anguſta porta, & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci inveniunt*
Luc. 13. 24. *eam. Contendite per anguſtam portam intrare.*
Matth. 7. 21. *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in re-*
Matth. 11. 28. *gnum cœlorum: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve eſt. Filius enim hominis venturus*
Matt. 24. 36. *eſt in gloria patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus. De die an-*

A *tem illa vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque filius, niſi pater. Videte, vigilate, & orate. Neſcitis enim quando tempus ſit. Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum ſuam, & dedit ſervis ſuis poteſtatem cujuſque operis, & janitori præcipit ut vigilaret. Vigilate ergo: neſcitis quando dominus domus veniet, ſero, an media nocte, an galli cantu, an mane: ne cum venerit repente inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate*. Hinc & Paulus Apoſtolus Rom. 1. 18.
ad Romanos ſcribens ait: *Revelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent. His autem qui ſunt ex contentione, & qui*
B *non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum & Græci: gloria autem & virtus & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco. Non eſt enim perſonarum acceptio apud Deum. Quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt: & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Non enim auditores legis juſti* Rom. 6. 12.
ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore ab obediendum deſideriis ejus: ſed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo. Peccatum
C *enim in vobis non dominabitur. Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia*. Hinc & Jacobus ait. *Eſto-* Jac. 1. 22.
te factores verbi & non auditores tantum fallentes voſmetipſos. Et item: *Quid prodeſt, fratres mei, ſi* Cap. 2. 14.
fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides ſalvare eum? Et rurſus: *Sub-* Cap. 4. 7.
diti igitur eſtote Deo, reſiſtite autem diabolo, & fugiet a vobis: appropinquate Domino, & appropinquabit vobis. emundate manus, peccatores, & purificate corda duplices animo. Miſeri eſtote, & lugete; & plorate: riſus veſter in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos in tempore tribula-
D *tionis*. Qualiter autem virtus fidei ſalvet hominem, & quod ruina noſtra non ſit Deo deputanda, a quo eſt omne bonum, prædictus Apoſtolus in eadem epiſtola oſtendit dicens. *Si quis autem veſtrum* Jac. 1. 5.
indiget ſapientia poſtulet a Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. Qui autem hæſitat ſimilis eſt fluctui maris qui a vento movetur & circumfertur. Non ergo æſtimet homo ille quod accipiat aliquid a Deo. Nemo cum tentatur dicat quo- Ibid. v. 13.
niam a Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt. ipſe autem neminem tentat. Unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus & il-
E *lectus: deinde concupiſcentia cum conceperit parit peccatum: peccatum vero cum conſummatum fuerit generat mortem. Nolite itaque errare fratres mei dilectiſſimi, Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens a patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*. De hoc & Petrus ſcripſit dicens: 1. Pet. 1. 13.
Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ ſobrii perfecte ſperate in eam quæ offertur vobis gratiam in revelatione Jeſu Chriſti, quaſi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis, ſed ſecundum eum qui vocavit nos ſanctum, & ipſi ſancti in omni converſatione eſtote, quoniam ſcriptum eſt, ſancti eritis quoniam ego ſanctus ſum. Et item: *Humiliamini igitur ſub potenti* Levit. 11. 45.
manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis. 1. Pet. 5. 6.
Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Sobrii eſtote

& vigilate, quia adverſarius veſter diabolus circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide, ſcientes eandem paſſionem ei quæ in mundo eſt
1. Joan. 4. 8. *veſtræ fraternitatis fieri*. Hinc quoque Joannes
ait: *Cariſſimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt. quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei: omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt. Vos ex Deo eſtis filioli, & viciſtis eum, quoniam major eſt qui in vobis eſt, quam qui in mundo. ipſi in mundo ſunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. nos ex Deo ſumus, Qui novit Deum audit nos. qui non eſt ex Deo, non audit nos. In hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris.* Et
item: *Omnis qui audit quoniam Jeſus eſt Chriſtus,*
1. Joan. 5. 1. *ex Deo natus eſt; & omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus eſt ex eo. In hoc cognoſcimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, & mandata ejus faciamus. Hæc eſt enim caritas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt. quoniam omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum. & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Jeſus eſt filius Dei?* Si enim caritas Dei neminem juvat,
nec filii Dei filii ſunt lucis, quomodo id quod natum eſt ex Deo vincit mundum? & quomodo victoria mundi eſt fides Chriſti? Si autem fides Chriſti, quæ per dilectionem operatur, vera ſalus eſt hominum, quia qui credit in illum non
Joan. 11. 25. confundetur, ſicut ipſe ait: *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, non morietur in æternum*, quomodo iſti vaniloqui garriunt, quod nihil proſit hominum recta fides & bona operatio, quoniam ſi non ſit prædeſtinatus quis, non veniet ad vitam, cum prædeſtinatio nihil aliud ſit niſi vitæ donatio, non perditionis damnatio? Unde manifeſte Scriptura dicit: *Deus mortem*
Sap. 2. 13. *non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Creavit enim ut eſſent omnia, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum.* & per Prophetam ipſe Dominus ait: *Nolo mortem peccatoris, ſed ut con-*
Ezech. 33. 11. *vertatur & vivat*. Si autem non vult Dominus mortem impii & peccatoris, quomodo prædeſtinat eum ad mortem, cum nihil ſit aliud ejus velle quam prædeſtinare? Cauſa enim omnium rerum voluntas eſt Dei ejuſque velle eſt, nec ſimplex natura aliquam contrarietatem in ſe habet. Sed idem Dominus omnium eſt, dives in omnibus qui invocant illum. Itaque prædeſtinatio in bono legitur, non in malo. Unde dicit Apoſtolus: *Quos præſcivit & prædeſti-*
Rom. 8. 29. *navit conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, illos & juſtificavit: quos autem juſtificavit illos & glorificavit*. Nota quod dicit, Quos prædeſtinavit hos & vocavit: non, quos prædeſtinavit illos & damnavit. Amat enim bonus factor creaturam ſuam, nec immerito aliquam damnat. De quo alibi ſcriptum eſt, *Miſereris om-*
Sap. 11. 24. *nium Domine, & nihil odiſti eorum quæ feciſti, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam, & parcens illis, quia tu es Deus univerſorum*. Multiplici ergo reatu iſte conſtringitur, qui prædeſtinationis bonum in pravum ſenſum vertens, nefandis ſermonibus blaſphemare præſumit. Primo, quod creatorem ſuum, qui eſt ſumme bonus, malevolum auſus eſt dicere, & quod opus

A ſuum fruſtra & ſine cauſa decernat interire. Secundo, quod ipſam veritatem fallere nititur aſſerere, quæ per ſcripturas ſanctas recte credentibus, & bene operantibus, æternæ vitæ ſpondet præmia, & peccatoribus atque non pœnitentibus mortis prædicit pœnas. Tertio, quod juſtum judicem, qui in æquitate judicaturus eſt vivos & mortuos, prædicat injuſtum, quoniam Dominum bene agentibus præmia, & male agentibus tormenta non reddere affirmat. Quarto, quod redemptorem mundi fruſtra ſanguinem ſuum fudiſſe non timet per errorem ſuum fingere, qui in ſe credentibus & ſperantibus propter prædeſtinationis neceſſitatem non poſſit ſubvenire. Quinto,
B quod nec de bonis Angelis eorum numerum quem diabolus per ſuperbiam corruens minuit, Salvator noſter per hominum conditionem adimpleat. Sexto, quod magis favet ſua opinione diabolo, quoniam ad ejus perditionis ſortem tradidit eos, quos divina gratia decrevit ad ſalutem æternam pertingere. Septimo, quod totius humani generis maxime inimicus ſit, cum illud dixit, per Chriſti fidem & baptiſmi ſacramentum a primi parentis lapſu, propriorumque ſcelerum reatu, nec non & ab hoſtium poteſtate non poſſe erui, ſed obligatum noxia opificis ſui prædeſtinatione in tartarum demergi. Hiſque omnibus ita oſtenſis, ſuus proprius maxime inimicus eſſe convincitur, cum non ſolum ſibi in hoc gehennæ ignem
C præparat, ſed etiam in eo, quod alios per erroris ſui doctrinam a via veritatis ſeducendo ſuæ damnationis facit eſſe conſortes: pro quibus ipſe ſine dubio in igne æterno pœnas condignas ſolvet. Unde & paſtor Eccleſiæ ait: *Fuerunt ve-*
ro & pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis e- 2. Pet. 2. 1.
runt magiſtri mendaces, qui inducent ſectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negantes, perducentes ſibi celerem perditionem, & multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur, & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. quibus judicium jam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat. De quo & Judas in epiſtola ſua ſcribens ait: *Subintroierunt*
D *enim quidam homines, qui olim præſcripti ſunt* Juda 4.
in hoc judicium impii, Domini noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum dominatorem &
Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes. Et Ibid. v. 8.
iterum: *Similiter & carnem quidem maculant, dominationem autem ſpernunt, majeſtatem autem blaſphemant. Cum Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit, Imperet tibi Deus. Hi autem quæcumque quidem ignorant blaſphemant, quæ autem naturaliter tamquam animalia norunt, in his corrumpuntur.* Et
paulo poſt: *Ecce venit Dominus in ſanctis milli-* Ibid. v. 15.
bus ſuis facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis
E *eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris quæ loquuti ſunt contra eum peccatores impii. Hi ſunt murmuratores queruloſi, ſecundum deſideria ſua ambulantes, & os illorum loquitur ſuperbiam, mirantes perſonam quæſtus cauſa*. Hæc autem, quæ de divinis ſcripturis teſtimonia protulimus, ad confundendum errorem illorum, qui prædeſtinationem Dei cauſam dicunt eſſe perditionis perditorum, & ad oſtendendum quod Deus velit per fidem rectam & bona opera præmia acquiri regni cæleſtis, pauca de plurimis excepta prudenti Lectori ſufficiant. Dehinc autem quid
in ſanctorum doctorum, ac catholicorum patrum Proſper Ob-
ſententiis expoſitum de prædeſtinatione Dei in- jectione Vin-
venerimus, edicimus. Nam illi, qui dicunt quod cent. II.
Deus

„ Deus nolit omnes ſalvare, etiamſi omnes ſalvari velint, quantum errent, omnibus patet, [*Reſponſio. Matth. 7. 11.*] cum veritas dicat: *Si vos, cum ſitis mali noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis pater veſter cæleſtis dabit bona petentibus ſe?* Quomodo fieri poteſt, ut Deus, qui etiam illos ſalvat, de quibus dici non poteſt quod ſalvari, vellint, nolit aliquos* ſalvari, etiamſi ſalvari velint niſi aliquæ cauſæ exiſtant, de quibus, quamvis ſint nobis incognoſcibiles, * ipſe tamen judicat, de quo dici non poteſt, aliter eum quicquam facere debuiſſe quam fecerit? Remota, igitur hac diſcretione, quam divina ſcientia intra ſecretum juſtitiæ ſuæ continet, ſinceriſſime credendum atque profitendum eſt, [*1. Tim. 2. 4.*] Deum velle ut omnes homines ſalvi fiant. Siquidem Apoſtolus, cujus iſta ſententia eſt, ſollicitiſſime præcipit quod in omnibus Eccleſiis piiſſime cuſtoditur, ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur. ex quibus quod multi pereunt, pereuntium eſt meritum: quod multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum. Ut enim reus damnetur, inculpabilis eſt Dei juſtitia: ut autem reus juſtificetur ineffabilis, Dei gratia eſt. [*Objectio Vinc. 111.*] Qui autem dicunt, quod majorem partem Deus humani generis ad hoc creet, ut illam perdat in æternum, eo quod multi latam & ſpatioſam viam vadunt quæ ducit ad mortem, & pauci per anguſtam quæ tendit ad vitam æternam: plurimuſque eſt numerus infidelium, & qui ſine baptiſmatis remedio tranſeunt de hoc mundo, & ideo non poſſunt abſolvi de originalis peccati vinculo, quaſi hæc omnia ad conditorem humani generis pertineat, quaſi ipſe eos qui intereunt ita velit interire, non recte ſentiunt. [*Reſponſio.*] Omnium quidem hominum Deus creator eſt: ſed nemo ab eo ideo creatus eſt, ut periret. quia alia eſt cauſa naſcendi, & alia eſt pereundi. Ut enim naſcantur homines, conditoris eſt beneficium: ut autem pereant, prævaricatoris eſt meritum. [*Rom. 5. 12*] In Adam quippe, in quo omnium hominum præformata natura eſt, omnes peccaverunt, eademque ſententia quam ille * accepit obſtricti ſunt. neque ab hoc vinculo, etiamſi propriis peccatis careant, reſolvuntur, niſi in ſacramento mortis & reſurrectionis Chriſti in ſpiritu ſancto renaſcantur. Nimis ergo impius & indoctus eſt, qui vitium naturæ non diſcernet ab auctore naturæ. a quo prorſus alienum eſt quicquid in unoquoque damnandum eſt. [a] Creat enim homines, nec multiplicandis generationum ſucceſſionibus opificium ſuum ſubtrahit, ſecundum conſilium bonæ voluntatis ſuæ, reparaturus in multis quod ipſo non fecit. [*Objectio Vinc. v.*] Quod autem dicunt, peccatorum noſtrorum ideo Deum auctorem eſſe, quod malam facit voluntatem hominum, [b] hoc eſt blaſphemare ſubſtantiam, quaſi naturali motu non poſſit niſi peccare. [*Reſponſio.*] Iſtud nos a ſenſu noſtro penitus abdicamus, qui Deum juſtum, bonum, ſic humanæ ſubſtantiæ, & interiorum exteriorumque ſenſuum novimus creatorem, ut alienum prorſus ab illo ſit quicquid contra naturam eſt. Peccatum autem contra naturam eſt, de quo mors & omnia quæ ſunt mortis oriuntur. Quibus malis tunc ſe homo induit, quando illum fide obedientiaque privatum in ſuas promiſſiones diabolus a Dei lege traduxit. omniaque ſibi poſteritatis ejus germina, per * perditionem depravatæ ſtirpis obſtrinxit. Non igitur cujuſquam peccati auctor eſt Deus, ſed naturæ creator: quæ cum poteſtatem habuerit non delinquendi, ſponte deliquit, & deceptori ſuo propria voluntate ſe ſubdidit. nec naturali, ſed captivo motu verſatur in vitio, donec moriatur peccato, & vivat Deo, quod ſine gratia Dei facere non poteſt, quia libertatem, quam perdidit, niſi Chriſto liberante non recipit. *Non eſt enim alind nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat ſalvos fieri.* [*Act. 4. 12.*] Quod autem quidam dicunt, [*Objectio Vinc. 2.*] quod adulteria & corruptelas virginum ſacrarum, homicidia, atque cetera flagitia, ideo homo commiſerit, quia non poſſit illa vitare: quaſi illas Deus perſonas ad hoc prædeſtinaverit, ut certo tempore in diverſis vitiis caderent: [*Reſponſio.*] deteſtanda quidem & abominanda omni Chriſtiano hæc opinio eſt, quæ Deum cujuſquam malæ voluntatis aut malæ actionis credit auctorem. cujus prædeſtinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra juſtitiam eſt. *Univerſæ enim viæ Domini miſericordia & veritas.* [*Pſal. 24. 10.*] Adulteria enim maritarum, & corruptelas virginum, non inſtituere novit ſancta divinitas, ſed damnare; nec diſponere, ſed punire. Quæ mala homines cum admittunt, ſuis concupiſcentiis & cupiditatibus ſerviunt, quas ab illa prima voluntariæ prævaricationis labe traxerunt. Cum autem declinant a malo & faciunt bonum, a Domino greſſus hominum diriguntur, [*Pſal. 36. 27.*] & viam ejus volunt, Propter quod dicit Apoſtolus, *Oramus autem ad Dominum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, ſed ut vos quod bonum eſt faciatis.* [*2. Cor. 13. 7.*] Non ergo caſus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium, prædeſtinatio Dei aut excitavit, aut ſuaſit, aut impulit. Sed plane prædeſtinavit judicium ſuum, quo unicuique retributurus eſt prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Quod judicium futurum omnino non eſſet, ſi homines Dei voluntate peccarent. Erit autem manifeſtiſſime, & omnis homo, quem diſcretio divinæ ſcientiæ ſiniſtra conſtituerit parte. damnabitur: quia non Dei, ſed ſuam exequutus eſt voluntatem. [*Reſponſio ad Objectionem Vinc. xi.*] Nihil ergo malorum negotiorum Deus prædeſtinavit ut fieret, nec ullam animam nequiter turpiterque victuram ad hoc ut taliter viveret præparavit, ſed talem futuram non ignoravit, & de tali juſte ſe judicaturum eſſe præſcivit atque ita ad prædeſtinationem ejus nihil aliud referri poteſt, niſi quod aut ad debitam juſtitiæ retributionem, aut ad debitam pertinet gloriæ largitatem. [*Objectio Vinc. x11.*] Quapropter qui dicunt, quod Dei prædeſtinatione efficiantur de filiis Dei filiis diaboli, & de templis * ſanctis templa dæmonum, & de membris Chriſti membra meretricis, pernicioſiſſime fallunt atque falluntur, errantes & in errorem mittentes. [*Reſponſio.*] Igitur prædeſtinatio Dei, etſi apud nos, dum in præſentis vitæ periculis verſamur, incerta eſt, apud illum tamen qui fecit quæ futura ſunt, incommutabilis permanet. neque quem illuminavit obcæcat, neque quod ædificavit deſtruit, neque quod plantavit evellit. *Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei*, [*Rom. 11. 29.*] & firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc,

Marginal variants: * *edit. Proſp.* ſalvare. — * ille tamen bene judicat. — * excepit — * *in edit. Proſp.* conditionem. — * Sancti Spiritus.

* a *Creat enim homines*) In edit. Proſp. *Creat enim homines: ut ſint homines nec multiplicandi generationum ſucceſſionibus opificium ſuum ſubtrahit ſecundum conſilium bonæ voluntatis ſuæ, reparaturus in multis quod ipſe fecit, puniturus in multis quod ipſe non fecit.*

* b *Hoc eſt blaſphemare*) Legendum ex Proſpero videtur, *Hoc eſt plaſmare* (vel potius *plaſmet ſubſtantiam*; *quaſi* (vel *quæ*) *naturali motu non poſſit niſi peccare*: *iſtud nos*, &c.

2. Tim. 2. 19. „ *cognovit Dominus qui ſunt ejus* . Nullo igitur
„ modo prædeſtinatio Dei facit, ut aliqui ex filiis
„ Dei filii ſint diaboli, aut ex templo ſancti ſpiri-
„ tus templa ſint dæmonum, aut ex membris Chri-
„ ſti fiant membra meretricis. ſed potius prædeſti-
„ natio facit ut ex filiis diaboli fiant filii Dei, &
„ ex templis dæmonum templum ſit ſpiritus ſan-
Marc. 3. 27. „ cti, & ex membris meretricis, membra ſint Chri-
Coloſ. 1. 13. „ ſti: quia ipſe alligat fortem, & vaſa ejus rapit,
„ eruens ea de poteſtate tenebrarum, & transfe-
„ rens de contumelia in gloriam. Hi autem de qui-
1. Joan. 2. 19. „ bus dicitur, *ex nobis tranſierunt, ſed non fuerunt*
„ *ex uobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent uti-*
„ *que nobiſcum:* voluntate exierunt, voluntate ce-
„ ciderunt: & quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt
„ prædeſtinati: eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent
„ reverſuri, & in ſanctitate ac veritate manſuri.
„ ac per hoc prædeſtinatio Dei multis eſt cauſa
Reſponſio. „ ſtandi, nemini eſt cauſa labendi. Omnibus qui-
adjectio Vincent. XIII. „ dem a fide ad infidelitatem, a ſanctitate ad im-
„ pietatem relapſis, & ante finem vitæ nulla emen-
„ datione purgatis, nihil aliud quam mors æterna
„ debetur. Sed nefas eſt Deo adſcribere cauſam ta-
„ lium ruinarum. qui etſi ex æterna ſcientia præ-
„ cognitum habet quid uniuſcujuſque meritis re-
„ tributurus ſit, nemini tamen per hoc quod falli
„ non poteſt, aut neceſſitatem, aut voluntatem in-
„ tulit delinquendi. Si ergo a juſtitia & pietate
„ quis deficit, ſuo in præceps fertur arbitrio, ſua
„ concupiſcentia trahitur, ſua perſuaſione decipi-
„ tur. Nihil ibi pater, nihil filius, nihil agit ſpi-
„ ritus ſanctus; nec tali negotio quicquam divinæ
„ voluntatis intervenit: cujus opere multos ſcimus
„ ne laberentur retentos, nullos autem ut laberen-
Reſponſio. „ tur impulſos. Denique ad prævaricationem legis,
ad Objectio. „ ad neglectum religionis, ad corruptelam diſci-
Vinc. XIV. „ plinæ, ad deſertionem fidei, ad perpetrationem
„ qualiſcumque peccati, nulla omnino eſt præde-
„ ſtinatio Dei: nec fieri poteſt, ut per quem a ta-
„ libus malis ſurgitur, per eum in talia decidatur.
„ Si ergo in ſanctitate vivitur, ſi in virtute pro-
„ ficitur, ſi in bonis ſtudiis permanetur, manife-
„ ſtum munus eſt Dei, ſine quo nullus boni ope-
„ ris fructus acquiritur. Si autem ab his recedi-
„ tur, & ad vitia atque peccata tranſitur; nihil
„ ibi Deus malæ tentationis immittit, & receſſurum
„ non deſerit antequam deſerat; & facit plerum-
„ que ne deſerat, aut etiam, ſi diſceſſit, ut redeat.
„ Cur autem hunc retineat, illum non retineat, nec
„ poſſibile eſt comprehendere, nec licitum inveſti-
Objectio „ gare, cum ſcire ſufficiat, & ab illo eſſe quod ſta-
Vinc. XV. „ tur, & non ab illo eſſe quod ruitur. Qui autem
„ dicunt, quod omnes illi fideles, & quidem ſan-
„ cti, qui per peccatum ad æternam mortem pro-
„ lapſi ſunt, ſic prædeſtinati ſunt, ſicque a Deo or-
„ dinati poſteaquam ceciderunt, ut nec poſſint, nec
„ velint per pœnitentiam liberari; non veraciter
Reſponſio. „ nec ſapienter hoc dicitur. Qui enim a fide &
„ ſanctitate exciderunt, ſicut voluntate prolapſi
„ ſunt, ita voluntate non ſurgunt, & dominatum
„ concupiſcentiarum quibus ſuccubuerunt ſponte
„ patiuntur, ſi qui autem captivitatem ſuam ge-
„ munt, & judicantes ſemetipſos ad miſericordiam
„ Dei mutato corde confugiunt, non ſine ſpiritu
Pſal. 76. 11. „ divinæ miſerationis hoc faciunt. *Hæc enim mu-*
„ *tatio dexteræ excelſi*, qui innumeris lapſis dat
2. Tim. 2. 26. „ pœnitentiam *ut reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo*
„ *captivi tenebantur ad ipſius voluntatem*. Nemi-
„ ni autem Deus correptionis adimit viam, nec
„ quemquam boni poſſibilitate diſpoliat: quia qui
„ ſe a Deo avertit, ipſe & velle quod bonum eſt
„ & poſſe ſibi ſuſtulit. Non eſt ergo conſequens,
„ ſicut putant qui talia objiciunt, ut Deus qui-

A bus pœnitentiam non dederit, reſipiſcentiam „
abſtulerit; & quos non levavit alliſerit. cum „
aliud ſit inſontem egiſſe in crimen, quod alienum „
eſt a Deo, aliud crimino ſo veniam non dediſſe, „
quod de peccatoris eſt merito. Sed quia iſti in- „
ter ſe diſſentiunt, qui dicunt prædeſtinationem
Dei facere, ne quis poſſet ſalvari etiamſi velit:
& Pelagiani ſunt, qui adſcribunt totum homi-
ni poſſe per primæ conditionis ſortem, quicquid
ad ſalutis ſuæ ſtatum pertinet, etiamſi divina
gratia illum non adjuverit; quorum licet diver-
ſus error ſit, tamen par impietas: ideo neceſ-
ſarium eſſe arbitramur ſcripturarum teſtimoniis
comprobare, hominem initio bonum a Deo eſſe
conditum, quia vidit Deus cuncta quæ fecerat, Geneſ. 1. 3.
B & erant valde bona: ſed neminem poſſe ſuo
merito ſine gratia Dei ſalvari, quia veritas in
Evangelio ait: *Nemo venit ad patrem, niſi per*
me: & *ſine me nihil poteſtis facere*. Unde Pau- Joan. 14. 6. Joan. 15. 5.
lus ad Epheſios ſcribens ait: *Gratia enim eſtis* Epheſ. 2. 8.
ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim
donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur.
Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu Epheſ. 6. 23.
in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in il-
lis ambulemus. Et item: *Pax fratribus & ca-*
ritas cum fide a Deo patre noſtro & Domino Je-
ſu Chriſto. Gratia cum omnibus qui diligunt Do-
minum noſtrum Jeſum Chriſtum in incorruptione.
Ad Romanos quoque idem ait: *Quis me libera-* Rom. 7. 24.
C *bit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Domi-*
num noſtrum Jeſum Chriſtum. Et item: *Reliquiæ*, Rom. 11. 5.
inquit, *ſecundum electionem gratiæ ſalvæ factæ*
ſunt. Si autem gratia, non ex operibus, alioqui
gratia jam non eſt gratia. Ad Corinthios quoque
ſic loquitur: *Gratia autem Dei ſum id quod ſum,* 1. Cor. 15. 10.
& gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundan-
tius illis omnibus laboravi. Non ego autem, ſed
gratia Dei mecum. De hoc quoque & Jacobus A-
poſtolus ſcripſit dicens: *Omne datum optimum,* Jac. 1. 17.
& omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens
a patre luminum. Et item: *Deus*, inquit, *ſuper-* Jac. 4. 6.
bis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Immo
D & Petrus in epiſtola ſua gratiam Dei adiutoribus 2. Pet. 1. 2.
ſuis commendat dicens: *Gratia vobis & pax mul-*
tiplicetur. Et item: *Gratia autem erit vobis om-* 1. Pet. 5. 14.
nibus qui eſtis in Chriſto Jeſu. Et rurſus, *Vos*, in- 2. Pet. 3. 17.
quit, *fratres præſcientes cuſtodite, ne in inſipien-*
tium errorem tranſducti excidatis a propria firmi-
tate. Creſcite vero in gratia & cognitione Domini
noſtri & ſalvatoris Jeſu Chriſti. Hinc etiam &
Joannes in Apocalypſi ſua ſcripſit dicens: *Gratia* Apoc. 1. 4.
vobis & pax ab eo qui eſt, qui erat, & qui ven-
turus eſt, & a ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu
** ejus ſunt, & a Jeſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis,* *throni ejus
primogenitus mortuorum, & princeps regnum ter-
E *ræ. Qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis noſtris*
in ſanguine ſuo. Liberum enim arbitrium homini
datum nullus rite credens negare poteſt: ſed ſi
ad effectum boni operis pertingerit, muneris eſt
gratiæ Dei: ubi autem dicitur, Noli hoc & noli
illud; & ubi ad aliquid faciendum, vel non fa- Auguſt. de gratia & libero arbitrio cap. 2.
ciendum in divinis monitis opus voluntatis exigi-
tur: ſatis liberum demonſtratur arbitrium. Nemo
ergo cauſetur Deum in corde ſuo, ſed ſibi im-
putet quiſque cum peccat: neque cum aliquid ſe-
cundum Deum operatur, alienet, hoc a propria
voluntate. Quando enim volens operatur, tunc
dicendum eſt opus bonum, tunc ſperanda eſt ope-
ris boni merces ab eo de quo dictum eſt, *qui* Matt. 16. 27.
reddet unicuique ſecundum opera ſua. Semper eſt Aug. ibid. cap. XV.
in nobis voluntas libera, ſed non ſemper bona.
Aut enim a juſtitia libera eſt, quando ſervit
peccato, & tunc eſt mala: aut a peccato

A libera eſt quando ſervit juſtitiæ, & tunc eſt bo-
na. Gratia vero Dei ſemper eſt bona, & per hanc
fit ut ſit homo voluntatis bonæ, qui prius fuit
voluntatis malæ. Per hanc etiam fit ut ipſa bo-
na voluntas, quæ jam cœpit eſſe augeatur, &
tam magna fiat, ut poſſit implere divina man-
data quæ voluerit, cum valde perfecteque vo-
Eccl. 15. 16. Sec. lxx. luerit. Ad hoc valet quod ſcriptum eſt: *Si vo-
lueris mandata ſervare, conſervabunt te manda-
ta:* ut homo qui voluerit & non potuerit, non-
dum accepiſſe ſe plene velle cognoſcat, & oret
ut obtineat bonam voluntatem quanta ſufficit ad
implenda mandata. Sic quippe adjuvatur ut fa-
ciat quod jubetur. Tunc enim utile eſt velle cum
poſſumus, & tunc utile eſt poſſe cum volumus.
B Nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus volu-
Aug. de Eccleſiaſticis dogmat. cap. 21. mus, aut quod poſſumus nolumus? Libertati qui-
dem arbitrii ſui commiſſus eſt homo ſtatim in
prima mundi conditione, ut ſola vigilantia men-
tis adnitente, etiam in præcepti cuſtodia perſe-
** edit. Aug. ſi vellet in eo quod creatus, &c.* veraret, * ſi vellet, in id ad quod creatus fuerat
permanere. Poſtquam, vero ſeductione ſerpentis
per Evam cecidit, naturæ bonum perdidit, pari-
ter & vigorem arbitrii. non tamen electionem,
** ed. Aug. evitaret.* ne non eſſet ſuum quod * emendaret peccatum,
nec merito indulgeretur quod non arbitrio diluiſ-
ſet. Manet itaque ad quærendam ſalutem arbitrii
libertas, id eſt rationalis voluntas, ſed admonen-
te prius Deo, & eam invitante ad ſalutem, ut
C vel eligat, vel ſequatur, vel agat occaſione ſa-
lutis, hoc eſt inſpiratione Dei. ut autem conſe-
quatur quod eligit, vel quod ſequitur, vel quod
occaſione agit, Dei eſſe libere confitemur. Initium
ergo ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus, ut ac-
quieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ pote-
ſtatis eſt. ut adipiſcamur quod adquieſcendo ad-
** edit. Aug. cupimus.* monitioni * cæpimus, divini eſt muneris. ut non
** edit. Aug. ab indepto.* labamur * in adepto munere ſalutis ſollicitudi-
nis noſtræ eſt, & cæleſtis pariter adjutorii: ut
labamur, poteſtatis noſtræ eſt & ignaviæ.) Con-
tra reprehenſores prædeſtinationis Dei in pluri-
Hypomneſt. lib. vi. cap. 111. mis locis manifeſte repugnat ſcriptura ſacra. Sed
velim ab eis quærere, mihi pandant quo judi-
cio dictum eſt a Paulo & Barnaba prædicanti-
D *Act. 14. 15.* bus verbum Dei in Lyſtris, *In præteritis genera-
tionibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas*,
ut in idololatria ſimulacrorum perirent, & u-
nam tantum gentem, id eſt Jacob elegit ſibi
Pſal. 134. 4. Dominus, & Iſrael in poſſeſſionem ſibi. cui ſoli
utique legem ad cognoſcendum ſe, poſtpoſitis
ut dixi ceteris generationibus, dedit. Vel cur
iterum amiſſio facta eſt Judæorum, ut mundi
fieret reconciliatio, id eſt omnium gentium, ſi-
Rom. 11. 15. cut dicit Apoſtolus: *Si enim amiſſio eorum re-
conciliatio eſt mundi, quæ aſſumptio niſi vita ex
mortuis?* Quaſi impoſſibile eſſet Deo omnipoten-
ti, univerſo mundo legem dare, ſalutem gra-
**Aug. MSS. cito.* tiæ Chriſti conferre, vel ut * ita dicam ab ini-
E tio lapſus Adæ id agere, quod diverſitate tem-
porum fieri ejus arbitrio ſedit. Doceant etiam,
quare miſſis a Spiritu ſancto Paulo & Barnaba
portare nomen Domini ſalutis cauſa in gentibus,
Act. 16. 7. cum tranſirent prædicantes Phrygiam & Gala-
tiæ regionem, vetiti ſunt a Spiritu ſancto loqui
verbum in Aſia: & cum veniſſent in Myſiam
volentes ire in Bithyniam, non permiſit eos,
Ejuſdem Hypomneſt. cap. 10. inquit, ſpiritus Jeſu. Sciebat, inquies, Deus,
quod credituri non eſſent: & ideo non eos ire
** edit. Aug. numquid.* permiſit ad loquendum verbum. * Nonne prohi-
bitio iſta ſancti Spiritus aliud oſtendit, quam
Joan. 3. 8. verbum Domini Jeſu dicentis in Evangelio, *Spi-
ritus ubi vult ſpirat?* Hinc cogitent, hinc pan-
dant aliquid, quare ſpirat ubi vult, & non ubi-

A que. Dicant etiam quare prædicantibus prædi-
ctis Paulo & Barnaba Antiochiæ Piſidiæ Judæis
& gentibus ſalutem, nullus credidit, niſi quos
exinde Dominus præordinavit ut crederent. Si-
quidem & de ipſis pagina ſancta teſtatur: *Et* *Act. 13. 48.*
crediderunt, inquit, *quotquot erant præordinati
ad vitam æternam*, hoc eſt prædeſtinati. Ecce
in omnibus quæ ex auctoritate divina protuli-
mus, habes miſericordiam & judicium, & cer-
tum eſt quia perſonarum non eſt acceptor
Deus, nec cujuſquam perſonam reveretur. *Rom. 2. 11.*
Deſcende ergo, ſi valles, in profundum mi-
ſericordiæ Dei: aſcende, ſi ſufficis, in altitu-
dinem judicii ejus: diſtendere in longitudinem
& latitudinem viarum ejus inveſtigabilium, &
B ſi liquido penetraveris, hæc nobis tam me-
tuenda in incomprehenſibilia ſecreta, de qui-
bus Paulus expavit, ipſe intrepidus pande. *Rom. 11. 33.*
Quantum libet enim ſcire conaberis, judicia Dei
comprehendere non vales, nec valebis. quia ſi- *1. Cor. 2. 11.*
cut nemo ſcit hominum quæ ſunt hominis, ni-
ſi ſpiritus hominis qui eſt in ipſo, ita & quæ
Dei ſunt nemo ſcit niſi ſpiritus Dei. Si qua
ergo attingere valuerimus, non noſtra ſolertia,
ſed dono Spiritus ſancti revelata eſſe debemus a-
gnoſcere: ſi autem ſcire non datur quod ſupra
nos eſt; nec a noſtra parvitate quæratur.* Præ- ** edit. Aug. Præceptum*
dictum eſt enim a ſcriptura ſancta: *Altiora te*
ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris in *Eccl. 3. 22.*
C *vanitate.* Et, *altum ſapere noli, ſede time.* Di- *Rom. 11. 20.*
ximus namque, de damnabili humani generis maſ- *Ejuſdem Hypomneſt.*
ſa Deum præſciiſſe, miſericordia non meritis, *cap. 5.*
quos electione gratiæ prædeſtinavit ad vitam:
ceteros, qui judicio juſtitiæ ejus ab hac gratia
efficiuntur expertes, præſciviſſe tantum proprio
vitio perituros, non ut perirent prædeſtinaſſe.
Sed ut dixi quos in opera impietatis, & mor-
tis ruituros præſcivit, non præordinavit, nec
impulit, in quibus Deum ad iracundiam provo-
cantes, fidem allatam ac prædicatam ſibi accipe-
re nolunt, aut Deo judice non poſſunt, vel ac-
cepta male utuntur, & ob hoc traduntur in
reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non con-
veniunt, his prædeſtinatam eſſe pœnam rite fa-
D temur. Quod ut probari valeat, ſolum reor in
exemplum ſufficere Judam. Hunc enim Deus
cum præſciiſſet in vitiis propriæ voluntatis peſ-
ſimum fore, id eſt electione diſcipulatus ſui be-
ne a Chriſto collata male uſurum, & avaritia
ardentem pretio Judæis Dominum traditurum,
pœnam ei prædeſtinavit ex merito, dicente per
David Spiritu ſancto, *Deus laudem meam ne ta-* *Pſal. 108. 2.*
*cueris, quia os peccatoris & doloſi ſuper me a-
pertum eſt.* Id eſt Judæ, vel Judæorum in Chri-
ſtum. Judæ, cum dicit: *Quid vultis mihi da-* *Matt. 26. 15.*
re, & ego eum vobis tradam? & poſt pecuniæ
ſponſionem, dans ſignum traditionis, *Quemcum-
que oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.* Ideo
E ſuper me, ait, apertum eſt os Judæ. Cum enim
oſculum dedit, ore doloſo aperuit quem tene-
rent. Judæorum quoque, cum eum volentes do-
lo perdere, ut Evangelium pandit, clamaverunt
dicentes; *Crucifige, crucifige.* & poſt puſillum ſe- *Joan. 19. 6*
quitur, *Conſtitue ſuper eum peccatorum*, id eſt *Pſal. 108. 6.*
ſuper Judam, *& diabolus ſtet a dextris ejus.
Cum judicatur exeat condemnatus, & oratio ejus
fiat in peccatum. Fiant dies ejus pauci, & epi-
ſcopatum ejus accipiat alter.* Et poſt cetera quæ
de eo ſequuntur, *Pro eo quod*, inquit, *non fuit* *Ibid. v. 16.*
*recordatus facere miſericordiam, & perſecutus eſt
hominem inopem & egenum, & compunctum
corde morti tradere.* Et ſequentia reliqua,
quæ in ejus prædicta ſunt perſona. Nam ſicut

narrat liber Actuum Apoſtolorum, de eo præ-
dicta, & in eo impleta eſſe ſanctus probat A-
poſtolus Petrus, cum loco ejus unum ex iis qui
cum Apoſtolis congregati fuerant propter teſti-
monium reſurrectionis Jeſu Chriſti, ſubrogari o-
Act. 1. 16. portere denuntiat dicens: *Viri fratres, oportet
impleri ſcripturam, quam per os David prædixit
Spiritus ſanctus de Juda, qui fuit dux eorum qui
comprehenderunt Jeſum: qui connumeratus erat in
nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterii hujus. &
hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis,
& ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt viſce-
ra ejus. Notum factum eſt autem omnibus habi-
tantibus in Hieruſalem, ita ut appellaretur ager
ille Acheldemah, hoc eſt ager ſanguinis. Scriptum
eſt enim in libro Pſalmorum, Fiat commoratio
ejus deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea, &
epiſcopatum ejus accipiat alter.* Ubi ergo com-
memoratio operum ejus malorum a ſancto fit Spi-
ritu in Pſalmis, priuſquam eſſet præſcitus eſt,
non factus, quod talis adverſus filium Dei fu-
turus eſſet. Si enim factus eſſet, inculpabilis eſ-
ſet, & Dei opificio reputaretur, non Judæ. Inju-
* eum. ſte etiam in * eo prolata damnatio eſſet. Sed
abſit hoc a ſumme bono judice, auctore omnium
bonorum Deo, damnatore vero cunctorum ma-
lorum: quia mala Judæ, ut prædixi, præſcivit,
non fecit: & tamen in quibus præſcivit, judi-
cio juſto tradens eum in reprobum ſenſum ut
impleret permiſit: & ideo permiſit, quia per Spi-
ritum ſanctum eum periturum ante prædixit.
Quia ſicut Chriſtum oportebat pati per Judam,
præcinente per prophetas ſancto ſpiritu, ita opor-
tebat Judam perire, eodem ſancto ſpiritu prædi-
Joan. 17. 12. cente. De eo quippe dictum eſt: *Nemo periit ni-
ſi filius perditionis.* Nam pœna illi prædeſtinata
pro malis ſuis, in quibus, ut ſæpe dixi, præſci-
Ejuſdem Hypomneſt. cap. 01. tus eſt tantum, non prædeſtinatus. Verum au-
tem eſſe quod diximus, licet plene ſit diſputa-
tum, id eſt, perituris pœnam eſſe prædeſtinatam,
audi Petrum Apoſtolum, cum futuros eſſe pſeu-
doprophetas, & magiſtros mendaces, & apoſta-
tas in Eccleſia dicit, ſicut fuerunt in populo
2. Pet. 2. 3. veteri. *Quibus judicium*, inquit, *jam olim non
Juda 4. ceſſat, & perditio eorum non dormitat.* Item Ju-
das Apoſtolus. *Subintroierunt*, ait, *quidam ho-
mines, qui olim præſcripti ſunt in hoc judicio,
impii, gratiam Domini noſtri transferentes in luxu-
riam, & ſolum dominatorem & Dominum noſtrum
Jeſum negantes Chriſtum.* Et Dominus in Evan-
gelio peccatoribus: *Diſcedite in ignem æternum,
Matt. 25. 34. & 41. qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.* Præde-
ſtinatis autem: *Venite benedicti patris mei, per-
cipite regnum vobis paratum ab origine mundi*,
id eſt prædeſtinatum. Tenenda eſt igitur incon-
cuſſe hujus diſputationis regula, quæ teſtimoniis
claret ſcripturarum, peccatores in malis propriis,
antequam eſſent in mundo, præſcitos eſſe tan-
tum, non prædeſtinatos: pœnam autem eis eſſe
prædeſtinatam ſecundum quod præſciti ſunt. Par-
vulos quoque non renatos ex aqua & Spiritu ſan-
cto, prædeſtinatæ pœnæ eſſe obnoxios. Qui præ-
*in propriis &c. ſciti ſunt, non * propriis voluntatibus, quorum
nullæ vel bonæ vel malæ ſunt, niſi tantum in
Adæ peccato, quod traxere naſcentes, & in hoc
manentes ſolverunt tempus vitæ præſentis. Quid
enim juſtitia de iis faciat, quibus miſericordia non
ſubvenit, qui pura fide credit dicente Domino,
*Qui non manducat carnem meam, * & bibit ſan-
* nec. guinem meum, non habebit in ſe vitam*, intelligit,
Joan. 6. 54. & a contentione recedit. Qui vero ſecundum
propoſitum Dei vivunt, præſcitos eſſe & præde-
ſtinatos electione gratuitæ gratiæ ejus, & regnum

A eis cælorum eſſe prædeſtinatum ſine dubitatione
dicendum eſt. Hoc enim Apoſtolus probat, cum
eos prædeſtinatos & electos eſſe teſtatur antequam
mundus conſtitueretur. Scribens enim Epheſiis di-
cit: *Sicut elegit nos in ipſo*, id eſt in Chriſto, *an-* Epheſ. 1. 4.
*te mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & im-
maculati in conſpectu ejus, qui prædeſtinavit nos
in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ip-
ſum.* Taceat humana lingua, nec prorſus in præ-
deſtinatione de meritis extollatur. attendat di-
ctum *ante conſtitutionem mundi*. Divinæ volunta-
tis eſt hoc donum, non humanæ fragilitatis me-
ritum. Denique attende quod ſequitur: *In quo
habemus redemptionem*, ait, *per ſanguinem ejus,
B remiſſionem peccatorum, ſecundum divitias gratiæ
ejus, quæ ſuperabundavit in nobis in omni ſapien-
tia & prudentia, ut notum nobis faceret ſacramen-
tum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum ejus,
quod propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis
temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cæ-
lis & quæ in terra ſunt, in ipſo. In quo etiam &
nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum pro-
poſitum ejus, qui operatur omnia ſecundum volun-
tatem ſuam, ut ſimus in laudem gloriæ ejus nos,
qui ante ſperavimus in Chriſto.* Audi, ſecundum
divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in no-
bis, id eſt quæ prævenit nos, ad quid? ut notum
ſcilicet nobis faceret ſacramentum voluntatis ſuæ.
Numquid meæ, aut tuæ, aut alterius, ut meri-
C tis conſtet? Abſit, ſed ſuæ, quæ etiam in iis quos
prædeſtinavit opera bonæ præparet voluntatis, ut
in iis ambulent. ſecundum quod idem in eadem
epiſtola dicit: *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem &
hoc non ex vobis. Dei enim donum eſt, non ex ope-* Epheſ. 2. 8.
*ribus, ut nequis glorietur. Ipſius enim ſumus fa-
ctura, creati in Chriſto in operibus bonis, quæ præ-
paravit Deus, ut in illis ambulemus.* Audi, in
operibus bonis, quæ præparavit Deus. & ſi quid
te boni poſſe vides, age gratias præparanti quod
potes, non propriæ voluntati, quæ omnino ſine
illo nihil poteſt, qui dicit, *Sine me nihil poteſtis* Joan. 15. 5.
facere. Noli itaque putare, quod hæc & huju- Ejuſdem Hypomneſt.
modi dicentes liberum voluntatis amputemus ar- cap. 011.
D bitrium, cum tamen conſtet ea quæ loquimur ex
auctoritate divina pendere, vel ut nobis calum-
niam obiicitis, quod operando bene intentos, &
in Dei propoſito ſollicitos probibeamus. Quin po-
tius, qui ſe dono gratiæ ad Dei miſericordiam ſen-
tiunt pertinere, hortamur oportere incumbere o-
rationibus, jejuniis, vigiliis, omnique operi vo-
luntatis divinæ. Prædeſtinatis enim dicit Apoſto-
lis, cum tamen generale ſit quod illis dicitur a
Chriſto prædeſtinato ſecundum carnem ex ſemine
David, prædeſtinante autem ipſo ſecundum po-
tentiam Dei patris, cum patre & Spiritu ſancto:
Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. I-
tem: *Vigilate in omni tempore, orantes ut digni* Matt. 26. 41.
habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & Luc. 21. 36.
E *ſtare ante filium hominis.* Item: *Contendite intra-* Luc. 13. 14.
re per anguſtam portam. Item: *Vos amici mei e-* Joan. 15. 14.
ſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis. Et multa a-
lia, quæ longum eſt enarrare. Sed ut ſuperius
commemoravi, qui eis dixit, *Sine me nihil pote-
ſtis facere*, per ipſum quæ jubentur facere poſſunt. Joan. 15. 5.
Hujuſmodi in Chriſto eſſe electos Dei ait Apoſto-
lus: *In quo & prædeſtinati ſunt ſecundum propoſi-
tum ejus qui omnia operatur.* Intellige dictum *qui
omnia operatur*, & crede opus eſſe Dei opera eo-
rum, qui ambulant ſecundum propoſitum. Qui
* ergo abſque prædeſtinationis gratia ſunt, id * vero.
eſt alieni a propoſito Dei, & perdurant in operibus
ribus malis, ſi etiam ex hac vita migraverunt,
non eos dicimus, ut vos putatis, ita a Deo

omnium opifice ordinatos ut perirent, tanquam
ipſe illis mores malæ vitæ creaverit, ipſe ad om-
ne opus mortis invitos præcipitaverit. Abſit hoc
Pſal. 5. 5. a divino propoſito. Non enim volens iniquita-
Eccli. 15. 21. *Sap. 1. 14.* tem eſt Deus, nec mandavit cuiquam impie age-
re, nec alicui dedit laxamentum peccandi. Fe-
Sap. 2. 24. cit enim ut eſſent omnia, & ſanabiles nationes
orbis terrarum: invidia autem diaboli mors in-
troivit in orbem terrarum. Imitantur autem il-
lum qui ſunt ex parte illius. Nec dicimus, ut
fingitis, etſi credere velint, vel bonis operibus
Dei vacare, Deum hæc illis nolle præſtare, cum
hujuſmodi velle Dei ſit donum. Si ergo ex Deo
eſt quod volunt, vult Deus perfectum fieri quod
donavit. Si autem ex Deo non eſt, ſed eſt de
* qua. jactantia propriæ voluntatis, * qui ſe meritis Deum
æſtimant promereri: manifeſte quod volunt cape-
Rom. 9. 16. re non poſſunt, quia *non volentis*, inquit, Apo-
Joan. 3. 27. ſtolus, *neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. &
quia non poteſt homo a ſe facere quicquam, niſi
datum illi fuerit deſuper. Non hoc agit Deus
ſumme bonus malitia, ſed juſtitia, nec perſona-
rum acceptione, ſed cauſarum ſecretarum diſcre-
tione. Novimus nonnumquam quoſdam volen-
tes æternæ vitæ fidem accipere, & eam adipiſci,
quoſdam autem non. aliquos etiam nolentes
conſequi, cum in eis divina gratia ut velint
mutaverit voluntatem. Novimus aliquos etiam
perfectos ex labore multorum annorum, prolap-
ſos in ultimo vitæ ſuæ periiſſe: aliquos vero ab
ineunte ætate ſua in omni ſcelere & damnabilita-
te uſque ad decrepitam ætatem perduraſſe, & re-
pente cælitus inſpirata ſalute raptos eſſe ad re-
quiem regni cælorum. Novimus etiam parvulos,
quibus uſus liberi arbitrii non eſt, ut de bonis
aut malis eorum meritis judicemus, parentum
manibus ad gratiam ſacri baptiſmatis deportatos,
& cum in uno eorum per manus ſacerdotis my-
ſterium fidei adimpleretur, aliquoties alterum in
parentum manibus factum exanimem fraudatum
gratia ſalvatoris. Quis ſapiens & intelligat hæc,
aut quis idoneus erit eorum reddere rationem?
Dicamus cum David: *Juſtus Dominus in omnibus*
Pſ. 144. 17. *viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*. &,
Pſal. 91. 6. *Quam magnificata ſunt opera tua, Domine! nimis*
profunda facta ſunt cogitationes tuæ. Dicamus et-
Rom. 11. 33. iam cum Apoſtolo Paulo: *O altitudo divitiarum*
ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibi-
Cap. viii. *lia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!*
Sed ſi adhuc reddita ratione vultis eſſe conten-
tioſi, nec acquieſcere veritati, nobis tamen quaſi
male de Deo juſto & miſericordiſſimo ſentiamus
calumniari definite, ſed ipſum potius Dominum
Chriſtum, cujus Evangelium ſequimur, ſi aude-
tis, arguite. cum illo jurgium ſumite litigandi,
illi, quod abſit, male ſenſiſſe de Deo patre ſuo
Matt. 20. 16. calumniamini, qui ait, *Multi quidem vocati, pau-*
Joan. 6. 66. *ci vero electi*. &, *Nemo poteſt venire ad me, niſi*
Matt. 19. 11. *datum ei fuerit a patre meo*. &, *Non omnes ca-*
piunt verbum, niſi quibus datum eſt. Cetera au-
tem quam plurima. Falſum eſt ergo, inquies,
quod ait Apoſtolus, *Qui vult omnes homines ſal-*
1. Tim. 2. 4. *vos fieri, & ad agnitionem veritatis ſuæ venire*.
Omnino non eſt falſum, quia omne quod vult
Deus facere poteſt, nec prorſus humana volunta-
te quod vult præpeditur. Sed quæro a vobis ut
dicatis, quare Deus qui vult omnes homines ſal-
vos fieri, quorumdam, ut dicit Iſaias Propheta,
Pſ. 6. 10. excæcat oculos ne videant, & obdurat corda ne
intelligant, ne convertantur & ſanentur. Quod
verum eſſe Evangeliſta Joannes confirmat dicens
Joan. 12. 39. de Judæis. *Propterea non poterant credere, quia*
dixit Iſaias, Excæcavit oculos eorum, & obdura-

A *vit cor eorum, ut non videant oculis, & non in-*
telligant corde, & convertantur & ſanem eos. I-
tem in Evangelio ſecundum Marcum, cum Je-
ſum interrogarent diſcipuli ſui de parabola ſemi-
nis: *Vobis datum eſt*, inquit, *noſſe myſterium re-* *Marc. 4. 11.*
gni Dei; illis autem qui foris ſunt in parabolis om-
nia fiunt, ut videntes non videant, & audientes
non intelligant, ne quando convertantur & di-
mittantur eis peccata. Dicite igitur, quare Deus,
qui perſonarum acceptor non eſt, & vult om-
nes homines ſalvos fieri; aliorum corda reſerat
ad credendum, oculos illuminat ad videndum,
& ad ſciendum myſterium regni cælorum, quo
ſcilicet ſalvi fieri poſſint; aliorum vero, ut le-
B ctionis textus dixit, involvens in parabolis veri-
tatem, obtundit cor, excæcat oculos, claudit
aures, ne Evangelium ſalutis agnoſcant, ne re-
miſſionem accipiant peccatorum! Dicite quæſo,
qualiter hæc loca Evangelii accipitis, docete quid
hic de Deo, qui vult omnes homines ſalvos fie-
ri, ſentiatis. Ecce jam * generaliter ſalvi non * *edit. Aut.* omnes generaliter.
ſunt, cum aliis datur noſſe viam ſalutis, aliis
non datur. Hæc itaque cum facit Deus, non
perſonarum acceptione facit, non injuſtitia, ſed
juſtitia inenarrabili, miſericordia indebita. Quo-
niam vero hinc liquido utraque pars dicere ni-
hil valemus, credamus tantum reum mortis ex
judicis voluntate pendere. Ne quiſquam autem
putaret, divino judicio fieri non omnes homi-
C nes ſalvari, dixit Apoſtolus, *qui vult omnes ſal-*
vos fieri. Quapropter omnes homines qui ſalvan- *1. Tim. 2. 4.*
tur, Deo volente ſalvantur. Deus enim noſter *Pſal. 67. 21.*
Deus ſalvos faciendi, & Domini exitus mortis, *Pſal. 29. 6.*
Et quia ira in furore ejus, & vita in volunta-
te ejus, intelligite utique in furore juſtitiam, in
voluntate miſericordiam. Prædeſtinationem igitur
negare, quam apud Deum eſſe probavimus, im-
mane blaſphemium eſt. quam non tantum, ſi-
cut ſoletis dicere, in Apoſtolis debemus accipe-
re, ſed in Patriarchis, & Prophetis, & Marty-
ribus, & Confeſſoribus, in omnibus ſanctis & di-
gne ſervientibus Deo. Hinc nemo glorietur, ne-
mo deſperet. Solus enim Dominus ſcit qui ſunt *2. Timi. 2. 19.*
D ejus. In quantum autem poſſumus, omnes ho-
mines ad bonum opus exhortemus, nulli diſpera-
tionem demus, pro invicem oremus, in conſpe-
ctu Dei nos humiliemus dicentes, *Fiat volun-*
tas tua. Ipſius erit poteſtatis, judicium in no- *Matth. 6. 10.*
bis debitum mutare damnationis, gratiam præ-
deſtinationis indebitam prærogare.

Ecce habes, dilectiſſime frater, quod petiſti.
Senſum orthodoxorum atque catholicorum patrum
breviter in uno libello conſtructum, de præſcien-
tia & prædeſtinatione, de gratia & libero arbi-
trio: reſtat ut credas ac confitearis, immo firma
fide & ſana doctrina aliis prædices quod credant
& intelligant, Deum præſciſſe bonos & malos fu-
turos. bonos autem tantum ut vitam æternam
E accipiant prædeſtinaſſe: malos vero in æternum
perituros tantum præſciſſe, non prædeſtinaſſe.
Gratia autem Dei quotquot ſalvi fierent ſalu-
tem adipiſci. Libero autem arbitrio, quod per pri-
mi hominis lapſum corruptum fuerat, cum divi-
na bonitas illud ſecundum ſuum placitum regere
voluerint, mercedem promereri poſſe perpetuam.
Cum autem homo illo abutitur per ſuperbiam,
non gloria ejus, ſed pœna dignum eſſe perpe-
tua. Occulta autem atque ſecreta Dei, quæ ſoli
patent cognitioni divinæ, neminem ſcrutari de-
bere, ne plus volens ſapere quam oportet ſape-
re, pro veritate falſitatem, & pro recta fide ma-
ximum errorem ſequendo in interitum decidat
ſempiternum.

RABANI
EPISTOLA TERTIA.
AD HEBERARDUM COMITEM.

Reverendiſſimo atque probatiſſimo viro Heberardo Comiti Hrabanus viliſſimus ſervorum in Chriſto ſalutem.

REferentibus nobis fratribus noſtris, qui præterito tempore Romam perrexerunt, Aſcribo videlicet & Hudperto presbyteris, de ſoſpitate veſtra & benignitate, quam non ſolum erga eos, ſed etiam erga multos exhibere ſoliti eſtis, valde fateor gaviſus ſum, & Deo omnipotenti inde gratias agens, deprecabar, ut ipſe qui cœpit in vobis opus bonum perficiat uſque in diem Jeſu Chriſti, quatenus plenam mercedem de bonis operibus veſtris per Dei gratiam in futura vita percipere mereamini. Et quia prædicti fratres noſtri nobis retulerunt, vos expetere opuſculum noſtrum in laudem crucis Chriſti dudum confectum, ex veſtro verbo rogantes ut illud vobis tranſmitterem; voluntarie feci quod rogabant, & præterito anno per nuntium veſtrum Gagauzardum ad nos venientem, & id ipſum expetentem, opuſculum vobis tranſmiſi: deprecans ut habeatis illud, & coram vobis legere faciatis, & ſi quid in eo dignum atque gratum vobis reperiatis, divinæ gratiæ hoc deputeris, non humanæ ſolertiæ: ſint autem aliter quid in ipſo inveniatis, meæ imperitiæ, & fragilitati humanæ magis imputetis, quam malitiæ. qui quantum Dei dono ſapio & valeo, Chriſti famulis & Dominum timentibus atque amantibus gratum ſervitium impendere deſidero: ut ipſi pro me oretis, quatenus veniam peccatorum meorum clementiſſimus omnium ſæculorum judex mihi tribuat, & vitam conferat ſempiternam. De cetero quoque, quia divulgatum in iſtis partibus conſtat, quendam ſciolum, nomine Gotheſcalcum, apud vos manere, qui dogmatizat quod prædeſtinatio Dei omnem hominem ita conſtringat, ut etiamſi quis velit ſalvus fieri, & pro hoc fide recta atque bonis operibus certet ut ad vitam æternam per Dei gratiam veniat, fruſtra & in caſſum laboret, ſi non eſt prædeſtinatus ad vitam. quaſi Deus prædeſtinatione ſua cogat hominem interire, qui auctor eſt ſalutis noſtræ, non perditionis. Et jam hinc multos in deſperationem ſuimet hæc ſecta perduxit. ita ut dicant, Quid mihi neceſſe eſt pro ſalute mea & vita æterna laborare? quia ſi bonum fecero, & prædeſtinatus ad vitam non ſum, nihil mihi prodeſt: ſi autem malum egero, nihil mihi obeſt, quia prædeſtinatio Dei me facit ad vitam æternam pervenire. Hæc traditio multis in iſtis partibus ſcandalum eſt, & prædicatoribus Evangelii homines inobedientes facit, quia jam deſperantes de ſemetipſis eos reddidit. Dicitur enim ipſe doctor veſter multa teſtimonia excerpſiſſe de opuſculis beatiſſimi & doctiſſimi patris Auguſtini, quibus nititur ſuam ſententiam affirmare. cum memoratus pater & doctor catholicus, contra Pelagianos ſcribens, qui gratiæ Dei contrarii prædicare fuerunt, defenſor ejuſdem gratiæ, non deſtructor rectæ fidei fuerit. Nam ad Proſperum & Hilarium ſcribens, taliter de prædeſtina- A tione & præſcientia differens ait, Prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſcientia non poteſt eſſe: poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. *De Prædeſt. ſanct. c. 10.* Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit quæ fuerat ipſe facturus, unde dicitur, *Fecit quæ futura ſunt*: *Eſai. 45. ſec. lxx.* præſcire autem poteſt etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæque peccata: quia etſi ſunt quædam, quæ ita peccata ſunt, ut pœnæ ſint etiam peccatorum, unde dictum eſt, *Tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant ea quæ non conveniunt*, *Rom. 1. 28.* non ibi peccatum Dei eſt, ſed judicium. Quocirca prædeſtinatio Dei, B quæ in bono eſt, gratiæ eſt præparatio. Gratia vero eſt ipſius prædeſtinationis effectus.

Cui patri aſſentit ſanctus Hieronymus, in Ezechielis tractatu illam ſententiam exponens, qua Dominus ad Prophetam ait: *Loquere & dic ad eos, Hæc dicit Dominus Deus., ſi forte vel ipſi audiant, & ſi forte quieſcant, quoniam domus exaſperans eſt*. *Ezech. 2. 5.* Loquitur autem hæc Deus ambigentis affectu, ut liberum hominis monſtret arbitrium, ne præſcientia futurorum mali vel boni immutabile faciat quod Deus futurum noverit. C Non enim quia ille ventura cognoſcit, neceſſe eſt nos facere quod ille præſcivit: ſed quod nos propria voluntate ſumus facturi, ipſe novit futurum quaſi Deus. Scripſit quoque prædictus pater Auguſtinus libros duos de Prædeſtinatione Sanctorum, in quibus totum quod confertur homini bonum, ex gratia Dei fieri, non ex hominis libero arbitrio, ex ſententiis ſanctarum ſcripturarum ſapientiſſime oſtendit. Sed fuerunt aliqui, qui aut non intelligendo, aut intelligi ea nolendo quæ ibi recte ſcripta ſunt, in pravum ſenſum abducere conabantur. D Contra quos beatus Proſper, qui ejus doctrinæ fidelis executor fuit, reſcribendo fortiſſime reſtitit, atque convicit, de prædicto magiſtro ſanctæ Eccleſiæ non recte eos ſenſiſſe. Scriſipt enim memoratus vir, beatus ſcilicet Proſper, ad Rufinum de gratia & libero arbitrio. ſcripſit contra capitula calumniatorum Gallorum de prædeſtinatione. ſimiliter & contra capitula objectionum Vincentianarum de eadem prædeſtinatione. necnon ad excerpta, quæ ex Genuenſi civitate ei ſunt miſſa, de prædeſtinatione congruentiſſime reſpondit. In quibus omnibus Le- E ctor fidelis poteſt probare eum ſenſiſſe de prædeſtinatione Dei, ad ſalutem humanis generis, non ad damnationem fieri. Unde nunc ex dictis memorati viri aliqua excerpere nobis placuit, & in hanc epiſtolam ponere, quibus objectionibus Vincentianis ita reſpondit dicens. "Quomodo verum conſtabit, quod Deus nolit omnes ſalvare, etſi omnes ſalvari, velint, cum veritas dicat: *Si vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis pater veſter cæleſtis dabit bona petentibus ſe*? Qualiter fieri poteſt ut Deus, qui etiam illos ſalvat, de quibus dici non poteſt quod ſalvari velint, no-

Proſper Vincentian. objecti. 11. Reſponſio. Matth. 7. 11.

„lit aliquos ſalvare, etiamſi ſalvari velint, niſi
„aliquæ cauſæ exiſtant, de quibus, quamvis ſint
„nobis incognoſcibiles, ipſe tamen judicat bene,
„de quo dici non poteſt aliter eum quicquam fa-
„cere debuiſſe quam fecerit? Remota ergo hac
„diſcretione, quam divina ſcientia intra ſecre-
„tum juſtitiæ ſuæ continet, ſinceriſſime creden-
1.*Tim.*2.4. „dum atque profitendum eſt, Deum velle ut om-
„nes homines ſalvi fiant. Si quidem Apoſtolus,
„cujus iſta ſententia eſt, ſollicitiſſime præcipit,
„quod in omnibus Eccleſiis piiſſime cuſtoditur,
„ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur. ex
„quibus quod multi pereunt pereuntium eſt me-
Objectio „ritum, quod multi ſalvantur, ſalvantis eſt do-
Vinc. 10. „num. Ut enim reus damnetur, inculpabilis eſt
„Dei juſtitia: ut autem reus juſtificetur, ineffa-
Reſponſio. „bilis Dei gratia eſt. Item dicunt, quod major
„pars generis humani ad hoc creetur a Deo, ut
„non Dei, ſed diaboli faciat voluntatem. Inſa-
„num omnino, & contra rationem eſt, dicere
„voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri,
*Luc.*19. 10. „& Deum damnatorem diaboli, ejuſque famulo-
„rum, velle ut diabolo ſerviatur. Sed hoc ca-
„tholicis Pelagiani conſequenter ſe objicere exi-
„ſtimant, qui Adæ peccatum tranſiiſſe in omnes
„diffitentur: quoniam ſi primam nativitatem ori-
„ginalis culpa non obliget, non ſint obnoxii dia-
„bolo parvuli, nec indigeant erui de poteſtate
„tenebrarum, qui nunquam a ſuo auctore diſceſ-
„ſerint. Nos autem, qui omnes in Adam periiſ-
Objectio „ſe profitemur, (*venit enim filius quærere &*
VII.VIII. „*ſalvare quod perierat*) nec dicimus ideo creari
IX. X. „quemquam hominem ut diaboli faciat volunta-
„tem, & agnoſcimus omnem hominem non re-
„demptum diaboli eſſe captivum. Prævaricatio
„enim hominis diſpoſitæ a ſæculis creationis or-
„dinem turbare non potuit: & merito creatura
„peccatrix pœnalem dominationem illius patitur,
„cui relicto vero Domino ſponte ſe vendidit.
„Hæc quippe ſervitus non inſtitutio eſt Dei, ſed
„judicium. Qui autem dicunt, quod hæc ſit vo-
„luntas Dei, ut magna pars Chriſtianorum ſal-
Reſp. ad „va eſſe nec velit, nec poſſit: aut dicunt, quod
Object. X. „Deus nolit ut omnes catholici in fide catholi-
„ca perſeverent, ſed velit ut magna exinde pars
„apoſtatet, aut a ſanctitatis propoſito ruat: aut
„quod adulteria & corruptelæ virginum ſacra-
Pſ. 24. 10. „rum ideo contingant, quia illas Deus adhoc
„prædeſtinavit ut caderent, nimis perverſe ſen-
„tiunt, & nequiter hoc dicunt. Quia deteſtanda
„& abominanda opinio eſt, quæ Deum cujuſ-
„quam malæ voluntatis, aut malæ actionis cre-
„dit auctorem, cujus prædeſtinatio nunquam ex-
„tra bonitatem, nunquam extra juſtitiam eſt. *U-*
„*niverſæ enim viæ Domini miſericordia & veri-*
„*tas*. Adulteria enim maritarum, & corruptelas
„virginum non inſtituere novit ea divinitas, ſed
„damnare, nec diſponere, ſed punire. Quæ ma-
„la homines cum admittunt, ſuis concupiſcentiis
„& cupiditatibus ſerviunt, quas ab illa prima
„voluntariæ prævaricationis labe traxerunt. Sed
„nullo modo credendum eſt, hujuſmodi homines
in hanc deſperationem ex Dei voluntate ceci-
diſſe, cum potius allevet Dominus omnes qui
corruunt, & erigat omnes eliſos. Nemo enim
niſi illius gratia ſtabilitur. Dei ergo voluntas
eſt, ut in bona voluntate maneant, & priuſ-
quam deſeratur neminem deſerit. In libello igi-
tur, quem ſupra memoratus vir contra capitu-
la calumniatorum Gallorum ſcripſit, juxta fi-
Sententia „nem ejuſdem libri ita ſubnexuit dicens. Quiſ-
I. „quis igitur ex prædeſtinatione Dei, velut fatali
„neceſſitate, homines in peccata compulſos cogi

dicit in mortem, non eſt catholicus. Nullo“
enim modo prædeſtinatio Dei homines iniquos“
facit, neque cujuſquam omnino eſt cauſa pec-“
cati. Item, Qui dicit quod ab iis qui non ſunt“ *II.*
prædeſtinati ad vitam, non auferat percepta ba-“
ptiſmi gratia originale peccatum, non eſt ca-“
tholicus. Sacramentum enim baptiſmatis, quo“
omnia prorſus peccata delentur, etiam in eis“
verum eſt, qui non ſunt in veritate manſuri,“
& ob hoc ad veram vitam non ſunt prædeſti-“
nati. Item, Qui dicit, quod non prædeſtinati“ *III.*
ad vitam, etiamſi fuerint in Chriſto per ba-“
ptiſmum regenerati, & pie & juſte vixerint,“
nihil eis proſit, ſed tamdiu reſerventur donec“
ruant, nec ante eos ex hac vita, quam hoc eis“
contingat, auferri, tamquam ad conſtitutionem“
Dei talium hominum ruina referenda ſit, non“
eſt catholicus. quia non ideo Deus tempus ætа-“
tis cuiquam prorogavit, ut diu vivendo corrue-“
ret, & a fide recta in ſua longævitate defice-“
ret. cum inter beneficia Dei numeranda ſit ip-“
ſa longævitas, qua homo melior debuit eſſe“
non pejor. Item, Qui dicit, quod non omnes“ *IV.*
vocentur ad gratiam, ſi de iis loquitur, qui-“
bus Chriſtus adnuntiatus non eſt, reprehendi“
non debet. quia ſcimus quidem in omnes fines“
terræ evangelium deſtinatum, ſed non putamus“
jam in omnibus terræ finibus prædicatum: nec“
poſſumus dicere, quod ibi ſit gratiæ vocatio,“
ubi matris Eccleſiæ adhuc nulla eſt regenera-“
tio. Item, Qui dicit, quod qui vocati ſunt,“ *V.*
non æqualiter vocati ſint, ſed alii ut crede-“
rent, alii ut non crederent, quaſi cuiquam vo-“
catio cauſa fuerit non credendi, non recte di-“
cit. Quamvis enim fides non ſit niſi ex Dei“
dono & hominis voluntate, infidelitas tamen“
non eſt niſi ex ſola hominis voluntate. Item,“
Qui dicit, quod liberum arbitrium in homine“
nihil ſit, ſed ſive ad bonum ſive ad malum“ *VI.*
prædeſtinatio Dei in hominibus operetur, non“
eſt catholicus. Arbitrium enim hominis gratia“
Dei non abolet, ſed adolet, & ab errore in“
viam revocat ac reducit, ut quod ſua liberta-“
te erat pravum, ſpiritu Dei agente ſit rectum.“
Prædeſtinatio quoque Dei ſemper in bono eſt,“
quæ peccatum, ſola hominis voluntate commiſ-“
ſum, aut remittendum novit cum laude miſe-“
ricordiæ, aut plectendum cum laude juſtitiæ.“
Item, Qui dicit, quod Deus quibuſdam filiis“ *VII.*
ſuis, quos regeneravit in Chriſto, quibus fidem,“
ſpem, dilectionem dedit, ob hoc perſeverantiam“
non dederit, quia a maſſa perditionis præſcien-“
tia Dei & prædeſtinatione non ſint diſcreti; ſi“
hoc vult firmare, quod Deus hujuſmodi homi-“
nes in bonis quæ donaverat noluerit permane-“
re, & ipſe eis cauſa averſionis extiterit, con-“
tra juſtitiam Dei ſentit. Quamvis enim omni-“
potentia Dei potuerit vires ſtandi præbere la-“
pſuris, gratia tamen ejus non prius eos deſe-“
ruit, quam ab eis deſereretur. Et quia hoc“
ipſos voluntaria facturos defectione prævidit,“
ideo in prædeſtinationis electione illos non ha-“
buit. Item, Qui dicit, quod non omnes homi-“
nes velit Deus ſalvos fieri, ſed certum nume-“ *VIII.*
rum prædeſtinatorum, durius loquitur quam lo-“
quendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ“
Dei, qui & omnes vult ſalvos fieri, & ad agni-“ 1. *Tim.* 2.4.
tionem veritatis venire, & voluntatis ſuæ pro-“
poſitum in eis implet, quos præſcitos prædeſti-“
navit, prædeſtinatos vocavit, vocatos juſtifica-“
vit, juſtificatos glorificavit. nihil omittens de“
plenitudine gentium, & de omni ſemine Iſrael,“
cui præparatum eſt in Chriſto regnum æternum“

„ ante conſtitutionem mundi. Ex toto enim mun-
„ do totus mundus eligitur, & ex omnibus homi-
„ nibus omnes homines adoptantur . Nec poteſt
„ ullo modo per infideliratem atque inobedien-
„ tiam multorum, Dei promiſſio vacillare, dicen-
Geneſ.22. 18. „ tis ad Abraham: *In ſemine tuo benedicentur om-*
„ *nes gentes*. Quod autem promiſit potens eſt &
Rom. 4. 21. „ facere , ut & qui ſalvantur ideo ſalvi ſint ,
„ quia illos voluit * Dominus ſalvos facere : &
* Proſp. „ qui pereunt, ideo pereant quia perire merue-
edit. Deus „ runt. In eo autem quod Apoſtolus ait : *Non*
ſalvos fieri. „ *enim omnium eſt fides* , cur omnibus fides non
„ detur, non debet fidelem movere, qui credit ex
Ad excerpta Genuenſ. vi. „ uno omnes iſſe in condemnationem ſine dubita-
„ tione juſtiſſimam : ita ut nulla eſſet Dei juſta
2. Theſſ. 3. „ reprehenſio , etiam ſi nullus inde liberaretur .
„ Unde conſtat magnam eſſe gratiam quod pluri-
„ mi liberantur, & quid ſibi deberetur in eis qui
„ non liberantur agnoſcunt: ut qui glorientur ,
„ non in ſuis meritis, quæ paria vident eſſe dam-
„ natis, ſed in Domino glorientur . Cur autem
„ iſtum potius, quam illum liberet , inſcrutabilia
„ ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus .
Object. „ Quare in præteritis ſæculis dimiſerit Deus om-
viii. Gal. „ nes gentes ingredi vias ſuas, quando Jacob ele-
Reſp. „ git ſibi Dominus, & non fecit taliter omni na-
Pſal. 134. 4. „ tioni, & judicia ſua non manifeſtavit eis, & cur
Pſal. 147. „ qui aliquando non populus, nunc autem popu-
20. „ lus Dei diceretur : & quorum aliquando non
1. Petr. 2. „ miſertus, nunc autem miſereatur, & ubi dictum
10. „ eſt, Non plebs mea vos, ibi vocentur filii Dei
Oſee.2. 24. „ vivi . & , quare quod quærebat Iſrael non ſit
„ conſequutus, electio autem conſecuta eſt, cete-
Rom.9.26. „ ri vero excæcati ſunt , impoſſibile eſt compre-
„ hendere, & periculoſæ curioſitatis eſt quærere .
Rom.11.7. „ Cum tamen quod nulla ſit apud Deum iniqui-
„ tas, nemini liceat ignorare. quod nec alia gra-
2. Par. 19.7. „ tia , aut alia fide quemquam hominum , ſive
„ ante legem, ſive legis tempore, juſtificatum eſ-
„ ſe credendum ſit, quam hæc eadem. per quam
„ Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſecundum conſi-
„ lium voluntatis ſuæ in fine ſæculorum venit
„ quærere & ſalvare quod perierat . Cauſas vero
„ operum & judiciorum Dei, qui ex toto ad hu-
„ manas voluntates & actiones refert , quas ta-
„ men in parvulorum adoptione aut abdicatione
„ non invenit; & diſpenſationes Dei ex liberi ar-
Rom.11.33. „ bitrii vult mutabilitate variari : profitetur ſibi
„ eſſe ſcrutabilia judicia Dei, & veſtigabiles vias
Sententia IX. „ ejus, & quod doctor gentium Paulus non au-
„ debat attingere, hic ſe æſtimat reſeratum poſ-
„ ſe vulgare. Item, Qui dicit, quod non pro to-
„ tius mundi redemptione Salvator ſit crucifixus,
„ non ad ſacramenti virtutem , ſed ad fidelium
„ reſpicit partem , cum ſanguis Chriſti pretium
„ totius mundi ſit. a quo pretio extranei ſunt ,
„ qui aut delectati captivitate redimi noluerunt ,
„ aut poſt redemptionem ad eandem ſunt ſervi-
„ tutem reverſi. Non enim cecidit verbum Do-
„ mini , neque evacuata eſt mundi redemptio :
„ quia etſi non cognovit mundus Deum in vaſis
„ iræ, cognovit tamen mundus Deum in vaſis mi-
„ ſericordiæ, quæ Deus, nullis eorum meritis præ-
„ cedentibus, eruit de poteſtate tenebrarum , &
„ tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ. Item,
„ Qui dicit , quod quibuſdam Evangelii prædica-
Sententia X. „ tio a Domino ſubtrahatur, ne percepta Evan-
„ gelii prædicatione ſalventur ; poteſt objectionis
„ invidiam declinare patrocinio ipſius Salvatoris,
„ qui apud quoſdam, quos ait fuiſſe credituros ,
Matth.11. 21. „ ſi mirabilium ejus ſigna vidiſſent, noluit opera-
„ ri. & quibuſdam populis vetuit Apoſtolos evan-
„ gelizare, & nunc aliquas adhuc gentes patitur

A extra gratiam ſuam degere : cum tamen con- „
ſtantiſſima fide perceptum habeamus , in omnes „
mundi partes Eccleſiam dilatandam , nec ante „
eſſe hoc ſæculum finiendum, quam in univerſos „
fines terræ evangelium dirigatur, *& omnis lin-* „ Philip.2.11.
gua confiteatur, quoniam Dominus Jeſus in gloria „ Sententia XI.
Dei patris eſt. Item, Qui dicit, quod per poten- „
tiam Deus homines in peccata compellat, meri- „
to reprehenditur. Nec enim Deus, qui juſtitiæ „
ac bonitatis auctor eſt, & cujus omnia ſtatuta „
& mandata contra peccatum ſunt , quemquam „
ad peccatum cogere , & ab innocentia in faci- „
nora præcipitare credendus eſt . Si qui autem „
tam profundæ impietatis ſunt , ut extra reme- „
B dium correptionis habeantur; non a Deo incre- „
menta iniquitatis accipiunt , ſed per ſemetipſos „
deteriores fiunt, qui relinqui a Deo, & ſibi ac „
deceptoribus ſuis tradi propter præcedentia pec- „
cata meruerunt, ut eis peccatum ſit ipſa etiam „
pœna peccati. Item, Qui dicit, quod quibuſdam „
vocatis , & pie juſteque viventibus , obedientia „ Sententia XII.
ſubtrahatur ut obedire deſiſtant ; male opinatur „
de bonitate Dei atque juſtitia , ut videatur ad „
impietatem pios cogere , & innocentiam bonis „
adimere, cum ipſe ſit pietatis atque innocentiæ „
largitor & cuſtos. Qui ergo Deo adhæret, ſpi- „
ritu Dei agitur: qui autem a Deo recedit, pro- „
pria voluntate obedire deſiſtit. Item, Qui dicit, „ Sententia XIII.
C quod quidam hominum non ad hoc a Deo crea- „
ti ſunt, ut vitam adipiſcerentur æternam , ſed „
ut habitum tantummodo ſæculi præſentis orna- „
rent, & ad utilitatem naſcerentur aliorum; me- „
lius loqueretur dicens, quod Deus, qui creator „
eſt omnium, non fruſtra etiam eos condat, quos „
prævidit vitæ æternæ participes non futuros . „
quia etiam in malis hominibus bonum Dei opus „
eſt ipſa natura , & laudabilis eſt in impiorum „
damnatione juſtitia . Non poteſt autem merito „
reprehendi qui dicit, quod etiam talium condi- „
tione mundus ornetur , & quod hi qui ſibi ſua „
D iniquitate nocituri ſunt , ad utilitatem naſcan- „
tur aliorum. Neque enim quamlibet innumerabi- „
lis multitudo impiorum indecora eſt mundo, aut „
inutilis Dei regno, cum etiam per ipſorum ve- „
niat propaginem regeneranda generatio, & in eis „
tolerandis ac diligendis populus Dei fiat illuſtrior, „ Matth.5.
diſcens bonitatem & patientiam ab illo qui *pluit* „ 45.
ſuper juſtos & injuſtos, & ſolem ſuum oriri fa- „
cit ſuper bonos & malos. Item, Qui dicit, quod „ Sententia XIV.
qui evangelicæ prædicationi non credunt , ex „
Dei prædeſtinatione non credant ; & quod Deus „
ita definierit , ut quicumque non credunt , ex „
ipſius conſtitutione non credant ; non eſt catho- „
licus. Sicut enim fides, quæ per dilectionem o- „
peratur, Dei donum eſt; ita infidelitas conſtitu- „
tio Dei non eſt , quia Deus pœnas criminum „
novit ordinare , non crimina . Nec conſequens „
E eſt , ut quod non remiſerit , ipſe commiſerit . „
Prædeſtinatus itaque vivit in fide ſibi donata : „
non prædeſtinatus perit infidelitate voluntaria , „
non coacta. Item, Qui dicit , quod idem ſit præ- „ Sententia XV.
ſcientia quod prædeſtinatio, in bonis ſine dubio „
operibus noſtris duo iſta permiſcet . Quæ enim „
ex Dei munere habemus, & quæ præſcita dicun- „
tur, non poſſunt non eſſe prædeſtinata, & quæ „
prædeſtinata appellantur non poſſunt non eſſe „
præſcita . In malis autem operibus noſtris ſola „
præſcientia Dei intelligenda eſt: quia ſicut præ- „
ſcivit & prædeſtinavit quæ ipſe facit, & ut fa- „
ceremus dedit: ita præſcivit tantum, non etiam „
prædeſtinavit , quæ nec ipſe fecit, nec ut face- „
remus exegit. „

His ergo omnibus ita ex ſacris Doctoribus
proba-

probatis atque in diverſis opuſculis ſuis diverſo
ſtylo, non diverſa fide probatis, bonum mihi
videtur, ut novelli doctores ſanctorum Patrum
& catholicorum doctorum ſequantur veſtigia,
non a recto tramite eorum traditionis in erro-
ris devia ſecedentes corruant: quia ſacra ſcri-
ptura dicente, via regia gradiendum eſt his qui
ad vitam volunt pervenire æternam. neque ad
dexteram, neque ad ſiniſtram a quoquam teme-
re declinandum. quia ſicut via recta ducit ad
vitam, ſic devia errorum ad mortem tendunt
perpetuam. Unde Propheta Dominum precatur
Pſal. 85. 11. dicens: *Deduc me Domine in via tua, & am-*
Pſal. 26. 11. *bulabo in veritate tua*. & item: *Deduc me Do-*
mine in ſemita recta, propter inimicos meos. &
Pſal. 118. 29. & 30. item: *Viam iniquitatis amove a me, & in le-*
ge tua miſerere mei. Viam veritatis elegi, judi-
cia tua non ſum oblitus. Quæ ſit autem hæc via
recta, & via veritatis, ipſa veritas in Evange-
Joan. 14. 6. lio oſtendit dicens: *Ego ſum via & veritas &*
Joan. 8. 12. *vita: qui ſequitur me non ambulat in tenebris,*
ſed habebit lumen vitæ. & alibi: *Ego ſum*, in-
Joan. 10. 9. quit, *oſtium, per me ſi quis introierit ſalvabi-*
tur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua in-
veniet. Ille autem qui dicit; ſicut prædicanda
pietas, pudicitia, & caritas, & cæteræ virtutes,
ita prædeſtinatio prædicanda eſt: ut qui obe-
dienter hæc audit, non in homine, ac per hoc
ne in ſe ipſo, ſed in Domino *glorietur*; bene hoc
dicit, ſi diſcrete, & ſecundum auditorum quali-
tatem, prædicationem ſuam temperat. ne forte
infirmus auditor inde ſcandalum ſumat, unde
debuit vitam haurire. In ſcrutando autem &
meditando ſcripturas ſacras, oportet lectorem cau-
te & prudenter agere, ne forte velit plus ſapere
quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem,
& ſecundum rationem fidei. Unde etiam Sa-
Prov. 25. 16. pientia per parabolam docet dicens: *Mel inveni-*
ſti, comede quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus evo-
mas illud, & perjures nomen Dei. Et ſimiliter
qui docet alium, ſic debet ſermonem doctrinæ
temperare, ut qui audit verum audiat, & qui
audit intelligat. ſic enim Apoſtolicam formam
in docendo ſervat, quod quibuſdam auditoribus
ſuis ait: *Ego, fratres, non potui vobis loqui*
1. Cor. 3. 1. *quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: tam-*
quam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi,
non eſcam. Nondum enim poteratis, ſed nec ad-
huc quidem poteſtis. Sapientiam autem loquimur
inter perfectos: ſapientiam autem non hujus ſæ-
culi, neque principium ſæculi, qui deſtruuntur;
ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ ab-
ſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcu-
1. Cor. 14. 40. *la in gloria noſtra*. Unde & alibi idem Apoſtolus
hortatur dicens: *Omnia veſtra ad ædificationem*
fiant, & omnia honeſte ac ſecundum ordinem
fiant. Hinc quidam doctorum rectiſſime ait,
Doloſi autem vel imperiti medici eſt, etiam
utile medicamentum ſic alligare, ut arte non
poſſit abſolvi. Unde & in lege veteri per Moy-

A ſem Dominus mandat dicens: *Si quis aperuerit*
ciſternam, & foderit, & non operuerit eam, ceci- Exod. 21. 33.
deritque bos aut aſinus in eam, reddet Dominus ci-
ſternæ pretium jumentorum. Cujus figuræ myſte- Moral. XVII. cap. XIV.
rium beatus Gregorius exponit dicens, Quid eſt
aperire ciſternam, niſi intellectu valido ſcriptu-
ræ arcana penetrare? Quid autem per bovem
& aſinum, id eſt mundum immundumque ani-
mal, niſi fidelis quiſque, & infidelis accipitur?
Qui ergo ciſternam fodit, eam cooperiat, ne il-
luc bos vel aſinus ruat. Id eſt qui in ſacro e-
loquio jam alta intelligit, ſublimes ſenſus coram
non capientibus per ſilentium tegat, ne per ſcan-
B dalum mentis, aut fidelem parvulum, aut infi-
delem qui credere potuiſſet interimat. Ex morte
enim jumentorum debet pretium, qui illud ſci-
licet admiſiſſe convincitur, unde ad agendam pœ-
nitentiam reus tenetur. Quiſquis namque ad al-
ta ſcientiæ fluenta perveniens, cum hæc apud bru-
ta audientium corda non contexerit, pœnæ reus
addicitur, ſi per verba ejus in ſcandalum, ſeu
munda, ſeu mens immunda capiatur. Operien-
da eſt itaque ciſterna, quia coram parvulis men-
tibus tegenda eſt alta ſcientia, ne unde cor do-
centium ad ſumma attollitur, inde infirmitas au-
ditorum ad ima delabatur.) Non omnia poſſu-
C mus omnes. Sed unuſquiſque noſtrum proprium
habet donum ex Deo, alius ſic, alius vero ſic.
Unde & Salvator in Evangelio divinitus ad hoc
diſcipulorum ſuorum perpendens imbecillitatem
ait: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non*
poteſtis portare modo: cum autem venerit ille ſpi- Joan. 16. 12.
ritus veritatis, docebit, &c. Si enim Dominus
noſter auditorum ſuorum penſabat qualitatem,
qui nos ſumus, ut in omnibus omnia æquali-
ter prædicanda eſſe cenſeamus? Maxime cum ip-
ſe Dominus dicat, *Qui ſcandalizaverit unum de*
puſillis iſtis, qui in me credunt, &c. Inſipiens
medicus eſt, qui malagma ſuum ita format,
D ut impoſitum magis noceat, quam expediat æ-
groto. Sapiens autem medicus primum explo-
rat ægritudinem infirmitatis, & ſic bene tem-
perando juxta qualitatem ægritudinis adhibet
medicinam ſalutis. Hæc ergo, amice cariſſime,
ideo tibi ſcripſi, ut cognoſceres quale ſcandalum
de illis partibus opinio veniens in hoc populo
generavit, & ſi quis manens apud te docet quæ
rectæ fidei ſunt contraria, prohibeas eum ut ceſ-
ſet ab hac ſecta, dicaſque ei, vide frater ne
E hac licentia tua in prædicando offendiculum fiat
infirmis, & tuo dogmate ne perdas eum, pro
quo Chriſtus mortuus eſt, quia ſanguis ejus re-
quiretur de manu tua. Confido enim te, vir
venerande, bene eſſe Chriſtianum, nec aliquid
te habere velle in tua manſione, quod Evan-
gelio Chriſti adverſetur, ſed magis hoc quod
placeat Deo, & ad ſalutem pertinet anima-
rum. In qua voluntate, & in quo ſtudio divi-
nitas Domini noſtri Jeſu Chriſti incolumem in
æternum te conſervare dignetur.

FINIS.

I N D E X
RERUM ET VERBORUM.

A

AAron in vitulo peccat, 574. e 575. a *ibid.* b, pœnitentiam egiſſe credendus eſt, 569. b
Abar deformis, 859. v. 93.
Abel ſacrificium, 199. v. 31.
Abel ſecundus, Flavianus, 339. e 577. b
Abraham maximus patriarcharum, 9. e 12a. c, auctor utriuſque teſtamenti 10. e, Trinitatis ſacramentum intellexit 110. c, ſalvatus per Chriſtum, 110. e
Abraham cum divite colloquium, 10. d 153. v. 280. ex ſemine Chriſtus, 9. e 11. a, filii ſunt fideles per lavacrum, 113. e
Abraham patriæ ſe & cognationi ſuæ voto mutandæ religionis excuſſit, 219. e
Abrenunciatio in baptiſmo, 687. a
Abſens nemo damnandus, 412. b 522. c
Abſtinentiæ commendatio, 731. e
Acacius Conſtantinopolitanus 12. c
Acacius epiſcopus Conſtantinopolitanus cur damnatus, 589. c 590. c 595. d, ab ordinandis Epiſcopis per libellos etiam mortuus damnatur, 589. d
Acephali Semieutychiani, Eutychianorum ſchiſmatici, 316. e d 382. e impugnatores Concilii Calchedonenſis, 299. a, a *Zenone* admiſſi in Eccleſiam, 580. b, fingunt ſe venerari Cyrillum, 424. d e, Acephalorum unio promiſſa ſi tria capitula damnarentur, 303. a 341. c alacres de eorum damnatione, 593. a
Accuſationis ordo & forma, 522. c d e, accuſatione non prolata nullus damnatur hæreticus, 520 e 521. a
Accuſator jurare ſolitus per nomen domini, 522. d
Adami creatio, 127. v. 73. 635. v. 212. ſomnus & conjugium, 129. v. 144. 946. c, vita in paradiſo, 133. v. 300. 946. e, peccatum 141. v. 252. 947. b, excuſatio, 149. v. 98. exilium, 151. v. 195. mala ex peccato nata, 155. v. 311.
Adæ peccatum tranſiſſe in omnes negant Pelagiani, 1021. b, Adam non peccaret niſi vellet, 947. b 949. b, poſt peccatum ſenſit concupiſcentiæ appetitum, *ibid.* d, peccante Ada omnes in eo peccaverunt, 948. b 957. b, quam grave fuit, 950. a, ex ejus peccato natura hominis vitiata, 953. e
Adę ſomnus dominicæ mortis figura, 112. e 129. v. 160
Adoptio filiorum an a Chriſto ſuſcepta, 507. b
Adverſitas ſanctorum juſtitiam clariorem facit, 458. d
Adulantium laudibus falluntur principes, 582. b, aſſentatio ſuavis videtur, ſed pernicioſe recipitur, 583. b
Adulterii gradus varii, 64. d
Ægenſis Eccleſia, 373. d
Ægypti decem plagæ, 621. Carm. xx.
Ægyptii Epiſcopi exules ſub Valente, 371. c 377. e, Clerici apud Conſtantinopolim, 572. c
Æliæ urbis Antiſtes, 36. a
Æonius Arelatenſis Epiſcopus, 221. e 225. d
Ætates hominum ſex, 651. v. 189.
Aetiani hæretici, 482. b
Aeriani, qui & Eunomiani, 482. b
Africani Epiſcopi Pelagianam hæreſim detegunt, 440. b, vitant communionem eorum qui tria capitula damnarunt, 587. b 591. b 595. e, baptizandos decernunt hæreticos, 595. e
Affectum quorumlibet perſonæ, 219. b
Agathe urbs, 741. v. 135
Agaunenſium Sanctorum Baſilica, 93. *num.* 7. martyrium, 97. b
Agnelli teſtimonium de Spiritus S. proceſſione, *in epiſt. ad Nonium*, 727. a
Agrippinus Epiſcopus Carthaginenſis, 519. a
Agrorum prodeſſe uſus poterit, ſi non nocuerit appetitus, 219. d
Ajultus Epiſcopus Bituricenſis, 819. v. 233. ejus elogium, v. 235.
Alaricus rex, 60. b, Rex Getarum, 78. e
S. Albini Ædes, 777. v. 359
Albis Flu. 739. v. 106
Flaccus Alcuinus, 799. v. 381. 795. v. 191. Poeta & ſophiſta, 793. v. 133
Alexandriæ Eutychianorum pars magna, 370. a
Alexandrina ſedes ſecundi honoris privilegium habet, 401. e
Alius & alius in Trinitate, non aliud & aliud, 318. b. aliud & aliud in Chriſto, non alius & alius, *ibid.* 319. d, alius adſumens, alius adſumptus, quo ſenſu dictum a quibuſdam patribus ante Neſtorium exortum, 502. b 504. c
Alpes, 739. v. 113.
Ad Altare non accedant fœminæ dum miſſa celebratur, 668. c
Ambroſii hymnus, 309. d, libri ad Gratianum, 317. e
Ambroſii teſtimonia de Spiritus S. proceſſione, *lib.* 1. *ad Gratianum* Imperatorem, 705. e *lib.* 3. 707. a, *eodem lib.* 707. da
Ambroſius. 990. 997.
Ambroſius omnes partes Heſperias illuſtravit, 461. b, arx fidei, 472. e, orator catholicus, *ibid.*
Ambroſio caſtigante Theodoſius publicam ſuſcepit pœnitentiam, 584. c. 585. a
Amphilochius Epiſcopus Iconii probatiſſimus doctor, 461. b 542. e, ſimilia quædam ejus dicta Neſtorianis, 543. a b c d 544. a, Amphilochii ſermo de eo, *Qui miſit me pater* &c. 543. a, De eo, *Aſcendo ad patrem meum*, 543. c, De eo, *Pater ſi fieri poteſt, tranſeat*, &c. 544. a inter orthodoxos Epiſcopos laudatus a Theodoſio Imp. 379. a,
Amolo Lugdunenſis Epiſcopus 893. ad Gotheſcalcum ſcribit ibid. ejus opuſculum de prædeſtinatione divina, & de libero arbitrio, 903. b, item aliud, 807. a
Anania propheta regem Aſa redarguit, 413. b
Ananienſe Monaſterium, 779. v. 449.
Anaſtaſius Imp. 5. b. 82. c, Cæſar Græcorum, 5. c Rex Orientis, 12. b, princeps clementiſſimus, 58. b, glorioſiſſimus, 59. b 82. e. 84. c.
Anathema melius eſt audire cum Chryſoſtomo, quam ei dicere, 457. b, anathema in eos dici non ſolet, qui anathema hæreticis non dicunt, quos neſciunt, 345. d
Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus ab Eutychianis ejecto Flaviano ordinatus, 333. b 399. b, reprehenſus a Leone quod in Concilio priore loco ſederit, quam Maximus Antiochenus, 342. b 399. b 401. e 402. d 404. d 405. e, Dioſcorum non propter fidem damnatum dixit, 390. b 399. d 400. d 433. c 439. c Eutychianum dogma damnavit, 401. b Anatolii de Iba reſtituendo ſententia, 390. b
Anatolius diaconus Eccleſiæ Romanæ cum Pelagio ſcribit ad Ferrandum Carthaginienſem, 382. c
Ancyra civitas provinciæ primæ Galatiæ, 302. c
Andegavorum urbs, 775. v. 353.
Angeli Deo preces & opera noſtra offerunt, 116. a 163. v. 190. Chriſti reſurrectionem nunciant mulieribus, 205. v. 250.
Angera flu. 827. v. 455.
Angilbertus, 797. Carm. 111.
Anianus, 781. v. 518.
S. Aniani Ædes, 777. v. 518. altare, 779. v. 445.
Ananienſe monaſterium, 779. Carm. 6.
Anima hominis immortalis, 946. a, ejus dignitas, ibid. quantum præſtet corpori, *ibid.*
Animæ & corporis ſimilitudo, qua Eutychiani ad naturæ unitatem in Chriſto utebantur, conſutata, 321. 322. convenientius ad perſonæ unitatem a patribus uſurpata, 321. d. 502. e, anima ſine corpore torquetur, 555. a, animæ anguſtia in corpore unde ſit, 557. b
Animantia ambigena, 625. Carm. xx11.

Anthimus Tyanorum Epiſcopus, 529. b
Antichriſti tempus, 879. Carm. xxiii.
Antidicomaritæ hæretici, 482. b
Antidotum, ſi morbus non ſit, non ſine ſuſpicione auferendæ ſalutis ingeritur, 331. e 332. b
Antiochena ſedes tertiam dignitatem obtinet, 401. e 404. d, Antiochena omnis Eccleſia 516. a
Antiquitas multum roboris ad auctoritatem addit, 450. e
Apolinarius, 377. d
Apollinaris Epiſcopus frater Aviti, 31. a, ejus ſomninm, 31. a, fratri auctor ut edat poemata, 223. *in Prologo* 197. *in Præfatione*.
Apollinaris Sidonii filius, 53. d, ab Alarico rege illæſa gratia redux, 60. b, Aviti poemata probat, 60. d
Apollinaris hæreſiarcha, 347. a 378. a 586. b, Vitalem ordinat Antiochiæ 372. d, accuſat Paulinum Antiochenum, 377. d, item Epiphanium & Diodorum, 377. e 378. a, contra Diodorum ſcribit, 472. c 474. a
Apollinaris dogma, 414. c 418. e, partem ſubſtantiæ Verbi putabat in carnem fuiſſe converſam, 505. d 506. b 508. d, naturarum in Chriſto diverſitatem confundebat, 423. e, idem natura templum & Verbum Dei docebat eſſe, 427. b
Apollinariſtæ progenitores Eutychianorum, 423. e 427. b 471. c 484. e 598. a, auctores, 496. e, Theodorum Mopſueſtenum cum ejus capitulis abdicari quærunt, 598. a, Apollinariani gregem Dei vaſtant, 458. a b 459. a, inſamant Eccleſiæ catholicæ doctrinam, 505. d. Hominicolas videri volunt orthodoxos, 495. e
Apollinariſtæ humanam in Chriſto naturam evacuant, 352. d, carnis & animæ naturam ſine mente aſſumptam credunt, 495. a, carnem ex utero Virginis, habuiſſe negant, 505. e, etiam in carne conſubſtantialem dicebant patri, 505. c
Apolliuariſtæ Synuſiaſtæ, 471. e
Apoſtolatus veſter, Symmacho Papæ, 36. a 43. a, Hieroſolymitano, 39. b, Ravennati, 53. a, Vienneuſi, 70. a
Apoſtoli aliquando fuerunt in fide imperfecti, nunquam tamen hæretici, 565. e, rationem eorum quæ ſcribunt non pandunt, 570. c
Apoſtolica ſedes corripere ſolita excedentes a fide, 383. b, ſine Apoſtolica ſede nihil acturum ſe Mennas promiſit, 383. c.
Aquina urbs, 741. v. 152
Ara citra Jordanem extructa cauſa deſſidii, 452. a e
Arabs eudæmonicus, 859. v. 72.
Arar flu. 739. v. 106. & 111.
Arator, 711. v. 23
Arauſinæ terræ, 741. v. 129
Arbor ſcientiæ boni & mali, 133. v. 310. 946. c
Arca Noe, 165. v. 239. *& ſeq.*
Arcanarum artium origo, 141. v. 277.
Archadius, 50. b 61. c
Arcbidias, 72. d
Archimandrita Eutyches 5. d
Arelas urbs, 741. v. 146.
Argyra, 859. v. 65
Arimini ſubacti in Arrianorum dogma Epiſcopi, 400. c 578. b 598. e
Ariſtarchus poeta, 629. v. 21
Arriani germinis lolium, 40. b
Arriani refutantur 206. e, *& ſeq.* 221. e 223. *& ſeq.* collati cum paganis 95. b e, nonnulli ad fidem catholicam reducti, 226. e ex Arriana hæreſi converſi Segiſricus & ejus ſoror, 93. *num.* 8
Arriani de Sabelliana hæreſi orthodoxos inſamabant, 303. e minorem patre filium dicebant, 310 e, carnis tantum naturam aſſumptam credunt, 495. a, abuſi verbis *Pater major me eſt*, 506. d
Arrius in urbe Nicæna damnatus, 333. b, negat filium unius cum patre eſſe ſubſtantiæ, 530.
Arſacius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, 369. a
Artemon hæreticus hominem purum dicens Chriſtum, 347. b d
Artifices ſinguli ſuas habent officinas & magiſtros, 581. d
Aſa rex Juda laudatus, licet in multis deliquerit, 413. a, *& ſeq.*
Aſcendit in cœlum ſolus Chriſtus, 218. a
Aſtronomiæ icon, 815. v. 143.
Atala, 781. v. 520.
Ata flu. 739. v. 106. & 112.
Athanaſii teſtimonia de Spiritus Sancti proceſſione ex patre & filio, *lib.* VIII. *contra Arrianos*, 697. a, *lib.* I. *contra eoſdem*, 699. e, *lib.* IV. *contra objectiones Potentini Urbici*, 699. c, *lib.* VIII. *de profeſſione regula catholica*, 700. b, *lib.* XI. *adverſus hæreticos*, 700. d, *in ſymbolo*, 702. e
Athanaſius divinus Papa, 373. a, ter beatus Papa, 377. d, nobilis, 468. a, Trinæ unitatis aſſertor & doctrina & paſſionibus, cujus tota vita martyrium fuit, 527. a, millia millium certamina pro evangelicis dogmatibus paſſus, 461. b. germanum ſpecimen & probabile catholicæ doctrinæ atque virtutis exemplum, 525. e magiſter militiæ Chriſti, 527. d, dux experientiſſimus, 527. b, doctiſſimus & ſanctiſſimus vir, 527. d
Athanaſius per ignorantiam Timotheum Apollinaris diſcipulum ſedi Apoſtolicæ commendat ut orthodoxum, 440. a, in pace quieſcientium excuſat errata, 556. c, quædam ſcripſit Neſtorianorum dictis conſimilia, 539. e 541. a
Athanaſii epiſtola ad Epictetum, 229. d, ad Diodorum Tarſenſem, 371. d, epiſtola de Dionyſio Alexandrino, 526. a, ad Antiochenos, 539. d. 540. b, *ibid.* d, liber contra Manichæos, 541. d, libri adverſus Arianos, 352. a, de Trinitate, 352. b 746. e, expoſitio fidei, 541. a, Oratio de paſſione & cruce Domini, 983. a
Atilus, 781. v. 517.
Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, 368. b 369. d 461. b 478. b ejus liber de fide & virginitate, 275. a
Atila, 781. v. 525.
In avaros, 859. Carm. v.
Avarus ſemper eget pecunia, 657. v. 2
Auctores erroris ampliores ſupplicio digni quam ſequaces, 344. e, prius condemnandi, 371
Auctoritati patrum potius quam ratiocinationi credendum, 321. a
Audentia mater Aviti, 197. v. 19
Avennica rura, 741. v. 129
S. Auguſtini ſententiarum collectio, *ex libro de perfectione juſtitiæ hominis, ad Eutropium, &c.* 913. a, *ex lib. de Natura & Gratia &c.* 921. e, *ex lib. de Gratia & libero arbitrio, &c.* 926. c, *ex lib. de correptione & gratia, &c.* 932. b, *ex ſermone II. expoſitionis Evangelii ſecundum Joannem*, 936. e, *ex lib. de prædeſt. ſanctorum, &c.* 938. a
Auguſtini libri, de prædeſtinatione & perſeverantia ſanctorum, 306. b 312. e 508. e 598. d 120. a, de Trinitate, 307. d 435. b 551. e 553. a, ſermones de Tempore, 313. e, Enchiridion de fide ſpe & charitate 959. a 962. b 963. e 971. e 975. e de civitate Dei, 967. e, De ſermone Domini, 992. a, Tractatus in Joannem, 900. e 901. a 910. c, de correptione & gratia, 972. e contra Julianum, 953. b 965. b 966. c. 973. a, ad Marcellinum, 964. d, epiſtola ad Optatum, 967. b, epiſtola ad Hieronymum, 553. e, de catechizandis rudibus, 596. d, De bono perſeverantiæ, 959. d 964. e 965. a 972. e, contra Pelagianos, 1019.
Auguſtini teſtimonia de proceſſione Spiritus Sancti ex Patre & Filio, *lib.* III. *contra Maximinum*, 710. e, *lib. de Incarnatione Domini*, 712. a, *epiſt.* CXVIII, *contra Paſcentium*, 713. b, *lib. contra Paganos, &c.* 713. c, *lib.* I. *de Trinitate*, 713. d, *lib.* III. 714. b, *lib.* VI. 715. a, *lib.* XV. 715. b, *tractatu* 99. *in Joannem* 717. d, *lib.* XIII. de *civitate Dei*, 718. d
Auguſtinus vir beatus & doctrinæ admirabilis, 306. b, cautiſſimus & ſapientiſſimus, atque clariſſimus Eccleſiarum Chriſti magiſter, 312. c, in catholicæ doctrinæ ſinceritate ac prudentia diffamatus, 322. b, præclarus Epiſcopus, inanis gloriæ ſtudioſiſſimus contemptor, & amator ſinceriſſimus veritatis, 435. b, præcipuus catholicæ fidei prædicator, 508. c, vir Apoſtolicus, 510. a, vir ſapientiſſimus & modeſtiſſimus, 553. a, vir prudentiſſimus, 596. a, fideliſſimus doctor, 901. a, prædicator præcipuus prædeſtinationis & gratiæ, 910. b 953. a, vir ſanctæ recordationis, 959. c 963. c, clariſſimus doctor, *ibid.* vir ſanctus & eloquens, 966. e, a Cæleſtino Papa laudatus, 959. e, item a Hieronymo, 968. c
Auguſtinus paratus ad errores in libris ſuis emendandos,

dos, 551. c 552. a 958. e, Auguſtini dictis abuſus Mutianus, 587. c 588. e 590. b, item Fauſtus Gallus, 587. c 978. a
Avitus, 811. v. 13.
Avitus Mamerti filius ex baptiſmo, 91. a, catholicus ſenator, 41. d, ſenator Romanus, 48. a, Epiſcopus Viennenſis principis loci principatum tenet, 33. a, Gundobadi regis hortatu contra Eutychianum dogma ſcribit, 5. a
Aviti homilia in dedicatione Baſilicæ Lugdunenſis, 86. b, de rogationibus. 89. c. aliæ octo, 93. Homiliarum editio, 123. item carminum ſelectorum, 63. a
Aviti Epiſtola de Baptiſmo Clodovei, 56. a, de ſynodo Romana in cauſa Symmachi, 47. b, de legatione orientali Hormidæ, 86. b
Aureliana urbs, 731. v. 482. 805. v. 500.
Auredus, 809. v. 623.

B

BAbylonici tres pueri, 998. e
Bagatat, 859. v. 73
Baptiſmi ordo, 679. exſufflatio, 682. b, exorciſmus, *ibid.* c, ſalis uſus, 683. a, traditio ſymboli, *ibid.* e, ſcrutinium, 685. e, unctio, 686. d 690. d 691. d, abrenunciatio, 681. a, veſtis alba, 690. a, velamen myſticum, 691. a
Baptiſmi forma a Domino conſtituta, 308. d, Baptiſmus in nomine Domini quomodo intelligendus, 309. a, in baptiſmo ſemel Deo juravimus, 383. d, exſpoliato corpore baptizati, 583. e
Baptiſmus perfici non poteſt niſi ſub invocatione S. Trinitatis, 689. a, non denegetur parvulis aliarum Parochiarum ægrotantibus, 670. c, ab omnibus peccatis mundat, 1001. a
Baptiſterium Viennæ, 95. *num.* 3
Baptizandi adulti teneant orationem dominicam & ſymbolum, 672. e
Baptizari aliquos inter pacta faciebant qui fœdus inibant in jusjurandum, 383. e
Baſiani anthropomorphitæ hæretici, 482. a
Baſilica S. Mariæ Genevæ, 39. *num.* 4. S. Petri Tarantaſiæ, *ibid. numer.* 6. SS. Agaunenſium. *ibid. numer.* 7
Baſilica S. Æmiliani, 613. Carm. IX.
Baſilica S. Felicis, 615. Carm. X.
Baſilica SS. decem octo Martyrum, 613. Carm. VII.
Baſilicæ civitatis Andegavenſis, S. Albini 777. v. 359. S. Joannis Baptiſtæ, *ibid.* v. 361. S. Martini, v. 363. S. Saturnini, v. 365. S. Petri, v. 367. S. Sergii, v. 369. S. Maurilii, v. 371. S. Aniani, v. 373. S. Mariæ de charitate, ſalutiferæ dictæ ob curationes morborum, v. 375. S. Germani, v. 377. S. Michaelis, v. 379. S. Mauricii, v. 383
Baſilicæ hæreticorum purgari nequeunt, 26. a
Baſiliſcus Serdicenſis Epiſcopus, 598. b
Baſilius Epiſcopus Cæſarienſis, 373. d, Gregorium Thaumaturgum ab hæreſi defendit, 529. a, teſtis certaminum Diodori Tarſenſis, 472. c
Baſilii epiſtola ad Patrophilum Epiſcopum Ægenſem, 373. d, ad Diodorum Tarſenſem, *ibid.* 378. ad doctores Eccleſiæ Neocæſarienſis, 529
Baſilii teſtimonium quod Chriſtus pro omnibus paſſus ſit, 983. b
Benedictio menſæ regiæ per Archicapellanum, 792. v. 225
Benedictus Abbas Monaſterii Anianenſis, 779. Carm. VI.
Berta Caroli M. filia, 791. v. 81
Bertrada, 797. v. 260
Betancus comes Theodorici, 30. d
Beterris, 741. v. 136
Beſelel; 799. v. 331
Biblia Theodulphi auro & gemmis ornata, 773. v. 253. horum in fronte carmen Theodulfi, 763. Carm. I
Biblia aſſidue legenda, & quomodo, 769. v. 205
Biblicorum utriuſque Teſtamenti voluminum deſcriptio, 207. v. 379
Bithyniæ Epiſcopi Orientalibus adjuncti in Synodo Epheſina, 440. c

Bituricenſis ſedes patriarchalis prima in Galliis, 821. v. 277.
Boetos ſenex, primas Byzacenus, 595. c
Bonoſiaci cum Eutychianis collati, 17. b, illorum baptiſmus non iteratur, 111. c
Brigenſes ſylvę, 799. v. 294
Burgundionum rex Gundobadus, 217. 221

C

CAbilonis, 76. a
Cabilonenſes, 73. c
Cęcitas in ſacerdote, 30. b
Cęleſtinus Papa Neſtorium primus damnat 276. d 522. a ejus epiſtola ad Epiſcopos Galliarum, 959. c
Cęnomanica rura, 825. v. 403
Cęſarius Arelatenſis Epiſcopus, 904. b, pręfuit Concilio Galliç, 904. a, refutat hęreſim prędeſtinatorum, 911
Callare, *fortaſſe* caldare, 801. v. 371
Calchedonenſe Concilium ad extinguendam hęreſim, & ad confirmationem fidei catholicę congregatum, 402. a, contrarias duas hęreſes refutat, Neſtorianorum & Eutychianorum, 299. a 400. confirmatum a Martiano Aug. & a Leone Papa, 338. b, Ibam pronuntiat orthodoxum; 414. a, prudenter judicat de Theodoro Mopſueſteno, 470. a 471. 473. e 474. a ejus abſolutio ad Martianum Imperatorem. 299. b 301. a 310. a 326. b
Calchedonenſis Concilii impugnatores acephali, 297. a ſtatuta Evangelicis prędicationibus & patrum traditionibus conſona, 573. a
Calchedonenſis Synodi decreta in magna ſemper auctoritate Eccleſia ſuſcepit, 329. b, nihil in ejus decretis retractandum Leoni Imperatori reſcribunt Epiſcopi omnium provinciarum, 576. e 577. a, retractari non debere docet Leo Papa, 337. d 338. 571. c. 572
Calchedonenſi Synodo nulla numeroſior, 341. b, in ea multi ſederunt Eutychis & Neſtorii antea ſectatores, 400. a, ejus actiones II. & III. in codicibus, tranſpoſitę, 396. e 397. e
Calumnię antiquę non reſuſcitandę, 449. d
Calumniantium vituperationes effugere impoſſibile eſt, 465. b 480. d
Cananææ oratio, 14. a b c 22. c
Canon librorum ſcripturę, 763. v. 2
Canonum decreta cur aliquando minime ſunt obſervanda, 227. a
Captivi redempti, 29. a 30. d 49. b
Cappadocię II. Epiſcopi Orientalibus adjuncti, 440. e 441. a
Carcaſſona, 741. v. 142
Caritas vera quęnam ſit, 676. c
Caro quos ſola non carnalitas tenet, 209. a
Carnali uſu ceſſante, manebat ſpiritale ſolatium, 219. c
Carolus M. ejus ditio quam ampla, 739. v. 102. ejuſdem laudes & victorię, 787. Carm. I. familia, 789. v. 67. palatii proceres, 791. v. 115. regni tempus, 781. v. 529. Leonem Papam III. reſtituit, 803. v. 463 ejus luctus de morte Hadriani Papę, 797. v. 247. propoſitis quęſtionibus pręſules ad S. Scripturę ſtudium excitat, 681. a
Carolus Caroli M. filius, 881. Carm. XXV.
Carolus Martellus, 783. v. 537
Carroph. Carrofini Monaſterium in diœceſi Pictavica, 707. v. 527
Caſinus, 781. v. 481
Caſſiodori teſtimonia de ſpiritus S. proceſſione, *in expoſ. Pſ. quinquag.* 727. c, *in expoſ.* Pſ. lxx. 728. d
Caſtitatis laus, 731. a
Catechumenus quid ſit, 681. e
Catechumenorum typus, 682. b
Catholicę pietatis eſt ambigua patrum dicta ex evidentibus declarare, 503 b
Catholicorum ędes magna, 287. c
Caturcum, 827. v. 467.
Cavelli urbs, 741. v. 152
Cauſę nihil pręſtatur, de qua non libere fuerit judicatum, 577. e
Celer V. I. 51. c, Senator, 58. d, Magiſter officiorum, 286. c

Centuplum accipiet, quomodo intelligendum, 218. 219. a
Chartenius Epiſcopus, 43. d
Chindaſuintus rex, 627. v. 10
Chorepiſcopus Gregorii Nazianz. Eulalius, 458. e
Chriſma in baptiſmo, 41. a 114. e 115. a 690. d
Chriſmetur nemo adultus niſi Symbolum & orationem Dominicam teneat, 672. e
Chriſtiana de fide innumeri ſcripſerunt, 519. d
Chriſtianę inſtitutionis ſumma, 971. a
Chriſtiani gratia Dei fiunt homines, 510. e
Chriſtiani ſtylus ſine cothurno, non ad oſtentationem, ſed ad utilitatem, 374. a
Chriſtus Dei filius, Deus & homo, 6. b. c. &c. 949. e in Chriſto Deus & homo non duo, ſed idem 8. b 117. c, homo per Deum, Deus per hominem ſignificatur 104. a, Dei filius, non adoptione & gratia, ſed natura, 8 a 17. d e 45. e 101. b 108. a divinitatem habuit ante incarnationem, 44. a b, Dominus 117. d minor patre in natura humana, 108. b, ex Virgine matre natus, 949. e
Chriſtus in duabus naturis, 299. b 301. d, patri & matri conſubſtantialis, 309. c 316. b, neutri conſubſtantialis juxta Acephalos, 316. d 317. a, verus & proprius filius Marię, 309. d, idem proprius & verus filius Dei, 311. c 312. a 313 314. & ſeq. unus ſanctę Trinitatis, 325. e, a prophetis adnuntiatus, 361. a, qualem hominem futurum Chriſtum putarint Judęi, 499. e, pro omnibus paſſus. 983. 996. e
Chriſtum Deum tantum aſſerunt Manichæi, 944. a hominem tantum Photioiani, *ibid.*
Chriſtus etiam in carne conſubſtantialis patri dicitur a Synuſiaſtis, 505. e, adoptionem filiorum quomodo dici poſſit ſuſcepiſſe, 507. a, quomodo poſt paſſionem gloriam accepit & poteſtatem, 507. d, gratia filius Dei ſecundum humanitatem, 508. c d, aſſumens integram naturam hominis incorruptam retinuit naturam Dei, 961. c, homo adſumptus filius eſt Dei, 505. a, non ſe bonum negat in Evangelio, nec filium David, 423. a b, omnipotens veritas, 483. a
Chriſti perſona unica, duplex ſubſtantia, 7. 9. 17. a 99. c 108. e 117. e
Chriſti unica eſt ſubſtantia divina, 556. a, quotuplex in eo voluntas, 559. e d, Chriſti ſolius eſt regnum cum ſacerdotio ſimul habere, 576. d
Chriſti regnum & ſponſa Eccleſia, 487. a b
Chriſti cum Cananęa ſermo, 14. a, cum matre in nuptiis, 14. c, cum Apoſtolis & Petro, 15. a b, in cruce oratio, *ibid.* d, paſſio non phantaſtica, 16. c, &c. paſtus poſt reſurrectionem, 19. a b c, dormitio in navi, 94. a b, aſcenſio in cœlum, 19. c. d, ſolus omnium aſcendit in cœlum, 118. a
Chriſti teſtamentum novum & hęreditas, 121. d, carnem & ſanguinem corporis ſui nobis reliquit, 122. a
Chriſtus factis non mentitus, qui verborum mendacia vetuit, 18. d, primogenitus mortuorum, 115. b, per eum ſalvati Abraham, Moyſes, & prophetę, 100. e
Chriſtianitas figurabatur ſigno circumciſionis, 219. e
Chryſe, 859. v. 65
Cicatrices cur ſervet Chriſtus, 863. Carm. x1
Clarinus, 781. v. 525
Clericorum libertas, 70. e
Clericos alterius Eccleſię ne presbyter ſollicitet aut recipiat, 670. e
Clodovei regis baptiſmus, 56. b 57. 58. a
Collatio multorum Epiſcoporum contra Arrianos, 221. e, & ſeq.
Columba ex arca emiſſa, 173. v. 579 rubra in ſomnis viſa Apollinari Epiſcopo, 31. a 32. a
S. Columbani epiſtola ad Hunaldum, 655. quędam ejus dicta, 657
Columna ignis dux Hebręorum, 184. v. 403. 191. v. 564
Comes ſacrarum largitionum, 443. d
Commodus Imperator, 651. v. 163
Commonitio mortalitatis humanę, 609. Carm. 11
Communio levibus de cauſis non neganda, 70. d, quam frequenter & quomodo uſurpanda, 679. b, quibus diebus communicandum quadrageſimæ tempore, 678. d
Communio Eccleſię cum defuncto ejus purgationi ſufficit, 527. a
Concilia bis in anno, 80. b, vicarios mittunt qui adeſſe non poſſunt, 81. a
Concilium generale quas ob cauſas fieri debeat, 332. a, Conciliorum faciendorum utilitas eſt ut quod intellectu non capimus ex auctoritate credamus, 407. e, congregatis in Concilio Epiſcopis Chriſtus deeſſe non poteſt. 483. a
Conciliorum auctoritas, non tam humana, quam divina, 570. e 571. a c 572. b, non in ſola fidei definitione valet, verum etiam in aliis omnibus decretis, 340. d, ad Concilia pertinent etiam quę poſt fidei definitionem ab illis ſtatuuntur vel judicantur, 398. e, auctoritati non officit, quod in iis ſedeant qui ab hęreſi reſipuerunt, 400. a c
Conciliorum decreta, & definitiones retractare non licet, 340. e, nec poſt illa diſceptare, 408. a, injuriam Synodo facit qui retractat, 573. e
Concilium coactum nunquam niſi falſitati ſubſcripſit, 578. b, & ſeq. ad Concilium quando devocandus qui accuſatur, 522. c
Concupiſcere ſpiritus adverſus carnem quomodo dicatur, 554. d
Concupiſcentia ultrix & comes peccati, 947. e
Confeſſio quomodo martyrium poſſit imitari, 219. d
Confeſſio peccatorum Deo quotidie facienda, 674. e
Ad Confeſſionem qui accedunt de omnibus delictis examinari debent, 675. b, inquirendum quomodo & qua occaſione peccatum ſit commiſſum, *ibid.*
Confirmatio per impoſitionem manuum, 691. d, a ſolis Epiſcopis, 692. b
Confuſio in Eccleſia non facit unitatem, 580. b
Conjuges quales eſſe debeant, 635. v. 250
Conjugii prima inſtitutio, 129. v. 170. cum ſorore uxoris defunctæ, 22. a, cum virgine ſacrata, 64. d
Conjugia abjicienda eſſe ſuadere non debemus fidelibus, 219. e
Conlocutio Aviti cum Gundobado, 221. e
Conſiliarii actio, 598. c
Conſulum deſcriptio, 245
Conſtantinopolis Epiſcopus Orientis patriarcha, 22. c, cum Eccleſia Romana diſſidium, 53. a
Conſtantinopolitanum concilium contra Macedonium. 378. b, conſubſtantialem patri & filio Spiritum ſanctum decrevit, 408. a
Conſubſtantialitas naturæ non eſt niſi tota toti æquetur, 317. a
Conſuetudinis privilegium, 219. c
Contrarium. In contrarium currentia ſequi nulli poſſibile eſt, 367. e
Corban, 2. a
Corduba, 743. v. 245. 859. v. 117.
Coronæ martyrii nullum penitus meritum humani corporis exæquatur, 218. a
Corvinianus, 799. v. 343. 801. v. 398.
Corvus ex arca emiſſus, 173. v. 541
Crapula, 611. Carm. v1
Credere licet cum dubitare nocet, 623. Carm. xxiv. v. 10
Crucis titulus trium linguarum, 214. a
Crucifixo ſupplicandum, 23. b, Crucifixum ſua divinitas cum patre ſuſcitavit, 102. e, in crucis ligno ſalus, 39. c
Crucis particula Hieroſolymis data a Patriarcha, 39. e
Culminum celſitudo, 120. b
De Cupidine Poetarum fabulæ explicantur, 801. v. 33
Cyprianus Carthaginenſis antiſtes & martyr, 305. e
Cypriani fides & doctrina toto orbe radians, 519. a de rebaptizandis hæreticis ſententia, 518. e, 551. b 595. e 596. a, Epiſtola ſeu liber de Unitate, 305. e, ad Pompeium, 518. e, ad Quirinum, 952. c 979. de oratione Dominica, 992. b
Cyrillus Alexandrinus ab Orientalibus Epiſcopis damnatus propter xII. capitula, 419. a 443. d, Imperatoris juſſu in cuſtodiam traditus, *ibid.* d, cum Orientalibus reconciliatus per Paulum Emeſenum, 319. e 320. 428. d
Cyrilli & Orientalium eadem fuit intentio, 424. a, cur creditus ſit errorem priſtinum damnaſſe, 425. a 429. b
Cyrilli intentionem Orientales & Ibas non intellexerunt, 424. d 478. c
Cyrilli capitula jure recepta in Synodo Epheſina, 449. e, dicta quæ objiciuntur ab Eutychianis quo-

modo accipienda, 319. b c 320
Cyrillum magnificant Eutychiani putantes hoc ſenſiſſe quæ ſentiunt, 416. c, minus contra Eutychianorum qui exorti non erant, quam contra Neſtorianorum vigilavit errorem, 329. b, aliter loquitur differens contra Apollinarem aliter contra Neſtorium, 421. e 422. multa ſcripſit, in quibus ſimilia dicere videtur Neſtorianis, 554. a 556. c
Cyrillus cum Theodoro donec vixit communicavit, 478. b, Theodori opera commendat, 351. a, eundem adverſus accuſatores defendit, 365. a 598. a, de Theodoro aliter poſtea ſenſiſſe dictus, 476. d 554. a, de illis ſcriptis quod judicium, 477. b
Cyrillus Joannis Chryſoſtomi nomen e diptychis tollendum ſcribit Attico, 368. b 432. a 478. a, in ſacrificio recitari probibuit, 367. b 432. a 478. b, cum Joanne Chryſoſtomo non conferendus, nedum præferendus, 478. a
Cyrillus in Ibæ epiſtola vituperatur, ut in Apollinaris dogma lapſus, 418. a, reprehenditur ab Iſidoro Peluſiota, 336. b d 337. b, contra XII. ejus capitula ſcripſit Gennadius Conſtantinopolitanus, 334. d
Cyrilli Alexandrini teſtimonia de Spiritus ſancti proceſſione ex Patre & Filio, *epiſt.* 111. *ad Neſtorium de excommunicatione*, 703. b *Anathematiſmo* IX. *ad Evoptium*, 703. d
Cyrilli epiſtolæ ad Orientales, 299. d 350. c 365. b, per Paulum Emeſenum, 413. e, ad Joannem Antiochenum, 320. b c d e, ad Atticum Conſtantinopolitanum, 368. b, ad Acacium Melitinenſem, 556. b, ad Neſtorium, 397. a Scholia, 421. e 554. b 555. d, Homilia ad populum Alexandriæ, 519. e, Expoſitio in Eſaiam, 556. e, *in Matthæum*, 557. b, in Joannem, 557. e, ad Hebræos, 556. b, contra Diodorum & Theodorum, 350. e, 362. e 478. c
Cyrri Epiſcopus Theodoretus, 297. a

D

DAcius Epiſcopus Mediolanenſis Vigilio in Sicilia occurrit, 382. a
Dalmatiæ Epiſcopi pro tribus capitulis ſtant, 595. e
Damaſus Papa Timotheum Apollinaris diſcipulum, ab Athanaſio commendatum, ſuſcepit velut orthodoxum, 440. a
S. Damaſi Pontificis tumulus, 785. Carm. XIV.
Daniel in lacu leonum, 213. v. 591
Danus crinitus, 859. v. 87.
Dathan & Abiron exitium, 574. c d e, 575. a, *ibid.* b
Davidis ex ſemine Chriſtus, 14. a
Decretorum coactorum nulla eſt auctoritas, 577. d
Dedicatio ſabriculæ, 220. e
Dedicationis portus, 220. c
Deſiderium ſinus cordis, 910. c
Deus non concluditur loco, 945. c, acceſſu temporis non augetur, *ibid.* eſt omnium Deus, 995. d, incomparabiliter juſtus, 948. d ineffabiliter pius, *ibid.* ſolus aſcendit in cęlum, 998. e, non eſt acceptor perſonarum, 1002. b 1114. a, juſtus judex, 1000. c
Deus occulte ac mirabiliter in ſuorum cordibus operatur, 523. e, humana ignorantia ſapienter utitur ad inſtructionem prædeſtinatorum, 433. a ejus facta veneranda quia nunquam injuſta, 994. b
Deus ſolus judex mortuorum, 525. c
Deus non lætatur in perditione impiorum, 902. c 994. e vult omnes homines ſalvos fieri, 954. c 994. e 995. d, ejus judicia non inveſtiganda, 954. a 994. b 1018. e, non perditionis, ſed ſalvationis auctor, 955. e, ex ejus præſcientia prędeſtinatio dependet, 1001. d
Dei bonitas omnipotens in magnam utilitatem noxia quæque convertit, 434. a
Dei auxilio virtutem poſſident juſti, 487. d
Dei proprium eſt de occultis judicare, 524. c
Dei conjuges in ſcriptura, qui per ſcientiam copulantur, 487. a
Dei poſt Adæ peccatum ſententia in ſerpentem, Adam & Evam, 149. v. 116. in genus humanum ante diluvium, 161. v. 245
Deum nemo melius laudat, quam quod aliis eſt creditum non uſurpat, 575. c
Depoſiti negator. 54. c d
Diaboli lapſus & perverſitas, 135. v. 35. 58. Invidia in homines, *ibid.* v. 78. 952. a 946. d Evam ſub ſerpentis ſpecie aggreditur, 137. v. 118. & 140. 946. d
Diaboli invidia mors intravit in mundum, 1017. a
Diaconus pro cauſa civili cuſtodiæ mancipatus, 70. e
Dialecticæ pictura, 815. v. 91. ejus comparatio cum Rhetorica, *ibid.* v. 92
Didymi teſtimonia de Spiritus ſancti proceſſione, 708. a
Dies collectus atque incluſus induſtria, 220. c
Diei dominicæ obſervantia, 673. a
Diluvium mundi, 157. 167. v. 378. 169. v. 418. &c. baptiſmi ſymbolum, 175. v. 639
Diocęſareæ exules monachi Ægyptii, 377. c
Diodorus Epiſcopus Tarſenſis, 350. e. 461. b, a B. Silvano nutritus, 373. d, Tarſenſi Eccleſię prępoſitus a Meletio, 472. d, doctor Joannis Chryſoſtomi, 472. e, magiſter Theodori Mopſueſteni, 370. b 377. c 378. c 472. d, Concilio Conſtantinopolitano cum aliis interfuit, & Nectarium Epiſcopum ordinavit, 372. d 373. a 378. b. 472 d
Diodorus idem a magnis Eccleſię luminibus laudatus, 478 d, optimum & maximum habet ſanctorum patrum teſtimonium, 371. b 372. *& ſeqq.* Athanaſii, *372. c Petri Alexandrini*, 372. c Timothei Alexandrini, 372. d Baſilii Cęſarienſis, 373. d Chryſoſtomi, 374. b 375. e Epiphanii, 376. d Ægyptiorum monachorum, 377. c, Hieronymi, 378. c.
Diodorus laudatur adoleſcens ab Athanaſio, jam gravis a Petro, ſenex a Timotheo, 373. b magnus certator pietatis dictus a Domno Antiocheno, 472. e, cum Joanne Baptiſta comparatus a Chryſoſtomo, 375. a, vivus martyr, 375. e, filius & diſcipulus & ſucceſſor Helię ab Epiphanio, 376. e
Diodorus dum Antiochiæ eſſet presbyter, magis claruit, 378. d quæ ſcripſerit, & quo ſtylo, 374. a 378. d, a Theodoſio Imperatore inter orthodoxos recenſitus, 379. a, a Juliano apoſtata vituperatus, 379. e ab Eutyche anathematizatus, 472. b 586. b ab Apollinari, quia illum arguebat, perſtrictus, 472. c, a Cyrillo culpatus, 350. e 370. b
Dionyſius Alexandrinus ab Athanaſio excuſatur de multis, quæ Arrianis ſimilia docuerat, 525. d
Dioſcorus Alexandrinus damnatus in Concilio Calchedonenſi, 279. b 395. b 396. d 397. c, Eutychis atque Eutychiani dogmatis defenſor, 411. a 439. d
Dioſcori apud Epheſum violentia, 571. c 574. b
Diptycha ſacra, 368. b 369. d catalogus Epiſcoporum, 478. a 439. b
Diſpenſare plurima nimis eſt quam omnia dimittere, 219. a
Divinitas ſemper eodem modo ſe habet, & omni additamento eſt ſuperior, 547. c
De Divinitate Spiritus S. 221
Divitiarum uſus infidelis, 235
Doctorem Eccleſiæ excuſat loci neceſſitas, ſi in ea in quibus offenderit corrigere ſit paratus, 554. a
Domitianus Epiſcopus Ancyræ, Vigilio confeſſus Origenianos ad Eccleſiæ conturbationem trium capitulorum quæſtionem ſuſcitaſſe, 302. c 384. e
Domni Synodica ad Theodoſium, 472. a
Domnus Epiſcopus Antiochenus, 324. c 456. e 466. e Joannis ſucceſſor, 472. a 475. b primus reſtitit Eutychi ad Theodoſium ſcribens, 586. a b
Donatiſtæ, 587. c 588. c ſchiſmate proſilierunt in hæreſim, 588. d, auctoritate Cypriani ſacrilegium defendunt, 596. a c
Donatiſtæ converſi receptio, 40. b
Donatiſtæ Chriſma conferunt in baptiſmo, 41. a
Donatus, 781. v. 516
Dordonia flu. 811. v. 634.
Dracontius, 629.

E

EBerhardus Comes, 989. d

Ebrietatis mala, 611. Carm. v. contra ebrietatem, 731. d

Eccleſia de latere Chriſti orta, 112. c d 129. v. 160. per Evæ coſtam deſignata, 111. c, navis Evaogelica, 93. a, duo hominum genera continet, 112. d, procellas patitur, 171. v. 493

Eccleſia Chriſti ſponſa, & regina, 487. a b Chriſti ſchola eſt, fideles omnes Chriſti diſcipuli, 562. e, Eccleſiam regit Chriſtus qui redemit, 562. e, Eccleſia ſicut arca, Deo illam regeote, nutare poteſt, eadere noo poteſt, 576. c

Eccleſia omoem novitatem, mox ut exorta eſt, reſutavit, 503. d, Eccleſiæ verax ſemper eſt pro veritate defeoſio ounquam iodiga falſitatis, 388. e

Eccleſia poſitos ſibi æternos patrum terminos non excedit, 341. c, Eccleſiæ matris virginitas, adulterinis dogmatibus nunquam corrupta, 503. d

Eccleſia ligandi ac ſolvendi mortuos poteſtatem non accepit, 525. b, 597. c d Eccleſiæ communio defunctæ perſooæ purgationi ſufficit, 527. a, in pace Eccleſiæ defunctos Eccleſia damnare noo ſolet, 531. c 596. d e

Eccleſia cooturbata, cum io ea ſæcularis poteſtas quod ei non datum eſt uſurpavit, 577. e 578. a, Eccleſiæ aliquos auferre valet humana poteſtas, oullum acquirere, 581. d

Eccleſia pro omnibus orat, ſed non pro omnibus exauditur, 964. a

Eccleſiæ quies ſupervacuis quæſtionibus non agitanda, 524. a 565. c, ejus diſcuſſioni ſententiæque permitteoda quæ dicimus aut ſcribimus, 554. a

Eccleſiæ fidem qui ſequi ſtatuit, qoamvis aberret, non eſt hæreticus, 565. e 566. d, extra Eccleſiam conſtitutorum doctrioa non poteſt catolica judicari, nec Eccleſiæ domeſticorum hæretica, 544. e

Eccleſiæ inſtituta minime contemneoda, 334. b 341. a

Eccleſię Orientalis cum Romana diſſidium, 27, d 28. a

Ad Eccleſiam matrem audituri miſſam, & concionem conveniant, 680. c, fideles aliarum Eccleſiarum ne pertrahere ad ſuam oitantur *Presbyteri*, 670. b, nec alienas Eccleſiam muneribus ambiant, 670. c

Ab Eccleſia excluſi nec inter laicos taxandi ſunt, 369. d

Eccleſiæ inſtituta contemnentes, 334. b 341. a

Eccleſiam cooturbantium pœna, 334. c

Eccleſiarum bona dant vel ſervant principes, 55. a

Eccleſiarum præpoſiti, 523. d cum magiſtris militiæ comparantur, 527. d

Eccleſiarum jura per ſynodum Nicænam inſtituta, 402. b

In Eccleſiis non recondantur niſi res ſacræ, 668. e nec ſepeliantur oiſi pauci qui id meriti ſint, 669. a, prohibeantur vaniloquia & profanæ actiones, 669. c

Eccleſiaſtica frugalitas, 77. b

Edeſſa Metropolis, 398. a

Elauris flu. 739. v. 112.

Eleazarus, Lazarus, 555. a

Electrum, 78. c

Eleemoſyna cum jejunio jungenda, 678. a

Eleemoſynaria largitas, 217. a

Elię corvus, 51. a 72. c, currus, 163. v. 179

Eliſeus agreſtes herbas condiens, 95. a

Emmanuel, 7. b

Encęnia Solymis, 777. v. 415.

Ennodius Hormiſdę legatus, 86. d 88. a

Epaphroditus Philippenſium Apoſtolus, 403. e

Epheſioa Syoodus cur convocata, 418. d, duas Chriſti naturas firmat contra Neſtorium, 327. b 320. d 408. e

Epheſina ſecunda Synodus non dicenda, 411. a, opprimente Dioſcoro falſitati ſubſcripſit, 578. b, Dioſcori ſcelere fides Catholica reſutata, & perverſitas Eutychiana ſuſcepta eſt, 571. c

Ephremius Epiſcopus Antiochenus decreto de tribus capitulis metu honoris amittendi conſenſit, 384. b

Epiphaoius Cyprius Epiſcopus, 371. c 376. c, vir doctiſſimus libros de hæreſibus ſcripſit, 376. c, vir ſagaciſſimus, & in doctrina catholicæ fidei laudabiliter diffamatus, 377. b orthodoxus, 377. e, vir admiraodæ ſanctitatis, & inluſtriſſimæ doctrinæ, 894. e

Epiphanii epiſtola ad Epiſcopum Tarſenſem, 376. d

Epiſcopus qualis aſſumendus, 103. b 119. a, epiſcopatum ambientes, 117. e

Epiſcopi innocentis labor, 118. e

Epiſcopi dotes, 849. v. 474

Epiſcopi ordinati, non ut ditentur principum donis, & cum eis ſedeant ioter maximas poteſtates, ſed ut eis vera ſuggerant, & religionis auctoritate reſiſtant, 385. b

Epiſcopi ordinandi Acacium damnant per libellos, 589. d

Epiſcoporum ex auctoritate populi fides dependet, 414. a, ſubſcriptiones Epiſcoporum adverſus tria capitula expreſſę per provincias, 331. d 485. c 592. e

Epiſcoporum ſenteotię non pro vęterum, ſed pro novorum hęreticorum damnatiooe quęrendę, 345. b

Epitaphium Helmingaldi, 875. Carm. xix.

Eppinus piocerna, 795. v. 187

Ercambaldus, 793. v. 147. 795. v. 177

Error incognitus eſſe non poteſt auctorum ſuorum confeſſione damnatus, 386. b, pręparatio mentis ad corrigendum errorem eſt correctio, 551. d, errore cognito in illo perſeverare turpe eſt, 960. c

Eſaias ſęculi ſui propheta, noſtri Evangeliſta, 16. d, conclamatiſſimus prophetarum, 44. d

Eſaię locus explicatus, 36. d, 37. a

Eſaię ſupplicium, 122. e

Ethicę pictura, 815. v. 105

Eva pręvaricata eſt, cum prius interdictum ſibi fuiſſe reſpondiſſet, 384. c

Evæ formatio, 129. v. 154. 635. v. 258. ejus pulchritudo, 635. v. 278. tentatio, 137. v. 145. 637. v. 250. 947. a

Evantii epitaphium, 621. Carm. xvijb

Euchariſtia io baptiſmo data, 695. 1.

Euchitæ, Maſſaliani hæretici, 482. b

Eudoxius Arianus Epiſcopus, 369. a

Eufraſia Rotharii ſeu Rotgarii uxor, 807. v. 534

Eugendi ſchola Præſulę viduata, 35. c

Eugenia ſexum celaos, 211. v. 503

Eugenius Tholetanus Epiſcopus, 609. ejus epiſtola ad Chiodaſuintum regem, 627. ad Euſicium presbyterum, 623. ad Joannem, *ibid.* ad ſamiliarem, *ibid.* ejus epitaphium 619. Monoſtica, 651

Eulalius Chorepiſcopus, 458. e

Eulogiæ, 72. b

Eunomiani, Actiani hæretici, 482. b

Euphemitæ hæretici, 482. b

Europa provincia, 441. a

Euſebii characterem ſecutus Diodorus, 378. d

Euſebius Cæſarienſis epiſcopus, 229. b, Eccleſiaſticarum hiſtoriarum ſcriptor, *ibid.* 269. a

Euſtathius Antiochenus primus in Concilio Nicæoo, 461. a 468. b 536. e, quædam ejus dicta Neſtorianis ſimilia in libris contra Arianos, 536. 537.

Euſtochius presbyter Arrianus, 279. d

Eutyches archimandrita, 5. d, ejus hęreſis, 6. c, refellitur, 13. c, *& ſeq.* 18. c 19. a, *& ſeq.*

Eutyches presbyter Apollinaris impietatem renovat, 586. b, negat carnem Chriſto a Maria miniſtratam, 310. a, unam ejus naturam poſt adunationem agnovit, 342. d, divinitatis & humanitatis uoam naturam vocat, 472. a, commixtionem, & confuſionem aſſereos paſſionem divinitati aptabat, *ibid.* Diodorum & Theodorum anathematizabat, 472. b, 474. a, in Concilio Calchedonenſi anathematizatus, 279. b 398. a

Eutychiani hęretici, 13. a, Bonoſiacis & Photino deteriores, 17. b, contra catholicam fremunt, 9. d

Eutychiani hęredes Apollinariſtarum, 348. b, progenies Apollinariſtarum, 506. e, eorum error contrarius Neſtoriaoo, 437. a, Chriſti fideles Neſtorianos appellant. 303. b 316. a, in duas partes diviſi, 316. c Semieutychiani, 316. d, a Concilio Calchedonenſi reſutati, 299. a, Concilii auctoritatem infringere conati, 338. a, ab Eccleſię communione ſe ſubtraxerunt, 406. b, Eccleſię communicaturi falſo jactantur, ſi epiſtolę Ibę damnetur, 303. a

Eutychianorum pars magna Alexandrię, 320. a

Eutychiaoi unam Verbi cum humanitate compoſitam naturam dicunt, 316. b, Chriſtum exduabus, ſed non in duabus naturis confitentur, 321. b 408. e, animæ & corporis ſimilitudine abutuntur, 321. b,

Cyrill-

Cyrillum magnificant ſuæ putantes eſſe ſententiæ, 416. c

Eutychianorum dogma confutandum ſuſcipit Avitus, 5. a

Excuſari non poteſt qui ſe ultro alienis ingeſſit periculis, 554. a, excuſationi ſimilium debet proficere quorumdam dictorum ſponte facta confeſſio, 523. e

Exhortatio ad virgines, 733. c, ad nuptas, 733. a, ad viduas, *ibid.* ad pauperes, *ibid.* ad ſervos, *ibid.*

Exhortatio ad legendam S. Scripturam, 769. v. 219

Ezechiæ regis jactantia, 48. b

F

Fabricæ ſublimis membra, 220. b

Fabriculæ dedicatio, 220. e

Fabulæ poëtarum qualiter a Philoſophis tractentur, 811. Carm. 1.

Facundus Epiſcopus Hermianenſis, 297. a, Latinæ linguæ, 482. b, libros ſcribit Conſtantinopoli, 297. a, fidei ſuæ confeſſionem exponit, 303. b, *& ſeq.* de baptiſmo in nomine Domini quid ſentiat, 309. a, Trium capitulorum damnatoribus non communicat, 333. d, præſens adſuit, cum Vigilius Zoilum de aſſenſu damnationis objurgaret, 384. a, medius inter utroſque Theodorum nec prædicare voluit, nec damnare, 474. b, mavult faſtidium de longitudine, quam de brevitate atque obſcuritate ſuſpicionem fraudis incurrere, 491. b, patrum dicta, quæ erronea videntur, non culpandi ſtudio, a ſe collecta teſtatur, 561. a 562. a, ante hos libros aliam de tribus capitulis reſponſionem edidit Juſtiniano, 298. a, exul ſcribit contra Mucianum, 587. a 588. b

Facundi proſecutio in ſynodo *Vigilii*, 591. d 592. d e

Faldao Epiſcopi, *Faldiſtorium*, 787. Carm. xv.

Fardulfus Abbas S. Dionyſii, 875. Carm. xx.

Faſti Conſulares, 245

Faſtrada Caroli Magni uxor, 783. Carm. xi. ejus epitaphium, *ibid.*

Fauſtus Manichæus Epiſcopus, 20. b

Fauſtus Epiſcopus Reienſis, Britannus, 20. c ejus ſcripta a Gelaſio Papa damnantur, 978. a

Fauſtus ſenator Romanus, 47. b

Fauſtus Gallus a Fulgentio convictus, 587. c

Felix Abbas, 588. a

Felix Papa damnator Acacii, 590. a

Feminæ cum Presbyteris non habitent, 669. d

Ferrandus Diaconus Eccleſiæ Carthaginenſis Pelagio & Anatolio reſcribit de tribus capitulis, 382. e

Feſta communia, 220. a

Feſtivitas communis, 221. a

Feſticatula, 79. e

Ficulnea areſacta, 209. v. 418

Fides una non duæ, 211. b, credit, non videt, 109. a, quibus ſola ſufficiat, 21. d 22. a, ſine operibus otioſa, 962. e

Fides catholica totius boni noſtri fundamentum, 302 a, vera ſalus, 1007. e, fides catholica cuſtodit imperium, 467. a, fidei confirmatio ſacerdotum commiſſa eſt poteſtati, 578. b, fidei evidentius eſt documentum, ſi inter ſe diffidentium eadem ſit de illa ſententia, 434. a e

Fidei Chriſtianæ quæſtiones paucis committendæ, 565 c, de fide Catholica publice contendi vetat lex Juſtiniani, 325. d

Fides imperfecta hæmorroiſſæ de Chriſti miſericordia recipit ſanitatem, 564. c, Apoſtoli per fidem imperfectam virtutes perficiebant in populo, 564. d, Maria & Martha per fidem imperfectam fratris meruerunt reſurrectionem, 565. a

Fidei & operum comparatio, 22. b

Fidelium in fidei doctrina tres gradus, 966. b

Figulus artifex, 79. b

Filiorum officium erga parentes, 676. b

Flaccus Alcuinus, 801. v. 395. V. *Alcuinus*

Flavianus Epiſcopus Antiochenus, 461. b, magnus Antiochenſium ſanctæ Dei Eccleſiæ Pontifex, 465 b 468. b

Flavianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſecundus Abel, 339. c 577. b

Fortitudinis icon, 815. v. 122

Fortunatus, 821. v. 14

Fredegiſus Diaconus, 793. v. 175

Fulgentius Ruſpenſis Fauſtum Gallum convincit, 587. d

S. Fulgentii libri, ad Petram de regula veræ fidei, 970. e, ad Monimum, *ibid.* d

S. Fulgentii teſtimonia de S. Spiritus proceſſione ex patre & Filio, *in expoſitione fidei ad Petrum* 712. b, *lib.* III. *contra Fabianum*, 718. e, *lib.* v. 719. a, *lib.* VII. 719. e, *lib.* VIII. 721. a, *lib.* IX. 721. b, *lib.* X 721. e, *lib.* XI. *ad Monimum*, 721. d

Fulradus Abbas, 781. v. 536. 783. v. 548. & 563.

Fuſcina ſoror Aviti, 197. quarta & ſuprema proles, *ibid.* v. 19. virgo Deo devota, 199. 201

G

Gabarus flu. 739. v. 106

Gabriel Angelus ad Mariam 7. d, ad Noe miſſus, 163. v. 213. 169. v. 418.

Gairardus, 827. v. 465.

Galatiæ provincia prima, 302. e

Galauli, 859. v. 104

Galliæ Epiſcopi Romam ſcribunt pro Symmacho Papa. 47. e, cum Hormiſda de fide conſentiunt adverſus Orientales, 87. b

Galli in Italia captivi, 30. e

Ganges Flu. 833. v. 290

Gangetis monſtra eburnea, 745. v. 104

Garumna, 739. v. 104

Gelaſii magnum opus adverſus acephalos, 589. a

Gelaſius Papa verax interpres ſcriptorum Leonis, 406. b, ſanctitate vitæ atque ſcientia celebris, 590. a Opuſcula Fauſti Regienſis damnat, 978. a, ejus epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ, 450. e, alias 406. a

Gelaſius nefas, judicat poſt mortem condemnari in Eccleſiæ pace defunctos, 597. c

Gelaſius Cæſarienſis Palæſtinæ Epiſcopus, 480. e

Geminata conſecratio, 221. b

Genavenſis baſilica, 93. conſtipatio, 46. b

Gentium orbis ampla enumeratio, 859. v. 65.

Gennadius Epiſcopus Conſtantinopolitanus contra Cyrilli capitula ſcribit, 337. b, *& ſeqq.* alia ejus ſcripta, 281. e

Geometriæ icon, 815. v. 137

S. Germani Ædes, 777. v. 377

Getarum regis moneta, 78. c 79. a

Gigantum ortus incertus, 259. v. 86.

Gipes Pannonicus, 859. v. 93.

Giſla Caroli M. filia, 791. v. 97

Giſla Caroli M. ſoror, 792. v. 109.

Giſla Theodulfi filia, 801. v. 399. uxor Suavarici, 803. v. 427.

Gloria ignominioſa de reprehenſione majorum, 527. d

Gloria divina, angelica, humana, 98. c 124. d, cum patre communis, 114. b

Gloriæ ex ſcientiæ partæ contemptus in paucis reperitur, 516. e

Gloriam partam calcare magnæ eſt fortitudinis, 515. d

Gomorrhæ Flammæ, 167. v. 355

Gotheſcalcus Monachus, hæreticus, geminam eſſe prædeſtinationem aſſerit, 898. b, alios varios errores prædicat, 895. e 896. d 897. a *ibid.* c 900 a 901. c 902. c, in Concilio Moguntino damnatus, 985. & in Synodo Cariſiaca, *ibid.* ſcribit contra Epiſcopos qui affuerunt Concilio ſuæ damnationis, 895. b, ad probandam ſuam hæreſim examen ignis petit, 998. e

Grammaticæ pictura, 813. v. 67.

Gratia Chriſtus factus Filius Dei 508. e, gratia homo fit Chriſtianus, 510. a b

De Gratia dei, 855. Carm. 1.

Gratia Dei auctor & cauſa omnium bonorum, 953. e, Dei gratia homines ſalvantur, 807. b

Gratiani Imp. reſcriptum de reſtituendis Eccleſiis, 543. a

Gregorii Magni teſtimonia de Spiritus S. proceſſione ex Patre, & filio, *Homilia* XXVI. 723. a, *lib.* II. *Moralium.* 723. d, *lib.* v. 723. e

Gregorii Papæ liber XV. Moralium, 976. e lib. XI 969. d lib. XXXIII. 969. e lib. XXXIV. 969. b, Homilia IV. 969. d Homilia IX. 975. b

Gregorius Epiſcopus, 222. a

Gregorius Nazianzenus, 324. e, ſapiens Gregorius, 307. a, vir magni ponderis, & exſpectatæ ſem-

per auctoritatis, 457. c, Epiſcopatus curam depoſuir, ut viveret cum monachis, 458. a
Gregorii epiſtola ad Cledonium, 299. d 318. a, ad Theodorum, 457. c 458. a, oratio de luminibus, 307. a 471. e, Apologeticus, 561. a
Gregorius Nyſſenus, 379. a 480. c, ejus dicta quædam Neſtorianis ſimilia in libris adverſus Ennominum, 544. d 545. c 546. d 547. a c
Gregorius Thanmaturgus ab Arianorum, & Sabellianorum errore defenditur in expoſitione fidei a Baſilio, 529. a b
Grenencenſia Monaſteria, 72. b
Gundobadus rex Burgundionum 217. 221. fidei catholicæ indagator, 1. a, Avitum conſulit de loco Marci, 1. b, de verbis Eſaiæ, 36. b, de epiſtola Fauſti 20. b, auctor Avito ut contra Eutychianos ſcribat, 5. b, ut cum Sacerdotibus ſuis diſputet, 37. d 38. profeſſionem fidei differt, 4. c, populi metu non baptizatur, 98. a, præcellentiſſimus princeps, 63. c, Sigiſmundi pater, 37. d 74. d, & filiæ quæ deceſſit, 23. c, obitus ejus, 84. b

H

HAdberdus, 801. v. 369
Hadriani Papæ, 247. epitaphium, *ibid.* Caroli Magni luctus in ejus morte, *ibid.* munera ipſi deſtinata a Carolo magno, *ibid.* v. 263
Hæmorrohiſſa Chriſtum non credebat Deum, 563. d 564. a, fide imperfecta ſanitatem recepit, 564. c 565. b
Hæmorrhouſæ fides, 22. c
Hæreſes eſſe qualiter oporteat, 106. d
Hæreſis dicenda non eſt niſi pervicax ſuperborum contradictio, 567. a, hæreſis ad crimen trahi non debet hominis de homine ignorantia, 449. d 450. b
Hęreticus omnis alienus eſt a Chriſto, 563. a
Hæreticus non eſt judicandus, qui ſe docilem præbet Eccleſiæ, 561. d 565. e
Hæretici corpus Eccleſiæ deſcindunt vel in ea corde ficto latent, 561. a, dolos ſuos occultantes fallunt, ut orthodoxi putentur, 439. d 440. a b
Hæretici Judæorum in perditione confines, 46. a
Hæretici ex divinis libris falſas opiniones ſuas conantur defendere, 436. a, male intellectis, & incongrue adhibitis, 587. d, non integras ſcripturæ ſententias proferunt, ſed conciſas, 491. b, Sancta Evangelia ad ſuam recipiunt voluntatem divina dicta vertentes, 465. b, ex ſententiis doctorum eccleſiæ ſuos errores conantur adſtruere, 519. b, furtivas ſententiarum particulas præcidunt ut in eis non appareat dicentis intentio, 495. b, quos ſuos facere non poſſunt, nobis faciunt ſuſpectas 527. e, ex dubiis, & obſcuris quę certa, & manifeſta ſunt male ſolent interpretari, 503. a
Hęretici, & ignorantis catholici diſcrimen, 568. a,
Hęretici habendi non ſunt qui non ſunt pertinaces, ſed parati ad diſcendum, 52.
Hæretici dicendi non ſunt quos Eccleſia habuit honoratos, 503. e
Hæretici omnes non aliunde magis, quam de ſcripturis evangelicis atque Apoſtolicis refutantur, 477. d, non propriis teſtibus, ſed divina auctoritate, neceſſaria ratione, & antiquorum patrum teſtimoniis convincendi, 332. c, Hæreticorum nihil prævalebit calliditas, ſi Conciliorum definitioni inſiſtamus, 408. b,
Hęreticorum verboſitas ſilentio ſuperanda, malitia manſuetudine, 372. a
Hęreticum facit non offenſio ſed offenſionis pertinax defenſio, 516. d, non ignorantia, ſed obſtinatio, 562. b d 596. d
Hæreticorum inquietus & impudens ſpiritus, facilis, & promptus ad impugnanda vetera conſtituta, in confuſionem ſuam ſemper extollitur, 302 b, rationis impatiens, & auctoritati contumax ſpiritus, 567. c
Hęreticorum non eſt nolle mentiri, 398. c, de reprehenſione majorum ignominioſam ſibi gloriam captant, 527. d
Hęreticorum converſione, non commixtione unitas Eccleſię facienda, 580. b
Hęreticorum ad condemnationem qua ratione procedatur, 371. & *ſeq.* hęreticis dudum damnatis renovare certamina non licet, 340. d, aliud eſt hęreticum excuſare, quod catholicus putetur, aliud ipſam hęreſim adprobare, 401. a 433. c 439. d
Hæreticorum baſilicę catholicorum uſibus non applicandę ſed negligendę, 24. c d, vaſa & miniſteria ſacra conflanda, 26. e, exempla non imitanda, 26. c, calumnias eorum ſuſtinere plus decet, quam facere, 25. a
Hebręi in Ægypto ſerviunt, 177. v. 20. dimiſſa vaſa auferunt, 185. v. 331. Mare tranſeunt, 193. v. 587
Helmingaldi epitaphium, 875. Carm. xix.
Helladius Epiſcopus Cęſarienſis, 379. a
Hellas pro tribus ſtat capitulis, 382. b
Heraclius V. I. coram Gundobado rege diſputat contra hęreticos, 62. c, ipſius ea de re epiſtola, 63. c
Hibernia Scottorum, 859. v. 118.
Hieronymus Beda divinis literis impenſe doctus, 970. b, 976. d 979. b
S. Hieronymus quid prǫſtiterit circa pſalterium, 801. v. 405
Hieronymus Pippini Regis frater, 783. v. 537
S. Hieronymus, 952. c, contra Pelagianos, 974. b
Hieronymus presbyter, 229. b 269. a, ſyngrapheus perfectus, 229. b, Hiſtorias Eccleſiaſticas Euſebii Cęſarienſis de Gręco in Latinum tranſtulit ſermonem, 229. c 269. a
Hieronymus vir admodum doctus, *in lib. de viris illuſtr.* 271. c 378. c, ſanctus atque doctiſſimus orthodoxus vir, 595. d, catholicis inexpugnabilis turris hęreticis infatigabilis hoſtis, 271. d
Hieroſolyma terreſtris, & cęleſtis, 40. a
Hilarius Pictavienſis doctiſſimus antiſtes, & fortiſſimus confeſſor, 312. b, pręclarus Eccleſiarum doctor, 590. c, Arianorum potentiſſimus atque acerrimus expugnator, & conſtantiſſimus fidei Chriſtianę confeſſor, 529. e, prudens, ac moderatus gubernator Eccleſię, 591 c
Hilarius approbat quod in Concilio contra Samoſatenum rejectum fuerat homoouſion, 530. a, approbat decreta Concilii Sirmienſis, 530. e
Hilarii libri de Trinitate, 312. a, epiſtola ad epiſcopos Gallię, 530. a e 577. e
Hilarii teſtimonia de Spiritus ſancti proceſſione *lib.* XII *de Trinitate*, 704. a, *lib. de Synodis*, 705. a
Hilarius in exilium miſſus, 831. v. 621
Hiltrudhis Caroli M. filia, 791. v. 99
Hincmarus Remenſis, 989. ad Rabanum Moguntinum ſcribit, 987. item ad recluſos & ſimplices contra Gotheſchalci errorem, 989. a
Hiram, 801. v. 379
Hiſpania vexata a barbaris, 223. d
Homerus ſummus vatum, 629. v. 20
Hominicolas Appollinariſtę vocant orthodoxos, 495. d e
Homo interior, & homo exterior, 495. c 946. b
Homo Dominicus, 541. b
Homo ex ſe nihil boni facere poteſt, 951. a, quidquid boni operatur a Deo omnium bonorum datore dignoſcere debet *ibid.* b, ei a Deo liberum arbitrium datum, 909. a
Homoouſio rejecto cur homoœuſion ſtatuerint patres in Concilio Antiocheno contra Paulum Samoſatenum, 530. b, poſtea contrarium homoouſion rejecto homęouſio alii patres reſumpſerunt, 530. b
Hormiſda Papa, 52. b 86. b 87. b, Orientis reconciliavit Eccleſias, 590. a
Hormiſdæ Papæ teſtimonium de proceſſione Spiritus ſancti ex Patre, & Filio, 722. c
Hoſpitalitatem omnes exhibeant, 673. b
Humanæ vitæ brevitas, 619. Carm. XIII
Hunaldus, 655
Huni devicti, 789. v. 33. eorum converſio ad fidem, *ibid.* v. 37
Hypoſtaſes tres dicere quidam catholici reſpuebant cum tres perſonas admitterent, 428. e
Hymnus Theodulfi in diem palmarum, 775.

I

JAcob ſcalæ viſio, 125. a

Ibas Epiſcopus Edeſſenus, 297. a, in Epheſina II. Synodo damnatus abſens ut Neſtorianus, & exilia paſſus, 411. a, in judicio Phothii, & Euſtachii examinatus, probatur innoxius, 345. c 387. b 411. b epiſcopatui reſtitutus in Concilio Calchedonenſi, deinceps in eo ſedit, 396. b c, Epheſino contra Neſtorium non interfuit, 439. c

Ibas Neſtorium non excuſavit, 441. b 445. c 449. a, de laude Theodori, quam continet ejus epiſtola, 454. e

Ibæ epiſtola non eſt Neſtoriana, 406. c e 407. d 411. c

Ibæ fides Neſtoriano dogmati adverſa, 518. c, non de Chriſto, ſed de Cyrillo male credidit, 423. d, non Cyrilli fidem, ſed quam Cyrilli eſſe putabat reprehendit, 426. a, Cyrilli intentionem minus intellexit, 424. c, de Cyrillo ſiniſtræ locutus eſt ex ſuſpicione, 411. c 412. b, ſuſpicabatur eum negaſſe in Chriſto differentiam naturarum, 421. c

Ibæ epiſtolam, ut Neſtorianam, anathemarizant adverſarii, 303. b 328 d, *&c.* ab aliis confictam dici volunt, 448. a c, nec a ſynodo ſuſceptam, 343. c 365. a 388. a c 412. c, ſuam eſſe Ibas non negavit, 391. c

Ibæ ad Marim Perſam epiſtola, 418. a, orthodoxa in Concilio Calchedonenſi pronunciata, 303. a 343. b 387. a 388. a 407. d 410. a 588. a, ſine Concilii reprehenſione damnari non poteſt, 325. c 329. a 407. b 408. a

Ibæ damnationis ſententia mutatur ab adverſariis, 330. e, per provincias ſubſcribere coguntur Epiſcopi, 331. d

Idatius Gallæciæ Epiſcopus, *230. b*, ejus patria, 229. a, *legatus ad Aetium* Ducem, 235. b, contra hæreticos operatur, 237. a, ejus Chronicon, 229. d Faſti Conſulares, 245

Ididias, *Salomon*, 765. v. 59

Idonea Flu. 827. v. 451.

Jejunium quanta cura obſervandum, *ibid.* b cum jejunio jungenda eleemoſyna, 678. a, ante veſpertinum officium ſolvi non debet, *ibid.* quibuſnam cibis tunc abſtinendum, *ibid.* b, jejuniorum diebus lites ceſſent, *ibid.* e, abſtinendum a conjugibus, 679. a

Ignatius ſecundus poſt Petrum Antiochenæ ſedis ordinat Eccleſiam, 461. a c

Ignorantia non facit hæreticum, 562. d, per ignorantiam hæretici, velut orthodoxi ſuſcepti, 438. a, per ignorantiam diſſident invicem orthodoxi, 453. a b

Ignorantes in quo diſtinguantur a doloſis, 567. a

Illyriciani Epiſcopi cum Palæſtinis in Concilio Calchedonenſi dubitationem movent de Leonis epiſtola 397. b, ſtant pro tribus capitulis 382. b 595. e

Imperator auxilium Eccleſiæ debet, 340. d, non in patrocinium, ſed in ultionem tranſgreſſionum poteſtatem habet, 344. a, in cauſis Eccleſiæ imitari debet Leonem Imperatorem, 576. c

Imperitus, & arrogans omne quod non intelligit, non diſcere, ſed condemnare feſtinat, 508. b

Imperfecti ſunt qui metu coercentur æterni ſupplicii, 555. c

Immundi ſpiritus amant ſpem hominum in ſe transferre, 952. a

Incarnatio Verbi, 7 a, quod Maria peperit Pater miſit, Filius venit, Spiritus Sanctus infudit, 105. a

Incarnationis divinæ miſterium menſuram humanæ rationis excedit, 322. b, tanti miraculi ſecretum humana ratio indagare non valet, 321. b, oppugnatur a Neſtorianis, & Eutychianis, 299. a 423. e 425. d

Incarnationis ſeu inhumanationis verbum rectam de Chriſto fidem indicat, 499. a, quomodo intelligi debeat hoc myſterium, 558. b

Inciſor doctus, 77. a

Indus, 83. c

Indi monſtra eburnea, 859. v. 67

Indulgentiam ſuccumbentibus prona eſt retribuere uniuſcujuſque fragilitas, 385. c

Infantes non baptizati, 898. c

Innocentii Papæ epiſtola ad Melevitanum Concilium, 974. c

Innocentius Papa Chryſoſtomi damnationem ſolvit, 432 a, primus Pelagianam hæreſim condemnat, 440. a

Inſcriptiones, 883.

Inſpirare, & inſufflare, 3. b c

Intentio mentis, velut oculus corporis, non ſolum dictis noſtris, ſed operibus quoque præſidet, 550. d, intentionem noſtram actio vel ſermo non æquiparat, 550. c, in verbis ſpectanda eſt, & ex ea judicandum, 422. b c 424 b 435. a 450 b 452. a 506. a d 523 d 560. c, non ex ſono verborum æſtimanda, 526. d 542. b, pro diverſitate cauſarum diverſa eſt, 408. c

Intentio dicentis excuſat offenſionem dictorum, 550. c, minus percepta facit, ut unius ſententiæ viri de ſe invicem aliud ſuſpicientur, 424. a, ea latente, laudabiliter adverſum ſe pugnant etiam religioſi, 452. c, doctores Eccleſiæ ab hæreſi defendit, qui ante Eccleſiæ definitionem errantur, 519. b

Interceſſio, 55. a

Interminabilis præſentiæ æternitas, 222. c

Inventores literarum, 621. Carm. xxi.

Invocatio Sanctorum, 674. d

Joannis Baptiſtæ caput ex ejus revelatione inventum, 279. c

Joannes Chryſoſtomus in exilium pulſus 831. v. 620.

Joannis nomen & intellectus, 374. d

Joannis Antiocheni, & orientalium falſa de Cyrilli hæreſi ſuſpicio ſublata, 319. d e 418. e 419. d 420. a, cur offenſi a Cyrillo, 438. d

Joannis ejuſdem & Concilii Synodica ad Proclum & Imperatorem, 300. a 308. a 326. d 483. c, epiſtola ad *Proclum de tomo ejus*, *300* e 326. e 459. d 475. d ad Cyrillum, 301. a 467. b 476. a 484. a 488. c 535. d 560 b, ad Theodoſium Imperatorem 327. a 475. d ad Neſtorium, 448. c 515. d

Joannis auctoritati ac doctrinæ majorem venerationem debet Eccleſia, quam Cyrilli, 430. a 478. a 483. a, melius cum Joanne anathema audire, quam Joanni anathema dicere, 457. b

Joannis expoſitio in Matthæum, 354. c, in Joannem, 354. d in epiſtolam ad Epheſios, 549. c, in epiſtolam ad Hebræos, 550. a 984. a, ſermones diverſi, 374. e. 375. e 549. a, de Aſcenſione 550. b, epiſtola ad Theodorum Mopſueſtenum, 456. c

Joannes Antiochenus, 272. c, diaconus multos libros ſcribit, *ibid.* Conſtantinopoli in locum Nectarii Epiſcopus electus, *ibid.* d, Epiſcopos inimicos habet, *ibid.* in exilium pulſus, 273. c

Joannes Conſtantinopolitanus, 324. c, ſuaviſſimus Eccleſiæ pater, melle Attico dulcior 369. a, os aureum, 374. b, eloquentiſſimus, 375. d, magnus Joannes, 376. c, ſedem regiæ civitatis ornavit, & univerſum mundum doctrina complevit, 472. e, clariſſimus doctor Eccleſiæ, 431. c, clariſſimus doctor, & antiſtes Eccleſiæ, & confeſſor fortiſſimus veritatis, 456. c 457 b, doctrina & ſanctitate inſignis, 963. a

Joannes Conſtantinopolitanus condiſcipulus Theodori Mopſueſteni, 375. c 354. c 355. b 368. b 381. a 456. c 465. b 549. a 585. d, diſcipulus Diodori, 374. b 375. e 472. c, laudat Theodorum, 456. c d. a Cyrillo amariſſimis verbis perſtrictus, & e, dyptichis tolli juſſus, 368. b 432. a, ſine judicio ſedis Apoſtolicæ damnatus, 369. c 431. b, maluit cedere iniquo judicio, quam Eccleſiam dividere, ejus dicta quædam Neſtorianis ſimilia, 549. a

Joannes Diaconus, 971. b

Job opes duplicatæ, 96. b

Jocus in claudum, 795. v. 210

Jonas, 21. a 106. b

Joſaphat rex laudatus, licet in multis deliquerit, 414. d

Joſeph a fratribus venditus, in Ægypto ſervit poſtea dominatur 261. v. 534

Iſaias clariſſimus vates, 951. b

Iſicio pavus concluſus, 77. a

Iſidorus Epiſcopus culpatus quod geminam prædeſtinationem introduxerit, 971. c

Iſidorus presbyter Ægyptius Peluſiota vir ſanctiſſimus, & magnæ in Eccleſia Chriſti gloriæ, 336. b, duo millia epiſtolarum ad ædificationem Eccleſiæ ſcripſit, *ibid.* ejus epiſtolę ad Cyrillum, 336. c

Iſidori Hiſpalenſis teſtimonia de Spiritus Sancti proceſſione ex Patre & Filio, *lib.* VII. *etymolog.* 724. c d, *lib.* XI. *differentiarum*, *ibid.* e, *lib.* I. *ſententiarum*, *ibid.* c

Iſter, 739. v. 106
Iter Lugduno Narbonem carmine deſcriptum, 741. v. 123. aliud iter, 809. Carm, 215.
Jubileus annus, 692. d
Judæi notantur, 1. 2. Paſchale feſtum Judęorum, 106 a 173. v. 569.
Judęi Chriſtum adhuc expectant, 360. d, qualem futurum crederent, 499. c, hominum tantum putaverunt, 485. b, reſfelluntur, 487. a d
Judaica impietas, 485. b
Judaica infidelitas, 499. d
Judas traditor, 101. e 106. e 1015. a
Judex modeſtus & prudens, niſi de propoſitis cauſis, & quęſtionibus, indicat, 519. e,
Judices non conjectores, ſed cognitores cur vocentur, 511. d
Judicat de ſeipſo qui indictum examen refugit, 522. e
Judici quę vitanda, 747. munera ne accipiat, 745. v. 301. extremum diem ſemper cogitet, 751. v. 514
Judicia divina ab humana mente non diſcutienda, 994. d
Judicio divino cauſę commiſſę, 98. e
Judicis futuri irretractabilis ſententia, 586. d
Judicium divinum non effugiet qui evadit humanum, 383. d, aliter judicatur a domino ſimplex ignorantia, aliter duplex conſcientia, 597. b
Julianus Chriſto perfidus Imperator, 379. e, apoſtata ſacrilegus, 380. e
Juliani impia epiſtola ad Photinum hęreſiarcam, 379. c
Julianus diaconus, 43. b
Julius Papa defenditur a calumnia Eutychianorum 318. c d, in epiſtola ad Proſdocium, 318. d
Juſſionis divinę cauſa non ſcrutanda, ſed executio maturanda, 946. e
S. Juſti plebecula, 70. a
Juſtinianus Imp. in zelo fidei prędicatus, 466. e, Origenianorum hęreſim damnat, 302. e
Juſtiniani confeſſio fidei, 299. a
Juſtiniani lex ad Epiphanium Conſtantinopl. 325. e, Epiſtola ad Epiſcopum Rom. contra Theodorum Alexandrinum, 332. a
Juſtinus Imperator 589. e, ejus temporibus Orientales Acacii damnationi ſubſcripſerunt, 589. e
Juſtitia non punit quod natura compellit, 911. a
Juſtitię icon, 815. v. 117
Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus, 396. a, Eutychianorum hęreſis particeps ab Eccleſia exclusus, 399. c
Juvencus poeta, 812. v. 14

L

Laidradus, 741. v. 117
Lampridius presbyter, & Abbas Hieroſolomytani monaſterii, 598. b
Lamuel, 799. v. 296
Latini errorem qui poſtea fuit Neſtorii, mox ut deprehenſus eſt in Eccleſia ſua oppreſſerunt, 314. c, ab Eutychis, & Dioſcori erroribus alieni, Græcis plurimis in eo lapſis, 400. d
Latinorum Eccleſia Auguſtini magiſterio inſtituta, 510. c
Latro in cruce, 56. a 22. d 157. v. 410
Laurentius V. I. 27. d 58. a *ibid.* e
Lazarus, & dives, 151. v. 220. *& ſeq.*
Lazari ſuſcitatio, 17. d
Ledus flu. 739. v. 105
Legati Sedis Apoſtolicæ primi ſedent in Concilio Calchedonenſi, 399. d
Lemovices, 809. v. 620.
Leo Papa, vir Apoſtolicus, & in doctrina veritatis toto orbe notiſſimus, 407. d, fidelis ac fidus propugnator Eccleſiæ & hæreticorum non fictus aut trepidus impugnator, 338. a, auctor Synodi Calchedonenſis, 279. b 407. d, Concilium auctoritate ſua firmatur 401. c 405. e 585. c, Anatolium increpat quod ante maximum Antiochenum ſederit in Conſilio, 409. d, Concilium retractari non permiſit, 340. c *& ſeq.* 571. a, falſo dictus Theodorum, appellaſſe Magiſtrum Neſtorii, 347. a 349. d
Leo Imper. religioſiſſimus, 577. c, nihil ſolis creditum Sacerdotibus uſurpavit, 576. d 577. b 578. a
Leo III. indigne habitus a Romanis, 803. v. 463. a Carolo magno reſtitutus, *ibid.*
Leo V. I. ad Vigilium miſſus a Juſtiniano, 594. a
S. Leonis teſtimonium de Spiritus Sancti proceſſione, 722. e
Leonis epiſtola dogmatica ad Flavianum, 297. a 299. c 326. d 397. a 527. e, a Theodoreto expoſita & aſſerta in Concilio, 325. a 397. a d, epiſtolæ ad Anatolium, 333. b 401. e 406. d ad Leonem Auguſtum, 338. a 571. a d, ad Concilium Calchedonenſem, 342. a 401. c 402. b 406. d, ad Flavianum, 342. d, ad Maximum Antiochenum, 349. d 404. d 406. d, ad Juvenalem Hieroſolymitanum, 351. b ad Martianum Auguſtum, 405. b, ad Pulcheriam Aug. 405. b, ad clericos Ægyptios conſtitutos apud Conſtantinopolim, 572. c, ad Clericos Conſtantinopolitanos, 572. d
Leonianus, 72. b. Archidiaconus. 76. d
Leporius monachus, cum in Gallia eadem doceret, quæ poſtea Neſtorius, inde pulſus, & in Africa converſus, libellum ſatisfationis ſcribit ad Gallos Epiſcopos, 314. a
Leubila, 781. v. 525
Leviathan, 969. b
Leutgardis Caroli M. uxor, 791. v. 83. 803. v. 433.
Lex naturalis in hominis mente defixa, fortior eſt ea quæ foris habetur in literis, 479. c
Lex juſta crimen non jubet ne ſit injuſta, criminoſum punit ut ſit juſta, 906. a
Liberalium artium deſcriptio, & ordo inter ſe, 813. v. 65
Libertas arbitrii poſt Adæ peccatum depravata, 1013. b
Liberum arbitrium, 941. b 971. e *& ſeq.* congenitum & inamiſſibile, 953. b, a Deo homini datum, 909. a
Libya, 739. v. 113.
Liger, 739. v. 105. 775. v. 355. 799. v. 293.
Lingua Diodori cum Lyra, & tuba comparatur a Chryſoſtomo, 375. e multa non ſicut ſentimus eloquimur, & multa non ſicut a nobis proferuntur, ita ſuſcipiuntur, 523. d
Logana pagus, 999. b
Loth, 970. b
Loth hiſtoria, in qua uxor virum non ſeduxit, 143. v. 326. *& ſeq.*
Hludovicus, 827. v. 444. Caroli M. filius, 789. v. 72. ejus regni initium, 781. v. 531
Lugdunum, 739. v. 115. 741. v. 123
Lugdunenſe baſilica, 54. a
Lugdunenſe Concilium, 43. d

M

Macedoniani, pneumatomachi hęretici, 482. b
Madalona, Magalona, 741. v. 133
Magdaliola, 78. b
Magi Ægytij, 141. v. 297. *& ſeq.*
Magicę artis origo, 141. v. 277
Magiſter officiorum urget Facundum ut de tribus capitulis reſpondeat, 297. a
Magnus Epiſcopus Senonenſis, 679
Major domus Tullii, 51. a
Mamertus rogationum inſtitutor, 91. a
Mantio presbyter, 809. v. 630
Mane & veſperi orandum, 672. d
Manichęus, 34°. a 348. b 563. a
Manichęi Judaicę infidelitati male contrarii vetus teſtamentum deteſtantur, 360. d 485. b, de Chriſto prophetias evacuant, 485. b, carnem filii Dei phantaſticam dicebant, 310. c Sacramentum Incarnationis Chriſti abjurant, 424. b, Chriſtum hominem negant, Judęi purum hominem affirmant, 409. a
Mantio epiſcopus Toloſanus, 879. v. 518
Maras presbyter, accuſator Ibę, 392. a
Marcellini Comitis Chronicon, 269
Marcianus Imperator verus reipublicę pater, & verus Eccleſię filius, 573. e 574. b, de *iis* quę in Concilio Calchedon. judicata fuerant publice diſputari vetuit, 573. a e, per eum reipublicę ſalus, & Eccleſię requies data, 573. e
Marciani reſcriptum, 573. b, lex, 279. b
Margaritę ſimilis ſermo divinus, 364. d
Maria ex ſemine David, 14. a Virgo mater, 203. v. 202. Θεοτόκος, b c, non cœpit ex ea Dominus, 44. b

Maria vere, & proprie mater Dei, 299. b 301. a b, aſſeritur contra quoſdam catholicos, 309. c, & *ſeqq.* & contra Neſtorium, 311. a, & *ſeqq.* Neſtorianam, & Eutychianam hæreſim deſtruit iſta confeſſio, 310. c, id nomen a multis patribus antea uſurpatum, 448. d, Incarnationis myſterium declarat, 448. e
Maria negavit Neſtorius, 418. c 442. a c 448. c, ſolum nomen ſe recuſare ajebat, rem confiteri, 448. c
Mariæ filium ab ea cæpiſſe dicebat Paulus Samoſatenus, 530. b
Mariam Dei genitricem qui negant quaternitatem in Trinitate inducunt, 313. c
Mariæ & Marthæ Sororum error, 553. b fides imperfecta, 564. d 565. a
Mariani, Martiani hæretici, 482. b
Marianus Doracenus Epiſcopus, 598. b
Maris Perſa, 455. a
Maris rubri tranſitus, 177
Marſi in ſerpentes, 141. v. 303
Martyrius Epiſcopus Marciopolitanus, 379. b
Martyrii coronæ nullum penitus meritum humani operis exæquatur, 219. a
Martyriani hæretici, 482. b
Maſſaliani Euchitæ hæretici, 482. b
Maſſilia, 741. v. 151.
Matfredus Comes, 833. v. 671.
Mathematicharum artium icones, 815. v. 125.
Matrimonii incommoda, 201. v. 260.
Matrona flu. 739. v. 105.
Matthæi vocatio, 103. b
S. Mauricii Ædes, 777. v. 383.
S. Maurilii Ædes, 177. v. 371.
Maximinus Antiſtes, 29. c
S. Maximinus Abbas Monaſterii Mitiacenſis, 781. v. 485.
Maximus Antiochenus, 342. b 396. a d, Eutychianorum particeps, & ab illis ordinatus pro Domno, 399. c 401. e
Mediator Dei & hominum Deus & homo, 117. c d
Medicorum ſolatium ordinatum a Deo quatenus expetendum, 413. b
Meduana flu. 775. v. 355. 777. v. 376. 825. v. 402.
Melchiſedech, 835. v. 16. ejus Sacrificium, *ibid.*
Meletius Epiſcopus Antiochenus, 468. b, Dei homo, Diodorum Tarſenſem creavit Epiſcopum, 473. e fidei cauſa exul, 496. a
Meletiani ab Arianis dicti Apoſtolicorum cuſtodes dogmatum, 472. d 473. e
Memnon Epheſinus Epiſcopus ab Orientalibus cum Cyrillo condemnatus, 443. d 449. a 451. c
Mendacium quærit qui poſt veritatem repertam aliquid ulterius diſcutit, 573. b
Mendacio defendi veritas non debet, 412. a, hæreticorum non eſt nolle mentiri, 398. c.
Mendaces ad accuſandum vel atteſtandum non admittendi, 398. c
Mennas Conſtantinopolitanus primusconfirmator damnationis trium capitulorum contra Synodum Calchedonenſem fieri proteſtatus eſt, 382. a 383. c 593. c, reprehenſus a Stephano diacono reſponſali Sedis Apoſtolicæ, 383. c
Mentiri Chriſtiano verbis aut factis non licet, 18. d
Mens humana mutabilis, 611. Carm. 111.
Mercatori quæ vitanda, 676. d
Michael inter Angelos princeps, 115. a
Miſericordiæ opera, 675. d
Miſſa, Miſſum facere, 1. a
Miſſę non celebrentur niſi in Eccleſia, 669. d
Miſſę ſolemnes, 678. b
Dum Miſſæ celebrantur feminæ ad Altare non accedant, 668. c
In Miſſa celebranda quæ cura eſſe debeat panis, vini, & aquæ, 668. b
Miſſam Sacerdos non celebret ſolus, *ibid.* d
Per Miſſas privatas diebus dominicis populus non abſtrahatur a Miſſis publicis, 680. a
Miſſarum Sacrificium, 12. b
Mitiacum Monaſterium, 781. v. 483.
Moduinus Epiſcopus Auguſtodunenſis, 823. v. 331. ejus ad Theodulfum exulem epiſtola, 431. Carm. IX.
Monachi quam perfecti eſſe debeant 732. a
Monachi prædicandi jus ne ſibi vindicent, 405. a

Monarchia quibus populis uſu recepta, 809. v. 601.
Monaſterium Ananienſe, 779. v. 449. Carroſini, S. Salvatoris, in diœceſi Pictavica, 807. v. 527. Caſini, 781. v. 481. Mitiacum, *ibid.* v. 483.
Monaſterium S. Felicis in Tutaneſio, 615. Carm. x.
Monaſticæ domus deſcriptio, 781. v. 505
Monogrammatis ſignum, 79. a
Monoſtica, 651.
Moraliter etiam exponere licet quæ prophetice dicta ſunt, 361. b
Mortis in limine multi converſi hæretici, Judęi, & gentiles, 524. b
Mortui in pace Eccleſię ſic excuſandi, ne accuſentur errores, 561. c, poſt mortem damnatos hęreticos fuiſſe quidam dicunt, 521. b
Mortuis non inſultandum, 366. a, eorum ſcripta melius interpretanda, 503. b, non temere condemnandi, 433. a 460. a 461. c 463. b d 464. c e
Mortuorum judices taxantur, 522. d 523. b 525. b c, Deo præripit judicium qui judicat de mortuis, 366. b 525. c,
Mortuos ſolvendi poteſtatem Eccleſia non accepit, 531. c,
Mortuos damnari, qui in vita culpati non ſunt contra morem eſt Eccleſiæ, 463. c 596. d, & *ſeqq.* 597.
Molà, 739. v. 103. Moſella, *ibid.* v. 105
Moſes per Chriſtum ſalvatus, 100. c, cum Chriſto colloquuts, 107. d, aquam dulcavit, 95. a
Moſis facies cornuta, 107. d, ad Pharaonem oratio, 177. v. 41. virga in ſerpentem verſa, 179. v. 67. aquę in ſanguinem, 179. v. 127. ranę & ciniphes, 181. v. 155. tenebrę, 181. v. 200. primogenitorum cędes, 183. v. 270.
Multitudinem non ſequitur impunitas, 344. c
Mundi initium, 125.
Mundi finem pluribus indiciis proximum monſtrari, 867. v. 339.
Mundi contemptus quomodo ſuggerendus principibus, 219. d
Muſicę icon, 815. v. 133.
Mutianus Scholaſticus contra quem Facundus, 587. b, Arianus ſub Wandalis in Affrica 598. c, Conſiliarii actionem adeptus, *ibid.*
Mutus a nativitate exciſa lingua loquitur, 283.
Myſia II. provincia, 441. a
Myſteria fidei reverenter parceque tractanda ſunt, quia inane nomen habent, ſi paſſim ventilentur, 565. c

N

NAmpins, 781. v. 519.
Nathan propheta David regem redarguens, 584. c
Narbo 741. v. 148. prior Arelate, *ibid.*
Narbona, 741. v. 137
Nardus, Nardulus, 793. v. 155. 795. v. 177
Natura humana componi poteſt, non divina, 321. c 322
S. Nazarii martyris ſepulcrum, 783. v. 565. Romæ paſſus, *ibid.* v. 567. ejus Ædes *ibid.* v. 571. nominis etymon, *ibid.* v. 573
Nebridius, 781. v. 515
Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, 369. a
Negligens in Fidei cauſa tolerabilior forſitan hæretico, tamen indocto eſt deterior, 482. a
Nemauſiacæ arces, 741. v. 131
Neſtorius, 86. c 90. a 276. b d
Neſtorius impius, 463. e perfidiam ſuam noxiæ diligentiæ celabat obtentu, 470. c, in Concilio Calchedon. damnatus, 398. a, cur poſt Concilium in civitatem ſuam redire non potuit, 442. c
Neſtorius Mariam Dei Matrem negabat, 309. e 470. c, quia non eundem credebat Deum quem hominem, 315. d 362. a, nefandam dualitatem inducere conatus 423. c, Chriſtum in duas perſonas diviſit, 425. e cum prava ſaperet emendare contempſit, 522. a
Neſtoriani a Concilio Calchedonenſi refutati, 299. a, catholicos, de Eutychiana hæreſi criminantur, 303. c, eorum hæreſis de perſona Chriſti, 306. d 425. a, Chriſtum non Deum ſecundum naturam, ſed ſecundum relationem dignitatis, vel gratiæ nuncupationem dicebant, 489. c, clariſſimos Eccleſię Doctores

in ſuam ſententiam detorquebant, 504. a
Nicęna Synodus unius eſſentiæ patrem & filium docuit, 408. a 531. a, male de filio ſentientes anathematizavit, 527. b, Eccleſiarum jura & privilegia conſtituit, 402. b, contra ejus definita ſi quid in Conciliis diſcrepat, ſedes Apoſtolica non conſentit, 404. e 405. e
Nili inundatio, 131. v. 264
Niniviratum pęnitudo, 21. a 82. c 167. v. 357. 1003. e
Nitrię Monachi contra Apolinarium ſcribunt, 377. c
Noe Sanctitas, 163. v. 167. arcam fabricare juſſus, 165. v. 239. ſabricat, 167. v. 344. deriſus a filio, 169. v. 406. ejus ſacrificium, 173. v. 590.
Nonnus Epiſcopus Edeſſę in Ibę locum ordinatus, ante illius purgationem ſedit in Concilio Calchedonenſi, 396. b 397. d 398. a, cum eodem ſubſcribit decretis Concilii, 396. d 397. d, poſt ejus reſtitutionem non amplius ſedit, nec ſubſcripſit, 396. e
Notingus Epiſcopus, 989. d
Nova Deo grata, 26. b 27 b
Nuptię in Cana, 14. b

O

OBſtinati difficile reijciunt quod ſemel adſumpſerunt, 510. e, diſcant de lapſu admoniti, Petri modeſtiam imitari, 517. a
Occulta judicare proprium eſt Dei. 524. c
Occulta atque ſecreta Dei nemo ſcrutare debet, 1018. e
Occurrere Deo qui dicantur, 116. c
Oenus flu. 739. v. 103
Olemundus, 781. v. 520
Olitis flu. 739. v. 106
Operarii in Evangelio conducti, 21. a
Operatio jungenda ſupplicationi, 92. b, Dei voluntas eſt ut bene faciamus, noſtrum eſt quod fecerimus, 120. b, boni actio violenter non auſertur, 120. c
Opportune niſi fiant quę neceſſaria videntur perturbationem accipiunt, 467. d, quę opportune prolata ſalubria forent, incongruo tempore nocent, 579. c
Optimus Epiſcopus Anthiochię Piſidię, 379. a
Oratio plebis adunatę efficacior, 92. b
Oratio ad Chriſtum, ut Adę peccatum reparet, 155. v. 362. & ſeq.
Oratio ad Deum, 609. Carm. I.
Orationi aſſidue vacent Sacerdotes, 667. d, oreut omnes quotidie ſaltem mane, & veſperi in Baſilica, 672. d, orandi modus, 674. d
Ordo in divinis obſequiis conſervandus 575. b, ordo divinę diſpoſitionis ſequendus, 578. e, calcatus a Zenone quem Marcianus & Leo ſervarant, 583. a
Ordo propoſitus tractandę cauſę conducit, 304. a
Oriens omnis a communione Sedis Apoſtolicę per annos XI. remotus, 589. e
Orientis Synodus apud Antiochiam, 324. c
Orientales in Concilio Epheſino non expectati, 438. d, 439. a, cum illis adjuncti aliarum novem provinciarum Epiſcopi, 440. e 441. a offenſi non ob damnationem Neſtorii ſed ob capitula Cyrilli, 448. a Neſtorium in ſua damnatione reliquerunt, 449. a
Orientalium falſa de Cyrillo ſuſpicio, 319. d, per Paulum Emeſenum ſublata, 320. e, Cyrilli, & Orientalium eadem fuit intentio, 424. a, Orientalium Synodi literę ad Theodoſium Imperatorem, 465. a 466. d 570. a
Originale peccatum, 133.
Origenes hęreticus, 563. a, Juſtiniani inſtantia damnatus iterum, 302. c
Origeniani quæſtionem de tribus capitulis ſubdole commovent, 302. b, & ſeq. 303. a 384. e 385. a, Theodorum oderant, quia ſcripſerat contra Origenem, 362. c
Origenis dogma gentile, 302. c, animas ante corpora fuiſſe, & peccaſſe deliravit, 321. d 322. 385. a
Origenianus Epiſcopus Ancyrę Domitianus, 302. c
Orthodoxi vocabulum veram fidei Chriſtianę confeſſionem ſignificat, 416. c 417. b
Oſulſus, 793. v. 175. 795. v. 177
Otreius Epiſcopus Melitinę, 379. a
Oza percuſſus quia arcam tangere pręſumpſit, 575. e 576. b
Ozias rex lepra percuſſus dum ſacrificare pręſumit, 574. a

P

PAcis laus, 611. Carm. IV.
Padus, 739. v. 104
Palatii cauſę ad Eccleſiam transferuntur non Eccleſię ad palatium, 582. a
Palęſtini Epiſcopi dubitationem in Concilio Calchedonenſi movent de Leonis epiſtola, 397. a
Palęſtinorum Epiſcoporum de Pelagio judicium, 440. a
Papa Conſtantinopolitanus, 27. d, cum Romano velut gemini Apoſtolorum principes, 28. a
Papa Hieroſolymitanus, principem locum in Eccleſia univerſali tenet, 39. b 86. b, & ſeq.
Papa Romanus univerſę Eccleſię Pręſul, 52. a
Paradiſi deſcriptio, 129 v. 193. & ſeq.
Parænesis ad Epiſcopos, 847. Carm. III. ad judices, 737. Carm. I.
Paraſiti fallaces incautis illudunt patronis, 583. c
Parentum officium erga liberos, 676. b
Particus ductor, 83. c
Paſcha Judęorum inſtitutum, 183. v. 231. noſtrum quando cœpit, 106. a
Paſchalis hebdomadæ celebritas, 678. d
Paſchaſius, 827. v. 465
Paſtores gregem ducere, non grex paſtores debet, 583. d, paſtores Epiſcopi non ad lac & vellera, ſed ad avertendas luporum inſidias, & tuenda ovilia, 385. c
Patres tamquam luminaria Deus in Eccleſia ſua conſtituit. 432. d, Eclipſes patrum, *ibid.* venerandi ſunt, non contemnendi, 433. a, eorum opera ſole clariora, & radiata divinis eloquiis, 945. b
Patrum conſenſus quanti faciendus ſit, 480. b, Patrum Sententiæ cum veneratione ſuſcipiendæ, 503. c, in patribus Spiritus Dei locutus eſt, 321. a, laudari contra patrum ſententiam criminoſum eſt, cum eis criminari laudabile, 460. a, Patrum dicta cum divinis literis ad probandum Proclus conjunxit, 300. d
Patribus venerandis parcendum, 475. a, patrum antiquorum multa non ſeverum judicem, ſed pium quærunt interpretem, 470. e, Patrum errata curioſius requirere indecorum eſt, 569. d, majores reprehendere ignominioſa eſt gloria, 527. d
Patrum Græcorum teſtimonia quod Chriſtus pro omnibus paſſus ſit, 983. a
Patrophilus Epiſcopus Ægenſis Eccleſiæ, 373. d
Paulinus Epiſcopus Antiochenus, 372. d, irreprehenſibilis, & religioſiſſimus accuſatur ab Apollinario, 377. d
Paulinus, 811. v. 15
S. Pauli Epiſtolarum ordo, 767. v. 99. Epiſtola ad Corinthios carmen, 869. Carm. XV.
Paulus Apoſtolus ad Chriſtum aliquando transfert, quę de aliis dicta erant, 363. d e, quod myſtice de Chriſto dictum erat, moraliter alio traducit, 363. d e, Petrum reprehendit, 479. a
Paulus Samoſatenus Epiſcopus Antiochenus purum hominem dicebat Chriſtum, 347. b 418. b, ſolum patrem Deum dicebat, filium Mariæ hominem tantum, 530. b, Angelus diaboli dictus a Theodoro, 347. b
Paulus Emeſenus Epiſcopus ab orientalibus miſſus ad Cyrillum cum fidei formula cui ſubſcriberet, 314. e 419. e 425. a 428. d 434. b, ſermonem habet Alexandriæ, 319. c 454. b
Pauperum alimonia, 217. a 218
Pecunia quomodo utendum, 910. d
Peccata ſeptem modis dimitti, 677. a
Peccata cogitationum in confeſſione aperiantur, 675. b
Peccati circumſtantię in confeſſione inquirendæ, 675. c
Peccatum Adæ nemo valuit expiare niſi ſolus ſanguis Chriſti, 950. b
Pelagius Epiſcopus Laodiciæ, 379. a
Pelagius diaconus Romanus cum Anatolio ſcribit ad Ferrandum diaconum Carthagin. de tribus capitulis, 382. c
Pelagius hæreſiarca in Concilio Palæſtino per ignorantiam abſolutus, 440. a
Pelagonia provincia, Paphlagonia, 441. a
Peregrinus dici non poteſt Sacerdos, ubi eſt Eccleſia Catholica, 29. c
Contra perjuros, 673. d 759. v. 809. quænam perjuris pœnitentia imponeretur, 673. d

Perſonatum nomen uſurpari cæpit cum Sabellius impugnaret Eccleſiam, 307. b.
Perticus, 825. v. 402.
Perturbatio facit diſcordiam, & contentionem, 515.b.
Petrus Apoſtolorum caput, id eſt, principum princeps, ſuper mare ambulans, 93.e, quomodo omnia reliquerit, 218. a, cur reprehenſus a Paulo, 479.a, pro ſui primatu gloria non indigne tulit, 517.a, cælorum janitor, non origine natalium placuit, ſed fine meritorum, 503. b
Petri doctrina non ideo nullius auctoritatis, quod Chriſtum negaverit, aut quod reprehenſus a Paulo fuerit, 400. b
Petri carcer illuſtratur, 95. e
Petrus Epiſcopus Alexandrinus ſucceſſor Athanaſii, 372. c, in epiſtola ad exules epiſcopos & presbyteros, *ibid.*
Petrus Epiſcopus Hieroſolymitanus damnationis decreto conſenſit, licet contra Synodum Calcedonenſem factum agnoſceret, 384.b
Petricordia tellus, 811. v. 633
Phantaſma Eutychis refutatum, 14. a 16. b 18. c 19. a *& ſeq.* 99. b. c
Pharao, 993. a b
Pharaonis minax oratio, 177. v. 48. inſequitur Iſraelitas, 189. v. 467. ſubmergitur, 195.v.636
Philippus, 969. a
Phœnicia tellus, 633. v. 209
Phœnicis renovatio, 831. v. 240
Phociani, Photiniani hæretici, 482. b
Photinus hæreſiarcha 17. b, ob hæreſim laudatus a Juliano, 379. c. contra Photinum decreta Concilii Sirmienſis, 531.c
Photiniani etiam mortuum ac reſuſcitatum aſſerunt Chriſtum, 103. a.
Pietas quantum ratio patitur excuſationi magis debet quam accuſationi favere perſonę, 484. c.
Pippini mors, 797. v. 259.
Pireneus, 739. v. 554.
Piſidia provincia, 440. e.
Piſces literis Græcis & Hebæris inſigniti, 244. e.
Pitacia in phialis, 72. c.
Placere Deo nequit, qui uſque ad ſui electionem ſibi placuerit, 118. e.
Pęnitentia debet injungi in confeſſione juxta modum facti, 675. c
Pęnitentia momentanea fructu non caret, 20. d, non violanda, 22. b
Pęnitentes, 221. a
Poetarum fabulæ qualiter a philoſophis explicentur, 811. Carm. 1.
Populana Gallia, 811. v. 645.
Poteſtas inconſiderata non quod expedit ſed quod ſibi licet attendit, 580. b
Poteſtas impatiens conſortis, 809. Carm. x.
Prędeſtinatio quænam ſit, 956. c 969. b 1001. d 1020. a
Prædeſtinatio Dei ſemper in bono, 1022. d, quomodo intelligenda, 898. a
Prædeſtinatio nunquam ſine præſcientia, præſcientia plerumque ſine prædeſtinatione, 956. c 1020. a
Prædeſtinationis nomen unde deſumptum, 1001. d
Prædeſtinatorum dicta, 1007. c
Prædicandi jus Monachi vel laici ſibi non vendicent, 405. a
Præparatio ad jejunium quadrageſimæ, 677. a
Presbyteri ad docendam plebem ſint parati, 667. a 674. b, neceſſaria ipſis manuum operatio, 667. e, cum feminis non habitent, 669. d, a tabernis abſtineant, *ibid.* e, ne cum quibuslibet conviventur, 670. a, alterius Eccleſiæ clericos ne ſollicitent aut recipiant, *ibid.* c, pueros gratis erudiant, 671. b
Presbyteri correctores debent eſſe malorum non ſecutores errantium, 998. a, contentiones de prædeſtinatione vitare debent in populo, 996. e
Presbyteri in ſecundo gradu, 35. d
Primates Eccleſiarum, 385. b, primates Epiſcoporum, 438. d, primatum in Concilio orientali habuit Joannes Antiochenus, 448. a
Princeps exaudire debet ſalubriter hortantes Epiſcopos, 466. e
Princeps poteſtate temporali etiam Sacerdotibus præpoſitus, 584. d
Principem honorare jubentur non tantum laici, ſed etiam Sacerdotes, 579. e
Principem nihil magis decet quam Catholica fides, 302. a
Principes obedire, & ſubjacere debent Eccleſiæ præpoſitis, 579. e, ad Sacerdotum curam pertinent, 584. a,
Principes regna divinis nutibus adminiſtrant, 219. [illegible] 649. v. 97
Principis Chriſtiani ſpecimen in Marciano c 574. b, diſtinguere debet quibus in cauſis uti debeat poteſtate, & in quibus exhibere obedientiam Chriſtiani, 573. c, imperii decorem alieni officii uſurpatione fœdare non debet, 576. c
Principi ſerius innoteſcunt quæ ſuggeri oporteret, 465. d 469. b principi ſubripientes plectendi, 344. b
Priſcillianus hæreticus, 231. a, per Epiſcopos ſibi collegatos ordinatur Epiſcopus, *ibid.* a ſede depulſus, *ibid.* b, in Synodo Toletana damnatus *ibid.* e
Probus, 629. v. 3
Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus vir ſapientiſſimus, 464. c, vir prudentiſſimus atque Sanctiſſimus, 464. b, vir bonus & ſapiens, 464. e negat ſe Theodorum anathematizandum ſcripſiſſe, 464. d 520. c 586. a 598. a, Theodoſium Imp. adit pro ſedando Eccleſiæ tumultu, 466. e
Procli Epiſcopi C. P. teſtimonium de proceſſione Spiritus Sancti ex Patre & Filio, 726. d
Procli tomus ad Armenos, 299. d, 300. b 308. a 325. e 326. 459. e d, 462. d *&c.* epiſtola ad Joannem Antiochenum, 300. b 462. e 475. e, *epiſtola* ad Maximum diaconum, 463. c 476. a
Prodigus filius ad patrem recurſus, 155. v. 370
Prophetæ de Chriſto adnuntiarunt, 360. d 361. prophetica dicta de Chriſto interdum moraliter exponuntur, 362. b e 363. b 364. c, *& ſeq* prophetias de Chriſto evacuaſſe falſo dictus Theodorus, 485. b 486. c
Propinqui quomodo dimittendi, 219. e
Proſper Aquitanus, 281. b, eius Confeſſio, 663
B. Proſper fidelis executor doctrinæ S. Auguſtini contra Pelagianos ſcribit, 1020. d, contra capitula calumniatorum Gallorum, 1021. e, item contra capitula Obiectionum Vincentianarum, 1008. c 1020. e
Provincialis, 49. a
Provincialis vir nobilis, 30. c
Prudentiæ icon, 815. v. 107.
Prudentius Epiſcopus Tricaſſinus, 989. a
Prudentius poeta, 687. 811. v. 16. eius teſtimonia de Spiritus ſancti proceſſione ex Patre & Filio, *in Hamartigenia*, 729. a, *in Cathemer. hymno* vi. *ibid. in hymno* v. *ibid.*
Prudentii pſychomachia, 207. v. 310
Puer centum annorum morietur, 220. a
Pugnæ avium, 827. Carm. vii. & 829. Carm. viii.
Purgationi ſufficit quod ad corrigendum paratus ſit qui erravit, 517. e
Purpuræ color principem cujus rei admoneat, 580. a 581, a
Puſillanimitas ſi non perſeverat uſque in finem, pro devotione ſui fidelis exordii veniam ſolet impetrare, 386. a

Q

QUadrageſimæ jejunium quanta cura obſervandum, 677. d, quoties, & quibus diebus tunc communicandum, 678. d, quid curandum ante quadrageſimam, 677 a
Quaternitatem pro Trinitate inducit, qui Mariam Dei matrem negat, 315. c
Quaternitatem duos filios prædicando introduxiſſe fingitur Theodorus, 485. b
Quartam perſonam in Trinitate refellit Theodorus, 359. d
Querimonia ægritudinis, 631. Carm. xi
S. Quintini Martyris ædes a Fulrado inſtaurata, 782. v. 535. 783. v. 548. eadem peregrinationibus celebris *ibid.* v. 562

R

RAab fides, 22. c
Rabanus Epiſcopus Moguntinus, 989. contra errores Gotheſcalci ſcribit ad Hincmarum Remenſem, 989. a, ad Notingum Epiſcopum Veronenſem, 999. ad Heberardum Comitem, 1019. liber de prædeſtinatione, 1019. d, librum Hincmari Remenſis ad ſimplices & recluſos probat, 998. a, amplius aliquid, contra Gotheſcalcum ſcribere ſuperfluum judicat, 998. b
Racha, 2. b
Raptorum tela, 220. d
Recentes, 72. c
Reciverga uxor Chindaſuinti regis, 627. v. 9. ejus mors, *ibid.*
Redæ, 741. v. 141
Repugnans alterius prædicationis dicere debet aliquid, quod ei ſit contrarium aut diverſum, 310. c 311. a
Reges poſt Chriſti adventum Sacerdotio in Eccleſia non funguntur, 576. d, gentiles tantum principes imperium ſimul Sacerdotiumque tenuerunt, 578. a, regibus quoque ipſis demandatur, ut obediant & ſubjaceant præpoſitis Eccleſiæ Chriſti, 579. c 580. a
Regionum orbis ampla enumeratio, 859. v. 65
Regna ſubvertuntur cum lex Dei contemnitur, 223. b
Regum gratia ſine augmento non redditur, 60. b
Reliquiæ ſacræ, 36. a 39. c 43. a
Reſurrectio quales efficiet, 19. a
Reſponſionis non eſt eadem conditio & quæſtionis, 510. d
Rhenus, 739. v. 103
Rethoricæ imago, 815. v. 81. ejus comparatio cum dialectica, *ibid.* v. 92
Rhodanus, 739. v. 103
Rhodopa provincia, 441. a
Riculfus; 593. v. 142
Rodtrud Caroli M. filia, 791. v. 81
Rogationum initium, 91. b
Rogationalis obſervantia, 89. c
Roma urbs orbi venerabilis, 47. b, apex mundi, 48, b
Romanæ Eccleſiæ maximus ſacerdos ad quem velut ad caput membra recurrunt, 52. a, ad ejus audientiam appellatio, 65. c
Romani Epiſcopi prima & maxima poteſtas, 340. b, primus inter primos Chriſtianos Sacerdotes, 382. b,
Romanus Pontifex, cum Sole comparatur, 571. c 572. a, conſulitur a damnatoribus trium capitulorum, 340. a
Romanum Concilium de cauſa Symmachi Galliæ epiſcopi non probant, 47. d
Romphæa, 899. d
Romulus Chriſtianus Imperator, 344. b
Rothaidh Caroli M. filia, 791. v. 99
Rotharius Comes, 807. v. 533. ejus uxor Eufraſia, *ibid.* v. 534
Rupeus Morenatus, *Hadr. Valeſius legit*, Rupes Morenata, 741. v. 128
Ruta flu. 739. v. 105
Rutilus poeta, 811. v. 13

S

SAbbato omnes conveniant ad vigilias ſeu Matutinum officium, 673. b
Sabellius unicam divinæ Trinitatis credidit perſonam, 485. a
Sabellii cauſa perſonę nomen uſurpari cœptum in Sancta Trinitate, 307. b
Sabelliani de Ariana hæreſi orthodoxos infamabant, 303. c, non ſuſcipiebant Eccleſiæ de Trinitate doctrinam, 400. b c
Sacerdotes populi Dei etiam principum curam gerunt, 584. a c
Sacerdotes primi ordinis Epiſcopi, ſecundi ordinis presbyteri, 574. b
Saciani hæretici, 482. b
Sacerdotum dignitas, 667. b, *vide* Presbyter
Sacramentum Baptiſmi, *Vide* Baptiſmus
Sacramentum adoptionis filiorum Dei 507. b, Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, *ibid.*
Sacrificium Miſſarum, 22. b, commemorationis, 21. b
Sacrificia noſtra, 25. c
Sæcularii auctores, 2. a
Sæcularis poteſtas nunquam feliciter ſibi uſurpavit quod ei creditum non eſt, 483. a
Sal in baptiſmo, 683. a
Salomon ex adulterio natus, 651. v. 137. rex prudens & ſapiens, *ibid.* v. 145
Salomonis maxima in ſcripturis auctoritas, 45. c
Saluſtius auctor gentilis, 946. b
Samaritani cora, 157. v. 396
Sampſon nutu divino inſpiratus ſe oppreſſit, 569. a
Sapaudia, 74. c
Sapaudus V. I. 76. d
Sarta flu. 775. v. 356. 825. v. 401. ſiccatur, *ibid.* v. 409
S. Saturnini Ædes, 777. v. 365
Scandala interdum præter voluntatem & præter ſcientiam oriuntur, 439. b
Schiſma Eccleſiæ propter acephalos in eam receptos, 582. c
Scholæ in quibus fidelium pueri gratis erudiantur, 671. b d, ad quas presbyteri conſanguineos mittant, *ibid.* a
Scientiæ gloria multis obfuit ad ſalutem, 516. c
Scottus, 793. v. 160. & 164
Scottellus, 795. v. 214
Scottulus, 799. v. 341.
Scottus, Sottus, Cottus, *ibid.* v. 349
Scriptura divina nihil loquitur blaſphemum vel abſurdum, 312. d, a majore & meliore parte ſolet ferre ſententiam, 412. d, 415. b videtur plerumque negare quod negandum non eſt, ut aliud magis neceſſarium intimet, 423. b
Scripturæ ſacræ pręſtantia, 767. v. 137
Scripturę divinę hanc debemus reverentiam ut non credamus quod aliquid indigne laudarit, 568. c, pro divinarum literarum profunditate in multis humanus caligat adſpectus, 566. a
Scripturę ſacrę difficultate fidem & pietatem Eccleſię Chriſtus exercet, 570. c
Scripturas divinas aliter legimus, quę canonicę vocantur, aliter eorum qui de his locuti ſunt, 552. c 553. a
Scripturis divinis tribui non debent errores, quos ex iis hęretici conantur defendere, 435. b 436. a
Scripturis divinis acquieſcendum, 562. d 563. a
Scrutinium in Baptiſmo, 685. c
Secreta noſtra imperfectis non prodenda, 42. a
Securitas nulla dum in carne ſumus, 201. v. 123. rapta de adverſitate, 220. c
Sedulius, 811. v. 13
Seleucia Iſaurię, 598. c
Semiariani hęretici, 482. b
Semieutychiani acephali, 316. d 581. a, Chriſti naturam aliquid naturę patris, aliquid noſtrę habere dicebant, 316. d
Senectus omnium morborum ſumma, 615. Carm. xxi.
Sententię nomen perit, ſi non illud dicitur quod ſentitur, 577. d
Sequana, 739. v. 104
S. Sergius martyr, 777. v. 369
Sermo divinus ſimilis margaritę rectiſſimo aperiri debet intellectu, 364. d, ſolę in contemptu ſunt divinę litterę de quibus peritiſſime deputare ſe credit qui nunquam didicit, 581. c
Servatus Lupus, 945. liber de tribus quęſtionibus ſcribit, de libero arbitrio, 945. c de prędeſtinatione, 953. c, de Sanguine Chriſti, 961. a, ejuſdem collectaneum de iiſdem quęſtionibus, 963. b, epiſtola ad Carolum Calvum 977. d, ad Hincmarum Remenſem, 981. b
Servitutis origo, 459. v. 412
Servus negator depoſiti, 54. c
D. Severini Epiſcopi doctrina, 659.
Sextantio, *Hadr. Valeſius legit ſextatio*, 741. v. 133.
Sidonius, 53. d, ſollius, 61. c
Sigiſmundus rex, 82. c, Patricius 27. d, comes, 58. b 84. a, amat Catholicam legem, 55. d, princeps orthodoxus, 24. d, fidem amplexus, 81. c, ejus expeditio

peditio bellica, 81. c
Sigiſricus & ejus ſoror ab Arriana hæreſi converſi, 93. *num.* 8
Signatori annli deſeriptio, 78. b
Simplicium crimini deputari non debet non intellecta verſutia malignorum, 442. c
Contra ſimulatores, *ibid.* Carm. iv. 863. Carm. x. 833 Carm. xviii.
Sirmienſis Concilii decreta, 530. e 531. a 598. c
Solearum duo paria, 71. c
Somni portæ, 813. v. 53
Sorcius ad Boetbum quid ſeripſerit, 595. c e
Sororum duarum maritus, 33. a 34
Spes impunitatis magna peccandi illecebra, 946. c
Spiritus divinus, ſpiritus humanus, 3. a, *& ſeq.*
Spiritus ſanctus æqualis patri & filio, 102. c d, Deus eſt, 505. d, creator, non creatura, 3. d 4 a *& ſeq.*
Spiritus ſanctus fideliter invocatus dat congregatis, ut nullus ſuam velit eſſe ſententiam, niſi quę veritatis, 482. c
De Spiritus ſancti proceſſione ex Patre & Filio, teſtimonia veterum Patrum collecta, 695
Sputo tanguntur aures & nares in baptiſmo, 485. c
S. Stephanus, 779. v. 423. primus martyr, 651. v. 247. ejus corporis inventio, 274. e 275. a
Stephanus Papa Cyprianum culpat quod rebaptizandos hereticos cenſeret, 595. e 596. a, *& ſeq.*
Stephanus Epiſcopus, 221 b
Stephanus diaconus Eccleſię Romanę reſponſalis a Mennę communione ſe ſuſpendit propter damnationem trium capitulorum, 382. a, *Mennam* arguit de mutata contra fidem datam *ſententia*, 383. c, Stephane dati *libelli* ab Epiſcopis quod coacti a Menna ſubſcriberent, 384. d
Strumenta cultuum, 220. d
Suavaricus Theodulfi gener, 803. v. 427
Subſiſtentię nomen in Trinitate, 307. c
Suitegaudus prçſul, 819. v. 252. ejus laus, *ibid.* ſede pulſus per injuriam, *ibid.* v. 257
Superbia quantum malum, 729. c
Supplicatio ſolemnis Andegavi in die dominica palmarum, 777. v. 353
Suſannę hiſtoria, 213. v. 5. 49
Suſpicio differt a certa ratione, neque ex ſuſpicionibus judicandum, 522. c
Symmachus Papa 43. a, ejuſdem epiſtola ad Avitum, 225. d
Symmachus Senator Romanus, 47. b
Symmachus presbyter, 48. c
Symbolum fidei omnes diſcant, 672. c, ſymboli explicatio, 683. c 684. c
Synodi auctoritas velut ancora inter hereticorum fluctus & turbines, 410. d
Synodi Carthaginenſis decretum, 975. a
Ad Synodum quo apparatu presbyteri venire debeant, 668. a
Synonyma non nominum communio, ſed rerum cognatio facit, etſi nomina diferant, 374. d
Synuſiaſtę heretici Apollinariſtę 471. c, inſtitutores Eutychianorum, Theodori ſcripta depravarunt, 514. a Theodori tempore maxime ſervebant, 528. b,
Synuſiaſtarum de Chriſto hereſis, 505. c

T

TAbernas perſbyteri ne adeant, 669. e
Talentorum parabola, 205. v. 290
Tarantaſię Baſilica S. Petri, 93. *num.* 6
Tarſeorum Epiſcopus Cilicię univerſę prçpoſitus, 472. d
Temperantiæ icon, 815. v. 121.
Templa martyrum urbium ornamenta, 95. c
Templum paganorum conſecratum, 95. c
Templum, & inhabitans in eo Chriſtus, 453. d 454.
Temporis nemo poteſt recuperare jacturam, 509. d
Terentius Epiſcopus Scythiæ, 379. a
Terræ imago, 817. v. 179.
Teſſareſcędecatitæ 350. c
Teſtamentum vetus deteſtantur Manichæi novum ſe admittere dicunt, contra Judæi, 485. b
Teſtimonium falſum quam grave crimen, 674. a, quanam pęnitentia mulctaretur, *ibid.*
Teſtes meriti, & numeri competentis, 522. c 523. d, pro ſola teſtificatione non damnandi abſentes & non conventi, 522. e 523. a b *&c.*
Tetdrada Caroli M. filia, 791. v. 99.
Teutfredus, 781. v. 525.
Theodoreti teſtimonium quod Chriſtus pro omnibus paſſus ſit, 984. c
Theodoretus Epiſcopus Cyrri Leonis Epiſtolam aſſerit in Concilio Calchedon. 297. a 325. a 336. a 396. e 397. 588. a, Epiſcopatui reſtitutus a Leone Papa, Synodo interſuit, 396. c, damnatus a Juſtiniano ob ſcripta in Cyrillum, 325. a
Theodoretus contra Eutychem & Diodorum ſcripſit, 281. c, laudatus a Joanne Antiocheno, 327. a
Theodoricus rex, 48. a, Rector Italiæ, 48. c, Burgundionum Legatos in orientem impedit, *ibid.*
Theodorus Epiſcopus Alexandrinus, 332. a
Theodorus Cappadox, 558. a
Theodorus, Theodotus & Artemon, 347. b
Theodorus diaconus, 463. a c
Theodorus Epiſcopus Mopſueſtenus 297. a, diſcipulus Diodori Tarſenſis, 370. b d, 381. a 478. c d, *&c.* Flaviani Antiocheni diſcipulus, & Joannis Chryſoſtomi condiſcipulus, 327. c 465. b 473. a *&c.* magiſter Neſtorii, 327. d 345. c, laudatus a Sanctis patribus, 324. c 456. c 457. b, *&c.* a Cyrillo laudatus, 330. d 470. a b, laudatus in Ibę Epiſtola ad Marim, 330. a b 419. c d, *&c.* de Theodoro diverſa Cyrilli ſcripta, 477. 478. contra Arianos & Eunomianos cum laude certavit, 351. a
Theodorus innumeros libros ſcripſit, 519. a b 521. c
Theodorus Neſtoriani auctor erroris dictus ab acephalis, 345. b 454. c 456. b 489. c 495. d 501. c e 515. d 517. d 596. d
Theodori odium ab Eutyche ipſo duxerant Eutychiani, 473. a 586. b, Judaicæ infidelitatis, & Manicheæ peſtis arguebatur, 499. d, tria illi objecta quod unicam perſonam in Trinitate ſtatueret, quod quaternitatem contra doceret, quod prophetias de Chriſto evacuaret, 485. a b, eadem refelluntur 486. 487
Theodorus alienus ab errore Pauli Samoſateni 347. b, Trinitatem recte profeſſus eſt, 359. c, de Incarnatione recte ſenſit, 493. b c, alienus ab hæreſi Neſtorii, 362. a 489. c 514. b, prophetias de Chriſto non evacuavit, 360. c, *&c.* 486. e, *&c.* inter Neſtorianos & Eutychianos medius & rectus incedit, 497. e, alienus ab utrorumque errore, 501. d, quo ſenſu uſus ſit in Chriſto ſimilitudine hominis ex anima & corpore compoſiti, 505. d e 502. a b, *&c.*
Theodorus in quibuſdam erravit, 347. c, Apollinariſtis reſiſtens quædam certative magis quam caute locutus eſt, 358. a, neceſſitate compulſus dure aliqua ſcripſit, 469. a 470. c e, multi patres ſimilia iis ante ſcripſerant, quæ in Theodoro culpantur, 467. a 468. a 521. a
Theodorus facilius defendi poteſt quam defenſus eſt Dionyſius ab Athanaſio, 528. b e, cum in concione aliquid dixiſſet, quod offenderat, illico correxit, 515. a b, *&c.* 516.
Theodorus vivens & mortuus a patribus laudatus, & defenſus, 475. b e, in pace & communione Eccleſiæ defunctus, 476. e 588. a
Theodori liber myſticus, 347. b, liber contra Apollinarem, 347. b 500. b de, Incarnatione liber v. 493. b 528. c liber vi. 495. d, liber ix. 506. b, liber x. 497. a liber xii. 497. d, liber xiii. 348. d, lib. xv. 498. e, liber de Incarnat. xv. mill. verſuum, 513. b, in Matthæum, 356. c 357. a 489. a, in Joannem, 492. c, in Pſalmum xliv. 486. a c, *&c.* 488. a b, in Epiſtolam ad Romanos, 361. b, contra Eunomium, 499. b, ad baptizatos, 493. b, de allegoria & hiſtoria contra Origenem, 362. c, epiſtola ad Artemium Alexandrinum, 359. c, ad Cerdonem, 524. d, de Apollinario & ejus hæreſi, 513. b, Symbolum ei attributum, 350. b 358. e 359. a b
Theodori quædam ab Eutychianis corrupta, 510. e 511 a, quædam falſo immiſſa ab ęmulis Apollinariſtis, 513. c d 514. b
Theodori libri adverſus Arianos & Eunomianos, & in Evangelica & prophetica ſcripta, 351. a Origenianorum odium incurrit, quia ſcripſit contra Origenem, 362. c, negligentius a ſe ſcriptum in pſalmos agnoſcit, 362. e e 528. d

Theodoriani ab Acephalis dicti orthodoxi, 380. c 460. a, Theodoriaoi dicti pro Neſtorianis, 474. e
Theodoſius magnus Imperator nihil unquam auctoritatis ſibi contra Eccleſiam viodicavit, 466. a Theodorum Mopſueſtenum audivit & magoi fecit, 327. b 465. a
Theodoſii Impe. ſemper memorabilis in Eccleſia Catholica memoria, 584. c, vir admodum religioſus & Catbolicę Eccleſię propagator, 269. a, Eccleſia Conſtantinopolitaoa ab Arrianis poſſeſſa catbolicis reſtituit, *ibid.* c, veram gloriam meruit ex publica pœoitentia, 584. c, ejus reſcriprum ad Auxonium Proconſulem, 379. a, ejus mors, 272. a
Theodoſius junior Imperator avi ſui judiciom ſecutus de Theodoro. 465. e, literas ad eum ſcribit, 327. c Synodo orientis ſcribit pro pace Eccleſiæ, 466. e 467. a
Theodoſius diaconus Procli Epiſcopi, 300. c
Theodulfus quęſtionibus de Bapriſmo pro poſitis a Carolo M. reſponder, 679. d, de Spiritu S. ſcribit ejuſdem Caroli juſſu 695. c, Legatus in Provincia munera conſtanter reſpuit, 741. v. 165. ejus patria, 741. v. 139. indicta cauſa damnatus, 823. v. 286. Pallio donatus manu Stephani Papæ, 825. v. 396.
Theophilus Epiſcopus Alexandrinus, 468. b 230. d, raxarur in condemnatione Chryſoſtomi, 337. b, in libro contra Joannem Chryſoſtomum, 430. a b c 431.
Theopbilus Alexandrinus vir eruditiſſimus, 230. d, de obſervarione Paſchæ ſcripſit, *ibid.*
Theophilus Diaconus, Ibæ accuſator, 411. b
Theotimus Tomitianus Scythiæ Epiſcopus, 480. c
Theſſalia provincia, 441. a
Thomæ fides, 18. b c 45. a
Thomas & Philippus ignorantes, non hæretici, 524. d. 533. c 564. c 585. b
Thracia proviocia, 441. a
Tile ultima, 359. v. 118.
Tlmotheus Epiſcopus Alexandrious, Petri ſucceſſor, in Concilio Conſtantinopolirano, 372. d 379. a ejus, Epiſtola ad Diodorum Tarſenſem 373. a
Timotheus alter Alexaodrinus uſurpator, parricida, 576. c
Timotheus Apollinaris diſcipulus ab Athanaſio per ignorantiam Sedi Apoſtolicæ commendatus, 440. a, Petro Alexandrino infectus, 372. c
Tobias per Angelum ſanatus, 30. a
Toloſa, 741. v. 116. 827. v. 467.
Toreumata, 743. v. 225.
Trajanus filius gehennæ, 584. c
Tria Capitula quæ ſint, 297. a 324. a, horum quæſtionem ſuſcitant Origeniani, 302. c, contra Concillum Calcbedonenſe, 382. a 593. b, agnoſcunt eriam Epiſcopi qui ſcripſerant, 383. 384. 558. a
Trinitaris una ſubſtantia, 113. a, unum nomen, 104. d, cogoitio eſt ſicut cooperario, 105. a, in ea præter unitarem nihil invenitur, *ibid.* c, homine aſſumpto non quaternitas facta eſt, ſed Trinitas manſit, 943. c
Trinitatis tres hypoſtates catholici quidam aliquando accipere noluerunt, quamvis tres perſonas acceperiot, 428. c
Trinitatis opera ioſeparabilia, 504. d, unus de Trinitate crucifixus 299. a 301. a 304. b 306. d e 307. a b, *& ſeqq.* 308.
Triſagii hymni cauſa ſeditio, 12. b c 13
Triumphi gloriam victoribus negare eſt ingrati, 539. a
Tuca, 629. v. 3.
Tullius ampliſſimus orator, 958. e 960. e
Turonum, 809. v. 613
Tychonius Donatiſtis communicans, quos reprehendebat, 588. c

V

Valens Imperator Epiſcopos Ægyptios relegat, 371. c 3 7. d
Valentinæ terrę, 741. v. 613
Vandalis in Africa ſuccedunt Romani, 598. c
Vangionum urbs, 783. v. 575.
Varius, 629. v. 3
Vaſa ſacra ad profanos uſus non adhibeantur, 670. e
Vaſorum in domo Dei diverſiras, 119. d
Velamen myſticum in baptiſmo, 691. a
Verba nobis ad rerum ſignificarionem ſunt data, 564. b
Verbum licet minus elegaos refugiendum non eſt, quod fidei ratio atque uriliras flagitat, 498. c 499. a
Verbum Deus proprius & verus filius hominis, 311. c *& ſeq.*
Verbi Dei narura componi cum humana non poteſt, 316. b 321. c 322. a 500. b
Verbi Dei ſubſtanria partiri oon poteſt, 508. d, nec converſionem ullam ſuſtinere, 421. d 423. e
Verbum Dei non factum caro cur dicatur, 506. a, Deus verbum adſumptum hominem tradidiſſe dicitur morti, 504. b
Veriras amara nonounquam, ſemper tamen ſalubris, 583. b
Veritas mendacio noo defendenda, 412. c d
Veritas undique ſuis fugacibus occurrit, & in faciem reſiſtit, 501. d
Veritas per os aſioæ aliquando locuta, 584. c
Veritas docet non omnia eſſe adprohanda, 519. d
Veritati clauſis oculis in re aperta & manifeſta reſiſtere, 497. d
Veritatis vis magna eſt, quæ ipſos quoque præſumptores ioternis conſcientiæ ſtimulis fateri cogit, 367. b
Veritatis non eſt magous amator cui eam perſooæ commeodat auctoritas, 584. d
Veriratis regula manifeſtata per Synodum, 568. b
Veritatem ſequi nemo nolens potuit effugere perſequentem, 367. b
Veritate aperta qui aliquid ulterius diſcutit mendacium quęrit, 573. b
Veſtis alba in baptiſmo & cur, 690. a
Vicarius Præfectorum, 49. b
Vienoa, 741. v. 125.
Viennenſes, 220. e
Vienoenſis Eccleſia, 34. b 80. b, loci principis principatus, 33. a, Baſilica, 54 a, Senatus, 91. b, civitas, 51. a, provincia, 52. b 86. b d
Viennæ Baptiſterium, 93. *num.* 3. prodigia, 89. d 90. c
Ad Vigilias & matutinum officium cuncti convenire debent, 673. b
Vigilii Epiſcopi Affricani teſtimonium de Spiritus S. proceſſione ex Patre & Filio, 726. b
Vigilius Papa decimus quartus, 342. a, a Leone Conſtantinopolim adductus, 397. a 360. b, damnationem trium capitulorum ex itinere venieos reprehendir, 381. b c 382. a, eos qui communicabaot damoatoribus a communione ſuſpendit, 593. d, ejus ſenrentiam expectare ſe dicebant acephali, 381. b, Epiſcopos quid de his ſentiant ſcripto reſpondere præcipit, 297. a 592. e, a Domitiano Ancyrenſi libellum accipit, 302. c
Vigilii judicium io Epiſcoporum conventu apud Conſtantinopolim, 591. d 593. c
Vigilii occulta polliciratio, de damoandis rribus capitulis, 592. d, chirographa, 593. e, literæ ad Mennam de itinere ſcripræ, 594. a d, judicatum invitus protulit, 593. e 598. d
S. Viocentii ſolemnitas, 74. d
S. Vincentii Baſilica iu Cæſarauguſta, 613. Carm. v 111
Vincomalus duarum ſororum maritus, 34. b
Virgilius poeta, 629. v. 20, 952. b
Virginis Deo ſacratæ nuptię 64. d
Virginum decem parabola, 209. v. 441
Virginitari aliæ virtutes jungendæ, 209. v. 441
Virginitaris laus, 734. c
Virtutem divino adjutorio poſſident juſti, 487. a
De Virtutibus theologicis carmen, 865.
Vitæ præſentis deſiderium crimen non eſt, 355. a
Vitalianus ſenator, 58. c
Vitalis Epiſcopus Antiochenus ab Apollinari ordioatus, 372. d

Vitia principalia, 675. c, vitia ſeptem capitalia, 837. Carm. 12
Viſurgis, 739. v. 104
Viventiolus presbyter, 35. a, Epiſcopus, 67. c
Viventiolus rhetor, 66. b
Vocabulorum cauſa non eſt diſſidendum, 307. a
Vocis teſtimonium fidelius quam ſcripturæ, 513. e 524. a
Voluntas in laude divina ſufficit, 177. v. 7
Voluntas ſemper libera, ſed non ſemper bona, 1012. e
Vota in omnibus non facta cogitanda ſunt, 101. e
Voti reus, 21. e
Unctio in baptiſmo, 636. d
Unanimes nos non natura, ſed animorum ſocietas facit, 437. c
Unitas Eccleſię promiſſa, ſi Ibæ epiſtola damnetur, 302. d 303. a 341. d, unitas hæreticorum converſione, non contagio & admixtione facienda eſt, 580. b
Unus de Trinitate crucifixus, 299. a b 300. b c, recte dicitur etſi quibuſdam catholicis dici non probetur, 304. b, rectius contra Neſtorianos dicitur, quam una de Trinitate perſona, 306. d e 307. 308. b
Urbs plus munita baſilicis, quam propugnaculis, 96. c
Uſurpare quod aliis eſt creditum nullus debet, 575. c
Uxor ob adulterium ſeparatur, 65. a
Walis flu. 739. v. 103
Wardo flu. 739. v. 104. & 111
Wibodus, 795. v. 205
Wlfinus Aurelianenſis grammaticus & poeta, 785. v. 617.
Wlturnus, 739. v. 105

Z

Zeno Imp. taxatur quod incubare auſus ſit officio Sacerdotum, ejuſque edictum de unione refellitur, 580. b. &c. Synodum Calchedonenſem edicto damnat, 589. c d
Zoilus Epiſcopus Alexandrinus obviam Vigilio in Siciliam miſit conquerens ſe compulſum ad decretum de tribus capitulis affirmandum, 384. a 593. e
Zoſimus Papa Pelagium & Celeſtium per ignorantiam putavit orthodoxos, & Afros reprehendit, quod hæreticos crederent, 440. a b

I N D E X
IN NOTAS.

A

ACacius Coïſtantinopolitanus, 27.a, auctor henotici, 579. a, ejus nomeo eraſum ex diptychis, 11. a
Acacii damnationis edictum, 589. a
Acephali, monoſophiſtæ omnes, 315.a, δεκαχὲ ρατος ὀρχίςρα, *ibid.* auctores Juſtiniano ut tria capitula damnet, 323. a
Acœmetarum mooaſterium Cooſtaotinopolitaoum, 335. a, 596. b,
Adoptio ao Chriſto cooveniat, 506. e
Ægenſis Eccleſia, 373. a
Ægyptii Epiſcopi exules ſub Valente Imperatore, 377. a, ſub Timotheo Æloro, 571. a
Afrieaoi Epiſcopi a Vigilio recedunt, 587. a
Africanorum Epiſcoporum elenchus, 397. a
Agapeti κεφαλαια cur ſic dicta, 666. b
Agiulfus, ſive Ajulfus aot Aigulfus, Patriarcha Bituriceoſis, 819.a, ſedis tempus, *ibid.* quædam res ab eo geſtæ, *ibid.*
Agobardi epiſtola ad Matfredum, 833.b
Aggripinus Cartbaginienſis, 519. a
S. Albani Ædes flammis conſumpta, 784. b
Alcuious noo eſt auctor libri de divinis officiis, nec libri de ſacro baptiſmate ad Carolum Magnum. 680. a, perperam ipſi attibutum carmen Theodulfi in diem Palmarum, 775. a, dictus ſophiſta ob amorem ſacrę ſophię, 793. a, magiſter Fredegiſi, & Oſulfi, 794. c, ejus ad Fredegiſum libellus de Trinitate, *ibid.* ſeripſit Hadriani Papę Epitaphium, 797. a
Alexaoder Antiochenus 367. a
Amalarius Epiſeopus Trevirenſis, 680. a, auctor libri de ſaero baptiſmate, ad Carolum Imperatorem Aleuino inſcripti, 679. a
Amphilochius Icooienſis, 542. d, 543.a
Anaſtaſius Imperator Triſagii cauſa turbas ciet Cooſtantinopoli, 12. c, perfidus & doloſus hoſtis Eccleſię, 83.a
Anatolios diaconus Rom. 303. a, 382.e
Anazarbus Ciliciç II. metropolis 456.a, 472.c
Andreas Epiſcopus Samoſatenus, 430. b
Angilbertus Abbas S. Richari Centulenſis 797. b, Monaſterium illud opibus ſuis renovavit, *ibid.* Caroli Magni ſeeretarius & capellę miniſter, ejus teſtameoto adſuit, *ibid.* ejus legationes duæ Romam, 798. b, Homerus dictus, 791.c 799.a
Angilramous Epiſcopus Meteoſis Archicapellanus Caroli Magni, 792. c
S. Aniani altare, 779. a
Aniaocnſe Monaſterium, 780.b
Animæ & corporis eum Chriſto comparatio, 501.a
Antropomorphitæ, 481.a
Antidicomaritæ, 481. b
Apollinaris, 317.a, 347.a, 371.a, 505.b
Apollinaris Epiſcopos Valentiæ, Aviti frater, ejusque ſomnium, 31.a
Apollioaris Sidooii digous patre filins, 60. d, ſuſpectus, Alarico regi, 59.b, pro eo pugnat in prælio Vocladenſi, 39.a, Aviti poemata probat, 60. d
Apollinariſtæ, 421.a, 495.a, 499.a, 541.b
Apollinarius, 347.a, 491.a, 500.a
Appellationes Romanæ in Gallia, 65.b
Archadius Appollinaris filius, 49.b
Ariani, 495.a, 499.a, 530.b
Ariani in eonverſione chriſmati, 40.f
Aritbmetica, 814.a
Arthemon hæretieus, 348.b
Aſtrooomia, 813.a
Athanaſii ſymbolum quandonam ſic nominatum, 705. a, alia cjuſdem nomina, *ibid.* ut illud clerici memoriter teoereot præcipit ſynodus Auguſtodunenſis, *ibid.*
Athaoaſii libri xi. latini de Trioitate ſubdititii, 697. b, concinnati a Vigilio ſicut & diſputatio Athanaſii cum Ario, *ibid.* Atbaoaſii nomine ab Hincmaro citantur hoc titulo, *de non trina deitate*, 698.b
Athanaſius de Trinitate, 307. a contra Ariaoos, 352. b 429. b 526. a de Synodis, 400. b 530. b 531. c, Apologia II. 407. a, ad Epictetum, 421. a, ad Liberium, ad Afrieaoos, ad Antiochenſes, 429. b, de Iucarnatione Domioi, 496. b 499. a, Apologia pro Dionyſio, 525. a, ad Aotiochenos, 539. a, Expoſitio Symboli, 541. a, contra Maoichæos, 542. c, ad ſolitarios, 563. a
Avarum converſio ad fidem, 789. b
Audiaoi hæretici, 481. a
Aviti tria nomina, 1. a, pater Epiſcopus Viennæ, 91. a, familiæ cum Sidooiana cognatio, 59. c, Epiſtolæ contra Eutychem, ſeu contra phantaſma, 5a, 15. a, diſſertationes de fide cum Gundobado, 36. d, poemata alia ooo edita, 215. Homiliæ de rogationibus plures, 89. a
Avitus Eutyehi tribuit quod erat Neſtorii, 5. c, fucum paſſus in hiſtoria Triſagii, 12. d, Verbum Domini male interpretatur apud Eſaiam, 37. a, & Fauſti mentem in epiſtola ad Paulinum, 22. b, Crucis particulam Hieroſolymis impetrat, 36. c
Auricularius, 799. a

B

BAptiſmus io nomine Domioi Jeſu, 307. a
De Baptiſmatis myſterio Magoi Epiſcopi Senonenſis libellus, 679. a
Baſilica S. Quintini quo tempore inſtaurata, 782. a
Baſilica a Theodulfo condita, 779. a
Benedictus Abbas Monaſterii Ananienſis, 780. b
Benignus Epiſcopus Heracleç, 441. a
Bernardi regis adverſus Ludovicum patrum conjuratio, 821. a
Berta Caroli Magni filia, 790. d
Bibliorum Theodulfi codex Memmianus, 763. a, eorum canon, 773.
De Boetii exilio & ſupplicio, 831. a
Boetus primas Byzacenç Provinciç, 596. b
Bonoſos Naiſſi Epiſcopus, ejuſque hereſis, 17. a
Byzaceoa provincia, 297. a 596. b

C

CÆleſtius Pelagianus, 439. a
Cæſarii Arelarenſis laus, 29. b
Calendio Epiſeopus Cnapbei io Triſagio additioni medetur, 11. c 13. b 14
Candidiauus Comes domeſtieorum, 443. a
Capitula & eapitularia, libri quidam cur ſie dicti, 666. b
S. Carilephi Eccleſia, 794. c, pro illa præceptum Caroli Magni, *ibid.*
Caroli Magni uxores & liberi, 760, d, David dictus, 791. c, Palatii proceres, *ibid.* obtinet a Syoodo Francoſordienſi ut Angilramnum ac poſtea Hildeboldum Epiſcopos in Palatium habeat, 792. c, ejus præceptum pro Eeeleſia Cenomanenſi, 794. c, ejuſdem obſervaotia ſingularis erga Hadrianum Pontificem, 797. a, Leonem III. Papam reſtituit, 804. c
Carolus Caroli Magoi filius aote patrem mortuus, 881. a, victoriis nobilis, *ibid.* ejus elogium a poeta Saxonico, *ibid.*
Caroli Calvi palatinm vernum, 739. a
Carroficum monaſterium in diœceſi Pictavica, 807. a
Cathedra Epiſcopi, 787. a
Celer Magiſter Officiorum & Conſul, vir orthodoxus, 58. d

Cerimooiale

Cerimoniale, 787. a
Chriſma baptiſmi ex balſamo, 803. b
Chriſmatis conſignatio in baptiſmo, 41. a
Chriſtotocos & Theotocos, 6. d
Chriſti corpus in Euchariſtia, 507. a
Chriſtus non adoptivus, 506. a 513. a
Chrodegangus Epiſcopus Metenſis, 783. a
Cilicia provincia in duas diviſa, 472. c
Clerici a laicorum audientia liberi, 70. c
Clodoveus rex Francorum codicillos de conſulatu accipit ab Anaſtaſio, 56. b, baptizatur in Vigilia natalis Domini, 56. c, primus rex Chriſtianus, ibid.
Clotarii II. regis lex de ſacrarum virginum conjugio, 64. b
Codex Theodulfi Memmianus,
Collatio cum Donatiſtis, 297. a, cum Acephalis Severianis, 317. a 387. a
Collecta pro ſacro Officio, 2. c
Comes ſacrarum, 443. a
Concilia bis in anno, 80. d, ab his ſola excuſat infirmitas, 81. a, abſentum vicarii quos & quales mitti debeant, 82. b
Conjugium duarum ſororum 33. a, ſacratarum virginum 63. b
Conſtitutum Aquenſe de Monaſteriis, 807. a
Carduba, Arabum ſive Saracenorum in Hiſpaniis regia, 790. c
Crucifixo ſupplicandum, 12. d
Crucis Chriſti particulæ expetitæ, 39. b
Cyrillus Alexandrinus Theophili fratris filius, 337. a, cuſtodiæ traditus, 443. a, tres ejus libri contra Diodorum, & Theodorum, 349. b, epiſtola ad Atticum 367. a, ad Succenſum, 381. a, ad Rabulam, 419. a, ad Eulogium, 430. b, ad Proclum, 467. a, ibid. b, ad Acacium, 556. b, libri contra Julianum, 379. b, anathematiſmi, 430. b, apologeticus, ibid. contra Synuſiaſtas, 471. a, Scholia, 553. a
Cyrus, Cyrrhus, civitas Euphrateſiæ, 377. a
Cyrrheſtarum Jupiter Catabates, 398. a

D

DAmaſceni epiſtola de Triſagio, 14. b
Damaſi Papæ epiſtolæ ad Orientales, 371. a 449. a
Diadochi κεφάλαια cur ſic dicta, 666. b
Dialectica, 814. a
Dimeritæ Apollinariſtæ, 421. a 495. a
Diodorus Tarſenſis presbyter Antiochiæ, 373. a 375. a 381. a, contra Synuſiaſtas, 471. a
Dionyſius Papa, 525. a
Dioſcorus Alexandrinus, 399. a
Docitæ hæretici, 16. a
Dominici Miſſi quænam poteſtas, 739. a
Dominicus homo, 541. b
Domitianus Epiſcopus Ancyræ, 301. a
Domnus Antiochenus, 411. a 471. b 492. b
Donatiſtæ Romæ Montenſes appellati, 39. d, converſi quomodo recipiantur, 41. a, Catholicorum baptiſmum & chriſma iterant, ibid.

E

EBo Epiſcopus Remenſis, 819. a
Eccleſiæ bona dant vel ſervant principes, 55. a
Libri quidam Eclogæ dicti, cur, 696. b
Electrum, 78. f. ibid. g
Elipantus Toletanus, 506. c
Elpidius diaconus medicus Theoderici, 50. d
Encyclius codex epiſtolarum ad Leonem Imperatorem, 339. a 573. a
Ephræmius Antiochenus de diverſo uſu Triſagii quid ſcribat, 13. b
Epiſcopi ſacerdotes primi ordinis, 573. a
Epiſcopi propter conjurationem in Ludovicum Pium depoſiti, quo anno, 833. a
Epiſcoporum epiſtolæ feſtales, 67. a, & ſeq. in eorum arbitrio erga pœnitentes indulgere, 34. b
Ercambaldus ſummus Cancellarius Caroli Magni, 793. c, hujus crebra in annalibus mentio, ibid.
Erigena. Vide Jo: Erigena.
Euchariſtiæ ſacramentum, 507. a
Eucherii opuſculum de interpretatione hebraicorum & græcorum nominum, 774. a
Eudoxius Conſtantinopolitanus, 369. a
S. Eugendi codex MS. operum Vigilii Epiſcopi Thapſenſis, 725. a
Eugendus Abbas in Jura monte, 35. b
Eunomius C P. 544. c
Eupſychius & Damas martyres Cæſarienſes, 69. a
Euſtachius Antiochenus, ejuſque opera, 535. a
Euſtachius Epiſcopus Beryti, 411. a 444. a 535. a
Euſtorgius Epiſcopus Mediolanenſis, 28. c
Eutyches hæreticus, 5. b c, fictitium Chriſto corpus affingit, 15. a, damnatus in Synodo CP. 9. a
Eutychis hæreſis, 427. a 435. a
Excommunicatio levibus de cauſis non infligenda, 70. d

F

FAcundus quando ſcripſit, 298. b, fallitur, 457. b, pravis uſus verſionibus, 543. b 554. b, & corruptis exemplaribus, 350. b 455. a 391. b 542. c
Faldao, Faldiſtorium, 787. a
Farduifus Abbas S. Dionyſii conjurationem Pippini in Carolum detegit, 876. b, carmen ejus ædibus inſcriptum, ibid. ejus patria, 875. b
Faſtrada Caroli Magni uxor, Rudulfi comitis filia Francofurti mortua, Moguntiæ ſepulta, 184. b, ejus epitaphium aliud ab eo quod ſcripſit Theodulfus, ibid.
Fauſtus Senator, Patricius & Conſul, 47. a
Fauſtus Reienſis Gallus Britannus, 587. b
Fauſtus Reienſis pœnitentiam in fine vitæ inutilem cenſuit, 20. b, fidem ſolam non ſufficere de quibuſnam dixerit, 22. b
Felicis Papæ edictum de damnatione Acacii, 589. a 590.
Fellix Abbas Gillitanus, 588. c
Felix Urgellitanus ad Hadrianum Papam adductus ab Angilberto ut hæreſim ejuraret, 708. b
Feſtales, ſeu feſtivæ epiſtolæ. 67. a
Fides ſola an ad ſalutem ſufficiat 22. b
Flavianus Conſtantinopolitanus, 411. a
Flori Lugdunenſis epiſtola ad Moduinum Epiſcopum Auguſtodunenſem, 823, a ejuſdem Epiſtola pro Eccleſia Lugdunenſi, ibid. item altera epiſtola, ibid.
Francorum reges primi Chriſtiani, 56. d, Eccleſiarum bona tuentur ut ſua, 55. a, effigiem ſuam aureis nummis imprimebant, quod aliis regibus non licebat, 78. g
Fredegiſus Abbas Monaſterii S. Martini & cancellarius, 795. c, Alcuini diſcipulus, ibid. ipſius de nihilo & tenebris epiſtola, 794. c
Fulradus Abbas S. Dionyſii, 781. a, Pippini regis capellanus, ibid.
Fulradus Abbas S. Quintini, Caroli Martelli nepos, 781. a, interſuit ſynodo Novomienſi anno dcccxiv. 782. a, inſtauravit Baſilicam S. Quintini, ibid.

G

GAgneius Vide Jo: Gagneius.
Galioth Jordanis, 451. a
Galli Epiſcopi Synodum Romanam contra Symmachum Papam improbant, 47. a
Gemellus Epiſcopus Vaſionenſis, 68. c
Geneſius, 794. c
Genavæ feſtivitas S. Petri, 45. a, Sedes Godegiſili, & Sigiſmundi regum, ibid.
Gennadius CP. 333. a
Geometria, 813. a
Germiniaco in vico Baſilica a Theodulfo condita, 779. a
Giſla Caroli Magni filia, 790. c
Giſla Caroli Magni ſoror, 791. b, in cœnobio S. Mariæ Sueſſionenſi converſata, & mortua, ibid.
Giſla Theodulfi filia, 801. a
B. Gorgonii martyris corpus in Gortzia conditum, 783. a
Gotbici nummi, 78. g
Grammatica, 814. a
De gratia Dei incerti auctoris verſus, 855. a

Gregorii Thaumaturgi triplex fidei expoſitio, 529. a
Grenenceníes Monachi, 71. d
Gundobadus rex Burgundionum, ejuſque filii, 1. b, metu populi fidem non eſt profeſſus, 4. b, filia orbatur, 23. a, fratres necavit, *ibid.* b, captivos abducit ex Italia, 29. a, naves onuſtas tritico mittit ad Cęſarium, 29. b, quo anno mortuus, 23. b

H

HAdriani Pontificis epitaphium ab Alcuino ſcriptum, 797. a
Hæretici converſi cum manus impoſitione & chriſmatis conſignatione recipiuntur, 40. c, E gradibus in Eccleſia non excluduntur, 42. c, eorum baſilicę an catholicorum uſibus applicandę, 24. d
Helias Patriarcha Hieroſolymitanus, 36. c
Helingandus comes, Romę judex in cauſa Leonis III. 875. a, legatus a Carolo Magno Conſtantinopolim, *ibid.* utrum idem ac Hermengaudus, *ibid.*
Heraclius V. I. Epiſcopus Tricaſtinus, 61. b 62
Heraldus Turonenſis, 666. b, ejus capitula cur ſic dicta, *ibid.*
Hermengaudus, 875. a, utrum idem ac Helingandus, *ibid.*
Hermianenſes Epiſcopi, 297. a
Hieronymi tria nomina, 1. a
S. Hieronymus quid pręſtiterit circa pſalterium, 801. b
Hieronymus Pippini regis frater, 781. a
Hildeboldus Epiſcopus Colonienſis Archicapellanus Caroli Magni, 792. e
Hildegardis Caroli M. uxor, 709. c
Hiltrudis Caroli M. filia, *ibid.*
Hominicolę, 496. b
Homo Dominicus, 541. b
Hormiſdę Papę ad Anaſtaſium duplex legatio, 85. b 86. tertia ad Juſtinum, 27. a
Hunica clades & pręda, 789. a
Hunorum converſio ad fidem, 789. b
Hypoſtaſes & perſonę in Trinitate, 428. b, in Chriſto unica, 493. b 555. a

I

JAcobus Comes, 443. a
Ibas Edeſſenus, & ejus epiſtola, 387. a 391. b 396. b 411. a 435. a 444. b 445. a
Jeſſe Ambianenſis Epiſcopus, 875. a
Incarnatio & inhumanatio, 499. a
Inciſor, ſciſſor obſonii, 77. b
Inſcriptiones variæ, 779. a 788. a 818. a 835. b
Inſpirare & inſufflare, 3. a
Interceſſiones Epiſcoporum, 54. d, ab Auguſtino deſeulæ, *ibid.*
Innocentius Papa, 439. a
Innocentius Epiſcopus Maroniæ, 387. a
Joannes Antiochenus pro Mopſueſteno epiſtolas ſcribit, 325. a 411. a 447. a 465. a 467. b, ad Neſtorium, 515. a
Joannes C P. 581. a
Joannes Comes ſacrarum, 443. a
Joannes Cappadox Patriarcha Conſtantinopolitanus Orientalium diſſidium cum Hormiſda Papa componit, 27. a
Joannes Erigena Scottus, ſottus per jocum dictus, 794. d
Joannes Gagneius Aviti poemata depravat, 524. a
Joannes Maxentius, 303. a
Joannis Chryſoſtomi oratio de Aſcenſione non edita 549. a
Iſidorus Peluſiota epiſtolas ſcripſit decies mille, 335. a
Julii Papæ epiſtolæ, 317. a
S. Juſti Baſilica Lugduni, 69. a
Juſtiniani Imperatoris confeſſio fidei, 299. a, Epiſtola contra Origenem, 302. a 326. a 360. a 391. a 435. a, 443. b 445. a 458. b 485. a 506. c 522. a 531. a
Juſtiniani liber de tribus capitulis, 323. a, contra Synodum Illyricianam, 382. d
Juſtinianus Comes ad Hormiſdam, 581. a

L

LAidradus Epiſcopus Lugdunenſis, 739. a
Lantildis ſoror Clodovei regis ex Ariana hæreſi converſa, 40. f
Laureshamenſe Monaſterium S. Nazarii, 783. a
Leo III. fœdiſſime a Romanis habitus, 804. e, idem a Carolo Magno reſtitutus, *ibid.* ad eum e Gallia legatio miſſa definiendæ cauſa quæſtionis de proceſſione Spiritu S. 697. a
Leo Imperator, 339. a, ejus encyclica, 373. a
Leonis Papæ epiſtolæ duæ non editæ, 571. a
Leporius presbyter, 313. a
Leutgardis Caroli Magni uxor, 790. c 803. b, quo anno & loco mortua, 790. c
Librorum ſacrorum canon ex Memmiano codice pervetuſto, 764
Ludovicus Caroli Magni filius. 790. c
Lugdunenſe Concilium ſub Gundobado, 44. c, Baſilica S. Juſti, 69. a Donatiſtæ converſio, 40. e
Lupus Ferrarienſis ævo proximus Theodulfo, 776. a, ejus teſtimonium de Theodulfi carmine in die palmarum, *ibid.*

M

MAcedonius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſede pulſus, 13. a
Magdaliola, 77. d
Maguæ Deæ ſive Telluris vetus inſcriptio, 817. a
Magni Epiſcopi ſenonenſis libellus de myſterio baptiſmatis, 679. a
Magnus Comes ſacrarum largitionum, 377. a
Magnus Epiſcopus Mediolanenſis, Euſtorgii ſucceſſor, Datii deceſſor, 30. d
Manichæi, 563. a
Mantio Epiſcopus Toloſanus, 829. a
Manualis, 798. b
Marci Eremitæ κεφάλαια cur ſic dicta, 666. a
Marcianus Imp. 465. a
Maria vere Deipara, 300. a 309. a 425. a
Maria θεοτόκος & χριστοτόκος, 5. c, ab ea Chriſtus non cœpit, 44. b
S. Mariæ cęnobium Sueſſionenſe. 791. b
Martyrius Epiſcopus Marciopolis, 379. a
Maſſaliani Euchitæ, 481. b
Matfredus Comes, præcipuus regni miniſter ſub Ludovico Pio, 833. b, bis in regem perfidus, 834. b, Agobardi ad eum epiſtola, 833. b
Maximus Epiſcopus Antiochenus, 341. a
Melchiſedech, 835. a, ejus ſacrificium, *ibid.*
Melito Epiſcopus Sardenſis, 774. a, opus ipſi aſcriptum titulo *Clavis*, *ibid.*
Memnon Epheſinus Epiſcopus, 433. b
Mennas C P. 381. c 383. a 563. a 591. a 593. a 595. a
Meſſiani plures, 66. c
Miſſæ nomen unde, 2. c, in palatiis quoque & in prætoriis uſitatum, *ibid.*
Miſsus Dominicus, quę illius poteſtas, 739. a
Mitiacenſe Sancti Maximini cęnobium, 779. b
Monaſterium Hilariacum, 783. a, B. Naboris martyris corpus ibi conditum, *ibid.*
Monaſterium Laureshamenſe 783. a, S. Nazarii corpus ibi conditum, *ibid.*
Monaſterium Carrofinii S. Salvatoris. 807. a
Monaſterium S. Richerii Centulenſis, 797. b
Monogramma in ſigillo 79. in denariis & diplomatis regum, *ibid.* denarii Caroli Calvi aliter ſignati quam juſſerat, *ibid.*
Mopſueſtia Ciliciç, 456. a
Mortuorum in pace damnatio, 521. a 597. a
Muſica, 813. a
Mutianus ſcholaſticus, 587. a

N

N S. Naboris corpus in Monaſterio Hilariaco conditum, 783. a
Nardus, idem Nardulus dictus ob brevem ſtaturam, 795. a, de eo carmen Alcuini, *ibid.*
B. Nazarii martyris Monaſterium, 783. a
Nazianzus oppidum Cappadociæ II. 458.
Nenius. Agnelli ad illum epiſtola de ratione fidei, 727. a
Neſtorii blaſphemia, 425. a presbyter fuerat Antiochiæ, 515. a
Neſtorii hæreſes, 5. c b d, divinitatem δοκήσει tantum dat Chriſto, 15. a
S. Nili κεφάλαια cur ſic dicta, 666. a
Nomen proprium ultimo in loco, 1. a
Nomina aſcriticia familiarium Caroli Magni, 791. c

O

ORcheſtra δεκακέφαλος Acephalorum, 315. a
Orientales favent Theodoro 461. a 467. a
Orientales in Concilio Epheſino, 430. b 443. a
Orientales Euſebiani, 531. c, ſub Hormiſda reconciliati. 581. a
Orientalium Synodus, 325. a, epiſtola ad Rufum, 381. a
Origenes, 302. a 321. a 563. a
Oſulſus Alcuini diſcipulus, 794. c

P

PAllium conceſſum Epiſcopis quibuſdam non Metropolitanis, 825. a
Paphlagonia, 441. a
Parænesis ad Judices, aliter inſcripta in quibuſdam codicibus. verſus qui deerant reſtituti, 737. a, qua occaſione ſcripta, 740. a
Paſchales epiſtolæ, 67. a
Paulinus qui ad Fauſtum ſcribit Euchariſtici auctor, 19. a 20.
Paulinus auctor carminum de vita S. Martini, 811. a, ejus patria, *ibid.*
Paulus Samoſatenus, 348. b 530. b
Pavus iſicio concluſus, 77. a
Pelagiani, 439. a
Pelagius, 439. a
Pelagius Diaconus apocriſarius, 381. c 382. o
Pelagius, hæreticus, ſcripſit librum eclogarum ex divinis ſcripturis, 696. a
Pelagonia, 441. a
Petrocorica tellus, 811. a
Petrus Alexandrinus, 371. a 377. a, alter, 580. a
Petrus Antiochenus, 580. a
Petrus Cnapheus Triſagii corruptor, 11. c 12, quo ſenſu ferri ejus additio queat, 14. b
Petrus Epiſcopus Ravennas, 52. d
Petrus Hieroſolymitanus, 383. a
Photiniani, 482. b
Photiniani in Gallia, 44. b
Photinus, 530. c
Photius Epiſcopus Tyri, 387. a 411. a
Pippinus Caroli M. filius, 790. c
Pitacia in phialis, 72. e
Pœnitentia momentanea non inutilis, 21. b
Pœnitentiam profeſſi abſtinent a conjugio, 22. a
Polemon Apollinariſta, 372 a
Pręfatio aureis literis pręfixa bibliis Theodulfi, 771.
Presbyteri ſacerdotes ſecundi ordinis, 573. a
Primaſius Epiſcopus Afer, 596. b
De Proceſſione Spiritus Sancti quęſtio agitatur in ſynodo Aquiſgranenſi, 697. a
Proclus CP. 411. a 461. a 467. a b

Q

Q S. Quintini Baſilica inſtaurata, 782. a, quo anno, *ibid.*

R

RAbula Epiſcopus Edeſſę, 419. a
Racha, 2. d
Recentes, recentis vini potiones, 72. e
Rhetorica, 814. a
S. Richarii Centulenſis Monaſterium, 797. b
Richodus Caroli Magni familiaris, Macarius dictus, 792. c
Riculſus Sueſſionenſis, 666. b, ejus capitula cur ſic dicta, *ibid.*
Riculſus comes, dictus Damætas, 729. c, teſtamento Caroli Magni ſubſcripſit, 793. b
Riculſus Epiſcopus Moguntinus, 793. b, teſtamento Caroli Magni ſubſcripſit, *ibid.*
Rodtrudis Caroli M. filia, 790. c
Romanarum dignitatum tituli regibus exteris dari ſoliti, 27. b 57. b
Romanę appellationes in Gallia, 65. b
Romani clerici ad legatos. Francorum, 592. 595. a
Rothais Caroli M. filia, 790. c
Rufus Epiſcopus Theſſalonicę, 371. a
Ruſticus Diaconus Romanus, 588. c 595. a
Rutilus poeta chriſtianus, 812. b

S

SAbelliani, 430. a
Sacerdos primi & ſecundi ordinis, 573. a
S. Salvatoris monaſterium, 807. a
Schiſma Orientis ob Acacium, 581. a
Scholia Cyrilli, 553. a
Scottus Scotellus, 794. d, utrum is Joannes Scottus qui cum Alcuino in Galliam venit, *ibid.*
Sebaſtianus Epiſcopus Beroes Thraciæ, 339. a
Senarii V. S. Comitis patrimonii epitaphium, 51. b
Serapion Epiſcopus Thmuceos, 542. c
Sigiſmundus Gundobadi filius, 1. b, Rex Burgundionum, *ibid.* Patricius, 29. b, Comes 57. b, vivente patre rex appellatus, 43. a Genavę ſedem habet, 45. a, fidem amplexus orthodoxam, 55. b
Signatorium ex electro, 78. e
Solis ingreſſus in Aquarium anno dcccxiv. quo die, 826. b
Stephanus Diaconus apocriſarius, 381. c
Stephanus Epiſcopus Lugdunenſis, inter Ruſticium & Vicentiolum, 39. c
Stephanus uxoris defunctę ſororem ducit, 32. c. 33. a
Suavaricus Theodulfi gener, 803 a
Suavaricus Epiſcopus Aurelianenſis, 803. a
Syagrius Epiſcopus Auguſtodunenſis, 825. a, conceſſum ei pallium quod ad ſucceſſores tranſiret, *ibid.*
Symmachus Papa, 43. a, abſolvitur in Synodo Romana, 47. b
Symmachus Patricius & Conſul, 47. a
Synaxis, pro liturgia Sacra, 2. c
Synodi actio, ſeſſio, ſecretarius, 395. b
Synodorum auctoritas inconcuſſa, 407. a
Synodus Aquiſgranenſis juſſu Caroli Magni celebrata, 697. a, quo anno, *ibid.*
Synuſiaſtę Apollinariſtæ, 471. a 492. b

T

TAlammaſca, 889.
Tarſus Cilicię, 472. c
Telluris vetus inſcriptio Romana, 817. a
Terentius Epiſcopus Scythię, 379. a
Tetraſtica de Septem artibus, 813. a
Theganus falſo affirmat Theodulſum perduelionis convictum, 821. a
Themiſtus Agnoetarum princeps, 331. a
Theodeberti regis Francorum nummus aureus, 78. g
Theodericus rex Italię, Magiſter militum & Patricius, 27. b, pacem expetit ab Anaſtaſio, 83. a, eandem hęredi ſuadet curandam, 84. a
Theodora Auguſta, 593. a
Theodoretus Cyrri Epiſcopus ad Synodum quando admiſſus, 395. a 397. a, ejus ſcripta contra Cyrillum, 430. b

Theodorus Alexandrinus monachus Theopaſchita, 331. a
Theodorus Cappadox Cęſarienſis auctor damnationis trium capitulorum, 301. a, damnatus a Vigilio, 323. a
Theodorus Mopſueſtenus, 325. a 349. b 351. a 355. a 456. a 459. a 461. a 467. a, duos filios prędicat, 485. a 513. a, πρόγονος ποιεῖν, ibid. ejus de Chriſto hęreſis, 492. b 505. a, ibid. c 597. a presbyter fuerat Antiochię, 516. a
Theodorus Tyanorum Epiſcopus, 457. a b
Theodoſius junior, 325. a 465. a 467. a
Theodotus Antiochię contra Synuſiaſtas, 471. a
Theodotus coriarius, 438. b
Theodotus Cyprius Epiſcopus, 481. b
Theodrada Caroli M. filia, 790. c
Theodulfi Epiſcopi Aurelianenſis patria, res geſtæ, 665. a, mortis annus, 666. Italorum conſanguineus, 739. a, ob ſcientiam ab Italia adductus, 742. a miſſus Dominicus in provincia Narbonenſi, 665. a 739. a, Baſilicam condidit in Germiniaco vico, 779. a, diſciplinam reſtituit in Monaſterio Mitiacenſi, 779. b, Stephano IV. obviam mittitur a Ludovico Pio, 825. a, Papæ manu pallium accipit, ibid. gradu dejectus & in Monaſterium relegatus, quo tempore, 826. librum de Spiritu Sancto quo anno ſcripſerit, 697. a carmen in diem Dominicam palmarum quo tempore ſcripſerit, 775. a, carmen ad Carolum Regem quo tempore ſcriptum, 788. b, ejus verſus illuſtrantur, 791. b, auctor eſt carminis de Phœnice *Eſt locus &c.* 839. b, ejus poematum partitio, 847. a; aliqui ejus carminum libri deſiderantur, ibid. parænesim ad Epiſcopos ſcripſit Diaconus, ibid.
Theophilus Alexandrinus Cyrilli patruus, 337. a, Chryſoſtomo infeſtus, 430. c
Timotheus Ælurus Alexandrinus, 339. a 571. a
Timotheus diſcipulus Apollinaris, 317. a 371. a
Timotheus Patriarcha Conſtantinopolitanus Triſagio additionem inferre conatus, 12. c, Commonitorium ea de re ſcribit, ibid.
Titulus altaris Lugduni ab Agobardo poſiti, 835. b
Titulus palulę corporalis, 836.
Tituli quibuſdam ſcriptionibus adjecti, 695. b 837. a
Totilas pacem poſcit a Juſtiniano, 83. a
Trinitatis una perſona, unus de Trinitate crucifixus, 303. a
Tripartita hiſtoria, 337. a
Triſagii origo, 11. c, de vario ejus uſu quid ſcribat Ephræmius, 13. b
Tuduin Avarorum Rex, 789. b, Chriſtianus fit cum ſuo populo, ibid. quo anno, ibid.
Tyana metropolis Cappadocię II. 458. b

V

VAlens Imperator, 377. a
Verbum Domini, & Verbum Deus, 37. a
Vernum palatium Caroli Calvi, 739. a
Victor Papa, 348. b
Victorius Epiſcopus Gratianopolitanus, 32. c
Vigilius Affricanus, non autem Tridentinus, auctor librorum de Spiritu Sancto, 725. a, auctor videtur eſſe librorum XI. de Trinitate qui Athanaſio tribuuntur, 697. b, item diſputationis Athanaſii cum Ario, ibid.
Vigilius Papa Conſtantinopolim venit, 298. a 381. d, ejus epiſtola ad Ruſticum & Sebaſtianum, 595. a 599. a, de damnatione Theodori Cęſar. 323. a, Encyclica, 581. a, Judicatum, 588. c 591. a, Conſtitutum, 355. a 383. b 415. a 442. a 521. a 595. a 597. a, Synodus apud Conſtantinopolim, 591. a
S. Vincentii Baſilica Cabillone, 74. c
Vincomalus duarum ſororum maritus, 32. c
Virginum ſacratarum conjugia, 63. b, canonibus vetita, ibid. capitali pœna plectuntur lege Clotarii II. regis, 64. b
Vitalianus Patricius, 57. b, pax Orientalium cum Eccleſia Romana ejus ſtudio compoſita, 27. a
Viventiolus Epiſcopus Lugdunenſis, 68. b 69. a
Viventiolus presbyter, 35. a
Viventiolus rhetor, 66. d
Uranius Epiſcopus Imerię, 411. a
Uxore ob fornicationem dimiſſa, alteram ducere fas creditum. 65. a
Wlfinus Aurelianenſis Grammaticus & poeta, 785. a, ad illum Epiſtola incerti auctoris, ibid.

Z

ZEnonis Imperatoris henoticum 579. a, Ζεὺς καταιβάτης, 398. a
Zoſius Alexandrinus, 353. a
Zoſiſimus Papa deceptus a Cæleſtio, 439. a

INDEX AUCTORUM

QUI CITANTUR IN NOTIS.

A

ADo Viennenſis, 91.a 315. a
Agapetus, 666. b
Agnelli epiſtola, 737. a
Agobardus, 9. a 31. a 55. b. 68. b
Alcuinus, 680. a 775. a 789. b 791. a *ibid.* c 792. d 793. a 794. d, *ibid.* e 795. a 797. a 798. b 799. a 804. c
Ambroſius Mediolanenſis, 3. a 99. a 307. a
Anaſtaſius, 87. a 88. b
Anaſtaſius Antiochenus, 315. a
Anaſtaſius bibliothecarius, 12. c 297. b 381. c
Anaſtaſius presbyter in Ecloge, χρήσιων, 317. a 372. a 492. a 500. a 529. a 536. a 544. c 553. a
Antiparer Boſtrenſis, 321. a
Apicius, 77. a
Athanaſius, 307. a 352. b 429. b 526. a 400. b 530. b 531. c. 407. a 421. a 429. b 496. b, 525. a 539. a 541. a 542. c 563. a 697. a 698. a 701. a
Atticus CP. Epiſcopus, 368. b 369. a
Auctor vitæ S. Maximini, 780. b
Auctor vetus in excerptis cum Marcellino editis a Valeſio, 832. a
Auctor epiſtolæ ad Wlfinum Grammaticum, 785. a
S. Auguſtinus de Baptiſmo Donatiſtarum, 40. e 41. a
Auguſtinus, 3. a 22. b 40. e 44. b 54 d 66. c 421. a 428. b 439. a 481. a 507. a 541. b 817. a, ejus diſtichon, 788. a
Avitus Viennenſis, 2. e 16. 19. a 21. b 32. c 33. a 41. a 44. b *ibid.* c 47. b 49. a 55. b 56. c 59. a 68. b 70. d 71. a 73. b 78. f 79. a *ibid.* c 81. c 85. a 123. a 339. b 581 a 587. b

B

BAronius, 297. b 587. a 679
S. Baſilius, 33. a 69. a 373. a 429. a 526. a 529. a 545. a
Boetius, 831. a

C

CAſſiodorus, 28. b 48. e 49. a 50. d 56. c 83. a 339. a
Caroli Calvi edictum, 79. a
Cedrenus, 27. a
Chronicon vetus, 741. a 791. b
Chryſoſtomus, *Vide* Jo: Chryſoſtomus.
Codex Bibliorum Memmianus, 763. a
Codex Encyclius, 339. a
Codex Floriacenſis, 698. b
Codex Theodoſianus, 55. a 70. c 379. 482. c
Codex Juſtinianus de ſumma Trinitate, 299. a
Concilium, Arauſicanum, 62. b 82. b, Arelatenſe, 40. e 44. b, II. 18. a 22. a 34. b 81. b, Aurelianenſe, 24. d 42. c 92. b, II. 81. a, III. 18. a 22. a 81. a, IV. 62. b, V. 70. d, Carpentoratenſe, 62. b 82. b, Carthaginenſe, IV. 34. b, Epaonenſe, 24. d 33. a 79. c 81. a, Lugdunenſe, 32. c, Pariſienſe, III. 63. b, Regienſe, 80. d, Sirmienſe, 530. c Turonenſe, 63. b, II. 64. b, 81. a Vaſenſe II. 31. b 62. b, Veneticum, 65. a *Vide* Synodus Nicæna.
Conſtantini magni Lex, 55. a
Cyprianus, 3. a 99. a 519. a 696. a
Cyprianus de vita S. Cæſarii, 50. d
Cyrillus Alexandrinus, 430. c

D

DAmaſus Papa, 371. a 429. b
Diadochus, 666. b
Dionyſius Alexandrinus, 491. a 525. a

E

EDictum Juſtiniani 360. c 391. a 443. b 458. b 485. 522. a 531. a
Einhardus, 697. a 784. b 789. a 790. c 791. b 793. b 797. a 804. c 833. a emendatus, 878. b
Engoliſmenſis auctor, 789. a
Ephrem Diaconus, 99. a
Ephræmius Antiochenus, 13. b 317. a 383. a
Epiphanius Cyprius, 321. a 375. a 421. a 429. a 481. b
Epiphanius ſcholaſticus, 339. a
Ennodius, 1. a 29. a b 39. c 46. a 48. c 49. a 50. d
Ennodius de vita Epiphanii, 54. d
Evagrius, 579. a
Eucherius, 774. a
Eulogius Alexandrinus, 317. a
Euſebius Cæſarienſis, 347. a 348. b

F

FAcundus, 299. a 317. a 323. a 339. a 359. a 381. c 387. a 391. b 396. b 400. a 388. a 415. a 417. a 426. a 486. a 503. a 505. b 507. a 521. a 525. a 541. a 542. b 550. a 554. b 580. a 591. a
Facundus emendatus, 347. a 441. a
Faſti Conſulares, 58. d
Fauſtus Regienſis, 20. b
Felix III. Papa, 581. a
Ferrandus Diaconus, 303. a 308. a 382. c
Flodoardus, 782. a
Flori Diaconi Codex, 99. a
Flori Excerpta, 5. a 90. a
Florianus Monachus, 29. b
Florus Diaconus Lugdunenſis, 43. b 99. a 100. a 823. a, ejus libri Codex Petavianus, 823. a
Fortunatus poeta, 812. b
Fredegarius, 43. a
Fredegiſus Diaconus, 794. c
Fulberrus, 807. a
Fulgentius, 99. a

G

GElaſius Papa, 597. a
Gennadius Maſſilienſis, 21. b 317. a 516. a
Gennadius emendatus, 696. a
Gregorius Magnus, 18. a
Gregorius Nazianzenus, 429. b 430. a 457. a 491. a 541. a
Gregorius Nyſſenus, 644. c 545. a
Gregorius Turonenſis, 4. b 5. a 28. b 39. a 40. f 50. c 89. a

H

Herardus Turonenſis, 666. b
Hierocles, 397. a 441. a 456. a 458. b 472. c
Hieronymus, 99. a 321. a 429. a 451. a 481. a 535. a 801. b
Hilarius, 2. d 99. a 507. a 530. b 531. c
Hiuemarus, 574. a 698. b 702. a
Hincmarus emendatus, 56. c
Hormiſda Papa, 86. b 581. a
Hypatius Epheſinus, 317. a

I

Jacobus Bilius, 336.
Joannes Chryſoſtomus, 397. a 430. c 455. a
Joannes Cypariſſinta, 549. a
Joannes Damaſcenus, 13. b 14. b 430. c
Joannes Maxentius, 303. a
Joannes II. Papa, 304. a 309. a
Jonas, 679. b
Jornandes, 84. a
Inſcriptiones veteres, 779. a 787. a 818. a
Irenæus, 507. a
Iſidori Diaconi chronographia, 430. c
Iſidorus Hiſpalenſis, 382. d *ibid.* c 774. a 817. a
Iſidorus Peluſiota, 335. a 337. a
Juvenalis, 77. b
Juſtiniani edictum, *Vide* Edictum,

L

Leo Magnus, 40. c 65. b 70. d
Leo Papa, 4. c 65. b 70. d 99. a 341. a 339. a
Leontius Byzantius, 315. a 317. a 333. a 347. a 351. a 471. a 503. a 505. b 506. c 543. a 544. c 549. a 555. a
Leontius Monachus, 15. a
Lex Clotarii regis, 64. b
Lex Conſtantini, 55. a
Liberatus Diaconus, 5. b 301. a 323. a 325. a 349. b 384. a 395. b 415. a 419. a 468. b 472. b 573. a 579. a
Lupus Ferrarienſis, 776. a

M

Marcellini Chronicon, 12. c
Marcellinus Comes, 58. c, *ibid.* d 298. b
Marcus Eremita, 666. b
Marius, 2. a
Marii Chronicon, 23. b 43. a
Meſſianus presbyter, 29. b

N

Nicephorus, 315. a 337. a 368. a
Nicetas philoſophus, 368. a
Nicolaus I. Papa, 87. a 399. a
Nilus, 666. b
Notitia Affricæ, 725. a

O

Optatus, 41. a
Ovidius, 800. a

P

Paclanus, 99. a
Paulus Diaconus, 783. a
Paulus Papa, 791. b
Paulini antiqua exemplaria, 811. a
Paulinus, 99. a
Paulinus Euchariſtici auctor, 20. a
Paulinus Burdegalenſis, 20. b
Paulinus Nolanus, 39. b
Petronius Arbiter, 72. d
Petronius, 77. a *ibid.* b
Petrus Franciſcus Chifletius, 726. a
Petrus Daniel, 737. a
Petrus Pithœus, 51. b 808. b
Photius, C P. 717. a 331. a
Plinius, 78. f 373. a 397. a
Poeta Saxonicus, 789. a 791. a 804. c
Procopius, 58. d 78. g 84. a 397. a
Ptolomæus, 397. a

R

Riculfus Sueſſionenſis, 666. b
Rituales libri Eccleſiæ Romanæ, 787. b
Ruricius. 60. d
Ruricius Lemovicenſis, 39. c

S

Scribonius Largus, 77. d
Serarius, 784. b
Sidonius, 1. a 42. b 66. d 69. a 71. c 91. b 573. a 587. b
Socrates, 337. a
Suidas, 335. a
Sulpitius Severus, 400. b
Symmachus, 451. a
Synodus Nicæna, 80. d 429. b, ſecunda generalis, 341. a 395. b, Epheſina, 349. a 359. a 371. a 430. b 441. a 447. a 513. a 515. a 556. b, Calchedonenſis, 339. a 341. a 387. a 388. a 391. b 395. b 400. b 415. a 417. a 445. a 465. a 572. a 592. a, Quinta generalis, 347. a 349. a 350. b 355. a 359. a b 388. a 291. a 415. a 417. a 419. a 435. a 444. b 445. a 458. b 460. a 467. a 471. a 486. a 503. a 522. a 588. c
Synodus Alexandrina, Athanaſii, 429. b 430. a, Cyrilli, 430. b Ancyrenſis, 34. b, Ariminenſis, 400. b, Berytenſis, 387. a 391. b 411. a 417. a, Epheſina II. 412. a 472. b, Francofordienſis, 506. c, Illyriciana, 381. d., Orientis Joannis Antiocheni, 325. a, Romana Gelaſii Papæ, 597. a, Symmachi II. 574. a Tyria, 387. a 411. a, Vide Concilium Arauſicanum,

T

Tertulianus, 3. a
Theganus, 822. a
Theodoretus, 67. a 337. a 347. a 377. a 472. c 500. a 535. a 543. b 549. a 553. a 395. a 397. a 430. b
Theodulfi codices Mſſ. Virdunenſis, Divionenſis, Vaticanus, 679. a Corbeienſis, *ibid.* 995. a, Altæ Sylvæ, 737. a, Petavianus, 680. a 737. a, Memmianus, 763. a
Theodulfus, 763. a 775. a 779. a 792. c *ibid.* d 820. a 821. a 825. a 847. a
Theophanes in Chronico, 12. c 58. c 337. a 381. b 579. a 593. a
Theodorus Hagiopolitanus, 501. a
Theodorus Raithenſis, 485. a

V

Varro, 72. d 817. a
Victor Tonon. 57. c 381. d 580. a 588. c 596. b
Vigilius Affricanus, 698. b, ejus codex Mſ. 725. a
Vigilius Papa, 323. a
Vincentius Lirinenſis, 6. d 519. a
Virgilius, 803. a

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google